Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Ecclesiastica historia, integram Ecclesiae Christi ideam, quantum ad locum, Propagationem, Persecutionem, Tranquillitatem, Doctrinam, Haereses, Ceremonias, Gubernationem, Schismata, Synodos, Personas, Miraculas, Martyria, Religiones extra Ecclesiam, & statum Imperij politicum attinet, secu[n]dum singulas Centurias, perspicuo ordine complectens: singulari diligentia & fide ex vetustissimis & optimis historicis, patribus, & aliis scriptoribus congesta ...

https://hdl.handle.net/1874/456743



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

H. fol.
306









tionis in foro. Vae uobis quia
estis ut monumenta quae non
apparent. et homines ambulantes
supra nesciunt. Respondens
autem quidam ex legis peritis.
ait illi. Magister. hęc dicens & iam
nobis contumeliam facis. At ille
ait. Et uobis legis peritis uae. qui
a oneratis homines oneribus
quę portari non possunt & ipsi
uno digito uro non tangitis sar
cinas. Uae uobis quia edificatis
monumenta prophetarum. patres
autē uri occiderunt illos. Profecto
testificamini qd consentitis operi-
bus patrū uestrorū. qm quidē ipsi
eos occiderunt. uos aut aedifica
tis eorum sepulchra. Propterea
& sapientia dei dixit. Mittā ad
illos pphetas & apostolos. & ex illis

oria Ecclesiastica
Folio . °. 306.

estis in cubiculis. predicabitur
in tectis. Dico autem uobis amicis
meis ne terreamini ab his qui
occidunt corpus. & post hęc non
habent amplius quid faciant.
Ostendam aut uobis. quē timeatis.
Timete eū. qui postquam occide
rit habet potestatem mittere
in gehennam. Ita dico uobis.
hunc timete. Nonne quinque
passeres ueneunt dipondio. et
unus ex illis non est in obliuione
coram dō. Sed et capilli capitis
uri. omnes numerati sunt. Nolite
ergo timere. multis passeribus
pluris estis. Dico autem uobis.
Omnis quicumq confessus fuerit
coram hominibus. et filius
hominis confitebitur illum
coram angelis dei. Qui autem

Hist
D

101. b.

Quinta Centuria ECCLESIASTICAE HISTORIAE, CONTINENS DESCRIPTIONEM AMPLISSIMARVM RERVM IN regno Christi, quæ quinto post eius natiuitatem seculo acciderunt, cum Imperium Romanum gubernarent Arcadius, Honorius, Theodosius, Valentinianus, Martianus, Leo, Zeno: & multi præclari Doctores, inter quos sunt Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Hesychius, Iunilius, Primasius, Eucherius, Salonius, Prosper Aquitanicus, Sedulius, Saluianus, & similes, in Ecclesia Christi passim fulgerent: eodem ordine, diligentia & fide, quo superiores Centuriæ, ex uetustis & probatis historicis, patribus, & alijs scriptoribus:

Partim in urbe Magdeburgica, partim in Academia Ienensi contexta.

Accessit Rerum uerborumq; in hac Centuria præcipuè memorabilium, tum locorum Scripturæ explicatorum geminus INDEX.



Ex donatione Buecheli

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.



SERENISSIMO, ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ERICO, SVECIAE, Gottorum & Vandalorum Regi, &c. Domino suo clementißimo.



PLVRIMA in lectione hiſtoriæ, præſertim Eccleſiæ Dei, digna obſeruatione occurrunt, inter quæ hæc non ſunt poſtrema, quòd ſemper iſta tria ſibi inuicē, & haud longo interuallo ſucceſſerūt: primùm, ingentia Dei beneficia: ſecundò, ingentia peccata ſeu cauſæ pœnarū: tertiò, ingentes pœnæ. Beneficia aūt Dei non ſunt ulla in hac uita maiora, quàm uerbi Dei patefactio, inſtauratio, illuſtratio, propagatio publica, celebris, latè diffuſa, & errorum abolitio. Peccata nulla ſunt atrociora, quàm uerbi iſtius diuini contemptus, deprauatio, corruptelarum fucatio, præſtigiatorum ſeductorumq; ſummorum tolerantia & ueneratio, Epicureiſmus, colluſio cum impijs, perſecutio & oppreſſio uerorum doctorum, confitentium nomen Domini. Pœnæ denicq; nullæ grauiores in hac quidem uita ſunt, quàm uerbum Dei dilutum philoſophia, aut humanis traditionibus & pithanologijs: præbere liberam aream corruptelis: pręmia impoſtoribus dare: occludere omnes portas confeſsioni ueritatis, ne liceat eam ut oportebat ſonare uoce & ſcriptis: tradi in reprobum ſenſum: efficacibus illuſionibus excæcari & faſcinari. Haſce pœnas comitatur idololatria, cultus ſuperſtitioſi, uarij fanatiſmi, ethnici furores. Concurrunt autem ſimul & politicæ pœnæ ac calamitates in imperijs & rebuſpublicis.

Iſtarum rerum typum, ſeu potius uiuam picturam, etiam hæc Quinta hiſtoriæ Eccleſiaſticę Centuria oculis hominum ſubijcit. Primùm enim aliquā adhuc faculam de doctrina ſua cœleſti hoc ſeculo cōſeruauit Deus paſsim in mundo, qua illuſtrauit quorundam corda, ac ueram ad ſe conuerſionem operatus eſt. Non tamē fuit æqualis illi tempori, quo ipſe filius Dei in Palæſtina uerbum cœleſte diſſeminauit, & Apoſtoli iucundiſsima Euāgelij uoce totum terrarum orbem compleuerunt. Ingens tamen clementiſsimi Dei beneficium extitit, quòd paſsim adhuc aliquos doctores, ueluti ſemen quoddam ſanctum conſeruauit, qui aliquos articulos fidei incorruptos tradiderunt.

Sed cauſæ pœnarum maximæ ſimul graſſari cœperunt, quæ calamitates unà attraxerūt. Plurimi enim miniſterio docendi in Eccleſia fungentes, Arianiſmū amplexi ſunt, & philoſophicis ratio-

nibus & perſuaſibilibus opinionibus argutijsq; defenderunt. Alij ſecuritatem quibuſuis hæreticis permiſerunt, ita ut ueluti in naufragio dormitantes, tantum ſuæ tranquillitati & ocio conſulerent: non confutarent præſtigiatores, non monerent apertè de cauendis lupis, prorſus ac ſi ocioſi tantū ſpectatores alienæ actionis aut fabulæ in theatro conſediſſent. Alij uiribus, uirtutibus ac operibus humanis nimium tribu entes, originalem corruptionem, iuſticiamq; fidei fœdè obſcurarunt: ut Chryſoſtomus, & reliqui: idq; decepti philoſophicis quibuſdā ſomnijs. Nimium etiā cultibus humanis frena laxarunt, præpoſtera quadam admiratione ſanctitatis ſponte ſuſceptæ: ut quòd in deſertis aliqui uitā agerent, repudiarent diuitias & coniugia.

Imperatores autem & magiſtratus politici paſsim non magna cura Eccleſiarum afficiebantur. Arianis conniuebant, imò etiam fouebant doctores falſos, ſtudio (ut falſò putabant) pacis externæ, utq; aliquanto quietius imperitarent. Veros autē, graues & conſtantes uerbi Dei miniſtros, tanquam homines inquietos ac ambitioſos, rixandiq; & omnia turbandi cupidiſsimos, oderant, perſequebantur, opprimebant, dabant ſeſe curis & uoluptatibus huius uitæ. Populus autem ipſe paſsim mores ſuorum magiſtratuum imitabantur: ſicut nimium uerè dicitur,

Scilicet in uulgus manant exempla regentum.

Nam ſecuritati, auariciæ & uarijs huius uitæ uanitatibus indulgebant, auresq; prurientes & promptas habebant ad nouas præſtigias, & falſos doctores: admirabantur exercitia monachorum & ſimiles ineptias. prorſusq; ille triſtiſsimus ſtatus inualeſcebat, de quo ſæpe Prophetæ grauiſsimè queruntur, dicentes: Sicut populus, ſic ſacerdos, & econtrà.

Hæc peccata præſentes eueſtigiò pœnæ inſequebantur, tū ſpirituales, tum corporales. Nam præter uarias hæreſes, quæ paſsim magna fertilitate proueniebant, ut ex Capite Quinto huius hiſtoriæ uidere eſt: etiam ab ijs qui pro ueris doctoribus haberi uolebant, quiq; cæteris nonnihil ſaniores uidebantur & erant, doctrina cœleſtis in pluribus articulis uel tenebris aſperſa, uel etiam penitùs deprauata eſt.

De libero arbitrio, ſeu uiribus hominis nondū renati, plurimi ſenſerunt, aliquam eſſe hominis animalis ſynergiam ſeu cooperationem contra uerbum Dei: quod diſertè teſtatur, animalē ſeu ueterem hominem non intelligere, non percipere, nō uelle, non perficere ea quæ ſunt Dei: imò ſenſus in homine præcipuos eſſe inimicos Deo, repugnare legi Dei. Auguſtinus & Proſper huic ſententię acriter ſunt reluctati, ſed parum apud alios obtinuerunt. Fons eius rei fuit, quòd peccatum originis nimis tenuiter & frigidè explicarunt,

plicarunt. Nam immotum est axioma: Quod in loco de peccato originis homini adimitur, id in loco de libero arbitrio nō potest ei attribui. Extenuatis igitur effectib. & damnis peccati originis, id quod audacter & sine fronte omnes Synergistæ factitant, prouenit ille fructus, ut nōdum renatæ uoluntati hominis, contra manifesta Scripturę sanctę testimonia, tribuatur in reb. diuinis operatio & cooperatio: & sic non in Domino solùm, sed etiam in nobis ipsis gloriemur, tanquam non omnia ab ipso acceperimus, sed etiam antè domi habuerimus, & inde Deo aliquid prius dederimus. Rom. 11. Vnde illæ præparationes ad gratiam scaturiunt, & facere quod in se est, seu meritum congrui.

Legis diuinæ cultus traditionibus humanis obruebantur. Nā in admiratione erant uariæ ἐθελοθρησκείαι, secessiones ab hominibus, spontanea ieiunia, afflictiones corporis. Passim enim monasteria & Eremitarum cellæ surgebant: & habebant præcones Augustinum, Chrysostomum, & alios præstantissimos uiros.

Hinc etiam summus fidei articulus de gratuita remissione peccatorū per fidem in Christū, obscurari & uitiari cœpit. Etsi enim interdum asseuerant, sola nos fide in Christum iustificari: tamen subinde opera immiscent, & eis iustificationem siue partialiter, siue formaliter, siue denicq; totaliter adscribunt, cuius rei testimonia in Quarto capite plurima recitantur.

Doctrina etiam de bonis operibus uariè est corrupta. Nam elicticios cultus plericq; operibus Decalogi prætulerunt. Deinde cū ignominia & iniuria meriti Christi eis salutem tribuerunt, contra scripta Prophetarum & Apostolorū. Inde est, quòd de pœnitentia seu cōuersione ad Deum obscurius etiā scripserint. Quid enim lucis retineretur hac in parte, obscuratis quatuor illis locis, de uiribus hominis post lapsum, de lege, de iustificatione, de bonis operibus, ex quibus doctrina de pœnitentia ueluti ex fonte scaturit?

Natiua etiam de Sacramentis sententia, phrasibus ex ueteri Testamento detoris, cœpit obscurari.

Cœpit quoq; lux inuocatiōis uerę obtenebrescere. Quid enim is aliunde solicitè mendicaret, qui domi se diuitem esse somniaret? Deinde etiam ideo, quia defunctorum hominum meritis & uenerationi nimium uendicaretur. Et exurgit hoc seculo cultus reliquiarum, non necessariæ templorum extructiones, cursitationes ad frustula de sanctis, ut uulgò putabantur.

Hisce igitur pręcipuis capitibus adulteratis, facile est cogitare, in reliquis quoq; partibus doctrinæ cœlestis sinceritatē esse multipliciter uitiatam.

Accessit porrò ad istas doctrinæ tenebras, externa quædam regni Christi turbatio. Nam nō solùm passim episcopi ambitione

& liuore inter se confligebant, sed in primis Romani episcopi (id quod atro calculo meritò notandum est) non tantum cupidè, sed etiam impudenter semina sui primatus seu eminentiæ super alias orbis Ecclesias iecerunt. Quomodo autem in cõciliis Africanis ea de re sit disceptatum, è Capite de Synodis patebit: hic enim nimis prolixum foret recensere. Illud tamen prætereundum non est, quòd etsi Africani mediocriter nefariis & impiis conatibus Romanorum episcoporum reluctati sunt: tamen sicut aliàs mirabili Dei iudicio fierit solet, ut pœnis ingruẽtib. nullo cõsilio, nullis machinis resisti eis possit: ita cœperat iã ira Dei iusta propter peccata exardescere, ut plus satis ille Antichristus Romanus obtineret.

Spiritualibus pœnis calamitates politicæ respondebant. Nam uix ullo unquam tempore imperium Romanũ tantopere est fractum, debilitatum, & propemodum destructum, ut hoc ipso seculo. Nullus enim huius ætatis Imperator eximia uirtute ad tutandam imperij Romani maiestatem & amplitudinem præditus fuit. Tantum uerò suæ tranquillitati & uoluptatibus operam dantes, ante suos oculos, ueluti attoniti, surdi, claudi, manci, conspexerũt turbas dari, auferri regna opulentissima, grassari barbaras & immanes gentes. Hac enim ignauia multi strenui uiri, ut Rufinus, Stilico & alij, excitati, imperiũ affectauerũt: Vandali, Gotthi, Hunni, Heruli, Sueui, Alemani & aliæ gentes, non modò Galliam, Hispaniam, Africam auulserunt à Romano imperio, sed etiam in ipsam Italiam, Romanorum Imperatorum aulam, sedes suas posuerunt. Ac sanè memoria dignum est, quòd hac ætate præter alios plurimos, fasces Imperij arripiẽtes, etiam Augustulus quidam in Occidente gubernationem suscipiens, mox sese ipsum metu hostiũ abdicauit, summamq; rei Odoacro Rugorum regi cõcessit, fataliter nomine ipso summam Imperij Romani ruinam (quod Augusto regnante excreuerat, & in hoc Augustulo ueluti marcescebat & extinguebatur) portendente. Neq; ante Caroli Magni tempora aliqua certa forma eius regni potuit recuperari, aut instaurari.

Roma olim caput ac domina mundi, iam sedes Antichristi facta, hoc tempore ter capta & direpta est, singulari Dei cõsilio. Primùm ab Alarico Vestgotthorũ rege, anno Domini 412. Deinde, cum adhuc pateret, ab Athaulpho, seu Adolpho, successore Alarici: qui, quod reliquum prædæ manserat, abstulit. Tertiò, Genserico ex Africa ab Eudoxia Augusta contra Maximum euocatus, Roma capta & expoliata, in Africam redit. Voluit autem proculdubio hac toties iterata pœna Deus Romanos, de nefariis episcoporum suorum machinationibus commonefacere. Sed frustra hæc fiunt omnia, nemine habente aures ad audiendum, oculos ad uidendũ, aut cor ad intelligendũ. Tempus enim iræ Dei aderat,

quo

quo Antichristus debebat crescere in loco sancto: ut ingratissimus hic mundus suæ stultitiæ, contemptus & malitiæ, contra reuelatam Dei uoluntatem, religionemq; digna præmia ferret.

Germani quoq;, Saxones, Britanni & aliæ regiones, suas pœnas experti sunt, mutatis subinde regibus.

Profani autem homines, casu quodam fortuito eiusmodi uariationes, mutationesq; rerum accidere autumant. Sed Spiritus sanctus inquit: Per me reges regnant. Itaq; Dei hoc opus est, qui pro suo iustissimo iudicio, propter uerbi, cultus ac gloriæ suæ neglectum, fornicationes cum impijs, & cothurnos religionum mirabiles, pœnas infligit spirituales & corporales: sicuti in Prophetarũ & Apostolorum scriptis sæpius grauissimè Deus minatur.

Atqui ista hæc omnia maiorem, eumq; necessarium usum præbent, si ad nostra tempora applicentur. Primùm enim, nullo unquã tempore, post Apostolos, doctrina cœlestis tã clarè & perspicuè in omnibus articulis fidei effulsit ac sonuit, atq; hac nostra ætate. Dilucidè enim Antichristus cũ sua idololatria, præstigijs & technis omnibus, toti orbi uoce & scriptis publicè monstratus est, & innotuit: quin & facto ipso uis potentiaq; eius diuinitùs immiuta est. Deinde rectè, solidè, perspicuè homines sunt edocti de peccato, de lege, de suis uiribus in rebus diuinis & carnalibus, de discrimine Legis & Euangelij, de gratuita per Christum iustificatione, sola fide accipiẽda, de bonis operibus à Deo præceptis præstandis, de uanitate & superstitione cultuum propria temeritate susceptorum: ut sunt, cœlibatus contra diuinitùs inditam naturã, monachatus, canonicatus, peregrinationes ad reliquias sanctorũ: item de uera Dei inuocatione per unicum mediatorem IESVM CHRISTVM, & de horrenda idololatria ac adoratione statuarũ & defunctarum creaturarum: de uero, legitimo ac salutari Sacramentorum usu, profligatis ineptijs, prophanationibus & corruptelis Papisticis: de pœnitentia seu cõuersione ad Deum salutari, repudiata conscientiarum carnificina: de satisfactionibus: de magistratuum dignitate, necessitate, officio: deq; subditorum debita obedientia: de libertate in ceremonijs abolitis, superstitiosis & nõ necessarijs, & similibus capitibus: de quibus libri plurimorũ optimè scripti, in luce uersantur, & ad æternam memoriã, utilitatemq; propagantur. Hæc Dei beneficia, quia per ea Deus miseros homines regenerat, iusticiã, Spiritum sanctũ, uitam & salutem æternam benignè impertit, sunt reuera, cõprobanteq; omniũ piorum iudicio, amplissima & maxima. Quid enim uniuersa huius mundi bona ulli homini proderunt, qui Deum ignorat, manet in peccatis, est mancipium diaboli, & filius iræ Dei & æternæ damnationis? Largitur aũt illa summa bona Deus non ex merito ullorum

hominum, quia omnes ex æquo erant immersi in impietates ac tenebras Ægyptias Antichristi: omnes ex æquo sunt peccatores, carentes gloria Dei, hoc est legis impletione & uita æterna, Rom. 3. Sed ex mera, immẽsa, gratuita misericordia, qua sibi colligit & sanctificat cœtum, à quo in hac & ęterna uita iuxta uerbum à se reuelatum cognoscatur & celebretur.

Sed quali, proh dolor, & quàm horrenda ingratitudine nos homines ista ingentia omnipotẽtis Dei beneficia excipimus? Quàm enim tetra peccata, scelera, flagitia in orbe Christiano nunc simul inundãt? Cohorrescimus sanè ista referre: aliquid tamẽ de eis breuiter attingẽdũ est, ut fons & origo pœnarũ cõsideret, quò, si possibile est, ad cor reuertamur, & imminentẽ irã effugere discamus.

Etsi sunt aliqui adhuc doctores Ecclesiæ Dei in uarijs locis dispersi, qui ex peculiari Dei misericordia sinceritatem uerbi diuini tuentur, & multiplices errores in agro Domini enascentes, uel lãguidè saltem ac timidè, uel (ut nunc elegantes quidã loquuntur) modestè taxant, peccata etiam tetra hominũ in hac mundi sentina uiuentiũ reprehendunt: tamen ij non tantum à filijs huius seculi, quibus hoc solenne est, sed etiã à propijs synergis, à confratribus irridentur, molestantur, affliguntur, debilitantur & franguntur, dum eos Stoicos & seditiosos proclamant, dum seditionis & hæresium crimina impingunt, dum desperantes de suæ causæ bonitate & gladio spiritus solicitant & instigant potentiores, ut eiusmodi uoces, ueluti in deserto clamantes, sua autoritate, quin & cruentis gladijs compescãt. Quo quidem bello nihil tristius, nihil pestilentius, longo iam tempore uidet Ecclesia Dei.

Deinde nõdũ quiescũt illa tetra peccata, quę tẽpore INTERIM, inclinationibus ad Antichristũ, spiritu oris Domini patefactũ, & cõformationib. in doctrina & ceremonijs cũ eo, perpetrata sunt.

Graue dictum in Esaia extat: Peccatũ suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec erubuerunt. Id nunc etiam in multis uidemus fieri, qui scientes, uidentes, uolentes, corruptelas & lapsus atroces palliant, imò pro optimis operib. defensant. Atq; ita omni posteritati laqueum, scandalaq; in simile exitiũ ruendi relinquũt. Multi cesserunt Antichristo, eum esse Oecumenicum: & isti arctolyco eius q; catulis iurisdictionem paradisi, hoc est Ecclesiæ Christi repurgatæ, restituendam esse. Sunt qui hoc peccatum meretricia prorsus fronte, Iuristicis formulis defendant.

Cessio facta est in articulo de libero arbitrio, in gratiam Papistarum: quasi homo non regeneratus, possit in cõuersione ad Deum cooperari. Cessio facta est, quòd principaliter fide iustificemur: quòd de particula Sola, in ista propositione, Sola fide iustificamur, nõ sit pugnandũ coram Antichristi socijs. Cessio facta est, quòd

quòd bona opera sint ad salutem seu iusticiam necessaria, & quòd impossibile sit absq; bonis operibus saluũ seu iustũ fieri. Cessio facta est, quòd in ceremonijs uiua Antichristi larua sit recipienda tantum ut crux auertatur. Sed non est nostri instituti, hoc loco cõ memorare omnia.

Tacemus interea alias sectas passim sæuientes, Anabaptistas, Antinomos, & similes.

Tanta autem arrogantia, tantus liuor, iam passim multos Ecclesiæ ministros inuadit & occupat, ut salutaria consilia ad amouenda eiusmodi peccata & iram Dei, non modò ipsi non cogitent: sed etiam humiliter, modestè ue ab alijs indicata, ueluti insani prorsus repudient: imò etiã Magistratus, ne Synodos disputationesq; ex uerbo Dei indîcant, aut patiantur fieri congressus, quanto possunt studio dehortantur. Interea uerò ipsi uenenatas linguas & calamos stringunt cõtra omnes: corruptelas quantumuis iustè, solidè, piè reprehendentes, affingunt eis errores, quos uel ipsimet somniant, uel ex malis spiritibus obscuro rumore accepe-runt: iuuentuti à teneris annis odium rectè sentiẽtium, summo ardentissimoq; studio instillant, ne unquam ueritatem ex eorũ scriptis scrutentur. Multi uerò ita sese ignauiæ, & turpi inertiq; ocio totos quasi deuouent, ut prorsus contradicentes nullos uelint arguere, nullumue quantumuis noxium lupum allatrare, facti prorsus canes muti, & cymbulam Christi in medio salo fluctuantem & pereuntem relinquant. Quantum uerò scelus est, in medio domus Domini incendio, aut in naufragio altum somnum stertere? Perit iam, idq; repentè, ueritas patefacta. Philosophia, Papismus, & innumeræ sectæ in templo Dei longè lateq; primam cathedrã occupant: & tamen etiam ipsi præcones uerbi Dei clamant, Pax pax, nihil periculi uspiam est. O pastores mortuos, nõ mutos: O gregem Christi miserum, qui talibus pastoribus pascitur. Quid dicet Archipastor noster, iam iam cum maiestate & exercitu angelorum adfuturus?

Quid uerò amplius fit? Qui ingenioſi, & pacis publicæq; tranquillitatis cupidi præ ceteris uideri cupiunt, conciliationes & cothurnos religionum affabrè & concinnè excogitant: proponunt ἀμνησίας, & eas quidem tales, ut nõ modò ueritas & mendacium æquale testimonium accipiat, sed mendacio plusculum suffragij quàm miseræ & contemptæ ueritati uendicetur. Is enim huius infelicis, aut potius peruersi mundi cursus est, quòd magnę quidem autoritatis & doctrinæ uiri, non aliter quàm semidei & quædam idola colantur, piscatores uerò & fabri ex alto despiciantur. Magnis uiris semper putamus aliquid licere, aliquid eis condonandũ esse, etiam in rebus illis diuinis: inferioribus uerò contrà, etiã cum

ueritate

ueritate aliquid ignominię deuorãdum, dãniq́ perpetiẽdum esse.

Transimus hoc in loco extremam & deplorãdam pertinaciam Pontificiorum, qui in tanta luce uerbi diuini cõtra suam conscientiam, in manifestis idololatrijs perseuerãt, ueritatemq́ palpatam furenter condemnant & persequuntur.

Magistratus autem politici, qui Euangelio Christi nomen dederunt, plurimis in locis præstigiatoribus & corruptelis locum, dignitatem, præmia præbent: quos etiam ideo eo magis complectuntur, quòd eos sibi promptius seruire, cõniuere & adulari cernunt, cõfessoribus ueritatis os obstruũt, pennas excutiunt, libros ne typis excudantur uetant: adulteratoribus autem ueritatis, uox libera est, præla laborant, & omnes spiritus maligni, eorumq́ organa, ut quàm latissimè dispergantur pestiferi illi libri, inseruiunt. Filij huius seculi audacissimè formas religionum ex suo cerebro fundunt, & formulas præscribunt, quas ministris uerbi Dei imperiosè obtrudunt. In eas enim angustias iam Ecclesia Dei, proh nefas, redigitur, dormitantibus pastoribus, passim etiam prodentibus, & sponte tradentibus suum ministerium politicis uiris, ut nõ rarò tumidi rabulæ quidam forenses, sese non intra septa sua rerũ mundanarum continentes, alijq́ res ad pastorum officia pertinentes nefariè & impiè ad se rapiãt. Et planè sicut olim Pontificij proceres in Ecclesia, sceleratè regna huius mundi inuaserunt: ita nunc uicissim politici, illotis quasi manibus in gubernationem illam spiritualem uerorum ministrorum uerbi Dei, legitimeq́ suo officio fungentium irrumpunt, seq́ utroq́ gladio instar Antichristi accingunt, cum nec unum quidem suum rectè administrare norint.

Quæ igitur nunc pœnæ ex istis stagnis exundant? Nullæ ne in conspectu uersantur? Imò plures, quàm à nobis considerari possunt. Nam primùm passim religio diluitur corruptelis Papisticis, & alijs. Deinde extinguitur zelus pro pietate: quia scilicet putatur adiaphoron esse, papisticas phrases & ceremoniarũ lernã accipere. Tertiò, multi deficiũt, qui prorsus diabolica immanitate ueritatem persequuntur: ut Staphylus, ut miser Stephanus Gryllus qui se Agricolã uocat, &c. eiusmodi enim fœtus excubat & producit Adiaphorismus. Quartò, Papistæ, & alij sectarij omnia longè lateq́ occupant & uastant, quia Adiaphorismus suo pallio ista omnia complectitur, philosophia suis principijs ornat. Iuuentus neq́ discit fundamenta religionis, neq́ aliàs ueritatem curat: imò eam nunquam auditam Cainico planè furore infestat, blasphemat, lacerat & persequitur. Quid igitur restat, nisi extrema abolitio ueræ religionis & uerbi diuini, sicut olim fuit sub Papatu? Filius enim Dei prædixit, sese uix esse fidem in terris in suo aduentu reperturum.

Politiæ

Politiæ uerò, an non ubiq; ferè nutant, ac ruinam minitantur? dissensiones pernicioſæ ubiq; regnant? eſt filius contra patrem, filia contra matrem, frater contra fratrem, amicus cõtra amicum. Turca præ foribus noſtris, rebus uitæq; noſtræ inhiat. Moſchus de Liuonienſibus pœnas tãquam flagellum Dei exigit, easdemq; toti Germaniæ minatur. Aſtra, aer, terra, mare, arbores, beſtię, abortus in hominibus, pœnas inſtantes præſagiunt: quę quidẽ prodigia omnia propter frequentiam contumelioſè faſtidimus, & superbè Epicureeq; contemnimus. Creſcit effrenis quælibet agendi licentia, auaricia, luxus, uoluptates.

Hæc uerò omnia & pœnę ſunt, & alias plures ſine omni dubio portendunt & afferent.

Sed dicet aliquis: Quorſum iſta tam longa & moleſta narratio, Rex ſereniſsime & potentiſsime? Paucis id adijciemus. Nobis quidem ipſis nihil eſt acerbius aſpectu & meditatione tam triſtiũ rerum: ſed neceſſe fuit nobis uſum & applicationem hiſtoriarum ueluti digito demonſtrare: deinde quia ſcimus Regiam tuam Maieſtatem ſeriò affici Eccleſię Chriſti calamitatibus, putauimus M. Tuam non indignè laturam, ſi de communibus calamitatibus noſtrũm dolorem teſtaremur. Tertiò, T. R. M. quantis poſſumus precibus ſupplicamus, ut de ſalutaribus remedijs, quibus iræ Dei & tanto pœnarum diluuio maturè ſuccurratur, cogitet. Caput autem iſtius remedij foret, ut Chriſtiani orbis Reges, Principes, & Reſpublicę, ſeriò atq; in tempore, priuſquam pars ſincera in totum traheretur, piarum Eccleſiarum doctores alioſq; pios uiros politicos cõgregarent, ut illi auditis utriuſq; partis ſententijs, perueſtigataq; ſumma diligentia ex uerbo Dei ueritate, corruptelas abolerent, & ſcandala data de medio tollerent. Dum enim corruptelæ adhuc uigent, ira Dei & pœnę nequaquam ceſſabunt. Non decipiet ille cœleſtis Rex ullius hominis diſsimulationibus, amneſtijs, pigmentis, præſtigijs aut Rabinico faſtu. Quin potius ita irritabitur, ut exardeſcat ueluti ignis ira furorq; ipſius.

Præterea cum ſe iam hic mundus ad occaſum ruinamq; inclinet, ac uox Euangelij uideatur in Septentrionales regiones proficiſci, & ueluti in exilium pelli: agnoſcet ſine dubio R. T. M. hoc ingens Dei beneficium: & uiciſsim Deo ſuo id honoris exhibebit, ut de tantis rebus cum alijs, quibus Deus Imperia huius mundi demandauit, grauiter deliberet, ne corruptelæ in ea loca perferantur, quibuſcunq; tandẽ artibus pingantur, uel autoritatibus, proſopolepſijsq; ornentur ac defendantur.

Hunc autem librum, res maximas Eccleſiæ Dei continentem, T. R. M. inſcribere uoluimus, ut teſtaremur, nos R. T. M. uenerari propter inſignem pietatem, qua Eccleſiam in ſuis regnis fouet & ornat.

& ornat. Nouit T.M. hunc esse unicum hominis finem, iuxta primum Decalogi præceptum, Deum uerum cognoscere & celebrare: eum si ignorat homo, non modò bestijs, sed cacodæmoni Deū blasphemanti similis est. Non tantum per Deum Reges regnant, sed etiam propter Deum, sicut suauissimè concionatur Rex potētissimus & sanctissimus Dauid: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Osculamini filium, &c. Esaias uerò inquit, Reges esse nutricios Ecclesiæ. Inter eos autem T. quoque M. esse non dubitamus. Petimus igitur quanta possumus subiectione, ut R. T. M. hunc nostrum laborem, difficilem certè, & maximos sumptus requirētem, ut omnes pij facilè iudicare possunt, sed (ut speramus) Ecclesiæ Christi salutarem, sereno uultu accipiat, & istos pios conatus adiuuet. Non ignoramus quidem, solere interdum etiam optimorum animos, calumniatorum uirulentas linguas perturbare, & à fauore eiusmodi piorū necessariorum ac utilium laborum auertere. Verùm nos speramus, R. T. M. non ex maleuolorum sermonibus, sed ex rebus ipsis, hoc in libro ordine perspicuo expositis, iudicium facturam esse. Nos autē tantum de fide & diligentia mediocri dicere possumus, quam adhibemus cum alijs bonis uiris: sicut in hac Centuria, in quibusdā nos adiuuit M. PANCRATIVS Veltbeck, cuius honoris gratia hic mentionem facimus. Bene ualeat

R. T. M. Ienæ, Anno Domini 1562.

R. T. M.

Add.

Matthias Flacius Illyricus.
Iohannes Vuigandus.
Matthæus Iudex.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ
Centuriæ Quintæ

1

CAPVT I.



VINTAM nunc Centuriã, ſeu quintum ſeculum poſt natiuitatem Domini noſtri IESV CHRISTI, iuuãte Deo ordimur: in quo eccleſiæ Chriſti ſub Arcadio, Honorio, Theodoſio iuniore, Marciano, Leone, Zenone Imperatoribus cõprehendere, quãto potuerimus ſtudio & diligentia conabimur: eandem planè rationẽ, quam in præmiſsis obſeruauimus, ſequentes. Retinuit autem hæc ætas aliquid adhuc de flore prioris ſeculi. Paſsim enim toto terrarũ orbe aliquæ fuerunt Chriſti eccleſiæ, alibi magis, alibi minus tamen illuſtres, uel etiam puræ.

Etſi autem per quoſdam mediocres Imperatores aliqua ſalutaris pax eccleſijs donabatur: tamen ſubinde aulicæ furiæ, & zizania paſsim in agro Domini germinantia, perſecutiones & clades quaſdam tum doctoribus ſincerioribus, tum alijs quoq; ueræ confeſsioni adiunctis attulerunt.

Præterea barbaræ, Vandalicæ & aliæ gentes, partim adhuc gentiliſmo deditæ, partim Arianiſmo & alijs erroribus infectæ, quę ſeſe in Africam, aliasq; orbis partes magna frequentia & immanitate effuderunt, hoc ſeculo crudeliter in doctrinã Chriſti, & omnes conſtantes pietatis ſectatores ſæuierunt: Deus tamen mirabili clementia & potentia ſuos confeſſores non modò excitauit, ſed etiam aliquos protexit & conſeruauit, perſecutores etiam iuſtis pœnis affecit: idq; ut ea ratione demonſtraret, ſeſe potentiorem eſſe Diabolis, & omnibus ipſorum mancipijs.

Exortæ ſunt hoc ſeculo etiam nouę quędam hęreſes, præter eas quæ ex priori ſeculo adhuc quibuſdam in locis manſerunt reliquæ. Nam Pelagius immodicis laudibus uim liberi arbitrij ſeu uirium humanarum extulit, quaſi homo ſua quadã naturali potentia, abſq; gratia diuina poſsit ſe ad Deũ cõuertere: & alij alio modo eam ſententiã, ut fit, uel lenierunt, uel exaſperarunt. Neſtorius uerò, & Eutyches, naturas in Chriſto oppugnauerunt. Iſtis turbantibus, alij quoque ſtulta quadam ambitione, aut furore potius, alia rerum portenta protulerunt.

2

In primis uerò hoc obſeruatione digniſsimum eſt, quòd ſpiritus Antichriſti hoc ſeculo per epiſcopos quoſdam Romanos prima ſemina ſui primatus & excellentiæ ſuper omnes alios eccleſię Chriſti epiſcopos, impudenter ſatis ſparſit. Etſi enim uigiles quidam, acres & ſtrenui, machinationes in tetro quodam facinore (nempe quòd Romani præſules Nicena ſtatuta nefariè corrumpebant) quaſi auribus lupum deprehẽdiſſent, & quædam oppoſuiſſent, quibus ambitioſam iſtam & ſceleratam poſtulationem retundebant: tamen plus nimio conceſſum eſt, ut uerè in hoc ſeculo Antichriſtus quaſi intra uiſcera receptus uideatur, qui poſteriori ſeculo ueluti maturus fœtus eſt editus.

Hęc breuiter monemus, ut lector ampliſſimas res, quæ in hac Centuria recitantur, maiori cupiditate & attentione cognoſcat & obſeruet. Iam igitur uſitato ordine ſingula, fauente ac benedicente Deo, commemorabimus.

CAPVT II.

DE LOCO ET PROPAGATIONE *Eccleſiæ.*



ECCLESIAM CHRISTI per totum terrarũ orbem, etiam hac ætate diffuſam fuiſſe, pluribus in locis Auguſtinus teſtatur: ut de Ciuitate Dei libro decimonono, capite uiceſimo ſecundo: & epiſtola ad Caſulanũ, & epiſtola ad Bonifacium uirum militarem. In libro uerò de Natura & gratia, capite ſecundo, expreſsè dicit: Paucilsimæ ſunt adhuc gentes, quibus nondum fuerit prædicatum Euangelium. Huic adſtipulatur & Chryſoſtomus: Nunc, inquit, Dei gratia ubicunq; terrarum fideles. Quis enim manſit ethnicus reliquus? Nullum equidem opinor: ita omnes attraximus, & nobis conciliauimus. in Actis Apoſtolicis quarto capite, Homilia decima. Et ſanè Auguſtinus etiam nominatim meminit eccleſiarum Orientalium & Occidentalium aliquoties, præſertim in epiſtola decimanona ad Hieronymum. Et Eucherius Lugdunenſis epiſcopus, huius rei ualde illuſtre habet teſtimonium, in epi-

ſtola parænetica ad Valerianum cognatum ſuum: Inde eſt, quòd nunc terra à Solis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari, Chriſtum reſonat, quòd ad uitam omnia mundi latera concurrũt, dum fidem Thrax, fidem Libys, fidem Syrus, fidem receptat Hiſpanus.

DE ECCLESIIS PER *Aſiam.*

HIeroſolymę adhuc fuit Eccleſia Chriſti, ſicut eius fit mentio apud Socratẽ libro ſeptimo, capite triceſimoquarto: Euagrius libro primo, capite decimo: item capite quarto, & decimoſexto.

Manſit & Cæſareę Paleſtinæ Eccleſia, ubi epiſcopus Gelaſius, Eunomij ſucceſſor, claruit: ut teſtatur Bergomenſis, in Honorio Imperatore. Idem dicit Sabellicus libro primo, enumeratione octaua: & Petri Maiumæ Gazęorum epiſcopi meminit Euagrius libro ſecundo, capite quinto.

Bethlehem etiam Eccleſiæ hoſpitiũ fuit. nam inde S. Hieronymus ad S. Auguſtinum ſuas miſit literas: quemadmodum ex Auguſtino uidere licet, epiſtola uiceſimaquarta.

Ioppe Eccleſiæ domiciliũ fuit. Euagrius libro tertio, capite ſexto.

Conciliorum ſanè hiſtoria annotauit etiam multorum aliorum Paleſtinę locorum nomina, quorum Eccleſię ſuos, cum Hieroſolymorum metropolitano, epiſcopos ad celeberrimam illam Chalcedonenſem Synodum miſerunt: utpote Aſcalonæ, Archelaidis, Eluzæ, Zoaræ, Gadaræ, Lyddę, Azoti, Iamniæ. Sic Orizæ, item Tiberiadis, Sebaſtæ, Antipatridis, Libiadis, Palæſtinæ ciuitatis, epiſcopi enumerantur in Catalogo Synodi, dictæ Prædatoriæ, Epheſinæ, in actis Chalcedonẽſis Concilij ſub Leone, primo Conciliorum tomo. Et ad uniuerſos Paleſtinæ epiſcopos, extat epiſtola Leonis, quæ eſt octuageſimaprima, in primo Conciliorum tomo, inter decreta Leonis.

Nec Arabia hac tempeſtate Eccleſijs caruit. Chryſoſtomus enim cum in exiliũ abduceretur, ex urbe Nicæa miſsis literis ad quendam Conſtantium presbyterum, meminit Eccleſiarum Arabiæ: Nicephorus libro decimotertio, capite uiceſimoſeptimo. Sed & in Catalogo epiſcoporum qui Chalcedonenſi Synodo interfuerunt, recenſetur Boſtrenẽſis epiſcopus. Itẽ in eodẽ cõcilio, actione ſeptima, duæ Phœniciæ & Arabiæ ſimul rediguntur ſub gubernationem Antiochenſis epiſcopi.

Sarracenorum quoque epiſcopi ad Epheſinum Concilium euntis, mentionem facit Nicephorus libro decimoquarto, capite triceſimoquarto. Et Saracenorum epiſcopus actioni aduerſus Eutychen Conſtantinopoli adfuiſſe ſcribitur, in primo Conciliorum tomo, in actis Cõcilij Chalcedonenſis, ſub Leone primo.

Syria hoc ſeculo tum frequentes, tum inſignes eccleſias habuit: inter quas Antiochia uel ob id etiã magis eſt celebris, quòd in ea presbyterum Iohannes Chryſoſtomus egit: Sozomenus libro octauo, capite ſecundo. Meminit & Theodorus libro primo Collectaneorum, Martyrij epiſcopi Antiochenorum. Epiphaniæ ſecundæ Syriæ urbis epiſcopus conſedit in Antiocheno Concilio: ut in decimaquarta actione Chalcedonenſis Synodi annotatũ eſt, in primo tomo Conciliorum.

Fuit & Scythopoli eccleſia: Nicephorus libro decimoquinto, capite nono. Similiter & in Ptolemaide Phœniciæ: Sozomenus libro octauo, capite decimo: & Nicephorus capite nono, lib. decimotertio.

Laodiceæ eccleſia fuit. nam eius epiſcopi mentio eſt in mandato Orientalium ad ſuos legatos, in Concilio Epheſino ſub Celeſtino papa, primo tomo Concilorum. Epiſcopus Palti primæ Syriæ, ſubſcribit damnationi Eutychis Conſtantinopoli: refertur in actis Concilij Chalcedonenſis, primo tomo Conciliorum, ſub Leone.

Habuit & plures in hac prouincia ſedes Eccleſia, ut Gabalæ: cuius epiſcopi meminit Sozomenꝰ libro octauo, capite decimo. Berrhœæ, Sozomenus eodem libro, capite tertio, & cap. uiceſimo meminit. Berytanum epiſcopum nominat Euagrius libro ſecundo, capite ſecundo. Cyreſtanum epiſcopum depoſitum in Epheſina ſynodo altera, narrat idem Euagrius libro primo, capite decimo.

Apameæ, Theodorus libro primo Collectaneorum: & Bibli, Nicephorus libro decimoquarto, capite quadrageſimoſeptimo: & libro decimoſexto, capite decimo.

Samoſatæ & Hierapoli: Euagrius libro ſecundo, capite decimoſexto.

In Tyro, ubi epiſcopus Irenæus fuit: Euagrius libro primo, capite decimo. Lariſſenus epiſcopus Syriæ interfuit prophano Concilio Epheſino: refertur in actis Concilij Chalcedonenſis, in primo Conciliorum tomo, ſub Leone. interfuit & Damaſcenus, ibidẽ: item epiſcopus Seleuciæ Syriæ.

Phœnicia quoq; & ipſa Eccleſias habuit: namque eas reformaſſe Chryſoſtomus ſcribitur à Nicephoro, libro decimotertio, capite tertio. Nominatim uerò fit mentio Emiſenæ urbis, apud Bedam de Ratione temporum. Sidoniorum epiſcopus pronũciat in Chalcedonẽſi Synodo, tertia actione, ſententiam cum alijs, aduerſus Dioſcorum: primo Conciliorum tomo.

In Meſopotamia fuit eccleſia, ut patet ex Sozo-

Sozomeno libro octauo, capite decimosexto: & Nicephoro capite decimoquarto, libro decimotertio. Fuisse & in Carrhis & Edessæ, huius prouinciæ urbibus, ecclesias, ex Euagrio & Nicephoro est perspicuum, quorum uterq; istarũ ecclesiarũ episcopos depositos narrant. Euagrius quidem libro primo, capite decimo: Nicephorus libro decimoquarto, capite tricesimo & quadragesimoseptimo. Fuit & Amidæ ecclesia: Socrates lib. septimo, capite uicesimoprimo.

Concessit & Cilicia aliquot Christo hospitia. Siquidem Mopsuestienſis & Tarsensis episcoporum Sozomenus meminit lib. octauo, capite secundo.

Irenopoleos episcopus synodo Ephesinæ prædatoriæ interfuit, in actis Concilij Chalcedonsis sub Leone.

Epiphaniæ secundæ Ciliciæ episcopus Concilio Antiocheno interfuisse narratur in decimaquarta actione Concilij Chalcedonensis, tomo primo Conciliorum.

Plurimorum Adelphiæ episcoporum nomina recitantur in prima actione synodi Chalcedonensis, qui Quartodecimanæ hæresis subscriptionibus renunciant, in primo tomo Conciliorum.

Pamphilię depositum episcopũ, ex Concilio Ephesino constat, sub Celestino: primo tomo Conciliorum.

Vranopoleos ciuitatis Pamphilię episcopus interfuit synodo Ephesinę prædatorię: ut memoratur in actis Concilij Chalcedonẽsis sub Leone primo pontifice Romano, primo tomo Conciliorum.

Pergensis, eiusdem prouinciæ, numeratur in Catalogo episcoporum Ephesini primi Concilij. Similiter & Aspendensis.

Antiochia Pisidię habuit episcopum Cõstantinopoli, cum aduersum Eutychen conuentus haberetur: in actis Concilij Chalcedonensis, primo tomo Conciliorum.

Ecclesiarum Lyciæ, libro octauo, capite sexto meminit Sozomenus.

Myrorum Lyciæ episcopus, est unus ex ijs qui Eutychen à damnatione Flauiani Constantinopoli absoluunt, in synodo prędatoria Ephesina: ex actis Chalcedonensis Concilij, primo tomo.

Et in Caria, Ecclesia hospitia habuit passim. ut Mileti: Socrates libro septimo, capite uigesimonono. Aphrodisiade Magnesiæ, Parthenopoli, Stratonicę, & Nyssæ: ut patet ex actis Concilij Chalcedonensis.

Ephesus hoc tempore etiam illustris fuit, propter synodum uniuersalem contra Nestorij hęresin ibidem coactam: de qua Socrates libro septimo, capite tricesimoquarto: Euagrius lib. primo, cap. secundo, & deinceps. Et Philadelphiæ in Ionia. nam presbyter eius in primo Concilio Ephesino sub Celestino fuit. Quin & Smyrnensis episcopus, Chalcedonensi synodo interfuit: ut Euagrius dicit libro secundo, capite decimo sexto. Meminit huius & Zonaras tomo tertio. De Satdensium quoque episcopo Euagrius ibidem meminit.

In Lydia, ut patet ex Socratis libro septimo, capite uicesimonono. & Tripoli, & Sardibus, & Trallibus, & Magnesiæ ad Sipulũ: ut constat ex actis synodi Chalcedonensis.

Ecclesiarum Phrygiæ Sozomenus libro octauo, capite sexto meminit. Et Pergamẽsis episcopus in Ephesina synodo fuit, ut patet ex actis Chalcedonensis Concilij.

In Pacatianę Phrygię urbe Synnada Theodosius episcopum egit: Nicephorus lib. decimoquarto, capite undecimo. Dorylei episcopi meminit Euagrius libro secundo, capite secundo, & sequentibus. Theodosiopolitanus episcopus eiusdem prouincię recensetur in eorum numero, qui Constantinopoli aduersum Eutychen fuerant congregati: primo tomo Conciliorũ, in actis Chalcedonensis Concilij.

Ecclesiam Chalcedonis in Bithynia celebrem reddit frequentissima illa sexcentorum trigintasex patrum Synodus, ibidem propter Nestorianam hæresin celebrata. Euagrius lib. 2. item Nicephorus lib. 15. capite primo, & sequentibus.

Fuerunt huius temporis etiam plures eius prouinciæ ecclesię: ut Nicomediæ, cuius episcopum pulsum à Chrysostomo ait Sozomenus lib. 8. cap. 6. Niceæ: Euagrius lib. 2. cap. 16. in fine. Apolloniade: ut patet ex actis Concilij Chalcedonensis.

In Hellespõto & Cyzici: Nicephorus lib. 14. cap. 31. & Sozomenus lib. 8. cap. 24.

Ponti ecclesias reformatas à Chrysostomo, narrat Nicephorus lib. 13. capite 3. In Paphlagonia, Claudiopoli & Pompeiopoli, fuit ecclesia: ut patet ex actis Concilij Chalcedonensis.

De plerisque aliarum prouinciarum Asię ecclesijs, uel unius Augustini suffecerit testimoniũ, qui in epistola ad Petilianũ cap. 10. inquit: Nónne plena sunt florentissimis ecclesijs omnia loca, quæ Petrus nominauit: Põtus, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia?

Et de Galatia quidem nominatim paulo antè in hũc modum locutus fuerat: Iam uero Galatia non una ecclesia est, sed in ea regione innumerabiles. ibidem. Sozomenus etiam Pesinuntis episcopũ nominatim annotauit lib. 8. cap. 17. Ancyræ Galatiæ episcopus, item Trogmadorum episcopus, interfuêre Concilio Ephesino prædatorio: recitantur in actis Concilij Chalcedonensis, 1. tom. sub Leone papa. Seleucia Isauriæ:

riæ: Euagrius libro tertio, capite octauo.

Cæsareę Cappadociæ mentio fit ab Euagrio libro secundo, capite quarto. Et Sebastopolitani episcopi apud eundem, capite 16. lib. eodem. Interfuit etiam Neocæsarienſis episcopus synodo Ephesinę prædatorię, ut in actis Chalcedonensis synodi refertur.

Fuisse & in Armenijs ecclesiam Christi, inde apparet, quòd Chrysostomus exul apud Cucusum, ministerium Euangelij obiuit: ut refert Nicephorus libro 13. capite 26. Meminit Armeniorum episcopi Euagrius lib. 2. cap. 16. Item Sebastiæ Armeniæ episcopus adfuit in synodo Ephesina prædatoria, ex Concilio Chalcedonensi sub Leone papa, in primo tomo Conciliorum. Meletinensis Armenię episopus fuit in primo Ephesino Concilio: refertur in actis Concilij Chalcedonensis sub Leone papa.

Arabasi quoque episcopum ponit Nicephorus Adelphium: lib. 13. cap. 26.

In Persia & India quoque hospitia ecclesiæ fuisse, Augustinus docet Sermone 13. in 8. cap. ad Romanos. & epistola ad Vincentium de hæresi Rogatiana ait: Etiam apud Persas & Indos Euangelium prædicatur, ubi quidem iam diu prædicatur.

Ac de Indis etiam peculiariter loquitur Chrysostomus Homilia quinta in actis Apostolicis, inquiens: Sed ubique circumferuntur Scripturæ: etiamsi in Indos proficiscaris, audies illas. Ex sermone eiusdem de Pentecoste apparet, etiam inter Massagetas & Berbaces Ecclesiæ fuisse loca. Hyrcanorũ episcopus est unus ex ijs qui in specie palàm suam proprio ore edunt confessionem Constantinopoli: ut in actis Concilij Chalcedonensis recitatur primo tomo Conciliorum, sub Leone papa Romano.

DE ECCLESIIS PER *Africam.*

IN ecclesijs Ægypti, Alexandria etiam hoc seculo meritò primas retinet, propter alia quidem multa quæ in sequentibus narrabuntur: præcipuè uerò propter scholam, quæ adhuc durauit, cum Hieracis ludimagistri fiat mentio apud Socratem lib. 7. cap. 13. & Nicephorum lib. 14. cap. 14. Maximè uerò propter miram doctorum seu episcoporũ ipsius diuersitatem, quos habuit partim doctrina & uirtutibus insigniter præstantes, partim etiam impietate & flagitijs egregiè nobilitatos, sicuti historiæ series infrà ostendet.

Pelusij ecclesiam fuisse, testatur Euagrius lib. 2. cap. 8.

In oppido Ægypti Panephyso ecclesiam fuisse, testis est Cassianus, qui ipsorum nominat episcopum Archebium; cap. 2. in libro Collationum, undecima collatione.

In Geris, quinquaginta à Pelusio stadijs, Nilammon pastor fuit: Sozomenus libro 8. capite 19.

Tripoleos quoque Ægypti prouinciæ episcopus, interfuit Chalcedonensi Concilio: in primo tomo Cõciliorum, sub Leone.

Babyloniæ, Cabassæ ciuitatis Arsinoitensis, item Tanensis, Tentyrenæ, Rhinocorurensis, Sebennitensis.

Busiridis episcopus interfuit synodo Ephesinæ prædatoriæ: item Cleopatridis, item Tanensis, Zagylensis: Onuphensis autem, synodo Ephesinæ primæ refertur in actione prima synodi Chalcedonensis, in primo tomo Cõciliorum. Item Pharbætensis, itẽ Oxyrinchitanus, Aphroditanus, & alij.

Fuit etiam ecclesia in Cyrenaica. nam Cyrenẽsis ciuitatis, item Barcis episcopi, item Zygrensis, fit mentio in Cõcilio Chalcedonensi, actione prima. Fuit & Pentapoli, & in regione Augustali, & Arcadia & Thebaide: ut patet ex Cyrilli epistola ad Atticum Cõstantinopolitanum, apud Nicephorum lib. 14. capite 27. & ex epistola Zenonis apud Euagrium lib. 3. cap. 14.

Fuit & Hermopoli. nam his episcopũ cõstitutum Dioscorum, refert Sozomenus lib. 8. capite 12.

Hippon, propter Augustinum, hac ætate clara est.

Carthago fuit Ecclesiæ sedes, ut testatur Augustinus libro 2. capite 92. contra Petilianum: ubi ipsius meminit episcopi. Et cõtra Cresconium lib. 3. cap. 19. idem testatur Victor in historia Vandalica, lib. 1.

Et Vagiensem episcopum nominat Augustinus epistola quinquagesima ad Bonifacium: & Vzalensem, libro de Ciuitate Dei 22. capite 8. Et Synicensem, in eodem loco: & Macomadiensem, lib. 2. contra Cresconiũ, cap. 10. Similiter & Mustecomæ fuit Ecclesia: fuit enim ibi episcopus Victorianus. Augustinus in collatione primę diei.

Siccæ Fortunatianus episcopus fuit: Augustinus de Videndo Deo.

Apud Madaurenses nonnulli fuerunt Christiani, ut patet ex epistola Augustini quadragesimaquarta ad Maximum grammaticum.

Sed & Victor Vandalica persequutione nonnullorum locorum aut episcopos, aut alia quædam, ex quibus de Ecclesijs euidentes coniecturæ haberi possunt, recenset. Teudalensem, item Tripolitanos duos, Vicisabratenum & Nicensem, item Adrumentinum, episcopos relegatos dicit libro primo. Paulo pòst meminit Gigitani & Sitmaritani, seu (ut alij) Sumaritani, episcoporũ. Meminit & Eugitanæ, seu Zeugitanæ prouinciæ

uinciæ episcoporum. Abdiritanus episcopus, inter eos qui in exilium deportandi, ab eodem numeratur, libro secundo. Nominatur & Zurinanæ, seu (ut alibi) Zuritanæ seu Azuritanæ ciuitatis episcopus, ibidem. Vnsibilinensis episcopus dicitur adesse consolator exulibus in eremo.

Tuburbitanę ciuitatis serui cuiusdam recitatur martyrium, libro tertio. Capsensis ecclesiæ & episcopus, & aliquot martyres, nominantur libro quarto.

Celedensis ecclesiæ fit mentio in epistola uicesimaquarta Hieronymi ad Augustinum.

In Numidia fuerũt Ecclesiæ Christi. nam Innocentius rescripsit episcopis eius prouinciæ de causa Celestij: ut narrat Augustinus ad Bonifacium libro secundo, capite quarto, contra duas epistolas Pelagianorũ. Idem dicit Megallium quendam alios Numidiæ episcopos rexisse: in collatione tertiæ diei. Imò etiam Villaregiensis seu Bullaregiensis episcopi nominatim mentionẽ facit libro secundo, capite decimo, contra Cresconium: & Cirthæ, libro tertio, capite uicesimonono, contra Cresconium.

In Numidia proconsulari dicta, fuerunt ecclesiæ Culusitana, Neapolitana, Vlzibiritana, Carpitana, Sunitensis, Muzutensis seu Mustensis, Abbiritana, Sicilibrensis, Vticensis, Tagastensis, Hipponę, Regiensis, Calamensis, Byzancenæ prouinciæ, Aquæregiensis, Susetulensis, Ocreocelensis: in septimo Carthaginensi Concilio sub Bonifacio, primo tomo Conciliorum.

Prouinciæ Byzanzenæ episcopus etiam interfuit Concilio Mileuitano: ut est in primo tomo Conciliorum, sub Innocẽtio. Interfuit & Tolepiensis siue Tobestensis episcopus, ibidem.

De Mauritania Cæsariensi disertè loquitur Augustinus: & quidem apud Cartennas fuisse hęreticos Rogatistas, epistola quadragesimaoctaua ad Vincentium, ex hęresi Rogatiana. Fuisse autem & plures huius prouinciæ ecclesias, ex dicto hoc ibidem posito manifestũ est, ubi inquit: Vniuersis Maurorũ episcopis per quadraginta annos, &c. Ac Marcianensis ecclesiæ episcopum certo nomine exprimit ibidem. Initio libri de gestis cum Emerito, ponitur etiam Cartenitanus episcopus.

De Sitinensi ecclesia in Mauritania Tingitana, meminit Augustinus epistola quinquagesima ad Bonifacium, uirum militarẽ: & de octo quæstionibus Dulcitij, quæstione septima. Huius etiam Ecclesiæ episcopus interest Concilio Carthaginensi sexto.

In libro de gestis cum Emerito, breuis Catalogus recensetur episcoporum in Mauritania Cæsariensi congregatorum: in quibus referuntur & Calamensis & Tigabitanus episcopi. Commendatur Tipasensis quoque maioris Mauritaniæ ecclesia, à Victore in Vandalica historia libro tertio.

Carthagustinensis ecclesiæ presbyterum Augustinus nominat epistola sexagesimaquinta, ad Paulinum & Therasium.

Mileuitanæ ecclesiæ episcopum fuisse Seuerum, idem habet libro tertio contra literas Petiliani, capite 38.

Curubitanum quendam baptizatum dicit libro uicesimosecundo, capite octauo, de Ciuitate Dei.

Idem Tyridensis episcopi meminit libro ad Donatistas post collationes, capite uicesimosecundo.

Fuscalensis cuiusdam presbyteri meminit in altera epistola ad Quoduultdeum. Simili modo & fratrum Constantinensis ecclesiæ, libro contra epistolam Petiliani, primo capite.

Ad eum modum & episcopi ad aquas Tibilitanas: de Ciuitate Dei, libro uicesimosecundo, capite octauo. Vtque ibidem, etiam aliorum locorum mentionem facit.

Fuit & in Lybia ecclesia: ut patet ex epistola Zenonis apud Euagrium libro tertio, capite decimoquarto.

DE INSVLARIBVS ECCLESIIS *in Mediterraneo mari.*

IN pluribus Cypri oppidis Ecclesia hoc seculo sua hospitiola habuit. nam Salaminæ Sozomenus libro octauo, capite decimoquarto meminit. Et Curiensis, & Solensis, & Amathuntis, & Paphi episcoporum mentio fit in Chalcedonensis synodi actione prima.

Rhodi meminit Sozomenus libro septimo, capite uicesimoquinto.

In Coo etiam Ecclesia fuit: eius enim episcopus in Chalcedonensis synodi Catalogo reperitur.

In Creta Gortinensis episcopus recensetur in Catalogo episcoporum Chalcedonẽsis Concilij: & ibi quosdam Iudæos conuersos esse, scribit Paulus Diaconus libro decimoquarto, & Nicephorus lib. 14. cap. 40.

Deli in Ægæo mari episcopum, numerat Chalcedonensis concilij Catalogus.

In Chio. nam episcopus eius interfuit Chalcedonensi Concilio.

In Lesbo, & Tenedo. horum enim episcopi Chalcedonensi Synodo interfuisse memorantur.

In Corcyra. nam & huius episcopus eidẽ Concilio interfuit.

Venetijs. extat enim Concilium quoddam Veneticum, circa tempora Leonis primi uel Hilarij celebratum.

Syracusæ Siciliæ: Augustinus lib. 2. contra Pelagium & Celestinum, de peccato originali, capite 11. quia aduersus discipulos Pelagij in Sicilia respondet Hilario. Item Lilybæi: quia Lilybætani antistitis mentio est apud Bedam in Theodosio iuniore, & apud Adonem Viennensem ætate sexta. Extat præterea Leonis primi Romani pontificis epistola ad uniuersos Siciliæ episcopos, in primo tomo Conciliorum, sub ipsius decretis.

Et in insula Capraria in mari Ligustico. nam ad Eudoxium, eius insulæ abbatem, scripsit Augustinus epistolã octogesimamprimam.

DE ECCLESIIS PER *Europam.*

ATheni s fuisse ecclesiam hoc tempore, ex Augustino patet, lib. contra epistolam Petiliani, capite 10. Itidem & Corinthi, ex eodem. Et in Chalcedonensi synodo, non è Corintho solùm, sed etiam ex reliqua Hellade & Achaia episcopi fuerunt: ut ciuitatis Messenæ, Tegeæ, item Naupacti. Sed de Achaia ipse quoque Augustinus luculentum testimonium profert, inquiens: Quot putatis ecclesias esse in uniuersa Achaia? libro contra Petiliani epistolam, capite decimo.

In Epiro. nam Nicopoleos urbis in ea regione sitę episcopi mentio fit in actis Synodi Chalcedonensis. Et Dyrachenus nouæ Epiri episcopus numeratur in Catalogo eorum qui in Synodo Ephesina fuerunt, ut patet ex actis Concilij Chalcedonensis.

Demetriadis Thessaliæ episcopus interest synodo Ephesinæ profanę: in actis Concilij Chalcedonensis sub Leone, primo Cõciliorum tomo.

Thessalonicæ Macedoniæ prefuit ecclesiæ episcopus Anysius, Nicephorus lib. 13. capite 33. Ad multarum præterea Macedonię ecclesiarum episcopos, extat in primo Conciliorum tomo epistola Innocentij Romani. Et Topiritani sanè, ac Derrensis siue Serrensis Macedoniæ episcoporum nomina recitantur in Catalogo eorum qui Ephesinæ synodo interfuerunt quę fuit dicta Prædatoria. Similiter Cassandriæ Hephestiæ interfuerunt etiam nonnulli, quorum nomina recitantur & in Chalcedonensi synodo. Thebensis Thessaliæ interfuit & primæ Ephesinæ synodo.

Parthenopolis secundæ Macedoniæ episcopus recensetur in illis, qui in Chalcedonensi synodo conuenerunt, ab initio primæ actionis eiusdem synodi, in primo tomo Conciliorum sub Leone.

Heracleæ Macedoniæ fuit ecclesia: nam Chalcedonensi synodo episcopus eius loci interfuit.

Et Philippis: ut patet ex Chronico Sigeberti, anno quadringentesimo uicesimoquinto.

Constantinopoli. nam ibi episcopus Iohannes Chrysostomus celebris fuit. Sozomenus lib. 8. capite 2. item Nicephorus lib. 13. capite 2.

Adrianopoli. nam eius ecclesiæ episcopi mentio fit in actis Concilij Chalcedonẽsis.

Heracleæ Thracię. nam episcopum Serapionem habuit: Sozomenus lib. 8. capite 19. Nicephorus lib. 13. capite 17.

Bizyę, Deuelti, Aphrodisiadi, Topiridi ecclesia fuit. nam episcopi eorum celebrantur in actis Concilij Ephesini sub Celestino.

Et Traianopoli, & Maroneæ prouinciæ Rhodopes. nam episcopi eorum ex actis Synodi Chalcedonensis clari sunt.

Bosphori quoque & Thraciæ simul episcoporum mentio fit apud Theodoretum lib. 5. cap. 34: Nicephorum lib. 13. cap. 20. Et apparet sanè etiam ex ipso Chrysostomo, & præsertim ex 8. cap. ad Romanos, sermone 13. pluribus in locis Thraciæ ecclesiam fuisse. Extat etiam peculiaris epistola Leonis primi ad episcopos intra Thraciam, & presbyteros, in primo Conciliorum tomo, in decretis Leonis, ordine 94.

In Illyria Christi ecclesia fuit: Nicephorus lib. 13. cap. 22. & Augustinus libro contra epistolam Petiliani, cap. 10.

Apud Dalmatas quoq; ecclesia fuit: nam in eius prouinciæ urbe Salonis, episcopum fecit Nepos Imperij raptor, Glycerium. Nicephorus lib. 15. cap. 11.

Martianopolis secundę Mysię episcopus, subscribit mandato legatorum ad Ephesinã Synodum dato, in Concilio Ephesino sub Celestino, in primo tomo Conciliorum.

Ad episcopos Dardaniæ extat epistola Gelasij, inter ipsius decreta, in primo tomo Conciliorum.

In Chersoneso. nam episcopi eius mentio fit in actis Chalcedonensis Synodi, sub Leone.

Ac in Pannonijs quidem nominatim Syrmium memorat Nicephorus lib. 14. cap. 10.

Scytharum episcopus Theotimus (qui Tomis floruisse scribitur à Sozomeno lib. 7. cap. 25. & à Nicephoro lib. 12. cap. 45.) Constantinopoli in quadã synodo sese Epiphanio Cyprorum episcopo opposuisse narratur à Socrate lib. 6. cap. 12. Sed de ijsdem Scythis loquitur & Chrysostomus in 8. cap. ad Romanos. Et aliquot eorum episcopi interfuerunt Synodis: ut ex actis Chalcedonensis Concilij, primo tomo Conciliorum patet.

Romæ, nam episcoporum eius crebra est mentio

mentio apud Historicos & Patres huius seculi, ut infrà suo loco indicabimus.

Tyburi etiam ecclesiam fuisse, argumento est, quòd ad eius loci episcopum scribit Innocẽtius pontifex Romanus, sicut in primo Conciliorum tomo inter ipsius decreta refertur.

Ad episcopos per Campaniam, Picenum & Tusciam, & Samnium, extat epistola Leonis primi, in primo Conciliorum tomo, sub ipsius decretis.

Ad Beneuentanum episcopum scribit Leo primus Rom. pontifex: quod scriptum insertum est ipsius decretis, in primo Conciliorum tomo.

Capuanæ ecclesiæ episcopum claruisse his temporibus, narrat Chronicon Sigeberti. Puteolanæ ecclesiæ episcopum in Cõcilio Ephesino contra Eutychen congregato, sustinuisse locum Romani Põtificis Leonis, Marianus Scotus, anno ult. Theodosij.

Nolanæ Maximum: Speculum Vincentij lib. 18. capite 39.

Arimini & Rauennæ magno sumptu extructas basilicas à Theodorico Ostrogothorum rege, refert Blondus libro tertio, decadis primæ.

Ad Foroiulienſem episcopum extat epistola Leonis primi, in primo Conciliorum tomo, in ipsius decretis, numero 89.

Aquileienſis ecclesiæ episcopi meminit Antoninus titulo 10. cap. 9. quem nominat Venetium. Ad Iulianum eiusdem ecclesiæ episcopum extat epistola Leonis primi, in primo Cõciliorum tomo, in ipsius decretis.

Altini: nam ad eius urbis episcopum extat epistola Leonis primi, quæ est octogesimatertia numero, inter eius decreta, in primo tomo Conciliorum.

Cremonenſem episcopum Eusebium, Platina ponit. Nouarienſem Honoratum, Euodius: Ticinenſem Epiphanium, Chronicon Palmerij: Mediolanenſem Chromatium, inseruit suo Itinerario Antoninus titulo 10. capite 9.

Mediolanenſis, Rhegienſis, Placentinus, Brixillenſis, Dertonenſis, Ticinenſis, Taurinas, Iporienſis, Augustanenſis, Laudenſis, Comenſis, Genuenſis, Astenſis, Nouarienſis, Cremonenſis, Brixianus, Vercellenſis, Albinganenſis, Bergomatis, ecclesiarum Italiæ episcopi, in conuentu subscripserunt epistolæ Leonis primi pontificis Romani, missæ ad Orientem in causa fidei. extat in primo Conciliorum tomo, sub decretalib. epistolis Leonis, inter quinquagesimam & quinquagesimamprimam. Recitantur etiam plurimorum aliorum locorum episcopi in Cõcilio Romano, habito tempore Hilarij papæ, in primo tomo Conciliorum. Itẽ in alio, tempore Felicis tertij celebrato.

Vercellenſis ecclesiæ sacerdotem Honoratum, memorat Speculum Vincentij libro 18. cap. 36. Idem Speculum Vincentij & Taurinenſem celebrat episcopum lib. 19. cap. 5. cuius meminit Adon Viennenſis ætate sexta, & Iuonis Chronicõ ad finem Honorij.

Placentiæ episcopum ordinatum Imperatorem Auitum, narrat Paulus Diaconus libro 15.

Bononiæ: nam ipsorum episcopum à pietate commendat Adon Viennenſis, ætate sexta sub Honorio. Spoleti, Blondus lib. 3. decadis primæ.

Ad episcopos Apuliæ, item priuatim ad Nucerianum, extat epistola Innocentij papæ, in primo Conciliorum tomo. Similiter & ad episcopos per Brutios, ibidem. Item ad episcopum Senienſem.

Potentinæ urbis prouinciæ Picenorum episcopus, missus est legatus Romanę sedis in sextum Carthaginenſe Concilium: ut est uidere in illo Concilio, primo tomo sub Bonifacio.

Gallicanis ecclesijs Augustinus testimonium perhibet, lib. 3. contra Petiliani epistolam, cap. 38.

Habuit autem Gallia ecclesias frequentissimas hoc seculo: sicuti in secundo Canone tertij Concilij Arelatenſis dicitur, ecclesiarum Galliæ numerum accrescere, in primo Conciliorum tomo, in Leone. Et in epistola episcoporum Galliæ ad Leonem primum, & ipsius uicissim responsione ad eosdem, recensentur circiter quadraginta-quatuor episcoporum nomina.

Extat & Bonifacij primi Romani pontificis, item Celestini & aliorum epistolæ, ad Galliæ episcopos, in ipsorum decretis, primo tomo Conciliorum.

In Massilia, ut est apud Bergomẽsem sub Theodosio iuniore: item Adonem Viennẽsem, sub Honorio ætate 6.

Valentinæ ciuitatis clericorum fit mentio ab initio epistolæ Bonifacij primi: ad episcopos Galliæ.

Ad Narbonenſis ecclesiæ Gallicę episcopum, extat epistola Bonifacij primi: in qua etiam Luctenenſis ecclesiæ clericorum fit mentio, in 1. Conciliorũ tom. in Bonifacio.

Agathæ, eiusdem prouinciæ ecclesia celebris hoc seculo fuit, propter Concilium ibidem coactum temporibus Celestini primi: in Conciliorum tomo 1.

Eadem ratione & Arausię celebris est, eodem Cõciliorum tomo, sub Leone primo. Non dissimilis ratio est & Carpentoractenſis ecclesię: quòd Concilium in ea habitum extet in primo Conciliorum tomo, in Leone primo.

Fuit & Auernorum ecclesia clara, propter Sidonium Apollinarem, qui eam gubernauit: ut patet ex epistola ad Auitũ lib. 3. Gregorius Turonensis lib. 2. cap. 21.

Recitat Sidonius & alias ecclesias: ut Cantillensem, epistola ad Vectionem libro quarto.

Cabillinorum ecclesiæ præfectum dicit Patientem, lib. 4. epistola ad Dumnulum.

Per totam Aquitaniam Patientẽ laudari, narrat idem Sidonius lib. 6. in epistola ad eundem.

In iam dicta ad Patientem epistola aliquot commemorantur loca, in quibus procul dubio fuerunt ecclesiæ sedes: ut Arelatẽsis. ac huius quidem episcopi nominatim fit mentio in secunda epistola Celestini, in ipsius decretis, primo tomo Cõciliorum. Fuit etiam ibidem celebratum Concilium Imperatore Martiano, & Leone pontifice Romano, in primo Conciliorum tomo, in Leone primo. Item Regensis, Auenniocę, Arausionensis, Albensis, Valentinæ & Tricastinæ urbium.

Apparet & Viennæ Narbonensis prouinciæ ecclesiam habuisse sedem. nam ad Mamercum scribens Sidonius, cum eo quasi Viennensium episcopo loqui uidetur: lib. 7. epistola ad eundem.

Sic & Bituricis habuisse ecclesiam locũ, manifestum est ex epistola Sidonij ad Agrecium, ubi dicitur ecclesia uiduata suo pontifice: lib. 7. & epistola ad Euphronium, & ad Perpetuum, de alio substituendo in illa ecclesia agitur, eodem lib. Sed & Senoniæ, in eadem ad Agrecium epistola, Papam detineri, idem dicit.

In epistola ad Basilium, breuem recitat Catalogum aliquot ecclesiarum, quorum dicit episcopos morte multatos: ut est Burdegalia, Petrocorij, Rutteni, Lemouices, Gabalitani, Helusani, Vasates, Conuenę, Ausenses: lib. 7. idem Sidonius. Sed de Burdegalia etiam in Augustino habetur testimonium, in epistola 35. ubi Paulinus ad Alipiũ scribit de seipso, se in ea ecclesia baptisatũ. Ita & de Vasatensi ecclesia, in Chronico Sigeberti: quæ eadem fortasse est cum Vasense, seu Vasionensi, ubi celebratum est Concilium tẽporibus Theodosij iunioris, sub Leone primo, in primo Conciliorum tomo.

In Aurelianensi urbe Anianus legitur fuisse episcopus: Sidonius lib. 8. epistola penultima ad Prosperum: Gregorius Turonensis lib. 2. capite 7.

In Tholosa: lib. 9. ad Firminum. Extat etiam epistola Innocentij papæ ad episcopũ Tolosanum Exuperium, primo tomo Conciliorum, in ipsius decretis.

Ad Regiensium episcopum Faustum scribit Sidonius Eucharisticum, libro Panegyricorum.

Denique & aliorum in Sidonij scriptis locorum inserta est mẽtio: ut Lirinensium uel Grimnicensium patrum, lib. 7. epistola ad Volusianum.

Fuisse his temporibus & Lugdunensium ecclesiam non omnino ignobilem, inde est manifestum, quòd eius episcoporum post Iuonis Chronica in Theodosio Iuniore & Leone Magno, Adon Viennensis, item Sigebertus & alij meminerunt.

Andegauensem episcopũ Aurelium, qui prius presbyter fuit Caloniẽsis ecclesię, ponit Antoninus titulo 10. capite 13.

Ad Rotomagensis ecclesiæ episcopũ extat epistola Innocentij Rom. pontificis, in primo Cõciliorum tomo, sub decretis eiusdem Innocentij.

Cenomanicę ciuitatis episcopus subscribit cum alijs sententiæ Concilij Turonensis sub Hilario, primo tomo Conciliorum. Item Catalaunicæ: item Rhedonicæ, item Namneticæ ciuitatis.

Claras fuisse & Antisiodorẽsem & Trecassinam ecclesias, inde potest cõijci, quia ipsorum multum commendantur episcopi in Iuonis Chronico, sub Theodosio Iuniore: item Sigeberto, itidem sub Theodosio Iuniore & Valentiniano, annũ circiter quadringentesimum tricesimum quintum.

Augudunum, seu rectius Augustodunum, ecclesiæ sedes fuit: ut patet ex Iuonis Chronico.

Tungi celebrantur ob episcopum Aranarium, in Gregorio Turonensi lib. 2. capite 5. Sed Auentinus hunc episcopum Azanariũ, ipsam uerò urbem Octauiam nominat lib. 2. in Valentino Imperatore 51. Et Traiectũ: nam inde fecessisse episcopũ, uterq; narrat.

In urbe Metensi: nam ibi quidam doctores sunt interfecti, sicut ijdem annotant. Sigebertus etiam Remensem episcopum martyrizatum scribit, ibidem.

Eodem tempore claros fuisse & Attrebatensis, item Suessionensis ecclesiarum doctores, Sigebertus habet sub annũ quadringentesimum octogesimum sextum.

Turonensium ecclesia Bricium episcopũ habuit: Iuo in Arcadio & Leone Magno Imperatoribus. Est præterea celebris ob Cõcilium hoc seculo, circa tempora Leonis primi, aut Hilarij (ut in primo tomo Concilio tum ponitur) celebratum, Perpetuo eius ecclesiæ episcopo præsidente.

In Hispania fuit ecclesia Christi: nam doctorem Orosium, adhuc hac ætate habuit. Bergomensis. Item extat Leonis epistola, in qua episcopis Hispaniarum nunciat, quo die sit celebrandum Pascha, in ipsius decretis,

tis, in primo Conciliorum tomo, ordine nonagesimatertia.

Chrysostomus quoq; de Hispanicis ecclesijs inquit: Etsi ad Hispanos & ad ipsos terminos terræ (proficiscaris) nullus est qui non audit, nisi fortè quis per desidiam. Homilia quinta in Actis apostolicis.

In Hispania autem Tarraconensi passim plurimæ fuerunt ecclesiæ. nam episcoporũ eius prouinciæ extant duæ epistolæ ad Hilarium Romanum, in quarum priore nominatim mentio fit episcopi Barchinonensis, in posteriore Calagurensis & Cæsaraugustæ. Extat Concilium tempore Felicis tertij celebratum, in quo mentio fit episcopi Tarraconis, Tirassonensis, Gerundensis, Eliberitanæ ciuitatis, Cæsarauguſtanæ & Dertosanæ, Ausonensis & Bigerrensis.

Nec Hispania Bætica ecclesijs uacua fuit. nam eius episcopi in Toletano Concilio interfuerunt, ut patet ex actis.

Lusitania etiam ecclesijs plena fuit: ut patet ex Concilio Toletano, quod in ea prouincia celebratum est, tempore Honorij & Arcadij.

Et in Gallicia. nam ex ea episcopi in Toletana Synodo fuerunt.

Hilarius in epistola ad Tarraconenses, meminit Turiassonensium, Cascantẽsium, Calaguritanorum, Virgiliẽsium, Legionensium, & Ciuitatensium.

Germania quoque habuit hoc seculo ecclesias: item Burgundia. nam ad eorum populorum episcopos scribit Anastasius pontifex, primo Conciliorum tomo, sub Anastasij decretis: item Leo primus, epistola 86. in ipsius decretis, ibidem.

Treuirensem episcopum Sigebertus annotat.

Colonia Agrippina episcopum Seuerinum habuit: Regino lib. 1. Meminit eiusdem & Vincentius lib. 18. cap. 33.

Apud Moguntiam Albani cuiusdam martyrium factum, recitat Sigebertus.

Basileam quoque inter huius temporis ecclesias numerant: episcopumq; ipsorum fuisse Pontulum, Hartmannus Schedel affirmat. Fuit & Argentina locus ecclesiæ. nam ibi Fridolinus docuisse dicitur: ut patet ex eius historia.

Curiensis Rhetiæ episcopi mentio fit in epistola Eusebij Mediolanẽsis ad Leonem. Fit etiam mentio curiæ Rhetorum, in historia Fridolini.

Lingonensis & Vesontiensis ecclesiæ, testimonium habent illustre ob persecutionẽ: Sigebertus sub Honorio Imperatore, & Bergomensis in Leone Magno.

Et in Vindelicia. nam Lucillus, Valentinus & Syluinus, Vindelicorum episcopi celebrantur ab Auentino, libro secundo annalium Boiorum.

Et in Norico. Paulinus enim Tiburniæ, & Maximus Iuuauiæ, & Constantius Laureaci episcopi fuerunt: & Seuerinus Batauiæ, & in Quintianorũ colonia, & Viennæ Asturi, Comagenæ, Euangelium docuit. Auentinus lib. 2. Annalium Boiorum.

Gotthorum episcopi Sigesarij meminit Sozomenus lib. 9. cap. 9.

DE ECCLESIIS PER Oceanum.

IN Britannia ecclesiæ sunt instauratæ, de quibus paulo pòst. Sidonius Apollinaris Auernorum episcopus ad Faustinum scribens, inter cætera narrat, quemadmodum idem Faustinus sua Britannis miserit uolumina, lib. 9.

Lunduni & Eboraci fuisse ecclesias, narrat Sigebertus. Ibidem quoque meminit Eboracensis archiepiscopi Sampsonis.

Scotos hoc tempore non caruisse ecclesijs, inde patet, quòd Palladius primus ipsorũ episcopus à Celestino missus dicitur, autore Prospero in Chronicis.

Hibernensium episcopum fuisse Patriciũ, per sexaginta annos, Sigebertus narrat. Sidonius scribit ad quendam Fortunalem, quem Hibericarum regionum illustre decus nominare dignatur, lib. 8.

DE PROPAGATIONE.

ECclesiam Christi etiam hoc tempore sua habuisse incrementa, uel Augustini autoritate est manifestum. sic enim scribit libro contra Cresconium tertio, capite sexagesimoquarto: Non attendis, nec saltem à scientibus quæris, quàm multi ipsarum barbararum gentium, quas cõmemorasti, Christi iam nomine mancipati sint, & quemadmodum in cæteras Euangelium crescendo fructificare non cesset. Item paulo pòst capite sexagesimoquinto dicit: In Christianũ nomen quotidie uerti totum mundum. Eadem repetit libro quarto, capite sexagesimoprimo, contra eundem. His non omnino dissimilia scribit & in libro de Quinque hæresibus, capite septimo: Nónne reges terræ uides, qui antè persequebantur Christianos, nunc integros esse Christianos? Nónne uides, eos qui humiliabant ecclesiam, humiles introire in ecclesiã? Nónne ipsos habere defensores, quos antea habuit persecutores? Hæc Augustinus. Sed & nominatim de Palladio Scotorum episcopo narrat Bergomensis, quòd à Celestino ad Scotos missus, magnam Occidentis partem ad Christi fidem adduxerit, sub finem Honorij Imperatoris, annum circiter Christi quadringentesimum tricesimum.

Theodo-

Theodosio & Valentino imperantibus, totam insulam Hiberniam ad Christũ à Scotorum archiepiscopo Patricio cõuersam, recitat Sigebertus: idque sub annum quadringentesimum tricesimumsecundum.

In eremo Caprapicta apud Mauros, per conuersationem relegatorum martyrum, Maturiani nimirum & aliorum, & per prædicationem nominis Christi, magna barbarorum multitudo ad ueram pietatẽ & Christi cognitionẽ est conuersa: quemadmodum Victor testatur in Vandalica persecutione, libro 1. quod uidetur accidisse circa tempora Zenonis Imperatoris.

Sub Imperatore Theodosio gens Burgũdionum, cum à uicinis Hunis, ac maximè ipsorum rege Sutphar, crebris oppressionibus grauissimè affligeretur, nec ullum apud mortales relictum cerneret præsidium, necessitate cogente, de diuino auxilio quærendo cogitarunt. uerùm cum in uariatione sententiarum hęrerent, cui nam in tãta gentilium numinũ turba sese potissimùm addicerent, qui maximè uideretur potens, ꝑpensus & beneuolus ad eripiendos ipsos ex prẹsentibus calamitatibus, uenit in deliberationem & Christianorum Deus: & is sanè omnium iudicatus est non tantum potentissimus, sed etiam præsentissimus in ferendo auxilio suis. Quare uniuerso istorum ficticiorum deorum choro repudiato, una mente & uoce, uni & soli Christo sese totos dedidêre: ipsiusque doctrinam amplexi, in eaque magno studio à quodam Gallicano episcopo instituti & baptizati, Christiani facti sunt. Socrates libro septimo, capite tricesimo. Sigebertus sub annum Theodosij Imperatoris sextum, Domini uerò quadringẽtesimum tricesimumtertiũ, factum hoc ponit: & Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimo: ubi etiam hæc commemorant, ab eo tempore Burgundiones uictores, & Hunis superiores extitisse. Nicephorus etiam ait, Burgundionum gentem, ab eo tempore, ardenti amore flagrasse inconseruando, quem semel receperant, Christianissimo.

Haud ita dissimili euentu, & Francorum populus cum suo rege conuersus memoratur. Rex enim ipsorum Clodoueus, quoniã gentilitatis erroribus adhuc teneretur, & deos coleret, uxor eius Chrotyldis, mulier pia, sæpius ipsum regem maritum suum cohortata est, ut relicta ethnica uanitate, & falsorum Deorum cultu, ipsam ueritatem amplecteretur, uniusque ac ueri Dei cultum sequeretur, fieretque Christianus. Verùm etiamsi id sæpius faceret, frustra tamen fuit. Cum autem aduersum Alemannos prælio aliquãdo esset decertaturus, & ipsius exercitus in fugam uersus, grauiter cæderetur, motus infelicitate pugnæ, cum humano præsidio destitueretur, sublatis in cœlum oculis, diuinam quæsiuit opem, atque his uerbis precatus est: O Domine IESV CHRISTE, quem uxor mea Chrotyldis colit, & adorat, tuam opem deuotus efflagito. Et si mihi uictoriam dederis in hoc certamine, eris tu mihi solus Deus: in te unum credam, te unum & solum Deum adorabo, tua sacra sequar, & in tuo nomine baptizabor. Qua oratione uixdum recitata, statim in fugam acti sunt Alemanni, & rex uictoria potitus est. Rebus igitur Christi auxilio feliciter gestis, accersito Remigio Remorũ episcopo, nõ tantum ipse baptizatur, sed etiã suo tum exemplo, tum edicto, Francorum populum ad fidem adducit, decimoquinto regni sui anno. Recitat Hincmarus in uita Remigij, & Iuo in Chronico sub Leone secundo: Sigebertus in Anastasio, circiter annum Christi quadringentesimum nonagesimumnonum.

Post necem martyris Sisinnij, Martyrij & Alexandri in Valle Annonia ad occasum Venetiarum (ut habet Ptolemæus) operuerat terram maxima caligo: sed & crebra fulmina ingeminabantur. Qua re perterrefacti incolę Pagani, plurimi doctrinam Martyrum amplectentes, conuersi sunt. Commemorat Petrus de Natalibus libro quinto, capite sexagesimotertio.

DE CONVERSIONIBVS.

EX Paganis plurimos quotidie ad Christum cõuerti, dicit Augustinus in Quæstionibus ueteris & noui Testamenti, quæstione centesima & decimaquarta.

Ad Imperatorum Arcadij & Honorij exempla multos subditos cõuersos esse, tum Græcos tum hæreticos, narrat Sozomenus libro octauo, capite primo.

Sub ijsdem Imperatoribus, & Chrysostomum multos tam Paganorum quàm hæreticorum ad fidem Christi adduxisse, idem Sozomenus refert lib. eodem, cap. 5.

Nominatim uerò in Phœnice plurimi ab impio idolorum cultu ad ueram pietatem conuersi sunt, missis eò qui templa idolorum, iussu Imperatorum destruerent. Theodoretus lib. 5. cap. 29.

Chrysostomi opera etiam Scytharum plurimi Constantinopoli, ab Arianismo ad sanioris doctrinæ puritatem reuocati sunt: idque hac ratione. Substituti sunt aliquot Scythicæ linguæ presbyteri, diaconi & sacrorum lectores: ijsque una ecclesia assignata, in qua cum syncera doctrinam fideliter & perspicuè traderent, multi qui aberrauerant, in rectam uiam sunt reducti. Theodoretus eodem lib. cap. 30.

Scythæ

Scythæ ad Istrum quoque, missis ad ipsos doctoribus, ad agnitionem ueritatis Euangelicæ peruenerunt. Theodoretus lib. 5. cap. 31.

Isauros apud oppidum Armeniæ Cucusum cõuersos, & ecclesiã institutam à Chrysostomo, refert Nicephorus libro decimotertio, capite 26.

Quidam Macedoniana hæresi infectus, cum Chrysostomum de Deo docentem audiuisset, relicta hæresi, uerę ecclesiæ sese cõiunxit. Sozomenus lib. 8. capite 5.

Ad Arabissum, per Chrysostomum multi etiam infidelium conuersi sunt. Antoninus titulo 10. cap. 9.

Paulinus episcopus Nolanus, pro cuiusdam uiduæ filio captiuo redimendo, sese ipsum in seruũ tradiderat. Et in Africam abductus fuerat, ibique suos dominos tandẽ cõuertit. refert Bergomensis in Arcadio Imperatore, ex Augustino.

Tempore Theodosij Iunioris, multi Iudæorum in Creta Christiani facti scribũtur, hac occasione. Quidam Mosen sese esse mẽtiebatur, ac promittebat sese ipsos in terrã repromissionis introducturum per mare sicco pede, quemadmodum olim quoque fecisset. nam se eundem esse: qui & mãdatum haberet, ut hoc nunc denuò faceret. Quare omnes sese præpararent, & ad diem certum uniuersi adessent. Circuibat autem singulas totius insulæ ciuitates, integri ferè anni spacio, Iudæis ut fidem sibi haberent persuadens: monens q; ,ut omnes pecunias & possessiones relinquerent, maiora multò in terra ,promissa recepturi. Iudęi igitur hac ingenti spe fascinati, res suas negligere, easque alienis quibusuis permittere. Vbi dies constituta aduenit, multitudo, quæ copiosa cõfluxerat, ducem suum strenuè sequitur. Ille cum in scopulum quendam summum in pelagus se porrigentem eos duxisset, iussit ut omnes in mare desilirent. nihil enim periculi fore. Idq; cum quidam fecissent, in undis perierunt. cæteri in locis abruptis ac præcipitibus, in discrimen uitæ adducti sunt. Quidam uerò à Christianis piscatoribus & mercatorib⁹, ex præsentissimis periculis liberati sunt. Tandem autem fraude patefacta, plurimi ex ijs qui reliqui manserãt, Christianam amplexi sunt religionem. Paulus diaconus in Theodosio Iuniore, libro decimoquarto: & Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimo.

Septem Hibernensium regis Almogith filios uno die baptizatos à Patricio episcopo, memorat Henricus de Erphordia.

Edessenæ ecclesiæ pastor Nonnus, primariã in urbe Antiochena fœminam, luxu perditam Mænadem cõuertit. Nicephorus lib. 14. capite 30.

Leone imperante, Marcianus Constantinopolitanæ ecclesiæ œconomus, transijt à Catharorum hæresi ad ecclesiam. Nicephorus lib. 15. cap. 22.

Duo filij Clodouei regis Francorum, ante patris, de qua suprà diximus, conuersionem baptizati sunt. Quod sub Zenone Imperatore commemorat Blondus, decade prima, libro tertio.

DE AMPLIATIONE.

Arcadius & Honorius zelum patris sui Theodosij secuti, in toto orbe Romano tẽpla idolorum destrui iubent. Sigebertus. Et templa cum spacijs adiacentibus, ecclesijs contulerunt. Prosper in tertia parte de prædictio. & promisio. cap. 38.

Augustinus inquit: Quid per alias terrarum partes forsitan factum sit, non necesse fuit perquirere. interim quòd scimus, in ciuitate notissima & eminentissima Carthagine Africæ, Gaudentius & Iouius comites Imperatoris Honorij, 14. Calendas Aprilis, falsorum deorum templa euerterunt, & simulachra fregerunt. libro decimooctauo, capite 54. de Ciuitate Dei.

Ac de Arcadij & Honorij Imperatorum, in promouenda pietatis religione, studio, peculiariter loquitur Sozomenus: Erãt, inquit, ambo eiusdem cum patre circa religionem sententiæ. Et subijcit: Rufini præfecti interitum, occasionem dedisse adhuc amplius prouehendi religionem.

In Phœnicia idolorum templa destructa, opera & studio Ioannis Chrysostomi, narrat Theodoretus libro quinto, capite uicesimonono: idque sub Imperio Honorij & Arcadij. Idem Theodoretus & hæc addit: In nostra ,puincia, cum aliquot uiri peste Marcionis infecti essent, eiusdem Chrysostomi medicina curati sunt. libro eodem, cap. tricesimoprimo. Nicephorus eadem narrãs, dicit ab Osroenis repulsos Marcionistas: libro 13. cap. 3.

In Perside Christianismum dilatatum esse, scribit Paulus Diaconus sub Arcadio Imperatore: idque occasione regiæ tutelæ, & mediãte Mesopotamiæ episcopo Marutha. Arcadius enim Imperator uitæ suæ finem haud ita procul abesse sentiens, ne filiolus Theodosius ętate immatura, uel etiam Respublica quid detrimenti caperent, utrumque in tempore cauendum putauit. Instituit itaque Persarum regem maximè potentem Isdigerdem tutorem, ipsique tum filij, tum Imperij curam ac tutelam cõmisit. Ea res non ita paruam occasionem præbuit ultrò citroque mittendi legationes. Qua cum semel atque iterum fungeretur Maruthas episcopus Mesopotamiæ, ipsius pietate & industria,

induſtria, patefacta nimirum Magorum impoſtura, multum uirium ſumpſit, ac mirum in modum ampliata eſt in Perſide Chriſtiana religio. Idem prolixius recenſet Nicephorus libro decimoquarto, capite quadrageſimooctauo.

Sub Theodoſio Iuniore Imperatore in Synnada, Pacatianæ Phrygiæ urbe, Macedonianæ hæreſeos ſectatores, qui plurimi erant, relicta hęreſi unà cum ſuo epiſcopo Augapeto, ad ſinceriorem doctrinam reuocati ſunt. Socrates libro ſeptimo, capite tertio: Nicephorus libro decimoquarto, capite undecimo.

Idem accidit, diuerſa tamen ratione, & in urbe Conſtantinopolitana: Cyzici, & in Helleſponto. nam à Conſtantinopolitano epiſcopo, qui erat Neſtorianus, Eccleſiæ in his locis Macedonianis ademptæ fuerant, nec cõgreſsibus publicis locus relictus. qua re permoti ſunt, ut quidam ad ſaniorem doctrinam reuerterentur. Nicephorus lib. eodem, cap. 31.

Georgius & Timotheus, ab Ariana hęreſi utcunque conuerſi, alios quoque ab eodẽ errore paulatim abduxerunt, cum quidem Arianæ eccleſiæ presbyteri exiſterent. Nicephorus eodem lib. cap. 13.

Viennę Gallorum templum idololatricum, centum deorum cultura celeberrimũ, deſtructum eſt opera Seueri epiſcopi. Adon Viennenſis in eodem Imperatore Theodoſio, ætate ſexta.

Imperante Marciano, adducti miraculo Euphemiæ mortuæ quidam ex hæreticis Eutychianis, conuerſi ſunt. Zonaras tomo tertio, in eodem Imperatore.

INSTAVRATIONES.

GVndamudus Genſerici fratris filius, uir pietati deditus, poſteaquam, aliquot Arianis regibus ſublatis, hæreditario iure, ſeu Deo potius ita ad Eccleſiæ reſpirationem diſponente, regnum Africæ ſuſcepit, ſtatim reuocari mandauit omnes quotquot à ſuis anteceſſoribus relegati fuerant. Bergomenſis ſub Theodoſio Iuniore Imperatore.

Vuortuneri, Britannorum regis filij, in regni adminiſtrationem collocati, pietatem erga eccleſiam, annotauit Sigebertus. Dicit enim, ipſius uictoriam, quam à paganis, quibus cum multa commiſerat prælia, reportarit, ſecutam eſſe eccleſiarum renouationem, ſub Theodoſio.

Ad eundem modum ſcribit & de Ambroſio Aurelio, quem ipſum quoque deuictis Saxonibus, ait inſtituiſſe Eccleſiæ reformationẽ. Itidem in Theodoſio idẽ Sigibertus.

Rex Clodoueus Burgundionum, ſua quoque uictoria ad gloriam Dei & eccleſiæ exędificationem uſus eſt. Nam ex terra Aquitanica, cum eam ſuo imperio ſubieciſſet, Gothos Arianos expulit, & Francis eam habitandam conceſsit. Adon Viennenſis ætate ſexta, ſub Leone Imperatore.

Arturum regem Britannorum, obſeſsis Scotis & Pictis, ijsque in deditionem receptis, eccleſias inſtauraſſe, Sigebertus teſtatur, ſub finem Leonis Imperatoris.

Africanas eccleſias ab errore Donatiſtarum liberatas, & in integrum reſtitutas, Auguſtinus innuit, libro de Correctione Donatiſtarum ad Bonifacium, qui inter epiſtolas refertur numero quinquageſimo, ubi inquit: Miſsis legib. Imperatorijs, multa Donatiſtarum agmina, relicto errore ad Catholicam ueritatem redierunt. ac dicit præterea, Quotidie plurimos corrigi, ac correctos atq; ab illa furioſa pernicie liberatos, gratias agere. ac recenſet exempla conuerſionum. Item ab initio epiſtolæ quadrageſimæoctauæ, ad Vincentium, de hęreſi Rogatiana ſcribit, quoſdam Circumcellionum conuerſos.

CAPVT III.

DE PERSECVTIONE ET *tranquillitate Eccleſiæ.*

SVB ARCADIO ET HONORIO *Imperatoribus.*

CVM Theodoſius multis laboribus & periculis, mediocrem effeciſſet tranquillitatis ſtatum, tam in Eccleſia ab hæreticorum turbulentis actionibus, quàm ab hoſtium inſidioſis ac perfidis incurſionibus, cuperetque eam felicitatem ad poſteritatem tranſmitti: filios accerſitos iam moriturus, ardentiore affectu & oratione magis ſeria cohortatur, per ſalutem ipſorum & Reipublicæ obteſtans, Vt ſua ueſtigia inſequentes, hoc ſibi unicè curæ eſſe uelent, quo fidei & pietatis doctrina pura & incorrupta conſeruaretur, & ad poſteros propagaretur: in eo conãdo nullis laborib. ac ſumptibus parcerent. nam in hoc uno & ſolo omnis felicitatis ſummam uerè eſſe poſitam. Hacque ratione unica, nec ulla alia, rectè firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, & parari uictorias: ut autor eſt libro 5 Theodoretus, 5. & 20 capite.

Eo autem defuncto, Imperij ſumma ad duos filios eius, quos antea Imperatores deſignauerat, Arcadium & Honorium, deuenit, annum circiter trecenteſimum nonageſimumoctauum, ut Proſper in Chronicis: aut ut Nicephorus libro duodecimo, capite ultimo indicat, circiter quadringẽteſimum quartum. Arcadius quidem Orientis tenuit gubernationem annos quatuordecim, iuxta

iuxta Socratem libro ſexto, capite uiceſimo tertio: ad annum uſque Chriſti quadringentesimum decimum octauum, ut refert Nicephorus libri tredecimi cap. octauo & triceſimo. Honorius uerò occidenti præfuit annos quindecim, poſt fratrem Arcadium uita functum, qui cum iam antea tredecim annos Rempublicam rexerat. Ac de Honorio quidem tradunt plerique ſcriptores, fuiſſe eum principem optimum, & pietatis amantiſsimum, nec multum adeò diſsimilẽ patri in ijs quæ ad magnificentiam ſpectãt, & ſtudium rerum fidei & eccleſiæ. Addũt præterea, ei hoc unum maximè curæ fuiſſe, ut quemadmodum à patre per manus acceſſiſſet, ita ipſe quoque Rempublicam Chriſtianam pacatam poſt ſe poſteris relinqueret: ſicut teſtatur Paulus Diaconus libro 14. Et ſanè non leuiter fuiſſe ei cordi rem eccleſiaſticam, manifeſtũ eſt uel ex epiſtola quã ſcribit ad fratrem Arcadium, pro Iohanne Chryſoſtomo: ut in ſequẽtibus recitabitur. Quamuis Zonaras de hoc Imperatore ſcriptum reliquerit tomo tertio, eum annos circiter triginta, nulla cum laude imperaſſe.

Arcadium Orientis Imperatorem, quanquam ſcribant fuiſſe principem natura mitem & quietum, quique patris uiam ingreſſus, ipſe quoque ſtudium habuerit & conſeruandæ & dilatandę religionis: qui præterea in Sanctitatis opinionem circa finem ætatis ſuæ uenerit, ut habet Paulus Diaconus libro decimo tertio: attamen in perſecutione aduerſus Chryſoſtomum, manſuetudine haud adeò multa, ſed quaſi ſui oblitus plurima uſus eſt acerbitate, ſicut paulo pòſt dicendum erit. Atqui in tranſuerſum raptus uideri poteſt, uxoris, cui plus æquo indulſiſſe credendum eſt, improbis & frequentibus querelis. quibus acceſſerunt etiã Eccleſiaſticorum & aliorum quorundam calumnioſæ ſuggillatiões, quæ optimi principis animum quaſi è ſua ſtatione deturbarunt, quo minus uel uideret uel ageret, quæ pietati ſuæ magis fuiſſent congruentia. Et fieri poteſt, ut ſub prætextu nominis ac Imperij Arcadij, ipſo interim neſciente, multa indigna aduerſus Chryſoſtomum ſint perpetrata: ſicut bonorũ Principum Imperijs plerique aulici ad ſuas cupiditates abutuntur, in aliorum perniciem. Quemadmodũ de utroque hiſtoriæ Cæſarum memorant, quòd nimirum uterque & Arcadius & Honorius habuerit præfectum, hic Stiliconem, ille Rufinum, qui Imperij nomen & habitũ Imperatoribus quidem conceſſerint: at rerum ſummam, cùm lingua tum manu, ſibi ipſis uſurparint: & ut narrat Nicephorus lib. 13. cap. 1. ſub præfectorum appellationibus, ipſis Imperatoribus imperitarint.

Initio itaque Imperij horum principum, cum patris ipſorum beneficio Eccleſiæ mediocri tranquillitate fruerentur, ut patet ex epiſtola Innocẽtij papæ ad Exuperium Toloſanum, quæ eſt in ipſius decretis tertia, primo tomo Conciliorũ: inuidens eam pijs felicitatem, turbarum & cædium omnis generis parens, excitauit in aula Imperatoris Orientalis hominem barbarum, ferocem & militarem, Gainam nomine, ex gente Scytharum qui ad Iſtrum habitabant. is cum transfuga à gente ſua ad Romanos deſciuiſſet, ex tenuioris fortunæ milite paulatim per gradus aſcendens, eò uſque creuit, ut in exercitu Romano equeſtribus & pedeſtribus copijs, ueluti princeps, præeſſet. Nõ ferens autem moderatè eam fortunam, præter alia multa quæ Imperio pernicioſa moliebatur, etiá Eccleſiam turbare cœpit. Nam cum eſſet profeſsione Arianus, quibus intra urbis mœnia Conſtantinopoli publicos conuentus agere nõ licebat, ſeu propria uoluntate ſeu ab anteſignanis iſtius ſectæ impulſus, petit ab Imperatore concedi ſibi & ſuis in hæreſi conſentientibus, templũ unũ intra urbem, in quo ad peragenda ſacra & preces communes conuenire poſſent: idq; ut obtineret, agebat magno contentionis ſtudio, & cum quadam iniuriarum quaſi ex poſtulatione: Haudquaquam decere, inquiens, ut Romanæ militiæ ſupremus dux, extra urbis muros oratũ abire cogatur. Imperator cum ſuſpectã haberet ferociſsimi hominis, & ſua iam benignitate potentiſsimi tyrannidem, quam non obſcurè affectabat: ſe de ea re deliberaturum dicit. Adhibito igitur in conſilium Conſtantinopolitanæ eccleſiæ epiſcopo Chryſoſtomo, Gainę petitionem exponit: additq́ue, ſibi omnino uideri faciundũ, ut hac in re barbaro mos geratur, ſi nonnihil hac ratione ipſius conatus ſeditioſi reprimi poſsint. Hunc Imperatoris animum formidinemq́ue ubi animaduertit Chryſoſtomus, pluribus eum docet, nullo modo hoc fore conſultum nec Reipublicæ nec eccleſijs: quia non committendum, ut ſanctum canibus detur: nec ſe conceſſurum, ut eiectis hominibus pijs & rectè ſentientibus, ædes ſacra concedatur impijs & blaſphematoribus. Imperatorem quoq; animo bono eſſe iubet, neque debere formidare barbarum: ſe ipſius ferociam uel uerbis repreſſurum, modò copia detur eum coràm compellandi. His auditis Imperator acquieſcit, coràm adeſſe iubet Gainam. Hic cum prius poſtulata ſuperbè urgeret, Chryſoſtomus monet, Imperatori, cui quidem pietas curę ſit, neutiquã liberum eſſe, aduerſus Deum quicquam moliri: aut largiri aliquid de rebus non ſuis, ſed Dei. Denique

multo ſatius eſſe imperio cedere, quàm tale quid audere. Dehinc uerſo ad tyrannũ ſermone, qui truculento & minaci uultu aſtabat, inquit: Patẽt tibi omnia noſtræ eccleſiæ templa, nec inde arceris. Contrà obgannit Ganias, ſe alterius eſſe opinionis: ſuoque ſe iure hæc poſtulare, ut qui grauiſsimos labores pro re Romana exhauſerit. At tibi iamdudum maiora quàm pro meritis perſoluta ſunt præmia, inquit Chryſoſtomus. Quæſo reputes tecũ ipſe, qui nã aliquando fueris: nunc uerò etiá qui ſis, ad quantã amplitudinem euectus ſis, in quanta aũt olim tenuitate, & rerum omniũ inopia uixeris: qui fuerit habitus, cum Iſtrum tranſires: nunc quãtus & quàm magnificus & regalis ueſtiũ nitor & apparatus? Memineris igitur, præmia labores tuos lõgè ſuperare: neq; ſis porrò ingratus erga eos, qui talis & tantus ut eſſes, ſua benignitate effecerunt. Atq; hoc modo irritũ factũ eſt, quod conabatur tyrannus in eccleſiæ perniciem, opera & ſalubri oratione Chryſoſtomi: ut memoriæ prodiderunt Theodoretus lib. 5. capite 32. Sozomenus libro octauo, capite quarto.

Sed paulo pòſt alias turbas eccleſia Conſtantinopolitana experta eſt. Nam cũ Iohannes Chryſoſtomus, nõ modò eius eccleſiæ, ſed etiam uicinarum inſpector, uideret corruptiſsimum earum ſtatum, & diſciplinam diſſolutiſsimam, inſtituit earũ rerum emendationem: ac perſonas præcipuè quibus Euangelij ſacra miniſteria commẽdata erant, ad uitæ grauioris, & quę minus haberet offenſæ, normam reducere conatus eſt: reijciens etiam à miniſterijs & functionibus, ſi qui contumaciores, uocationum ſuarum profeſsioni parum reſponderent, aut eam uitæ impuritate deformarent. Qua in re, cum aliqua ſeueritate & multa libertate uteretur, plurimum ſibi inde odij conciliauit. Quod quidẽ exaſperauit Serapion quidam archidiaconus, homo iracundus & contumelioſus, oratione parum tempeſtiua, dum in cœtu miniſtrorum dicit: Nunquam poteris epiſcope hos oratione tantum corrigere, niſi adhibito & flagello uniuerſos coerceas. Ad eam rem fecit quoq; commercium, quod habebat cum quadam Olympiade, Eccleſię miniſtra: id quod eius maleuoli ſiniſtrè interpretabantur. Quin & quorundam, qui cum nihil minus eſſent, monachos tamen ſe profitebantur, acre in ſe odium concitauit, cum ipſorum circumforaneas obambulationes ſeueris admonitionibus reprehenderet, illosque ab iſtis circumcurſitationibus ad inſtitutum uitæ ſeuerius, & magis ipſorum profeſsioni conueniens, reuocaret. Ac hi quidem cum ægrè ferrent, ita ſe à Chryſoſtomo tractari, coniungebant ſuas operas cum alijs eius inimicis, qui ad eundem modum ipſi infenſi erant, aut ob reprehenſa ſua uitia, aut quòd à miniſterijs remoti fuerant. In iſtorum autem gratiam accedebant & alij, partim perſuaſi, partim aliqua neceſsitudine iuncti: atq; hi omnes communibus ſtudijs optimum paſtorem contumelijs & cõuicijs inceſſebant, ferum, crudelem, iracundum & ſuperbum, imò & furibundum dictitantes, ipſius actiones calumniantes, ac in crimen uocantes plurima, etiam ea quæ optimo & ſaluberrimo conſilio facta fuerant. Vociferabantur ipſum rerum in eccleſia nouandarum autorem eſſe, antiqua electionum & conſecrationũ iura & receptas conſuetudines inuertere, & patrias leges abolere. Breuiter eò omnes criminationes & calumnias dirigebant, ut pium doctoré plurimis efficerent quàm maximè inuiſum. At fideliſsimus cõmiſsi gregis cuſtos, quaſi paruifaceret ſycophantarum morſus & latratus, nihilo ſegnius, imò maiori cura & ſtudio, ueri epiſcopi officium faciebat. Et poterat tutò contemnere aduerſariorum calumnias & inſultus, quàm diu quidem à potentiorum reprehenſione abſtinuit. Vbi uerò & in illos linguam, ut debuit, acuit, illorumque uitia capere cœpit, quòd & ipſi malignè ac parum iuſtè ſua obirent munia: tum uerò maius multo non tantum odium ei inde eſt conflatum, ſed & præſentiſsimum periculum comparatum. Nam illi iam nòn, quomodo mutuis eum contumelijs afficerent, quærebant: ſed quomodo cum ignominia ab officio & epiſcopali adminiſtratione amotum, prorſus peſſundarent, cogitabant. Id tantum reſtabat, ut aliqua honeſti ſpecie & prætextu fieri hoc, quod cupiebant, poſſet. Quare ſua cum cæteris conſilia communicabant, & in omnes occãſiones intenti erant. Norant autem iam inde ab ordinatione Chryſoſtomi, Alexãdrinum epiſcopum Theophilum parum ei fauere, quippe qui in ea ſolus ſe difficilem præbuerat: imò niſi minis quorundam & metu Imperatoris Arcadij adductus feciſſet, nunquam Chryſoſtomo ſuas impoſiturus fuiſſet manus. Et acceſſerant interea temporis cauſæ aliæ, quæ magis etiam exacerbârant Theophili animum: uidelicet, quòd monachi quidam Ægyptij, Longi fratres dicti, indignis ab ipſo tractati modis, queſtum Conſtantinopolim uenerant. Quos cum perhumaniter acceptos, reuerenter habuiſſet Chryſoſtomus, & ad publicas preces adhibuiſſet, in ſuſpicionem apud Theophilum uenerat, quaſi ſuam aduerſum ſe operam eiſdem & auxilium condixiſſet, & ad communionem

nionem admisisset ante causæ cognitionem: quod facere tum temporis fas non erat. Huic ergo Theophilo sese socios & instigatores addunt potentiores illi, & omnes reliqui. Quibus postremò omnium adiungit sese hortatrix non modò improba, sed & ministra sedula omniũ quæ ad pernicíem pij doctores tentata fuerant, Imperatoris coniunx Eudoxia. Conceperat ea prima odij semina aduersum Chrysostomum, quòd Seuerianum Gabalanorum episcopum Constantinopoli eiecerat, cui illa faue bat. Creuerant deinde illæ odij flammulæ magis magisque, quòd pius doctor, ratione demandati sibi muneris illam subinde carpere, & quidem acrius interdum obiurgare non intermitteret, propter iniurias nimirum quas subditis inferebat: maximè autem propter uineam cuidam uiduæ mulierculæ ablatam, quod factum ipse reprehendere grauiter admodum non cessabat, priusquam mulierculæ possessionem suam reddidisset. Omnium autem uehementissimè accenderat ipsam, quòd in quadam publica concione supra omnem modum in mulieres malas inuectus fuerat. & quantiam in genere dixerat, tamen plurimis etiam ex fautoribus uisa fuêre obliquè in Imperatricem pleraque directa fuisse. Ab aduersarijs manifestè ista omnia, quasi ex professo & peculiari studio tantum in contumeliam Augustæ facta essent, accipiebantur. Ista igitur posteaquam ex maleuolorum relationibus resciuit, qui haud dubiè egregiè frigidam suffundentes, plurima de suo addiderunt: tum uerò illa fremere: & uluti non sua tantum, sed etiam mariti Imperatoris Maiestas læsa esset, eiulationibus apud maritum querulari, illumque ad communem contumeliam uindicandam extimulare cœpit. Addunt & reliqui suas operas, atque ita coniunctis uiribus oppressionem machinantur. Cæterùm quia uiolentia manifesta aduersus ipsum procedere non auderent, idque propter populi motus, arte, dolo ac fraude sese instruunt, & ex insidijs ipsum aggredi statuunt. Quę quo minus animaduerti possent, curat ipsa Imperatrix astutè per Theophilum Synodum cogi: quam quidem ad rem ipse erat paratissimus. Istum uerò conatum Seuerianus etiam Gabalanorum episcopus studiosè adiuuabat, memor prioris offensæ. Coacta ergo synodo in Quercu Chalcedonis, cum Chrysostomus semel atque iterum euocatus, & per Imperatoris notarium accedere iussus, non comparuisset, propter contumaciam ipsum cõdemnarunt, episcopatúmque ei ademerunt: Imperatoris quoque singulari mandato interueniente, ne quam in ferenda sententia ipsi patres moram facerent. Tertio itaque die à condemnatione, cum se eorum potestati, quibus id negocij commissum erat, permisisset ultrò, in exilium abductus est. Narrant hanc historiam satis prolixè, Socrates libro sexto, capitibus tertio, quarto & quinto: item à decimo per aliquot sequentia: & Sozomenus libro octauo, à capite sexto usque in octauum & decimum: & Nicephorus libro tredecimo, capitibus nono & sequent ibus. Non autem diuturnum hoc fuit exi lium. Nam populo tumultuante, ac seditionem excitante, statim reductus, & pristinę dignitati restitutus est: ipsa quoque Imperatrice sese expurgante, quòd esset extra noxam omnem.

Recepto pastore, ecclesia Constantinopolitana ipsum maiori studio & amore complectitur. Ipse uerò nihil de priori ardore in rebus sui officij remittebat. Videns autem ad statuam quandam, cui Imperatricis imago imposita erat, fieri concursus & applausus populi, & publica saltationum & aliorum mimicorum ludorum spectacula, quibus populus ad uerbi neglectum, & uitæ quoque dissolutoris leuitatem prouocabatur, magna dicendi libertate ea omnia reprehendit: in primis eos incusans, qui & tempus & pietatem perdentes, ijs ludicris operam dabant. Verùm ubi ista cognouit Imperatrix, cui nondum prior offensio ex animo erepta erat: rursum ista ad sese refert, & in sui contumeliam accepit, iraque accensa de extrema ultione cogitat. Nec ista latebant Iohannem. uerùm tantum aberat ut de iusta seueritate aliquid remitteret, cum paratum sibi uideret exilium, ut etiam confidentius ageret. id quod indicant hæc ipsius uerba, quæ in quadam oratione recitauit: Rursum Herodias furit, rursum turbas ciet, rursum Iohannis caput in disco expetit. Rursum ergo synodus cogitur. ac denuò deponitur, inuenta hac una calumnia ab Ecclesiasticis iudicibus Eudoxiæ gratificari studentibus, quòd post priorem abrogationem, ipse rursum per sese in episcopatum inuolasset, Synodi autoritate non intercedente. Subornantur igitur clanculárij in Iohannem sicarij, qui tametsi furoris sui tela in ipsum emittere minimè potuerunt, Domino suum ministrum protegente: tamen quatuor alios, qui obiectu suorum corporum cursus ipsorum inhibere cupiebant, interfecerunt. Chrysostomus post latam aduersum se sententiam, intra suas se ædes continens, conuentus non agit, sed à publici muneris functione abstinet multo tempore, sperans fortè fieri pos-

se, ut temporis successu aut hostium furores mitescant, aut frequentiori Synodo legitimum sibi iudicium detur. Sed cum Imperator in executione latę sententiæ remissius ageret, conciliabuli illius autores acrius apud eum instant, ut eiectionem Iohannis maturet. Legitimè enim eum, & iustè damnatum. Imperator igitur misso quodam legato, denuò ipsi, & quidem cum commination̄e mandat, ut ab ecclesia discedat. Iohannes, etsi iam antea Imperatori renunciari iusserat, se à Christo diuinitùs isti ecclesiæ præfectum, nec eam debere temerè relinquere: nunc tamen Imperatorijs & tyrannicis iussionibus parendum sibi statuit. Quare cùm episcopis, ministris, & alijs qui suarum erant partium, quędam monendi & confirmandi gratia iniunxissent, stipatoribus se & custodibus Imperatorijs iungit: & conscenso iumento, ab ijsdem in exilium abducitur Cucusum, quod est Armeniæ oppidulum, ad os Ponti, in finibus Romani Imperij. Hoc unũ, cum egrederetur, questus, quòd per uim & iniquè cõtra leges expelleretur: denegato sibi iudicio, quod legibus datur etiam adulteris, homicidis, & facinorosis alijs. Socrates lib. 6. cap. 18: Sozomenus libro octauo, capitibus uicesimo, & duobus proximè sequentibus. Ipso aũt uixdum urbe egresso, subitum exoritur incendium, quod templum luculentum & curiam proximam absumit. Ea culpa in Iohannis sectatores continuò confertur. rapiũtur ergo ocyus ad uincula & custodias, quotquot prehendi possunt. Et primò quidem illi qui reuerendissimum suum pastorem pietatis ergò egredientem comitabantur, episcopi, sacerdotes, & cęteri Ecclesiastici ordine. Alij quãplurimi, Chalcedonẽ in carcerẽ, & alia loca uiciniora abducuntur. alij in loca ulteriora trans mare, ad diuersas insulas deportantur: prius tamen uarijs excruciati tormentis, & in ipso quoq; itinere miserandum in modum exagitantur ab hominibus improbissimis. Quidam etiã instar clitellarũ nudis impositi sunt mulis, capitib. deorsum uergentibus, in modũ uictimarũ: & diuertẽtes aut pernoctantes nõ in locis honestiorib. & cõmodioribus, eos custodię mandabãt, sed in publica ꝓstibula & lupanaria, & alia eius generis loca ignominiæ obnoxia ipsos ueluti armentorũ gregem cõcludebãt. quę tamẽ omnia potiora habuere pientissimi martyres, q̃ ut ab amore & doctrina Iohãnis seiungi se paterẽtur. Alij, quib. profugij locus relictus fuerat, ultrò sibi exilia elegerũt, adq; oras extremas secesserũt: sati⁹ arbitrãtes habitare cũ feris, quàm cũ hominib. tã truculẽtis, nec pręter figurã quicquã hominis habentibus. Sozomenus lib. 8. capite 22. Nicephorus lib. 13. cap. 22.

Sectatoribus Chrysostomi hunc in modum uexatis & dissipatis, cum nihil periculi iam esset à populo, sed quies & tranquillitas sperareturinstituit de incendio quęstiones præfectus: & quia erat homo ethnicus, & odio religionis magnã in Christianorum cladę uoluptatem caperet, plurimi grauissimis torturis subiecti, ad necem usq; excruciabantur: inter quos nominatim recensentur, Tigrius presbyter, & Eutropius lector, de quibus in loco de Martyribus prolixius dicetur. Cogitur se sistere ante tribunal huius incẽdij prętextu & Olympias diaconissa. Hęc & generis nobilitate & reliquis uitę ornamentis pręclara, menses circiter uiginti uixerat in coniugio. marito autẽ mortuo, diuitijs suis in ecclesiæ & pauperum usum distributis, in ecclesię ministerium ultro se dediderat. Præfecto igitur ex ea quærẽte, quid ita templũ incendissẽt? Ipsa placidè respondit, nunquid putaret suæ uitę institutо cõuenire, ut quæ plurimam suarũ diuitiarũ partem in templorũ reparationes & structuras impendisset, tale quid patraret? Præfectus, qui norat probè ipsius integritatem, & inculptatam uitam, nec haberet quod porrò obijceret, iudicis personam relinquit, & cõsultoris induit: stulticiã ei & reliquis mulierculis exprobrans, quòd Iohannis necessitudinẽ retinentes, ecclesiæ communionem respuentes, malum sibi ipsis & molestiã crearent: rediret ad Ecclesiæ reliquæ cõmunionẽ, atq; eo modo omni molestia se exoneraret. Hoc aũt se facturã minimè cum respondisset, quia nemo cũ pietate id præstare possет: tandẽ multo auri pondere multata est. Quod ipsa tamẽ pro nihilo ducẽs, in sua cõfessione perstitit. Quin & Constantinopoli relicta, Cyzicũ sese contulit. Ex quo loco postea Nicomediam Bithynorum est deportata: ut scribit Nicephorus lib. 13. cap. 24. post Sozomenum lib. 8. cap. 24.

Non solùm aũt in hos, sed etiam in reliquũ ecclesiæ Iohãnis cœtũ grassantur hostes eius. Nam ea nocte quæ diẽ Resurrectionis præcedit, milites in templũ irrũpentes, multa proteruè faciũt, maximè in sexum fœmineũ, tẽporis cõsuetudine & noctis opportunitate ad furorẽ explendũ abutentes, dum pro more ad suscipiendũ baptisma plerique nudi adessent. Tantis aũt iniurijs accepti, à publico cõgressu deinceps quidẽ sibi tẽperãt: sed tamẽ suos peculiares cõuẽtus agere neutiquã intermittũt. Postea die Paschaliũ feriarum, celebrationẽ instituũt in publico lauacro, cui Cõstantianũ nomẽ erat, magna frequẽtia episcoporum & aliorum ecclesiasticorum uirorum. Sed inde quoque pulsi, extra urbem uarijs in locis conuenerunt.

Hinc

Hinc peculiare nomen sortiti, appellabantur Iohannitæ, à doctore quem tanto studio sibi prosequendum proposuerant, ut etiam ultima quæque ipsius nomine ferre non recusarent. Sozomenus libro octauo, cap. uicesimoprimo: Nicephorus quoq; è Chrysostomi epistola ad Innocẽtium urbis Romæ episcopum, de his scribẽs calamitatibus, eadem refert, libro 13. cap. 19. Et Antoninus titulo decimo, capite nono, dicit: proposita esse edicta uarijs in locis, eademq; sæpius repetita, grauibus comminationibus insertis, de communione Iohannis abneganda.

Post eiectum igitur Chrysostomum, quidam subrogatur Arsacius. sed offensi Iohannis amici, nec templa nec communionem, aut quicquã aliud cum ipsis commune habere uolebant. secedentes ergo ab ipsis, in extremis partibus ciuitatis suos congressus habebant. Ea ubi per episcopum ad Imperatorem delata sunt, statim missa militum cohorte, fustibus & saxis ex illis locis expelluntur. Et ut fieri solet in istiusmodi turbis, si quando impio militi res permittitur, multa licenter facta sunt: ornatus mulierum, zonæ, monilia, torques, & id generis plurima, imò cum inauribus ipsæ etiam infimæ auriculæ quibusdam ablatæ sunt. Si qui uerò Iohannis necessitudinem arctius amplecti uidebantur, cæterisq; quasi præire, illi apprehensi in uincula conijciebantur. Deniq; cum in publico conuenire deinceps non esset tutum, ipsi intra suas se ædes continuerunt, neque uel ad forum, uel balnea, uel alia publica prodire ausi sunt. Imò quibusdã nec in proprijs quidẽ ædibus manere, prorsum erat absque periculo. Quare spontaneum sibi ipsis imponentes exilium, urbem relinquunt, & quò quemque casus ferebat, proficiscebantur, tum uiri tum mulieres. Horum de numero erat Nicareta, cuius nominatim fit mentio, mulier Bithynensis, ex nobili apud Nicomedienses genere nata, perpetua quoque uirginitate & uirtute uitæ clara. Atque ea quidem in urbe Constantinopolitana sic gesta esse, narrant Sozomenus libro octauo, capite uicesimotertio: Nicephorus capite uicesimooctauo, libri tredecimi.

Et hæc quidem tempestas quanquam in urbe illa Imperiali potissimùm sit grassata, tamen nonnihil turbarum dedit etiam in alijs locis. Flauianus Antiochenus episcopus, cum aduersarijs Chrysostomi nunquã se iunxerat, neque calculum aut consensum suum unquam addiderat ijs quæ aduersus eundem acta fuerant. Mortuus autem, successorem habuit Porphyrium. Hic cum in ea omnia quæ cõtra Iohannem decreta, pedibus quasi iuissẽt, multi ex Syris, relicta ecclesia, eam ob causam proprios seorsum cõuentus egerunt: quæ res illis miseriarum & aduersitatum plurimũ peperit. propter Arsacium enim, & in gratiam huius, Porphyrij & Theophili Alexandrini, magnatum in Palatio, studio lex fuerat promulgata, ut qui recte de doctrina sentire uideri uellent, extra ecclesias conuentus nullos instituerent: quique sibi communicare nollent, expellerentur. Sozomenus libro octauo, capite uicesimoquarto. Eadem sub Attico Constantinopolitano facta recitat Nicephorus libro tredecimo, capite tricesimo, his uerbis: Interea ingens persecutio excitata est aduersus ecclesias Dei, Attici instinctu (neque enim cum hoc quoque communicare quisquam, propter eum quo Iohannem maximè prosequebantur amorẽ uolebat) iussiones Imperiales passim circumferebantur in hæc uerba conceptæ: Si quis episcoporum cũ Theophilo, Attico, Porphyrio, cõmunicare noluerit, extorris ecclesia esto, & facultatibus priuator. Ex laicis autem, seu popularibus, qui magistratus gerunt, dignitate excidunto: milites cingula deponunto: uulgus autẽ & opifices auro multo mulctati, exilio, sicuti decet, damnantor. Itaque qui sincerè honestatem sequebantur, & res præsentes non magnifaciebant, ne quid absonum & ueræ pietatis instituto indignum committerent, ad solitudines inhabitandas profugerunt. Quidam inuiti etiã communicare cum illis coacti sunt: quibus scilicet gloria & opibus excidere magnum uisum est. Monachi uerò in Syria plurimi ab Ecclesia seiuncti, synaxes & conuentus suos egêre: quam ob causam multas etiam experti sunt ærumnas.

Imò ne exteri quidem homines prorsum ab ea tempestate immunes fuere. Nam quia Innocentius Romanus episcopus de tantis iniurijs, quibus Iohannes & sui præter omnem humanitatem affecti fuerant, certior factus esset, omnibus posthabitis hoc unum agebat, quomodo tantis malis commodè mederi posset, ut restituto Iohanne, pax & tranquillitas ecclesiæ Constantinopolitanæ redderetur. Quare ex decreto synodi in Italia ea causa coactæ, ablegantur Constantinopolim legati, Æmylius Beneuenti episcopus, Cathegius & Gaudentius cum Valentio & Bonifacio presbyteris: quos comitabantur Cyriacus & Demetrius, unà cum Palladio & Eulysio, qui partium Iohannis, Romam questum uenerant. Hi ut primùm Græciam attigêre, insidijs excepti sunt à tribuno, in hoc ipsum ab Eudoxia subornato: & calumnijs impetiti, quòd Oriẽtale Imperium turbaturi adessent: ac in Constantinopolitanum suburbium diuersi in diuersas

custodias ducti sunt. & cum nollent literas quas habebant, alijs quàm Imperatori tradere, Valerius uni pollice fracto, ui illis & literas & pecuniam eripuit. Deinde oblata aureorum summa triũ millium, tentat eos inuitare ad communionem Attici Constantinopolitani episcopi. Verùm illi prętendunt, se in somnis monitos esse, ne id facerent: ac reditum tantum sibi concedi obnixè petunt. Nauigio igitur squalido, & quod ob uetustatem usui amplius non erat, impositi, mari quasi ad præsentissimum exitium exponuntur. Valde autem periculosa nauigatione utentes, ægrè quidem, tandem incolumes Lampascũ ueniunt: ubi mutata naui, demum domũ sunt reuersi. Nicephorus libro tredecimo, capite tricesimotertio. Meminit & Sozomenus, sed breuiter, libro octauo, capite ultimo.

Aduersarij hinc intelligentes, Romanum episcopum hoc conari, ut restitueretur Iohannes, eamq; ad rem strenuam operam præstare Occidentis Imperatorem Honoriũ, cogitant haud ita magno suo commodo fieri id posse. Quare obnixè dant operã, ut ulterius deportetur, sicubi fortè crebris iactationib. debilitatus & fractus, tandé expiret. Edicto ergo Imperatorio è Cucuso porrò abducitur Pityuntem oppidũ, ad finẽ Pontici maris situm, sæuissimis Barbaris conterminũ. Quia uerò ductoribus maiorum dignitatũ honores & alia præmia proposita fuerant, si ferociam & crudelitatem suam egregiè aduersus Iohannem exercerent: ipsi ea in re strenuè officium præstantes, magna itinera faciebant, cœlo interdum immensis pluuijs exundante, interdum æstuantibus solis radijs grauissimè urente. Quibus demum confectis, Pityuntem quidem nõ peruenit: sed in Comanenis Armenię subsistẽs, ex hac ærumnosa militia in cœlestem uitam receptus est. Sozomenus libro octauo, capite uicesimooctauo: Nicephorus lib. tredecimo, capite tricesimoseptimo.

Dum autem in Oriente hęc fiunt, Ecclesia etiam in Occidente grauiter cõcutitur, propter tumultus publicos, qui plerunq; dissidia Ecclesiastica comitari solent, ut inquit Sozomenus lib. 8. capite 25. Nam barbaricæ gentes plurimæ, in regiones Romanas prętertim irruentes, uehementissimè Ecclesias afflixerunt. sicuti & Hieronymus grauẽ querelam ea de re instituit, inter cætera sic inquiẽs: Quot matronæ, quot uirgines Dei & ingenua nobiliaque corpora his beluis (de barbaris gentibus loquitur) fuere ludibrio? capti episcopi, interfecti presbyteri, & diuersorum officia clericorum: subuersæ ecclesiæ. ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossæ reliquiæ: ubiq; luctus, ubiq; gemitus, & plurima mortis imago. in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum.

In his autem populis uel primi fuerunt Gotthi & Vandali, quorum cum pars esset à Christianismo prorsus aliena, & gentilium superstitiõi dedita, captatis quibuslibet occasionibus, extremè Christianos non tantũ persequebãtur, sed etiã prorsus delere conabãtur. Pars uerò eorũ, quanq; professione inter Christianos numerabãtur, tamẽ quia Arij ueneno infecti erãt, nõ minus ipsi quoq; sępius Ecclesiã acerbissimè afflixerunt. Ac de Gothici populi immanitate cumprimis memorant historiæ, quòd cum barbarus esset, & Scytha, & uanorum deorum cultor superstitiosissimus, repentino impetu Italiã cum exercitu bis ducentorũ miliũ oppressérit, ac omnẽ Romani nominis sanguinem dijs suis propinandũ uouerit. Maximus igitur terror totã quidẽ Italiã, sed pręcipuè Romã inuasit. fit passim concursus paganorũ, audiũtur fremitus & blasphemiæ aduersus fidem Christianam, querelę de neglecta maiorum religione: ideo sibi tanta mala imminere, quòd omisso antiquo sacrificãdi ritu, & reiectis patrijs dijs, Christum pleriq; amplexi, peregrinos cultus inuexerint: eã omnium & præsentium & futurorum malorũ esse fontem & originẽ: hostes uerò suos eo felicius agere, quòd auitam religionem religiosissimè obseruent. Protinus igitur relictis omnibus, de repetendis sacrificijs, de reparãdis aris, & tota ueterum idololatria penitus instauranda consultant, ac de Christianismo deniq; in uniuersum abolendo rationes ineunt: ut referũt Paulus Diaconus lib. 13. in Honorio & Arcadio: item Orosius lib. septimo, capite trigesimoseptimo. Accesit his uulgi per sese concitati furoribus, bucci-nator non segnis Symmachus orator, qui etiam editis scriptis pro instaurando gentilismo classicum cecinit: ut habet Sigibertus, & tempus annotat sub annum decimum Arcadij & Honorij. Huius tamen & aliorum ora obstruxisse Augustinum in lib. de ciuitate Dei, & Orosiũ in historia sua, idẽ ibidẽ recitat. Ipsum quoq; Rhadagaisum hoc fuisse animi, idq; maximè agitasse, ut simulachrorũ cultus reuocaretur, refert Iuo in Arcadio. qui & hoc addit, ab eodem Monachis proposito edicto imperatum esse, ut militarent. id uerò qui detrectarent, illicò interficerentur. quæ res multis causam martyrij præbuerit: cum mallent pij subire supplicium, quàm tyranno contra Christianam religionem militare. Atqui non fuit ista Gotthorum rabies diuturna. Deo enim sui ipsius nominis gloriam uindicante paulo pòst, ita omnis illa multitudo concisa est, ut pecudum more integri greges barbarorum

rum paruo admodum uænirent, ſicuti infrà dicendum erit.

Sub idem tempus eccleſiæ quoq; Galliæ graues perſecutionum impetus ſuſtinuêre. Nam duce Groſio, Vandali Galliam populabundi peruagantes, multas & urbes & eccleſias ſubuerterunt, multosque piorum martyrio celebres fecerunt: inter quos præcipui ſunt Sedunenſes Florentinus & Hilarius: item Deſiderius Lingonẽſis, cum Vincentio archidiacono: item Antidius Veſontienſis epiſcopus, ut eſt autor Sigibertus in anno 1. Honorij. Imò non Vandali tantum, ſed & Gothi, Huni, Franci, & aliæ barbaricę gentes plurimæ, ſimul & uno quaſi impetu Galliam infeſtantes, dum uaria fortuna inter ſeſe de regno certãt, Eccleſiam quoque unà attriuerunt: ueluti ex Hieronymo perſpicuum hoc eſt, qui huius prouinciæ clades deplorans, inter cætera ait: Moguntiacum, nobilis quondam ciuitas capta atque ſubuerſa eſt, & in eccleſia multa hominum milia trucidata. (cum Albano pontifice, ut addit Auentinus in Honorio, libro ſecundo) Vangiones deleti longa obſidione, &c. in epiſtola ad Gerontium, paulo ante finem. Item in epiſtola ſequenti ad Gaudentium inquit: In cineres ac fauillas ſacræ quondam eccleſiæ conciderunt. Gregorius Turonenſis dicit, Hunis Galliam uaſtantibus, urbem Metenſem captam ac incenſam, ipſosque ſacerdotes ante ſacra altaria trucidatos: libro ſecundo, capite ſexto.

Eccleſiæ etiam in Hiſpania ſuas expertæ ſunt calamitates & afflictiones. Nam Vandali circiter decimumſextum Honorij annum, Hiſpanias occuparunt: & cum alij eſſent Ariani, alij gentiles, catholicos ſuo more afflixerunt. Gundericum capta Hiſpali manum in Eccleſiam immiſiſſe, teſtis eſt Sigebertus. Is autem Thraſimundus cum eſſet Arianus, cupiebat totam prouinciam unius & eiuſdem ſecum in doctrina eſſe ſententiæ. magno ergo ſtudio Arianiſmum propagari curabat: idque ut maiori ſucceſſu procederet, adhibuit etiam tormenta, & omnis generis neces. Fuit autem puella quædam, non modò generis nobilitate, formæ præſtantia & diuitiarum opulentia, ſed omni integritate morum, pietate, timore Dei, uera fide & confeſsione illuſtris. Hæc in regis conſpectum producta, cum blanditijs ipſius benignè inuitaretur ad rebaptiſandum, ipſa infracto animo id recuſauit. Iubetur igitur ſpoliari omnibus ſuis facultatibus, ac ſi ne ſpe præſentis uitæ torqueri. Verùm cum nulla tyrannide ad abnegationem flecti poſſet, tandem ui quadam in lauacrum immergitur, in quo tamen clara uoce fidem ſuam proclamat: Patrem cum filio & ſpiritu ſancto unius credo & confiteor ſubſtantiæ eſſentiæque. hocq; uociferando, digno chriſmate lauacrum conſecrauit, uentris excrementis aquas inficiendo. Quo facto, eueſtigiò amplius quæſtionibus & torturis grauiſsimis ſubditur: ac poſt equuleos, flammas & ungulas, tandẽ capitis ſupplicio afficitur. Turonenſis libro ſecundo, capite ſecundo.

Porrò in iſtorum Imperatorum tempora incidere uidentur ea quæ Auguſtinus recitat de immanitate Donatiſtarũ, in hũc modum: Iam enim nos præuenerãt ex alijs locis quædam epiſcoporum querelæ grauiſſimę, qui mala fuerãt ab ipſis multa perpeſſi, & à ſuis ſedibus exturbati: præcipuè uerò horrenda & incredibilis cædes Maximiani epiſcopi catholici eccleſiæ Vagienſis effecit, ut noſtra legatio iam quid ageret non haberet. Supradictum quippe epiſcopum Vagienſem, quoniam apud ordinarium iudicem dicta inter partes ſententia, obtinuerat baſilicam, quam illi cum catholica eſſet inuaſerunt, ſtantem ad altare irruentes horrendo impetu & furore crudeli, fuſtibus & huiuſcemodi telis, lignis denique eiuſdem altaris effractis, immaniter cæciderunt. pugione etiam percuſſerunt in inguine: quo uulnere ſanguis effluens, eum exanimem redderet, niſi ei ad uitam maior ſæuitia eorum profuiſſet. Nam cum grauiter ſauciatum per terram inſuper traherent, exundanti uenæ puluis obſtruſus, ſanguinem obſtruxit, cuius effuſione ibat in mortem. Deinde cum ab eis tandem relictum, noſtri cum pſalmis auferre tentarent: illi ira ardentiore ſuccenſi, eum deportantium manibus abſtulerunt, malè multatis fugatisque catholicis, quos ingenti multitudine ſeparabant, & facilè ſæuiendo terrebant. Inde in quandam turrim leuatum, iam defeciſſe arbitrantes, cum ille adhuc uiueret, abiecerunt. Sed quodam molli aggere exceptus, & à quibuſdam nocte tranſeuntibus per lucernam conſpectus, agnitus atque collectus, & ad religioſam domum apportatus, adhibita magna cura, poſt multos dies cum ab illa deſperatione recreatus eſſet, occiſum eum tamen, fama ſcelere Donatiſtarum etiam trans mare nũciauerat. Quò poſteaquam uenit, & uita eius inopinatiſsima apparuit, cicatricibus ſuis tam multis, tam ingentibus, tam recentibus, non fruſtra famam mortuum ſe nunciaſſe monſtrauit.

Et rurſum paulo pòſt, hæc ſubijcit: Ex his ſunt, in quibus adhuc laboratur, in quo labore multi catholici, & maximè

episcopi & clerici, horrenda & dura perpessi sunt, quæ cõmemorare longum est: quando quorundam & oculi extincti sunt, & cuiusdam episcopi manus & lingua præcisa est, nonnulli etiam trucidati sunt. Taceo crudelissimas cædes, & domorum depræ-dationes, per nocturnas aggressiones & incendia, non solùm priuatorum habitaculorum, uerùm etiam Ecclesiarum: in quas flãmas nõ defuerũt qui & codices Dominicos mitterent. De fine huius persecutionis ibidem refert: quòd nimirũ in omnib. ijs locis, ubicũq; à flagitiosis istis hominibus talia in pios commissa sunt piacula, nõ decreuerit, sed magis creuerit Ecclesia: & plurimi ab impietatis schismatico errore reuocati, in unionẽ Christianam paulatim coaluerint & profecerint: idque inde factũ, quòd Deus dignatus fuerit donare seruos, quorũ sanguine oues mortifero errore dispersæ, in pacem salutis æternæ congregatæ sint. Epistola quinquagesima ad Bonifacium, uirũ militarem. De eadem persecutione, eorũdemq; ac Circumcellionum immanitate, prolixè quoq; in epistola sexagesimaoctaua ad Ianuarium: item libro tertio cõtra Cresconiũ Grammaticum. Extat præterea in Aphricani concilij actis sub Bonifacio papa cõmonitorium datum, ut apparet, legatis missis ex eodem Concilio ad Imperatores: in quo etiam quædam commemorat de crudelitate istorum hæreticorum.

DE TRANQVILLITATE.

QVanquam propter publicas tempestates, & Ecclesiasticorũ mutuas cõcertationes, & ꝑpter priuatorum quorundam tyrannides uariè sub his Imperatorib. ecclesia iactata sit, tamẽ interdum aliquam habuisse respirationem quibusdam in locis certũ est. Nam ipse Chrysostom⁹ sic scribit: Nunc quidem, gratia Dei, multa pace fruimur, & reges piè uiuunt, & principes uerita tem agnouerunt, & populi & ciuitates & gentes erroribus liberati, Christum omnes adorant: in sermone de Resurrectione. De ecclesijs in Occidente scribit Orosius, eas cum pio Imperatore (Honorio nimirum) & liberatas & uindicatas esse, extinctis Stilicone comite, eiusq; filio Eucherio: libro septimo, capite tricesimooctauo.

In Aphrica, propter Donatistarum hæresin, & Circumcellionum immanitatem, longo tempore status fuerat ecclesiarum turbulentissimus. is aliquanto quietior redditus est beneficio Honorij Imperatoris: cuius Imperiali mandato coerciti ac sopiti aliquo modo hæretici, & Ecclesiæ pax data est, ut scribit Paulus Diaconus libro decimoquarto. Eam porrò tranquillitatem fuisse per uniuersam Aphricam, donec apud Hipponẽ regiũ floruit Augustinus, Vrspergẽsis refert.

Ac ex ipso quoq; Augustino satis apparet, quædam Imperatorum proposita fuisse edicta, pro uerę Ecclesiæ tranquillitate & salute, cõtra hæreticos istius prouinciæ. Quod quidem ut rectè, piè & laudabiliter factum, ipse pluribus in locis magnopere commendat: & contra aduersariorum calumnias fortiter propugnat. Profuisse autem ea Imperatorum edicta ecclesijs Africanis, manifestè ostendit epistola quinquagesima ad Bonifacium, uirum militarẽ: item epistola sexagesimaoctaua ad Ianuarium.

DE PERSECVTIONE SVB THEODOSIO *Iuniore.*

THeodosius posterior prioris & nomẽ & pietatem referens, defuncto patruo Honorio, qui cum aliquot annos Imperiũ in Oriente administrauerat, solus Reipublicæ gubernationem obtinuit anno Christi quadringentesimo & uicesimoseptimo, ut habet Prosperi Chronicon: regnauitq; annos circiter triginta iuxta Prosperum, aut uigintiquinque iuxta Nauclerum genealogia decimaquinta: & Pauli Diaconi annotatio propè consentit, quam ponit libro decimoquarto: & Nicephori libro quarto, cap. quinquagesimooctauo. Regnauit autem Theodosius iste, annos circiter 42. aut tres. Iuo, anno Imperij sui quadragesimosecundo ipsum Constantinopoli diẽ obijsse narrat. Iornandes unum addit annum. Nicephorus in dicto loco prorsus cõuenit cum Iuone, hoc præterea adijciens, è uiuis eum excessisse sub annum Christi quadringentesimum sexagesimum, ætatis uerò quinquagesimumprimum. Iuxta Pauli Diaconi uerò assignationẽ sunt anni eius Imperij in uniuersum quadragintaocto. quẽ secutus Pomponius Lætus, eundem annorum numerum annotauit. Sed non est huius instituti, conciliare istam historicorum discrepantiam. De ipsius pietate ac uirtute breuiter dicemus. Instituit autem aulam suam ueluti scholam, in qua ad pietatem se suosq; exercuit, habens ordine distributa tempora lectionum, psalmorum, ieiuniorũ, imò & uigiliarum. Nam frequenter noctu sacrarum literarum lectioni uacasse scribitur: in quẽ usum op⁹ quoddam αὐτόματον habuit, lucernam suum sponte oleum infundentem. Cum ecclesię ministris crebrò congressus, de sacris Scripturis conferebat. In primis uerò in ipso cõmendatur studium, quod adhibuit in instruenda bibliotheca sacrorum librorum, eorundemque interpretum: qua laude non inferior fuit ipso quondam Ægyptiorum rege Ptolemæo. Sed & politicæ uirtutes non minus in ipso plurimùm commendantur, maximè beneficentia, tolerantia in ferendis laboribus

laboribus & moleſtijs, animi moderatio tãta, ut ipſum nũquam ira commotum fuiſſe tradant authores: neq; grauius unquam animaduertiſſe in eos, q ſibi iniuriã intuliſſent. Eius rei cauſam cum quidam ab eo quæſiuiſſent, reſpondiſſe ferunt: Vtinam & eos qui iamdudum mortui ſunt, in uitam reuocare poſſem. Immò clementia uſqueadeò excelluit, ut non defuerint qui eam grauiter reprehenderent, quòd nimirum ſæpius manifeſtorum criminum reos, & iam morti adiudicatos, dum ad ſupplicia educerentur, abſolueret & dimitteret. Pleriq; etiam uitio ei uerterunt, quòd negligentius Rempubli cã adminiſtraret, ita ut etiam literis ſæpius non lectis ſubſcriberet. Hanc rem indignè ſanè ferens etiam ſoror Pulcheria, tali conſilio in ipſo corrigere cupiebat. Curat cõſcribi literas, in quibus uxor ipſius Eudocia (quam mirificè deamabat) petita in ſeruitutem tradebatur. Eas nõ lectas cum ſubſcriptione confirmaſſet, paulo pòſt recitata ſcriptura, graui obiurgatione fratris oſcitãtiam confudit & correxit. De hiſce ſcribunt Socrates libro ſeptimo, capite uiceſimoſecundo: Theodoretus libro quinto, capite triceſimoſexto: Nicephorus libro decimoquarto, cap. tertio & ſequentibus: item uiceſimotertio capite eiuſdem libri.

DE PERSECVTIONE GENſerici in *Africa*.

QVis porrò Eccleſiarum ſtatus hunc Imperatorem exceperit, ex ſuperioribus facile eſt animaduertere, aliquantum nimirum turbulentior: in Oriente quidem, propter diuerſa Eccleſiaſticorum ſtudia erga eiectum Chryſoſtomum: quæ tam diu uiguerunt, quàm diu epiſcoporum Catalogo non inſcriptum fuit nomẽ Chryſoſtomi. in Occidẽte uerò, propter graſſantes hoſtiliter barbaricos exercitus. Africa autem Imperialium conſtitutionum beneficio uix paululũ è Donatiſtarum tumultibus conquieuerat: ecce ſuccedunt alia longè triſtiora, & quæ ſine multo gemitu recitari haudquaquam poſſunt. Vandali à præfecto prouinciæ Bonifacio accerſiti ex Hiſpanijs, Africam inuaſerant, duce Genſerico. Prouincia autem occupata, cum pars ipſorum gentiles, pars Ariani eſſent: & Genſericus Arianiſmũ, ut Proſper in Chronicis annotat, quàm latiſsimè propagare, maximè in ſuis prouincijs hortatu epiſcoporum ſuorum conaretur: omnia populationibus, rapinis & cædibus miſcent, ac horribiliter deformant uſqueadeò, ut nec innocenti ætati parcant, ſed à maternis uberibus raptos lactantes, partim terræ & ſaxis illidant, partim à naturali meatu in ſummum capitum uerticem medios diſſecent; templa, cœmiteria, & id genus alia incendijs abolent: perſonas Eccleſiaſticas primùm, auariciæ ſtimulis impulſi, grauiſsimis & inauditis tormentis aggreſsi ſunt, ut ſi quid auri uel argenti priuati uel eccleſiæ haberent, extorquerent. Quòd ſi quid traditum erat, partem reſeruatam arbitrantes, denuò ſupplicijs ſubijciebant, atque ita ſæpius tormenta iterabantur. Sin uerò nihil traderetur, idem fiebat, & tormenta ſubinde magis ac magis exaſperabantur, donec ſe aliquid tandem extorturos ſperarent. Quare alijs diſtracto ore, fœtidum cœnum faucibus ingerebant: nõnullos in frontibus & tibijs neruo adhibito, & eò uſque contorto dum ſonum ederet, cruciabant: pleriſque aquam marinam, alijs acetum, amurcam, liquamenque, & alia multa tetra in ora infundebant, ueluti in utres, quibus plurimi tandem extincti ſunt. Multis miniſtris Eccleſiæ, alijsque uiris illuſtribus, ceu camelis atque iumentis, ingentia onera imponebant, ſtimulisque ferreis ad faciendum iter compellebant. Quorum aliqui ſub ipſis ſarcinis concidentes, miſerabiliter animam exhalarunt. In his perſecutionis intijs perijt Pampinias, Vticenſis antiſtes, candentis ferri laminis toto corpore aduſtus: & Manſuetus Iuricitanus, in porta Formitana incenſus, ut eſt author Victor in Vandalica perſecutione libro primo. Cum autem Genſericus Carthagine, primaria eius regionis urbe potitus eſſet, præcipit ut ſuæ gentis homines paſſim eccleſijs ſuis uel nudos exigant epiſcopos, & alios rectè de Deo ſentientes, uirtutibusque & honoribus claros. Vnde factum, ut plurimi tam ex epiſcopis quàm alijs uiris genere & moribus uerè nobilibus, in ſeruitutem Vandalorum uenerint. Carthagini ſanè epiſcopus Quoduultdeus, cum maxima turba ſacerdotum fractis nauigijs imponebatur, & fluctibus committebatur. ijs eiectis, templa intra & extra mœniorum ambitum Vandali occupant, ſuisque impietatibus dicant. Proponuntur edicta regia, de ijs qui ſacros ordines haberent, in uniuerſum extirpandis: & ne quo modo piorum defuncta corpora, canticis, recepta ſolennitate, ſed cum ſilentio ſepeliantur. Dum hæc Carthagine geruntur, interea ex ijs prouinciæ partibus quas rex ſuis popularibus habitandas diſtribuerat, aliqui præcipui nominis miniſtri & doctores, qui remanſerant, egreſsi, regi ad littus Maxilitanum ſupplicãt, ut ablatis iam ſibi ſacris ædibus, & reb. tam eccleſiæ q̃ priuatis omnibus, ſaltem habitandi inter Vandalos facultas cõcedatur. Quibus rex fremẽs reſpõdit: Quæ nã uobis cõfidentia talia petere ſuaſit? De nomine & genere

genere ueſtro ego ne unum quidem ſuperſtitem eſſe patiar. Atque illicò in uicinũ mare proiectos, ſubmergi iuſsit omnes. Sed cum quidam eius amici interceſsiſſent, impetrarunt tandem, ut incolumes dimitterentur. Digreſsi autem magno cum animi mœrore & triſticia, ubicunque & quomodocunque poterant,res ſacras tamen peragere non intermittebant,quantumuis propter funeſta decreta nihil uſpiam loci relictum eſſet.Porrò etiam in alijs eccleſijs paſsim ſub Romano Imperio, pij & conſtantes doctores erant grauibus calũnijs & periculis expoſiti. Nam ſi quando materia poſtulante,Pharaonis, Nabuchodonoſoris, Holofernis, aut ſimilium tyrannorũ in ſuis concionibus mentionẽ feciſſent, ea in regis perſonã contumelioſè dicta accipiebantur:igitur protinus exilio multabantur. E` quibus diſertè nominãtur,Vrbanus Cirbenſis, Creſcens metropolitanus Aquitanæ ciuitatis, Habetdeus Tendelẽſis,Euſtratius Suffectanus, & Tripolitani duo Viciſſabratenus & Creconius Nicenſis: & Adrumetinæ ciuitatis Felix,eo quòd quẽdã monachũ tranſmarinũ hoſpitio excepiſſet, exilio affectus eſt. Neq; uerò licitũ erat,in eorum qui in exilio obierant loca alios ſubſtituere, ut paulatim deficientib. doctoribus, doctrinę quoq; puritas penitus interiret.Populus tamen miniſtris Eccleſię deſtitutus, nihilomin⁹ in ueritatis cõfeſsione perſeuerabat. Carthagini, cum diu ob edictũ regis caruiſſent epiſcopo, Valẽtinus Auguſtus pro eccleſia apud regẽ intercedit, ac impetrat poteſtatẽ aliũ creandi epiſcopum. Creatus aũt quidam nomine Deogratias,cuius pietas tanta extitit in captiuos,ut accẽſi Ariani,dolis quibuſdã eum quamprimùm tollere cogitarẽt:uerùm diuina gratia ipſius miſerante, placidè in Domino obdormiuit,cum triennio tantũ miniſterio functus eſſet. Habuit aũt ſucceſſorẽ Thomam uenerandũ ſenem,qui & ipſe blaſphemorũ iniurijs ac cõtumelijs expoſitus,indignis tractatus eſt modis,crebrisq; in faciem ictibus cæſus. Poſt huius obitũ,ut habet idẽ Victor,Zengitanę & procõſulari ꝓuincię,epiſcopis deinceps ordinãdis interdictũ eſt. Quorũ numerus cũ olim fuiſſet circiter 164. temporibus quo ſuã ſcripſit hiſtoriã Victor, ex tanto numero tres tantũ ſuperfuêre, ipſo etiã narrante.Ex quibus unũ Quintianũ dictum perſecutionẽ fugiſſe,& apud Edeſſam Macedoniæ exulẽ egiſſe, idem nominatim recitat. Nõ longo interuallo pòſt diabolico furore totus inflãmatus rex,extremũ exitium ijſdẽ Eccleſijs machinatur: mittit qui diripiant omnia ea quæ ad uſum miniſterij pertinebant, maximè uerò ſacros codices: ſperans ſe ſpoliatos ijs armis quib. cõtra hęreticorũ corruptelas fortiter pugnabant, facilius oppreſſurũ. Erat quidam Valerianus eccleſię ciuitatis Habenſſæ epiſcopus: is cũ totis uiribus dimicat ac reluctatur,ne ea traderet quæ erãt poſtulata, eijcitur ciuitate ſolus,& priuatus: omnibusq; ſeueriſsimè demãdatur,ne quis eum in agrũ ſuum,nedum in domum admittat. Quare multo tempore in publico ſub dio, & quidem nudus iacuit, annos habens ætatis amplius octoginta.

In quodam loco cui Reia nomen,cum alii qui ad Paſchalem feſtiuitatem agendã conueniſſent, & quoddam clauſum templũ aperuiſſent,Arianus presbyter congregatam armatorũ manum in eos accendit, qui hoſtiliter piam turbam inuadunt, miſeramq; ſtragem edũt,alios gladijs interficiendo, alios iaculis perimendo: in quibus lector quidã, dum pro cõſuetudine melos caneret, ictus cecidit. Ab illa clade qui euaſerãt, regio iuſſu alij pœnis paulatim attriti, omnes demũ necati ſunt,maturioris pręſertim ętatis.

In Tumirada Galbis uico, & alijs locis, tempore quo ſolent Sacramenta corporis & ſanguinis Chriſti adminiſtrari, maximo cum furore irruentes extremæ impietatis homines, ſacrum Domini uidelicet corpus & ſanguinem humi abiecta & diffuſa,ſordidiſsimis ſuis pedibus proculcare non ſunt ueriti. Præterea conſtituerat rex,authoribus ſuis Arianis epiſcopis, ne ulli hominũ, præter Ariani dogmatis ſectatoribus,in aula ſua, filiorumq;, ulla officiorũ adminiſtratio cõmendaretur: imò ne tolerarentur qui dem. Quibus igitur gloria Dei & ſuę animę ſalus pluris fuit, ut confeſsionẽ uera animi conſtãtia pręſtarent,ſumma crudelitate excepti ſunt. Poſt plurimos igitur ex aulicis qui ad abiurandã rectæ fidei confeſsionem crucitatib.infandis adigebãtur,peruentũ tãdem eſt ad Armogaſtẽ.eius cũ tibiæ tumentib.chordis grauiter cõſtrictæ torquerẽtur, fronsq; ipſa reſonantib.neruis uſq; adeò cõſtringeretur, ut ueluti in exarata terra ſulci, ita in ea craſſæ ac ingentes rugæ manifeſtè apparerẽt:ſanctus iſte martyr cœlum ſuſpiciens,ac tacitè ſe Chriſto cõmendãs : ecce de improuiſo, quaſi aranearũ fila, nerui crepantes,rũpuntur.Eo uiſo, tortores adhibitis recentiorib.& fortiorib.chordis,ijsq; caballinis, ſæpius repetunt torſiones: uerùm ipſo Chriſti nomẽ inuocãte, ipſorũ conatus fuerũt irriti.Imò cum altero pede, capite deorſum uergẽte ſuſpẽſus pẽderet, plurimis ceu ſuper lectũ mollibus plumis ſtratum, dormire uiſus eſt. Regis itaq; Genſerici filius Theoderychus, cuius ab officio fuerat Armogaſtes,cum uideret nullis eum quamuis grauiſsimis pœnis poſſe perimi, iubet eum capitis ſupplicio affici. Verùm hoc eius manda-

mandatum mutat ipſius presbyter Iocundus, aliud ſuggerens : poſſe eum diuerſis & lentis cruciatibus paulatim confici. Aliàs ſi gladio percutiatur, futurum ut Romani martyrem ipſum ſint celebraturi. Solutus ergo, mittitur in Bizagenam prouinciam, ad fodiẽdas ſcrobes. breui pòſt inde reuocatus, ad maiorem ignominiam, non ita ꝓcul à Carthagine, ut omnib. eſſet in conſpicuo, paſcẽdis uaccis præficitur. è qua functione paulo pòſt placida morte exemptus eſt.

Hunc ſequutus eſt archimimus quidam Maſculon nomine. Eum inſidijs plurimis iam crebrò petitum, ut ad fidem rectam abijciendam impelleretur, omiſsis grauioribus machinis, rex ipſe aggreditur benigna oratione: ſplendidis promiſsis blandè alliciens, ſi ſe ſuæ uoluntati non difficilem præberet. At ipſo in doctrina perſeuerante, rex fert ſententiam, ac condemnat eum palàm quidem capitis : occultè tamen percuſſori mandat, ut ſi in ipſo momento uibrati gladij aliquid formidinis perſenſurus eſſet in confeſſore, feriret modò: ſin autem nullum conſternati animi ſignum feriendus ederet, tum gladium inhiberet à feriendo, ne ipſum martyrij gloria illuſtrem redderet. Chriſto igitur robur ipſi largiente, cõfeſſor euaſit præclarus.

His non fuit inferior & Saturus, domus Hunerici procurator. is Arianorum prauitatem nunquam redarguere ceſſabat. Accuſatore igitur quodam diacono Marinado, quem Hunericus ſacrilegus ſingulari honore complectebatur, uocatur Saturus : utque Arianus fiat poſtulatur. promittuntur honores, opum ac diuitiarum magnæ copiæ, ſi aſſentiretur. apparantur autem ſupplicia horrenda & dira, ſi aduerſaretur. Hæc igitur cõditio prẽmittitur, ſi regalibus iuſsis minus futurus eſſet obediẽs, eum ad primã ſtatim recuſationem domum ſuam cũ rerũ omniũ ſubſtantia amiſſurũ eſſe: mancipijsq; omnibus, ac filijs quoq; diſtractis, uxorem eius ipſo coràm camelario in matrimonium cõiungendam. Cum autem confeſsionem ueritatis pluris faceret, quàm omnia ſua cõmoda aut damna: uxor adductis communib. liberis, ad genua mariti aduoluitur, perq; omnia ſacra rogat, obſecrat & obteſtatur, miſereatur ſui, & pendentis à lacte matris filiolę, & reliquorũ coniugij pignorũ : neu cõmittat, ut quos generis nobilitas reddiderit claros, ſeruili cõditioni ſubijciantur : nõ patiatur, ut ſe uiuo, indigno & turpi matrimonio ſerui copuletur : Deũ haud dubiè reſpecturum, quòd inuitus & ualde grauatim faciat ipſe, quod pleriq; feciſſent uoluntarij. Sed ipſe ex Iob ei reſpondet: Tanquã una ex inſipientibus mulieribus loqueris. Reformidarem iſta mulier, ſi tantum huius uitæ dulcedo eſſet futura amara, in amiſsione earum rerũ. Imò ſi tu uerè diligeres maritũ, nunquã tu eum tuis inſidioſis blanditijs in ſecũdæ mortis exitium præcipitare conareris. Age diſtrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates. Ego Domini promiſsionum planè ſecurus, uerba in mente fixa tenebo : Si quis non reliquerit uxorem, liberos, agrum aut domum, meus non poterit eſſe diſcipulus. Vxor mariti pijs rationibus refutata, diſcedit. Saturus ſpoliatus omnibus, & plurimis pœnis debilitatus, mendicus demum relinquitur.

His Proſper in Chronico annumerat Arcadium, Probum, Paſchaſium, Eutychium, qui cum Genſericho mandãti, ut Arianã hæreſin amplecterentur, non obtemperaſſent, primùm proſcripti, deinde in exilium acti, tum atrociſsimis ſupplicijs cruciati, poſtremò diuerſis necibus interempti ſunt.

Paulillum quoq; puerum, fratrem Paſchaſij & Eutychij, propter regiam indolem & formæ uenuſtam elegantiam rex habebat acceptiſsimum. Sed quoniam à profeſsione rectę fidei nullis uel illecebris uel minis etiam ipſe retrahi poſſet, diu multum q; fuſtibus affectũ, tandem ad ignominoſam ſeruituté damnat. Proſper, Theodoſij anno 14.

Cum autem aulam ſuam inſtinctu Arianorum ad hũc modũ à uerę pietatis confeſſorib. quaſi exoneraſſet, ut ipſe iudicabat, Carthaginenſem eccleſiã denuò claudi iuſſit. Vnde factũ, ut & uerę eccleſiæ cœtus uariè diſsiparentur, cum epiſcopũ non haberent, cõueniendiq; loca nulla permitterentur. Diuerſi itaq; ad diuerſa exiliorũ loca ꝓfecti, uix demũ ſub Imperatore Zenone reuerſi ſunt Carthaginem ab exilijs: ſicuti cõmemorat Victor libro primo.

Atq; talia perſecutionum rudimenta ſuis hæredibus Genſericus reliquit, quę uſq; ad annum regni ſui 38. horrenda crudelitate exercuit. Quem quidem ſucceſſores propemodum ſuperarunt. Etſi autem Africa potiſſimùm huic tam horrẽdæ tempeſtati obnoxia fuit, tamẽ apparet ex Victoris lib. 1. fine, nec alias ꝓuincias prorſus in tuto fuiſſe. Meminerunt huius perſecutionis & alij ſcriptores, ut Paulus Diaconus, Bergomẽſis, Sabellicus, Sigebertus, & Faſciculi (uti uocãtur) temporum.

DE PERSECVTIONE IVDAEORVM *Alexandriæ in Chriſtianos.*

CVm aliquãdo præfectus urbis Alexandrinæ (cuius populus, ſi quis alius uſpiã, ad ſeditiones & motus cõcitãdos maximè fuit ꝓpenſus) Oreſtes, ciuiles quaſdã leges & conſtitutiones populo proponeret in theatro, ubi multitudo ꝓmiſcua tam ex

Iudæis

Iudæis quàm Christianis confluxerat: aderat unà etiam quidam eius urbis scholæ rector, nomine Hierax, qui totus ab Alexandrino episcopo Cyrillo pendebat, eiusque doctrinæ sectator erat studiosissimus. Eum ubi primùm Iudæi conspexêre, statim exclamant: hunc unum & solum hominem esse, cuius peculiare hoc sit studium, ut utrumq; populum subinde inter se committat: nec iam quoq; alia de causa interesse, quàm ut tumultum aliquem excitet. Magno ergo in ipsum impetu facto, cõprehendunt, & præfecto sistunt. Præfectus, quòd aliàs episcoporum potentiam exosam habebat: tum uerò omnium maximè Cyrilli, quem putabat suis politicis legib. obsistere: & iam Hieracẽ eo nomine ablegatũ, execrabatur. Quamobrẽ arreptũ Hieracẽ, flagris cęsum grauiter affligit. Eo autem cognito, Cyrillus Iudaici populi primores ad se accersit, eosque seriò dehortatur, ut populum in Christianos concitare iam tandem desistant: addens postremò & minas, si minus parituri essent. Ijs auditis, Iudæi magis etiam irritati sunt, & maiori furore Christianis exitium struunt. occulto itaq; consilio inito, noctu in Christianos impetum faciunt, cum impostura tali domibus suis illos exciuissent. Subornarant quosdam, qui per urbis plateas discurrentes clamabant, ecclesiam Alexandri dictam ardere. Ad hanc uocẽ Christiani passim ad seruandum illud templum accurrentes, in Iudæos ex insidijs prosilientes incidunt, ab ijsque magna crudelitate trucidantur: cum ipsi Iudæi sese mutuò nossent, circulo ex cortice furculi palmæ facto. Exorta luce fraus patefacta est: nec scelerum authores latuerunt, qui mox & ipsi simili fortuna excepti pœnas dederunt: ut narrat Socrates lib. 7. cap. 13. meminit & Nicephorus lib. 14. capite decimoquarto.

In alio quodam loco inter Chalcidem & Antiochiam Syriæ, quæ est ad Orontem, Iudęi ludicris quibusdam sese oblectabant: & bene poti, iam etiam in Christum, & qui in ipsum spem haberent, blasphemias, conuicia & opprobria accumulabant, sine modo & fine. eoq; furoris progressi sunt, ut in maius ludibriũ crucis, etiam ipsi lignũ quoddam ad eam formam erigerent, de qua apprehensum Christianum puerum suspendunt: eiq; iam pendenti, primùm quidẽ miris modis illudunt: postea uerò uerberibus concîdunt tam furenter, ut inter plagas expiraret. Verùm nec ipsi impunè hoc habuerunt, idq; seuero Imperatoris edicto, ut infrà dicetur. Hęc etiam refert Socrates eodem libro, capite decimosexto. Eadem narrat & Nicephorus suprà prædicto libro, capite decimosexto.

PERSECVTIO IN PERSIA.

DE persecutione in Persia sub Isdigerde cœpta, secundum Theodoreti lententiam, (licet Socrates libro septimo, capite decimooctauo planè neget, Isdigerdem Christianos persequutum esse) & per filiũ eius & successores triginta annos continuata, superiore libro dicere incœpimus, & postulat ordo ut nunc reliqua attexamus.

Inter plurimos autem qui aut glorioso martyrio occubuere, aut aliàs illustri confessione laudem meruere, pauci quidem recensentur. Primus est Hormisda Persa aulicus, & tam confessione illustris quàm genere nobilis. Huius in pietate & constantia uerè frater fuit Saenes, & ipse aulicus, ac homo militaris: nec minus fortibus gestis clarus, quàm cõfessione insignis, Iacobum, ipsum etiam Persam, & ex regis familiaribus, obscurum quidem reddiderat, quòd in regis gratiam desciuisset. Verùm eundem clarum rursum reddidit, quòd matura pœnitentia reuersus, in martyrio oppetijt. His annumeratur diaconus Beniamin, insigni & nouo martyrij genere peremptus. Authores sunt Theodoretus libro quinto, capite tricesimonono: Nicephorus libro 14. capite decimonono & uicesimo.

Cum autem piorum fides & constantia ista tam diuturna afflictione satis esset probata, Deus ecclesiæ suæ curam gerẽs, in hũc mundum halcyonia ei parauit. Christiani quidam è Persia sese ad Romanos contulerũt, Ecclesiarumq; in Persia miseram conditionem commemorantes, auxilium implorãt: quos etiam in suam tutelam recepêre Romani. Cum primis autem Constantinopolitanus episcopus Atticus, cognito Persicæ ecclesię tam lamentabili statu, strenuus hortator ac impulsor fuit Theodosio Imperatori, ad ferendam opem miserè adfectis in Persia ecclesijs. Qui in eam curam statim etiã totus incubuit, quomodo in tempore succurreret, & tanta tyrannide oppressos liberaret. Ac certè omni celebratione dignũ est, quòd cum rex Persiæ statim missis legatis repeteret istos perfugas, non tantũ non reddiderint eos, sed etiam magna seueritate uno ore & animo sese obtulerint, ad ferendũ quę Deus tyrãno permitteret, potius quàm fidei & religionis cõsortes carnificibus reddere. Persæ id indignè ferentes, Romanos quos possunt capiunt, & damnant ad fodinas auri, & negociatorum merces & bona diripiunt contra fidem & fœdera inita. Imperator ergo tum ad suorum defensionem, tum ad ecclesiarum Persicarum liberationẽ bellum mouet. Persæ etiam sua capiunt arma, & parant sese ad conflictus. Ac ut Romanis essent superiores, adhibent etiam auxiliarem

liarem militem, Saracenorum multas myriades: qui cum temerè suæ multitudini fiderent, panico quodam & inani timore ilicò correpti, sibi ipsis fuerunt exitio. Postea & Persæ uno atq; altero prælio cæsi & attriti sunt, ita ut illi ipsi qui Immortales apud ipsos dicebantur, interierint. Quanquã autem Imperator uictoria hac illustrissima potitus esset, & Persarum uires & potẽtia omnis fracta: tamẽ propter ecclesiarum in Persia tranquillitatem, ultrò ad pacẽ cum Persa faciendam sese offert. Qua inita, & bello ipsi, quod potissimum propter Ecclesiam motum fuerat, finis impositus, & simul cum bello etiam persecutio conquieuit. Socrates libro septimo, capitibus decimooctauo & uicesimo: Nicephorus libro decimoquarto, capite uicesimoprimo.

DE TVRBIS IN CONstantinopolitana & alijs uicinis Ecclesijs.

ETiam sub hoc Imperatore Constãtinopolitana & uicinæ aliquot Ecclesiæ, perturbatæ & afflictæ sunt. Nã Chrysaphius eunuchus, inter cubicularios Imperatoris primas tenẽs, Flauiano infensus erat, quòd præter suam uoluntatẽ esset episcopus designatus: & quòd in synodo Eutychen, cuius errorem ipse amplectebatur, damnasset. captabat ergo occasionem, eum de officio deijciendi: quam nactus est huiusmodi. Eutyches impetrat, ut Imperator cogi iubeat synodum. in ea autem cum denuò eius hæresis damnata esset, Chrysaphius apud Imperatorẽ pro eo intercedit: efficitq;, ut Imperatoris edictis frequens alia synodus in urbe Epheso eligatur, in qua rerum omnium summa, & ferendæ sententiæ ius commissum fuit uni Dioscoro Alexandrino episcopo, homini impio, quem iam antea ad hoc ipsum subornatum corruperat Chrysaphius: cæteris patribus, qui prioribus interfuerant Synodis, dicendæ sententiæ facultate priuatis, sub hoc prætextu, quòd de ipsorum iam lata sententia faciendum esset iudicium. Causa itaq; in cognitionem & consultationem proposita, pro Eutychete pronunciat Dioscorus, inuitis optimis quibusq;, & sanioribus: inter quos fuerunt Romani Pontificis Leonis legati. qui ideo statim è synodo discesserunt, quòd sui domini literas ad Synodum datas reiecisset Dioscorus, & unum pro libidine cũcta agere uiderent. Restituitur ergo in integrũ Eutyches. Flauianus nõ tantum depositus damnatur, uerùm etiam turbulentis impulsionibus, & pedum quoq; conculcationibus è synodo uiolenter eijcitur à Dioscori & Chrysaphij factione, coacta ex monachorum turba. & ex ea cõcussione tertio die ille obijt, in cuius demortuum corpus insiluit etiam Dioscorus calcibus: Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimoseptimo. Imò capite quadragesimonono: Legati reuersi Romano episcopo inter cętera expresse narrant, Flauianum necatum. Idem quoq; disertè dicit semel atq; iterum Dorylæus episcopus Eusebius, apud Euagrium libro secundo, capite secundo & quarto, ubi huius historiæ fit mentio. Extat etiam in Conciliorum tomo primo, actione tertia Chalcedonẽsis concilij, edictũ Imperatoris Theodosij iunioris aduersum hæreticos & Nestorium pro Eutyche, & alios, quibus accensetur etiã Flauianus. Et Barsumas quidam archimandrita præcipuus, author necis Flauiani, profertur in actione quarta eiusdem concilij, in epistola Archimandritarum ad Martianum: omnem quoque Syriam euertisse, ut idem narrat ibidem. Non solùm autem ipse Flauianus miserè peremptus est, sed & plurimi alij, quotquot causæ eius uel coniuncti, uel quoquo modo tantum fauere uidebãtur. nam ex epistola Pulcherię Augustæ ad Leonem pontificem Romanum, quæ actionibus Chalcedonẽsis concilij inserta est, liquet, multos ex ecclesijs pios pastores excussos, in exilium fuisse propterea deportatos, quorũ ipsa ab Imperatore iam reuocatos disertè meminit, optatq; ut communi concilij sententia suis ecclesijs ipsi reddantur. Nominatim etiam Basilius Seleuciæ Isaurię episcopus, in Chalcedonẽsi concilio in facie ipsi Dioscoro suam exprobrat tyrannidem, in se & alios admissam: ac grauiter ipsum propterea apud patres accusat, quòd militum armis & monachorum caterua, & propriæ linguæ uiolentia ipsos oppresserit: & multa in ipsius gratiam ui, nolentes dicere & facere, coegerit. Similiter fit etiam ab Athanasio presbytero Alexandrino, & Theodoro & Ischyrione diaconis eiusdem Ecclesiæ, qui singuli suos synodo offerentes libellos, acerbissimè ipsum accusant, & quasi in speciem (Ischyrion præsertim) tyrannidem ipsius ac impietatis scelera enumerant, neminem fuisse commemorantes, qui ipsius tyrannidis propemodum fuerit expers, & crudelitatis. Aliquorum namq; uastata prædia excisione arborum, aliorum domos destructas, alios in exilium pulsos, alios multatione uexatos pecuniarum, imò & homicidia perpetrata fuisse per occasionem. Cyrilli, cui ipse in ministerio successerat, non modò parentes, sed etiam familiares ipsius, urbe exigere, & uita etiam priuare conatum Dioscorum, recitat Theodorus. Athanasius refert, se Alexandria ab ipso pulsum, Constantinopolim cum matertera, fratre & filijs atq; uxore fratris concessisse,

fisse,ut ibi ueluti in tuto aliquid pręsidij aduersus Dioscorum consequerentur: uerùm ipsos è Charybdi in Scyllam incidisse. Nam ibi à Chrysaphio & Dioscori factioni coniunctis apprehensos, mancipatos custodię, uarijsq; pœnis affectos: quibus ferendis cum frater, quem Paulum nominat, nõ fuerit par, excesserit uita: se uerò cum reliquo comitatu tantis pecuniarum exactionibus grauatos, ut cùm ad extremam inopiam fuissent redacti, tantum æris à fœneratoribus tamẽ cogere fuerint coacti, ut nunquã possent esse soluendo. Ischyrion præter alia addit, eum uitæ suæ insidias struere nunquam intermisisse, sed diuina protectione ipsius manus semper euasisse. Cõmemorant præterea nonnullos sui furoris comministros, Harpocrationem, Petrum & Isidorum diaconos, item Menaden presbyterũ. Sophronius quidam & ipse accusatorium offerens libellum, Dioscoro grauẽ iniuriarum actionem intendit, quòd uariè ipse quoq; ab eo fuisset læsus, & præsertim spoliatus omnibus facultatibus, fraude & uarijs deceptionibus ad paupertatem & miserias demum redactus, imò uix necem effugerit. Cumq; quidam Macarius Alexandrinæ ciuitatis curialis, rapuisset ei uxorem, ipseq; de iniuria apud Imperatores eorundemq; præfectos conquestus esset, & ex aula nactus fuisset non mandata duntaxat, quæ seriò iubebant reum ad cognitionem causæ in iudicio actori sistendum: sed & cõmissarium, ut hodie uocant, cui causę cognitio delegata erat, uirum amplissimũ, quem Theodorum dicit, reuersiq; Alexandriam cupere̅t rem executioni dare: ibi Dioscorus pro sui animi superbia insurgens, neq; Imperatorum mandata magnifaciens, imò despiciens, & suam, non Imperatorum eam esse prouinciam asserens, actionẽ omnem peruertit: insuper etiam suæ impietatis ministrum, Isidorum diaconum, cum aliqua latronum manu in ipsius Sophronij necem subornat, quam tamen amico quodã nunciante effugit, sed exutus uniuersis quas possidebat facultatib. in primo tomo Conciliorum, in tertia actione concilij Chalcedonensis.

In Ephesina synodo prima, iussu huius Theodosij Imperatoris coacta, ob Nestorij hæreticam opinionem, ortum disidiũ & schisma inter episcopos Alexandrinum & Antiochenum, ut suo loco dicetur, plurimarum Ecclesiæ afflictionum causa fuit: ut patet ex fragmẽto epistolæ Ibæ Edessẽi episcopi, q̃ in decima Chalcedonẽsis cõcilij actione insertũ est. Inquit enim: Episcopi cõtra episcopos contentionibus insurrexerũt, populi aduersum populos. Non quiescebãt etiam pagani, sed nec hæretici, ueritati detrahentes. Non erat præterea tutum de ciuitate in ciuitatem, de prouincia in prouinciã peregrè abire. ueluti enim inimicum unusquisq; proximum suum persequebatur: plurimi Deum nõ timentes, & occultas in pectore simultates alentes, sub prætextu zeli Ecclesiastici se ipsos ulciscebantur.

DE ATTILA.

SVb Theodosio Attila cum uastaret utrũque Imperium, non parum etiam passim turbauit Ecclesias. Narrant enim scriptores, sub ista Hunorum per terras discursatione, apud Coloniã Agrippinam nouies mille uirgines martyrio coronatas. Beatum quoq; Nicasiũ Remensem episcopum, unà cum sorore Eutropia (ut habet Sigibertus, licet sub initium Martiani referat) martyrij decus retulisse. Refert & Ottho Phrysingensis libro quarto, capite uicesimooctauo: & Antoninus titulo undecimo, capite octauo. Nauclerus generatione decimasexta dicit, esse qui prædictarum uirginũ martyrium ponant sub annum Domini ducentesimum decimumoctauum. Ac mirum haud immeritò uideri possit, num hæ sanctæ martyres sint eædem cum ijs quæ in comitatu S. Vrsulæ fuerunt: quę undecies mille fuisse, & itidem apud Coloniã ab Hunis sub Attila interfectæ scribuntur à Bergomensi & Sigiberto. Quod ipsum tamen uterque sub Martiani Imperatoris initium commemorat. Idem Sigibertus narrat, etiam Metensem episcopum Auctorem captũ quidem fuisse ab Hunis, uerùm cæcitate ipsis percussis subita, eum cum alijs ciuibus dilapsum.

DE TRANQVILLITATE
sub Martiano Imperatore.

MArtianum Thracem genere, & militaribus studijs iam inde à primis annis deditum, diuinitùs ac singulari Dei consilio uocari ad Imperij maiestatem, tum ipse Imperator Theodosius uisione monitus, Pulcheriæ sorori Augustæ iam moriturus aperit: tum etiam multa ostenta, quæ ipsi Martiano in uita sua acciderunt, portenderunt: ut narrant Euagrius libro secundo, capite primo: Nicephorus libro decimoquarto, capite ultimo: & libro decimoquinto, capite primo. Iam ergo Theodosio ex lapsu equi grauiore mortuo, & nondũ sepulto, ilicò Pulcheria Augusta Martiano tribunicio Imperij sceptra offert his conditionibus: si prius det fidem, eamq; præstito iuramento confirmet, quòd suæ uitæ, protestati, ac maximè pudicitię minimè insidiari, sed hæc omnia salua ac integra conseruare uelit. Quo facto, opera Pulcheriæ conuocato senatu renunciatur Imperator Martianus,

tianus, anno Christi quadringẽtesimo quinquagesimotertio, iuxta Palmerij Chronicon: seu sexagesimo supra quadringentesimũ, ut numerat Nicephorus decimoquarto libro, capite ultimo. Fuit autem ex æquo studiosissimus pietatis & iusticiæ. & quod omnium maximè laudandum in principe Christiano, cùm incidisset in eum Reipublicæ Christianæ statum, qui erat turbulentissimus, in politia quidem propter palantes barbaricarum gentium exercitus, in Ecclesia propter paulo antè enatam sub Theodosio Eutychetis hæresin, nihil habuit prius quàm ut utriq; malo conuenienti remedio oppositio, Rempub. & Ecclesiam pacatã & trãquillã redderet. Vt de politicis taceam⁹, de quib. tamẽ Nicephorus non dubitat affirmare, sub hoc Imperatore tã altam fuisse in Romana ditione pacẽ, ut aurea tum fuisse secula existimata sint: de Ecclesia quædã referamus. Cum priores turbę, quę ꝓpter Chrysostomum exortæ, plurimorum animos & uoluntates distraxerant, nondum plenè cõquieuissent, alia dissidiorum & ingentium motuum fomenta diabolo disseminatore sparsa fuerant: nempe blasphemę Eutychetis de filio Dei opiniones, quæ & in ipso initio ecclesias diuulserant, multo tamen magis sequentibus temporibus maximos tumultus excitarunt. Huic summo malo, ac iam primùm serpere incipiẽti, occurrere in tempore cogitabat Princeps, priusquã per longiorem moram inualescens, ingentem Ecclesię ruinã traheret. De animo Imperatoris, uerba hæc Eusebij Nicomediensis in literis ad Imperatores Valentinianum & hũc Martianum testantur: Deus uobis imperiũ, ut omnes gubernentur ad salutem orbis terrarum, & pacem sanctarum ecclesiarum, iustè donauit: quapropter ante omnia, & per omnia, pro orthodoxæ & saluberrimę fidei dogmatibus cogitate, tam hæreticorum fremitus extinguentes, quàm pia ad lucem dogmata deducẽtes: in primo tomo Conciliorum, actione decimatertia Chalcedonẽsis concilij. Quare ut quod unicè expetebat Imperator, rectè instituerẽt, & res salutari successu procederet, uniuersalem illam & maximè celebrẽ synodũ Chalcedone Bithyniæ congregari curat, ubi ipse etiam actionibus non aliter atq; olim magnus Constãtin⁹ interest: id quod cõmemorat Euagrius lib. secundo, cap. quarto: & Nicephorus lib. decimoquinto, capite septimo. Potuisset autẽ rebus ecclesiasticis amplius prodesse, si Deus ei uitam longiorem concessisset. Septennium enim uix imperio præfuit, ut annotat Euagrius libro secũdo, capite octauo: & Nicephorus libro decimoquinto, capite eodẽ. Paulus Diaconus libro decimoquarto, Constantinopoli obijsse eum scribit, anno sexto & semestri completo.

DE PERSECVTIONE *in Palæstina.*

VVt autem scribat Nicephorus, aurea fuisse secula Martiani temporibus: tamen res ipsa indicat, nõ ab omni parte ueritatem felicem & tranquillam fuisse. Nam in Ecclesia uel ipsa Chalcedonensis synodus quantas tragœdias dederit, ex hoc ipso authore est manifestũ. in Hierosolymorũ certè & alijs Palęstinæ ecclesijs, non leues motus excitati sunt, authoribus monachis, qui Chalcedonensi synodo interfuerant: sed diuersę ab eius synodi decretis sententię erãt. Hi passim circumcurrentes, magnis clamoribus criminabãtur, Chalcedone fidem esse proditam: & quasi Ecclesiæ uicem dolẽtes, totum monasticum ordinem commouere studebant, ad retractanda istius synodi acta. Ad eam rem utebantur strenuo duce Theodosio monacho, homine improbo & astuto, qui non tantùm sui ordinis collegiorũ omniũ studia habebat, sed etiã mortui Theodosij coniugem Eudociam, eo tempore Hierosolymis adhuc existentem, ad suas partes pertraxerat. Vbi autem & Iuuenalis Hierosolymorum episcopus è synodo domum reuersus fuisset, ipsum frequentibus cœtibus & magna uiolentia adoriuntur, coguntq́ue ut synodi statuta aboleat, & anathemate feriat. Id quia graue sibi futurum erat, nec cũ pietate præstari poterat, cedit ad tempus ipsorum furori, seq́; Constantinopolim recipit. Quo animaduerso, Theodosius neutiquam eam temporis opportunitatẽ neglexit. Adiutoribus itaq; omnibus quorum fauorem conciliatum habebat, qui synodi constitutionibus parum erãt propitij: nonnullis & in gratiam Eudociæ, ipsi suas operas conferentibus, episcopatum Hierosolymitanum occupat more prædonis: statimq́; sua abutens potestate, ad eas ecclesias, quarũ adhuc in synodo aberãt episcopi, illis depositis, alios à se electos misit: sed & uniuersas Palęstinæ urbes, circumerrans quasi uisitator, ad episcopos sibi legendos cogit, tyrannidemq́; magnam ubiq; exercet, maximè in eos qui suis conatibus aduersari uidebantur. Seuerianum quendam Scythopolis episcopum, quòd maliciæ ipsius suffragator esse nollet, exactum oppido interemit. Eandem fortunam subijt etiam Athanasius quidã, Ecclesiæ Hierosolymorum minister. is enim magna libertate & robore, spiritus istius sanguinarij episcopi impios & tyrannicos ausus, palàm & in publico arguere, insectari & reprehendere, nõ metuebat: sed & facta apostrophe, ipsum coràm cõpellauit: Nunquid tandem Theodosi aliquando cessabis

sabis cædes committere? nunquid Christo bellum inferre demũ desistes? nunquid gregem ipsius ex ouili Ecclesię exigere desines? Nam quòd te sperem erga uerum & germanum pastorem beneuolẽtiam inducturum, nihil est. Talia ubi dixisset, mox à satelliti bus Theodosij è templo abreptus est, & magna petulantia insolentissimè excruciatus, flagrisq; plurimùm cæsus: quæ ille omnia patientissimo animo propter Christum sustinuit, tandem etiam ceruicem feriendam præbuit. Cuius cadauer pedibus per urbem tractum, postea canibus ut esca esset, abiectũ est. Talem se præbuit etiam erga quosuis, qui ipsi communicare nolebant, aut aliàs re sistebant, aliquos cruciatibus perimens, aliquibus facultates adimens, aliorũ ædib. flãmam inijciens, ut urbs Hierosolyma ueluti ab hostibus capta esse uideretur. Et erat certè hostis minimè contemnẽdus, ut qui non tantũ facultates & corpora, sed ipsam quoque animam exitio dabat. Has uerò Ecclesiarum Palæstinæ, maximè uerò Hierosolymorum ærumnas, ubi Imperator cognouit, per præfectum prouinciæ Dorotheum, eas à tyrannide istius facinorosi hominis liberat, legitimo episcopo restituto, & multis ex ipsius sodalitio punitis: dux tamen ipse, quẽ uel in primis comprehendi, ac sibi uinctum adduci iusserat Imperator, fuga elapsus est. Nicephorus li. 15. cap. 9. Recitat & Euagrius quædã de hoc Palæstinæ motu, lib. 2. cap. 5.

DE PERSECVTIONE Alexandriæ Aegypti.

EOdem modo & in Alexãdria Aegypti, Ecclesiæ exortus est tumultus, propter Dioscorum, Chalcedonensis synodi decreto in exilium deportatum: & propter Proterium subrogatum. quem pars quædam omnino cùm repudiaret, Magistratus pro officio turbatores ui reprimere uolebat. Verùm à sęuiente multitudine superati, & in ethnicum quoddam fanum Isidi olim dicatum compulsi, iniecto igne, incendio perduntur omnes. Ab hisce tamen seditiosis, Imperator statim, missis aliquot militum cohortibus, dignas tantis furoribus pœnas sumpsit. idem Euagrius ibidem. Et sic quidem fuit coercita ad tẽpus istorum scelerata proteruitas: uerùm non fuit diuturna. statim enim oblata occasione, morte huius Imperatoris ad insaniam redierunt, ut dicetur.

SVB LEONE IMperatore.

LEonem Imperatorem non minori solli citudine, quàm Martianum, ecclesiarum curam gessisse, & singularem patronũ fuisse, ex ijs planum fiet quæ mox sumus dicturi. Nam Besica familia ortus, ex tribuno militum factus est Imperator, studio & potentia Asparis & Ardaburij patriciorum, & Arianæ fidei addictorum, ut Iornandes habet de successione regnorum: anno Christi quadringentesimo sexagesimo, ut Palmerij Chronicon numerat. Quibus, iuxta Nicephorum, anni septem, aut octo potius addẽdi sunt. Nam Leonem anno Christi quadringentesimo octogesimoquinto, & uitam simul & imperium, postquam illud septendecim annis gubernasset deposuisse, scribit libro decimoquinto, capite uicesimonono. Leo itaq; ut primùm Imperij insignia accepit, statim ostendit quid animi haberet erga Ecclesiam. Nam cum essent ecclesiæ rursum turbatę propter Chalcedonẽsem synodum sub Martiano celebratam, quòd eius decreta nonnullę Ecclesiæ obseruare graue ducerent, & inde cõtentiones & cędes exortę essent, in id solum omnes animi curas intendit, quónam modo, quibusúe rationibus posset Ecclesiæ consuli, & firmus in doctrina consensus aliquando restitui, ut ex literis ipsius Encyclicis manifestũ est: quarum exemplum ponit Euagrius libro secundo, cap. 9. itẽ Niceph. lib. 15. cap. 18. Ac fuisse aliàs quoque amantiorem pacis quàm belli, magisq; delectatum doctorum conuersationibus quàm hominum militarium, ex dicto apparet, quod ex Suida referũt quidã. Nam ad unum ex suis Eunuchis, qui quòd philosopho Eulogio frumentariam tesseram dare iusserat, reprehẽdens dixerat, militibus potius dandam fuisse eiusmodi largitionẽ, respondisse dicitur: Vtinam is sit temporum meorum status, ut mihi liceat stipẽdia militum in literarum magistros conferre.

DE PERSECVTIONE Alexandrina.

ALexandrini seditiosi illi, & Dioscoro addicti (ut Liberatus capite decimoquinto habet) Imperatoris Martiani imperio paulo antè, ut diximus, repressi, & ob de signata aduersum urbanum magistratũ scelera grauiter puniti, ubi de Imperatoris morte compererunt, statim ad priorem rabiem reuersi, iterum suum episcopum Proterium affligunt: ac ipso reiecto, Timotheum quendam cognomento Aelurum substituunt, ea occasione utentes, quòd Imperator mortuus, & Orientis præfectus in interioris Aegypti partibus longius abesset. Et paulo pòst etiam mortem ei intentãt, eamq; crudelissimam. Nam cum ad baptisteriũ cõfugisset, eum insecuti ferro transfodiunt, & cadauer eius fune suspensum per publicum trahũt, uociferantes, & quasi triumphum canẽtes, Proterium trucidatum esse. postea igni iectũ cremant, & cinerem in uentos dispergunt, uiscera ipsius tamen prius cruda degustant. Præterea sex alios eadem immanitate in

te in odium Proterij rapiunt, & interficiũt. Hæc referunt Euagrius libro secundo, capite octauo: & Nicephorꝰ libro decimoquinto, capite decimosexto. De ista crudelitate episcopi Aegyptij & clerus Alexãdrinus literis ad Imperatorem Leonem datis, graiter sunt conquesti: quarũ fragmenta quędam in Euagrio extant, in hunc modum.

Pio ac Christi amanti, & à Deo inaugurato uictori, triumphatori & Augusto Leoni, supplicatio, ab episcopis omnibus Aegyptiacæ nostræ diœceseos, & clericis maximæ uestræ & sanctissimæ Alexandrinorum ecclesiæ. Ex superna gratia, ut donũ quoddam præsenti uitę concessa, haud immeritò non desinis quotidie post Deum prouidere Rei publicæ, pientissime omniũ Imperatorum Auguste. Et post pauca: Pace iam disturbata Orthodoxorum populorũ, cùm apud nos, tum Alexandriæ, propterea quòd semetipse Timotheus, cõfestim post sanctam Chalcedonensem synodum, in speciẽ quòd tum presbyter esset, unà cum quatuor aut quinq; duntaxat episcopis, & paucis monachis eorũ qui hæretica Apolinarij, & ea quę post illum prodijt cacodoxia laborant, itẽrum à catholica Ecclesia & fide disiunxit & abscidit: propter quam cacodoxiam, canonicè tum temporis à pię memoriæ Proterio & cuncta Ægyptiaca synodo, & Imperiali instinctu exilium experti sunt. Et aliquãto pòst: Et cum emigrationẽ ad Deum sanctę recordationis Martiani Imperatoris blasphemis uocibus exaggerasset, & absq; ullo pudore, quasi nullis legibus subditus esset, aduersus eum ferociuisset, sanctamq; & œcumenicam synodum Chalcedonensem anathemate damnasset, multitudine impudentis populi, uenalium & inconditorum hominum coaceruata, contra diuinos canones, ecclesiasticam cõstitutionem, communem politiam & leges, bellum mouit, ac seipse in sanctã Ecclesiam Dei & pastorem & doctorem, sanctissimum tum temporis patrẽ & archiepiscopum nostrum Proterium habentem, ingessit: qui & consueta sua munia obibat, & Christo seruatori omnium pro pio uestro Imperio, & uestro Christi amanti palatio supplicabat. Et uno duntaxat elapso die, cum in episcopio secundum consuetudinem Deo dilectissimus Proterius degeret, acceptis secum Timotheus duobus episcopis legitimè depositis, & clericis exilio consimiliter, sicuti diximus, damnatis ordinationem ab illis duobus, nemine in uniuersum præsente ex orthodoxis Ægyptiacę diœceseos episcopis, qui ex more talibus Alexandrini episcopi ordinationibus interesse solebant, sicuti putabat, usurpauit, & sacerdotali cathedræ adulterium palàm inferre ausus est: contra Ecclesiam, quę spõsum suum habebat, res diuinas in ipsa operantem, & canonicè sedem suam administrantem. Et aliquanto pòst: Nihil poterat beatus ille facere aliud, quàm locum iræ dare, iuxta illud quod scriptum est: & ut incursum eorum qui ad necem inferendã accurrebant, effugeret, ad uenerandũ sese baptisterium recipere, in quo maximè loco & Barbaris & cunctis ferocibus hominibus reuerentia quædam incutitur, etiam illis qui loci reuerentiam, & inde scaturientem gratiam ignorant. Verùm qui propositum Timothei inde ab initio ad effectum perducere satagebant, ne in immaculatis quidem adytis illis seruari eum sustinẽtes, & neq; loci neq; temporis (erat enim sanctæ Paschatis panegyris) reuerẽtia moti, neq; sacerdotium ipsum reueriti, quod inter Deum & homines mediando intercedit, innocentem occidũt, & unà cum sex alijs crudeliter mactant: ac corpus illius undequaq; uulneratum producentes, per cuncta propè ciuitatis loca distrahunt & ostentant, ac miserabiliter uerberant, crudeliterq; ac membratim corpus iam uerberum sensu destitutum proscindunt: & ne uiscera quidem more bestiarum illius degustare uerẽtur, quem paulo antè mediatorem inter Deum & homines habere putabantur. Deinde quod reliquum erat corporis illius igni tradunt, & cinerem in uentos spargunt, atq; ita quamuis bestiarum feritatem superant: quorum malorum omnium author & callidus artifex erat Timotheus.

PERSECVTIO ANTIOchiæ Syriæ.

ANtiochię pastor Martyrius cũ à quodam Petro Cnapheo Ecclesiam se absente cõcitatã cerneret, usq; adeò ut nullis quãtumuis pijs & serijs admonitionib. à semel concepto furore dimoueri possent: motus fortasis Alexãdrini Proterij euẽtu calamitoso, ipse se ultrò episcopatus administratione abdicat, his uerbis, ut Nicephorus recitat: Clero rebelli, & populo inobedienti, & Ecclesiæ contaminatę nuncium remitto, sacerdotalem mihi reseruans dignitatẽ, &c. Quoniã aũt Ecclesię turbator ab Imperatore ad exiliũ dãnatus, fuga prius sibi cõsuluerat, sufficitur in episcopi locũ quidã Stephanus Caládion dictus. Hic à pueris Antiochenis, qui à Cnapheo pẽdebant toti, acutis calamis ac cuspidib. interfectus est, & in amnẽ proiectus: &c. lib. 15. cap. tricesimooctauo Nicephorus: Euagrius lib. 3. cap. decimo.

DE PERSECVTIONE Aphricana.

SVprà quidem de immani Genserici feritate in Ecclesiæ deuastationibus diximus:

mus: sed durauit eius persecutio etiam sub Leone Imperatore. Narrat Nicephorus, post Marciani obitum, Genserícum ea quæ adhuc in Africa Romanæ fuerunt ditionis, crebris excursionibus afflixisse: & omnium urbium, præter unius Carthaginis, mœnia diruisse: libro decimoquinto, capite uicesimoseptimo. In hisce excursionibus, quis credat Ecclesijs ipsum peperciſſe? Euagrius quoq; dicit, exercitum à Leone aduersum Genserichum missum: capite decimosexto, libro secundo.

SVB ZENONE.

ZEnonẽ, eo quòd in religione uariaret, Imperatorem eligere noluit Leo, cum se Imperio abdicaturus esset. Legit ergo ipsius filium, sibi ex filia nepotem, suum nomen referentem. Verùm cum filius Leo annum, & non amplius uixisset, ipse Zenon imperij insignia & gubernationẽ capesit: sicut tradit Nicephorus libro decimoquinto, capite uicesimonono. Fuit autem ex Isauris Ciliciæ ignobilibus parentibus natus, humili & incognita uilla, non minus uultu quàm moribus deformis. Imperauit non ut Augustus, sed ut tyrannus, annos circiter septemdecim. Zonaras tomo tertio. Eadem etiam Nicephorus scribit libro decimosexto, capite uicesimoquarto: ubi addit, anno Christi quadringentesimo nonagesimosecũdo, uita simul & imperio eũ perfunctũ decessisse. His annis si septendecim imperij ipsius detraxeris, emergent quadringẽti septuagintaseptẽ, quo ad Imperium peruenit. De huius uirtutib. quod dicamus, non habemus: cum pleriq; authores de ijs nihil omnino, de flagitijs autem plurimum tradãt. fuit enim ipsius uita corruptissima, ut in primis Euagrius libro tertio, capite primo testatur. Item Nicephorus libro decimo sexto, capite primo. Fuisse autem statum Ecclesiarum nõ usqueadeò sub Zenone trãquillum, ex sequentibus patebit. Nam cum Zeno non priuatim solùm, sed & publicè & manifestè dissolutissimam & turpissimam ageret uitam, optimi quiq; & honestatis maximè amantes, alieniore ab ipso fiebant animo: ac cumprimis domestici ipsius, & qui naturæ ac sanguinis etiam uinculo ipsi iuncti erant. Hanc hominum uolũtatem & inclinationem animaduertẽs Basiliscus affinis, animum ad occupandum imperium adijcit. Quod ubi intellexit Zeno, qua erat ignauia, cum animus fœdis uoluptatib. effœminatus, nihil egregium aut uirile conari auderet, facilè cesit, ac fuga sibi consuluit. Basiliscus ergo Imperio, cum nemo repugnaret, sine negocio potitus est. Hic cum esset moribus prẽditus nihilo Zenone melioribus, & de religione perperam sentiret, ab uxore nimirum in Eutychis & Dioscori sectam impulsus, orthodoxorũ ecclesias multis malis affecit. Zonaras tomo tertio: & Iornandes de successione temporum & regnorum. Etenim quæ priores Imperatores, Martianus & Leo, pientissimi & laudatissimi principes, pro Ecclesię salute constituerant, ad conseruandum pium & firmum in doctrina consensum, & ad stabiliendam pacem: ea ille omnia rescidit, & irrita fecit. Chalcedonensem synodum missis circularibus literis iugulauit, eiusque acta aboleuit: doctores turbulentos in exilium ab ipsis damnatos reuocauit. Quod non modò in celebribus urbibus, Alexandrina & Antiochena, nouis turbis causam præbuit: sed etiam in maxima Orientis parte. Nam Ecclesiæ quæ opera dictorum Imperatorum uix aliquantum coaluerant, rursum sunt distractæ. In urbe tamen Imperiali, Christi beneficio conatus Basilisci & reuocatorum episcoporum locum habere nõ potuit: idq; episcopi Acacij labore & indefesso studio, qui se unus ueluti murum fortissimum opposuit Basilisco. cui paulo pòst suum quoque officium coniunxit Daniel Stylites, qui deinde congregatis Constantinopolitanæ urbis monachorum cœtibus, & plebe quoq; adhibita, coniunctis uiribus resistunt, & Basiliscum eò redigunt, ut omnia quæ per priores circulares literas statuerat, per alias rursum itidem circulares abrogaret: ut ex Euagrio libro tertio, capite quarto: & Nicephoro libro decimosexto, capite secundo licet uidere. Adhæc, cum illi ipsi qui à Zenone ad hunc Basiliscum defecerant, uiderent eum cum fide bellum gerere, & in doctrina non esse sanum, cœpere ipsum quoque odisse, & paulatim ab eo rursus desciscere. Quod sentiens Zeno, ueluti ex torpore expergefactus, animum recepit, & ad recuperandum Imperium, suorum fauore reconciliato, omnibus uiribus tetendit: nec fuit ipsius conatus frustraneus. Nam & imperium recepit, & ad extremum usq; uitæ suæ administrauit, parua quidem cum laude, sed maiori tamen Ecclesiarum utilitate. Etenim qualis qualis fuerit in uita, attamen quæ priores Imperatores pro ecclesiæ salute salubriter statuerãt, ipse non modò nõ aboleuit, sed potius confirmauit. Quare ut primùm in Imperium restitutus est, eueſtigiò ea quę per Basilisci encyclicas literas decreta fuerant, in detrimentum fidei & puræ doctrinæ euulgata, constitutione publica obliterat ac damnat. Sed & episcopos ab exilio reuocatos, rursum eijcit, & à Basilisco eiectos in suas functiones restituit: & ecclesias quæ ob Chalcedonẽsem synodum diuulsę fuerant, scripto quod σύνοδικόν

ἑνώσαι uocarunt, ad unionem & concordiam reduxit. Quanquam hoc non dissimulandum, ipsum quoq; Zenonem Chalcedonensi synodo non per omnia consensisse: ut diserte dicit Euagrius capite uicesimosecundo libri tertij. Attamen hoc satis constat, saniorem ipsum fuisse in doctrina, quàm Basiliscum: de quo expresè tradunt scriptores, Nestoriana ac Eutychiana labe ipsum fuisse pollutum. Quare hauddubiè hic est uidere iudicium Dei, qui potius in Imperio tolerauit hominem corruptis moribus, quàm corrupta doctrina. Tametsi non impunè habuit Zeno, sed graues satis suorum flagitiorum pœnas dedit: ut referunt Nicephor⁹ lib. decimosexto, cap. uicesimoquarto: & Zonaras tomo tertio. Basiliscus etiam ob Ecclesias perturbatas, & Imperium raptum, & hæresin pœnas luit. Nam Zenone restituto, in exilium missus, apud Cappadoces in diuersorio Acasio cum coniuge & liberis iugulatus est. Euagrius capite octauo, libro tertio.

DE PERSECVTIONE *Vandalica in Aphrica sub Hunerico.*

DE Vandalicæ persecutionis initio & progressu, sub Theodosio posteriore dicere cœpimus. Rege autem Genserico mortuo, filius eius maior natu Hunerichus Nundrius, & regni simul & persecutionis successionem cepit: id quod sub Imperio Zenonis factum pleriq; tradidêre. Hic cum persecutionem aduersus ueram fidem & ecclesias cœptam à parente, & toto ipsius uitæ tempore magna cum crudelitate gestam continuaret, adeò ut truculentia ipsum penè uinceret patrem: tamen initio sui regni mitius egit, serpentina quadam astutia & callida simulatione. Ac primò quidem, ut nomen pij principis sibi compararet, instituit inquisitionē acerrimam in hæreticos, maximè Manichæos: in qua, cum esset proditum, suos potissimùm ministros teneri, amplius exardescens, magis magisque sollicitè & studiosè inquiri, & quotquot reperirentur, aut igne perdendos, aut marinis fluctibus tradendos præcepit. Ecclesiæ Carthaginis, quæ annos uigintiquatuor episcopo caruerat, permittit, ut rursum quem uelit episcopum sibi constituat, Zenone imperatore sua apud Hunerichum intercessione idipsum impetrante. Verùm annectit rex impius permissioni suæ ualde duram conditionem: nimirum, ut uicissim & suæ sectæ hominibus, & cumprimis sacris ministris liberum sit ex mandato Imperatoris in urbe Constantinopoli, & cæteris per Orientem prouincijs, suo more & quacunque lingua id eis uisum fuerit, sacra sua tractare. Sin uerò hoc erga suæ religionis sectatores minus obseruaretur, tum non tantum iam ordinandum episcopum, eiusque Ecclesiæ ministerium totum, sed & aliarum per uniuersam Africam ecclesiarum episcopos & ministros ad extremos Mauros se expulsurum. Quo audito, Ecclesia Carthaginensis ingemiscens, respondit, Se tam duris conditionibus episcopo minimè delectari: precari autē, ut qui semper hactenus se gubernarit CHRISTVS, & deinceps gubernator permanere uelit. Hanc responsionem & illi qui missi fuerant, minimè recepêre. Eugenio itaq;, cuiusdam Ariani [illegible]scopi Cyrilli nomine delationibus, mandato Regis edicitur, ut à publico docendi munere abstineat: ac cuiuscunq; sexus homines Vandalico habitu indutos tēplum ingredi conspiciat, inde expellat. Verùm pius ille uir responsum tale dedit, quod & ipsius personę maximè fuit decorum, & ministerio honorificum: Domus Dei, inquit, omnibus patet: quis ingredi uolentes inde exiget? eo responso accepto, Rex statuit ad portas tēpiorū furoris ministros, armatos palis dentatis, quos ingredientium in habitu suę gētis capitibus impingerent. Vnde plurimis, unà cum capillis eisdem denticulis implicatis, etiam tota capitis pellicula uiolenter auulsa est: nonnulli oculis priuati, quidam etiam ipso dolore statim extincti sunt. Mulieres quędam nudis capitibus, quibus iam pellis erat detracta, per omnes totius ciuitatis plateas, præeunte pręcone ductæ sunt, ut ex contumelia quoq; dolores cruciatuum augescerēt. Verùm cum ne sic quidem piorum animos à ueræ pietatis studio diuellere posset, aliud experitur. aufert omnia stipendia ijs quorum in aulicis ministerijs opera utebatur, qui quidem synceriori doctrinæ erant adiuncti: quin & durioribus laboribus, & minus assuetis frangere eos, in animum inducit. Quare ex uiris ingenuis, & magis delicatis, plurimos in Vticensem campum destinat, ut sub ardentis solis æstuantibus radijs mersium relictos cespites terra eruant. Quò illi pientissimi homines, magna animorū alacritate in Domino lætabundi perrexêre.

Exarsit autem potissimùm persecutionis huius incendium uehementius sub annum septimum Hunerici, ut ex quarto libro Victoris est uidere: impiæ Ecclesiæ ministris, & præcipuè ipsorum episcopo Cyrila, ignis fomenta strenuè subministrantibus: qui subinde ad Regis aures occinebant, non posse ipsum regnum pacatum & diuturnum obtinere, nisi à sua secta dissentientes, tāquam catharmata è medio tolleret. Extimulatus ergo, primùm omnium aulam suam purga-

re ab istis sordibus, uti putabat, statuit. Proposito edicto seuerè mandat, ne qui deinceps ad militiam, aut alias ullas publicas & honestas in palatio actiones admittantur, qui non Arianam hæresin amplectãtur. Cum autẽ essent plurimi, qui militiæ & dignitatum potius, quàm ueræ fidei iacturam facere mallent, exuti possessionibus, in insulas Sardiniam & Siciliam relegabantur.

Postea, sicut impietas semper se honesta pietatis specie palliare solet: ita ille quoq;, ut aliquam saltem furoris sui causam habere uideretur, sacras uirgines in suspicionem læsæ pudicitiæ uocat. Quo nomine in certum locum congregatas, per suæ gentis obstetrices, in conspectu impudentissimorum hominum, uerecunda pudoris loca turpi contrectatione explorare iubet. Adduntur graues torturæ, suspensis ad pedes ligantur ingentia pondera: adhibentur laminæ ferreæ ignitæ earum dorsis, uentribus, mammillis & lateribus, ut confessione prodant, si qui ex suæ ecclesiæ ministris secum rem habeant. Quorum tormentorum acerbitate, quæ non sunt extinctæ (ut sanè plurimæ sunt) tamen ex tostione illa, cute in corrugationem contracta curuę factæ sunt.

Deinde deserti exilium episcopis, presbyteris, & eius ordinis uiris plurimis, & alijs quoq; rectè sentientibus ad quinquies mille ferè, decernit. Erat in eo numero Felix Abbiritanus episcopus, munere isto ad annos quadragintaquatuor functus. is quòd paralysi esset tactus, nec sentiebat, nec loquebatur quicquam. Pro eo apud regios reliquus piorum exulum cœtus deprecabatur, ut ipsi ad regem intercederent, fineret ipsum Felicem iamiam moriturum Carthagine, tantisper dum animã efflaret, eo quòd in exiliũ difficulter abduci posset. Quibus tyrannus magno cum stomacho respondit: Quòd si adeò usq; morbo debilitatus est, ut iumento insidere non queat, alligatus funi à bobus trahatur, quò præcepi.

Fuit in hoc exulum cœtu & puerorũ grex, quos genitrices comitabãtur, aliæ quidem gratulãtes quòd martyres perperissent: aliç gemebũdæ, quòd suos miserè perituros intueri cogerentur: immensisq; doloribus uictæ, cupiebãt eos rebaptisationis lauacro à cõfessione reuocare, atq; hoc modo ex præsenti afflictione eripere. Verùm cuius uirtus maximè in infirmitate est potẽs, is tantũ addit robur tã fragilib. testulis, ut nullo maternorum affectuum conatu infringi possent.

Anus quædam ex interuallo sequebatur reliquam multitudinem, properantibus passibus quantum pro ætate poterat, manu ducens puerulum: eum inter ambulandum subinde ad alacritatem blanditijs adhortabatur: Age, inquit, propera puer, uides quãto studio festinet uniuersus Sanctorum exercitus, ad percipiendas gloriæ coronas: acceleremus & nos, ut illis coniungamur. Et cum interpellaretur à quibusdam, Quid ita perditè festinaret cum paruulo, & qua ratione tantum itineris superasset? Respondit: Bene precemini, bene precemini, & otate pro me & isto meo nepotulo: mulier sum peccatrix, filia olim Zuritanæ ciuitatis episcopi: & cum isto ad exilium unà quoq; pergo, ne ille solus relictus hosti ueritatis & uitæ prędæ sit, & à uia uera abductus in exitium præcipitetur.

Congregata autem uniuersa multitudo in urbibus Siccense & Larense, Mauris ad eremum deducenda traditur. Verùm ex nobilitate quidam Comites aduenientes, multis blandis sermonibus à fidei integritate illos retrahere conabantur. illi uerò ingenti uociferatione uno consensu suam ediderũt cõfessionem, clamantes: Christiani sumus, uniuersæ Ecclesiæ consensum amplectentes, Deum unum & trinum, & trinitatem unum Deum inuiolabiter confitemur. Eo facto, iam grauiori custodia includuntur quidem, sed tamen spaciosiore: nec denegabatur ingrediũdi facultas fratribus, qui consolationibus ipsorum animos erigere, aut etiam sacra ijs administrare cupiebant. Verùm id eis non diu concessum est. nam eam ob rem custodes fustibus cæsi sunt: & ne cui quam ad eos pateret accessus, interdictum. Imò in angustiorem locum, qui tantæ multitudinis non bene erat capax, alius super alium ceu locustæ, siue uerius ut frumenti grana in cumulos coaceruata, coartati sunt, adeò ut ne secedendi ad naturæ opera esset locus: sed egestiones urgente necessitate tam urinę quàm sordium, illo ipso loco sub tus se faciendæ essent. Vbi cum aliquandiu morarentur, eò usq; stercora cumulata sunt, ut in totum spacium exundarẽt. At ubi hoc Mauris uisum fuit, ad deserti præscriptum locum pergere iubentur. Egressi ergo ex illo squalido loco, & ora & capita & uestimenta stercorib. oblita trahebant: interim tamen quasi præclarè cum ipsis ageretur, hilares Deo hymnum inter eũdum decantabant: Hæc est gloria omnibus sanctis eius.

Illis autem sic in squalore incedentibus, aderat Cyprianus Vinzibirensis ecclesiæ episcopus, qui diuini uerbi consolationibus ipsos confirmabat, non quidem sine multis lachrymis, paratus & ipse uitam pro ipsorũ liberatione profundere. Qui paulò pòst etiam, post multos carceris squalores exilij consors factus est. Sed & plurimæ passim turbę undiquaq; è regionibus confluebant ad ipsos uisendos, atq; magna acclamatione suam

ne ſuam potius quàm ipſorum exulũ condi tionẽ deplorabãt, cupientes itineris eorum eſſe comites: quòd conſiderarent, quibus nã tyranni furoribus relicti exponerentur.

In peregrinatione autem cum indies progreſsiones longas facerent ij quibus deducendi negocium commiſſum erat, imbecillior ætas paruulorum & ſenum defatigabatur, quos acutis haſtiliũ cuſpidibus impellebant ad procedendum: unde magis magisque delaſſati, penitus deficiebant, adeò ut iam etiam impedimento futuri eſſent. Quare Mauri eos qui progredi non ualebant, pedibus ligatis trahebant per loca aſpera & dura: qui hoc modo ſaxorum illiſionibus attriti, inter trahẽtium manus expirabãt. Erat autem ipſorum numerus non exiguus, ut ex tumulis erat conijcere, qui ſparſim toto illius itineris tractu ceu talparum cumuli cernebantur. Reliqui habiliores, ad deſignatum ſolitudinis locum peruenêre, ubi paſti aliquandiu ſunt hordeo, iumentorum ritu: quod tamen ipſis paulo pòſt etiam denegatum eſt.

Haud ita multo pòſt, publicato edicto per uniuerſam Africã indicitur conuentus Eccleſiaſticus in urbe Carthagine, ad calend. Februarias: ut ibi Homouſiani cum Arianis congrediantur, ac ex diuinis ſcripturis iudicium faciãt, utra pars rectam & integram ſequatur fidem. Inſtitutũ ſanè ſpecioſum & laudabile, ſi ab animo uerè pio & ſeriò res Eccleſiæ curãte profectum eſſet. Verùm fuiſſe nihil aliud quàm fucum, imò inſidias in eccleſiæ & rectioris doctrinæ extremam perniciem ſtructas, exitus docuit. Nã cum Eugenius Carthaginẽſis epiſcopus ſupplici libello petijſſet, nomine & ſuo & Eccleſiæ, ut etiã alijs Eccleſijs extra prouinciam Aphricam, nimirũ tranſmarinis, huius conuentus ſignificatio fieret: eisq; epiſcopis ac miniſtris intereſſe liceret, quandoquidẽ res eſſet uniuerſæ eccleſiæ Chriſtianæ: Rex magna cum indignatione id recuſabat. Mox, priuſquam dies conſtituta adeſſet, ueluti præludio oſtendens, qua mãſuetudine, clementia & pietate futurã ſynodũ exceptu-rus eſſet, epiſcopos aliquot in exiliũ eijcit, nempe Vibiannẽſem Secundum, Donatianũ Suſetulẽſem. Aliquot uerò fuſtib. cædit, nimirum Mãſuetũ Germanum, Fuſculum, & multos alios. Item propoſito mandato prohibet, ne qui ſuæ eſſent religionis, mensam communem habeant cum Catholicis.

Eo autem die qui indictus erat ſynodo, cum iam conueniſſent plurimi, uirum pietate celebrem, nomine Lætum, ex Homouſianorum cœtu arreptum flammis exurit. Hoc nimirum ſpectaculo reliquos commonefaciens, qualis doctrinarum dijudicatio futura, & quæ ipſis quoq; expectanda eſſent. Alij rectè ſentientes, cum in ſynodo ſuam ſententiam expoſuiſſent, fuſtibus malè multabantur. Et cum Ariani eos falſò ad Regem detuliſſent, quòd facto ſtrepitu colloquium detrectaſſent: continuò mandauit in uniuerſa Africa Homouſianorum templa claudi, eorumq; facultates Arianis epiſcopis adſcribi: id quod etiam factum eſt.

Tulerãt legem Romani Imperatores aduerſum Arianos, & alios hæreticos, quæ maximo Eccleſiæ uſui fuerat. Eam legem inuerſis, mutilatis, additis nonnullis pro ſua tyrannica uoluntate proponit aduerſus eccleſias rectę doctrinę adhærẽtes. Exemplum in tertio Victoris libro extat huiuſmodi. Rex Hunerichus Vandalorum & Alanorum, uniuerſis populis noſtro regno ſubiectis. Triũphalis & maieſtatis Regię probatur eſſe uirtutis, mala in autores conſilia retorquere. Quiſquis enim prauitatis aliquid inuenerit, ſibi imputet quod incurrit. In qua re nutum diuini iudicij clemẽtia noſtra ſecuta, perſonis, prout eorũ facta meruerint, ſeu bona, ſeu fortè talibus contraria, decreuit. Itaque his prouocantibus, qui contra præceptionem inclytæ recordationis patris noſtri, uel manſuetudinis noſtræ crediderunt eſſe renitendum, cenſuram ſeueritatis aſſumimus. Autoritatibus enim cunctis populis facimus innoteſcere, ut in ſortibus Vandalorum nullos conuentus Homouſion ſacerdotes aſſumerẽt: nec aliquid myſteriorum, quæ magis pollu unt, ſibimet uendicarent. Quod cum uideremus eſſe neglectum: & plurimos eſſe repertos, dicentes ſe integram fidei regulam cuſtodire, uel retinere: uniuerſos conſtat fuiſſe commonitos ad ſpacia temporis prorogata menſium nouem. Quæ contentiones, ſi quid ad eorum propoſita poſsit aptari, ad calendas ſcilicet Februarias, anni octaui regni noſtri, ſine metu aliquo conuenirent. Qui dum huc ad Carthaginenſem confluerent ciuitatem, poſt moram temporis præſtituti, aliam quoq; dilationẽ aliquantorũ dierum dediſſe cognoſcimur. Dum ſe conflictui paratos aſtruerent, primo die à uenerabilibus epiſcopis noſtris, eis uidetur eſſe propoſitum, ut homouſion, ſicut admoniti erant, ex diuinis ſcripturis propriè approbarẽt: aut certè, quòd à mille & quotquot excurrunt pontificibus de toto orbe in Arimenſi concilio, uel apud Seleuciam amputatum eſt, prædamnarent. Quod nequaquam facere uoluerunt, unluerſa ad ſeditionem per ſe concitato populo reuocantes. Quinimo & ſecunda die, dum eis mandaremus ut de eadẽ fide, ſicut propoſitum fuerat, reſponderent: hoc uidentur aſſumpſiſſe, temeritate

ritate transacta, ut seditione & clamoribus omnia perturbantes, ad cõflictum facerent minimè peruenire. Quibus prouocantibus statuimus, ut eorum ecclesię clauderentur: hac illis conditione præscripta, ut tam diu essent clausæ, quàm diu nollent ad conflictum propositum peruenire. Quod ea obstinatione facere noluerunt, quam in prauis uidentur assumpsisse consilijs. Adeò in his est necessarium ac iustissimum retorquere, quod ipsarum legum continentia demonstratur: quas induxisse cum terrore Imperatoribus temporum diuersorum, tunc contigit promulgari. Quarum illud uidetur tenere cõtextio, ut nulla, exceptis superstitionis suæ antistitibus, ecclesia pateret: nullis licetet alijs aut cõuictus agere, aut exercere cõuẽtus, nec ecclesias aut in urbibus, aut in quibusdam minimis locis penitus obtinere, neq; construere: sed præsumpta, fisci iuribus iungerentur. Sed etiam nec patrimonia eorum, Ecclesiæ suæ fidei sociata, suis antistitibus peruenirent, nec commeandi ad quæcunq; loca talibus licentia pateret: sed extorres omnibus urbibus redderẽtur, & locis, ne baptisandi haberent facultatem aliquam, aut fortè de religione disputandi. Et nullam haberent ordinandi licentiam, seu episcopos, seu presbyteros, uel alios quos ad clerum pertinere contingeret: proposita seueritate uindictæ, ut tam hi qui se paterentur huiuscemodi honores accipere, quàm etiam ipsi ordinatores denis libris auri singuli mulctarẽtur: eo adiecto, ut nullus eis locus esset, uel aditus supplicandi: sed etiam si qua minus, minimè præualerent. Et si in hac pernicie perdurarent, etiam de proprio solo ablati, in exilium, super persecutione idonea, mitterentur. In populo quoq; præfati Imperatores similiter sæuientes, quòd eis nec donandi, nec testandi aut capiendi, uel ab alijs relictum, penitùs ius esset, non fideicommissi nomine, non delegati, non donationibus, aut relictione quæ mortis causa appellatur, uel quolibet codicillo, alijsúe forsitã scripturisita ut etiam qui in palatijs, condemnationis grauissimæ pœna, quæ talibus præscripta constituitur, obligantes. Viris autem maiestatis diuinæ cultoribus, id est sacerdotibus nostris, Ecclesias uniuersas, uel totius cleri nominis supradicti, quibuscunq; terris & regionibus constitutas (quæ propitia diuinitate Imperij nostri regimine possidentur) unà cum rebus quæ ad easdem pertinent, hoc decreto statuimus proficere, non dubitantes, quòd plus alimoniæ inopum proficeret, quod sacrosanctis pontificibus iustè collatum est. Hanc ergo legem fonte iusticiæ profluentem, cunctis fecimus innotescere: quatenus nullus sibi ignotum esse, quod præceptum est, possit obtendere. Optamus uos bene ualere. Sub die sexto calẽdas Martias: Carthagini.

¶ Posthæc foralia edicta proposita, cuncti uerioris pietatis Ecclesiastici in synodo congregati, iam antea domi quisq; suæ omnibus exuti & facultatibus & ædibus proprijs, Carthagine quoq; in hospitijs, omnibus quæ reliqua ipsis erant spoliantur, & nudi ex urbe expelluntur: denunciatione facta, ne quis eos uel domo exciperet, uel cibum quoquo modo pręberet. Qui secus faceret, eueſtigiò cum uniuersa sua domo incendio traderetur.

Aerumnosus itaq; iste grex animi dubius erat, quid ageret. Nam si domum reuerteretur, domus & facultates & ecclesiæ, & omnia deniq; erãt adempta, & alienis possessoribus tradita. Si recederent aliquò longius ab urbe, reperturos se alicubi credebant, qui non omnem prorsus humanitatis affectum exuissent, & aliquid saltem uel exigui beneficij exhibituri essent. At obstabat Regis sæuum mandatum: ut periculũ quoque erat, ne ex ipso itinere cum sæuitia & uio lentia retracti, dicerentur cõflictum disputandi cum aduersarijs fugisse. Quare manent circa urbis muros sub dio, suas miserias profundis gemitibus ad Deum deplorãtes. Cum autem Rex isthac transiret, uniuersi occurrebant ei, ipsumq; compellantes grauiter expostulant: Quid ita affligimur? Quid admisimus, ut alia perpeti cogamur? Si ad disputationem uocati sumus, cur uti facultatibus, familijs, ædibus, ecclesijs, & ex hominum congressu eiecti, inedia, fame, miserè perimus? Quos ille toruùm aspiciens, equitum immisso comitatu proculcare iussit. ac multi sanè, præsertim ob ætatem, aut aliàs infirmiores, hoc modo attriti, miserè perierunt.

Rursum autem miseri isti confessores, ad certum locum Regis imperio uocati, iubẽtur iurare in chartam inuolutam & complicatam. Iurantibus proponitur præmium, restitutio ecclesiarum, familiarum & domuum suarum, &c. Verùm uno ore & spiritu uniuersi exclamabant: Et diximus, & dicimus, & Deo dante dicturi sumus, esse nos Christianos, ecclesiæ ministros, qui fidem Apostolicam unam & solam nouimus ueram, eamq; confitemur. Sed & Hortulanus & Florentinianus episcopi, reliquorum omnium nomine addunt: Nunquid nos mẽtis usq; adeò parum sanæ uidemur, ut ignari in rem nobis minus notam iuremus temerè? Absit hoc à nobis. Quibus uerò à rege negocium datũ fuerat, illi cœtui fucum facere uolentes, partem eius scripti publicè recitant:

recitant, eam nimirum quæ minus habebat offensionis, quòd esset quiddã politicum: eam uerò quæ doctrinæ fidei insidiæ parabat, occultabant. Hoc artificio nõnullis imposuerunt, qui iurare uelle uisi sunt, pia quadam simplicitate decepti, ne in ipsis hæreret culpa, quo minus Ecclesijs suis redderẽtur pastores: & satius esse arbitrantes aliquam, quàm prorsus nullam esse ecclesiam. Hi ergo secedere à cæteris iubentur. Nonnulli uerò, quòd fraudem subesse animadueterent, iurare omnino recusarunt.

Inde igitur utraq; pars custodiæ mandatur: ac paulo pòst eadem pœna plectuntur, nimirum exilij: alteri, quòd contra fidem iurarint, extorres à suis domibus facti, ad colendos agros missi sunt: ita tamẽ, ne psallendi, orandi, legendi, aut sacrum etiam cosandi, aut ullum ministerij munus administrãdi. alteri, quòd iurare noluerint, in Corsicam relegati, ut ibi fabricandis nauibus ligna inciderent. Sed ne sic quidem conquieuit impietatis furor. Nam eodem momento per uniuersam Africæ prouinciam ordinati sunt speculatores truculentissimi: nec erat locus ullus, aut domus, in qua non essent luctus, eiulatus, lamẽta: nec sexui aut ætati parcebatur, nisi qui uictus illorum se subiecisset uoluntati. Hi fustibus, illi suspẽdio, alij flammis morti dabantur. Honestas matronas, maximè uerò nobiles, contra naturæ iura, nudas prorsus & in publico excruciabant. Erat inter eas matrona nomine Dionysia, forma honestissima: eam cum fustibus crudeliter percuterẽt, ipsa nullum aliud misericordiæ sibi beneficiũ præstari petebat, quàm ne ipsius pudenda nudarentur. Verùm hoc ipsum eo magis faciebant, in eminentiori loco eam collocantes: & uestimentis omnibus exuentes, spectaculo omnibus in propatulò ut esset fecerunt. Vnde illa inter ipsos fluitantes de corpore sanguinis riuulos, clara uoce in ista Sathanę organa inuecta, exclamabat: Vos ministri diaboli, quicquid ad opprobriũ meum facere cogitatis, id mihi in laudem cedit. Et cum esset mediocriter in uerbo erudita, cæteris quoq; erat ad martyrium hortatrix, ipsorum q; animos confirmabat: idq; tanto zelo, ut patriam suam uniuersam liberasse eam, scribat Victor libro tertio. Proprium uerò filium omnium maximè cohortata, adolescentem egregium Maioricum, cum ipsum ad pœnas nonnihil trepidãtem cerneret, ipsa quoq; inter durissimos cructus existens: Quæso, inquit, fili mi, memineris, nos in nomine sacrosanctę Triadis in Ecclesia esse baptisatos: ah ne perdamus illud pretiosissimum & salutare indumentum: ne ueniens qui ad nuptias nos uocauit, non reperiat uestem nuptialem, & in tenebras exteriores eijciamur. Quo bonus ille adolescentulus usq; adeò confirmatus est, ut cursum martyrij glorioso certamine finiret. Recitantur ab eodem Victore alij quoque, qui propter sacræ Triadis constantẽ cõfessionẽ horrendos cruciatus pertulerint: ut Datina, germana Dionysiæ iã memoratę: Leontia, filia Germani episcopi: itẽ Eumelius medicꝰ, Leontiæ cognatus: Tertius quidã, Sibidinẽ sis Bonifacius: qui euiscerati esse scribũtur.

In Culusitana ciuitate narrat idem tãtam fuisse Martyrum & confessorum multitudinem, ut numerus in rationem uenire nequiret: ac celebrantur cum primis matrona Victoria, & quidam Victorianus, qui constantiæ & confessionis insignia ediderunt exẽpla. Apud Tambrienſem uerò ciuitatem, quis quæso explicare queat, quot & quanti pro Christo afflicti sint? Præ cæteris autem recensentur duo fratres germani, ciuitatis Aquisregiensis, qui iuramento sese mutuò astrinxerunt, ne alter alterum in isto certamine desereret. at uerò cum alter peteret mitigationem, & è suspendio, quo totum diem pependerãt utriq;, alligatis pedũ digitis immensis lapidum molibus, deponi: ibi alter ipsum uehemẽti increpatione obiurgat, seq; eum periurij accusaturũ coram Christo minatur: atq; fratrem ita cõfirmat, ut in patiendo tamdiu cum fratre durarit, dum ipsi tortores quoq; defatigati, illos ultrò reijcerent tum tædio & quadam indignatione, quòd horum constantiam uniuersi imitarentur, nec quisquam ex illis ad Arianismũ accederet, & quidẽ post tormẽta ne uestigia aut liuores quidem apparerent.

Tipasensis Mauritaniæ maioris ciuitas, cum audiuisset ex aulæ notario, sibi designatum pastorem, hominem Arianum, potissima eius Ecclesiæ pars omnibus neglectis, proximas Hispanias nauigatione petijt, paucis ibidem relictis: eos cum pastor ille Arianus neq; blandimentis, neq; minis in suam sententiam pertrahere posset, ac ipsi in priuatis ædibus sua sacra tractarent, ille id clàm ad regem deferebat. Qui statim misso comite, & in medio foro uniuerso cœtu coacto, manus dextras & linguas præcidere iubet. Quo facto, illi nihilominus tamen rectè & integrè loqui potuerunt, Christo ipsos pro afflictione hoc miraculo remunerãte. Et ut huiꝰ rei fides firmaretur, scribit Victor libro tertio, in aula Imperatoris Zenonis unum ex his, Reparatum nomine, paulo pòst in magna fuisse ueneratione.

Carthagine quoq; qualia patrata sint in ueræ doctrinæ confessores, à gente Vandalicꝰ, Victor recenset. Nam alios inquit uisos esse si-

esse sine oculis, alios sine manib. alios absque pedibus, nonnullos truncatis naribus, auribusq; rursum alios conspectos, quibus diuturno suspendio auulsis spatulis, caput in mediũ scapularũ subsediſſet. nõ paucos, qui ruptis funibus de sublimi decidentes, & oculos & cranium læsiſſent. Nominatim autem meminit Dagillæ, uxoris cellarij regis, quòd flagris & fustibus cæsa, in desertũ sit deportata: unde etiam postea, cum facta esset potestas aliò migrandi, concedere noluerit, deserti superstitioſe amans.

Ipsum quoque collegium Ecclesiasticorum, quod Eugenio episcopo in exilium abducto, reliquum Carthagini manserat, inedia & cædib. paulatim maiori ex parte confectum, procul in horrendum locum exilij flagris & uerberibus expellitur. Ex hoc cœtu retracti sunt uiolenter duodecim pueri, claritate uocis pręditi, suasu Theucorij, qui illos habuerat discipulos priusquam à ueritate ad Arij mẽdacia trãsijsset, ut in cœtu essent Musico. quos cum blãditijs in Arianismum pertrahere non possent, durissima quæq; in illos iterum atq; iterum attentauerunt, uulnera uulneribus infligentes, & priora posterioribus subinde refricantes, grauissimos misellis dolores creauerunt. Verùm Christo huic tam infirmæ ætati robur addente, superiores omnibus his cruciatibus in rectæ fidei constanti confessione euaserunt.

Passi sunt & duo eius urbis negociatores ijsdẽ diebus, Frumentij cognomines: & Liberatus, Bonifacius, Seruus subdiaconus, Rusticus, Rogatus, Septimus, & Maximus.

Cum Elpidophorus apostata & persequutionis minister Miritã excruciaret Carthagini, graui obiurgatione ab eodem excipiebatur. Nam Miritas, qui eum olim ex sacri baptismatis fonte leuauerat, palàm ostensis linteolis, quibus post lotionem sacram inuolutus fuerat, dicebat: Hæc sunt erroris minister linteamina, quæ accusabũt te, dum Maiestas uenerit iudicantis: quæ diligentia mea custodientur, ad testimonium perditionis tuę, ad demergendum te in abyssum putei sulphureo igne æstuantis. Hæc te immaculatũ cinxerãt, è fonte emergentẽ: hæc te acrius persequẽtur, gehennæ flammis iam iniectum. Quia maledictionẽ induisti, ut uestimentum & sacri baptismatis ac ueræ fidei abiecisti sacramentum.

De Arrianorum pastoribus, & tota istius impietatis ecclesiastica colluuie, narrat Victor, quòd crudelius multo quàm Rex, & reliqui Vandali sęuierint, gladijs armati circum cursitantes. Ac præ cæteris omnibus narratur, unum quendam, Antonium nomine, feritate fuisse celebrẽ: qui tam nefanda, tã tetra in pios Christianos exercuerit, ut fidẽq uoq; omnẽ excedant. idq; in quadã ciuitate ad desertum, quod Tripolitanæ prouinciæ uicinum est. Hic Antonius etiam ipsum Eugerium Carthaginẽsem pastorem, sibi postea commissum, infandis & diuturnis cruciatibus miserrimè afflixit. Similiter & alium, cui nomen erat Habetdeus: quem cum nulla suppliciorum magnitudine adducere posset, ut relicta ueritatis semita ad Arianismi mẽdacia diuerteret, fraudẽ adhibet. Et obstructo ore, ligatisq; manibus ac pedibus, in rebaptisationis balneum uiimmergit: ac ei postea persuadere conabatur, quòd hac lotione suę hæreseos consors esset factus. Verùm ille constanti confessione hoc ipsum strenuè pernegabat, inquiẽs: O impie Antoni, nõ est hęc ad mortẽ damnatio, ubi uoluntatis non accedit assensus. Ego fidei meæ tenacissimus, quæ credo & credidi, uoce sum confessus, & clamando defendi. Sed & posteaquam catenis uinxisti, & ore obstructo loquendi facultatem ademisti, intra pectoris mei penẽtralia arcanã fidei meę confessionẽ, & tuę istius in me uiolentiæ gesta, Seruatori meo legẽda trãsmisi, angelis mihi quoq; subscribentibus.

Deniq; ut nihil pro sua hæresi propagandа intentatum relinquerent, constituebant ministros suos ad uias publicas, qui aut trãsitum occludebant ijs qui nolebant rebaptisari: aut ui arreptos immergebant aquis, & suæ partis Christianos expellebant, eique scriptum testimonium dabãt, quod exhiberent, ne denuò abripierẽtur ab alijs. non enim licebat ulli hominum uel priuato uel negociatori transire alicubi, nisi istius impiæ bestiæ scriptum characterem ostenderent. Quin hoc impium collegium etiam nocturno tempore uicos & oppida circumibat, armatorumq; hominũ manu stipatum, passim in ædes irruebat, & homines quietì indulgentes partim abreptos baptisabant, partim somno oppressos aqua conspergebant, atque hoc modo ceu ludum quendam cum suo impio anabaptismo exercebãt. Et sanè homines simpliciores, & minus in doctrina rectè eruditi, credebant se ad illorum partes necessariò debere iam transire. Verùm qui mediocrem doctrinæ cognitionem assecuti fuerant, nihili faciebant ista: scientes, conscientiam suam obligari minimè posse ad ea quæ aut inuitis, aut nescientibus uiolẽter accidissent. quare etiam lintea ista, quibus pro more induti aut operti fuerant, conscinderunt, & in latrinas abiecerunt. Hoc modo puerulus septem annorum, nobilis cuiusdã uiri filiolus, Carthagine mersus est: ipso interim fortiter clamante, Christianus sum, Christianus sum.

Item

Item Medici cuiusdam, Liberati nomine, filij similiter immũdo anabaptismi istius balneo fœdati potius quàm mũdati sunt, parentibus eorum carceri inclusis: & postea cum non possent à sincera religione abduci, in exilium pulsis.

Memorabilis est historia, quam de uxore Liberati commemorat Victor: quòd cum ei subornati quidam deceptores persuasissent, maritum suum concessisse in sententiam Regis, petierit se coram marito sisti: simulans, se idem facturã. Sed ea occasione maritum obiurgauit grauiter, & ad constantiam cohortata est. Porrò ut insidias & uiolentiam immanem plurimi declinarent, abdebant se in speluncas, & alia ab hominum cõmercio semota loca, ubi inedia & frigore perierunt, inuiolatæ fidei secum testimonium auferẽtes. Sic enim repertus est Cresconius, Miritanę ecclesię minister in spelunca Quinzensis montis: & alij.

Huius persecutionis meminerunt, pręter Victorem, etiam alij scriptores, sed hauddubiè à Victore sua mutuati: ut Sigebert⁹, Bergomẽsis: Antoninus titulo undecimo, capite decimo, à primo paragrapho usq; ad paragraphum nonum: item Nauclerus, Generatione decimaseptima.

DE PERSECVTORVM pœnis.

SVb Arcadio Imperatore, cum Constantinopolitanæ ecclesiæ doctor Iohannes Chrysostomus nullo suo merito in exilium primò eiectus esset, narrat Theodoretus, statim ea ipsa nocte ingentem adeò terræmotum subsecutum, ut Imperatoria aula in maximo esset periculo. Quare missi sunt ilicò legati alij post alios, qui eum reducerent: libro quinto, capite tricesimoquarto. Ac uoluit hauddubiè Deus, hoc terræmotu pio ministro innocẽtię perhibere testimonium. De posteriori aũt eius exilio, idem Theodoretus ibidem dicit: plerosque Chrysostomi persecutores pœnas dedisse, & alijs suis casibus utili documento fuisse. At quoniam ipsius hostes, & istius sui exilij procuratores nõ fuerunt unius generis & ordinis, sed partim homines Ecclesiastici, partim aulici, nonnulli etiam ex fece populi, qui ob uentris commoda cæteris sua ministeria locarunt, de ijs ordine pauca dicemus.

Cum Chalcedone Bithyniorum conuenissent, qui ad synodum Constantinopolim aduersum Chrysostomum profecturi erant, & consilia de summa rei in perniciem Iohãnis inirẽt, eius loci episcopus seu pastor Cyrinus infensissimus Chrysostomo, in medium progreditur, cõuicijs q; eum multis proscindit, quibus reliqui etiam nõ parum delectati fuisse uidẽtur. Verùm haud longa intercesit mora, cum eos diuina subsecuta est uindicta, pręsertim Cyrinũ. Nam ipsius alterum pedem imprudens calcando Maruthas Mesopotamię episcopus læserat, ut ad synodum proficisci ipse tum nõ posset, quamuis cupidissimus esset: deinde malo augescente, indies deterius habere cœpit, adeò ut crus secandum præbere coactus sit: imò ex putre factionis contagio alter quoq; pes correptus, & postea etiam resectus est. Sed ne sic quidem malum hoc, quo minus latius serperet, cohiberi potuit: uerùm paulatim totum corpus cum occupasset, tandem ipsum extinxit. Socrates libro sexto, capite decimonono: Sozomenus libro octauo, capite uicesimoseptimo. Et addit Nicephorus, ipsum etiam Cyrinum hanc calamitatem suis in Chrysostomũ contumelijs acceptam tulisse: lib. tredecimo, cap. decimoquarto.

Theophilus Alexandrinus episcopus, qui non in postremis hostium Chrysostomi fuerat, paulo pòst laterum morbo correptus interijt. Et Arsacius Chrysostomi successor, breui intercedẽte tẽpore, etiã ipse fatis concessit. Similiter Antiochus & Seuerianus, episcopi, hic Gabalanorum, ille Ptolemaidis Syriæ, magnæ existimationis uiri, Theophili asseclæ, & in persequendo Chrysostomo strenui. Nicephorus libro tredecimo, capite tricesimosexto.

Duo quoq; sicarij Constantinopoli, à cõciliabulo clàm in Iohannem subornati ut ipsum trucidarẽt, deprehensi sunt, & ad supplicium rapti: quorum alterum ipse Chrysostomus, liberum à pœna sua intercessione reddidit. Idem eodem libro, capite uicesimo primo. Atque hæ sunt priuatorum pœnæ. publicas nunc uideamus.

Cum in exilium abducendus Chrysostomus urbem egrederetur Constantinopolitanam, horribile subitò exortum est incendium in ipso templo, quod ingens damnum dedit. Cuius cum origo & author ignoraretur, Chrysostomi fautores & aduersarij mutuò sese eam ob rem accusabant, alteri in alterõs id criminis reijciẽtes. Vnde etiam (ut dictũ est) in amicos Iohannis sęuitũ est. Cęterùm Nicephorus diserte ad hoc incendium refert, diuinitùs in suggestu, unde populos docuerat Chrysostomus, sua sponte emicuisse flammulam, eamq; inde per catenas in sublime protepsisse, & templum undiquaque corripuisse, & depastam esse. Quãdam etiam senatus curiam longiusculè distam conflagrasse: consumpta quoque alia ædificia, una tantum ædicula, in qua sacra uasa asseruari consueuerant, incolumi relicta. Durauit autem hoc incendium à crepusculo uespertino usque ad auroram. libro tredecimo, capite uicesimoprimo: Sozomenus lib.

octauo, capite uicesimosecundo.

Paulo pòst maxima grando subsecuta est. Socrates libro sexto, capite decimonono: Zonaras tomo tertio. Ipsa quoq; Imperatrix quarto pòst die inter uiuos esse desijt: Sozomenus libro octauo, capite uicesimoseptimo. Vrna quòque in qua ipsa fuerat posita, continuo quodam motu agitari statim cœpit, & ad annos trigintaquinq; durauit. Nicephorus libro tredecimo, capite tricesimosexto: item libro decimoquarto, capite quadragesimotertio.

His accesserunt aliæ etiam calamitates publicæ. Primùm enim bellici tumultus & Reipublicæ turbationes secutæ sunt: quæ quidem ut plurimùm oppressionem salutarium doctorum comitari solêt. Præter alios enim tumultus, etiam barbaricæ nationes rempublicã horribiliter lacerauerunt. Deinde simul ingruerunt pestis, fames, & terræmotus maximi, urbes funditùs euertentes: item inundationes, & siccitates: grandines quoque, quibus cecidêre lapides cõplicata manu maiores: & alia præterea accidêre mala infinita penè, & miraculosa, de quibus infrà. Eaq; non unam tantum orbis partem infestarunt, sed uniuersum propemodum terrarum orbem, præsertim quæ fuit Romano Imperio subiecta. Sozomenus libro tredecimo, capite tricesimoquinto & sexto. Ipsum quoq; Imperatorẽ Arcadium haud diu post obitum Iohannis è uiuis excessisse, tradit Socrates libro sexto, capite ultimo.

Macezil comes, dimicaturus aduersus fratrem Gildonem Africæ præfectum, adhibet in exercitum uiros sanctos, & Christianæ pietati deditos, ex insula Capraria accersitos: nam hoc ex instituto sacratissimi principis Theodosij magni habebat, ut crederet, istorũ se precib. potiturũ uictoria. Nec spes ea ipsum fefellit: istorũ nãq; præsidio instructus, uictor euasit. Verùm haud ita diu memor fuit beneficij, quod piorum oratione diuinitùs sibi contigerat: sed rerum secundarum insolentia elatus, aduersus ipsos quorum ope uicerat, arma uertit, Ecclesiam persequitur, ui è templis abripiens quosdam: quod fas non erat. Atqui minimè hoc ipse impunè habuit, sed statim uindicta Dei ipsum corripuit. Nã illis ipsis quos contra leges ad pœnam pertraxerat, adhuc superstitibus atq; insultantibus, breui pòst ipse quoque punitus est. Paulus Diaconus libro tredecimo, in Arcadio & Honorio: Iuo in Arcadio.

Eucherius, filius Stiliconis, patricij & primarij ducis Honorij, gentis Vandalicæ, iam inde à puero meditatus erat in Christianos persecutionẽ: ut ibidem Paulus Diaconus ait. Et quia pater ad eundem suum filium per fraudes, insidias, & magna in Imperatorem (cuius erat socer) perfidia imperium transferre laborabat: ipse filius, ut sibi paganorum fauorem, studia & uoluntates conciliaret, gentilium templorum restitutione & ecclesiarum euersione, regni primordia se auspicaturum & cogitabat, & palàm etiam minabatur. Verùm diuina sua miseratione Deus pessimos utriusq; conatus repressit, utroq; à militibus occiso. Diaconus ibidem: & Orosius libro septimo, capite octauo & tricesimo: Sozomenus quarto capite, libri noni.

Quantum terrorem incusserit uniuersæ Italiæ potentissimus Gotthorum rex Rhadagaisus, ex superiorib. patet. Nam de abolendo Christianismo in uniuersum, & restaurando gentilismo, passim apud omnes agitabantur cõsilia: & Christianum nomen ueluti pestilentissima quædam Reipublicæ lues habebatur, cui meritò quicquid uspiam esset calamitatum acceptum ferri posset, & iam uniuersa gentilitas triumphabat: ipse quoq; rex, qui omnem Romani nominis sanguinem suis propinandum dijs uouerat, iam uictoria quasi ebrius erat. Ecce autem repentè Deus ipsius dissipat consilia, & è medio cursu persecutionis ipsum intercipit. Quem enim modò cum tanta hominum multitudine tota uix capiebat Italia, ille Panico quodam terrore diuinitùs perculsus, mox in asperrimum Fesulani montis iugum conclusus, cum ob loci iniquitatem fame & siti premeretur, unà cum tam numerosa multitudine clàm fugam meditatur. Verùm à Romanis exceptus prehenditur: & posteaquã aliquandiu in uinculis detentus fuisset, ad ludibrium tandem supplicio afficitur. Exercitus maxima pars in hostium manus peruenit: ac fuit tanta captiuorum uilitas, ut singulis aureis singuli greges uenderentur. Narrant Paulus Diaconus in Arcadio: item Orosius libro septimo, capite tricesimoseptimo. meminit & Iuo.

Ex Orosij ultimo capite non obscurè animaduerti potest, barbaricas gẽtes Gotthorum, Hunnorum, Vandalorum, Alanorum, & aliorum, sese ipsas mutua laniena confecisse. Sicuti quidam ex Barbarorum regulis ad Honorium scripsisse fertur: Esto animo quieto & tranquillo. nos mutuis cædibus inter nos digladiamur: esto tu tantum Tragœdiæ spectator ociosus. Si uincimus, tibi uincimus: si perimus, nobis perimus, &c.

De Crosci, post Stiliconem, Vandalorum regis interitu, expressum extat testimoniũ in Bergomense: qui in obsidione Arelatensi captum ipsum esse à præside scribit, & cathenis uinctum per omnes urbes & cætera loca

loca cuncta quæ uastauerat, in ignominiam cõtumelioſè admodum circumductum: ac poſt multa demum ſæuiſsima tormenta, miſerrima morte extinctum. Narrat autem ea ſub Conſtantino Magno, ubi Vandalorum & Gotthorũ regũ ſucceſsiones enumerat.

De Gunderici, Croſci apud Vandalos in regno ſucceſſoris, obitu, teſtem habemus Sigibertum, qui narrat: Cum capta Hiſpali nonnihil animo efferretur, & inſolentius ageret, ita quidem ut in Eccleſiam quoque impias manus extenderet, mox eum Dei iudicio à dæmone correptum interijſſe. Recitatur Theodoſij iunioris & Valentiniani anno ſecundo.

De Genſerico Vandalorum rege, tyranno crudeliſsimo, qui ſub Imperatore Theodoſio iuniore occupata Aphrica, Eccleſias horrendum & miſerandum in modum uaſtauit, referũt hiſtorici, quòd tandem unà cum filio Hunerico malè perierit.

Proculus, miniſter Genſerici miſſus in Eugitanam prouinciam, ſtrenuè mandata exequitur: ſpoliat templa, diripit & cremat diuinarũ Scripturarũ uolumina, id q; præcipuè in mãdatis habebat. Sigibertus. Verùm non multo pòſt, ſibi ipſi fruſtulatim linguã dentib. præmordẽs, fœda morte interijt.

Sub eadem Genſerici perſecutione in Aphrica Vandalus quidam ex ijs qui millenarij uocãtur, habuit duos ſeruos, & unam ancillam, Chriſtianos eos ad imperium regis impij Genſerici, quotidie ſingulari quodam torturæ genere excruciabat, adeò ut diſsipatis carnibus uiſcera nuda apparerẽt. uerùm illi, Chriſto medicas adhibente manus, altero die mox ſanitati reſtituti erant. Quod cum tyrannum non permoueret, cœpit in eius tota domo ira Dei graſſari. moritur ſubitò ipſe, & filiæ & animalia quæcunque optima in ea domo erant. Sola autem domina uidua cum mancipijs reliqua, ſeruos Chriſti Serſaoni, regis Genſerici cognato, muneris gratia offert. is ubi eos accepiſſet, mox liberos eius & domeſticos malus dæmõ cœpit agitare. Idẽ Victor, lib. eodem.

DE IVDAEIS ALEXANDRINIS.

QVemadmodum Iudæi Alexandriæ nocturnam cędem ediderint in Chriſtianos, ſuprà dictum eſt, ſub Theodoſio poſteriore. Ea igitur clade uehementer permotus primarius illius Eccleſiæ paſtor Cyrillus, irruit in ipſorum ſynagogas cum magna Chriſtianorũ multitudine: Iudęorumq; alios trucidat, alios urbe ui exigit, facultatibus ipſorum ad diripiẽdum Chriſtiano populo permiſsis. Atq; hoc nomine uniuerſa Iudæorum gens ex ea urbe eiecta eſt, quam inde ab Alexandri magni temporibus incoluerãt. Socrates libro 7. capite tredecimo.

Dederũt autem illi Iudæi pœnas, propter puerum in crucem ab ipſis actum. Nam Imperatores ubi tã immane facinus reſciuerũt, ſcripto prouinciæ præfecto mandant, ut de authorib. inquirat, eosq; pro facinoris atrocitate grauiter puniat. Idem capite decimo-ſexto eiuſdem libri.

Magi Perſarum ſacrificuli, cum uiderent Chriſtianiſmũ ſubinde magis magisq; creſcere, regemq; ſuum Iſdigerdem plurimùm moueri pietate Romani legati Maruthæ, Chriſtiani Meſopotamiæ doctoris, ſoliciti ne ipſorum religio paulatim etiam Regi ſuſpecta fiat, & ipſe quoq; ad Chriſtianam fidem deficiat, excogitant impoſturam & dolum, quo ipſius animũ à Chriſtiano doctore auellant. In eo tẽpli loco quo ignis, quem pro numine colebant, poſitus erat, uirum ſub terram occultè condunt, eumque ad regis ingreſſum ueluti ex igne hanc uocem edere iubent: Exeat Rex, quẽ Deus impiũ iudicat, eo quòd Chriſtianę ſuperſtitionis doctorem tantopere complectẽs, charum mihi eſſe falſò arbitratur. Eam ad uocem Rex perturbatus, & animi dubius quid faciat, demum conſilium capit remouendi à ſe legati: ſed tamen honeſtè & reuerenter, ne ſuum numen offendat. Hoc animaduertens Maruthas, regem adit, & cum ipſo ea de re ſermonem confert: Quid ita ô Rex, inquit, tibi à tuis illudi pateris? Ne credas ignem humanam edere uocem poſſe, ut qui eſt inanimatus: ſed humana fraude hæc agitur fabula, ad te decipiendum. Quare hoc tibi dederim conſilij, ex quo loco uocem eam ad te perferri ſenſeris, ibi ſtatim iubeto terram effodi, & dolus fiet manifeſtus. Rex Marutham audiens, ita fieri præcepit: & reperto homine, impoſtura patefacta eſt. Rex igitur uehementer indignatus, Magorum familias decimauit. Nicephorus libro decimoquarto, capite decimooctauo.

Etſi autem tantam calamitatem ſuarum præſtigiarum mercedem Magi experti erãt, tamen quieti eſſe non potuerunt. Nam paruo temporis interuallo interiecto, cùm denuò Maruthas legatione apud regem fungeretur, aliud quo Regis animum ab epiſcopo Romano abſtraherent, excogitant. Quacunq; eſſet Rex tranſiturus, illic intolerandum excitant fœtorem: calumniamq; confingunt legati, comites Chriſtianos iſtius eſſe artifices. Verùm Rex ex priori Magorum facto iudicium faciens, nunc quoq; ſuſpectos eos habet. quamobrem magno ſtudio de authoribus inquiri iubet: qui ex Magis deprehenſi, ſupplicio quoq; ſunt affecti. Ibidem.

Patris ueſtigijs minimè inſecutus filius

Varanes,à Magis ſibi imponi, & aduerſum Chriſtianos grauiter ſe accendi paſſus eſt, magno certè regni ſui damno. Nam cum ad triginta annos Eccleſias in Perſide maximopere eſſet perſecutus, nullo nō acerbiſsimarum afflictionum genere tentato, tādem Deus ſui cœtus tribulationem reſpiciens, uotaq; & gemitus exaudiens, mittit illis ſaluatorem, Imperatorem Romanum Theodoſium iuniorem. is patrocinium ſuſcipit afflictę Eccleſię Perſicę, & Perſas bello adoritur: ac uno atq; altero graui prælio inito, non modò uincit, ſed etiam uniuerſam Perſicam potentiam frangit. Nam & illi ipſi qui apud eos ἀθάνατοι, id eſt Immortales dicebantur, ad internecionem uſq; cæſi ſunt. At Imperator contentus uictoria, Eccleſijs potiſsimùm parcens, quieuit. Socrates lib. ſeptimo, cap. 18. & uiceſimo: itē Nicephorus libro decimoquarto, cap. uiceſimoprimo.

DE CHRYSAPHIO EVNVCHO.

Theodoſij Iunioris animus plus æquo eunuchorum, qui multa mala ſæpe moliti ſunt, fraudi fuit expoſitus. Quæ autē principe Chryſaphio in Flauianum Cōſtantinopoleos paſtorem fraudulenter ſint acta, donec exitio ipſe traderetur, ſuprà eſt expoſitum. Poſtquam autem intellexit Imperator, aſtu eunuchi Chryſaphij ſe deceptum, ut cōſenſerit in Flauiani cōtumelioſam cōdemnationem, & quæ in alios quoq; doctores ſuos amicos nefariè perpetrata erant, ut ſuo dolori mederetur, malum illum conſultorem adoritur, ac dignis eum afficit pœnis. Primùm enim ipſum dignitatis gradu priuat: poſtea omni ſubſtantia exuit, tertiò in quandam inſulam relegat. Quò tamen priusquam ueniret, diuina quoq; ultio in ipſo mari eū inuaſit. Nicephorus cap. quadrageſimonono, lib. 14. Quæ præterea publicis edictis in Flauianū, eiusq; partium homines, ut hæreticos, pro Eutyche ſtatuerat, rurſum alijs cōſtitutionib. promulgatis abrogat: & eorundē aduerſarij, Dioſcorus & alij iniuſticiæ miniſtri, incidunt in eaſdē pœnas, quas alijs præfinierant: ut ex actionibus concilij Chalcedonēſis, præſertim tertia, eſt uidere, in primo Conciliorum tomo.

DE ATTILA.

Attila tyrannus omnium immaniſsimus, qui flagellum Dei, & terror orbis meritò fuit dictus, à cuius tyrannide Orientale regnū ingenti pecuniarū ſumma Imperator Theodoſius poſterior redimere coactus fuit, imò & annuum tributum pendere: is ſexto ſuæ tyrannidis anno, in ipſis nuptijs, dum ex crapula apoplexia tactus eſſet, proprio ſanguine eſt ſuffocatus iuſto Dei iudicio, ut qui ſanguinem ſitiuerat, ſanguine potaretur: idq; factum eſt ſub Imperatore Martiano. Nam ea nocte qua interijt, Imperator Martianus per ſomnum Cōſtantinopoli uidit Attilæ arcum eſſe fractum: id quod refert Sigibertus quarto Martiani anno. Sunt qui ſcribant, à militibus confoſſum multis uulnerib. interijſſe. Meminit & Bergomēſis.

DE ASPARE ET *Ardaburio.*

ASparem & Ardaburiū, Imperij Orientalis duces, ſub Imperatore Leone eccleſias turbare uoluiſſe, ſcribit Nicephorus: eo quòd eſſent nationis Vandalicæ, & profeſsione Ariani. In multis neceſſarijs rebus Imperatori aduerſati ſunt, idq; non occultè, ſed palàm ac manifeſtè: eam potiſsimùm ob cauſam, quòd Nicenam & Chalcedonenſem ſynodos, quos defendebat Imperator, reprehendebant, ipſiq; Genſericum Aphricæ regem Arianum præferebāt, cuius religio eſſet ſanior: ac propterea Deū uictoriam tributurū eſſe Genſerico, ſeq; alteri imperiū traditurōs minabātur, ſicuti ipſi Leoni hoc quoq; tradidiſſent. Sed Imperator, cum nulla eos ratione ad quietē reducere poſſet, licet Aſparis filio propriam ſuam filiam in matrimonium collocaſſet: ſubornauit tandem Zenonē, qui ei poſtea in Imperio ſucceſsit, ut illos trucidaret. Nicephorus libro decimoquinto, capite uiceſimoſeptimo.

Memorabile & hoc eſt. Vbi Aſparis Ardaburium trucidari uidit, ſeq; eundem manere caſum, ingemiſcens exclamaſſe dicitur: Dignum fert ſenex canis exitium, qui fruſtra gloriatus eſt, neq; unquam admonitioni meæ audiens fuit. Perſæpe enim dixi: Prius Leonem deuoremus, quàm ille nos ſibi in prandio apponat, &c.

DE HVNERICHO VANDALORVM *rege.*

CVm haud ita procul abeſſet terminus, quem Dominus pro ſua ingenti miſericordia conſtituerat Hunericho, uoluit ipſum prius publicis quibuſdam calamitatibus & pœnis de pœnitentia commonefacere. Nam acciderunt primùm ingētes ficcitates, & quidem durabiles, adeò ut nō modò fontium ſcaturigines, ſed & magnorum fluminum exiccarentur aluei: unde factum, ut terra humore ac rigatione deſtituta, hominum & reliquorum animantium generi ſua dona ad uitæ conſeruationem proferre non poſſet. Quare cum temporis ſucceſſu paulatim abſumerentur, quæ longo tempore ad ingruentem aliquam neceſsitatem recondita erant, nec terra uices redderet, ſubſecuta eſt ingens fames: quæ eò uſq; breui creuit, ut iam homines ſua animātibus inuiderent pabula, & propter tenerarum herbarum exiles radiculas cum ijs certamina ſurbire non detrectarent. Erant non pauci, uiri etiam

ri etiam ingenui, & honesto loco nati, qui ultrò sese seruituti tradere optabant, tantum ne fame perirent: sed non erat qui illos reciperet. Cumprimis autem Vandali maximè premebantur, qui paulo antè spoliijs multarum prouinciarum, & præsertim Africæ occupatione fuerant opulentissimi. Hanc autem rerum omniũ extremam inopiam, cum homines inedia confecti caterùatim occumberẽt, quid aliud sequi potuit, quàm quod prouerbio dici solet, λιμὸς κατὰ λοιμοῦ, post famem pestis? Nam passim semitæ cadaueribus repletæ erant, ac deerant qui sepelirent: plurima etiam loca omnino desierũt habere homines.

Verùm hisce pœnis Rex impius nihilo factus est melior: sed quasi ui propulsari mors posset, præcipit ingentem hominum multitudinem Carthagine eijci, ne ipse cum suis quoq; inficeretur. Sed mors, quæ tam Regum aulas quàm pauperum casas æquo pede pulsat, apprehendit demum ipsum quoque Regem, quem uenenato hulcere necauit, pro regia dignitate & pro tyrannidis suæ meritis longiori mora lentè & pedetẽtim ipsum excrucians. Deniq; cum regni dominationem annos ferè octo sceleratissimè tenuisset, putrefactione correptus, & uermibus scatens, turpissima morte consumptus est, adeò ut non corpus, sed partes corporis sepultæ esse uiderentur: ut refert Victor libro tertio, in sua Vandalica historia. Idem dicit Sigebertus. Turonensis uerò libro secũdo, capite tertio scribit, ipsum à dæmone fuisse correptũ: & proprijs se manib. dilaniantẽ horrendo cruciatu uitã finiuisse.

CAPVT IIII.

DE DOCTRINA ECCLESIÆ huius seculi.

MIRANDO Dei consilio & bonitate, etiam hac ætate multi præstãtissimi Doctores in Ecclesia Christi passim floruerunt, qui non tantum uiua uoce cœlestem doctrinam tradiderunt, sed etiam luculẽtis scriptis eam ad posteritatem transmittere studuerunt. Vtinam uerò, id quod cum dolore omnes pij queruntur, libri ipsorum integri atq; incontaminati ad sequentia secula peruenissent. Siue enim scribarum incuria atq; insciția, siue hypocriticorum & superstitiosorum hominum malicia atq; fraudulentia factum sit, certè extra controuersiam est, plurimos in ipsorum scriptis obtrudi nobis fœdos næuos, quos ipsi fortè autores ne per somnium quidem cogitarunt: ac si iam reuiuiscerent illi eximij uiri, in suos illos falsarios seriò & grauiter inueherentur, & pœnam de eis sumi postularẽt: id quod tamen adhuc aliquando fiet, ubi Dominus noster IESVS Christus, omnium mortalium facta cognoscet ac dijudicabit. Interea uerò præsentibus, dextro tamen adhibito iudicio, iuxta certissimã uerbi diuini normam fruamur.

Omnium autem clarissimi hoc quidem seculo, sicut ex ipsorum scriptis coniecturam facere possumus, fuerũt, Ioannes Chrysostomus, Augustinus, Isychius, Cyrillus, Vigilius, Maximus, Philastrius, Vincentius, Proclus, Primasius, Prosper, Cassianus, Eucherius, Salonius, Iunilius, Cerealis, Timotheus, Sidonius, Sedulius, Saluianus, Antoninus, Leo, Claudius, Victor Vticẽsis, Eugenius, Theodulus, Faustus, Gelasius, Theodoretus, Marcus heremita, Thalassius, & similes.

Quod autem ad formam doctrinæ ipsorum attinet, cum doctoribus seculi præcedentis potissimùm conueniunt: atq; inde non tantum lucem in uera doctrina, sed etiam næuos quosdam tenebrasq; attraxerunt ac propagarunt. In quibus igitur partibus normam uerbi diuini fideliter secuti sint, in quibus uerò declinarint, iuxta institutum ordinem exponendum est. Quid enim reliqua in hoc seculo scire expedit, si nõ penitus id quod propriè Ecclesiam Dei constituit, indagetur? Ac perinde faciunt, qui hæc non inquirunt diligentius, ac si aliquis foris, & quidem ex longinquo ciuitatẽ aut arcem magnificè extructam cerneret: & ea quæ intus sunt, aut geruntur, prorsus non curet.

Cum autem sacrosancta Scriptura existat fundamentum Ecclesiæ Dei, maximi huius ætatis doctores authoritatem eius fecerunt. Sic Chrysostomus, in argumento in epistolam Pauli ad Romanos inquit: Hinc innumera mala nata sunt, quòd Scripturæ ignorantur. Hinc erumpit multa illa hæreseum pernicies, hinc uita dissoluta, hinc inutiles labores. Quemadmodum enim, qui luce ista priuati sunt, rectà utiq; non pergunt: ita qui ad radios diuinarum Scripturarum non respiciunt, multa coguntur continuoq; delinquere, utpote in longè peioribus tenebris ambulantes. Et homilia quinquagesimaoctaua in decimum caput Ioannis: Meritò Christus ostium Scripturas appellat, quoniam nos ad Deum ducũt, & eius nobis cognitionem aperiunt: ipsæ oues faciunt, ipsæ custodiunt, neq; lupos irrumpere permittunt. Tanquam enim ostium firmissimũ hæreticos arcent, & in tuto constituunt: neque nos, modò uelimus, aberrare unquam sinent. Et nisi hoc ostium infringamus, nunquam nos inimici nostri poterunt expugnare: per hoc ostium & pastores, & alij omnes

ingrediemur. Præclarè etiam ſcribit in concione quarta de Lazaro: Id uerum eſſe, inquit, quòd, qui non audit Scripturas, neque ex mortuis excitatos auditurus ſit, declararunt Iudæi, qui quoniam Moſen ac Prophetas nõ audierãt, neq; cum mortuos uidiſſent excitatos, crediderunt. Ac paulo pòſt ſubijcit: Illud conſidera, quòd quiſquis mortuus eſt, ſeruus eſt: quæ uerò Scripturę loquuntur, locutus eſt Dominus. Proinde etiamſi mortuus reuiuiſcat, etiamſi angelus è cœlo deſcendat, maximè omnium credendum eſt Scripturis. Et homilia trigeſimaquinta in caput quintum Ioannis inquit: In diuinis ſcripturis, ne unum iota, aut unus apex, ſed ne dimidium quidem prætermittendum eſt, ſed omnia diligentius inueſtiganda. nam à Spiritu ſancto omnia proueniunt: neq; in his quicquam ſuperfluum, nihil non neceſſarium. Et homilia decimaquinta in ſecundum caput Geneſeos: Vt omnia diligenter uobis interpretantes, doceamus uos, neq; dictionem paruam neque ſyllabam in diuinis literis contentam, eſſe prætereundam. Non enim uerba tantum ſunt, ſed & Spiritus ſancti uerba. Et propterea magnum theſaurũ inuenire licet, etiam in una dictione.

Auguſtinus libro decimo de ciuitate Dei, capite tertio: Hic prius per Prophetas, deinde per ſeipſum, poſtea per Apoſtolos, quantum ſatis eſſe iudicauit locutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentiſsimæ autoritatis: cui fidem habemus de ijs rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipſos noſſe idonei ſumus. Item libro decimonono, capite decimooctauo: Credit etiam ſcripturis ſanctis & ueteribus & nouis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipſa concepta eſt, ex qua iuſtus uiuit: per quam ſine dubitatione ambulamus, quandiu peregrinamur à Domino. Item ad Voluſianum, epiſtola tertia: Tanta eſt enim Chriſtianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia uſq; ad decrepitam ſenectutem maximo ocio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Non quòd ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tãta in eis perueniatur difficultate: ſed cum quiſq; ibi fidem tenuerit, ſine qua piè, rectèque non uiuitur, tam multa, tamq; multiplicibus myſteriorum uocabulis & umbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant: tantaq; non ſolùm in uerbis quibus iſta dicta ſunt, uerùm etiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſsimis, acutiſsimis, flagrantiſsimis cupiditate diſcẽdi hoc cõtingat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet, Cum conſum mauerit homo, tunc incipit. Ad Hieronymum epiſtola decimanona: Ego enim fateor charitati tuæ, ſolis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, ut nullũ eorum autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſsimè credam: ac ſi in eis offendero literis, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud quàm uel mẽdoſum eſſe codicem, uel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, uel me minimè intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaq; præpolleant, non ideo uerum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia nihil uel per illos autores Canonicos, uel probabili ratione, quod à uero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliquid aliud exiſtimo. Prorſus inquam, nõ te arbitror ſic legi tuos libros uelle, tanquam Prophetarum uel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis dubitare nefarium eſt. Idem libro ſecundo contra Donatiſtas, de Baptiſmo, capite tertio: Quis autem neſciat, ſanctam Scripturam Canonicam, tam ueteris quàm noui Teſtamenti, certis ſuis terminis cõtineri, eamq; omnib. poſteriorib. Epiſcoporũ literis ita præponi ut de illa omnino dubitari & diſceptari non poſsit, utrũ uerũ, uel utrum rectũ ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit? &c.

Palàm profitentur huius ſeculi Scriptores, alligatos ſe eſſe Scripturę ſanctæ, neque gignere noua dogmata. Prædicatio eſt eadem hodie, inquit Chryſoſtomus, quæ tempore Pauli erat. in primum caput Epiſtolæ ad Philippenſes. Et homilia octaua ex quinto capite ad Hebręos ait: Propter hoc fidem ſuſcepimus, ut non cogamur innumeris hęreſibus adhærere, negocium q; habere: ſed ſi quid addere aut detrahere illi quis molitus fuerit, hoc nothum eſſe iudicemus. Sicut enim qui regulas certas exhibent, non compellunt decem millia metra ſcrutari, ſed illud quod traditum eſt cuſtodire iubent: ſic & in dogmatib⁹. Sed nemo uult ad Scripturas attendere. Si enim aduerteremus, non ſolùm non incideremus in fallaciam: ſed etiam alios deceptos inde liberaremus, & de periculis abſtraheremus.

Symboli uice poteſt eſſe, quod ſcribit Auguſtinus de eccleſiaſticis dogmatibus: Credimus unum eſſe Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: Patrem, eo quòd filiũ habeat: Filium, eo quòd patrem habeat: Spiritum ſanctum, eo quòd ſit ex patre & filio procedens, patri & filio coæternus. Pater ergo principium, Deitatis, qui ſicut nunquam fuit non Deus ita nunquam fuit non pater, à quo filius natus: à quo Spiritus ſanctus nõ natus, quia non eſt filius: neque ingenitus, quia

quia non est pater: neq; factus, quia non est ex nihilo, sed ex Deo patre & Deo filio Deus procedens. Pater æternus, eo quòd æternum habeat filium, cuius æternus sit pater: Filius æternus, eo quòd sit patri coæternus: Spiritus sanctus æternus, eo quòd sit patri & filio coæternus. Non confusa in una persona Trinitas, ut Sabellius dicit: neq; separata aut diuisa in natura diuinitas, ut Arius blasphemat: sed alter in persona Pater, alter in persona Filius, alter in persona Spiritus sanctus, unus natura in sancta Trinitate Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus.

Eugenius Carthaginensis de Catholica fide libro primo ita scribit: Patrem ergo, & Filium, & Spiritum sanctum ita in unitate Deitatis profitemur, ut patrem in sua proprietate personæ subsistere, & filium nihilominus in propria extare persona, atq; spiritũ sanctũ personæ suæ proprietatẽ retinere, fidei confessione fateamur: non eundem asserẽtes Patrem, quem Filium: neq; Filium confitentes, qui Pater aut Spiritus sanctus. Neq; Spiritum sanctum accipimus, ut aut Pater sit, aut Filius. Sed ingenitum patrem, & de patre genitum filium, & de patre & filio procedentem spiritum sanctum, unius credimus esse substantiæ & essentiæ: quia ingeniti patris, & geniti filij, & procedentis Spiritus sancti una est Deitas, tres uerò personarum proprietates.

Sed plura symbola infrà in capite de Synodis recensebũtur, quæ ne bis eadem ponerentur, hoc loco recensere noluimus.

DE SACRA SCRIPTVRA *ueteris Testamenti.*

NOn tantum approbarunt ueteris Testamenti scripta Doctores Ecclesiæ Dei in hoc seculo: sed summam eis autoritatem tribuerunt, & debita reuerentia tradiderunt: id quod uel ex eo satis patet, quòd luculentissimas enarrationes in libros Moysi, Prophetarum & alios posteritati reliquerunt. Hinc est, quòd Chrysostomus in primum caput Geneseos homilia secunda ait: Ita nostris rationibus longum ualere dicamus, quasi non iam à Mose, sed per linguam Mosis, ab ipso omnium Deo audiamus. Eucherius inquit: Notandum, quòd ubicunq; in Græco Testamentum legimus, in Hebraico sermone Fœdus siue Pactum habetur. Multa quippe appellantur Testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis, & uetere & nouo: quod licet cuiq; legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem, primum profectò illud est: Qua die ederitis, morte moriemini. Libro secundo in Genesin, cap. 24. pag. 80.

De duobus Testamentis Augustinus scribit libro Expositionum propositionum ex epistola ad Romanos: Nõ enim accepistis spĩritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Euidentissimè duorum Testamentorum distincta sunt tempora: illud enim ad timorem pertinet, nouum autem ad charitatem.

De Spiritu & litera cap. 19. Dicitur illud testamẽtum uetus: hoc autem nouum, propter nouitatem spiritus, quæ hominem nouum sanat à uitio uetustatis.

De duobus testamentis sic loquitur Chrysostomus, in Sermone de lapso inter latrones: Ad duo testamenta nihil potest addi, nec quicquam augmenti detrimenti ue lex sancta suscipit.

Sacram Scripturam non esse commentum humanum, sed ab ipso Deo traditam, passim sedulò inculcarũt. Chrysostomus in homilia 35. in caput quintum Ioãnis, docet omnia in Scripturis sacris à Spiritu sancto prouenire. Sic in Sermone de fide & lege naturæ scribit: Omnis Scriptura, quę diuinitùs inspirata est utilis, originẽ & fontẽ pietatis à spiritu ueritatis ducit.

Cyrillus: Dicimus necessariò quod inuenimus apud Iudæos, hoc est apud diuinitùs inspiratã Scripturam, de uera & unica Deitate sententiam perspicuam & exactam, omniq; persuasione plenam, leges & institutionem. Libro sexto contra Iulianum. Eucherius inquit: In consilio diuinæ promissionis, nobis utiq; inaccessibili atq; incomprehensibili, ante secula dispositũ est, quando & qualiter, quibus ue autoribus sacra Scriptura conderetur. in Commentarijs in libros Regum, libro tertio, pag. 104.

Isychius ait: Vnus idemq; esse legislator noui simul ac ueteris Testamenti demonstratur, dum ex autoritate siue potestate quę uult nunc præcipit, nunc autem prohibet. in præfatione Commentarij in Leuiticum. Item: Quæcunq; Prophetæ præcipiunt, manifestum est quia Dei præcepta sunt. Idem libro 7 Com. in 27 cap. Leuitici.

Eucherius inquit: Omnis scriptura Prophetica sibimet consentanea est, utpote uno Dei Spiritu condita. in Cõmentarijs in libros Regum, libro tertio, pag. 131.

Quotuplex sit uerbum Dei, seu quæ sint eius præcipua capita, docet Isychius: Et panes quidem, inquit, primitiarum duos scilicet iubet offerri, id est Legem & Euangeliũ. Panes enim sunt cibi animarum fidelium. continentes sunt autem & primitiarum (siue, ut Septuaginta, separati) quoniam omni quidem sapientia sunt præcipui: ab ea autẽ quæ exterior est, separati uidelicet sunt, & seiũcti. Sunt ergo ex duabus decimis similæ fermẽtatę, ex doctrina quę perfectã Dei diui

nitatem,& perfectam humanitatem tradit: nec aliter coqui, nisi per talem doctrinam possunt:sed primitiæ horum sunt Domino. primus enim Dominus qui legem perfecit, & Euangeliũ post hoc docuit.Isychius lib.6 Commentariorũ in 23 caput Leuitici. Philastrius Scripturas canonicas uocat legem & prophetas,uetus scilicet & nouum Testamentum,in Catalogo hæresium.

Veteris Testamenti figuras ipsum Christũ designare atque complecti docent. Nam Chrysostomus in primum caput ad Timotheum 1.inquit:Tota legis intentio, omniaque illa Sacramenta carnalia,ac figuræ omnes Christum loquuntur, Christum nobis insinuant. Enimuerò cum legis destinatio sit iustificare hominem, neq; id possit, ad eum transmittere studet,qui potest. De eadẽ re præclarè ait decima Homilia ex uarijs in Matthæum locis:Sic uidi Moysen, sic uidi prophetas,ut de Christo intelligerem loquentes. Deniq; quando uenero ad splendorem Christi, & quasi splendidissimum lumen clari solis aspexero, lucernæ lumen non possum uidere. Nunquid lucernam si incendas in die, lucere potest?Si sol luxerit, lux lucernæ non patet.Sic & Christo præsente comparata lex & prophetæ, penitus non apparent. Non detraho legi & prophetis: quin potius laudo, quia Christum prædicant.Sed sic lego legem & prophetas, ut nõ permaneam in lege & prophetis,sed per legem & prophetas ad Christum perueniam. Cyrillus inquit:Diuinus Moyses, & sanctorum Prophetarum chorus, Apostoli quoq; & Euangelistæ,unum naturalem & uerum Deum glorificant:& ut nos quoque sic sentiremus persuaserunt,dum à nugis & omnigenis monstrositatibus, turpiq; sensu abstinent,ac admirandam uitæ conuersationem probè instituunt.Nihil apud eos fictum est, nullæ sententiæ minus persuasibiles.Quippe quòd nostra Mosę,sanctorumq; prophetarum prædicationibus conueniant,& Euangelicæ Apostolicæq; doctrinæ ueritas à priscorũ sentẽtijs nõ abludat, tẽpore suo sermo noster manifestè ostẽdet.libro secundo contra Iulianũ. Isychius ait:In his Theologiam constituamus, in quæ nobis incarnatus tradidit Christus, ut patrem in eo,& ipsum in patre cogitemus:& de sancto spiritu sciamus,quia & ipsius est filij, & à patre procedit. libro secundo Commentariorum in sextum caput Leuitici. Item:Figuræ populo Iudæorum,& imagines maiorum mysteriorum datæ sunt: & propterea habitare in tabernaculis, & tabernaculorum festiuitatem celebrare iussi sunt, ut nõ obliuiscerentur liberationis Aegyptię. Sed hoc quidem secundum literam;spiritualiter autem, ut reminiscamur,quia de intelligibili Aegypto liberati sumus: id est, ab intelligibilis Pharaonis seruitute. Isychius libro sexto Commentariorum in 23. cap. Leuitici. Eucherius inquit:Quia Scriptura ueteris Testamenti tanta perfectione redundat,ut si quis eam bene intellexerit, cuncta in se noui Testamenti mysteria cõtineat:patres quoq; ueteris Testamenti tanta perfectione arcem perfectionis tenuerunt,ut in nullo Apostolis,uirisq; Apostolicis putandi sint esse minores.Eucherius in Commẽtarijs in libros Regum,lib.3.pag.85.

Distributionem Scripturæ recitat Augustinus in Iohannem tractatu 48.Et legem appellauit Dominus generaliter omnes illas Scripturas: quamuis alibi specialiter dicat legem, à Prophetis eam distinguens: sicuti est,Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem: &,In his duobus præceptis tota Lex pendet, & Prophetæ. Aliquando autem in tria distribuit easdem Scripturas, ubi ait: Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis,& Psalmis,de me.

De fine ueteris Testamẽti, inquit Eucherius:In testamento ueteri obumbratur nouum. Quid est enim quod dicitur Testamentum uetus,nisi occultatio ? Et quid est aliud quod dicitur nouum, nisi ueteris reuelatio?libro secundo in Geneseos caput 26. Iunilius ait:Per crebras,imò quotidianas in lege uictimas,sanguis Dominicę passionis, qui semel erat pro salute mundi effundendus,signabatur.in Genesin.Et: Figuræ ueteris Testamenti ad nouum intentione respiciunt:Nouum autem, futuræ uitæ beatitudinem repromittit. Et sic omnia ad futuri seculi spem ex ipsa intentione currunt.Iunilius lib.2.cap.17.

Paulinus ait:Et in anima nostra multi, sicuti in illa ad piscinam olim medentem porticu,iacent ægri & debiles: quam si adeat Dei uerbum,& auariciæ lepram, & inuidiæ ferruginem, & intemperantiæ cæcitatem,& iracundiæ phrenesin, & luxuriæ paralysin,præcepto medente depellet:& nos non solùm ad sanitatem innocentiæ, sed etiam ad firmitatem patientiæ refectos,iubebit ilicò,non solùm exurgere de infirmitatis lectulo,sed etiam ipsum lectũ tollere: ut portemus ualidi, quo portabamur infirmi. in epistola 12.ad Seuerũ. Et:Pasce nos spirituali cibo,id est uerbo Dei, qui est uerus & uiuens panis,& in quo magis quàm in pane uiuitur.Paulinus in epist.4.ad Amandum.

De abrogatione ueteris Testamenti Sedulius asserit, quòd circumcisio & purificationes & uetus Testamentum sit sublatum per Christum:in 2.caput ad Romanos. Eucherius inquit:Moriente Christo in cruce, uelum

lum scissum est, quia figuræ legales iam nũc ad finem uenissent, ac ueritas Euangelij, arcana q; cœlestia, & ipse cœli ingressus non adhuc prophetisandus, ac figuraliter significandus, sed iam iam q; esset proximè omnibus aperiendus, qui ab initio mundi usq; ad id temporis in fide ueritatis de mundo transierunt. in Commentarijs in libros Regum, lib. 3. pag. 109.

DE SCRIPTVRA NOVI *Testamenti.*

DE excellentia noui Testaméti scribit Augustinus libro primo de consensu Euangelistarum, capite primo: Inter omnes diuinas autoritates, quæ sanctis literis continentur, Euãgelium meritò excellit. Quod enim Lex & Prophetæ futurum prænunciauerunt, hoc redditum atq; completum in Euangelio demonstratur: cuius primi prædicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum IESVM & Saluatorem nostrum Christum etiam præsentem in carne uiderunt.

Cyrillus ait: Exquisita est, diuinitus q; defluxa omnium Euangelistarum doctrina. libro primo, in prologo, in Euangelium Ioannis.

Leo inquit: Non æstimet sibi prodesse Iudæus, quòd in literæ carnaliter superficie demoratur: & ijs Scripturis conuincitur, quæ apud nos ueram sui obtinent dignitatem, dum & erudimur prędictis, & ditamur impletis. Dicente enim Domino: Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me: nihil legalium instructionum, nihil Propheticarum recedit figurarum, quod non totum in Christi sacramenta transierit. Nobiscum est signaculũ circumcisionis, sanctificatio charismatum, consecratio sacerdotum. Nobiscum puritas sacrificij, baptismi ueritas, honor templi: ut meritò cessarint nũcij, postquam nunciata uenerunt: nec uacuatur reuerentia promissionum, quia plenitudo manifestata est gratiarum. Sermone 13. de Passione Domini.

Isychius ait: Apostolicam doctrinam sequi maximè oportet eum qui saluari desiderat. in septimum caput Leuitici. Et: Quémadmodum ergo inter multas ianuas, & unam ianuam, sola hæc differentia est, quia illæ quidem multæ sunt, illa autem una est: sic Apostolorum sermones & doctrinæ, nihil à Christi doctrina differunt aliud, nisi quia unum Dominicum uerbũ est, de quo Paulus ait ad Hebræos 4. Viuus est Dei sermo. & Actorum 6: Petrus cum cæteris Apostolis ait: Non est æquum relinquere nos Verbum Dei, &c. In multas enim linguas & differentes diuisum est: qui cum ianuæ propter multitudinem sint, ad unum introitum uitæ, id est Christi ianuam deducunt auditorem. libro 2 Comment. in octauum caput Leuitici. Item: Omnia quæ in Euangelijs acta sunt, à prophetis prædicta sunt. libro 2. Cõment. in 10 caput Leuitici. Item: In Euangelicis libris salus peccatorum prędicatur: in undecimũ Leuitici. Et: Apostolorum doctrinæ sunt introitus, & uerum testimonij tabernaculum, id est habitatio Christi, & conuersatio. libro 5. Commentariorum in 15 Leuitici.

Eucherius inquit: Euangelica præcepta longè clariora sunt, quàm ueteris Testamenti mandata. libro 3. in Genesin. Et: In quo quidem tunc figurata est mutatio ueteris sacerdotij, & nunc impleta, quando infirmata est, quæ multa erat in filijs, ut nouum haberet sacerdotium in Christo. Eucherius in Commentarijs in libros Regum, libro primo. Et nouum Testamentum non alia nobis aliqua prædicat, quàm quæ Moses prædicanda esse prædixerat, & prophetæ. in Commentarijs in libros Regum, libro tertio.

¶ De subiecto summa q; Noui Testamenti sic inquit Chrysostomus homilia 10. ex uarijs in Matth. locis: Ego quãdo lego Euãgeliũ, et uideo ibi testimonia de lege, testimonia de prophetis, solum Christũ cõsidero.

Isychius inquit: Gaudent hi qui diuinas Scripturas meditantur, quando eum uenisse, qui in eis & per eos prophetatus est, cognouerunt. libro primo in 1. Leuitici.

Paulinus inquit:

Nam quia latorem duo testamenta per unum
Pacta Deum in Christo copulat una fides,
Lex antiqua nouam firmat, ueterem noua complet:
In ueteri spes est, in nouitate fides.
Sed uetus atq; nouum coniungit gratia Christi.

Paulinus in epist. 12. ad Seuerum.

¶ De intellectu sic inquit Salonius: Hoc ergo præcepit, ut ueritatem sacræ fidei & Euangelicæ doctrinæ nemo aliter suscipiat, quàm à sanctis patrib. est tradita. Scire hoc præcipit, ut eloquia sanctarum Scripturarũ nemo aliter interpretetur, nisi iuxta uniuscuiusq; scribentis intentionẽ. in Prouerbia Salomonis. Eucherius inquit: Nisi unigenitus Dei filius incarnatus esset, Scripturæ sacræ profunditas non patêret. libro secundo in Genesin.

Sacræ scripturæ lectionem salutarem esse docent. Nam Chrysostomus homilia 29. in 3 caput Iohannis inquit: Perspicuum est, spirituali lectione animam sanctificari, & gratiam Spiritus sancti affatim infundi. Diuini cantus sunt Scriptura. hinc nobis & animę nostrę affectibus remedium petamus: cuius utilitatem si intueremur, incredibili ei attentione uacaremus.

Augustinus de blasphemia in Spiritum sanctum:

ſanctum : In omni quippe copia Scripturarum ſanctarum, paſcimur apertis, exercemur obſcuris. Illic fames pellitur, hic faſtidium. De utilitate credendi ad Honoratũ capite ſexto: Quicquid eſt in Scripturis illis, altum & diuinum eſt, ineſt omnino ueritas, & reficiendis inſtaurandisq; animis, crede mihi, accommodatiſsima diſciplina: & planè ita modificata, ut nemo inde haurire poſsit quod ſibi ſatis eſt, ſi modò ad haurien dum deuotè ac piè, ut uera religio poſcit, accedat. Libro 2. de doctrina Chriſtiana, capite nono: In his omnibus libris, nempe ſacræ Scripturæ, timentes Deum, & pietate manſueti, quærunt uoluntatem Dei. Libro 3. de doctrina Chriſtiana, capite 28. Per Scripturas enim diuinas multo tutius ambulatur, quas uerbis translatis occupatas cum ſcrutari uolumus, ut aut hoc inde exeat quod non habeat cõtrouerſiam: aut ſi habet, ex eadem Scriptura ubicũq; inuentis atque adhibitis eius teſtibus terminetur.

De effectu ſic inquit Iſychius: Doctrina & traditiones Apoſtolorum ſunt oſtia tabernaculi teſtimonij, utpote ad cœlum introitum præbentia. lib. 1. Comment. in 4. cap. Leuit. Item: Euangelica prædicatio prohibet quædam de his quæ uidentur legi, & nimis obſeruantiam reprehendit literæ, oſtenditq; conſiderationem neceſſariam eſſe ſpiritualis intelligentiæ. in præfatione Cõmentariorum in Leuiticum. Item: Clari & aperti Euangelici Chriſti ſermones ſunt ſuper lac legale. Iſychius lib. 7. Comment. in 24. caput Leuitici. Item: Cum maxima ſint ea quæ ſunt per Patriarchas, Legem & Prophetas policita, tamen per Euangelium promiſſa maiora ſunt: propter quod horum comparatione illa nobis ſuperflua iudicantur. Iſychius libro ſeptimo Commentariorum in 26. caput Leuitici.

Thalaſsius inquit: Chriſtũ audiens, ſe ipſum ad lucem adducit: ſequens autem eam, ſeipſum emendat. Hecatontade 3. Eucherius ait: Sacram Scripturam nobis ad irrigationem mentis præbuit omnipotens Deus: libro ſecundo in Geneſin. Item: Arma quibus contra diabolum repugnantes, libertatem à Domino nobis donatam defendamus, quid ſunt alia, niſi eloquia Scripturarum, in quibus & ipſius Domini & Sanctorum eius exemplis, quo ordine bella uitiorum ſuperari debeant, luce clarius diſcimus? Eucherius in Commentarijs in libros Regum, libro primo. Et: Virtus namque ſacri eloquij ſic tranſacta narrat, ut uentura exprimat: ſic in facta re approbat, ut in myſteria contradicat: ſic geſta damnat, ut hæc myſticè gerenda perſuadeat. Ad hoc enim in Scriptura ſacra uirorum talium, id eſt Dauid & Petri peccata ſunt indita, ut cautela minorum ſit ruina maiorum. Ad hoc uerò utrorumq; illic etiam pœnitentia inſinuatur, & uenia, ut ſpes pereuntium ſit recuperatio perditorum. Eucherius in Cõmentarijs in libros Regum, libro 2. capite 7. Item. Ecce quàm mirabiliter Scriptura ſacra eodem uerbo ſuperbos premit, quo humiles leuat. Vnamquamque rem geſtam retulit, & diuerſo modo: ſuperbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles uerò ad fiduciam reuocauit. O inæſtimabile noui generis medicamentum, quod uno eodéq; ordine poſitum, & premendo tumentia exiccat, & ſubleuando arentia infundit: de maiorum nos lapſu terruit, ſed de reparatione roborauit. Sic quippe ſemper ſic nos diuinæ diſpenſationis miſericordia & ſuperbientes reprimit, & ne ad deſperationem corruamus fulcit. Eucherius in libros Regum, libro ſecundo. Et: Diuina eloquia ad habitationem ſupernæ ciuitatis aſpectant, ut huius agnitionem ac deſiderium noſtris cordibus infundant: & eos qui originẽ carnis à terra habent, ad appetendã promerendãq; in cœlis perpetuã manſionẽ accendãt. Eucherius in libros Regum, libro tertio. Item: Scriptura diuina ad illuſtrationem ac refectionem, utriq; Dei populo condita eſt, quæ nos in proſperis & aduerſis, in triſtibus ac lætis euentibus reficere ne deficiamus, & ne cæci remaneamus, illuſtrare conſeuit. Et: Ita Scriptura, dum intrinſecus radiat, uelut precioſiſsima quæq; gemma in profundum fulgorem conſiderantium demittit oculos. Hoc interno ac ſalubri cibo diſce animæ famem paſcere. Eucherius in Epiſtola parænetica.

Paulinus ait: Fidem & uerbum crucis Chriſti hanc arbitror acum, qua uitæ noſtræ habitus innouatur, mors noſtra compungitur, nosq; ipſi Deo per interuentum ipſius Mediatoris adſuimur. ex Epiſtola Paulini decima.

¶ Diſcrimen ueteris nouiq; Teſtamenti ſæpe tradunt. Chryſoſtomus in duodecimum caput ad Hebræos inquit: Erant quidem omnia templi admiranda, utpote ſancta ſanctorum: erant uerò item ueneranda, & hæc quæ in Sina monte facta referuntur, ignis, tenebræ, caligo, procella. Viſus eſt, inquit, Deus in monte Sina: & omnia hæc olim in ueneratione fuerunt. Nouum uerò Teſtamentum non eſt ad eum modum nobis exhibitum, ſed tantum ſimplici Chriſti ſermone contributum. Et in ſermone de latro inter latrones: Duo denarij, duo legis Teſtamenta ſunt, id eſt uetus & nouũ, Lex & Euangelium: alterum per Moſen in præteritum datum, alterum per Chriſtum in Euangelium

uangelium consignatum.

Leo inquit: Sicut uetus Testamentũ testificatio fuit noui: & Lex per Mosen data est, gratia aũt per IESVM Christum facta est: sic diuersa sacrificia unam hostiam præformarunt: & multorum agnorum occisio illius immolatione finita est, de quo dicitur, Ecce agnus Dei, &c. epistola 4. capite 6.

Theodoretus inquit: Vetus Testamentũ habebat corporales promissiones adiũctas, terram fluentem lacte & melle, & oliuetorũ & uinetorũ terram, & filiorũ multitudinẽ, & quæ sunt his similia: Nouũ aũt, uitã æternã & regnũ cœlorum. in 8 cap. ad Hebræos. Itẽ: Mortalib. hominib. lex conuenit. Nouũ aũt Testamentum æternam nobis uitam pollicetur. Iure ergo illud quidem cõsenuit, hoc autem manet perpetuò nouum, ut quod sit coniunctum seculis, quæ non senescunt. Theodoretus ibidem.

Isychius inquit: Dei mandata adumbrata sunt quidem in pluribus, propter infirmitatem populi Iudæorum in litera: Perfectionem autem secundum literam intuenti præstant: & cõsona inueniuntur ea quæ per Mosen dicta sunt, si interpretentur Euangelio. lib. 6. Comment. in præfatione. Item: Panes sine fermento, siue azymos conspersos in oleo, Apostolicos libros: lagana uncta oleo, propheticos intellige, quia illi quidem nimis opulenter: illi autem, etsi & ipsi opulenter, non tamen tantum annunciant misericordiam Dei, dum misericordiæ propter inobedientiam Iudæorum permiscent minas. Isychius libro 2. Comment. in 7. caput Leuitici.

Sedulius ait: Vetus Testamentũ euacuatur in neomenijs & sabbatis, & talibus obseruationibus. Nouum Testamentum est initium uitæ æternæ. in 3. caput posterioris ad Corinthios. Et Primasius: Quum ergo quid antè in ueteri tantum Testamento congruebat, quid nouo succedenti claruerat reuelatum, quid'ue his docentibus sperandum fore cognoscatur, istis omnifariè quodammodo animalia probantur fulgere luminibus. præterito namque tempore tanquam anteriora præmissa, dispensatio Christi Domini deputatur. in Apocalypsin, libro primo.

Sedulius scribit: Sanctæ autem Scripturæ sunt, quia & uitia damnant, & sacramentũ illic unius Dei continetur pro salute humana. in 1. caput ad Romanos.

Salonius ait: Septenarius numerus uetus Testamentum significat, propter Sabbatum qui est septimus dies, sanctificatus in Lege. Per octonarium uerò designatur nouum Testamentum, propter diem Dominicam, qui est octauus, Domini Christi resurrectione sanctus. in Ecclesiasten.

Eucherius ait: Verùm quia lex in lapide scripta, doctrina uerò Euangelij per lignum est Dominicæ passionis confirmata. unde & populus lapide circumcisus in præputio, nos signo crucis consecramur in fronte. in Commentarijs in libros Regum, libro tertio. Idem dicit: Ac per hoc in ea quoque rẽ gesta eadem mutatio, quæ per IESVM Christum futura erat, adumbrata est, & ad uetus Testamentum propriè pertinebat: figuratè uerò, ad nouum. Nihil enim prodest testamentum uetus de monte Sina in seruitutem generans, nisi quia testimonium perhibet Testamento nouo. Alioquin quamdiu legitur Moyses, uelamen supra corda eorũ positum est: cum quisque transierit ad Christum, aufertur uelamen. Transeuntium quippe intentio ipsa mutatur de uetere ad nouum, ut non quisque intendat accipere carnalem, sed spiritualem felicitatem. Eucherius in Commentarijs in libros Regum, libro ptimo.

Iunilius inquit: Veteris Testamenti intentio est, nouum figuris denunciationibusq; monstrare. Noui autem, ad æternæ beatitudinis gloriam humanas mentes accendere. Lib. 1. cap. 10.

¶ Vniuersam sacram Scripturam pertinere ad omnium ætatum homines, rectè docet Chrysostomus homilia 29. in tertium caput Iohannis: Diligenter, inquit, inuestigandа sunt omnia. A' scripturis enim spiritualia arma accipimus. Si earum ordinem confundemus, ipsæ quidem uim suam retinent, nobis autem nihil conferunt. An nescitis, non superioris tantum ætatis hominum gratia Scripturas editas, sed nostri? Non'ne audis Paulum dicentem: Hæc ad nostram doctrinam scripta sunt, ad quos fines seculorum deuenerunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus?

Non esse sibi sacram Scripturam contrariam, Chrysostomus homilia quarta in primum caput Geneseos docet: Ne obstrepas, inquit, dilecte, neq; putes sacram Scripturã sibi ipsi alicubi aduersam: sed disce potius dictorum ueritatem, & tenens diligenter illius doctrinam, obtura aures illis contraria dicentibus.

Augustinus contra Adamantium capite 3: Nulla in Euangelica atq; Apostolica disciplina reperiãtur, quamuis ardua & diuina præcepta & promissa, quæ illis etiam libris ueteribus desint.

Contraria sacræ Scripturæ esse, sua animi sensa temerè immiscere, Chrysostomus docet Homilia duodecima in secundum caput Geneseos: Nulli, inquit, posthac contendere, & Ecclesiasticis dogmatibus ex

proprijs

proprijs sensibus aduersa diuinis Scripturis immiscere liceat.

DE REGVLIS ET PHRASIBVS *sacræ Scripturæ.*

AVgustinus de essentia diuinitatis inquit: Vbicunq; sacra Scriptura sparsim per diuinos libros motus in Deum animæ, seu humana membra describit, id est caput, capillos, oculos, palpebram, nares, os, labia, linguam, cor, imaginem, uterum, manus, dextram, sinistram, digitos seu digitum, brachium, alas, posteriora, pedes: item motus animæ, iram, furorem, obliuionem, recordationem, pœnitentiam: hæc & alia his similia non carnaliter iuxta historiam à rectè intelligentibus sentienda sunt, sicut à Iudæis & plerisque hæreticis carnaliter sapientibus, qui Deum corporeum atq; localem opinantur: sed spiritaliter omnia de eo intelligenda & confitenda sunt. Si quis autem in Deo humana membra seu motus animæ, more humano inesse credit, proculdubio idola in corde suo fabricat. Itē de mirabilibus sacræ Scripturę, capite undecimo: In multis sacræ Scripturæ locis, imaginatis rebus uerarum rerum nomina sæpe adscribuntur. Quomodo & prædicta uirga Moysi in similitudinem serpentis imaginata, & phantastica illa Magorum serpentum in Ægypto, & ille æneus serpens nominatur. Item de Symbolo ad Catechumenos libro quarto, capite tertio: Mysticis figuris loquitur Scriptura diuina, seruās rebus tempora, quibus recognitis manifesta exerceat ueritate. Quoniam nec hoc uacat à mysterio, quòd in monte Oreb super petram iussus est ascendere Moyses, & stare. Ipsa est illa petra, quæ percussa produxit aquas populo sitiēti, de qua dicit sanctus Dauid: Dirupit petram, & fluxerūt aquę. Apostol⁹ aūt exponēs ait: Patres nostri eandē escā spiritualē manducauerūt, & eundē potū spiritualē biberūt. bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra aūt erat Christus. Ipsa sunt illa posteriora Dei, Christus Dei.

Facit Augustinus de Genesi ad literam capite secundo, item ad Honoratum cap. 4. mentionem quorundam exponendi sacras literas modorum. Quatuor modi à quibusdam Scripturarum tractatoribus traduntur Legis exponendę: Secundum Historiā, secundum Allegoriam, secundum Analogiā, secundum Etymologiam. Historia est, cum siue diuinitùs, siue humanitùs res humana commemoratur. Allegoria, cum figuratè dicta intelliguntur. Analogia, cum ueteris & noui Testamentorum congruentia demonstratur. Etymologia, cum dictorum factorumque causæ redduntur.

Obscuriora planioribus illustrari docet Augustinus libro secundo de doctrina Christiana, capite sexto: Magnificè igitur & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificauit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscuriorib. autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.

Tres errores legentium recenset Augustinus, De utilitate credendi ad Honoratū, capite quarto: Tria genera sunt erroris, quibus homines errant, cum aliquid legunt. De singulis dicam· Primum genus est, in quo id quod falsum est, uerum putatur: cum aliud, qui scripsit, putauerit. Alterum est, quamuis non tam latè patens, non tamen minus noxium, cum id quod falsum est, uerum pūtatur: id tamen putatur, quod etiam ille qui scripsit, putauit. Tertium est, cum ex alieno scripto intelligitur aliquid ueri, cū hoc ille qui scripsit, non intellexerit.

Cyrillus etiam regulas quasdam indicat, ut: Ante omnia quando locum Scripturæ aliquem rectè intelligere uolumus, tria diligenter consideranda sunt: tempus, quando scriptum est, quod dicitur: persona, quæ dicit, uel per quam, aut de qua dicitur: & res propter quam, aut de qua scribitur. Sic enim absq; errore sensum poterimus uerum intelligere. libro 8. Thes. cap. 3. Item: Singulis suum tempus accommodandum in Scriptura. libro tertio Dialogorum. Item: Omnis diuinitùs inspiratæ Scripturæ sermo ad duo spectat. interdum enim nondum descendisse filium ad inanitionem, Theologia narrat, sed in sublimitate Deitatis, & in bonis paternis esse: interdum uerò misericordia, uoluntariaq; gratia, & in carnis humilitatem, eum qui suprà erat, deorsum uenisse, euidenter commendat. Cyrillus lib. 5. Dialogorum. Item, ad Reginas de recta fide: Opus industria sanctorum dignū & Deo placens fuerit, semper subijcere dispensationis sermonibus, quod uidetur obluctari gloriæ Christi. Verbum enim Deus existens, & in forma & æqualitate patris, seipsum demisit ad inanitionem, & factum est obediens usq; ad mortem. Itaq; oportet strenuè subuertere omnem sensum, & quodammodo captiuum ducere, ad obediendum illi. Enimuerò si quid dicatur etiam humanum, nullo modo offenderit naturam Verbi, quod in humanitate humile, si credatur similis nobis homo factum, & nihilominus non abiecisse, quod sit Deus: sed cum hoc quod manſit Deus, assumpsisse humanitatem, & subditū factū esse usq; ad mortē secundum carnem.

Theodoretus dicit: S. Patres de Trinitate aliquando ænigmaticè, aliquando uerò manifestè docuisse. Libro secundo de princi-

pijs.

pijs. Item: Diuina Scriptura pluraliter cœlos nuncupat, dicens, Cœli cœlorum: quoniam Hebraica lingua neq; cœlum neque aquam singulari numero nouit appellare. Reperire est autem similia multa interdictiones Græcas. Nullus enim ciuitatem Athenam singulari numero uocitare solet, sed pluraliter Athenas. Similiter & Delphũ ciuitatem nemo uocat, sed numero plurali Delphos. Non ergo tanquam plures sint cœli, ita locuta est Scriptura: sed Hebraicæ linguæ seruato idomate. quæstione undecima in Genesin. Item: In uniuersa Scriptura diuina, licet audire Deum omnium singulari numero loquentem. Rarò aũt pluraliter sermonem format, nisi cum innuit numerũ personarum Trinitatis. quæstione 19. in Genesin. Item: In Scriptura diuina sæpe Sanctificandi uerbum pro segregandi intellectum reperitur: ut Genesis 1. Sanctificauit eum, id est segregauit. Et de Medis ait: Sanctificati sunt, & ego duco eos: hoc est, ad hoc segregati. Quæst. 21. in Genesin. Item: Scriptura diuina loquitur, prout hominibus expedit, & pro captu auditorũ uarias habet loquẽdi formas. Quæst. 52. in Genesin. Item: Sæpenumero Scriptura diuina mũdum appellat agrum, ut testis est Dominus in sacris Euangelijs, cum parabolam interpretatur: Ager enim, inquit, est mundus. Quæst. 81. in Genesin. Item: In Scriptura piorum hominum diuinæ institutiones spiritus eloquia sunt, reliqua autem uerba historico more profe-runtur. Non solùm igitur sermo ipse spectãdus est, sed quæ etiam loquitur persona. Quæst. 86. in Genesin. Item: Constat quòd ὁ αἰὼν, id est seculum, non semper tempus infinitum significat, sed quandoq; definitum. Ita etiam Dauid inquit: Seculum nostrum in illuminatione uultus tui. Quæst. 46. in Exodum. Item: Non debemus extinguere Spiritum, sed accendere gratiã, quam accepimus, extraneumq; nihil ad Scripturam sacram inuehere, contentosq; doctrina sancti Spiritus abominari hæreses, quarum fautores nonnulli uerbis diuinis fabulas addiderunt: alij suas commentationes impias sententiæ Scripturæ prætulerunt. Quæst. 9. in Leuiticum. Item: Sciendum est, sæpenumero prophetas uti humano more loquendi, tanquam notiore. Theodoretus Quęstione 37. in Deuteron.

Iunilius inquit: Scriptura de Deo loquitur quatuor significationibus. Aut enim essentiam eius significat, quam Latinè & substantiam nuncupamus. ut est: Ego sum qui sum. Aut personas, uel secundum Græcos, subsistentias. ut est: Ite, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Aut operationem. ut scriptum est: Secundum operationem potẽtiæ uirtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans eum à mortuis, & sedere faciens ad dexteram suam. Aut collationem eius ad creaturas. ut est: Regi autem seculorum incorrupto, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum. capite undecimo. Item: Deus ex collatione ad creaturas duob. modis significatur, Cõfessione & negatione. Confessione quidẽ, cum ea dicuntur de Deo, quæ iuxta eundem modum nulli creaturæ cõueniunt. ut est: Simplex & uetustus dierum, & ante omnia, & spiritus: id est incircumscriptus, & primus & notissimus, & similia. Hæc enim omnia ideo de Deo dicuntur, quia nulli creaturæ eius collatione conueniunt. Per negationem autẽ collatio fit, cum præpositione priuatiua ea in Deo negantur, quæ in creatura sunt. ut est: ingenitus, incorporeus, increatus, incorruptibilis, immortalis, impassibilis, & similia. Iunilius cap. 20.

¶ Cum prudentia sacram Scripturam intelligendam & tractandam, Chrysostomus monet inquiẽs: Non simpliciter & temerè, sed summa cum attẽtione (paulo antè dixerat, multa cum prudentia) Scripturam accipiamus. Nam si quis dũtaxat ipsa nudà uerba, & ut dicuntur acciperet, multa absurdà de Deo necesse esset suspicari. Verùm si reconditam uerbis sententiam deprehenderit, omnia purgabuntur. Homilia 14. in primum caput Ioannis.

Ordinem, proprietates, circumstantias in Scriptura considerandas, idem docet: Qui, inquit, metalla fodere aggreditur, artis ignarus, auri uenas non inuenit, sed confunditur, & laborem subit incassum: ita qui diuinarum Scripturarum ordinem non intelligunt, qui earum proprietates, qui leges nõ disquirunt, sed omnia ad uerborum sonum accipiunt, aurum terræ confundentes, nunquam reconditum in his thesaurum assequuntur. Diligenter igitur inuigilandum: uel potius diuina gratia opus est, ne nudis uerbis insistamus. Ita hæretici in errorem incidunt, neq; sententiam, neq; audientis habitum inquirẽtes. Nisi enim tempora, locos, auditorem, & alia huiusmodi consideremus, multa sequerentur absurda. Chrysostomus Homilia 39. in 5. caput Iohannis.

Scripturæ simpliciter credendum, nec ratione humana ultra eam ascendendum docet: Oportet, inquit, magna modestia & gratitudine, ea quæ dicuntur, à nobis accipi: & nõ ultra naturam nostram progredi, & scrutari quæ supra nos sunt: sed hoc solùm scire & tenere apud nos, quod præcepto Domini productum est firmamentum. Chrysostomus Homilia 4. in primum caput Gene-

seos. Item: Præceptorum Dei ratio non est inquirenda, sed simpliciter obediendũ est, etiamsi humanę rationi, quę præcepta sunt, absurda uideantur. Chrysostomus in primũ caput ad Romanos.

Scripturam sub generibus species comprehendere, inquit: Mos hic est Scripturæ sacræ, ut non ubiq; omnia particulatim enarret: sed cum generalissima, & ea quę plurima complectuntur, dicere cœperit, relinquat sequẽtia studiosis auribus cogitanda. Chrysostomus Homilia 12. super Genesin.

Humanis uerbis Scripturam uti docet: Perpetuus, ait, Scripturæ mos est, propter nos & nostrã utilitatẽ humanis uti uerbis. Chrysost. Homilia 13. in 2. caput Geneseos.

In sacris literis nihil inane aut uacuum esse dicit: Nihil, inquit, temerè aut fortuitò loquitur diuina Scriptura, sed & syllaba & apiculus unus reconditum habet thesaurũ.

Euentus rerum poni nominum loco, monet, inquiẽs: Est mos Scripturæ, euentus rerum ponere nominum loco. Quid enim est aliud, Vocabunt nomen eius Emanuel: nisi, Videbunt oculi mortalium, Deum inter homines uersantem? qui etsi antè cum hominibus fuit, non tamen tam apertè, tamque manifestè. Chrysostomus Homilia 5. in primum caput Matthæi.

DONEC quomodo accipiatur, explicat: Sæpe, inquit, Scriptura diuina hac uti elocutione cõsueuit, ut dicendo DONEC, nõ definitum aliquod tempus includat. ibidem.

Quomodo parabolæ exponendæ sint, idem monet: Non ad uerbum exponendæ sunt parabolę, ne multa sequantur absurda.

Veram sententiam crebra lectione indagandam, inquit: Sume, ait, librũ in manus, lege historiam omnem, & quę nota sunt memoria tenens, ea quę obscura sunt, parumq; manifesta, frequenter percurre. Quòd si nõ poteris assiduitate lectionis inuenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, uade ad doctorem, communica cum his ea quæ scripta sunt, declara uehemens studium. Et si uiderit te Deus tantam animi promptitudinem adhibere, non despiciet tuam uigilantiam ac solicitudinem. Chrysostomus Sermone tertio de Lazaro.

In quo, & Per quem, tribui indifferenter tribus personis diuinitatis, cõmonefacit inquiẽs: In quo, per quem, & similia uerba, frequenter inuenimus indifferenter accepta, de patre, filio, & spiritu sancto: quod minimè fieret, nisi ubiq; eadem esset substantia. Chrysostomus Homilia 4. in primum caput Iohannis.

Reuelata accipienda, non reuelata non scrutãda esse, ait: Noli, inquit, tu quicquam ulterius inquirere, sed susci pe quod relatũ est, & noli indagare quod tacitũ est. Chrysostomus Homilia quarta super Matthæum.

Deum interdũ paucis uerbis plurima cõplecti, dicit: Mos, inquit, Deo est, propter exuberantem in nos copiam beneficiorum, uno uerbo cursim complecti, non sensim, & per partes immorari eorum narrationi quæ facta sunt: ut uerbo, Exaltaui te, complectitur quæ in Aegypto, quæ in deserto, quæ in Palęstina gesit. Chrysostomus in enarratione primi capitis Esaiæ.

Quomodo Deus pœnitentiam interdum urgeat, explicat: Mos hic Deo est, inquit, ut comminationes intentãs, deneget salutem. quod eò facit, ut exaugeat timorem, neque ob id suum sermonem dissoluat, utq; spem proroget atq; intẽdat meliorem, hac etiam ratione ad pœnitentiã rursus adducat. Chrysostomus in enarratiõe capitis primi Esaiæ.

Interdum allegorijs locum esse, inquit: Nimirum, ait, oportet nõnunquam aliquot Scripturæ diuinæ loca allegoricè interpretari, quando earum quidem legum ipsi nequaquam autores sumus: quin potius conuenit, nos more pedasio subsequi mentem Scripturæ, & ad eum modum uti allegoriæ tropo. Quod autem dico, tale est: Commeminit Scriptura nunc uineæ, sepis item, siue maceriæ, & torcularis. Non alioqui permisit, ut penes auditorem esset autoritas accommodandi à se dicta, quibus uellet rebus aut personis: sed Scriptura ipsa præuertens, seipsam interpretata est. Chrysostomus in enarratione quinti capitis in Esaiam.

VIA quid significet, scribit: Viam Dei, inquit, consueuit Scriptura accipere pro Dei mãdatis. Chrysostomus in enarratione secundi capitis Esaiæ.

De figuratis locutionibus inquit: Apud prophetas mos talis increbuit, ut non certa solùm confirmatione dicta sua præmuniãt, sed & figurato quodam uelamine suam tegant & inumbrent prophetiam. Chrysostomus in enarratione secundi capitis Esaiæ.

Obiurgationes quã habeãt rationẽ, exponit: Cõparatione personę obiurgationẽ reddit multo acriorẽ, id quod subinde facit pro more suo etiã Paulus. ueluti quãdo dicit: De dormientibus autem nolo uos ignorare fratres, ut non contristemini, sicut & cęteri qui spem non habent. Chrysostomus in enarratione secundi capitis Esaiæ.

Idola quid uocentur, docet: Sanè, inquit, Scriptura pro more suo, idola uocat abominationẽ. hinc Abominatio desolationis, dicitur statua uiri, quæ stat in templo. ait enim Scriptura: Cum uideritis abominationem desolationis. Chrysostomus in enarratione 2. capitis Esaiæ.

Cornu monocerotis, Scriptura plerunq; eos

cos qui in tuto consistunt, uocat cornu Monocerotis. Chrysostomus in enarratione 5. capitis Esaiæ.

De Translationibus. Scriptura quoties in translationibus uersatur, consueuit seipsam dilucidius explanare. Chrysostomus in enaratione 8. capitis Esaiæ.

Christus Ioannis 12 inquit: Turbata est anima mea: Pater saluifica me ex hac hora. Hæc dispensatjonis, non diuinitatis uerba sunt. Ita perturbatus est, ut etiam à morte absolui cuperet, si licuisset. Hæ sunt humanę naturæ imbecillitates. Chrysostomus homilia 67. in 12. caput Ioannis. Item: Qui uidet me, uidet eum qui misit me. Non corporis, sed animi speculationem intelligit, & hic consubstantialem signat. Idem homilia 68. in 12 caput Ioannis. Et homilia undecima in Marcum inquit: Non diuido Christum. ipse enim & in inferno est, & in cœlo est: uno atq; eodem tempore & descendit ad inferos, & cum latrone intrauit in paradisum. Omnia elementa tenet in pugillo suo. Si autem in pugillo illius sunt, ubi nõ est qui omnia tenet?

DE VERBO DEI.

Discernunt patres uerbum Dei, quando substantiam seu filium Dei significat, & quando doctrinam Dei notat. Nam Chrysostomus in homilia tertia, ex capite primo Ioannis sic inquit: Tu autem, dilectissime, cum uerbum hoc in loco audis, noli quæso ijs acquiescere, qui dicunt id uerbum esse quod ore profertur, aut simpliciter uerbũ. multa enim Dei sunt uerba, quę & angeli faciunt, nullũ tamẽ eorum Deus est: sed & prophetiæ & præcepta, uerba dicuntur. Mos enim Scripturæ est, diuinas leges & præcepta, & prophetias, uerbum appellare. Quare de Angelis loquens: Potentes, inquit, uirtute qui facitis uerbum eius. Hoc autem Verbum substantia quædam est in persona, ex ipso patre sine passione prouenies. hoc, ut iam dixi, per uerbi appellatiõnem manifestauit.

Chrysostomus in capite Geneseos secũdo, homilia decima, uocat spirituale uerbũ: quia sint arma spiritualia dimicandi aduersus malos spiritus. Viuum appellat, quod non est uitiatũ aliqua hęretica labe: & mortuum uicissim, quod sordib. rationis humanæ peruersum, & quasi uiuacitate, uirtute atq; efficacia sua priuatũ strãgulatumq; est. in cap. Matthæi 23. homilia 46.

Vnde fit, Theodulus docet inquiens: Nõ simpliciter, nec citra fructum uidere uos laboro, sed ut donum uobis communicem. Dicit autem doctrinã & institutionem: hoc enim est fulciri. Est autem hinc colligere, ipsos uehementer fuisse commotos, primo capite ad Romanos. Et: Pulchrè dicit, Ad salutem. est enim & ad pœnam potentia Dei. Ad salutem autẽ non cuiuis cedit, sed credenti. Inobedientibus enim, & incredulis pœnam interminatur Euangelium. uerbi tantum honor est primùm, non gratiæ exuberantia. Theodulus 1. cap. ad Romanos. Item: Oportet fidem adhibere prophetis, perq; illos ad Euangelij fidem perduci. Vel aliter: Domino enim Christo credens, baptismatis gratia accepta, transfertur per ea illò, ut futuris bonis credat: nimirum resurrectioni à mortuis, & æternæ uitæ regnoq; cœlorum. Ibidem. Eucherius ait: Christum tanquam uerbum Dei non solum in Euangelijs loqui, sed & in lege, certum est, & in prophetis. Verùm in lege incipientes, in Euangelijs prouectos docet. libro secũdo in Genesin, cap. 15.

Verbum Dei eiusmodi esse, ut fide res màximas necesse sit apprehendere, Chrysostomus docet in 1. ad Romanos, sermone 2. Nullam habet dignitatis differentiam Paulus, nullam gentis præstantiam, nec ullam huiusmodi prærogatiuam admittit: fide siquidem sola opus est, non syllogismis. Quẽ admodum enim in sole & luna, terra, mari, reliquisque factũ, ubi neque diuitibus, neque sapientibus amplius quiddam contributum est, sed æqua omnibus concessa fruitio: ita & in Euangelica doctrina, imò in hac tanto plenius, quãto illa reliquis omnibus necessaria magis existit.

Quòd uerbum tantum necessaria tradat, reliqua reticeat, Isychius monet, inquiens: Non quidem omnem scientiam, quam habituri sumus, quando ad ipsum Deum uenerimus, tradit uerbum prędicationis. Sunt autem quę relinquit, utpote quæ nunc nobis reuelari non possunt. lib. 6. Commentariorum in 23. caput Leuitici.

¶ Quomodo uerbum Dei sit audiendum, Augustinus monet in Euangelium Ioannis, tractatu 30. Nos itaq; sic audiamus Euangelium, quasi prędentem Dominum: nec dicamus, O illi felices, qui eum uidere potuerunt: quia multi in eis qui uiderunt, & occiderunt: multi autem in nobis qui non uiderunt, & crediderũt. Quod enim preciosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est, & nobis seruatum est: & propter nos recitatur, & propter posteros recitabitur: & donec seculum finiatur, sursum est Dominꝰ. Sed etiã hic est ueritas Dominus.

Theodulus inquit: Non nostrum est poscere à Deo causas eorum quę mandat: sed nostra interest, obedire tantummodo. primo capite ad Romanos. Item: Nam fides opus habet obedientia, ut credens nõ multum sit curiosus. cap. 15. ad Romanos.

Faustus ait: Quicquid præceptio diuina cõstituit, hoc laudo: quicquid humana præuaricatio adiecit, hoc reprobo. lib. 1. de libero arbitrio, cap. secundo.

¶ De utilitate atque effectu uerbi diuini, Chrysostomus in 2. cap. Geneseos, Homilia decima inquit: Hæc nostra salus est, hæ spirituales diuitiæ, hæc securitas, si sic nos ipsos quotidie munimus, & per lectionem, & per auditum, & per spirituale uerbum.

Chrysostomus in 1. cap. Geneseos, Homilia 4. Verbo Dei, ait, creaturas rerum adhuc existere, & sustentari. Verbo Domini omnia facta sunt super terram. Non enim erat homo qui operaretur, nõ aratrum, non boum cooperatio, non aliud eiusmodi studium: sed solùm audiuit præceptũ, & statim quod fuuim erat fecit. Ex quo discimus, quòd etiam nunc neq; cura, neq; labor agricolarũ, neque aliæ in colendis agris ærumnæ, fructuum nobis prouentus concedunt: sed præ his omnibus uerbum Dei, quod ab initio ad terram factum est.

Leo epistola 46 inquit: Euangelica & Apostolica fides omnes expugnat errores. Theodoret⁹ inquit: Seruator noster publicanos, genus hominum auaricię iniusticiæque addictum, lasciuissimam præterea meretricem, grassatoremq; iniquissimum, multosq; alios qui in malitia & peccato uitam consumpserant, sanctis concionibus atque hortamentis eruit de malitiæ suæ barathro, perfectissimeq; uirtutis operarios reddidit. Quid tres autem, quatuor uel decem uel quindecim dico homines? Quicquid enim terrarum incolitur, corruptissimum flagitijs nactus, paucorum sermone quos ipse ad hoc muneris instituerat, protinus immutauit: quiq; olim homines extra se positis ac dementibus perquàm similes erant, frugi ac temperatos effecit. libro 4. de materia & mundo.

Isychius eadem docet, inquiens: Per doctrinam Apostolorum nobis fit introitus in cœleste tabernaculum, in quo habitare Deũ Scriptura testatur. lib. 1. Comment. in 1. caput Leuitici. Item: Per sanctarum Scripturarum meditationes atq; doctrinas nutritur Spiritus Dei, & continuè accenditur, ut turbinibus aduersarum potestatum extingui non possit. Propter quod & Paulus dicebat 1. Thessal. 5. Spiritum nolite extinguere. Ibidem. Et: In his Theologiam constituamus, in quæ nobis incarnatus tradidit Dominus, ut patrẽ in eo, & ipsum in patre cogitemus: & de sancto spiritu sciamus, quia & ipsius est filij, & à patre procedit. Hæc enim nobis sufficiunt ad Theologiam, quæ iuuat & saluat. Altiora autem quispiam quærens, uel profundiora, excidet ab intentione ueritatis, & peccat. Libro secundo in 6. caput Leuitici.

Marcus heremita ait: Omne uerbũ Christi misericordiam & iusticiam & sapientiam Dei ostendit. Et harum uirtutem per auditũ inijcit iucundè audientibus.

¶ Discernũt accuratè uerbum Dei ab humano: & quidem illud ab hoc adulterari docent, si imprudens fiat permistio. Sic Chrysostomus in cap. Matthæi 23. Homilia 46. præclarè inquit: Quãdo fidem & ueritatem uerborũ eorum praua interpretatione subuertũt, Prophetas & Apostolos occidunt in se. Ipsius enim uerbi quasi sanguis ueritas est, quæ uiuificat uerbũ. Omne enim uerbum quod non habet in se ueritatem Dei, mortuum est: quemadmodum sine sanguine corpus. propterea omnia uerba diuina, quamuis rustica sint, & incomposita, uiua sunt: quoniam intus in sensibus suis habent positam ueritatem Dei, quasi sanguinem in uenis inclusum, & ideo uiuificant audientem. sicut testatur Petrus, ad Christũ dicens: Quò ibimus? uerba uiua habes. Omnia autem uerba secularia, quoniam non habent in se uirtutem Dei, & quamuis sint composita & ingeniosa, mortua sunt: quoniam in uenis sensuum suorum nõ habent uirtutem Dei, propterea nec audientem saluant.

Præclarus locus de philosophica Theologia extat in Augustino, in libro Speculi peccatoris capite 6. Erubescat ergo superbus & infelix peccator, & timeat elatione cęcatus, ira inflammatus, impatientię uitio fœdatus, scięti a inflatus: cui pl⁹ placet ars Aristotelis, quàm scientia de Apostolis: plus codex Platonis, quàm liber diuinus: quem nulla lectio lætificat, nulla scientia ædificat: nullus sermo sapit, nisi fuerit Grammaticè conceptus, Dialecticè imaginatus, Rhetoricè purpuratus. Stultus es, qui hæc ignoras: & erras. quoniam qui talia agunt, & in talibus dies suos consumunt, peccatum sibi generant, & mortem parant, quia ex simili studio similem concipiunt scientiam: hoc est, folia colligunt, non fructus: subaudi uerba, & nõ uirtutes. Verba enim in uentum proferunt, & aërem uerbis uerberant, uerbositatem sonant, iactantiam ostentant, de quibus per Psalmistã dicitur: Turbati sunt, & moti sicut ebrius, & omnis sapiẽtia eorũ deuorata est.

DE DEO.

DOctrinam de uero Deo, contra hæreticorũ corruptelas summa fide tradiderũt & defenderũt huius seculi Doctores.

De appellationib. Dei ita inquit Iunilius: Octo uerbis principaliter Deus significatur. Dicitur enim aut Deus, aut Dominus, aut simul Dominus Deus, aut Adonai, aut Sabaoth, aut Heli, aut Heloi, aut Est. Horum duo tantum

tantum nonnunquam & de alijs abusiuè dicuntur, Deus & Dominus, teste Paulo: Quia dij multi & domini multi. &: Dij estis, & filij excelsi omnes. Reliqua uerò sex nunquam nisi de Deo dicuntur. capite decimotertio.

Recitat præclaram Socratis sententiam Augustinus, libro primo de consensu Euangelistarum, capite 18. Socratis, inquit, sententia est, unumquemque Deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præcipit. Id uerò quod Ethnicus dixit, multo magis de uero Deo intelligendũ est.

Isychius ait: In disputando de Deo, id est in Theologia, sufficit nobis etiam tantũ tangere, quemadmodum igne qui uult calefieri. nam si interius mittat manum, pro eo quod potuit calefieri, comburitur. Sic & qui profundius uel altius disputare de Deo præsumit, pro eo quo gloriosius quid uult ostendere, in blasphemiam cadit, dum comprehẽdere altitudinem diuinorum dogmatum non possit. libro 2. Commentariorum in 6. caput Leuitici.

Saluianus inquit: Tanta quippe est maiestatis sacræ, & tam tremenda reuerentia, ut non solùm ea quæ ab illis contra religionẽ horrere, sed etiã ea quæ pro religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu ac disciplina dicere debeamus. Primo libro de Prouidentia.

Salonius inquit: Ne erigas oculos tuæ mentis ad perscrutanda diuinitatis arcana, & mysteriorũ cœlestium secreta, quæ penetrare non potes, nec intelligere uales: quoniam solis aquilis hæc patẽt, id est supernis ciuibus tantum manifesta sunt. In prouerbia Salomonis.

QVID SIT DEVS.

De uoce DEVS sic Theodoretus inquit: Deus quoq; nomen, est uerè nomen solius Trinitatis. Nullus enim præter eam, naturâ est Deus. in primum caput prioris ad Timotheum. item: Dictiones istæ, Dominus & Deus, naturæ diuinæ, non distinctionis per sonarum sunt significatiuæ. Hæ uerò, pater, filius, & spiritus sanctus, proprietates indicant. Theodoretus quæstione secunda in Deuteronomium.

Descriptionem quandam Dei Augustinus recitat, De cognitione uerę uitę, capite septimo, his uerbis: Quia intellectualis mens eum utcunque agnoscere anhelat, hæc ænigmatica definitio ei interim sufficiat: Deus spiritus est, essentia inuisibilis, omni creaturæ incomprehẽsibilis, totam uitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidens, idem ipsa uita, ipsa sapientia, ipsa ueritas, ipsa iusticia, & ipsa æternitas existens, omnem creaturam instar puncti in se continens.

Porrò docent, non perfectè substantiam Dei hominem posse scrutari. Hinc Chrysostomus ait: Qui persensit odorem, scit quidem unguentum alicubi positum esse: cæterùm cuiusmodi naturæ sit, non item nouit, nisi prius ipsum uidere contingat. Sic & nos Deum quidem esse scimus: at quid sit secundum substantiam, nondum scimus. Chrysostomus in secundum caput epistolæ secundæ ad Corinth.

DE PROPRIETATIBVS DEI.

Quòd sit sapiens, Eucherius docet: Apparens, inquit, in carne, sanitates & miracula quęcunq; uoluit, absq; omni morarum tarditate, absq; ullis errorum ambagibus Dei uirtus & sapientia perfecit. In Commẽtarijs in libros Regum, lib. 3.

Quòd sit incorruptibilis, docet Chrysostomus: Nemo, inquit, Deum lędere potest, cuius natura incorruptibilis est, & omni affectu superior. In primũ caput ad Corinth.

Quòd bonus sit Deus, inde probat Chrysostomus, in epistolã ad Philemonem: quia cum nihil nostri indigeret Deus, sola bonitate condidit nos. Quòd enim nullo indigeret, ex eo liquet, quòd postremò creauit hominem. Prosper inquit:

Nulla Deum oblectat miserorum pœna reorum,
Nec scelerum uindex ira mouet placidum.
Omnipotentis enim recta & tranquilla uoluntas,
Quicquid decerni conuenit, hoc statuit.

Quòd tantum solus Deus dives est in misericordia, & dives in omnes qui inuocant eum, & tantæ sunt bonitates eius & longanimitates & sapientiæ, &c. Sedulius in undecimum caput ad Romanos. Primasius: Voluntas Dei misericors est, & iusta, & non uult nisi quod bonum, pium & iustum est. in nonum caput ad Romanos.

Quòd iustus. Eucherius: Deus solus est iustus, atq; iustificans. Libro primo Comment. in libros Regum.

Quòd incorporeus. Chrysostomus: Quòd Deus sit, inquit, incorporea quędam uirtus, scimus: quomodo autem, uel quæ ista sit, ignoramus. in primũ caput ad Hebræos.

Quòd æternus. Chrysostomus: Maximè hoc Dei proprium est, æternum & sine principio esse. Homilia 2. in primum caput Iohannis. Et: Deus inconuertibilis est, quem nulla substantia capiat, cum ipse sit omniũ caput, non habens neq; augmentum dierum, neq; imminutionem temporum. Homilia de fide in Christo. Cyrillus: Sola enim diuina natura absque principio & fine est. Libro primo, capite 6. Prosper ait: Vera æternitas & uera immortalitas non est, nisi in Deitate trinitatis: cui quod est esse, perpetuum est, & neq; per initium, neq; per incremen-

crementum, neq; per defectum ullam recipit mutabilitatẽ. In expositione Psalmi 101. Theodoretus ait: Deus est increatus & infinitus, principio & fine carens, omnia comprehendens, à nullo descriptus, in manu ipsius sunt omnes fines terræ: & ipse permẽsus est manu sua aquam, cœlum spithama, & omnem terram pugno. Theod. Sermone 2. Item: Deus propriè est immortalis. est enim immortalis substantia, non participatione: neq; enim alij acceptam fert immortalitatẽ. in tertio Dialogo. Item: Diuinus Moses à Deo omnium missus in Aegyptũ, iussus est dicere tribulibus suis: Qui est, misit me ad uos. Istud autem QVI EST, æternitatem significat. Theod. quæstione prima in Genesin. Eugenius de catholica fide libro primo: Licet enim hæc ueneranda Trinitas personis ac nominibus distincta sit, nõ tamen ab hoc à se atq; à sua æternitate discrepare credenda est, sed manens ante secula diuinitas in patre & filio & spiritu sancto uerè ac propriè creditur, nec diuidi nostris interpretationibus potest, nec rursus uersa in unam personam trinitas ipsa confundi. Iunilius inquit: Creatione mundi primo statim uerbo æternitas atq; omnipotentia Dei creatoris ostenditur. in primum caput Geneseos. Item: Deus, cuius manus omnipotens est, ad explendum opus suum non eguit mora temporum. Iunilius in Genesin.

Quòd semper eadem atque immutabili præditus sit potentia, Chrysostomus docet inquiens: Quemadmodum lux quantumuis hominum multitudinem illuminaret, nihil splendoris remitteret: itidem Deus, & antequam mundum condidit & postquam conderet, idem perfectus ac integer permanet, nihil tanto & admirabili opificio minor, nihil imbecillior. Quòd si innumeros huiusmodi mundos esset conditurus, omnibus tamen sufficeret, non modò ad creandos, sed ad gubernandos. Homilia 4. in primum caput Ioannis.

¶ Quòd omnipotens. Augustinus ad Volusianũ, epist. 3: Demus Deũ aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis. Leo inquit: Deus omnipotens, cuius natura bonitas, cuius uoluntas potentia, cuius opus misericordia est. Sermone 2. de natiuitate. Prosper ait de promissionibus Dei:

Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis uiribus implet opus.

Theodoretus inquit: Dominus Deus nihil uult eorum quæ non sibi suapte natura insunt: potest autem quęcunq; uult: uult autẽ quæ sunt suæ naturæ apta & conuenientia. Dialogo tertio. Item: Opifex omnium rerum Deus, nec instrumentis, nec materia ulla indiget: sed quod alijs artificibus sunt & materia & instrumenta, tempusq; præterea, & conficiendi opera, ipsaq; ars & exactissima diligentia, hoc est ipsi Deo sola unicaq; uoluntas. Lib. 4. de Materia & mundo.

Eucherius ait: Quis est uiuens & uidens, nisi omnipotens Deus? de quo scriptum est: Viuo ego, &c. libro primo in Genesin, cap. quadragesimo. Et: Omnipotens Deus singulorum uerba ac cogitationes pensat. in Commentarijs in lib. Regum, libro quarto, pag. 195.

Iunilius inquit: Creationem mundi insinuans Scriptura diuina, aptè primo statim uerbo æternitatem atq; omnipotentiã Dei creatoris ostendit. Quem enim in principio temporũ mundum creasse perhibet, ipsum profectò ante tempora æternaliter extitisse designat: & quem ipsum conditionis initio cœlum & terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentẽ esse declarat, cui uoluisse creasse est. In Genes. Cõment.

Synesius inquit: Deo (ut aiunt) omnia sunt possibilia, etiam ea quæ sunt impossibilia. Epistola undecima.

Marius Victor inquit:

Numinis at uerò diuini quærere causas,
Mens fuge nostra procul: plus sit tibi credere semper
Posse Deum, quicquid fieri non posse putatur.

libro 1. Commentariorum super Genesin.

Paulinus ait:

Omnipotens, quem mente colo, pater unice rerum,
Ignorate malis, & nulli ignote piorum:
Principio extremoq; carens, antiquior æuo,
Quod fuit aut uenit: cuius formamq; modumq;
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari:
Cernere quem solus, coramq; audire iubentem
Fas habet, & patriam propter considere dextram.
Ipse opifex rerum, rebus causa ipse creandis:
Ipse Dei uerbum, uerbum Deus anticipator
Mundi, quem facturus erat, generatus in illo
Tempore, quo tempus nondum fuit: editus antè
Quàm iubar, & rutilus cœlum illustrauit Eous:
Quo sine nil actum, per quem facta omnia, cuius
In cœlo solium: cui subdita terra sedenti,
Et mare, & obscuræ chaos insuperabile noctis,
Irrequies, cuncta ipse mouens, uegetator inertum.
Non genito ex genitore Deus: qui fraude superbi
Offensus populi, gentes in regna uocauit:
Stirpis adoptiuæ meliore propage colendus.
Cernere quem licuit proauis. quo nomine uiso,
Et patrem uidisse datum, contagia nostra
Qui tulit, & diri passus ludibria leti,
Esse iter æternæ docuit remeabile uitæ.
Nec solam remeare animam, sed corpore toto
Cœlestes intrare plagas, & mane sepulchri
Arcanum uacuis adopertum linquere terris.
Nate patris summi, nostroq; salutifer æuo,
Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,

Nil ex inuidia retinens, plenusq; datorum,
Pande uiam precibus, patriasq; hæc perfer ad aures.

In precatione matutina 10. Natalis Felicis.

¶Quòd ubiq; sit. Cyrillus inquit: Nec in loco est, nec transeundi transgrediendiq; motum patitur. Corporum enim hæc proprietas est, Deus autẽ omnia replet. Libro primo Commentariorum, in Ioannis caput nonum.

Plurimas proprietates Augustinus coniungit in libro Meditationum, capite uigesimonono: O summe, optime, omnipotentissime, misericordissime, iustissime, secretissime, præsentissime, pulcherrime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis, inuisibilis, omnia uidens, immutabilis, omnia mutans, immortalis, illocalis, interminus, incircumscriptus, nusquã finitus, inęsti mabilis, ineffabilis, inscrutabilis, immotus, omnia mouens, inuestigabilis, indicibilis, metuendus atque terribilis, honorãdus atque timendus, uenerandus atque reuerendus, nunquam nouus, nunquam uetus, innouans omnia, & in uetustatem perducens superbos, & nescitũ: semper agens, semper quietus, colligens, & non egens, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans, protegens, nutriens, & proficiens, quærens quum nihil desit tibi: amans, nec æstuans: zelans, & securus es: pœnitet te, & non doles: irascaris, & tranquillus es: opera mutas, sed non consiliũ. Item Saluianus: Deus est & inspector & inuitator & ductor, & solicitus, & sponsor, & protector, & munerator, & probator, & sublimator & ultor, & iudex. primo libro de prouidentia Dei. Et: Procurator enim est quodãmodo salutis humanæ, qui non tantum id agit ut ipse bonus sit, sed efficere hoc nititur ut alij mali esse desistãt. idem libro septimo de Prouidentia. Et Faustus: Deus dicitur subtilis, simplex, sincerus, iustus, ac iusticia misericors, & misericordia pius, & pietas, quòd hæc omnia sit & habeat. libro secũdo de Libero arbitrio.

Longanimis. Sedulius ait: Patientia & longanimitas est Dei, quæ sicut malos præparat ad interitum, ita & bonos præparat ad coronam. in nonum caput ad Romanos.

Misericors. Maximus inquit: Deus enim ipse misericors, ieiunus & sanctus est: atq; ideo qui uult proximus Deo esse, debet imitari hoc esse quod Deus est. In letanijs, & de ieiunijs Niniuitarum Homilia. Theodulus: Deus, inquit, in nos beneficia contulit: nos ipsum abnegauimus, & mentiti sumus: ac nostram ob maliciam uisus est magis misericors, quanto magis erga indignos est beneficus. Ob eam proinde causam uincit in iudicio. Nos enim ipsi ingrati, uictoriæ euasionem ei prębuimus. In tertium caput ad Romanos.

Immensus. Vt Deus secundum essentiam nobis est incognitus, ita secundum Maiestatem est immẽsus. Thalasius Hecatontade. Deum omnia nosse, Prosper docet inquiens: Eorum quæ incognita homini sunt, solus Deus iustus inspector est: & iudicia eius sunt suauia, quoniam uera. In expositione Psalmi 118. Sedulius: Manifestum est solum Deum esse, qui nouit omnia consilia: & hũc unũ esse, qui nullius eget: quia ab ipso sunt omnia, & per hoc cõsilium eius à nullo nec metitur, nec comprehenditur: quia inferiora superioris sensum capere non possunt. In 11. caput ad Rom.

Marcus heremita ait: Nulla est cogitatio, quæ Deum lateat.

Quòd Deus sit cordium scrutator, testatur Theodulus etiam inquiens: Homines sanè manifesta indagant, Deus uerò abstrusorum est explorator. in secundum caput ad Romanos. Et: Deus priusquam quisquam nascatur, nouit quid sit in homine. Atqui occultis oculis Deus irrepit in corda mortalium, neq; hominum more iudicat. In nonũ caput ad Romanos.

Nouit corda hominum. Sedulius: Corda hominum nosse solius Dei est, & mentis secreta agnoscere. idcirco ipse solus est, qui secundum ueritatẽ potest habere iudicium. In epistolam ad Rom.

Non esse προσωπολήπτην, Paulinus docet inquiens: Nec personas accipit, qui fecit omnes, sed pro meritis iudicat, quia Deus iudex est. Ad Macarium.

Multas Dei proprietates, quæ ratione humana non possunt, fide percipiendas esse docent. ut Chrysostomus in secundum caput ad Colossenses: Nusquam est (inquit) Deus, & tamen ubique est. Quid isto absurdius rationi? Vnumquodq; in seipso hæsitatione plenum est. Neque enim in loco sanè est, neque ullus est locus in quo sit. Absit. seipsum non fecit, neque esse aliquando cœpit. Quę nam ratio ista conciperet, nisi fides esset? Aut non ridiculũ uidetur, uel magis ænigma esse, quod finem non habet? Igitur quod quidem sine principio est, & ingenitus & incircumscriptus atque infinitus, ita est inexplicabile.

De uocabulis essentiæ & substantiæ sic scribit Augustinus libro quinto de Trinitate, capite octauo: Essentiam dico, quæ οὐσία Græcè dicitur, quam usitatius substantiam uocamus. Dicunt quidem & illi hypostasin, sed nescio quid uolunt interesse inter usiam & hypostasim. Ita ut pleriqui nostrûm qui hoc Gręco tractant eloquio, dicere consueuerunt, μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις: quod est

latinè, unam essentiam, tres substantias. Item: De uocabulo Personæ sic ait libro septimo de Trinitate, capite quarto: Licuit loquendi ac disputandi necessitati tres personas dicere, nõ quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit.

DE VNITATE DEI.

Vnum esse Deum omnes summa fide docuerunt. ut Chrysostomus: In quo, per quẽ, & similia uerba, frequenter inuenimus indifferenter accepta, de patre, filio, & spiritu sancto: quod minimè fieret, nisi ubique eadem esset substantia. Homilia quarta, in primum caput Ioannis. Doctrinam de unitate passim quoque Augustinus in libris de Trinitate rectè tradit. Testimonia infrà, ubi de personis agitur, reperiuntur. Cyrillus inquit: In unum Deum credimus, & unum Deum piè adoramus. Libro primo, capite secundo. Item libro tertio Thesauri, capite primo: Vnus Deus in filio & patre & spiritu sancto adoratur, & unus Deus ab omnibus prædicatur & est: quia nulla differentia essentiæ naturalisq; similitudinis alterũ ab altero disiungit.

Theodoretus sic inquit: Vnus est omniũ Deus, unus omnium opifex: & fieri non potest ut horum quidem curam gerat, illorum uerò non gerat. Omnibus ergo qui credũt, salutem prębet. In epistolam ad Romanos, cap. 3. Item: Est unus solus ingenitus Deus & pater. Genitum uerò, Melchisedech esse dicimus. In secundo Dialogo Inconfuso. Item: Vnum esse uniuersorum principium, & uetus & noua Scriptura docet, Deum uniuersorum, & patrem Domini nostri IESV Christi, ingenitum, ab interitu alienũ, æternum, infinitum, qui nec definiri nec circumscribi potest: incompositum, incorporeum, sub aspectum non cadentem, simplicem, bonum, iustum, lucem intelligentem, potentiam quæ nulla mensura cognoscitur, eam autem sola uoluntas dimetitur. Quæcunq; enim uult, potest. Et hoc nos apertè docuit ꝓpheta: Omnia enim, inquit, quæcunque uult, Dominus fecit. In Epitome diuinorum decretorum. Item: Qui Trinitatis unam substantiam confitentur, diuinæ uocis (Non erunt tibi dij alieni, præter me) legem obseruant. Nihil enim aliud pro Deo coli permittunt, excepta diuina natura. Quæstione 37 in Exodum.

Primasius: Apud homines quidem impossibile est aridos surculos reformare, Deo autẽ omnia possibilia sunt. In undecimum caput ad Romanos.

DE OPERIBVS DEI.

Docent, non esse ociosum Deum, neque genus humanum negligere. Ita Chrysostomus inquit: Deus omnium est Deus. Iam, si omnium Deus est, omnium etiam curam habet. Si uerò omnium curam habet, omnes æquè per fidem saluat. in tertium caput ad Romanos. Rectè etiam in primum caput ad Romanos scribit: Quando Deus res humanas deserit, necessariò sursum ac deorsum uoluuntur omnia.

Marcus Eremita inquit: Principiò omnium certò scimus, Deum omnis boni esse autorem, cùm principium, tum medium & finem. Libro de lege spirituali.

Eucherius ait: Deus sibi hominem quærit, sed hominibus hominum more loquitur, quia sic loquendo nos quærit. Non solùm enim Deo patri, uerùm ipsi quoq; unigenito eius, qui uenit quærere quod perierat, usq; adeò iam eramus noti, ut in ipso essemus electi ante constitutionem mundi. In Cõmentarijs in libros Regum, libro 1. Item: Sicut non est mala uoluntas à Deo, sic non est potestas nisi à Deo. ibidem. Item, Deus uniuersitatis rerumq; Dominus te in adoptionem uocat, illud (si uelis) tibi blandum nomen filij impertiens, quo Deum nostrum, unicum suum nuncupat: & non accẽsus rapieris? idem in Epistola parænetica. Item: Ecce hic diuina, ut cernimus, munificentia cunctis promiscuum usum charissimæ lucis indulsit. Datur pio & impio communem spectare solem, omnibus creatura famulatum suum benignis seruat officijs, bonorum malorumque totius mundi indiscreta possessio est. Cum hic igitur tam prę-clara Deus iustis pariter & iniustis tribuat: qualia sunt putanda, quæ iustis reseruat? Item: Ineffabilia sunt, quæ Deus præparauit his qui diligunt eum rectè, planè & manifestè. idem in Epistola parẽnetica.

Deum omnis boni esse autorem, cùm principium, tum medium & finem, testatur Marcus Heremita in capite De lege spirituali. Synesius ait: Deus bonis semper & ubiq; auxiliator & propitius adest. Libro de regno, ad Imperatorem Arcadium. Paulinus: Deus ipse noster, qui est ignis consumens suum ignem, agnoscatur in nobis, ut dicamus: Dominus illuminatio & salus nostra, quem timebimus? Iste ignis corda illuminat, & peccata consumit, tenebras quibus mortificamur extinguit, & lucem qua uiuificemur accendit. In 2 epistola ad Delphinũ.

De actionibus Dei sic Augustinus scribit, de Genesi capite quinto: Quædam ergo & facit & ordinat Deus, quædã uerò tantũ ordinat. Iustos & facit & ordinat. Peccatores aũt, in quantũ peccatores sunt, nõ facit, sed ordinat tantũ: quippe quũ illos ad dexterã, illos ad sinistrã cõstituit. Isychi⁹ ait: Tabernaculum Dei est omnis noster homo, in quo Deus habitare creditur: primùm quidem per

per imaginẽ, quam nobis donauit: deinde per primitias, quas à nobis sumpsit. Verbũ enim caro factum est, quod per illam munitionem, etiam in reliquis habitare hominibus dicitur. quod probat Iohannes dicens: Verbum caro factum est. lib. 5. Commentariorum in 15. caput Leuitici.

Diligit nos. Sedulius: Quomodo nos diligat Deus, ex hoc cognoscimus: quia non solùm nobis per filij sui mortem peccata dimisit, sed & Spiritum sanctum nobis dedit, qui ostendat iam gloriam futurorũ. in quintum caput Epistolæ ad Rom.

Quomodo & quid in hominibus operetur Deus, Chrysostomus monet: Hoc solùm, inquit, scito, quòd Deus omnia prouidet, quòd liberi arbitrij cõditi sumus, quòd alia quidem operatur, alia uerò permittit: quòd nihil mali uult fieri: quòd non ex sola ipsius uoluntate fiunt omnia, sed ex nostra quoque. Mala omnia ex nostra tantummodo fiunt, bona omnia ex uoluntate nostra, & ipsius adiutorio. Chrysostomus in tertiũ caput secundæ ad Timotheum.

Sedulius inquit: Deus natura omnium est, uoluntate uerò paucorum. In sextum caput secundæ ad Corinthios. Et: Deus cum ubiq; præsens sit, longè tamen ab impijs discitur. in secundum caput ad Ephes. Primasius ait: Cum Deus ubique sit, tamen in illis inhabitat, qui eius sentiunt beneficium, & credunt ipsius donum esse si aliquid sunt. in sextum caput secundæ ad Corinthios.

Quòd benefaciat Deus, docet Chrysostomus: Dei, inquit, benignitas nullam nouit mensuram, sed neque eius bonitatem ullo sermone quis interpretari potest. in Proœmio priori Commentariorum in Esaiam.

Punire etiam sceleratos Deum, docet Chrysostomus: Nullo, inquit, non tempore facit hoc Deus, & per singulas quasque generationes, non simul omnes qui eodem peccati genere deliquerint, simul etiam plectit. in enarratione primi capitis Esaiæ.

Deum uisitare peccata, testatur Prosper: Dixit, inquit, Deus: Venite, descẽdamus & confundamus linguas, &c. Deus Trinitas loquitur. Descendere uerò Deum, est humanos actus inspicere, uel eorum sensibus ꝓpinquare. De promissionibus & prædictionibus Dei, cap. 8.

De iuramentis Dei, inquit Eucherius: Quid est autem Dei ueri, ueracisq; iuratio, nisi promissi confirmatio, & infideliũ quædã increpatio? Libro 2. in Genesin, cap. 37.

In reuelatione uerbi diuini, captui hominum sese accommodat Deus: ac rarò de nimium altis, crebrò uerò de humilibus loquitur. quod Chrysostomus monet: Deus, inquit, non adeò suam spectat dignitatem, ut nostram salutẽ: neq; ut magnum aliquid loquatur, sed ut nos possit allicere. Propterea alta & magna rarò, & ea abscondita, sed humilia & abiecta frequenter loquitur. Homilia 63. in undecimum caput Ioannis.

Quibus modis Deus in Christo fuerit, Sedulius his uerbis exponit: Tribus modis Deus erat in Christo. Primò, secundum infirmitatem omnis creaturæ, quòd ubiq; est. ut: Non ne ego impleo cœlum et terram? Eo autem modo est Deus etiam in peccatoribus. Secundò, iuxta sanctificationem, & peculiarem inhabitationem, qua in sanctis est. ut est illud: Inhabitabo in eis, et inter eos ambulabo. Tertiò, secundum plenitudinẽ diuinitatis. quod Christo figillatim conuenit, iuxta illud: Quòd in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. In quintum cap. secundæ ad Corinthios.

DE TRINITATE.

TRinitatis doctrinam sanctè custodierunt & tradiderunt, tres nempe esse personas, & unam in diuinitate essentiam. Sic Chrysostomus scribit: Vides Trinitatem in se incommutabilem. Nam de spiritu quidem inquit: Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini inspeculantes, ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. De filio autem: Ne illucescat illis illustratio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. De patre uerò qui dixit, Vt ex tenebris lux luceat, illuxit in cordib. uestris. In quartum caput secundæ ad Corinth. Et in conclusione sermonis de proditore ait: Trinitatis perpetuam unitatem teneamus. Et Augustinus libro primo de Trinitate, capite quarto inquit: Omnes qnos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, diuinorum librorum ueterum & nouorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quòd Pater & Filius & Spiritus sanct⁹, unius eiusdemq; substantiæ, inseparabili æqualitate diuinam insinuent unitatem. Ideoque non sunt tres dij, sed unus Deus: quamuis pater filium genuerit, & ideo filius non sit qui pater est: Filiusque à Patre sit genitus, & ideo non sit Pater qui Filius est: Spiritusque sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tãtum Patris & Filij Spiritus, Patri & Filio etiam ipse cœqualis, & ad Trinitatis pertinens unitatem: non tamen eandem Trinitatem natam de uirgine Maria, & sub Pontio Pilato crucifixam & sepultam, tertio die resurrexisse, & in cœlũ ascendisse, sed tantummodo Filium: nec eandem Trinitatem descendisse in specie columbæ super IESVM baptisatũ, aut die Pentecostes post ascensionem Domini sonitu facto de cœlo, quasi ferretur flatus

tus uehemens,& linguis diuisis uelut ignis, sed tantũmodo spititũ sanctũ:nec eandẽ Trinitatem dixisse de cœlo, Tu es filius meus, siue cum baptisatus est à Ioanne:siue in mõte,quando cum illo erant tres discipuli:aut quando sonuit uox dicens, Et clarificaui,& iterum clarificabo: sed tantummodo Patris uocem fuisse ad Filium factam, quamuis Pater & Filius & Spiritus sanctus,sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur. Hæc etiam mea fides est,quoniam est catholica fides. Item libro quinto de Trinitate, capite octauo:Quamobrem quamuis diuersum sit,patrem esse, & filium esse, non est tamen diuersa substãtia: quia hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relatiuum: quod tamen relatiuum non est accidens, quia non est mutabile. Item lib. quinto de Trinitate ,capite 19.Reuera enim cum Pater non sit Filius, & Filius non sit Pater, & Spiritus sanctus ille qui etiam donum Dei uocatur, nec Pater sit, nec Filius, tres utiq; sunt. Ideoq; pluraliter dictum est: Ego & pater unum sumus. Non enim dixit, Vnum est, quod Sabelliani dicũt: sed, Vnũ sumus. Tamen cum quęritur quid tres,magna prorsus inopia humanum laborat eloquium:dictum est tamen tres personæ,non ut illud diceretur, sed ne taceretur. Ibidem capite undecimo: Et hæc Trinitas unus Deus,Deus solus,bonus, magnus,æternus, omnipotens:ipse sibi unitas,deitas,magnitudo, bonitas, omnipotentia .Item libro sexto de Trinitate, capite septimo: Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioqui minor erit pater solus, aut filius solus, quàm simul pater & filius. Quanquam non inueniatur quomodo dici possit aut pater solus, aut filius solus, quum semper ac inseparabiliter & ille cum filio sit, & ille cum patre, non ut ambo sint pater, aut ambo filius, sed quia semper inuicem, neuter solus. Item de fide ad Petrum, capite primo: Sicut ergo nec filius posterior aut minor est patre, ita nec spiritus sanctus posterior aut minor est filio. Aeternum quippe & sine initio est quòd filius de patris natura natus existit: & æternũ ac sine initio est,quòd Spiritus sanctus de natura patris filijq; procedit. Ob hoc ergo tres, unum rectè credimus & dicimus Deum,quia una prorsus æternitas, una immensitas,& una naturaliter est trium personarum diuinitas. Teneamus igitur, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum esse naturaliter Deum: neq; tamen ipsum Patrem esse, qui Filius est: neq; Filium ipsum esse, qui Pater est: nec Spiritũ sanctum ipsum esse, qui Pater aut Filius est. Vna est enim Patris & Filij & Spiritus sancti essentia, quam Græci οὐσίαν uocant, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus:quãuis personaliter sit alius Pater,alius Filius,alius Spiritus sanctus.Quod nobis maximè in ipso sanctarũ Scripturarũ initio demõstratur, ubi Deus dicit:Faciam' hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ibidem: Trinitas itaque ad personas Patris & Filij & Spiritus sancti refertur, unitas uerò ad naturam. Item in Sermone 38.Vna ergo in tribus diuinitas, una essẽtia, una omnipotentia,& quidquid substantialiter potest dici de Deo. Si fortè de solo patre interrogatus fueris, Quid sit pater? respõde, Deus. Interrogatus de Filio, respõde, Deus. Interrogatus de Spiritu sancto, respõde,Deus.Si interrogatus fueris simul de Patre & Filio & Spiritu sancto, non Deos, sed Deum respõde unum, omnipotentem, incommutabilem. Item Sermone 129. Si quis non dixerit Patris & Filij & Spiritus sancti unam diuinitatẽ, parem maiestatem, potentiam,unam gloriam,dominationem, unum regnũ, atq; unam uoluntatem, anathema sit. Si quis tres personas non dixerit ueras, Patris & Filij & Spiritus sancti æquales,semper uiuẽtes, omnia continentes,uisibilia & inuisibilia, omnia potẽtes, omnia iudicantes,omnia uiuificantes, omnia facientes , omnia quæ saluanda sunt saluantes, anathema sit .

Cyrillus: Fides autem nostra nullum deorum numerum suscipit, sed unus est Deus pater,& ad eãdem unitatem filius unà cum spiritu sancto conscendit.libro primo,capite 3. Item: Non identitas substantiæ lædetur, si Trinitatem personarum sanctè atque piè fatemur.libro primo, capite tertio. Itẽ: Manifestum igitur est, in Trinitatem nos ideo baptizari, quoniam ad eum numerum personarum ratio exit. libro primo, capite secundo.Item: Totius Trinitatis una deitas est. Libro 3. Commẽtariorum in Ioannem. Item: Vna Deitas Trinitatis est, una glorificatio, eademque dominatio. Libro primo Thesauri, capite 5. Item: Simplex & unius speciei Deitas in sancta Trinitate creditur & cognoscitur in patre, Filio,& Spiritu sancto. Libro quinto Dialogorum. Item, Abraham in tribus uiris ab ipso conspectis Trinitatem consubstantialem cognouisse, dicit Cyrillus libro primo contra Iulianum. Item: In patre & filio & Spiritu sancto, hoc est,in consubstantiali intelligitur Trinitate, una & ineffabilis & inexcogitabilis Dei natura. Cyrillus lib. 1. contra Iulianum.

Leo inquit: Non alia sunt patris, alia filij, alia spiritus sancti:sed omnia quęcunq; habet Pater, habet & Filius, habet & Spiritus sanctus:nec unquam in illa Trinitate defuit ista communio. Quia hoc est ibi omnia habere,

bere, quod ſemper exiſtere: nulla ibi tempora, nulli gradus, nullæ differentiæ cogitentur: & ſi nemo de eo poteſt explicare quod eſt, nemo audeat affirmare quod non eſt. Excuſabilius enim eſt, de natura ineffabili non eloqui digna, quàm definire contraria. Quicquid itaq; de ſempiterna & incommutabili gloria patris pia poſſunt corda concipere, hoc ſimul & de filio & de ſpiritu ſancto inſeparabiliter ac indifferenter intelligant. Ideo enim hãc beatã Trinitatem unũ cõfitemur Deũ, quia in his trib. perſonis nec ſubſtãtiæ, nec potẽtiæ, nec uoluntatis, nec operationis eſt ulla diuerſitas. Itẽ Sermone 12. de Paſsione Domini: Scim⁹ etenim dilectiſſimi, & toto corde profitemur, Patris & Filij & Spiritus ſancti unã eſſe Deitatẽ, & cõſubſtantialem ſempiternæ Trinitatis eſſentiã, in nullo à ſe diuiſam, in nullo eſſe diuerſam: quia ſimul eſt intemporalis, ſimul eſt incommutabilis, ſimul quod eſt, eſſe non deſinens. In hac autẽ ineffabili unitate Trinitatis, cuius in omnibus communia ſunt opera atq; iudicia, reparationem humani generis propriè filij perſona ſuſcepit.

Proſper ait libro Epigrammatum:

Aeternus uerè eſt ſolus Deus omnicreator,
Vita in ſe uiuens permanet eſſe quod eſt.
Hoc pater, hoc uerbum patris, hoc eſt ſpiritus almus,
Quorum natura eſt una eademq; trium.
Non cœptum, aut auctum, nõ hic mutabile quicquã eſt,
Quod ſubeat leges temporis aut numeri. Item:
Natura omnipotens una eſt, quæ cuncta creauit:
Et propriè, quod ſunt, omnibus eſſe dedit.
Quodq; Deo minus eſt, non eſt Deus: à patre natum
Verbum, & qui amborum ſpiritus eſt, Deus eſt.
Vna eademq; trium quoniam eſt eſſentia, quæ ſe
Nunquam uel maior uel minor eſſe poteſt. Item:
Omnipotens genitor, natusq; & ſpiritus almus,
Vna in perſonis par tribus eſt Deitas.

Theodoretus inquit: Dei patris, & unigeniti filij, & ſanctiſsimi ſpiritus unam ſubſtãtiam dicimus: quemadmodũ à diuina Scriptura tam ueteri quàm noua, & à patribus qui Niceæ conuenerunt docti ſumus. Dialogo primo. Item: Multo credibilius loquetur, quiſquis aſſerat, ex eo qui ſit ingeneratus, emanare uerbum ac ſpiritum ſanctum. Verbum quidem, ut genitum ab intellectu: Spiritum uerò, ut procedentẽ. ipſi enim uerbo ſpiritus comprogreditur, non tamen ut uerbo congenitum, ſed qui ſimul cum uerbo ſit, conſeclaq; ſit uerbi, atq; procedat. Neq; uerò Spiritum ſanctũ ſpiramẽ eſſe aliquod oris dicimus. Deus enim nec compoſitionem patitur, nec figuram: neq; uerbum intelligimus, quale noſtrum eſt, quod loquentibus nobis per aerem diffunditur: ſed uerbum quod ineſt ſubſtãtialiter, ac ſpiritum qui ad hypoſtaſin pertinet. Quę duo & in patre conſiderãtur, & ſeorſim per ſeipſa ſingillatimq; creduntur, quæque & coniuncta ſunt, & diſcreta. Vnita quidem, eo quòd eiuſdem naturæ ſint: proprietate uerò differentia ſingillatim, ſeorſumq; intellecta: Libro ſecundo de principijs. Item: Deus obſcurè identitatẽ ſubſtantiæ & perſonarum numerum aperuit. Dum enim inquit, Dixit Deus, communionem diuinæ naturæ explanauit. ſubiungẽs autem illud, Faciamus: expreſsit numerum perſonarũ. Similiter cum iterũ ſingulari numero dixit, Imaginem, eandem eſſe naturam oſtendit. non enim dixit, Ad imagines: ſed, Ad imaginem. Quum autem dixit Noſtram, numerũ hypoſtaſeõn manifeſtauit. Theodoretus Quæſtione 19 in Geneſin. Item: Habet ipſa facultatem rationalem & uitalem in ſe, & mens quidem producit ſermonem, concurrit autẽ cum ſermone ſpiritus, non generatus quidẽ, quemadmodũ ſermo: ſed perpetuò conſequens ſermonem, & cum eo, dum editur, concurrens. Sed huiuſmodi adſunt homini tanquam imagini: quamobrem nec ſermo nec ſpiritus per ſe ſubſiſtit. At in ſancta Trinitate tres intelligimus hypoſtaſes, easq; ſine confuſione unitas, & per ſe ſubſiſtentes. Nam ante ſecula genitus eſt à patre Deus uerbum, inſeparabilis autem eſt à genitore: & proficiſcitur à Deo & patre ſpiritus ſanctus, qui & intelligitur in propria hypoſtaſi. Omnia enim operatur, inquit, unus & idem ſpiritus, diuidens ſua cuiq; prout uult. Quæſtione uigeſima in Geneſin. Item Hæc clauſula DOMINVS DEVS TVVS DOMINVS VNVS EST, unitatem ſubſtantiæ innuit, & perſonarum numerum demonſtrat. Semel enim poſuit hoc uerbum DEVS, bis autem iſtud DOMINVS. Quæſtione ſecunda in Geneſin. Item: Qui dicit, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt: & unitatem docet, & Trinitatem ſignificat. Semel enim Deo propoſito, bisq; Domino repetito, Trinitatem ſubooſtendit. Cumq; adderet VNVS EST, & congruentem Iudæis doctrinam attulit: & unã in tribus, eandemq; diuinitatem & ſubſtantiam eſſe docuit. una ſiquidem ſanctę Trinitatis & ſubſtantia & poteſtas eſt, & uoluntas. Libro 2. de Principijs.

Conſentit Iſychius, ſcribẽs: Ephi cum ſit menſura trium modiorum, euidenter Trinitatem innuit, quæ una quidem menſura eſt, quia una in ea eſt Deitas. Tres autem habet menſuras, id eſt tres perſonas perfectas, & tot ſubſtantias: ut manifeſtum ſit, non nos peccare eius partem carnem Domini dicentes, propter inſeparabilem cum ea incarnati Verbi unitionẽ. Libro primo, in primum caput Leuit. Item: Pro materia quæ uexat homi-

hominem, partem bonam eligamus, charitatem patris, gratiam filij, ſocietatem Spiritus ſancti. Libro ſexto in caput uigeſimumtertium Leuit.

De Trinitate ſic ſcribit Sedulius:

Semper ut una manens Deitatis forma perennis,
Quod ſimplex triplicet, quodq; eſt triplicabile ſimplex:
Hæc eſt uera fides, hanc ſprecuit habere ſalutem.

Libro primo. Et:

Frondibus arboreis laudem cœleſtibus hymnis
Obuia turba dedit: Domino niſi cum patre Chriſto,
Qui regit æthereum princeps in principe regnum,
Cui ſanctus ſemper conregnat ſpiritus æquè.

Libro tertio. Item: Cum plenam Trinitatis confeſsionem capimus: lux enim pater: & in lumine eius qui eſt filius, lumen uidemus ſpiritum ſanctum. In ſextum caput ad Romanos. Et: Vnum & uerum bonum eſt Deus, cuius imago bonitatis eſt filius, & ſpiritus eius qui dicitur bonus. Illud ergo unum, quia in Deo patre, & filio, & ſpiritu ſancto eſt, bona nominauit. In epiſtolam ad Romanos cap. 10. Primaſius: Vnus enim Deus pater, & filius & ſpiritus ſanctus, omnium hominum Deus eſt, & ideo cupit omnes ſaluari quos fecit. In ſecundũ caput ad Timotheum. Et: Ita natura patris, & filij, & ſpiritus ſancti inſeparabiliter coniuncta & unita per uerbum ſuum, quaſi per ſplendorem dignata eſt ſemetipſam oſtendere, & inſuper myſterium ſanctæ Trinitatis, dicente ipſo filio: Ego & pater unum ſumus. in primum caput ad Hebræos. Item Victor: Quia unus Deus pater & filius & ſpiritus ſanctus, Apoſtolus dicit, Nullus eſt Deus niſi unus. In ratiõe fidei. Et Cerealis pulchrè dicit: Si Trinitas non eſt, quare dictum eſt: Ite, baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti? Deus unus eſt Deus, Deus non poteſt eſſe minor, Deus non poteſt immutari: Deus unus eſt pater, & filius & ſpiritus ſanctus: tamẽ ad ſolum Chriſtum pertinet caro. Antonius epiſcopus in epiſtola conſolatoria ad Arcadium actum in exiliũ.

Victor epiſcopus inquit: Patrem ergo, & Filium, & Spiritum ſanctum, ita in unitate profitemur, ut & patrem in ſua proprietatis perſona ſubſiſtere, & filium nihilominus in propria extare perſona, atq; ſpiritum ſanctũ perſonæ ſuæ proprietatem retinere, fideli cõfeſsione fateamur. In ratione fidei ad Gẽnoſium. Trium hypoſtaſium unamq; Deitatis eſſentiam adoramus, eiuſdemq; eſſentię ſanctam Trinitatem confitemur. Thalaſſius Hecatontade ſecunda. Item: Proprietates hypoſtaſium trium ſunt, Paternitas, filiatio & proceſsio: & communia tribus hypoſtaſibus ſunt, eſſentia, natura, deitas, bonitas. Hecatontade 2.

Theodulus ait: Eſt autem confirmationis argumentum à poſsibili ductum, cum ait: Gratia patris & filij. Vbi autem pater & filius, planum fit quòd & ſpiritus poſsit nominem non ſeruare. Et: Obſerua quòd hic filij & ſpiritus ſancti meminit, nondum etiam patris. Hoc autem dictum eſt, ut quando patris & filij ſolius mentionem facit, nõ turberis, quòd non ſpiritum etiam exprimat. indiſcriminatim enim ſanctam Trinitatem ponit. In caput 15. ad Romanos. Salonius ait: Vnitas patris & filij & ſpiritus ſancti, quia in diuinitate tres ſunt perſonę, ſed tantum una eſt natura: indiuidua eſt ſanctę Trinitatis natura. In Eccleſiaſten. Fauſtus inquit: Cum ergo imago hæc à patre & filio & ſpiritu ſancto conferatur, abſq; dubio trium perſonarum una diuinitas primo homini ſuæ imaginis tribuit dignitatem. Libro 2. de libero arbitrio, capite ſeptimo.

Iunilius idem docet: Cum dicitur, Faciamus ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã, unitas ſanctæ Trinitatis apertè commendatur. In Geneſin. Et, Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ſignificat, quòd non id agat illa pluralitas perſonarum, ut plures Deos credamus, ſcilicet Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: propter quam Trinitatẽ dictum eſt, Ad imaginem Dei. ibidem. Et: Singulæ trinitatis perſonæ propriũ habent, quòd pater nunquam dicitur filius, nec cõiunctis ſermonibus ſpiritus ſanctus: licet diuiſè & ſpiritus dici poſsit, & ſanctus. Nec filius propriè dici poteſt, aut coniunctiuè ſpiritus ſanctus. Nec rurſus ſancto ſpiritui patris aut filij nomen adſcribitur. Iunilius capite 18. Et, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: &, Venite deſcendamus, cõfundamus linguas eorum: pluralis numerus Trinitatis indicium eſt. Libro 2. capite 19. Item: Quod dicit, Faciamus, una oſtenditur trium operatio perſonarum. In eo uerò quòd ſequitur, Ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram, una & æqualis ſubſtantia eiuſdem Trinitatis indicatur. Quomodo enim una eſſet ſimilitudo & imago, ſi minor patre filius, ſi minor eſſes filio ſpiritus ſanctus? & ſi non conſubſtantialis eiuſdem poteſtatis eſſet gloria totius Trinitatis? Aut quomodo diceretur, Faciamus, ſi trium in una deitate cooperatrix uirtus nõ eſſet? Neq; enim angel' à Deo dici poterat, Faciamus ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram: quia nulla prorſus ratio finit, ut Dei & angelorum unam eſſe eandemq; imaginem ſiue ſimilitudinem credamus. Iunilius in Geneſin.

Eucherius inquit: Sancta Trinitas unus eſt Deus, in cuius uiſione cuncta ſpei noſtrę deſideria ſuſpenduntur. Libro tertio Commentariorum in libros Regum. Item: Deus quippe

quippe Trinitas est. Idem eodem loco.

Vigilius ait: Alius est qui gignit, alius qui gignitur: alius procedens, alius de quo procedit: alius mittens, alius missus: alius Deus uerbum qui de uirgine nascitur, alius pater qui permanet semper innatus: alius qui per dispensationem carnis cuncta nostræ fragilitatis officia explet, alius pater qui sine his omnibus manet. Contra Eutychen libro primo. Item: Sunt quædam propria filij, quæ nec ad patrem, nec ad spiritum sanctũ pertinent: & sunt etiam spiritus sancti nonnulla propria, quæ nec ad patrem, nec ad filium pertinere monstrantur. Et addit: Susceptæ carnis dispensatio nec ad patrem, nec ad spiritum sanctũ, sed ad solum pertinet filium. Propriè enim filius, non pater, de uirgine natus est. Rursus illa quæ sæpe audita est uox, Hic est filius meus dilectus, nec ad filium, nec ad spiritum sanctum, sed ad patrem pertinet solum. Item: Columbæ species, quæ in Iordane apparuit, & ignearum linguarum multipertita distributio, propriè ad sancti spiritus personam pertinere monstratur. Sed ne adhuc de his proprietatibus dubites, audi manifestius. Proprium patris genuisse, & proprium filij natum fuisse, proprium uerò est spiritus sancti procedere: nec omnino reciprocari alteram personam, quod est unicuiq; personæ specialiter proprium. Libro primo contra Eutychen.

Vincentius Lirinensis ait: Nam & unam diuinitatem in Trinitatis plenitudine, & Trinitatis æqualitatem in una atque eadem maiestate ueneratur, & unum Christum IESVM, non duos, eundemq; Deum pariter atq; hominem confitetur, unam quidem in eo personam, sed duas substantias: duas substantias, sed unam credit esse personam: duas substantias, quia mutabile non est uerbũ Dei, ut ipsum uerteretur in carnem. Vnam personam, ne duos profitendo filios quaternitatem uideatur colere, nõ trinitatem. Sed operæprecium est, ut idipsum etiam atq; etiam distinctius & expressius enucleemus. In Deo una substantia, sed tres personæ. In Christo duæ substantiæ, sed una persona: in Trinitate, alius atq; alius, non aliud atque aliud. In Saluatore aliud atq; aliud, non alius atq; alius. Quomodo in Trinitate alius atq; alius, non aliud atq; aliud? Quia scilicet alia est persona patris, alia filij, alia spiritus sancti. Sed tamen patris & filij & spiritus sancti non alia & alia, sed una eademq; natura. Quomodo in Saluatore aliud atq; aliud, non alius atq; alius? Quia uidelicet altera substantia diuinitatis, altera humanitatis: sed tamen Deitas & humanitas non alter & alter, sed unus idemq; Christus, unus idẽque filius Dei, & unius eiusdemq; Christi & filij Dei una eademq; persona. Sicut in homine aliud caro, & aliud anima, sed unus idemq; homo anima & caro. In Petro uel Paulo aliud anima, aliud caro: nec tamen duo Petri caro & anima, aut alter Paulus anima, & alter caro, sed unus idemq; Petrus, unus idemq; Paulus, ex duplici diuersaque subsistens animi corporisq; natura. Ita igitur in uno eodemq; Christo duæ substantiæ sunt, sed una diuina, altera humana: una ex patre Deo, altera ex matre uirgine: una coæterna & æqualis patri, altera ex tempore & minor patre: una consubstantialis patri, altera consubstantialis matri: unus tamen idemq; Christus in utraq; substantia. Non ergo alter Christus Deus, alter homo: non alter increatus, alter creatus: non alter impassibilis, alter passibilis: non alter æqualis patri, alter minor patre: non alter ex patre, alter ex matre: sed unus idẽq; Christus Deus & homo, idẽ nõ creatus & creatus, idẽ incõmutabilis & impassibilis, idem commutatus & passus, idem patri & æqualis & minor, idẽ ex patre ante secula genitus, idem in seculo ex matre generatus, perfectus Deus, perfectus homo: in Deo summa diuinitas, in homine plena humanitas: plena inquam humanitas, quippe quæ animam simul habeat & carnem: sed carnem ueram, nostram maternam: animam uerò intellectu præditam, mente ac ratione pollentem. Est ergo in Christo uerbum, anima, caro: sed hoc totũ unus est Christus, unus filius Dei, & unus saluator ac redemptor noster. Vnus autem non corruptibili nescio qua diuinitatis & humanitatis cõfusione, sed integra & singulari quadam unitate personæ. Neque enim illa coniunctio alterum in alterum cõuertit atque mutauit, qui est error proprius Arianorum: sed ita in unum potius utrunq; compegit, ut manente semper in Christo singularitate unius eiusdẽq; personæ, in æternum quoq; permaneat proprietas uniuscuiusq; naturæ, quo scilicet nec unquam Deus corpus esse incipiat: nec aliquando corpus, corpus esse desistat: quod etiam humanæ conditionis demonstratur exemplo. Neq; enim in præsenti tantum, sed in futuro quoque unusquisq; hominum ex anima constabit & corpore: nec tamen unquam aut corpus in animam, aut anima uertetur in corpus: sed unoquoq; hominum sine fine uicturo, in unoquoq; hominum sine fine necessariò utriusq; substantiæ differentia permanebit. Ita in Christo quoque utriusque substantiæ suæ cuique in æternum proprietas, salua tamen personæ unitate retinenda est. Sed cum personam sæpius nominamus, & dicimus quòd Deus persona homo factus sit, uehementer uerendum est, ne hoc

dicere uideamur, quòd Deus uerbum sola imitatione actionis quæ sunt nostra susceperit, & quicquid illud est conuersationis humanæ quasi adumbratus, non quasi uerus homo fecerit. Sicut in theatris fieri solet, ubi unus plures effingit repentè personas, quarum ipse nulla est. Quotiescunque etenim aliqua susciputur imitatio actionis alienæ, ita aliorum officia aut opera patrantur, ut tamen hi qui agunt, non sint ipsi quos agunt. Neq; enim (ut uerbi gratia secularium & Manichæorum utamur exemplis) cum actor Tragicus sacerdotem effingit. aut regem, sacerdos aut rex est: nam desinente actu, simul & ea quæ susceperat persona, desistunt. Absit hoc à nobis nefarium sceleratumq; ludibrium: Manichæorum sit ista dementia, qui phantasiæ prædicatores, aiunt filium Dei Deum personam hominis, non substantia extitisse, sed actu putatiuo quodam & conuersatione simulasse. Catholica uerò fides ita uerbum Dei hominẽ factum esse dicit, ut quæ nostra sunt, non fallaciter & adumbratè, sed uerè expresseq; susciperet: & quæ erant humana, non quasi aliena imitaretur, sed potius ut sua gereret: & prorsus quod agebat, hoc etiã quẽ agebat is esset. Sicut ipsi nos quoq; in eo q̃ loquimur, sapimus, uiuimus, subsistimus, nõ imitamur homines, sed sumus. neq; enim Petr⁹ & Ioãnes (ut eos potissimùm nominẽ) imitando erãt homines, sed substitẽdo. Neq; itẽ Paul⁹ simulabat Apostolũ, aut fingebat Paulũ: sed erat Apostolus, & substitebat Paulus. Ita etiam Deus uerbum assumendo, & habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, sine ulla tamen suæ corruptione naturæ, hoc omnino præstare dignatus est, ut hominem perfectum non imitaretur aut fingeret, sed exhiberet: ut homo uerus non uideretur aut putaretur, sed esset atq; substisteret. Igitur sicut anima connexa carni, nec in carnem tamen uersa, non imitatur hominem, sed est homo, & homo non per simulationem, sed per substantiam: ita etiam uerbum Deus absq; ulla sui conuersione ueniendo, se homini non confundendo, non imitando factus est homo, sed substistendo. Abijciatur ergo tota penitus personæ illius intelligentia, quę fingendo imitatione susciputur, ubi semper aliud est & aliud simulatur: ubi ille qui agit, nunquam is est quem agit. Absit etenim, ut hoc fallaci modo Deus uerbũ personam hominis suscepisse credatur: sed ita potius, ut incommutabili sua manente substantia, & in se perfecti hominis suscipiẽdo naturam, ipse caro, ipse homo, ipse persona hominis existeret, non simulatoria, sed uera: non imitatiua, sed substantiua: non denique quæ cum actione desisteret, sed quæ prorsus in substantia permaneret. Hæc igitur in Christo personæ unitas nequaquam post uirginis partum, sed in ipso uirginis utero compacta atq; perfecta est. Vehementer enim præcauere debemus, ut Christum non modò unum, sed etiam semper unum confiteamur. Quia intoleranda blasphemia est, ut etiamsi nunc eum unum esse concedas, aliquando tamen non unum, sed duos fuisse cõtendas: unum scilicet post tempus baptismatis, duos uerò sub tempore natiuitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profectò uitare poterimus, nisi unitum hominem Deo, sed unitate personæ, non ascensu, uel resurrectione, uel baptismo, sed iam in matre, iam in utero, iam deniq; in ipsa uirginali conceptione fateamur: propterq̃ personæ unitatem indifferenter ei atq; promiscuè, & quæ Dei sunt propria tribuuntur homini, & quæ carnis propria adscribuntur Deo. Inde est enim, quod diuinitùs scriptum est: Et filium hominis descẽdisse de cœlo, & Dominum maiestatis crucifixum in terra. Inde etiam est, ut carne Domini facta, carne Domini creata, ipsum uerbum Dei factum, ipsa sapientia Dei impleta, scientia creata dicatur: sicut in præsentia manus ipsius & pedes fossi esse referuntur. Per hanc inquam personæ unitatem, illud quoque similis mysterij ratione perfectum est, ut carne uerbi ex integra matre nascente, ipse Deus uerbum natus ex uirgine catholicissimè credatur, impijssimè denegetur. Quæ cum ita sint, absit ut quisquam sanctam Mariam diuinæ gratiæ priuilegijs ut speciali gloria fraudare conetur. Et enim singulari quodã Domini ac Dei, nõ filij aũt sui munere uerissimè ac beatissimè θεότοκος confitenda. Sed nõ eo modo θεότοκος, quo impia quædam hæresis suspicatur, quę asserit eam Dei matrem sola appellatione dicendam, quæ cum scilicet peperit hominem qui postea factus est Deus, sicut dicimus presbyteri matrem', aut episcopi matrem, non iam presbyterum aut episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui postea presbyter uel episcopus factus est: non ita inquam sancta Maria θεότοκος, sed ideo potius, quoniam, ut suprà dictum est, iam in eius sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atq; unicam personæ unitatem, sicut uerbũ in carne caro, ita homo in Deo Deus est. Sed iam ea quæ de suprà memoratis hæresibus, uel de catholica fide breuiter dicta sunt, renouandæ causa memoriæ breuius strictiusq̃ repetamus, quo scilicet & intelligantur iterata plenius, & firmius inculcata teneantur. Anathema igitur Photino, non reçipienti plenitudinem trinitatis, &

& Christum hominem tantummodò solitarium prædicanti. Anathema Apollinari, adseueranti in Christo cõuersæ diuinitatis corruptionem, & auferenti perfectæ humanitatis proprietatẽ. Anathema Nestorio, negan ti ex Virgine Deum natum, adserenti duos Christos, & explosa Trinitatis fide quaterni tatẽ nobis introducenti. Beata uerò catholica Ecclesia, quæ unum Deum in Trinitatis plenitudine, & item Trinitatis æqualitatem in una diuinitate ueneratur, ut neq; singularitas substantiæ personarũ cõfundat proprietatẽ, neq; item trinitatis distinctio unitatem separet Deitatis. Beata inquã Ecclesia, quæ ut unum semper Christum & esse & fuisse fateamur, unitum hominem Deo nõ post partum, sed iam in ipso matris utero confitetur. Beata inquam Ecclesia, quæ Deum factum hominem, non conuersione naturæ, sed personæ ratione intelligit: personæ autem non simulatoriæ & transeuntis, sed substantiuæ & permanentis. Beata inquã Ecclesia, quæ hanc personæ unitatem tantam uim habere prædicat, ut propter eam miro, ineffabiliq; mysterio, & diuina homini, & Deo adscribat humana. Nam propter eam & hominem de cœlo secundum Deum descendisse non abnegat, & Deum secundum hominem credit in terra factum, passum, crucifixum: propter eam deniq; & hominem Dei filium, & Deũ filium uirginis confitetur. Beata igitur ac ueneranda, benedicta & sacrosancta, & omnino supernæ illi angelorũ laudationi comparanda confessio, quæ unum Dominum Deum trina sanctificatione glorificat. Idcirco etenim uel maximè unitatem Christi prædicat, ne mysterium Trinitatem excedat.

Marius Victor, in Claudij Marij Victoris præfatione Commentariorum super Genesin, inquit:

Summe & sancte Deus, cunctæ uirtutis origo,
Omnipotens, quem nec subtili indagine rerum
Mentibus humanis sensu comprendere fas est,
Et nescire nefas (nam te ratione profunda
In tribus esse Deum, sed tres sic credimus unum,
Vnica personas ut tres substantia reddat,
Indiscreta pio conseruans fœdera nexu)
Tu sine principio, pariter sine fine perennis
Solus es atq; idem, nulliq; obnoxius æuo.
Et: Per Dominum Christum, qui tecum natus eadem
Maiestate uiget pariter, qua Spiritus almus
Incomprensa animis seclorum in secula uiuit.

in fine præfationis in Genesin.

Paulinus in epistola 12 ad Seuerum ait:

Ecce uelut trino colit unam nomine mentem,
Sic trinum sanctum mole sacrauit opus.

Item: *Atq; ubi Christus, ibi Spiritus & Pater est.*

Ibidem. Et: In Spiritu sancto Deo Deum cernens, quia in ipso Trinitas diuinitatis impletur, & una Trinitatis diuinitas cernitur. Spiritus enim Dei, sicut & uerbũ Dei, Deus uterq; in uno capite permanentes, & ex uno patris fonte manantes: sed filius nascendo, spiritus procedendo, salua quisq; personarũ suarum proprietate distincti potius quàm diuisi erunt. in Epistola quinta ad Amandum.

Item in precatione matutina:

—Sit te Dominiq; Deiq;
Vnigeni cognosco patrem, missumq; duobus,
Qui super æquoreas uolitabat Spiritus undas.

De personarum differentijs, his uerbis Augustinus scribit, de inquisitione Trinitatis: Proprium est Patris, quòd solus est pater, & quòd ab alio non est, nisi à se. Proprium est Filij, quòd à patre genitus est, solus à solo, co æternus & cõsubstantialis genitori. Propriũ est Spiritus sancti, quòd nec ingenitus, nec genitus est, sed à patre & filio coæqualiter procedens. Item de cognitione ueræ uitæ, capite decimo: In personis diuersitatem necessariam, dum pater gignens, filius nascens, spiritus sanctus ab utroq; procedens prædicatur. Item Sermone 189: Diuidũtur proprietatibus, sed natura sociantur.

Leo inquit: Sempiternum est patri, consempiterni sibi filij sui esse genitorem. Sempiternum est filio, intemporaliter à patre esse progenitum. Sempiternum quoq; est spiritui sancto, spiritum esse patris & filij: & nunquam pater sine filio, nunquam filius sine patre, nunquam pater & filius fuerunt sine spiritu sancto: ut omnibus existentiæ gradibus exclusis, nulla ibi persona sit anterior, nulla posterior. Huius enim beatæ Trinitatis & incommutabilis Deitatis una est substantia indiuisa in opere, & consors in uoluntate, par in omnipotẽtia, æqualis in gloria. Sermone secundo de Pentecoste.

Prosper inquit: Instruere debemus eos qui nobis sunt cõmissi, de patre, quomodo solus accipiatur ingenitus: de filio, quomodo ex ipso sit genitus: & de spiritu sancto, quomodo ex patre & filio procedens, nec ingenitus possit dici, nec genitus: qualiter ista tria unum sint, & hoc unum non diuidatur, sed distinguatur in tria: quemadmodum nec pater, nec spiritus sanctus, sed solus filius de solo patre ineffabiliter natus, hominem totum sine ulla mutatione substantiæ suæ susceperit. Libro primo de uita contemplatiua.

DE PATRE.

IVnilius inquit: In ipsa Trinitate nulli alij personæ uocabulum Patris adscribitur, nisi quòd de Filio dictum legitur, Pater futuri seculi: sed hoc secundũ carnem dictum est, & non propriè & significatiuè, ut ostenderetur ipse causa & genitor beatitudinis nostræ, in quo per carnis resurrectionem humana natura futuram uitam & sperare inci-

pit,& ſumere.capite decimoquinto.

De patre inquit Sedulius in quartum caput ad Epheſios: Pater ſuper omnia, quia autor eſt omnium.

Eucherius ait: Deus pater unicum filium ſuum pro nobis omnibus tradidit. Libro ſecundo in Geneſin. Item: Deus pater miſit filium ſuum unigenitum,ut genus humanum peccatis languidum uiſitaret. Libro tertio in Geneſin.

Quòd ſint quædam patri & filio communia,Chryſoſtomus docet in primum caput ad Timotheum:Neque,inquit,cum audio,Per quem fecit & ſecula, patrem denego condidiſſe: neq; item cum audio patrem regem ſeculorum,à filio dominatum tollo. Communia enim iſta ſunt & patris & filij utraque.

Præterea Chryſoſtomus inquit: Patrem à nullo eſſe, filium à patre genitum confiteamur.Homilia prima in Euangelium Ioannis. Ita etiam Homilia de fide in Chriſtũ inquit: Non duos ingenitos dicimus, ſed unum ingenitum, patrem perfectum,qui filium ex ſeipſo genuit perfectum, ſicut ipſe eſt perfectus pater.

DE IESV CHRISTO.

De appellationibus IESV *Chriſti.*

CHryſoſtomus in tertiũ caput Matthæi, Homilia tertia:Deus per filium ſuũ pleniſsimum myſterium ſuæ uoluntatis aperuit,ideo & dictus eſt Verbum. Et Homilia prima in primum caput Ioannis ait: Cum nos docturus eſſet Ioannes, hoc uerbum unigenitum eſſe Dei filium , ne paſsibilem quiſpiam naturam ſuſpicaretur, præoccupata uerbi appellatione , omnem aufert ſuſpicionem.Inde enim & filium, & nulli paſſioni ſubiectum ſignificat. Ioannes autẽ nequaquã nomen ſubſtantiæ Dei affert.Quippe cum dici nequeat, quæ nam Dei ſit ſubſtantia,ubiq; autem eum nobis ex operibus manifeſtat. Siquidem hoc uerbum paulò pòſt uideri licet appellatum lumen & lucẽ, uitam, uiam, & ueritatem. Non tamen hac duntaxat cauſa his eum nominibus appellauit,ſed hac quidem prima: altera, quoniam nobis patrem annunciaturus erat. Et Homilia tertia in primum caput Ioannis inquit: Cum uerbum in hoc loco audis, noli quæſo acquieſcere ijs qui dicũt,id uerbum eſſe quod ore profertur, aut ſimpliciter uerbum. Multa enim Dei ſunt uerba, quæ & angeli faciũt,nullũ tamen eorum Deus eſt: ſed & prophetiæ & præcepta Dei uerba dicuntur. Hoc autem uerbum ſubſtantia quædam eſt in perſona, ex ipſo patre ſine paſsione proueniens:hoc,ut iam dixi,per uerbi appellationem manifeſtauit. Quemadmodum igitur, In principio erat uerbum, æternitatẽ ſignificat:ita hoc,Erat in principio apud Deum,coæternitatem nobis oſtendit.

Domini IESV Chriſti nomen antè uocatum eſt in Scripturis ſacris,quàm ipſe carnẽ de uirgine ſumpſerit: & cognitum eſt prophetis & ſanctis Dei, quòd uerus homo eratuenturus.Salonius in Eccleſiaſten. Item: Dominus IESVS puer dicitur, propter innocentiam & ſimplicitatem. ibidem. Et: Sapientia Dominum IESVM Chriſtum ſignificat,qui eſt uirtus & ſapientia Dei.Salonius in Eccleſiaſten.

Vigilius ait: IESVS Chriſtus non uerbi, ſed carnis proprium nomẽ eſt: & Deus proprium uerbi,non carnis proprium uocabulum eſſe conſtat:tamen & uerbum propter carnem ſuam,homo IESVS Chriſtus:& caro propter uerbum, Deus uerbum eſt. contra Eutychen libro tertio.

Chriſtus & Dominus non ſubſtantię nomina ſunt, ſed dignitatis:alterum potentię, alterum unctionis. Chryſoſtomus in primũ caput Ioãnis,Homilia 2.Itẽ:Chriſtus dictus eſt,ab unctione nomẽ deriuans: IESVS dict⁹ eſt, homo Dominicus. Verbum dicitur, quia de Deo eſt Dei uerbum: Filius', quoniam de patre: Vnigenitus, quoniam ſolus de ſolo: Deus,quoniam creator. Auguſtinus in Euangelium Ioannis, tractatu ſeptimo: Meſsias Hebraicè , Latinè unctus , Græcè Chriſtus eſt.ab unctione enim dicitur Chriſtus.Chriſma unctio eſt Græcè: ergo Chriſt⁹ unctus.Ille ſingulariter unctus,præcipuè unctus: unde omnes Chriſtiani ungũtur. Itẽ in Pſalmũ 44: Hoc nomen quod appellatur Chriſtus,unctionis eſt. Nec in aliquo alibi ungebantur Reges & ſacerdotes, niſi in illo regno ubi Chriſtus prophetabatur & ungebatur, & unde uenturũ erat Chriſti nomen. Nuſquam eſt alibi omnino, in nulla gente, in nullo regno . Vnctus eſt ergo Deus à Deo.Quo oleo, niſi ſpirituali? oleum enim uiſibile in ſigno eſt,oleum inuiſibile in ſacramento eſt:oleum ſpirituale intus eſt, oleum uiſibile exteri⁹ eſt.Vnctus eſt nobis Deus, & miſſus eſt nobis, & ipſe Deus ut ungeretur homo erat:ſed ita homo erat, ut Deus eſſet. Ita Deus erat , ut homo eſſe non dedignaretur.Ver⁹ homo,uerus Deus: in nullo fallax, in nullo falſus:quia ubiq; uerax,ubiq; ueritas.Deus ergo homo: & ideo unctus Deus, quia homo Deus,& factus eſt Chriſtus. Itẽ: Chriſtus dicitur Dominus,quia eius ſanguine redempti,ſumus filij Dei.Sedulius.

Maximus ait: Quomodo ergo non priuilegio utriuſq; ſubſtantiæ Dominus eſt omniũ Chriſtus,qui ſibi uniuerſa aut creatione aut redẽptione ſubegit? Afferte,inquit, Domino gloriã & honorem.Homilia ſecũda.

Filij

Filij nomen & hominibus datur, & Christo: sed nobis abusiuè, illi uerè propriè: ac uerò unigeniti nomen eius unius est, nec ulli è cæteris uel propriè uel ab usiuè contingit. Chrysostomus Homilia quarta de incomprehensibili natura Dei.

Filius hominis qui est in cœlo: Ioan. 3. Filium hominis hoc in loco non carnem, sed à maiori substantia totum seipsum, ut sic dicã, intelligit Christus. Hic namq; ei mos est, ut nunc à diuinitate, nunc ab humanitate totũ nũcupet. Chrysost. Hom. 16. in 3. caput Ioan.

Cyrillus libro undecimo, capite uigesimo in Ioannem: Nos quoq; filij & dij, non natura, ut ipse, sed per gratiam appellamur, participatione spiritus ad ipsum reformati.

Quòd se ostium appellarit, nemo perturbetur. si quidem & pastorẽ se & ouem dicit, & uariè suam prædicat dispensationẽ. Quãdo nos patri offert, ostium: cum nostri curã gerit, pastorem se profitetur. Chrysostomus Homilia 58. in decimum caput Ioannis.

Magni consilij angelus dicitur Dei filius, & aliorum quæ docuit gratia, & principaliter quòd patrem hominibus annũciauit. & quòd in præsentia inquit: Manifestaui nomẽ tuum hominibus. Chrysostomus Homilia 80. in decimum septimum caput Ioannis.

Scriptura Seruatorem nostrum appellat uitam & iusticiã, quandoquidem & uitæ & iusticiæ sit autor. Theodulus in septimũ caput ad Romanos.

Angeli nomine Dominus IESVS Christus significatus est: qui sine dubio Deus est. Manifestè à propheta dictus est magni consilij angelus: aut quòd Deus erat in angelo, & ex persona Dei angelus loquebatur, sicut in Prophetis etiam solet. Eucherius libro secundo in Genesin, capite 32.

Immanuel Christus à rebus ipsis prænominatus est. Tunc enim maximè nobiscum fuit Deus, quando superterrã uisus, & cum hominib. conuersatus, multæ nostræ salutis prouidentiam declarauit. Chrysostomus in enarratione septimi capitis Esaiæ.

Isychius ait: Christus pastor uocatur, ut qui hominem conuertit, siue reduxit errantem. Ouis aũt, ut qui pro nobis sacrificiũ factus est. sacerdos uerò, ut qui semetipsum obtulit. Ostiũ aũt, ut qui uiã nobis ostendit scientiæ. Lib. 2. in octauum caput Leuitici.

Patris splendor. Quia sicut splendor à sole non separatur, sic ipse splendor paternæ gloriæ ab ipso patre inseparabilis est. Sedulius in primum caput ad Hebræos.

Per agnum namq; cum populo intellexit Christum uerum agnũ, de quo dicitur: Etenim Pascha nostrũ immolatus est Christus. Sedul. in undecimum cap. ad Hebr.

Saluator Deus est, IESVS Deus est, Christus Deus est: omne hoc quod audit, plurale est nuncupatione, sed unum est potestate. Quia cũ & Saluator Deus sit, & IESVS Deus, & Christus Deus, intelligere apertũ est, quòd omnia hæc distinguuntur appellatione, sed iunguntur maiestate. Et cum euidentissimè audias, quòd unus in singulis nũcupatur Deus: intelligere apertè potes, quòd est in omnibus unus Deus. Non licet dicere, Christus ex Maria natus est, & non Deus. Iohannes Cassianus libro secundo.

De prædicationibus de Filio Dei ita scribit Iunilius: Scriptura de filio quinq; modis loquitur. Nam uelut sola nõnunquã Deitas eius significatur, & consequẽter intelligitur carnis assumptio: ut est, Vnigenitus filius qui est in sinu patris. Nonnũquã uerò solus homo ab eo susceptus, & Deitas consequẽter: ut est, Nouissimè locutus est nobis in filio. Nonnunquã simul utrũq;. ut est: Hoc sentite in uobis, quod & in Christo IESV, qui cum in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est esse sæqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens. Nonnunquam & ad corpus uidentur dicta, quæ ad Deitatẽ sunt principaliter referenda. ut est: Filius hominis quidem in cœlo. Rursus diuinitati nõnunquam uidentur adscripta, quæ specialiter referuntur ad carnem. ut est: Si enim cognouissent, nunquã Dominũ gloriæ crucifixissent. Libro primo, capite decimosexto. Item: Filij persona significari solet duobus modis. Et ipse principaliter quidẽ significatur, cum Christus dicitur absolutè. Nam cũ alij Christi uocãtur, alterius quidẽ dicitur: ut est, Christ⁹ Domini, aut Christus meus. Solus aũt Deus naturaliter Dei filius, Christus absolutè dicitur: unde & hoc solius eius esse propriũ declaratur. Consequẽter uerò intelligitur persona filij. Et ex illis tribus, quib. & pater, & ex ipso patris uocabulo, et ex spiritu sancto: quia & spiritus dicitur patris & filij. Libro 1. cap. 16.

Descriptionem quandam Christi recitat Theodoretus: Dominus Christus & Deus est, & propitiatoriũ, & pontifex, & agnus, & in suo sanguine nostrã salutẽ procurauit, solam à nobis fidẽ exigens. in epistolã ad Romanos. Itẽ: Deus filius nũcupatur, ut qui ex Deo patre sit genitus. Vocatur & uerbũ, ut qui sine tẽpore ac passione prouenerit, nihilq; gignẽtis uiolauerit, diuiserit, aut abruperit. Amplius uerò & splẽdor gloriæ nũcupatur, ut qui genitori sit coæternus. Libro secundo De principijs.

DE DIVINA FILII DEI *substantia ante incarnationem.*

De substantia, quam filius Dei ab æterno habet, coessentialis est patri & spiritui sancto, purè & integrè docuerunt huius

seculi doctores. Nam Chrysostomus inquit: Essentia, quam patri conformem habet filius, non est facta, sed nata carnalis substantia facta est. In primum caput ad Hebræos, Homilia prima. Et in primam epistolã ad Corinthios undecimo, Homilia uigesima prima ait: Consubstantialis est patri, quia ex eo est. Et in primum caput ad Romanos, Sermone primo, aliquot luculentas rationes recensет, inquiens: Vnde uerò probatur, quòd hic sit etiam filius Dei, qui in carnem uenerit? Primùm ex Prophetis, propter quod & dicit Paulus ad Romanos: Quod antè promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis. Deinde probat ex ipso etiam generationis modo, quem ipse declarauit dicens: Ex semine Dauid secundum carnẽ. Legem siquidem naturæ hic generationis modus soluit. Tertiò, ex mirabilibus quæ patrauit, multam in illis diuinæ potentiæ demonstrationem exhibens. Hoc enim est quod dicit, In potentia. Quartò, ex spiritu, quem dedit credentibus in se, per quem & uniuersos sanctificauit. atque id est quod dicit, Secundum spiritum sanctificationis Dei: siquidem solius est, huiusmodi dona distribuere. Quintò ex resurrectione Domini. primus enim ille, atque solus, seipsum excitauit: id quod & ipse maximè omnium ualidissimum esse signum dixit, quo solo poterunt impudentum ora retundi. Ex dicto Pauli in primum caput ad Colossenses, quòd Filius sit imago Dei inuisibilis, infert: Ergo omnino eiusdem excellentiæ, & magnitudinis. Et Homilia secunda in primũ caput Ioannis inquit: Filius Dei non temporibus tantum, sed seculis quoque omnibus superior est: quippe qui eorum conditor & opifex est: Per quem (inquit) fecit & secula. Creatorẽ enim ante creaturas omnino esse constat. Item: Erat, cum de uerbo dicitur, perpetuum & æternum esse signat. Cum autem maximè sit Dei proprium, æternum & sine principio esse: primum posuit, In principio erat uerbum. Deinde statim subijcit, Et uerbum erat apud Deum: ne quis illud ingenitum existimaret. Non dixit, In Deo erat: sed, Apud Deum, in persona eius æternitatem nobis ostendens. Ibidem. Et: Non seruuli habet principium Dei uerbum, sed eiusdem naturæ atque substantiæ. Ibidem. Et in eodem capite probat Chrysostomus unitatem Patris & Filij multis testimonijs Scripturę: ut, Ego in patre, & pater in me. Et: Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui uidet me, uidet & patrem. Et: Sicut pater suscitat mortuos, & uiuificat, &c. Et Homilia sexta in primum caput Ioannis inquit: Si Dei filius genitus esset ut homo, necessariò differẽtiam aliquã esse inter genitorem genitumque oportuisset. Cum uerò ineffabili ratione, & ut Deum decet, genitus sit, meritò & antè & pòst, quæ particulæ temporis indicia sunt, in eum cadere nequeunt. nam filius seculorum omnium est conditor. Præterea Paulus filium splendorem appellauit, ut nullam suspicareris patris & filij differentiam. splendor enim naturâ, cuius est splendor, intelligitur. Item Chrysostomus super illud dictum, In illa die cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis, &c. asserit, Christũ in patre esse substantia, in Apostolis concordia & auxilio. Et magnam & incomparabilem differentiam esse Christi & discipulorum. Scriptura enim solet nonnunquam ijsdem uerbis & in Deo & hominibus non eodem modo uti. ut Dij dicimur, & filij Dei, quod uerbum non eandem in nobis, quam in Deo, uim habet. Atque imago filius & gloria dicitur, atque etiam nos, sed longè aliter. Et iterum: Vos Christi, & Christus Dei: non similiter autem Dei Christus, & nos Dei. Homilia 74. in decimumquartum caput Ioannis. Contra Gentiles disputans, probat Christum Deum esse, hoc præcipuè argumento: quia ipse Ecclesias omnes orbis fundarit, quod nullius sit hominis. Deinde ex ueteri Testamento testimonia sumit, quòd Deus existens, homo futurus erat. Item ex uirgine nascendus, ex domo Dauid. Item, aduentum eius tranquillum & quietum probat Psal. 71. Descendet sicut pluuia in uellus. In Homilia in Psalmum nonum inquit: Quia fecit omnia ex nihilo, uerbo illo ineffabili, non aerem uerberante, & per syllabas literarum transeunte, non à silentio incipiens, & ad silentium finiens, sed illo uerbo quod semper loquitur, nunquam silens per creaturam, ministeriũ assumens siue per nubem, siue per angelum, siue per prophetam, siue per doctorem.

Cyrillus libro tertio Dialogorum, de Trinitate: Deus simul & homo est Christus. Ibidem: Quando igitur Christi caput Deus intelligitur, & est citra mendacium, quomodo non esset Deus uerus, qui radicem habet Deitatis ueram, & substantialiter iunctus ei qui genuit? Item: Christum uerum Deum esse cum patre, declarat isto dicto: Qui uidet me, uidet & patrem. Item, ex hoc opere, quòd dimittat peccata. Libro quinto Dialogorum.

Leo inquit: Deus itaque Dei filius, par atque eadem de patre natura uniuersitatis creator & Dominus, totus ubique præsens, & uniuersa excedens, in ordinem temporum, quæ ipsius | dispositione decurrunt, hunc sibi diem, quo in salutem mundi

mundi ex beata uirgine naſceretur, elegit, integro per omnia pudore generantis. Sermone tertio de Natiuitate. Item: Deus Dei filius de ſempiterno & ingenito patre unigenitus, ſempiternus manens in forma Dei, & incommutabiliter & intemporaliter habens non aliud eſſe quàm pater, formam ſerui ſine ſuæ documento maieſtatis accepit, ut in ſua nos proueheret, non ipſe in noſtra deficeret. Sermone octauo. Item epiſtola uigeſimatertia: Deitas enim uerbi par in omnibus, & conſubſtantialis eſt patri, & ſempiterna, atque intemporaliter una eademque potentia eſt genitoris & geniti. Plurima etiam inſignia dicta de Chriſti diuinitate & humanitate, recitat in epiſtola octuageſimatertia, ad Palæſtinos epiſcopos.

Proſper ait: Virgo Maria peperit Chriſtum, qui eſt Deus cœli, quia per ipſum facta ſunt omnia. de promiſs. & prædict. Dei, cap. decimonono.

Theodoretus ita ſcribit: Etſi enim crucis paſsionem ſuſtinuit propter mortalem naturam corporis: uiuit tamen, & uita eſt, ut Deus & Dei filius. In epiſtolam poſteriorem ad Corinthios, capite undecimo. Item: Ita ei hoc conuenit, neque dierum initium, neque uitæ finem habere: neque enim habet principium, nec in eum cadit interitus, & (ut ſemel dicam) eſt æternus, & patri coæternus. In dialogo Inconfuſo ſecundo. Item: Quemadmodum autem in unum Deum credere didicimus, ita etiam in unum filium, qui eſt ante ſecula generatus: & nec, ut uolunt Valentini fabulæ, alium eſſe dicimus unigenitum, & alium uerbum, & alium Chriſtum, & rurſus IESVM. Neque, ut uult Arij & Eunomij blaſphemia, Chriſtum Dominum noſtrum creaturam nominamus: unigenitum enim eſſe dicit ſacra Scriptura. Sin autem eſt creatus, non eſt unigenitus. Nulla eſt ergo ei ſocietas cum creatis. Quòd autem ſit unigenitus, docuit ipſe Vnigenitus, dicens: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. In Epitome diuinorum decretorum.

Sedulius ita de Domini diuinitate loquitur:

Qui ſenſus & corda dedit, cui conuenit uni
Facturam ſeruire ſuam, cui iure perenni
Arcibus æthereis una eſt cum patre poteſtas,
Par ſplendor, communis apex, ſociale cacumen,
Aequus honor, uirtus eadem, ſine tempore regnum,
Semper principium, ſceptrum iuge, gloria conſors,
Maieſtas ſimilis: hæc eſt uia namq; ſalutis,
Hæc firmos ad dona gradus paſchalia ducit.

Libro primo. Item libro primo rurſum:

Namq; homines inter, natum genitore minorem
Lex carnalis habet: quoniam pater ipſe parentis
Filius antè fuit: mox & qui filius eſt nunc,
Adſóret eſſe pater. Sic per genus omne nepotum
In noua progenies, & aui numerantur auorum.
At dominus, uerbum, uirtus, ſapientia, Chriſtus,
Et totum commune patris de lumine lumen,
De ſolo ſolus, cui nec minus eſt patre quicquam,
Nec quo creſcat habet genitus, non quippe creatus,
Ipſe eſt principium. nam ſicut clarus habetur,
In genitore manens, genitor quoq; clarus in ipſo
Permanet, et rerũ caput eſt Deus unus ubiq;, &c.

Et: Chriſtus autem non ſolùm imago eſt Dei patris, quia de illo eſt: & ſimilitudo, quia imago eſt: ſed æqualitas tanta, ut nec temporis interuallum impedimento ſit. In primum caput ad Coloſſenſes.

Filium eſſe ὁμοούσιον patri, & æqualem in diuinitate, probatur Propheticis & Apoſtolicis teſtimonijs, ex formula confeſsionum fidei Eugenij. Theodulus inquit: Nihil triſte, Prophetarum inſtar, prædicamus: enimuerò Deum incarnatum annunciamus. primo capite ad Romanos. Et: Gloriam patris, Chriſti diuinitatem appellat. nam & alio in loco dicit: Vt Deus Domini noſtri IESV Chriſti, pater gloriæ, et cætera. capite ſexto ad Romanos. Et: Atqui peccati ſanè punitio, eiuſdem eſt ablatio & internecio. Hacque ratione dum peccatum ſuſtulit, exhibuit ſe eſſe Deum. capite octauo ad Romanos. Item: Chriſtus igitur Deus, etiamſi hoc impij nolint. capite decimoquarto ad Romanos. Deus ſemper permanebit id quod eſt, creata uerò omnia tranſibunt. Salonius in Eccleſiaſten. Item: Quòd ſi omnia tempus habent, ergo æternæ diuinitatis ſubſtantia tempus habet. Abſit. Illa quippe ineffabilis & æterna diuinæ maieſtatis eſſentia, quæ omnia creauit ex nihilo, non loco clauditur, non tempore coanguſtatur, non ullo ſpacio terminatur, &c. Salonius in Eccleſiaſten. Item Dominus IESVS Chriſtus naturaliter ſolus eſt Dei patris filius, & ſolus deſcendit ad redimendum genus humanum. In Eccleſiaſten.

Fauſtus inquit: Deus eſt Chriſtus, cui ſeruire præcipimur. Libro primo de libero arbitrio.

Eucherius inquit: Dominus IESVS accipiatur Deus noſter, qui eſt ante ſecula, & cætera. in Commentarijs in libros Regum, libro primo. Et: In homine Chriſto habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. In Commentarijs in libros Regum, libro tertio. Ibidem: Poteſtas omnis iudicandi penes eum eſt.

Item: Gloria Domini intelligitur Christus, cuius fide impletus est totus mũdus. Item: Dominus Iesus uerus Dei filius est, & in gremio patris uel dextera constitutus. in Comment. in lib. Regum, lib. 4.

Vigilius inquit: Patrem & filium esse unius substantiæ, duasq; in unitate personas naturæ intelligendas religiosissimè. lib. 4. contra Eutychen. Et: Virtus Dei, sapientia Dei, semper apud patrẽ, & in patre fuit, etiã quando in nobis nobiscum fuit. Neq; enim cum terrena misericorditer incoluit, de cœlesti habitatione recessit. Cum patre enim ubiq; est, totus pari diuinitate, quem nullus continet locus. lib. 1. contra Eutychen.

Ioannes Cassianus inquit: Dei ergo filius Iesus Christus, quia & à diuinitate genitus, & à diuinitate conceptus. Si autem Dei filius, ergo indubitanter Deus. Si autẽ Deus, ergo Dei gratia non carens: neq; enim in ea re unquam caruit, quam ipse fecit. Gratia enim & ueritas per Iesum Christũ facta est. Omnis ergo in eo gratia, omnis uirtus, omnis potentia, omnis diuinitas, omnis deniq; diuinitatis ac maiestatis ipsius plenitudo, cum eo atque in eo semper fuerunt, siue in cœlo, siue in terra, sine in utero, siue in ortu, nihil unquam Deo de Deo defuit. Semper enim cum Deo Deitas, nõ loco unquam ab eo, non tempore separata. Vbique enim Deus totus, ubique perfectus, non diuisus, non demutatus, nõ imminutus est: quia nec addi unquam Deo, nec detrahi quicquam potest. Sic enim imminutionem Deitatis non habet, sicut nec augmentum. Idem ergo in terris fuit, qui & in cœlis: idem in humilibus, qui in excelsis: idem in hominis exiguitate, qui in Dei maiestate. Et ideo bene Apostolus Christi gratiam nominans, Dei gratiã nominabat. Quia Christus totum erat quod Deus, omnis in ipsa stat hominis conceptione Dei Virtus, omnis diuinitas, omnis diuinitatis uenerat plenitudo. Inde enim illi omnis diuinitatis perfectio, unde & origo. Neque enim unquam sine Deo fuerat homo ille, qui utique hoc ipsum quod Deus erat, esse à Deo cœperat. Libro secundo de incarnatione Domini. Et: Vides itaque nihil esse hic iam quod dici queat, nec disiunctionem aut diuisionem aliquam inter Christũ fieri & Deum posse. Quia totus in Christo Deus, & totus in Deo Christus. Nulla hic recipi disseparatio potest, nulla descissio: una tantum est simplex, una tantum pia & sana confessio, adorare, amare, colere Christum Deum. Libro tertio. Item: Demonstremus tibi hæretice, eundem te in natiuitate corporea & hominem debere credere, & Deum: quem ante natiuitatem corpoream tãtum Deũ, & quem post editionẽ uirginis in corpore Deũ, eundẽ ante partum uirginis uerbum DEI. Iohannes Cassianus lib. quarto. Paulinus ait in 9. natali Felicis:

Hæc tibi Christe Deus tenui fragilisq; paratu
Pro nobis facimus: nec enim te summe Creator
Facta manu capiunt, toto quem corpore mundus
Non capit, angustum cui cœlum, terraq; punctum est.

Item: Christus Deus est, qui cor nostrum circumcîdit, uitia radit, animæ caput leuigat, & faciem mentis accurat, nosque ut illam in lege captiuam purgat & liberat horrido miseræ seruitutis capillo, ut coniungendi Domino, uelut illa in Israelitæ uiri nuptias transitura, criminibus carnis nostræ quasi barbaris crinibus exuamur. ex epistola Paulini quarta.

Quòd coæternus sit filius, luculenter demonstrat Chrysostomus. inquit enim: Quidã sic argumentantur: Si filius est, quo nam pacto fieri potest, quin patre sit iunior? Quod enim ab aliquo est, omnino eo à quo fit, posterius esse oportet. Respondemus, has maximè humanarum esse cogitationum inquisitiones: & qui hoc quærit, inquirit etiam absurdiora. Neque auribus tantũ accipienda hęc sunt. De Deo enim nunc nobis sermo est, nõ de humana natura, quę nostrarum rationum consequentię necessitatique subiecta est. Deinde filium patri coęternum esse probat exemplo solis, & radiorum eius. Radij enim solis ex natura sunt solis, & unà semper cũ sole. Item Paulus ipsum ex eo, & coæternum asseruit. Item: Secula & temporum spacia per filium facta sunt, nulla igitur inter filium & patrem est differentia. Si nulla, non est filius posterior, sed coæternus patri. Antè enim & pòst, tempus significant & ostendunt. Quòd si omnino filio principium esse contendis, pater quoque sine principio intelligi non potest. Dimensio enim fieri non potest, nisi sit utrinq; principium. Nam breue aut longum, inter patrem & filium, temporis spacium constituere oportet. Propheta dicit: Ante me non est factus alius Deus, & post me non est. Quòd si filius patre iunior est, quo pacto inquit, Post me nõ est alius Deus? Nũquid ipsi⁹ unigeniti tolletis substantiam? Item: Ego primus, inquit Deus, & ego nouissimus. Si igitur filius nõ esset eiusdem substantiæ, alter esset Deus: si non coæternus, post illum: si non ex substantia processisset, factum esse constaret. Homilia tertia in primum caput Ioannis. Item: Christus nõ dixit, Priusquam Abrahã fieret, eram: sed, Sum. Quemadmodum pater hoc uerbo SVM utitur, ita & IESVS. Significat enim, perpetuò esse ab omni liberũ tempore. Homilia quinquagesimaquarta, in octauum caput Ioannis. Item: Non ex tempore aliquod initium habet, qui est ante secula: non aliqua

aliqua factura est, quæ temporibus excluda tur: sed in patris natura manes, semper absq; initio inuenitur, qui coæternus est genitori initium non habenti: unde & temporib. ini tium dedit, ipse non in tẽpore permanes. Si secundum paternam generationẽ eũ cõside res, per id quod ingenitus est pater, propria uerò generatione filius unigenitus: & ideo si distinctionem aliquam inter genitorem & genitum definire uelis, his ut intellectu pio tantæ necessitudinis intuearis arcanũ. Quoniam & priusquam nasceretur unigenitus, in suo iam genitore generandus manebat, non habens distantiam temporis, sicut impij dicunt: quia erat quando nõ erat, qui ineffabilem Domini creatoris generationẽ, mortaliũ creaturarũ specie metiũtur, quæ gradib. ætatũ generantur & generant. Homilia de fide.

Cyrillus: Nec filium in tempore à patre genitum concedemus, sed æternaliter cum patre ipsum esse cõfitebimur. Libro primo, cap. 1. Item: Non alienus natura, nec post patrem natura secundus, sed in ipso patre semper, & cũ ipso & ex ipso secundũ ineffabilis generationis modum. Lib. 1. cap. 1.

Maximus ait: Neque enim ut temporalis quidam, aut qui antè non fuerit, de fœmina nobis repentinus emersit: sed qui semper erat cũ patre Deus, semperq; regnabat, nouo per uirginẽ uoluit mortalib. apparere mysterio: nouus quidẽ homo, sed Dominus sempiternus: nouus Christus, sed Rex omnium seculorum. In quarta Homilia de Christo.

Primasius dicit: Christus sempiternus, quia Dei uirtus, & Dei sapiẽtia est. In 1. caput epistolæ ad Romanos. Et: Sempiternus igitur Christus, sempiterna quoq; uirtus eius, & diuinitas & sapiẽtia. In primã Epistolam ad Cor. Et: Ego sum qui sum. &: Qui est, misit me ad uos: quia ipse & erat, & est, & semp est, quia nunquã nõ est. In 1. cap. 2. ad Cor.

Quòd filius sit coomnipotens patri, testatur Chrysostomus: Pater, inquit, meus operatur, & ego operor. Hæc uerba sunt æquales se patri facientis. Nulla enim in his uerbis differentia est. Non dixit, Pater operatur, ego subministro: sed idem uerbũ Operor. Et contra Arianos, inquiens, corrigit, cum inquit: Nõ potest filius à seipso quicquam facere. Omnino contrà: non enim ut tolleret, sed ut magis confirmaret æqualitatẽ, id dixit. Et sententia est: Impossibile est, ut patri contrariũ faciam. Quod aũt nulla in re est patri contrarium, nihil ab eo alienũ potest facere, quod maximã æqualitatẽ & conuenientiam ostendit. Non igitur hæc particula imbecillitatis eum arguit, sed potestatis immẽsæ. Homilia 37. in 5. caput Ioan. Et Hom. 48: Christus ambulat super mare, transijt & Moses mare rubrum, sed magna differentia: Moses tanquam seruus supplicãdo, IESVS propria & absoluta potestate trãsiuit. illi austro tunc spirante paruit aqua, & aridã præbuit transeuntibus: IESVM nihil à sua natura motũ mare, ut dominũ admirabilius pertulit. Homil. 42. in 6. cap. Ioannis. Item: Ame ipso nõ loquor, indiscretã cũ patre substãtiã, & nihil cõtra paternã uoluntatẽ se loqui ostẽdit. Hom. 58. in octauũ caput Ioannis.

Maximus inquit: Licet enim dignitatis gradus nõ sit, ubi plenitudo diuinitatis est: tamen ideo ad dextram sedet filius, non quo præferatur patri, sed ne inferior esse credatur. De Pentecoste. Item: Contra id quod dicit, Maior est qui generat, minor est qui generatur: Hæc temporibus cognoscuntur: in Christo autem nulla sunt tempora, per quem omnia facta sunt. Cerealis contra Maximum, capite octauo. Item: Quod omnipotens est Filius, sic docetur, ut in Salomone: Omnipotens sermo tuus Domine, exiliens à regalibus sedibus tuis, in mediam exterminij terram prosiliuit. De æqualitate filij cum patre, Paulinus ait: Et ab illa ineffabili generatione ordiens coæternum, & consubstantialem, & coomnipotẽtem, & coopificem patri filium nunciauit. in epistola quinta ad Amandum.

Quòd filius Dei sit distincta persona à patre, Chrysostomus in tertium caput Ioannis, Homilia tertia docet: Nunquam, inquit, pater solus & sine uerbo fuit, sed semper Deus apud eum erat, & in persona quidem propria. Et Homilia sexta in primum caput Ioãnis inquit: In propria esse persona filium dicimus. Idcirco Paulus, cum splendorẽ ipsum appellasset, addidit, figuram esse substantiæ eius: quo propriam eius personam ostenderet, & eius esse substantię cuius est figura.

Cyrillus inquit: Pater & filius naturà unum sunt, numero personarum duo, non sic ut si unum in duas partes diuideretur, ut alterum in altero non sit: nec ut idem unum duobus nominibus appelletur, ut dualitatis uirtus in solis nominibus reperiatur: nec ut eadem persona modò pater, modò filius uocetur, sicut Sabellius blasphemabat: sed sint (ut diximus) numero personarum duo. Pater enim semper pater est, neque unquam in filium conuertitur: & filius semper filius, neq; unquã in patrẽ mutatur. Quũq; ita in dualitate uera personarũ sit, una in utrisq; natura, & una Deitas est. Similis enim naturaliter genitori filiꝰ est, ut imago, ut splendor, ut character substãtiæ ipsius. Et ita propter identitatẽ substantiæ unum Deũ patrem & filium esse credimus. Libro tertio in primum caput Epistolę ad Thessalonicenses.

ſes. Item libro primo, capite ſecundo: Natura quidem eadem in utroq; , propriè autẽ & uerè uterq; ſubſiſtit. ita enim pater uerè pater, & filius uerè filius erit: cõnumeratoq; ſancto ſpiritu, plenitudinẽ ſancta Trinitas maieſtatemq; ſuam conſequetur. Et probat hoc multis argumentis. Primum: Qui genuit, pater eſt: qui genitus, filius. Secundũ: Neceſſariò genitũ à generante reipſa diſtinguitur. Tertium: Philip. 2. Filium in forma Dei eſſe. igitur neceſſe eſt, aliũ eum eſſe, qui non rapina æqualitatem Dei conſecutus eſt: aliũ ipſum, in cuius forma eſſe cognoſcitur. Quartum: Ioannis 10. Vnum ſumus. Quintum: Geneſ. 1. Faciamus hominem. ut intelligere queas trinum eſſe perſonarũ, in ſancta Trinitate, in una ſubſtantia numerum. Sextum: Hebr. 1. quòd ſplendor patris. Septimum: Ioannis 16. Exiui à patre. Octauum: Matthæi 28. Baptiſantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Nonum: Geneſ. 19. Pluit Dominus à Domino ignem ac ſulphur. Decimũ: Emitte lucem tuá, & ueni. Quæ nam ſit illa lux, & uenire, audi filium. Vndecimum: Per filium uniuerſa uiſibilia & inuiſibilia facta, Coloſſ. 1. Igitur aliũ eſſe qui facit, & per quem facit, oſtendit: & duæ perſonæ proculdubio deſignantur. Item: DEI autem uerbum, quoniam æternum eſt, & quoniam Deus, patri conſubſtantiale omnino eſt. Et: Probat multis rationibus, ſumptis è Scripturis, filiũ patre nullo modo minorem, quòd uirtus Dei, ſapientia, lux, ueritas, conſilium, iuſticia appelletur. 1. Corinth. 1. Pſal. 32. 42. 118. &c. libro primo, capite tertio. Quoniam igitur hæc omnia & filius dicitur & eſt, dicant nobis Ariani, quomodo patre minor eſt? aut quomodo, ſi minor eſt, perfectè ſapiens pater, lux, iuſtus eſt? præterea ſi cum minor ſit patre filius, à cęteris creaturis & à nobis adoratur, duos colere Deos inueniemur? Item: Quare ſpiritus quoque in quo ſanctificamur, ſimplex nõ erit: quippe qui minor in filio, maior uerò in patre neceſſariò erit. Item: Quæcũq; eiuſdẽ naturæ atq; ſubſtantiæ ſunt, quantum ad rationem ſubſtantiæ attinet, nullo modo maius & minus ſuſcipiunt, filius, pater. Item: Vel Deus pater mentitur, qui ſe gloriam ſuã alteri daturum pernegat: aut ſi uerus eſt, ſicuti certè eſt, & gloriam ſuam filio dedit, neceſſe eſt eiuſdem eſſe ſubſtantiæ filiũ, qui fructus eſt & genimen patris. Item: Nam ſi filius, cum naturâ Deus ſit, minus aliquo modo ſuſcipit, erit neceſſariò aliquid maius Deo. Itẽ: Nam cum omnia quæ generant ſibi ſimilia, æqualiaq; ratione ſubſtantiæ producũt, ſola diuina natura minus ſeipſa generabit? Itẽ: Adde, quòd æqualem ſe Deo patri Chriſtus oſtendit, Ioan. 14. 16. 17. Ego ſum in patre, & pater in me: non tanquam corpus in corpore, aut in uaſe & in loco alterũ in altero eſſe: ſed identitate ſubſtantię immutabili, & ſimilitudine & unitate naturę. Neceſſe eſt enim, ſi in eo eſt, ut æqualis in æquali, & perfectus in perfecto ſit.

DE DIVINA GENERATIONE *filij.*

Filium Dei eſſe natum ex æterno patre, eiq; coæternum & coeſſentialem eſſe, ſcriptis ſuis tradiderunt ſedulò: uerùm qua ratione ſeu modo ea generatio diuina facta ſit, id non curioſè explicant, & monent ſedulò ne tanta myſteria Dei nimis ſcrupuloſè inueſtigemus. Sic enim Chryſoſt. ſcribit: Quòd ſi cum circa hæc inferiora curioſe agimus, & inquirimus, Deum nõ glorificamus: multo magis uelut contumelioſi extrema luemus, ſi quãdo ipſam Chriſti generationem curioſius perſcrutati fuerim⁹. Si enim reſurrectionis typum ſcrutari non licet, multo minus ineffabilia illa & reuerenda ſecreta. in quartum caput ad Romanos, Sermone octauo. Et: Si, inquit, multa in natura ſunt inexplicabilia, incidit iam nunc memoria eorum qui ita inſaniunt, ut incorporalem filij Dei generationem curioſè ſcrutentur, &c. Hæc multis porrò agit, & tandem concludit his uerbis: Erudire ô homo in terrenis, & ijs quæ hic ſunt, & cœlum nec temerè, nec curioſè ſcruteris. in quartum caput ad Theſſalonicenſes, Homilia ſeptima. Item in primum caput ad Romanos, Sermone ſecundo ait: Iam ſi quę præcepit Deus, in quæſtionem & curioſitatem incredulam auocare tam eſt periculoſum, tantumq; adiunctũ habet ſupplicium: quam queſo illi, qui ineffabiliora & horribiliora curioſè uerſant, uidelicet quomodo genuerit Deus filium, & qua ratione, & quę ſit illa eſſentia, & id genus, excuſationem prætexere poterunt? Item: Dico, quoniam filium genuit ex ſeipſo, ſed neſcio qualiter intellectu hoc percipiam. in primum caput ad Hebreos, homilia ſecunda. Et contra hæreticos diſputans Chryſoſtom⁹ in Homilia de fide in Chriſtum inquit: Obſerua hæreticum Iudæum. Si Deus genuit, igitur & fluxuram ſuſtinuit, & corruptibilis eſt. ô miſer & perdite, hæc ne de filio Dei ſuſpicaris? At nos, abſit, ne ſit. Sed genuit pater filiũ, unus unicũ, Deus Deum perfectum: ita ſentiũt Chriſtiani. Modum iſtius generationis imperueſtigabilem dicit. Item: Ille re filius, tu appellatione: ille à ſolo patre genitus eſt, tu autem ex præiacente materia formatus es. Item, Chryſoſtomus in Geneſeos caput primum, homilia quarta inquit: Sed hic blãdè rogarim eos, qui de natiuitate filij curioſius exquirunt, & S. ſpiritus dignitatem imminuere attentãt. unde nobis, obſecro, tantę audaciæ

audaciæ temeritas? à qua insipientia in tantam ruistis insaniam? Nam si Paulus tantus & talis, & iudicia eius (hoc est, dispensationes & gubernationes) imperscrutabilia esse dicit, & non dicit incomprehensibilia, sed imperscrutabilia, ita ut scrutari ea nemo possit, & imperuestigabiles dicit uias eius: iterũ idem dicens, uias, mandata uocat & præcepta: quomodo uos essentiam unigeniti ipsam curiosius explorare, & Spiritus sancti dignitatem quantum in uobis est, imminuere auditis? Videte dilecti, quantũ malum sit, non diligenter attendere ad ea quæ in diuinis Scripturis sunt contenta. Hi enim, si cum gratitudine doctrinas diuinæ Scripturæ accepissent, & non sua ex proprio capite excogitassent, neutiquam in tantam ueniissent amentiam. Item in primum caput Matthæi Homilia secũda, expressè dicit Chrysost. Diuinam generationem filij esse inexplicabilẽ totam, neq; ulli prorsus effabilem. & ad id probandum accommodat dictũ Esaiæ: Generationem eius quis enarrabit? Augustin⁹ in sermone 125 de tempore inquit: Pater genuit filium, non uoluntate, non necessitate & natura. Item de symbolo ad Catechumenos: Diuinam illã natiuitatẽ, qua filius processit ex patre, qua natus est Deus de Deo, sine initio, sine tẽpore, sine matre, sine aliqua fragilitate, sine ulla sui diminutione nõ possumus explicare. Natiuitatem eius (ait Propheta) quis enarrabit? Et reuera quis cõprehendere potest, uel dicere, quomodo natus sit, qui semper est in patre, & nunquam recedit à patre?

Cyrillus inquit Dialogo de Trinitate secũdo: Diuinæ generationis modus omni mente superior existimatur. Item ibidem: Natus est ex patre qui principio caret, modo generationis ineffabili & inexcogitabili omnib. modis. Itẽ: Effulsit modo quodam intelligibili. Item: Christus Deus erat ex Deo, solus ex solo, & ineffabiliter natus. Lib. 4. dialogorum. Item: Filium autem eum dico, qui cum ex substantia patris sit, genitori est consubstantialis, & uerus profectò Deus. Lib. 2. cap. 51. in Ioh. Item: Filius quamuis genitus est, nullam tamen habet similitudinem ad ea quæ genita, id est creata sunt. Est enim super omnem creaturam. Lib. 1. Thesauri, cap. 3.

Leo sermone quinto de natiuitate: Quod credimus, prædicamus, Dei filium Deũ ante secula genitum, & patri sempiterna & consubstantiali æqualitate coæternum uenisse in hunc mundum per uterum uirginis. Item Sermone nono de natiuitate Domini: Quia in Christo IESV filio Dei non solùm ad diuinam essentiam, sed etiam ad humanam speciat naturam, quod dictum est per prophetã, Generationem eius quis enarrabit? utramque enim substantiam in unam conuenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat: & ideo nunquam materia deficit laudis, quia nũquam sufficit copia laudatoris. Gaudeamus igitur, quòd ad eloquendum tantæ misericordię Sacramentum impares sumus: & cum salutis nostræ altitudinem promere non ualeamus, sentiamus nobis bonum esse quod uincimur. Nemo enim ad cognitionẽ ueritatis magis propinquat, quàm qui intelligit, in rebus diuinis, etiamsi multum proficiat, semper sibi superesse quod quęrat. Nam si se ad id, in quod tendit, peruenisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inquisitione deficit. Ne autem infirmitatis nostrę perturbemur angustijs, Euangelicę nos & Propheticæ adiuuant uoces, quibus ita accendimur & docemur, ut nos natiuitatẽ Domini, qua uerbum caro factum est, nõ tam præteritã recolere, quàm præsentẽ uideamur inspicere.

Profitemur itaq; patrem de seipso, hoc est de eo quod ipse est, sempiternè atq; ineffabiliter filiũ genuisse, nõ extrinsecus, non ex nihilo, nõ ex alia genuisse materia, sed ex Deo natum esse. Victor episcopus in ratione fidei ad Gensericum.

Maximus Taurinensis homilia 1. in natali Domini: Duas in Christo generationes legimus, Fratres charissimi, sed in utraq; incomprehensæ diuinitatis est uirtus. Ibi enim illũ ex semetipso genuit Deus, hic eum uirgo Deo cooperante concepit: ibi sine initio, hic sine exemplo: ibi natus ut conderet uitam, hic factus ut tolleret mortem: ibi patri natus, hic hominibus procreatus: illa natiuitate hominem fecit, hac generatione hominem liberauit. Vtramq; fratres generationẽ eius nõ posse narrari, sententia hac una complectitur. Illa enim est ante hominem, ista supra hominẽ: illa incogitabilis, ista mirabilis. Idẽ paulo pòst: Itaq; non bis natus est Deus, sed ex duabus natiuitatibus, id est Dei & hominis, seipsum unigenitum Patris, atq; sese hominẽ unum esse uoluit Deũ. Generationẽ ergo eius quis enarrabit? Fratres, generatio Christi si narrari non potest, credi potest.

DE HVMANITATE *Christi.*

Filium Dei præfinito tempore carnem humanam induisse, ex æquo omnes summa fide tractant. Nam Chrysostomus in octauum caput ad Romanos, sermone 13 inquit: Non peccatricem carnem Christus habuit, sed simílem quidem nostræ, quæ peccatrix est, uerùm sine peccato: interea tamen, quod ad naturã attinet, eandem cum nostra. Quòd sit natus ex Spiritus sancti gratia, in 3. cap. ad Philip. affirmat. Sic de uero Christi corpore scribit: Hoc corpus affixum, uerberatum, morte uictum non est. Hoc corpus sol crucifixum

fixum uidens, radios auertit. Propter hoc & uelum templi sciſſum eſt, & petræ, & terra uniuersa tremuit. Hoc idem corpus cruentatum, lãcea uulneratum, fontes sanguinis & aquas uniuerso orbi salutares scaturiuit. in decimum caput Epistolę primæ ad Corinth. Homilia 24. Item: Idem puto corpus crucifixum resurrexit. aut quid sibi Ionæ figura uult? non alius enim absorptus, alius in terrã expositus rursum Ionas est. in 15 caput primæ ad Corinthios, Homilia 41. De humanitate sic scribit idem doctor Homilia 23. in tertium caput Ioannis: Curiosus & nimius rerum diuinarum perscrutator nihil proficit, nihil inuenit præter ultimum supplicium. Audis natum Christum, crede: Quomodo, noli disquirere, neque propter hoc tollas generationem. Et Homilia de Ioanne Baptista scribit Chrysostomus: Verbum caro factum est, & quomodo factum est ignoramus. A' Deo rationem habeo, conscientiam non habeo. Scio, quia uerbum caro factum sit, & quomodo factum sit ignoro. Miraris quia ego nescio? Omnis creatura ignorat. Mysterium enim quod absconditum fuit in omnibus seculis, in nostro seculo reuelatũ est. Reuelatum est autem quòd factum sit, cæterùm celatur quomodo factum sit. Denique Esaias dicit: Generationem eius quis enarrabit? Quomodo ergo ipse dixit: Virgo concipiet? &c. Dicit quid factum sit. Item: Sancta Maria, uirgo & mater, uirgo fuit ante partum, uirgo post partum. Ego hoc miror, quomodo de uirgine natus sit, & post natiuitatem mater sit ipsa uirgo? Clausa erant ostia, & ingressus est IESVS, sicuti ad discipulos intrauit per clausa ostia: non erat phantasma, non erat spiritus. Verè corpus erat, habebat carnes, habebat ossa: & clausa erant ostia. locus non erat per quem intrabat: & tamen intus erat, & non apparebat quomodo intrauerat, &c. Ibidem. Item Homilia 25. in tertium caput Ioannis: Spiritus carnem Christi formauit, non tamen ex nihilo (quid enim opus fuisset matrice?) sed ex carne uirginali. Quonam autem pacto factum sit, explicare non possum: sed factum est, ne quis à natura nostra partum illum alienum putaret. Homilia de fide inquit: Verbum caro factum est: hoc est, homo factum est, ita ut inconuertibilis deitas permaneret. Deus enim inconuertibilis est.

Augustinus in libro de agone Christiano, capite undecimo inquit: Sunt autem stulti quidam, qui dicunt: Quare non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus: Poterat omnino: sed si aliter faceret, similiter uestrę stulticiæ displiceret. Si enim non appareret oculis peccatorum lumen eius utique æternum, quod per interiores oculos uidetur, inquinatis mentibus uidere non possent. Nunc autem quia uisibiliter nos commonere dignatus est, ut ad inuisibilia præpararet, displicet auaris, quia non aureum corpus habuit: displicet impudicis, quia ex fœmina natus est (multum enim oderunt impudici, quod concipiunt & pariunt fœminæ:) displicet superbis, quòd contumelias patientissimè pertulit: displicet delicatis, quòd cruciatus est: displicet timidis, quia mortuus est. Et ne uitia sua uideantur defendere, non in homine dicunt sibi hoc displicere, sed in filio Dei. Non enim intelligunt, quid sit æternitas Dei, quæ hominem assumpsit: & quid ipsa humana creatura, quæ mutationibus suis in pristinam firmitatem reuocabatur: ut discereмus, docente ipso Domino, infirmitates quas peccando colligimus, rectè faciendo posse sanari. Itaque filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus est. Ostendebatur itaque nobis, ad quam fragilitatem homo sua culpa peruenerit, & ex qua fragilitate diuino auxilio liberaretur. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate filij Dei non sanatur? Item, de fide contra Manichæos capite uigesimosexto: Nos autem Christum Dominum uerum hominem suscepisse credimus, & in ipso uisibiliter inuisibilem hominibus apparuisse, in ipso inter homines conuersatum fuisse, in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse à quibus esset recedendum, quid esset perfruendum, quò esset tendendum. Totum autem hoc nulla fecit necessitate. Vnde ipse ait: Propter hoc me pater diligit, quia ego pono animam meam.

Cyrillus: Adæ primo homini uita salutis data diuinitùs est, quam præuaricatione diuini mandati perdidit: ita cecidit in corruptionem, & in mortem deductus est. Erat igitur opus alterius uiæ, per quam immortalitatem possemus recuperare. Hanc quia nullus hominum poterat dare, ipse Dei filius increatus secundum naturam, necessariò ut homo creatur propter nos, bona uoluntate patris homine assumpto, ut (quemadmodum dicit Paulus) uiam nobis innouaret recentem simul & permanentem, ac opera patris ita perficeret, corpore nostro ad immortalitatem reformato, & morte quæ per peccatum irrupit destructa, & ipso peccato damnato, cæteris bonis generi humano per ipsum donatis. libro quinto Thesauri, capite septimo. Item: Christum carnem induen-

induentem, non fuisse in homine sicut in cæteris sanctis, quos per participationem inhabitat, in spiritu scilicet sancto. Libro primo Dialogorum. Item: Quoniam nudam diuinam gloriam nos accedere non ualebamus, ut nos doceret Dei ac patris uolũtatem, factus est nobis similis, mediator Dei ac hominum. libro primo Dialogorum. Item: Descendit ad humiliationem, & apparuit nobis similis, non ut aliquid patere-tur quod offendere posset, ut abijciat quod sit Deus, & uerè filius: sed ut hoc quod natura seruile est & factum, hoc est, nos, in gloriam quæ sibi & soli propriè inest, deduceret, filios Dei efficiens. libro quarto Dialogorum. Item totus liber de Recta fide ad reginas, cõsumitur in doctrina incarnationis Christi.

Leo inquit: Impassibilis Dei filius, cui cũ patre & spiritu sancto una incommutabilis Trinitatis essentia, hoc quod est esse perpetuum est, in ea plenitudine temporis, quæ sempiterno consilio fuerat præstituta, & prophetica dictorum atq; gestorum significatione promissa, factus filius hominis, non suæ conuersione substantiæ, sed nostræ assumptione naturæ, uenit quærere quod perierat. Epistola uigesimatertia. Item: Dei filius secundũ plenitudinem temporis, quã diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit reconciliandam authori suo, naturam generis assumpsit humani, ut inuector mortis diabolus per ipsam quam uinceret, uinceretur. In solennitate natiuitatis Domini. Item: Vnigenitus Dei sub una maiestatis suę inclinatione suscepit, ut & homo uellet nasci, & ab hominibus posset occidi. Sermone septimo de Epiphanijs.

Prosper ait in Epigrammatibus:

Ille Deus cœli, rerum terræq; creator,
Me propter, sacra uirgine natus homo est.

Theodoret' ita scribit: Propter nos homo factus est, propter nos corpus morti tradidit, morteq; fracta ac profligata in cœlos ascendit, eorum qui dormierunt effectus primitiæ. in sextum caput epistolæ ad Hebræ. Item: Cum enim esset Deus, & Dei filius, & haberet naturam quæ sub aspectum non cadit, homo factus euasit manifestus omnib. in caput tertium prioris ad Timotheum. Item: Humana enim suscepta natura, eam seruauit liberam à peccatis. ibidem. Item: Hac de causa homo factus est unigenitus Dei filius, ut omnes homines, & dominos & seruos, dignaretur salute: eò tendens, ut præter impietatem, uitam quoque sceleratam relinquerent. in secundũ caput epistolę ad Titum. Item: Si ergo absque controuersia, uera est promissio: apud Iudæos autem, prophetæ Dauid nec genus nec regnũ uidemus: certò credamus, Dominum nostrum IESVM Christum semẽ Dauid, quod ad humanitatem attinet, nominari. Ipse enim habet & uitam & regnum æternum. in Immutabili dialogo. Item: Sed ideo carnem assumpsit, ut per patibile, id quod est impatibile, passionem sustineret. in Dialogo tertio. Item: Christus missus esse dicitur, quia non sicut Deus, sed sicut homo apparuit. Libro decimo.

De humanitate Christi Isychius etiam docet. nam inquit: De nostra terra, id est conspersione siue massa, corpus Dominicum factum est. Libro primo Commentariorum in primum caput Leuitici. Et sacrificium coctum Christi appellat incarnationem ad agnũ Dei. hoc enim incarnatus est, ut immolaretur. propter quod eum, Qui tollit peccata mundi, Ioannes Baptista appellauit. Recte ergo sacrificium. in hoc loco, ut denunciaret natiuitatem eius, dicitur coctum in clibano, Deigenitricis uidelicet utero. Illa enim clibanus necessariò nominatur: quia & panes, ignemq; desuper clibanus suscipit, sicut & Deigenitrix desuper uitæ panem, Dei uidelicet uerbum in suo utero, ignemq; suscepit præsentiæ Spiritus. Spiritus enim, inquit, sanctus superueniet in te. Isychius libro primo Commentariorum in secundum caput Leuitici. Item: Vtrumq; Christus nostrum suscepit hominem, & manifestum & occultum, & terrenum & cœlestem: id est, corpus perfectum, & animam perfectam, in omnibus integram. Vtrumque enim, utpote utriusque creator, saluauit. Libro secundo in septimum caput Leuitici. Item: Ipse Dominus incarnatus est, suam imaginem saluare uolẽs. Libro tertio in duodecimũ caput Leuitici. Et: Christus est arca propitiatorij, quia in carne sua Christus nobis propitiationem præstitit, ad quã non omni tempore pręcipit doctores ingredi, ut curiosè utiq; non inquirant, quemadmodum uerbum caro factũ est: Quomodo qui in forma Dei erat, in forma serui factus est: quomodo exinaniuit semetipsum, & in cœlis mansit. Horũ enim fides salutem adfert, periculum inquisitio. Hoc ergo qui credit, non morietur. libro quinto in 16. caput Leuitici. Item: Christus cum carne ascendens, & nostram in eo captiuitatem subleuauit, simul nos suscitans, & sedere faciens in dextera, in cœlestibus. Isychius libro quinto in 16. caput Leuitici.

Sedulius ait:

Sic Heuæ de stirpe sacra ueniente Maria,
Virginis antiquæ facinus noua uirgo piaret,
Vt quoniam natura prior uitiata iacebat
Sub ditione necis: Christo nascente, renasci
Posset homo, & ueteris maculam deponere carnis.

Sedulius libro ſecundo. Et: Chriſtus factus eſt per Spiritum ſanctum ſecundum carnẽ, addendo, Secundũ carnem factus eſt, ſecundum uerbi utiq; ſubſtantiam non eſt factus. In Epiſtolam ad Romanos. Maximus inquit: Sempiternũ illum unigenitum Dei patris, cui ſubiacẽt omnia, & per quem creata ſunt uniuerſa, ſub fine temporũ naſci uoluiſſe de fœmina, infantiã perpeti noſtrę carnis, tantę dignationis gratiã non debemus examinare, ſed credere: nec diſcutere, ſed mirari. homilia quarta de Chriſto. Item: Hodie cœli terrarumq; Dominus, pro libertate ſeruorũ, formã induit ſeruitutis. Hodie noua fœminei ſexus gloria peperit uirgo: & quod uniuerſa nobiſcum creatura miratur, natus eſt homo, non per hominẽ procreatus. Sed quamuis nouum uideatur, non tamen incredulum, quòd Chriſtus in utero Mariæ ſine conceptione proceſsit. Quòd enim Deus eſt, ſolius patris eſt unigenitus: quòd homo eſt, ſolius matris eſt filius. homilia ſexta. Item: Myſtica Chriſti natiuitas terram lætificauit, & cœlum. homilia quinta. Item: Eſumpſit Dei filius, ut aſſumptionem carnis noſtrę fragilem ſuſcepiſſe hominem reuelaret. homilia tertia. Item: Vnigenitus igitur Dei factus eſt filius hominis, ut qui creator mundi erat, fieret & redẽptor. Maximus in homilia Symboli.

Primaſius inquit: Sicut Adam ſine commercio coniugali, Dei manibus eſt factus: ita & Chriſtus ex uirgine, Deo operante proceſsit. in quintum caput ad Romanos. Et: Chriſtus ſimilem carnẽ ſuſcepit cæteris hominibus, ſine peccato: quia nec de concupiſcentia, nec de coitu, ſed de uirgine nata eſt. In octauum caput ad Romanos. Et: Chriſtus homo de cœlo, quia in Baptiſmo Ioannis non aqua, ſed gratia de cœlo deſcendit: & quia ſine peccato carnẽ aſſumpſit, & Deus ex uirgine naſci dignatus eſt. Primaſius in decimũquintũ caput ad Corinthios. Et: Spiritus quidem ſanctus, qui in Chriſto requieuit, cuſtodiuit illum, ut ſine peccato cõciperetur, ſine peccato naſceretur, & ſine peccati macula ab hoc mundo tranſiret. idẽ in primum caput ad Hebræos.

Thalaſsius inquit: Qui ex anima & corpore & Deitate nobis apparuit, ut animam & corpus ex morte redimat. Hecatontade quarta. Salonius ait: Sapientia, id eſt Dei filius, ædificauit ſibi domum: quia ipſe creauit hominem in utero uirginis, quem in unitate ſuæ perſonæ aſſumpſit. in explicatione Prouerbiorum.

Theodulus ſic ſcribit: Quod ait in ſimilitudine, non ad carnale reſpicit, uerùm ad peccata carnis. Non enim aliam ab noſtra naturam ſibi adunauit, minimè gentium: uerùm haudquaquam peccatricem naturam aſſumpſit: perinde ac ſi dicat, in ſimilitudine peccantis carnis, peccato tamen uacans ipſe. Cyrillus libro decimoquinto aduerſus Iulianum: Corpus, inquit, Chriſti non erat peccati corpus, ſed ſimilitudo carnis peccati. Aliter: Chriſtus naturales affectus ſuſcepit, ad confirmationem ueræ humanę naturæ, ne uideretur apparenter in ſpecie, per imaginationem duntaxat hominem induiſſe, repulſis tamen affectionibus, adeoque cupiditatibus planè uitioſis, quæ uitę noſtræ puritatem ſordibus conſpergere defœdareque ſolent. has enim ut indignas Deitate reiecit. Hanc ob rem dictus eſt, in ſimilitudine carnis peccati factus eſſe. Carnem itaque noſtram unà cum affectibus ſuſcepit, peccatum autẽ admiſit nunquam. in octauum caput ad Romanos.

Eucherius ait: Chriſtum quàm excellentiſsimæ iuſticiæ, atque ſapientię, tamen hominem, multo facilius atq; alienigenę crediderunt, non quidem falſò, quòd homo eſſet: ſed quomodo etiam Deus eſſet, ignorauerunt. Libro ſecundo in Geneſin, capite trigeſimoſecundo. Et: Portabat autem terram IESVS, carnem quam acceperat de terra: & in ea ſe occultabat, ne à Iudæis inueniretur Deus. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Et paulo pòſt: Illi ergo non cognoſcentes perſecuti ſunt hominem, nec mori potuit niſi in homine, nec crucifigi potuit niſi in homine: quia nec teneri potuit niſi in homine. Libro primo Commentariorum in libros Regum. Et: Quantalibet enim plenitudine ſcientiæ uita ſpiritualium fulgeat, apprehendere non ualet quomodo factum ſit, ut qui extitit conciperetur, & ante ſecula autor hominum naſceretur homo in fine ſeculorum, Deus caro, uerbum infans fieret. Libro ſecundo in Regum libros. Item: Dominus Saluator, in quo ſolo fœdus pacis apud patrem habemus, poſt reſurrectionem aſcendens in cœlum, carnem quam aſſumpſit ex uirgine in patris dextram locauit. Libro tertio Commentariorum in libros Regum. Item: Dominus IESVS, humilis & paruus ac puer in mundo exiſtere uoluit, qui nos à peccato mundaret. Libro quarto in libros Regum.

Vigilius inquit: Formari ex utero, & mereri ſeruum fieri, & tempore opportuno exaudiri, atque auxilium ſpectare paternum, & confortari in Domino, & poſſeſsionem terrarum ex tempore accipere, ad naturam carnis Chriſti pertinet. contra Eutychen.

Iohannes Caſsianus inquit: Poſtremò diſpenſationem ſuæ incarnationis pro noſtra ſalute ſuſcepit, & mirabilia myſteriorũ ſuorum

fuorum in cunctis gentib. dilatauit. Collat. 1. cap. 15. Item: Nos dicimus, omnium rerum Christum esse principium, in quo omnia creauerit pater, secundum illud: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil. Collat. 8. capite septimo. Credimus quòd Deus uerbum impassibiliter incarnatus est, & piè credimus. Hæc enim credulitas salutis nostræ fundamentum esse cognoscitur. Idcirco eum qui propter nos susceptit formā serui, diligimus: quo nec naturæ suæ ullam mutabilitatem sustinuit, nec augmentū trinitati accessit. Proclus. Et: Deus forma carens, sine initio, incircumscriptus & omnipotens, uerbū in carne ueniens (adest enim illi posse quod uult) sumpsit formam serui caro factus, natus ex uirgine, uolens ubique monstrare, quia secundum ueritatem fieri homo dignatus est. Naturam siquidem corpoream & exordia & habitus passiones sque necessariò subsequuntur. Non enim dicit Euangelista, quòd in hominem perfectū Deus ingressus sit: sed quia factus est caro, naturæ nostræ primordia ipsa contingens. Sicut enim homo naturaliter editus, non statim procedit operatione perfectus, sed primùm ipsa depositio seminis efficitur caro, deinde processu temporis uim sumit, quæ consummationē sensuum operationumque contineat: ita Deus uerbum ipsa initia & radicem humanæ institutionis attingens, primùm factus est caro, non conuersus (quod absit) in carnem: manens enim diuinitas omni mutabilitate superior, quia mutatio naturæ fluentis est passio: illius autem perennis sempiterneq; ita se habentis essentię proprium est, ut incōmutabilis perseueret. Vtrisq; igitur diuinæ Scripturæ utentes uocibus, dicimus & quia caro factus est, & formam serui accepit. Ex utraq; piè intellecta, semina nobis salutis existunt. Per id enim quod uerbum caro factum est, indiuiduum summæ ipsius adunationis Euangelista declarat. Sicut enim singularitas dirimi non potest, alioqui in has diuisa, iam non erit singularitas, sed dualitas: ita quod unū est, iuxta summam adunationem nequaquam in duo poterit ulla ratione partiri. Per id autem quod formam serui assumpsit, naturæ diuinæ incommutabilitas intimatur. Quia omne quod fit, aut ex eo quod non existeret factum est, ut cœlum quod antè non erat: aut ex eo quod est, in aliud conuertitur, ut fluenta Nili fluminis in sanguinem commutata. Sed uterque modus diuinæ substantiæ probatur incongruus. Nam nec ex nullis extantibus processit, semper sine initio permanēs: nec ex aliqua materia conuersus est Deus uerbum, in sua incommutabile persistens. Idcirco per hæc & Deitatis incommutabilitatem, & indiuiduum sacramenti diuina Scriptura testatur, quod factum est demonstrans, & quod assumpsit insinuans, ut per primum personæ singularitatem naturæ utriusque commendet, per alterum incommutabilitatem substantiæ diuinæ pronunciet. Deus igitur uerbum factus est homo perfectus, non imminuta natura Deitatis: adstipulante miraculo, quod intelligentiam nostræ mentis excedit, idipsum percipimus fide, non inquisitione colligimus. Proclus. Et: Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati: quia ueram atque integram suscipiens substantiam carnis humanæ, non ipsum peccatum in ea, sed similitudinem peccati suscepisse credendus est. Similitudo enim non ad carnis ueritatem, secundum prauum quorundam hæreticorum sensum, sed ad peccati imaginem est referenda. Erat quidem in ipso uera caro, sed absq; peccato, similis quidem peccatrici. Illud siquidem ad humanæ substantię pertinet ueritatem: hoc uerò ad uitia refertur, & mores. Habebat similitudinem carnis peccati, cum uelut homo ignarus, ac pro cibo sollicitus percunctaretur. Ioannes Cassianus collatione 22. cap. 11.

Proclus ait: Trinitas est unius essentiæ, & impassibilis: sed confitentes Deum uerbum unum ex Trinitate incarnatum, tribuimus intelligendi materiam ijs qui fideliter scisci tantur, cur incarnari dignatus est. Quia enim decreuerat Deus uerbū destruere passiones, quarum mors terminus habebatur: suscipere uerò passionem inuiolabilis natura non poterat, quia omnis passio reb. cōpositis probatur inferre luctamen. In spirituali & singulari substantia compositio nulla est: nec illic passio contingebat, ubi compositio non erat. Volens igitur destruere passiones, incarnatur ex uirgine, & habitu inuenitur ut homo: quoniā sic exinanire se uoluit, formam quodammodo serui suscipiēs, nullam tamen circumscriptionem suæ Deitatis admittens. Per quam etiam salutem omni humano generi contulit, carne sua passiones exterminans, Deitatē propriam impassibilem seruās. Idcirco Gabriel autoritatē & potentiam nascentis insinuans, aiebat ad Mariam: Ipse, inquiens, saluum faciet populum suum à peccatis suis. Populus autem nō potest hominis esse, sed Dei: nec mundum ab iniquitatibus eruit, qui hanc uitam pariter cum corruptione intrauit, inculpabile non habens natiuitatis exordium, sed necessariò Deus simul & homo, non diuisus in duos, sed permanens unus, per id quod sine coniuge matrem seruat intactā, Deum prorsus insinuans, saluū fecit populū suum. Proclus. Paulinus inquit: Nostra arrogantia non

audendus dici frater, nec quia homo fieri dignatus est, quia & in ipso hominis ortu nihil habet commune nobiscum, qui citra nostræ generationis usum caro factus de spiritu sancto, intemerata sacræ matris uirginitate & conceptus & natus est: & ideo sine ullo corporis nostri contagio nostrum corpus effectus, non dedit Deo placationem suam, &c. epistola quarta.

DE DVABVS NATVRIS *in Christo.*

Rectè docent de duabus naturis, diuina nempe & humana, & earum miranda unione, in Christo. Chrysostomus inquit: Magnum mysteriũ incarnationis Christi, & ueriſsimè magnum prædicatur: Homo factus est Deus, & Deus homo. Homo apparuit absque peccato, homo assumptus est, prædicatus est in mũdo, uiderunt eum angeli nobiscum: mysterium igitur est. in tertium caput primæ ad Timoth. Hom. duodecima. Et in secundum caput ad Philippenses: Natura non est immutata, nec aliqua confusio facta, sed habitu factus est. Ibidẽ: Non in hominẽ mutatus est Deus uerbum, neq; essentia eius immutata est, sed ut homo apparuit: non phantasijs ac spectris nos præstringens & obtundens, sed ad animi humilitatem erudiens. Item: Enimuerò mediator utrisque eis debet societate coniungi, quorum mediator est. Id quippe mediatoris est proprium, utrorũq; participem fieri, quorum fuit mediator. Quòd si unum quidem societate contingat, ab alio uerò fuerit separatus, mediator iam dici non potest. Nisi igitur cõsors sit paternæ naturæ, mediator profectò non est: quippe cum à patris sit substantia separatus. Quemadmodum enim humanæ naturæ consortium accepit, quando ad homines uenit: ita & à Dei substantia non abscesſit, quoniam à Deo uenit. Nam quia duarum naturarũ medius fuit, ambarũ oportuit esse participem. Quemadmodum enim loci cuiuslibet medium utramq; partẽ contingat necesse est: ita & naturarum ambarum mediũ oportuit utrasq; naturas contingere atq; connectere. Quemadmodum igitur homo factus est, ita etiã Deus erat. Homo quippe purus, mediator nunquam penitus fieret. Oportebat enim huiusmodi mediatorẽ cũ Deo colloqui. Deus itẽ solus Mediator esse nõ posset: neq; enim ipsum suscepiſsent hi, quorũ mediator accederet. Quem admodũ alibi Paulus ait: Vnus Deus pater, & unus Dominus IESVS Christ⁹: ita & hic 1. ad Timoth. 2. dicit, Vnus & unus. Non ponit duos, quia aduersus multorũ deorum disceptabat errores, ne quis duorũ numero, deorũ multitudinẽ putaret inferri: Vnus, inquit, & unus, unus quippe & un⁹ duo sunt. At nõ istud dicimus, etsi ratio suggerat. Non dicis, unus & unus duo: quemadmodum neque cogitatio suggerit ut dicas, Si gemit, passus est. in secundum caput primæ ad Timotheum, Homilia septima. Et homilia septima in primum caput Iohannis inquit: Dilectiſsimus Dei filius factus est hominis filius, ut filios hominum filios Dei faceret. Supernum namque cum homini copulatum est, illud quidem nullo in propriam gloriam detrimento affectum, hoc autem ex multa elatum humilitate: quod certè in Christo factum est. suam namq; naturam descensu suo nihilo inferiorem reddidit: nos autem, cum in ignominia antè & in tenebris essemus, ad supernam erexit gloriam. Item: Non substãtia uerbi transiuit in carnem, hoc etiam cogitatu impium est: sed eadem permanẽs, formam serui accepit, non imaginationem quandam, sed ueræ carnis acceptionem. Et ibidem: Vnitate & coniunctione unũ est Deus uerbũ & caro, nõ cõfusione aut interitu substantiarum, sed arcana quadã & inexplicabili unitate. Quomodo autem hoc sit, noli disquirere: factum est ut ipse nouit. Chrysostomus. Et in Homilia de Psalmo nono inquit: Angelus aduenies, qui est uehiculũ uerbi, infundit Mariæ, concepit credens uerbo. Hoc uerbũ caro factum est, assumens quod non erat nostrũ, nõ amisit quod erat ex patre, permansit in suo quod erat in diuinitate. Ingressus in uterum uirginis, non uiolauit integritatem, creatus non abstulit uirginitatem. Quæ sunt ista miracula? Generationem eius quis enarrabit? Quòd Christus Deus & homo sit una persona, docet homilia undecima in Marcum: Nemo nos putet, inquit, diuidere Christum. Hoc enim solent æstimare calumniatores, quòd nos in Christo duas personas faciamus, aliũ hominem, & alium Deum. Non in Trinitate credimus, nõ in quaternitate credim⁹ duas in Christo esse personas. Si enim Christus duas personas habet, Pater & Filius, id est, Christus duplex est: ergo quatuor personæ sunt. Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. secundo inquit: Deus ergo hominẽ assumpsit, homo in Deũ transiuit, non naturæ uersibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione: ut nec Deus mutaretur in humanã substantiã assumendo hominem, nec homo in diuinã glorificatus in Deũ, quia mutatio uel uersibilitas naturę & diminutionem & abolitionẽ substantiæ facit. Creditur à nobis sine confusione coniuncta sancta Trinitas, sine separatione distincta. Item, De essentia diuinitatis: Et idcirco Dei filiũ secundũ substantiã diuinitatis suę inuisibilem, incorporeum & immortalem & incircumscriptum, nos credere & confiteri oportet.

iuxta

iuxta humanitatem uerò uisibilem, corporeum, localem, atq; omnia membra humana ueraciter habentem credere cõuenit, & confiteri. Item in Enchiridio, capite trigesimoquinto: Proinde Christus IESVS, Dei filius est, & Deus & homo est: Deus ante omnia secula, homo in nostro seculo: Deus, quia Dei uerbum (Deus enim erat uerbũ) homo autẽ, quia in unitatem personæ accesit uerbo anima rationalis, & caro. Quocirca in quantum Deus est, ipse & pater unum sunt: in quantum autem homo, pater maior est illo. Item libro decimo Confessionum, capite 42: Mediator inter Deũ & homines, oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominib. ne in utroq; hominib. similis longè esset à Deo: aut in utroq; Deo similis, longè esset ab hominib. atq; ita mediator non esset. Item super Magnificat: Nihil enim unquam maius mirum factum est, quàm ut Deus fieret homo: & natura incomprehensibilis, corporis substantiam sibi sic uniret, ut nec minus in ea esset, quia in se erat immensa: nec minor in se extiterat, quia in illa fuit creata. Hæc ergo sunt magna. Item de Ecclesiasticis dogmatibus, capite secundo: Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transiuit, non naturæ uersibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione: ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem: nec homo in diuinam, glorificatus in Deũ: quia mutatio uel uersibilitas naturæ & diminutionem & abolitionem substantiæ facit. Creditur à nobis sine confusione coniuncta sancta Trinitas, sine separatione distincta. Natus est ergo Dei filius ex homine, non per hominem: id est, non ex uiri coitu, sicut Ebion dicit: sed carnem ex uirginis corpore trahens, & non de cœlo secum afferens, sicut Marcion, Origenes & Eutyches affirmant: neque in phantasia, id est absque carne, sicut Valentinus: neque à sole, id est putatiuè imaginatum, sed corpus uerum. Non tantum carnem ex carne, sicut Martianus: sed uerus Deus ex diuinitate, & uerus homo ex carne, unus filius in diuinitate, uerbum patris, & Deus in homine, anima & caro. Anima non absque sensu & ratione, ut Apollinaris: neque caro absque anima, ut Eunomius: sed anima cum ratione sua, & caro cũ sensibus suis, per quos sensus ueros in passione & ante passionem suæ carnis dolores sustituit. Item ad Volusianum epistola tertia: Sic autem quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi: quum hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant, de re quæ quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis. Nam sicut in unitate personæ anima utitur corpore, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus utitur homine, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis, in hac persona mixtura est Dei & hominis. Si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter seruet integritatem suam, quanquã & in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis, mixtura est animæ & corporis: persona autem Christi, mixtura est Dei & hominis. Quum enim uerbum Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit, & corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines, hoc semel factum est ad liberandos homines. Item in Psalmum quadragesimumsextum: Non enim homo tantum erat Christus, sed & Deus: homo, ex semine Dauid: Deus, Dominus Dauid, ex Iudæis carnem habens, quorum patres (ait Apostolus) & ex quib. Christus, secundũ carnem. Ex Iudæis ergo Christus, sed secundum carnem. Quis autem iste Christus, qui ex Iudæis est secundũ carnem? Qui est super omnia Deus benedictus in secula. Deus ante carnem, Deus in carne, Deus cum carne. Nec solùm ante carnem Deus, sed ante terram Deus, unde facta est caro. nec tantum ante terram Deus, unde caro facta est: sed etiam ante cœlum Deus, quod prius factum est: ante diem Deus, qui primus factus est: ante omnes angelos Deus, in se Christus Deus, quoniam in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ille est ante omnia, per quem facta sunt omnia.

Cyrillus: Postquam autem apparuit homo, & demisit seipsum in humiliationem ac formam serui, factus est nobiscum, & sub Deo: non amittens id quod erat, humanitatis quoque conditionem non despexit. Nam cum dines esset, utpote Deus, nobiscum pauper factus est: quapropter sub lege & cum seruis & cum iniquis reputatus est, & ipsam mortem secundum carnem sustinuit. libro quinto Dialogorum. Item: Nam quoniam in unam personam duæ naturæ conueniunt, idcirco nec in duos filius unus Christus scinditur, & omnia posse ut Deus dicitur. Quanquã impassibilis sit, hominis tamen dolores sibi attribuit, quos non ut Deus, sed ut homo perpessus est. libro secũdo, capite septuagesimo octauo in Ioannem. Item: Vnus uerè Christus est, totum hominem, ex anima uidelicet atque corpore compositum, sicut regia stragula indutus. Vnus ergo ex duabus naturis Christus. libro tertio Commentariorum in Ioannem.

Leo inquit: Verbum Dei Deus, Dei filius, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, & sine quo factū est nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte factus est homo, ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutiõe suę maiestatis inclinãs, ut manens quod erat, assumensq; quod non erat, ueram serui formã ei formę in qua Deo patri est æqualis uniret, & tanto fœdere naturam utramq; conferret, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assũmptio. Salua igitur proprietate utriusq; substantiæ, & in unam coeũte personam, susceipitur à maiestate humilitas, à uirtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inuiolabilis naturæ est unita passibili, Deusq; uerus & homo uerus in unitatem Domini temperatur, ut quod nostris remedijs congruebat, unus atque idē Dei hominumq; mediator & mori posset ex uno, & resurgere ex altero. Sermone primo de natiuitate Domini. Item in Sermone tertio de natiuitate, utitur phrasi, quòd altera natura alteri misceatur.

Item: Verum est quod idem prędicator adiecit, Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, & uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratię, & ueritatis. In utraque enim natura idem est Dei filius, nostra suscipiens, & propria non amittens: in homine hominē renouans, in se incõmutabilis perseuerans. Deitas enim quæ illi cum patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiæ subijt, nec Dei formam serui forma uiolauit: quia summa & sempiterna essentia, quæ se ad humani generis inclinauit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit: sed quod erat, esse non destitit. Vnde cum unigenitus Dei minorem se patre confitetur, cui se dicit æqualem, ueritatem in se formæ utriusque demonstrat: ut & humanam probet imparilitas, & diuinam declaret æqualitas. Maiestati igitur filij Dei corporea natiuitas nihil abstulit, nihil cõtulit: quia substantia incommutabilis nec minui potuit, nec augeri. Quod enim uerbum caro factum est, nõ hoc significat, quòd in carnem Dei natura sit mutata, sed quòd à uerbo in unitatem personæ sit caro suscepta. In cui⁹ utiq; nomine homo totus accipitur, cum quo intra uirginis uiscera, sancto spiritu fœcundata, & nunquam uirginitate caritura, tam inseparabiliter Dei filius est unitus, ut qui erat intemporaliter de essentia patris genitus, ipse sit temporaliter de utero uirginis natus. Aliter enim ab æternæ mortis uinculis non possemus absolui, nisi in nostris fieret humilis, qui omnipotens permanebat in suis. Nascens itaq; Dominus noster IESVS Christus homo uerus, qui nunquam destitit esse Deus uerus, nouę creaturę in se fecit exordiū, & in ortus sui forma dedit humano generi spiritale principium, ut ad carnalis generationis abolenda contagia esset regenerandis origo sine semine criminis. de quibus dicitur: Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Sermone septimo de Natiuitate Domini. Item: In totius igitur humani generis strage communi, unum solum fuit remedium sub diuinæ rationis occulto, quod posset subuenire prostratis, si aliquis filiorum Adam originalis prævaricationis alienus atque innocens nasceretur, qui cæteris exemplo prodesset, & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat uitiatæ radicis sine semine propago esse, de quo Scriptura dicit: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Non ne tu qui solus es? Dominus Dauid factus est filius Dauid, & de promissi generis fructu proles est orta sine uitio, in unam personam gemina conuenientę natura: ut eodem conceptu, eodemq; partu gigneretur Dominus noster IESVS Christus, cui uera inesset Deitas, ad miracula operum: & uera humanitas, ad tolerantiam passionum. Sermone octauo in natiuitate Domini. Item: Vtriq; naturæ in suis proprietatibus permanenti tanta est unitatis facta communio, ut quicquid est ibi Dei, non sit ab humanitate diśiunctum: quicquid autem est hominis, non sit à Deitate diuisum, &c. Addit præterea, quòd corpus Christi non prius formatum sit, quàm animatum. de Incarnationis necessitate, sermone octauo. Item: Quia iustificandis hominibus hoc principaliter opitulatur, quòd unigenitus Dei & filius hominis esse dignatus est, ut homousiõ patri Deus, id est unius substantię, idē homo uerus & secundū carnem matri consubstantialis existeret: utroq; gaudeamus, quia non nisi utroq; saluamur, in nullo diuidentes uisibilem ab inuisibili, corporeum ab incorporeo, passibilem ab impassibili, palpabilem ab impalpabili, formam serui à forma Dei. Quia etsi unum manet ab æternitate, aliud cœpit à tempore: quæ tamen in unitatē conuenerunt, nec separationem possunt habere, nec finem, dum exaltans & exaltatus, glorificans & glorificatus, ita sibimet inhæserunt, ut siue in omnipotentia, siue in contumelia, nec diuina in Christo careant humanis, nec humana diuinis. Sermone 10. Item: Quidam erubescentes Euangelium crucis Christi, ut audentius euacuarēt susceptū pro mundi redemptione suppliciū, ipsam ueræ carnis in Deo negauēre naturam, non intelligentes impassibilē Dei uerbi atq; incõmutabilem

tabilem Deitatem, ita inclinatam ad humanam naturam, & ad eius salutem, ut & poter propria non amitteret, & misericordi-ter nostra susciperet. Duplicis itaq; in Christo formæ una persona est, & filius Dei, idéq; filius hominis unus est Dominus, cõditionẽ seruilem consilio pietatis recipiens, nec legem necessitatis incurrens: quia potestate factus est humilis, potestate passibilis, ut ad destruendum peccati mortisq; dominatũ, & penè capax esset substantia infirmitatis, & nihil gloriæ suæ perderet natura uirtutis. Cum itaq; dilectissimi, legẽtes uel audientes Euãgelium, quædã in Domino nostro IESV Christo cognoscitis subiecta iniurijs, quædã illustrata miraculis, ita ut in eodẽ nunc humana appareant, nunc diuina resplendeant, nolite quicquam horum adscribere falsitati, tanquã in Christo aut sola sit humanitas, aut sola diuinitas: sed utrumq; fideliter credite, utrumque humiliter adorate, ut in unitate uerbi & carnis non sit ulla diuisio. Nec quia manifesta fuerunt in IESV signa diuina, falsa uidesa sunt in Christo utriusque testimonia naturæ, ad hoc ex diuini consilij altitudine concurrentia, ut uerbo inuiolabili non separato à carne passibili, particeps per omnia intelligatur & Deitas carnis, & caro Deitatis. Mẽs igitur Christiana fugax mendacij, discipula ueritatis, utere fidenter Euangelica historia: & quæ fideliter & uisibiliter sunt gesta per Dominum, tanquam ipsa aggregata cũ Apostolis, nunc spiritali intellectu, nũc corporeo discerne cõspectu. Da homini, quòd de muliere puer nascitur: da Deo, quòd nec conceptu læditur uirginitas materna, nec partu. Formam serui obuoluta pannis, iacentem in præsepio cognosce: sed annunciatam ab angelis, declaratam ab elementis, adoratam à Magis, formam Domini confitere. Humanũ intellige, quòd non declinauit nuptiale conuium: diuinum approba, quòd aquam conuertit in uinum. Nostra tibi innotescat affectio, cum mortuo amico fletus impenditur: diuina potẽtia sentiatur, cum idem post quatriduanam iam fœtidus sepulturam, solo uocis imperio uiuificatus erigitur. Lutum de sputo & terra fieri, corporei fuit operis: sed illinc superlitos cæci oculos illuminari, non dubium est illius fuisse uirtutis, quæ quod principijs naturæ non dederat, ad manifestationem suæ gloriæ reseruauit. Veri est hominis, fatigationem corpoream somni releuare quiete: sed ueri Dei est, uim sæuientium procellarum præcepti increpatione compescere. Cibos esurientibus apponere humanæ benignitatis est, & socialis est animi: sed quinque panibus & duobus piscibus quinque milia uirorum, exceptis mulieribus & paruulis, satiare, quis negare audeat opus esse Deitatis? Quæ operantibus secum ueræ carnis officijs, & se homini & hominem sibi inesse monstrabat: quia non aliter in humana natura sanari poterant originalisuulnera uetustatis, nisi de utero uirginis carnem sibi assumente Dei uerbo, in una eademque persona simul & caro nasceretur, & uerbum. Sermone octauo de Quadragesima. Item Sermone tertio de passione Domini: In omnibus igitur, dilectissimi, quæ ad Domini nostri IESV Christi pertinent passionem, hoc catholica fides tradit, hoc exigit, ut in redemptorem nostrum duas nouerimus conuenisse naturas: & manentibus proprietatibus suis, tantam factam unitatem utriusque substantiæ, ut ab illo tempore, quo, sicut humani generis causa poscebat, in beatæ uirginis utero uerbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod Deus est. Exprimit quidem subdistinctis actionibus ueritatem suam utraque natura, sed neutra se ab alterius connexione disiungit. Nihil ibi ab inuicem uacat: tota est in maiestate humilitas, tota in humilitate maiestas: nec infert unitas confusionem, nec dirimit proprietas unitatem. Item sermone decimoquarto: Vnigenitus summi patris tale inijt cum humana humilitate consortium, ut suscepta nostræ carnis animæque substantia, unus atque idem Dei filius permaneret nostra augendo, non propria: quia infirmitas erat prouehenda, non uirtus, ut cum suo creatore creatura esset unita, nihil assumpto diuinum, nihil assumpti deesset humanum. Item sermone sexto de ieiunio: Veri Dei filius, Deus uerus, unitatem & æqualitatem habens cum patre & spiritu sancto, idem uerus homo esse dignatus est, nec conceptu uirginis matris est seiunctus à carne, nec partu: sic humanitatem sibi uniens, ut Deus incommutabiliter permaneret: sic deitatem homini impartiens, ut eum glorificatione non consumeret, sed augeret. Qui enim est factus forma serui, forma Dei esse non destitit: nec alter cum altero, sed unus in utroque est, ut ex quo uerbum caro factum est, nullis dispensationum uarietatibus fides nostra turbetur, sed siue in miraculis uirtutum, siue in contumelijs passionum, & Deum qui homo est, & hominem credamus esse qui Deus est. Epistola decima decretali ad Flauianum episcopum, capite quinto: Catholica Ecclesia hac fide uiuit ac proficit, ut in Christo IESV, nec sine uera diuinitate humanitas, nec sine uera credatur humanitate diuinitas.

Prosper ita scribit, de Prouidentia libro:

— Nec iam diuersa, sed unum
Sunt duo, dum uita in uita est, in lumine lumen,
Augmento non sine hominis: quo glorificato,
Sic homo, sic Deus es, ut non sis alter & alter.

Theodoretus scribit: Cum enim in Dei forma esset, serui formam accepit, eum & esse mortuum & resurrexisse. Sed manifestum est impatibilem esse diuinitatem, corpus autem patibile: hoc enim cruci tradidit, & è sepulchro excitauit. in decimum quintum caput prioris ad Corinthios. Item: Hic enim patris filius, qui est unà cũ suo genitore qui omnia fabricatur, regit & administrat, qui patrem in seipso ostendit, homo factus nostram procurauit salutem. in primum caput ad Hebræos. Item: Qui cum in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Et ut paucis dicam, ambo docent, quòd cum esset Deus, & Dei filius, & patris gloria circundatus, & eandem haberet naturam & potẽtiam cum genitore, & cum esset in principio, & esset apud Deum, & Deus esset, & creaturas esset fabricatus: serui formã accepit, & uidebatur quidem hoc solum esse quod cernebatur. Erat autem Deus humana natura indutus, & hominũ salutem procurabat. in Immutabili dialogo. Item: Diuina natura est immortalis, caro autem mortalis. Itaq; mortalis mortali unita est, ut per illam mortem gustaret. in tertio dialogo Impatibili. Item: Et secundum humanitatem ex Dauid ortus est, & tanquam Deus ante secula, ex Deo patre genitus est. quæstione 109 in Genesin.

Isychius de duabus naturis ita inquit: Probat diuinitatem Christi, quia ipse Christus erat qui ungebat prophetas, ipse qui ungebatur, ungens uerbo diuinitatis, secundum quam ei omnia communia cum patre & spiritu sunt, à quo ungi dicitur. Nam Dauid patrem ungentem dixit, cum ait: Propterea unxit te Deus, Deus tuus. Esaias autem unctionem filij ad spiritum retulit dicens: Spiritus Domini super me. Quæ autem pater & spiritus, hæc eadem & filius facit. Ergo ratione diuinitatis ipse est semetipsum ungens, & ipse est qui ungitur dispensatione humanitatis. Similiter offert & offertur. Vnde & Daniel oblatum illum quidem uidet, non uidit autem qui eum obtulit: quia ipse erat, qui semetipsum offerebat. Libro secundo Commentariorum in octauũ caput Leuitici. Et: Etsi Christi caput secundum Pauli uerbum diuinitùs intelligitur: nõ frustra tamen, nec extra ordinem, in hoc mysterio sacerdotis ungi nunc caput legislator scripsit, ut cognoscamus, quoniam quemadmodum caput à pedibus diuidi non potest, sic nec Christi diuinitas post unitionem ab humanitate diuiditur. Sed siue ungi dicatur, siue generari, siue pati, siue resurgere, siue assumi dicimus, hoc incarnatum uerbum non diuidentes, & dicentes hominem quidem unctum, Deum autem non unctum, sed Deum eundem simul & hominẽ. Hoc enim & Dauid approbat, cum inquit: Propterea unxit te Deus. Cernis Deum dici qui unctus est, quia omnia carnis suæ manifestum est quòd sibimet ipsi qui incarnatus est uendicat. Libro secundo in octauum caput Leuitici. Et: Cydaris significatio quodãmodo est simul unigeniti humanitatis & diuinitatis. Ergo quæ oporteat custodiri sacerdotes & doctores præcepit: id est, ut nec diuinitatẽ Christi, nec humanitatẽ negent, nec cõtradicant quia Deus ex Deo, & uerbũ est ex patre. lib. 2. in 54 cap. Leuitici. Itẽ: Habuit Christus diuinitatem scilicet & humanitatem. quia munda Christi etiam humanitas, & uiuens est. Munda quidem, utpote quæ proprium peccatum non habuit: uiua autem, ut quæ genita non est ex uiri immundicia, & ideo non fuit maledictioni mortis obnoxia. lib. quarto in 14 caput Leuitici. Item: Velamen Christus habet carnem, tegumentum diuinitatis suæ. Libro quinto in decimũ sextum caput Leuitici. Item: Deus & homo erat, qui pro nobis incarnatus est Christus IESVS, impassibilem diuinitatem custodiens, solam passionibus humanitatem præbuit: effectus autem passionis eius, id est nostra propitiatio, non solùm passæ carnis, sed multo magis impassibilis diuinitatis fuit. quod testatur Paulus dicens: Qui cum esset splendor gloriæ. Libro quinto in decimum sextum caput Leuitici. Et: Oportet scire perfectam humanitatem & perfectam diuinitatem cõtemperare: id est in unum cõuenire in Deo, id est per eam quam circa nos habet compassionem: lib. sexto in 23. caput Leuitici.

Philastrius ait: Generatio Christi duplex est, una diuinitatis indefinita ac sempiterna, altera incorporationis per uirginem temporalis. Philastrius in Catalogo hæresium.

Primasius: Supplementũ est credere Deum uerum, & hominem uerum, unam personam ex duabus substantijs: quia hoc est fidei fundamentum, quod uobis sufficit ad uitã, etiamsi aliquid scientiæ minus interim habeatis. in secundum caput ad Colossenses. Et: Ambo ergo à dextris sunt, quia nihil est in diuinitate siniſtrum, quia unum est iam cum Deo in gloria, homo assumptus à uerbo, & quadragesimo die exaltatus ad cœlestia. in primum caput ad Hebræos. Et: Sicut anima & corpus ex diuersa substantia unus est homo, ita Deus & homo ex diuersa substantia unus est Christus. in octauum caput ad Romanos. Item: Duarum enim naturarum unitio facta est, propter quod unum

unum Christum, unum filium, unum Dominum confitemur. Rusticus contra Acephalos. Sedulius: Verbum caro factum, quia hominum oculis, propter quos facta est illa susceptio, caro sola potuit apparere. in primum caput ad Romanos.

Maximus inquit: Hodie saluator mundi per matrem nascēdi tempus accepit, qui de patre natiuitatis tempus non habet. Hodie per hominem filius Dei ingressus est in mūdum, cuius manu ante hominem factus est mundus. Hodie habitator cœli uenit ad terras, qui terrarū incolas euocaret ad cœlum. Homilia prima in natali Domini. Itē: Duas in Christo generatiōes legimus, fratres charissimi, sed in utraq; est incōprehensę diuinitatis uirtus. Ibi enim illū ex semetipso genuit Deus, hic eū uirgo Deo cooperāte cōcepit: ibi sine initio, hic sine exēplo: ibi natus ut cōderet uitā, hic fact⁹ ut tolleret mortē: ibi patri natus, hic hominib. ꝓcreatus: illa natiuitate hominē fecit, hac generatione hominē liberauit. Hom. 1. de natali Domini. Itē: Cum aūt duas Christi docemur natiuitates, nō bis asseritur filius Dei natus, sed gemina in uno Dei filio cōfirmatur esse substantia. Ibi, quod erat, natus est: hic, quod non erat, factus est. Homilia prima de natiuitate Domini.

Cerealis ita scribit: Duas in filio profitemur esse naturas, id est Deum uerum & hominē, uerū corpus & animā habentē. Quicquid ergo excellēti sublimitatis potētia de eo referūt Scripturæ, admirādę eius diuinitati tribuendū sentimus: & quicquid infra honorem cœlestis potentiæ de eodem humilius enarratur, non uerbo Dei, sed homini reputamus assumpto. in Ratione fidei.

Eugenius ait: Filius Dei nullis conditionū necessitatibus astrictus, sed libera diuinitatis potentia, ita quæ nostra sunt mirabili pietate assumpsit, ut à suis quę diuina sunt, omnino nō desiterit: quia diuinitas nec augmentū admittit, nec patitur detrimentū. Itē Thalasius: Deus & uerbū absq; sui cōuersione incarnatus, omni creaturæ per carnē unitus est. Hecatōtade prima. Et: Vt ex Deitate & humanitate, & in Deitate & in humanitate, sic ex duabus naturis dicimus esse unum Christum. prima Hecatontade. Item: Inseparabilē unam Christi glorificamus hypostasin, & citra omnem cōfusionem naturarum confitemur unionem. ibidem.

Salonius ait: Infirmū fuit Dei, carnē mortalitatis nostrę assumere: sed hoc fortius est hominib. quia ipse homo natus ex uirgine, perfectus extitit De⁹. Faustus inquit: Mortē nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset: ideo eā pro ratione geminę substātiæ homo suscepit, & Deus uincit. lib. 1. de libero arbitrio, cap. 1. Claudianus: Christus homo uerus, & Deus uerus, ex duplici substantia una persona, & Deus homo, & homo Deus est: idē glorię Dominus. lib. 1. de statu animę, cap. 3. Eucherius inquit: Ipse est enim filius per quem facta sunt omnia: ipse principium, in quo facta sunt omnia. libro primo in primum caput Geneseos.

Vigilius ait: Christus non potest inter nos esse mediator, & inter Deū, si tātū unā habet naturā. cōtra Eutychen. Item: Christus unus atq; idē & ęqualis patri secundū Deitatē, & inferior est patre secundū humanitatis naturā: atq; ita nec initiū habet, quia Deus est: & habet initiū, quia idē Deus & homo est. cōtra Eutychē. Et: Vnū esse Deū, eundēq; filiū, & hominis filiū, nō duos ꝓfitemur: & intra uirginei uteri secreta, carnis sibi initia cōseuisse, id est incarnatū fuisse, ut tamē uerbi natura nō mutaretur in carnē. Itē: Carnis naturā ita per susciptiētis cōmixtionē in uerbi trā fisse personā, ut non tamen fuerit in uerbo cōsumpta. manet enim utraq;, id est uerbi carnisq; natura: & ex his duabus, hodieq; manētibus, unus est Christus, unaq; ꝑsona. & hoc latissimè ꝑ multis Scripturę testimonijs probat, cōtra Eutychen lib. 1. Itē: Secundū præconia Scripturarū Christū duas natiuitates habere, unā de patre sine tempore, alteram de matre sine semine: & harū duarū naturarū utramq; naturā gerēs, Dei scilicet, qua de patre natus est, & hominis, qua de matre ꝓgenitus, unus idēq; Deus et homo est Christ⁹. gemina enim natiuitas, geminā uni Christo dedit naturā, dū qui Deus est de patre, idē & homo est de matre. Vigilius lib. 2. cōtra Eutychen. Item: Vides ergo, non ob aliud Deum naturę nostræ se permisisse, ut moreretur, nisi quia eius natura mortalitatis cōditionē non teneretur, ac sic esse aliquid ꝓpriū Christo, quòd diuinitati aliud, humanitati aliud conueniat: licet propter singularitatem personæ & mors ad diuinitatem, & immortalitas ad eiusdem Dei referatur humanitatem. lib. 1. contra Eutychen. Item: Christus habet initium, & non habet. habet, secundum humanitatem suam: non habet, secundum diuinitatē suam. Cum dico Habet, uel non habet, ad personæ pertinet unionem: cum dico secundum diuinitatem, & secundum humanitatem, ad naturarum pertinet proprietatem. libro secundo contra Eutychen. Item: Verbum cum carne ita est inexplicabili modo unitum, ut ipsum uerbum caro dicatur, licet Deus non sit caro: quia non est in carnem mutatum, ut caro dicatur Deus: licet non sit in Deitatis naturam mutata, sed uerbum propter carnem suam homo, & caro propter uerbum Deus sit; & quicquid est proprium uerbi,

uerbi, sit commune cum carne: & quicquid est proprium carnis, commune cum uerbo sit, quomodo uerbum & caro unus est Christus & una persona. libro secundo cõtra Eutychen. Et: Vnus Dei filius, idemq; hominis factus filius, habet initium ex natura carnis suę, & non habet initium ex natura diuinitatis suæ. Creatus est per naturam carnis suæ, & loco non capitur per naturam diuinitatis suæ. minor est etiam angelis per naturam carnis suæ, & æqualis est patri secundũ naturam diuinitatis suæ. Mortuus est natura carnis suæ, & non est mortuus natura diuinitatis suæ. Hæc est fides & confessio catholica. libro quarto contra Eutychen. Itẽ: Sicut Dei filius dici non potest, nisi ex ueritate naturæ uerbi, quæ illi est ex Deo patre: ita idem filius hominis dici non potest, nisi ex ueritate naturæ uerbi, quæ illi est ex homine matre. libro quarto contra Eutychen. Et: Regula est fidei catholicę, unum eundẽque IESVM Christum sicut uerum Deum, ita uerum hominem, confiteri unum esse ex utroque, non duos in utrunq;: ipsum sine tẽpore natum de patre, ipsum ex tempore natum de uirgine, ita ut utraque natiuitas sic unum teneat Christum, ut in nullo sui pertulerit detrimentum, retinens in se quod sui generis est proprium: id est ut & uerbi natura non mutaretur in carne, & carnis natura non fuisset in uerbo consumpta. Libro quinto contra Eutychen.

Iohannes Cassianus inquit: Vides ergo ad sanandos homines uerbum missum esse? quia licet per Christum sanitas data sit, uerbum tamen Dei in Christo fuit, quod per Christum cuncta sanauit. Ac sic unito per sacramentum incarnationis Christo & uerbo Dei, factus est Christus & uerbũ Dei unus, ex re utraque filius Dei. Libro quarto de incarnatione. Et: Christus est unigenitus filius Dei per naturam, qui non ex materia aliqua est à patre genitus: quia omnis res, & omnis rerum materia, per unigenitum Dei filium est, non ex nihilo, quia ex patre, non quasi partus: quia nihil in Deo uacuum atq; mutabile, sed ineffabiliter atque inęstimabiliter Deus pater in his quæ ingenita in se erant, unigenitũ suum genuit, & sic ab ingenito sũmo & sempiterno patre unigenitus summus & sempiternus est filius: idem habendus in carne, qui habetur in spiritu: idẽ credendus in maiestate, qui nasciturus in carne. Non diuisionem aliquam aut discisionem sui fecit, ut sc. ex parte aliqua non nascẽte pars sui aliqua nasceretur, aut aliquid in eo diuinitatis postea superueniret, quod in eo natum ex uirgine non fuisset. Libro quinto. Item: Tanta est Christi & Dei unitas, ut nemo utique iam omnino possit uel Christum dicens in Deum in Christi nomine dicere, uel Deum dicens in Christum in Dei nomine nuncupare. Ac sic unito sibi penitus per maiestatẽ sacrę natiuitatis utriusq; substantiæ Sacramento, quicquid erat, scilicet homo & Deus, factum est totum Deus. Iohannes Cassianus lib. 5.

Paulinus inquit: Certi autẽ sumus, quòd & filium Dei ita prædicas, ut eundem & filium hominis confiteri non erubescas. Tam uerè hominem in nostra natura, quam uerè Deum in sua: sed filiũ Dei ante secula, quia ipse est Dei uerbum, Deus qui erat in principio apud Deũ, æquè Deus coomnipotẽs & cooperator patris. Per ipsum enim omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In epistola prima ad Victricium.

¶ De officio ac beneficijs scripserunt & docuerunt fideliter. Chrysostomus in octauum caput ad Romanos, Sermone 13: Si uictoria ista nõ fuisset in carne facta, adeò non fuisset admiráda, quãdoquidem & lex hoc præstitisset. Hoc uerò stupendum est, quòd trophæum hoc cũ carne fixit, ita ut ea ipsa caro quæ millies à peccato deiecta suppresaq; fuerat, tam illustrem aduersus peccatũ uictoriam tulerit. Vide siquidem, quanta sint facta paradoxa. Vnum quidem, quòd peccatum carnẽ non euicit: alterum, quòd uictum etiam est, idq; ab ipsa carne: non enim idem est, non uincere, sed & uinci tandem, quod perpetuò consueuerat prosterne re ac deijcere. Tertium, quòd non solùm uicit, sed & puniuit. In eo siquidem quòd nõ peccauit, effecit ut non uinceretur: eo uerò quòd mortuus est, peccatum uicit, condemnauitq;, demonstrans quàm illi esset terribilis ea caro, quæ primùm contemptibilis fuerat. Ad eum itaq; modũ & potestatem peccati dissoluit, & mortem quam introduxerat sustulit. Ibidem: Christi est quòd peccato resistimus, prævalemusq;: uerùm uictoria frui nostrum est. Et in octauum caput ad Corinthios primæ epistolæ, Homilia uigesima: Per Christũ, ait, ex nihilo in esse adductum est genus humanum, & ab errore in ueritatem redijt. Item in 1. ad Timoth. 2. Homilia octaua: Dilectio Christi magna ac inenarrabilis est, tradidit semetipsum pro inimicis, ꝓ his qui se oderãt, pro auersis à se. Id quod neq; pro amicis, neq; ꝓ filijs, neq; ꝓ fratrib. faceret quispiam, hoc fecit pro seruis Dominus, atq; pro huiusmodi De⁹. Deus enim pro hominib., pro mortalib. immortalis, ꝓ temporalib. sempiternus, ꝓ inimicis denique Dei filius. Item: Ergo hæc prima causa est, quia sciri uoluit, quantum amaret hominẽ Deus, qui plus amari uoluit quàm timeri. Secũda causa est, ut sententiam mortis, quam iustè dederat, iustius aboleret. Statum

tum ſuum Deus patiendo implere uoluit, ne compelleret imperãdo. ſicut fatetur ipſe: Non ueni legem ſoluere, ſed adimplere. homilia de proditione. Item: Sed ne proditũ lugeamus, ne traditum fleas: ſed proditoris factum ingemiſce, & futura eius lamentare ſupplicia. Nam proditus Chriſtus orbem liberauit uniuerſum, proditor gehennam meruit poſsidere. Traditus, in cœlis patris ſedet in dextera: traditor autẽ apud inferos collocatus, torméta debita ſceleratus expectat, & ideo lugendus eſt. ibidem.

Auguſtinus inquit cõtra Iudęos & paganos libro quarto, capite decimotertio: Nã qui poſſet non mori ſi nollet, proculdubiò quia uoluit mortuus eſt. & ideo principat' & poteſtates expoliauit, fiducialiter triumphans eas in ſemetipſo. Morte ſua quippe uno ueriſsimo ſacrificio pro nobis oblato, quidquid culpatum erat, unde nos principatus ac poteſtates ad luẽda ſupplicia iure detinebant, purgauit, aboleuit, extinxit, & ſua reſurrectione in nouam uitam nos præſtinatos uocauit, uocatos iuſtificauit, iuſtificatos glorificauit. Item libro decimo de ciuitate Dei, capite decimoquinto: Vnicus enim naturâ Dei filius, propter nos miſericordia factus eſt filius hominis, ut nos natura filij hominis, filij Dei per illum gratia efficeremus. Manens ille quippe immutabilis, naturam noſtram in qua nos ſuſciperet, ſuſcepit à nobis: & tenax diuinitatis ſuæ, noſtræ infirmitatis particeps factus eſt, ut nos in melius cõmutati, quod peccatores mortales ſumus, eius immortalitatis & iuſticię participatione amittamus: & quod in noſtra natura bonum fecit, impleti ſummo bono, in eius naturę bonitate ſeruemus. Sicut enim per unum hominem peccantem, in hoc tam graue malum deuenimus: ita per unũ hominem, eundemq; Deum iuſtificantem, ad illud bonũ tam ſublime ueniemus.

Sanguinẽ Chriſti eſſe redemptionẽ mundi, docet in lib. ad articulos ſibi falsò impoſitos, articulo 1: Quod ergo ad magnitudinem & potẽtiam precij, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redẽptio eſt totiꝰ mũdi. Sed qui hoc ſeculũ ſine fide Chriſti, & ſine regeneratiõis ſacramẽto ptrãſeũt, redẽptionis alieni ſunt.

Cyrillus ſcribit Chriſtum ſua morte & cruce uim & poteſtatem diabolorum confregiſſe: libro quarto contra Iulianum. Leo inquit: Habentes inceſſabilem propitiationẽ omnipotẽtis & perpetui ſacerdotis, qui ſimilis noſtri, æqualis patri, diuinitatẽ uſq; ad humana ſubmiſit, humanitatem uſq; ad diuina prouexit, dignè & piè de ipſius cõſtitutione gaudemꝰ. Sermone 2. in anniuerſario die aſſumptionis ſuæ ad pontificatũ. Item: Dominus noſter peccati mortiſq; deſtructor, ſicut nullum à reatu liberũ reperit, ita pro liberandis omnibus uenit. Sermone 1. in ſolennitate natiuitatis Domini. Humilitate Chriſtũ uiciſſe docet. inquit enim: Tota uictoria Saluatoris, quæ & diabolum ſuperauit, & mũdũ, humilitate eſt cõcepta, humilitate eſt confecta. Sermone ſeptimo de Epiphania.

Quòd Chriſtus ſit mediator, Proſper docet, de promiſsionibus & prędictionib. capite trigeſimotertio: Mediator noſter Chriſtus eruit animas de poteſtate tenebrarum. Theodoretus inquit: Neq; enim ſi Deus ſolùm eſſet, appellatus fuiſſet interceſſor. Quo modo enim inter nos & Deũ interceſsiſſet, ſi nihil noſtri penitus habuiſſet? Sed quoniã patri ut Deus cõiunctus eſt, ut qui habet eã dem ſubſtantiã: ut homo autem nobis, à nobis enim accepit ſerui formã: meritò interceſſor dictus eſt, unitate naturarũ, diuinitatis inquam & humanitatis, ea quæ ſunt diſtantia & diſiuncta cõiungẽs. in dialogo Inconfuſo. Vigilius ait: Neceſſe fuit Chriſtũ mediatorẽ eſſe, quia morti ſuccumbere oportebat mediatorem, per illud quod homines habebat: & mortẽ reuincere, p id quod in ſe diuinitatis tenebat. contra Eutychen.

Chriſtum eſſe doctorem, Proſper tradit de ꝓmiſsionibus, parte ſecũda, capite primo: Noſter Mediator IESVS Dominus, cuius figurã geſtabat etiã Moiſes, aſcendens mõtem cũ diſcipulis ſuis, quib. modis beati homines fierent, legem nõ in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus Dei ſpiritu ſcripſit, qua nõ terra, ſed cœlo atq; uita potiãtur æterna, qui eius mãdata ſeruauerint.

Quòd Chriſtus ſit redemptor, Proſper docet: Deſcendit, inquit, noſter de cœlo fortiſſimus, de quo dicit angelus ad Mariã, Quoniã Nazarẽus uocabitur: ut ſibi dilectas ex gẽtibus animas ſociaret, & fide cõiũgeret. in ſecunda parte de promiſsionibus & prędict. Dei, capite 21. Item: Rex noſter lapſos reparat, quibus collatę gratię cœleſtis regni donum ſeruat in poſterũ. ibidem capite 24. Theodoretus ait: Pro noſtris enim peccatis paſsionem ſubijt, ut noſtrũ debitũ exolueret, & ut eius reſurrectio cõmunem omniũ reſurrectionem procuraret. in epiſtolam ad Romanos. Item: Solus Dominus noſter IESVS Chriſtus nos à graui poteſtate liberauit, morte quidẽ fuſa ac ꝓfligata: nobis autem immortalitate promiſſa, & uita laborũ ac moleſtiarũ belliq; & peccati experte. in 7 cap. Epiſtolæ ad Rom. Itẽ: Quòd cum lex nõ potuiſſet ſuum inſtitutũ implere, ꝓpter eorũ quib. lex dabatur imbecillitatẽ, habebãt enim mortalẽ & patibilẽ naturã: unigenitũ Dei uerbum homo factum, per humanam

nam carnem peccatum fregit ac profligauit, cum omnem quidem iusticiam impleſſet, peccati autem labem non admiſiſſet: & cum peccatorum, tanquam peccator, mortem ſuſtinuiſſet, peccati iusticiam coarguit, quòd corpus morti nequaquam obnoxiũ morti tradiderit: uerùm enimuerò idem & peccatum & mortem diſſoluit. in octauum caput ad Romanos. Item: Dominus Chriſtus pro nobis eſt mortuus, & è mortuis ſuſcitatus patri aſsidet, & ne ſic quidem noſtri curam gerere deſijt. Sed quas à nobis accepit primitias patri oſtendẽs, & eas eſſe ab omni reprehenſione alienas patri demonſtrans, per illas nobis ſalutem petit. in octauum caput epiſtolæ ad Romanos. Item: Ille eſt omnium Dominus, qui ſe pro nobis morti tradidit, qui mortis potentiam diſſoluit, & nobis omnibus reſurrectionem eſt pollicitus. Illi ergo ſubiecti ſumus, ut qui uitam ab eo acceperimus. in caput decimumquartum epiſtolæ ad Romanos, Item: Ea de cauſa Chriſtus Dominus pro me morte ſubijt, ut mihi uitam immortalẽ procuraret. Idem in ſecundum caput epiſtolæ ad Galatas. Itẽ: Deus ergo ſermo noſtra ſuſcepta natura, eã ab omni peccato liberam cuſtodijt, & deleuit quæ malè à nobis facta ſunt, ſcripta debitorum. Cum autem conceſsiſſet, ut ea cruci affigeretur, exoluit omnium noſtrũm debitum: & cum legem quidem impleſſet, effecit ut ea ceſſaret, ut quæ olim ſolis Iudęis fuiſſet utilis, nobis autem nullo modo conueniret. Dedit autem decreta Euãgelica, in eorum obſeruatione nobis ſalutẽ pollicitus. Theodoretus in tertium caput epiſtolæ ad Coloſſenſes. Item: Hic autem unus & idem ſacerdos & hoſtia, & peccatorum ſolutionẽ effecit, & alio non eget ſacrificio, ſed ſedet unà cum patre, præſentis uitæ finem expectans. in caput decimum epiſtolę ad Hebręos. Item: Ea de cauſa unigenitus Dei filius homo factus & paſſus, mortemq; expertus eſt, ut mortem deleret ac perfringeret. Theodoretus in dialogo tertio. Item: Deus itaque Dominus rerum omnium, non putauit hominem contemnendum eſſe à peccatis obſeſſum, cuius gratia cuncta hæc facta fuerant: ideoq; humanam ipſe induit ſpeciem, ſpectabiliq; natura obduxit alteram quę uideri non poteſt. Tunc & ſpectabilem hanc immunem peccati conſeruauit, occultamq; illam in ſua puritate continuit. Neq; enim hæc paſſa eſt ullũ corporeę infirmitatis cõſortium, ſed ne aſſumpta quidem caro ullas peccati ſordes accepit. libro ſexto de prouidentia Dei. Item: Immolatio Iſaac erat umbra diſpenſationis pro nobis factæ. Pater ſiquidem filium dilectum obtulit pro mũdo: Iſaac enim typus erat diuinitatis, aries autẽ humanitatis. Tempus autẽ ipſum æquale, quia tres dies & tres noctes utrobiq;. Theodoretus quæſtione 72. in Geneſin. Item: Poculum paſsionis Chriſti eſt lętitia totius orbis. quæſtione 109 in Geneſin. Item: Quẽ admodum Moſe manus extendẽte, cecidit Amalech: ita cum Dominus manus extendit, diſſoluta eſt acies diaboli. quæſtione 34 in Exodum. Item: Quemadmodum in purificatiõe leproſi, uno paſſere mactato, alter illius ſanguine tinctus liberabatur: ita duobus hircis oblatis ꝓ peccatis populi, unus ſacrificabatur, alter emittebatur. Hęc nihilo minus Chriſti Domini typum gerunt, dum tamen hæc duo animalia non pro duabus perſonis accipiantur, ſed pro duabus naturis. Cum enim per unũ hircum adumbrari commodè non poſſet tam mortalitas quàm immortalitas Chriſti Domini (nam hircus mortalis eſt ſolùm) neceſſariò duo mandati ſunt, ut ille qui mactabatur, carnis paſsibilem naturam præfiguraret: qui uerò ſoluebatur, diuinitatis indicaret naturam impaſsibilem. quæſtione 22. in Leuiticum. Item: Sicut ſemel in anno pontifex ingrediens in ſancta ſanctorum, ſacrificiũ iſtud peragebat: ita Dominus Chriſtus ubi ſemel paſsionem ſalutarem pertulit, aſcẽdit in cœlum, æterna redemptione inuenta, ut perhibet diuinus Apoſtolus. ibidem. Item: Solus Dominus Chriſtus, etiam ut homo, macula caret. Eſaias proclamat: Qui peccatum nõ fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Vnde factũ eſt, ut aliena peccata aſſumeret, cum propria non haberet. Ille ſiquidem peccata noſtra tulit, & ꝓ nobis afflictus eſt. Et Iohãnes ille magnus: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mũdi. Propterea dicitur inter mortuos liber, tanquam mortẽ iniuſtè paſſus ſit. Quæſtione nona in Numeros. Item: Communicabant inter ſe regia tribus & ſacerdotalis, propterea quòd Chriſtus Dominus ſecundum humanitatem rex futurus erat, & pontifex. quæſtione 52 in Numeros. Item: Quemadmodum defuncto ſecundum hiſtoriam Moſe, IESVS populum introduxit in terrã promiſſam: ita finita lege IESVS noſter apparẽs, populo pio regnũ cœlorum aperuit. Finis enim legis Chriſtus, ad iuſticiam omni credenti. Theodoretus in præfatione quæſtionum in Ieſum filium Naue.

Sic & Iſychius docet: Chriſtus miſerans genus humanum, & mortem ſuſtinuit, & reſurrectionem à mortuis diſpẽſauit. libro primo in ſecundum caput Leuitici. Et: Chriſtus pro peccatis noſtris conuenienter ſacrificium obtulit, de quo Paulus Hebræis ſcribit capite nono: ſic & Chriſtus ſemel oblatus. libro primo in quartum caput Leuitici. Item: Nullo modo cõſilium ſacerdotum de tradendo

tradendo Christo Ioh.11 expleri potuisset, si non semetipsum ad passionem Dominus tradidisset, in tantum ut ipse diceret Petro Matthæi 26: Calicē quem dedit mihi pater, non bibam illum? Festinabat enim dispensare nostrorum peccatorum remissionem. libro primo in quartum Leuitici. Et: Non unum nobis tantum peccatum, sed multa ex unigeniti sacrificio sunt donata: id est, totius generis humani remissio, uita in philosophia perfecta, & singularis mysteriorum noui Testamenti introductio. libro secundo in octauum caput Leuitici. Item: Ipse Christus ad sanctificationem nostram, aspersione proprij sanguinis, uidelicet passionem suam pro nobis obtulit. libro secundo in octauum caput Leuitici. Item: Christi sacrificium cum unum sit, nō tantum nobis peccatorum præstat remissionem, sed & uitam perfectam in Philosophia, & consummatam efficit. libro secundo in nonum caput Leuitici.

Sedulius libro tertio inquit:

Infernas adit ille fores, adit iste supernas:
Ille profunda sequens, penetrauit claustra gehennæ:
Abstulit iste suis cœlorum regna rapinis.

Maximus ait: Christus autem Dominus redemptorq; noster, ut perditum infirmumque hominem reuocaret ad Deum, esuriem, lassitudinem, mœrorem, & omnia in se humani corporis infirma suscepit. Homilia quarta.

Primasius hac de re sic scribit: Ille autem se tradidit morti, cui nihil debebat, ut nos suo sanguine à morte redimeret. Non emit, quia per naturam ipsius fueramus: sed redemit, quia captiui tenebamur. in tertium caput ad Romanos. Et: Propitiatio & remissio peccatorū per sanguinem Christi est collata, in cuius typo etiam in ueteri Testamento pro peccatis populi uictimarum sanguis offerebatur. Primasius in tertium caput ad Romanos. Item: Ideo mortuus est, ut uitam mortuis redderet: ideo in ipso corpore, quo est crucifixus, apparuit, ut fidem atque iusticiam credentium confirmaret, cum in plenitudine promissionis fructum suæ credulitatis agnosceret. in quartum caput ad Romanos. Et: Qui emit, alienum émit: qui aūt redimit, id quod suū fuit propriè, & suū esse desiuit. Redemit ergo nos Christus de maledicto legis, quod peccantibus constitutum est. sicut dicit: Ecce peccatis uestris uenditi estis. in 2 caput ad Galatas. Et: Qui pro salute omnium nec mori recusauit. in secundum caput ad Philippenses. Item: Hæc ergo deleta sunt in cruce, dum dimittēdo peccata, etiam memoriam abolet delictorum. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictū. in secūdum caput ad Colossenses. Item: Christus itaq; resurgens à mortuis, præcurrit nos ad alitudinem cœlorum, factusq; est nobis præcursor, aperiendo nobis cœlum, & gaudia patriæ cœlestis reddendo. in sextum caput ad Hebræos. Et: Dominus noster IESVS Christus quid fecit? utiq; obtulit sacrificium non pro suis delictis, sed pro nostris: & semel hoc fecit, non amplius: quia semel mortuus pro peccatis nostris, & iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. in septimum caput ad Hebræos.

Thalassius prima Hecatōtade ait: Saluator tā animę quàm corporis est Christus, cuius uestigia sequi à malis reddit liberū. Itē: Sicut Adam in mortē incidit præuaricando, ita & Saluator obediendo mortem trucidauit. Hecatontade quarta. Theodulus ait: Ipse namq; nobis autor est gratiarūactionis, quā patri exhibem⁹: quippe qui natura nostra assumpta, proprio sanguine Deo patri nos reconcilauit. in primū caput ad Romanos. Et: Filius sanguinē suū effudit pro nobis. in 3 caput ad Rom. Itē: Non ob propria sua cōmissa mortē obijt, quandoquidē neq; hac ratione resurrexisset, perinde ac nemo ante hūc alius excitatus erat: uerùm ob nostra peccata mortuus est, ut nos ab illis liberaret, ut nos (inquit) iustificaret, atq; à peccatis liberos faceret. Non enim eā ob causam peccata nostra in se transtulit, mortis supplicīū pro nobis subiēs, ut nos obnoxios teneret morti, eiusq; debitores: enimuerò ut nos iustificaret, ac omnino inculpatos dimitteret. in quartum caput ad Romanos.

Claudianus inquit: Pontifex ille credo est, qui principaliter apud diuinitatē summę Trinitatis humani generis oblata sanctificat, peccata expiat. li. 1. de statu animę, cap. 3.

Eucherius ait: Secundus homo ad redemptionem hominum ueniens, dum uoluntatem se patris & non suā facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suā, sed patris uoluntatē facit, eos qui ad se ueniūt, nō eijcit foràs: quia dū exemplo suo nos obedientiæ subdit, uiā nobis egressionis claudit. Eucherius in primū librū Regū. Et: Offert Dauid holocausta & pacifica corā Domino: fidem deuotionemq; Ecclesiæ cōmendat patri Christus, qui est ad dextram Dei, qui etiā interpellat pro nobis, qui in exemplū Dauid fideles humilesq; benedicēs, salubris mysterij pascit alimētis, partitur singulis collixidā panis unā, illius utiq; qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. libro 2. in libros Regum. Et: Etenim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Idem: Ipse est pacificus ille, qui fecit utraq; unum: & medium parietem soluens, inimicitias in carne sua, legem quę

mandatorum decretis euacuans, ut duos conderet in se unum nouũ hominem, faciẽs pacem his qui longè, & pacem his qui propè. libro tertio in libros Regum. Item: Redemptor noster, quia ab alta excellentia gloriæ cœli usq; ad carnis humilitatem descendendo peruenit. Ibidem. Item: Dominus noster IESVS Christus soluit inimicitias inter Deum & hominem in carne sua. Ibidẽ. Item: Christus plus restituit in gratia, quàm perijt in natura: & de Adæ transgressoris genere prolem in adoptionem diuinæ paternitatis assumpsit, & de paradiso exhæredatos cœlo reddidit ciues. Ibidem. Item: Dominus IESVS uerus Dei filius est, ut in gremio patris uel dextera sit constitutus. libro quarto in libros Regum.

Iunilius ait: Christus ipse Dominus toto doctrinæ suæ remedio, actuumq; miraculis, nec non resurrectione atq; ascensione futuram uitam docuit, promisit, approbauit, indulsit. libro secundo, capite decimoquinto. Item: Sanguis fratris tui clamat ad me de terra. Passio Domini nostri Iesu Christi prædicitur, Apostolo teste in epistola ad Hebræos: Quia consperso sanguinis Christi plus potuit ad Dominũ clamare pro nobis, q̃ Abel sanguis clamauerat cõtra fratrẽ. li. 2. cap. 19.

Synesius inquit: Pretiosum animal homo est: pretiosum enim, si propter ipsum crucifixus est Christus. Synesius in epistola 57.

Paulinus ait in epistola 12. ad Seuerum:

Vt medium ualli pax nostra resoluit IESVS,
Et cruce dissidium perimens duo fecit in unum.

Item: Vnde & uetus homo, qui se consilio malesuadi serpentis addixit, uenundatus sub precio dicitur. Deinde quasi uenditus eguit redemptore, qui nos magno emit, ne iam aut diaboli aut nostri essemus, & à progenie uiperarum in genus regale & sacerdotale mutati efficeremur sanguis eius, qui nos ab originis primæ generosa institutione degeneres, & durante peccato uiles prius animas, precioso sanguinis sui commercio fecit, & cohæredes sibi ac filios Dei fieri non inuida pietate concesit. in secunda epistola ad Delphinum. Item: Hic ergo Dominus & Deus noster, qui in terris uisus est, & inter homines conuersatus est pro nobis, ouis & pastor in nobis est: quia nos inuisibili baculo & salutari uirga intus reget, ut etiãsi ambulemus in umbra mortis, non timeamus mala, quia nobiscum Deus est Emanuel ille Dominus Maiestatis, & filius ancillæ: quorum alterum natura, alterum * factus est. Idẽ creator hominis & redemptor Deus ex Deo, homo pro homine, filius Dei ante secula, filius hominis pro seculo, forma serui pro libertate seruorum: & pauper factus, ut pauperes sua egestate locupletet: quia ipse est diues in omnes omnis boni, & mediator hominũ & Dei, homo Christus IESVS. in epistola ad Florentium.

De beneficijs Christi idem hisce uersibus agit, de obitu Celsi pueri:

Immemores primos cœlestis imaginis ortus,
Quam reuocat miserans ad sua regna pater.
Cuius amore meos suscepit filius artus,
Virgine conceptus, uirgine natus homo.
Cuncta gerens, hominem, cunctos & corpore in uno
Cunctorum Dominus suscipiens famulos.
Factus enim serui forma est, qui summus agebat,
Forma Dei regnans cum patre rege Deus.
Suscepit formam serui, culpamq; peremit,
Qua pœnæ & mortis quondam homo seruus erat.
Et libertati famulum sub imagine serui,
Nostra caro effectus restituit Dominus:
Vt mihi per Christum cœlestis imago rediret,
Qui cruce terrenum se spoliauit Adam.
Carnem igitur mortemq; meam meus ille creator
Pertulit, & carum morte redemit opus.
Multa mihi dederat prius & promissa salutis,
Et præcepta, quibus per bona dirigerer.
Sed quia nec legis posito medicamine primi
Inueterata patris uulnera dilueram:
Et neq; præmissis diuino ex ore prophetis,
Expectare Dei munera credideram:
Et genus humanum passim sine lege fideli
Desperata salus merserat in tenebras:
Regnabatq; simul peccatum in corpore nostro,
Mors in peccatis, hostis in interitu.
Captiuumq; hominem tristis metus & miser error
Altius in mortem præcipitare dabant.
Interea pater ipse polo miseratus ab alto
Errantum lapsus pestiferos hominum,
Serpentemq; truci dominantem in morte cadentum
Non tulit, & natum misit ad omne bonum.
Paruit ille libens Deus omnia cum patre concors,
Communem curans rem pietate pari.
Aduenit & fit homo, & mistum perfectus utroq;
Ostendit fragili carnis inesse Deum.
Vtitur officijs hominis, sed & intus operti
Signa Dei medicis exerit imperijs.
Voce hominis diuina docet, mortalia uerè
Extra peccatum corporeus peragit.
Quippe sui rem tantum operis sibi reddere curans,
Naturam uenit sumere, non uitium.
Namq; bonum natura hominem bonus ad bona fecit,
Mente sua lapsus se uitiauit homo.
Quare opifex hominum mortali in corpore uenit,
Non & mortali crimine factus homo.
Nam neq; deleret culpas, nisi liber ab illis:
Nec laxare reos posset, & ipse reus.
Nec peccatori mors cederet, utpote uinctum
Peccati uinclis legitimè retinens.
Iurè igitur cesit rumpenti tartara Christo,
In quo quod posset nectere non habuit.
Ipsaq; iudicij iniusti rea facta uicissim,
Per scelus occiso iure subacta homini est.
Palluit inuidia serpens inferna reducto

Clauſtra homini, uerſa lege, recluſa uidens:
Inq; uicem uincta mortalem morte reſolui,
Excuſſumq; ſua ſurgere corpus humo.
Inſuper & cœlos rediuiuum ſcandere cernens,
Dente truci fruſtra liuidus infremuit.
Et modò tabeſcit, cum crebreſcente piorum
Agmine, per Chriſtum perditor ipſe perit.
Ergo mei uitioſa animi ſanauit, & ægra
Corporis excepit, matre homo, patre Deus.
Imbecilla quidem, ſed naturalia carnis
Geſſit, & affectus corporis exhibuit.
Senſibus humanis comedit, bibit, & ſua ſomno
Lumina declinat, laſſat eundo uiam.
Tanquam homo defuncto lachrymas impendit amico
Quem mox ipſe Deus ſuſcitat è tumulo.
Nautigio uectatur, & ut Deus imperat auſtris,
Et uirtute Dei permeat æquor homo.
Mente hominis trepidat uicinæ mortis ad horam,
Mente Dei nouit tempus adeſſe necis.
In cruce fixus homo eſt, Deus è cruce terruit orbem:
Mortem homo, uerum mors ipſa Deum patitur.
In cruce pendet homo, Deus è cruce crimina donat,
Et moriens uitam criminis interimit.
Proq; reis habitus, peiorq; latrone putatus,
Quem Iudæa pio præpoſuit Domino.
Credenti donat regnum cœleſte latroni:
Clauſus adhuc terris iam paradiſum aperit.
Nos igitur firmare animos, attollere mentem,
Ignauosq; decet trudere corde metus.
Pro quibus ecce animam poſuit ſimul, atq; reſumpſit,
Filius ille Dei, quo ſata cuncta Deo.
De noſtra uictor Deus egit, morte triumphum,
Et noſtrum ſecum corpus in aſtra tulit.
Non ſat habens, quòd pro nobis mortalia cuncta
Hauſit, ut auferret uulnera noſtra ſuis.
Sed ne me dubiæ ſuſpenderet anxia mentis
Cura, reſurrexit corpore, quo cecidit.
Clara fides oculis patuit mortalibus, ipſe
Poſt obitum uiſus, qualis & antè fuit.
Nam ſe diſcipulis dubitantibus obtulit ultrò,
Rimandumq; oculis præbuit, & manibus.
Nec ſine mente Dei dubitauit Apoſtolus olim,
Viuere poſt mortem nullus ut ambigeret.
Firmauit dubitando fidem, dum comminus anceps
Arguitur Thomas, omnis homo inſtruitur.
Cernere quod Thomas coràm, & palpare iubetur,
Conſtanter ſtabili credere diſcò fide:
Mortem hominum Chriſti crucifixi morte ſubactam,
Spemq; reſurgendi corporibus poſitam.
Corporibus noſtris, quia Chriſtus uictor in iſta
Carne reſurrexit, quam gero, qua morior.
Meq; docet, pro me dubitantibus ingerit artus,
Et ſolidam carnem ſtructa per oſſa probat.
Inſuper & lateris manuum quoq; uulnera monſtrat,
Et dubium digitos ijs iubet inſerere.
Cerne, inquit, latus ecce meum, palmasq; pedesq;,
Ecce crucis clauos, cuſpidis ecce uiam.
Ecce ipſam toto compagem corpore uiuam,
Stare patet neruis, oſſibus, ore, cute.
Ergo tenete fidem quam cernitis, inſuper & quam
Tangitis, & dubios pellite corde animos.
Et teſtes tantæ cunctis eſtote ſalutis,
Cunctorumq; hominum ſoluite corda metu.
Omnibus intereat mortis timor, & ſimul omnes
Iſta reſurgendi ſpes animet populos.
Credentum tamen iſta ſalus, qui corde fideli
Suſcipient, quæ uos lumine conſpicitis.
Nam poſtquam uicta geſſit de morte triumphum,
Mors ſuperata abijt, ſtat rediuiua ſalus.
Vitam ex morte dedi, mortem moriendo ſubegi,
Et genus humanum ſanguine reſtitui.
Peccatum carnis ſuperans in carne peremi,
Materiam culpæ, iuſticiam peperi.
Corpore mors cecidit, ſurrexit corpore uita:
Qua prius occiderat, carne reuixit homo.
Et nunc ecce meo rediuiuum in corpore portans
Præſtro uictorem mortis & anguis Adam.
Quæ rogo ſufficient nobis ſolatia: uel quæ
Sanabit feſſos iam requies animos?
Si nec tanta poteſt ægris medicina mederi,
Quæ uitas obita morte redire docet?
Mœror abi, diſcede pauor, fuge culpa: ruit mors,
Vita reſurrexit, Chriſtus in aſtra uocat.
Morte mea functus, mihi mortuus, & mihi uictor,
Vt mors peccati ſit mihi uita Dei.
Deniq; ſeruatum iam de cruce duxit aperto
Limite latronem, qua paradiſus adeſt.
Muncre quo ſignum dedit & peccata piare,
Et nemoris uetiti uincere ſepta fide. Item:
Fas etenim ut Iudæa, cui ſuus hoſtia Chriſtus
Non erat, & per quam uictima Chriſtus erat,
Sede locoq; ſimul ueterum uiduata ſacrorum,
Inficiata fidem perderet omne ſacrum.
Finis enim legis Chriſtus, quia lege fideli
Prædictus, legi lex ueniendo fuit.
Præſcribens ueteri fidei legemq; modumq;,
Legem perfectam gentibus inſtituens.
Vnde magiſter ait: Vetera effluxêre peractis
Temporibus, ſubeunt omnia ubiq; noua.
Iamq; reuelata facie ſpeculamur apertum
In Chriſto propriæ lucis honore Deum.
Et puto, quòd ſciſſi in templo myſteria ueli,
Id quoq; ſignarint gratia quod tribuit.
Nam ueluti rupto patuêre ſacraria uelo,
Sic reſerat nobis legis operta fides.
Inde ſub antiquo legitur uelamine Moſes,
Iudæis nebula cordis opertus adhuc:
Quam de luminibus mentis mihi creditus auferi
Chriſtus, adumbratas diſcutiens ſpecies:
Seq; docet priſca uelatum legis in umbra,
Iamq; reuelatum corporis in facie.
Qualem præmiſſi cecinerunt adfore uates,
Qualis Apoſtolicis coram oculis patuit:
Qualem & Iudæi non perſpexêre uidentes,
Mentibus obtuſis impietate ſua:
Et qualem quamuis non uiſum in corpore nobis,
Credendo interno lumine conſpicimus.
Nam quòd ueridici ſeſe uidiſſe magiſtri
Et palpaſſe docent, tango fide, & uideo?
Et cunctis credendo patet cognoſcere Chriſtum,

Impia cæcantem pectora perfidia.
Fundentemq; suam per corda fidelia lucem,
Vt placitas habitet clarificetq; animas.

Item: Mortem ipsam moriendo destruxit, soluens inimicitias in carne sua, & faciens utrumq; unum: id est, hominem & Deum, quem in seipso connexuit Deus & homo Christus Iesus. Paulinus epistola quarta.

¶Quòd sit sacerdos, docet Isychius: Christus sacerdotij suscipiens dignitatem, uel potius cum semper habuerit, tunc opere explens, etiam hoc quod pro nobis erat, sacrificium consummauit. libro primo in quartũ caput Leuitici. Item: Christus cum Deus sit, propter dispẽsationem actorum pro nobis mysteriorum etiam sacerdos effectus est. Rectè ergo hic magnus sacerdos, utpote qui semetipsum p nobis hostiam & oblationẽ obtulit, appellatur. Libro sexto in 21. Leuitici. Primasius inquit: Christus secreta regni cœlorum penetrans, orat assiduè pro salute fideliũ suorum. in 6. caput ad Hebræos.

De passione Christi inquit Leo: Vnde nunc dilectissimi in toto ordine Dominicę passionis nõ ita firmitatem consideremus humanam, ut arbitremur illic potentiam defuisse diuinam: neq; illam ita coæternam & æqualem patri formã unigeniti cogitemus, ut putemus non fuisse uera, quæ Deo uidentur indigna. Prorsus utraq; natura unꝰ Christus: nec uerbum ibi ab homine diſiũctum, nec homo est dissociatus à uerbo. Non est fastidita humilitas, quia nec immutata Maiestas: nihil nocuit naturę inuiolabili, quod passibili oportebat inferri: totumq; & illud sacramentum, quod simul & humanitas cõsummauit, & deitas, dispensatio fuit misericordiæ, & actio pietatis. Leo sermone 1. de passione Domini. Item, sermone decimoseptimo: Deus meus quare me dereliquisti? Hæc uerba, inquit, non sunt accipienda tanquam fixo IESV in crucis ligno, paternę ab eo Deitatis omnipotẽtia recessisset, cum in tantã unitatem Dei & hominis natura conuenerit, ut nec supplicio potẽrit dirimi, nec morte disiungi. Manente enim in sua proprietate utraq; substantia, nec Deus reliquit sui corporis passionem, nec Deũ fecit caro passibilem: quia diuinitas quæ erat in dolente, non erat in dolore. Vnde secundum Verbi hominisque personam, idem est qui factus est inter omnia, & per quẽ facta sunt omnia. Idem est qui impiorũ manibus comprehenditur, & qui nullo fine concluditur. Idem est qui clauis configitur, & qui nullo dolore sauciatur. Idẽ postremò est qui mortem subijt, & sempiternus esse non desijt: ut utrumque signis non dubijs manifestetur, quòd uera sit in Christo humilitas, & uera maiestas. Quia ideo se humanæ infirmitati uirtus diuina conseruit, ut dum Deus sua facit esse quæ nostra sunt, nostra faceret esse quæ sua sunt. Non ergo aberat à patre filius, nec à filio pater: & illa Dei incommutabilis & inseparabilis Trinitas nihil sui poterat à se habere discretum. Quamuis enim susceptæ incarnationis dispensatio ad unigenitũ Dei filium propriè pertineret, sic tamen pater non abiungebatur à filio, quemadmodũ caro non diuidebatur à uerbo.

Isychius ait: Corpus Christi omne peccatum susscepit, etiã illud quod uidebatur impossibile posse saluari. in quintum caput Leuitici. Item: Christi sacrificiũ humani generis salutem præstitit: & hac Deo, utpote creatori naturæ, nihil est suauius. in 6. cap. Leuitici. Et: Is qui ex muliere natus est, passus est: qui autem descendit de cœlo, passus nõ est. in sextum caput Leuitici. Item: Christi sacrificium & mortuorũ resurrectionem, & diaboli cõdemnationem, maledicti liberationẽ, paradisi restitutionem præstitit. in septimum caput Leuitici. Item: Christus ipse propter peccata nostra & delicta, hostia in holocaustum fuit. libro 4. in 15 caput Leuitici. Et: In cruce Christi nostrorum peccatorum peracta est uenia. libro quinto in 16. caput Leuitici. Et: Ad propitiationẽ nostrã, simulq; illuminationẽ, passio salutaris peracta est: unde ipsa passio dicitur propitiatorium. Christus secundũ quod incarnatus est, de cõmuni massa hominum factus est. ibidẽ. Item: Christus caput suum non discooperuit, quia à patre suo, qui eius caput appellatur, nec passiones carnis sustinẽs separatur. Sed nec uestimenta concidit, id est carnis. Ex quo enim uerbũ caro factum est, in est totus suæ carni, & nunquã ab ea, nec à crucifixa, nec à sepulta, nec aliud quodlibet passa, quod ad naturã nostrã pertiner, se abscidit. lib. 6. in 21. caput Leuitici. Et Christus qui pro nobis passus est, à peccato nos & seruitute eius liberauit. lib. 6. in 23. cap. Leu. Et: Propitiationẽ nostram per crucẽ atq; passionẽ Christus peregit. lib. 7. in 25. cap. Leui.

Sedulius: Ad tempus enim mortuus est, qa tertio die resurrexit à mortuis. Apud homines mori uisus est, cũ apud inferos uiuus inferni claustra confringeret potestate uirtutis suæ. in quintum caput ad Romanos. Et: Si per mortem Christi saluati sumus Deo, quanto magis in eius uita glorificabimur, si eum fuerimus imitati? Qui si, ut reconciliaret nos sibi Deus, filium morti tradidit: quanto magis reconciliatos saluos faciet in uita ipsius, cũ resurrexit à mortuis? in quintum caput ad Romanos. Et: Tradens corpus Saluator, mortem uicit, & peccatũ damnauit: id est, diabolũ. in ipso enim peccauit diabolus, cũ illũ innocentẽ occidit per cor-

pus

pus Christi, in quo corpore iniquitates nostras tulit, & peccata nostra portauit; & qui exuit principatus & potestates, triumphans eos in semetipso. in septimum caput ad Romanos. Et: Non pro uno, sed pro utroque sexu Christus passus est. Sedulius in undecimum caput ad Corinthios. Et: Quod crucifixus est, nostræ infirmitatis est: & quod uiuit, suæ uirtutis est. in decimumtertium caput posterioris ad Corinthios.

Maximus inquit: Christus pepedit in cruce, ut omne genus hominũ de mundi naufragio liberaret. in homilia 1. de passione & cruce Domini. Item: Resurrectio Christi defunctis est uita, peccatoribus uenia, sanctis est gloria. homilia secunda de cruce Domini. Item: Resurgente igitur Christo, omnia necessariò cum eo sua uiscera surrexerunt. homilia secunda de cruce. Et: Ita ergo & homo IESVS Christus passione sua diabolum superans, resurrectione sua inferna reserans, tanquam perfecto opere ad cœlos uictor adueniens, audit à Deo patre: Sede ad dextram meam. homilia prima sanctæ Pentecostes. Et: Christi resurrectio cunctorum est redemptio populorũ. Maximus homilia secunda de Pentecoste.

Primasius ait: Non solùm nobis uita datur Christi, in illa resurrectionis immutatione, sed & gloria: sicut dicit Iohannes apostolus. in quintũ caput ad Romanos. Et: Propter nos Christ⁹ crucifixus, mortuus & sepultus est, & resurrexit. ibidem. Et: Ille nos tantũ dilexit, ut etiã moreretur pro nobis. in octauũ cap. ad Rom. Et: Resurrectio Christi est redemptio corporis nostri. Et: Christus nihil propter se aut fecit aut passus est, sed propter omnium salutem. in undecimum caput ad Romanos. Et: Solus inuẽtus est, qui ut immaculata hostia pro omnibus moreretur, pro eis qui erãt mortui in peccatis. in quintum caput secundę ad Corinthios. Item: Christus in se uitam habuit insolubilẽ: quia quamuis ad tẽpus mortuus esset carne, tamen in ęternũ diuinitate uiuit, & insuper humanitate, postquam uictor à mortuis surrexit. in septimũ cap. ad Hebræ.

Eugenius: Vnde gratias agimus Domino nostro IESV Christo, qui propter nostram salutem descendit, sua passione nos redemit, sua morte uiuificauit. Qui sedens ad dextram patris, uenturus est iudicare uiuos & mortuos, iustis æternę uitæ præmium largiturus, impijs atq; incredulis merita supplicia redditurus. Salonius ait: Dominus IESVS Christus, qui dedit precium sanguinis sui, & redemit Ecclesiam.

Theodulus inquit: Obedientia Christi in omnes homines allegauit uitam & resurrectionem. in quintum caput ad Rom. Et: Christus morte sua non solùm Adami peccatum deleuit, uerùm omnia omnium aliorũ hominum delicta alia, quæ post illius peccatum commiserunt. in 5. cap. ad Romanos. Itẽ: Vnius IESV Christi uita, dono & uirtute omne mortaliũ genus seruari multipliciter comprobatur. ibidem. Item: Corpus Christi Domini nostri tumulatum, adeoq; in terram sepultũ, salutem mundo protulit. in 6. cap. ad Rom. Item: Similitudo erat mortis, Christi mors, eo quòd nõ permaneret ipse in morte, sed tertio die reuiuisceret, resurgeretque. Ac rursum similitudo mortis erat, passio & crux in Christo, idq; decẽter apprimè. reuixit enim, neq; quicquam mortuum remansit. in sextum cap. ad Rom. Et: Condemnatus est in carne peccati stimulus, occisusq; est in primo Christo. Transijt autẽ ab ipso, & per ipsum, in nos gratia. ibidem. Et: Eius te rei certissimum esse oportet, nempe Christum ultrà non moriturum: eam enim ob causam etiam mortuus est, ut mortem destrueret, eamq; exarmaret. ibidẽ. Et: Christi morte credẽtes mortui sunt legi, & ab ea liberati. in 7. cap. ad Rom. Itẽ: Hæc Christus fecit, ut scopus legis (hęc enim iustificatio est) impleatur in nobis. Christus nobis uictoriam & coronam impertijt. in 8. caput ad Rom. Itẽ: Excitatus est Dominus noster IESVS Christus à patre, qui operatus est circa carnem ipsius uitam, p Spiritum sanctũ, qui ad eum etiam pertinet. proinde etiamsi dicatur esse excitatus à patre, ipse tamen etiam per sese resurrexit per Spiritum Sanctũ. Omnia namq; operatur diuina Christus per Patrem & Spiritũ paracletum: quare & nostra Christus opera excitabit. ibidem. Item: Christ⁹ uitæ mortisq; solus potestatẽ habet. Si tanta erga nos usus est prouidentia, ut & crucifigeretur, haud iam nos despiciet. in decimumquartum ad Romanos. Item: Christus potuisset alienus esse à conuicijs & opprobrio Iudæorum, neq; pati quæ pertulit, si priuatum commodum spectasset: sed nostram utilitatem quærens, propriam sanè posthabuit, & iniuria est affectus, malamq; apud non parum multos gratiam retulit. in caput decimumquintũ ad Romanos. Et: Christus in hunc mundũ ueniens patri suo cooperatus est, ut promissiones Abrahamo factæ ad finem perducerẽtur, legem uniuersam implens. Item: Christus minister circumcisionis dissoluit maledictionem, placauitq; iram Dei. in 15. cap. ad Romanos.

Eucherius ait: Quæ est uia quæ ducit ad puteum uiuentis & uidentis, nisi humilitas passionis unigeniti? per quam nobis apertum est hoc, quod prius latenter Scripturæ sacræ fluenta loquebantur. Nisi enim unigenitus Dei filius incarnatus, tentatus, ap-

prehensus,colaphis cęsus, sputis illusus,crucifixus ac mortuus fuisset: nobis huius putei, id est Scripturæ sacræ profunditas non pateret. Quid ergo fidelibus humilitas passionis eius facta est, nisi clauis apertionis, p quam mysteriorum Dei puteũ inuenimus, ut aquam scientiæ de profundo biberemus? Incarnationem quippe, passionem,mortẽ, resurrectionem atq; ascensionem illius sacri eloquij paginæ testantur. Eucherius in Geneseos caput quadragesimum. Et: Dominus IESVS humilis & paruus,ac puer in mũdo existere uoluit,qui nos à peccato mundaret.libro quarto in libros Regum. Et:Redemptor noster quia non distulit, mortem superauit, eamq́ue resurgendo consumpsit, & resurrectionis suæ gloriam ascendendo declarauit. ibidem. Item: Christus plus restituit in gratia, quàm perijt in natura: & de Adæ transgressoris genere prolem in adoptionem paternitatis diuinæ assumpsit, & de paradiso exhæredatos cœlo reddidit ciues.libro tertio in libros Regum.

Vigilius ait: Christus passus est in unione personæ, non est passus in proprietate naturæ.& hoc multis testimoniorum sacrorum rationibus dilucidè probat Vigilius contra Eutychen libro secundo. Item,quòd Christi passio ad carnẽ & naturam pertineat, & ad uerbum secũdum personam, quia & uerbi & carnis una eademq́ue est persona.Et ut hoc manifestius appareat,dicit constare,Dominum nostrum IESVM Christum sexta feria crucifixum, & ipsa die ad infernum descendisse,ipsa die in sepulchris iacuisse: ipsa die latroni dixisse,Hodie mecum eris in paradiso. Caro igitur ipso die non fuit in paradiso,nec in inferno,sed exanimis iacuit in sepulchro:anima per illud triduum in inferno, nõ in sepulchro:& iure tamen dicemus, Dominum IESVM Christum in sepulchro iacuisse, sed in sola carne derelictum Christum, non in inferno,sed in sola anima.Vigilius libro 2.contra Eutychen.

Paulinus inquit: Ab initio seculorũ Christus in omnibus suis patietur. Ipse enim est initium & finis,qui in lege uelatur,in Euangelio reuelatur, mirabilis semper & patiens & triumphans in sanctis suis Dominus.in prima epistola ad Aprum.

¶ Christi beneficiũ esse uniuersale, docet Prosper inquiens:Christus mortuus resurrexit,& uniuersum mũdũ claritatis suę manifestatione impleuit.in expositione Psal.103.

Quòd Christus uerè descenderit in infernum,docet hisce uerbis Chrysostomus:Apparauit ei (scilicet Mariæ) Saluator rediẽs ab infernis uictor,de diabolo triumphator. Sermone secundo de resurrectione. Augustinus libro primo de Genesi, capite 34.: Et Christi quidem animam uenisse usque ad ea loca in quibus peccatores cruciãtur, ut eos solueret à tormentis, quos esse soluendos occulta nobis sua iusticia iudicabat, non imeritò creditur. Quomodo enim aliter accipiendum sit,quod dictum est (Quem Deus suscitauit ex mortuis, solutis doloribus inferorum,quia non poterat teneri ab eis:)nõ uideo, nisi ut quorundam dolores apud inferos eum soluisse accipamus, ea potestate qua Dominus est, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium & inferorum: per quam potestatem etiã illis doloribus, quos soluit, nõ potuit teneri, &c. Item contra Felicianum Arianum cap. decimo: Scio ad inferos Deitatem descendisse, proprietate carnis:scio ad cœlum ascendisse carnem, merito deitatis.Non est Dei proprium,quòd fames sensit:sed Dei proprium est, quòd panibus tot millia hominum satiauit. Cyrillus animam Christi in infernum descendisse,& ibi spiritibus apparuisse dicit,in libro de Recta fide ad Theod. Leo inquit: In eo uerò quod extrema familiaris epistolæ tuę parte posuisti,miror cuiusquam intelligentiam laborare:tanquam incertum sit, an descendente ad inferna Christo, caro eius requieuerit in sepulchro:quæ sicut uerè & mortua est & sepulta,ita uerè est die tertia resuscitata.Hoc enim & ipse Dominꝰ denunciauerat,dicens ad Iudæos: Soluite templum hoc, &c. Vbi Euangelista subiungit: Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Cuius rei ueritatem etiam Dauid propheta prædixerat: Non relinques animam, &c. Quibus utiq; uerbis manifestum est, quòd caro Domini & uerè sepulta requieuit, & corruptionẽ non subijt, quia celeriter uiuificata,reditu animæ resurrexit.Epistola 13. ad Turbiũ Asturicensem episcopum, capite 17. Sedulius inquit: Christum uerò idcirco in infernum descendisse, non solùm ut ipse nõ teneretur à morte, sed eos qui ibi non tam præuaricationis crimine, quàm moriendi ditione habebantur absolueret.in quintum caput ad Romanos.

Primasius ait: Qui descendit cum animæ in infernum, ipse cum anima & corpore ascẽdit ad cœlos,ut impleret omnia quæ scripta sunt.in quartum caput ad Ephesios.

Claudianus inquit: Atque ita fidei nostrę ratio periclitabitur, si nec redemptoris anima inferos adeundo, redeundoq́; reseruauit. libro tertio de Statu animæ.

Eucherius ait:Christus expoliatus carne humana,descendit in infernum.in Genesin.

¶ De ascensionis fructu inquit Isychius: Christus cum carne ascendens, & nostram in eo captiuitatem subleuauit, simul nos suscitans, & sedere faciens in dextera in cœle-

cœlestibus.lib. quinto in 16 caput Leuitici.

Chrysostomus in 1 Corinth.2, Homilia sexta inquit: Semper nobiscũ est Christus. neq; enim, nisi nobiscum esset Christus, superesset Ecclesia. Item, asserere uidetur Chrysost. Christum etiam secundũ hominem ubique esse. sic enim inquit, ubi de resurrectione eiº loquitur: Vltra cœlos est, ultra terrã est, ubicunq; uoluerit est, ubicunq; est totus est: ubicunq; est, & ubicunq; fueris tu ipse qui illũ quæris, in ipso es quẽ quæris. Audi ergo quid dicit angelus ad mulieres: Quid quæritis uiuentem cum mortuis? Quid quęritis Dominum in sepulchro? Homilia de Iohanne baptista,

Duo sunt Christi aduentus, & præteritus & futurus, sed non ijsdem de causis. Sed prętеritus non ut iudicaret, sed ut dimitteret: futurus contrà, non ut dimitteret, sed iudicaret. Chrysostomus Homilia 27. in tertium caput Ioannis.

A` seipso nihil facere se, dicit Christus: ut neq; gloriam, neq; principatum desiderare credatur. propterea etiã humiliter loquitur. Sunt & aliæ causæ, ne ingenitus, ne Deo cõtrarius, ne carnẽ nostrã nõ accepisse putaretur, ut auditorũ imbecillitati cõsuleret: ut deniq; eos modestiã seruare, & minimè se iactãdo extollere doceret. Se uerò efferẽdi una dũtaxat causa inueniri potest, naturę prę-stantia. Chrysost. Homilia 48.

Christũ mittere spiritũ sanctũ, testatur Eucherius, inquiens: Ad quod ministeriũ ęquè pertinet, quòd resurgẽs à mortuis Domiº, atq; ad cœlos ascendẽs, huic numero uirorũ Spiritũ sanctũ in linguis igneis misit, qui eos diuersitate linguarũ ad inuicẽ cognitione loquelarũ cõmunem in laudẽ fecit habere sermonẽ. lib. 3. Cõmẽtariorũ in libros Regum.

Maximus inquit: Quòd sedet Christus, uictoris munus est: quòd ad dexterã patris sedet, diuinitatis est priuilegium, & indiscretæ consortium charitatis. in Homilia de diuersis. Theodulus inquit: Christus cũ sit in gloria patris, non destitit à dilectione erga nos, uerùm apud patrẽ pro nobis interce dit. Ne uerò per intercessionẽ diminutionẽ quandã intelligas, primùm parẽ adeòq; æquã dignitatẽ posuit, nimirũ quòd sit ad dextram patris. in octauum caput ad Romanos.

Quæritur, cum Christus post resurrectionem habuerit corpus illuminatum & incorruptibile, quomodo retinere potuerit signa clauorũ? Hoc promisionis fuit. Corpus enim tam tenue & leue, ut clausis ianuis ingrederetur, omni crassitudine carebat: sed ut resurrectio crederetur, talẽ se exhibuit, ut ipsum crucifixum fuisse, & neminẽ aliũ pro eo resurrexisse intelligas. propterea cum signis crucis resurrexit, & manducauit. Post resurrectionẽ igitur, uidẽtes signa clauorũ habuisse, nõ propterea corpus corruptibile dicemus, sed propter discipulos hæc ita ostẽsa sunt. Chrysost. Hom. 86. in uigesimũ cap. Ioannis. De resurrectione sermone tertio inquit: Surrexit de suo funere caro noua, rediuiua phœnicis, quã ultimus sol & cinname coxerant pietatis. Et paulo pòst, de descensu, & quibus uerbis captiuos in inferno allocutus fuerit.

Quomodo filius sit minor patre, explicat Leo, inquiens: Hac misione, inquit, qua Deus unitus est homini, filiº impar est patri, nõ in eo quòd ex patre, sed in eo quòd est factus ex homine. Aequalitatem enim inuiolabilem, quam habet Deitas, non corrumpit humanitas: & creatoris ad creaturam descensio, credentium est ad ęterna prouectio. Sermone quinto.

DE SPIRITV SANCTO.

DE uocabulo sic scribit Iunilius: Spiritus sancti persona significatur principaliter uno modo, ut legitur: Ite, baptisate oẽs gentes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Cõsequẽter uerò & gratia quã ipse largitur, quæ & ipsa similiter sanctus spiritus dicitur: ut est, Spiritus sanctus supueniet in te: &, Accipite Spiritũ sanctũ. Similiter & ex his quibº diuina significatur essentia, uel operatio, uel ad creaturas collatio, sicut & de filio diximus. Sed & patris, filijq; persona, spiritum sanctum significat consequenter: quia quicquid horum dicamus, etiam personam sancti spiritus aut cooperatricem aut consubstantialem intelligimus cõsequenter. libro primo, capite decimoseptimo.

Nomen Paracleti, Spiritus sancti potissimùm est demonstratiuum: non tamen, ubicunq; reperitur, de spiritu potest semper intelligi. Chrysost. in primum caput Iohannis Hom. quarta. Primasius inquit: Propter septenariã operationẽ spiritus sancti, septiformis spiritus dicitur: id est, sapiẽtię & intellectus, cõsilij & fortitudinis, sciẽtię & pietatis, & timoris Dei. Vniº enim spiritº dona legaliter cõmẽdãtur, quãdo à septẽ spiritib. pax & gratia deuotis aptatur. in Apocalypsin lib. 1.

Item: Spiritus sancti gratiam nunc ignem, nunc aquam Scriptura appellat, ut non substantiæ, sed & operationis has intelligẽtias esse demõstret. Nõ enim Spiritus ex differẽtib. constat substãtijs, cũ inuisibilis & unius generis sit. & Ioannes quidẽ dicit: Ipse uos baptisabit in Spiritu sancto, & igni. Christus autem. Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuę: hoc autem dixit de Spiritu sancto, quẽ erant accepturi. itidem & nunc spiritum appellat: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, nõ sitiet in æternum. Ita spiritum ignem appellat, ut excitamentum & feruorẽ gratię

& peccatorum absumptionem significet: aquam aũt, ut ablutionem & refrigeriũ, quibus ipsum accipientes animi fruuntur. Etenim tanquam hortũ uirentem, fructiferis & semper florentib. arboribus comantẽ, ita promptam animam disponit, ut nulla anxietate, nullis satanæ insidijs distrahi sinat, sed omnia ardẽtia malitię tela extinguat. Chrysostomus Homilia 31. in quartũ caput Ioannis. Item: Ignis igitur spiritus sanctus, eo quòd repurgat materiam peccati, sicut ignis qui spinas & tribulos peccatorum repurget, & qui sedentes in tenebris errorum illustret. Sermone de Spiritu sancto.

¶ Spiritum sanctum esse diuinam personam, docet Chrysostomus his uerbis: Non potest, inquit, esse, ut præsente spiritu non adsit simul & Christus. Vbicunq; siquidem adfuerit una Trinitatis hypostasis, illic & spiritus adest. Inseparabiliter quippe sibi ipsi cohæret ipsa Trinitas, atque exactissimè unita est. in octauũ caput ad Romanos. Et Hom. de Spiritu sancto inquit: Vna natura filij est, & spiritus, una uirtus. Item: Spiritus sanctus sine mensura & integram habet operationẽ: quòd si operationem eius nemo metiri potest, longè minus substantiã. Est igitur spiritꝰ sanctus infinitus. Homilia 29 in tertiũ caput Ioannis. Item: Rogabo patrẽ, & aliũ paracletũ dabit uobis. dicendo Alium, personæ differentiam: dicendo Paracletum, substantiæ cognationem Christus demonstrat. Homilia 74 in decimumquartum caput Ioãnis. Augustinus ad Pascentium epistola 174. Neque enim, Spiritus sanctus, si aut Deus, aut uerus Deus non esset, templum eius essent corpora nostra: Nescitis. inquit, quia corpora uestra templum est Spiritus sancti qui in uobis est, quem habetis à Deo? Et ne quisquam ipsum spiritum negaret Deum, continuò secutus ait: Et non estis uestri iuris, empti enim estis precio magno. Item lib. tertio contra Maximinum: Nescitis quia corpus uestrum templum in uobis spiritus sancti est? quem habetis à Deo, & non estis uestri iuris: empti enim estis precio magno. cõtinuò secutus adiunxit: Glorificaret ego Deum in corpore uestro. Vbi dilucidè ostendit Deum esse spiritum sanctum, glorificandum scilicet in corpore nostro tãquam in templo suo. Et quod Ananiæ dixit apostolus Petrus: Ausus es mentiri spiritui sancto? Atq; ostendens Deum esse spiritum sanctum: Non es, inquit, hominibus mentitus, sed Deo.

Cyrillus: Spiritus sanctus nobis datus, conformes nos Deo efficit: & quoniam ex patre per filium procedit, patet quòd diuinæ substantiæ est, in ipsa substantialiter, & ex ipsa prodiens: sicut & spiritus qui prodit ex humano ore, quamuis parua & indigna similitudo uideatur. Omnia enim Deus excedit. libro 13. Thesauri, capite tertio. Item libro septimo Dialogorum: Dictum autem ubi, & à quo dic, quòd cum creaturis ille eiusdem generis cum patre & filio coordinatus sit, & connumeratus, & in fidem unius & summæ Deitatis coniunctus. An non sic docere iussit sanctos Apostolos Saluator? Eũntes enim, inquit, docete omnes gentes, baptisantes illos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Igitur & beatus Paulꝰ rogabat à qubusdã qui crediderãt: Num spiritum sanctum credendo accepistis? Negantibus aũt hoc illis, & dicentibus manifestè (Sed neq; an spiritus sanctus sit audiuimus) increpabat eos, dicens: Ad quid igitur baptizati estis? non bene habere sciens fidem, neq; etiam unquam rectè posse habere, si nõ exigatur, perfectã in Deũ patrẽ & filium & spiritum sanctum confessionem proferre. ita scilicet tradiderunt ij qui ab initio spectatores fuere facti, & ministri uerbi. ita nos erudierunt patres, sapienterq; agnoscitur scriptum: Ne tranferas terminos æternos, quos posuerũt patres tui: Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, iuxta scripturas. Baptisati enim sumus in unam Deitatẽ, ac Dominationẽ unã patris & filij & spiritus sancti: nõ ut multos deos numeremus, neq; etiã ut creaturæ seruiamus: alioquin impleretur in nobis prouerbiũ, Canis reuersus ad ꝓpriũ uomitũ, & sus lota in uolutabro luti. Qui liberati sumus, ne seruiamus creaturæ ultra creatorẽ, per fidẽ scilicet: qui in unũ uerũ & naturalẽ Deũ gloriã adepti, ac spẽ salutis, quòd primum ac prophanũ errorẽ deposuerimus. Nisi ueræ Deitatis sedib. substãtialiter conspicuũ fateamur spiritũ, quo nã & unde iremus? Vt bene scis, ambigui fuistis cogitando. dicere aũt nõ possum, imò manifestum fuerit, ac facile scilicet: Via scilicet publica quodãmodo excidissemꝰ, erraremusq; nihil minus quàm olim. Seduxit aũt, ut uidetur, sic dicens Paulus: At tũc quidẽ nescientes Deũ, seruiebatis aũt ijs qui non sunt dij: nũc autẽ ut Deum agnouistis, imò agniti estis à Deo, quomodo cõuersi estis iterũ ad infirma & egena elemẽta, quib. iterũ ab integro seruire uultis? Vbi enim uerũ & substantialiter cognouimus Deũ, nisi Deũ cum patre & filio spiritum sanctũ confiteamur? Item: Spiritus sanctus est ingeniti Dei spiritus, proprius existens illius, & ex ipso procedens, subsistentiam suam habẽs, & uiuens, & semper existens. Quia est eius qui est, & ipse omnia implet, & omnia continet: quoniam & consubstantialis est, cum implentur omnia, & sine medio ubiq; existẽte. lib. 8. cõtra Iulianũ.

Leo inquit: Ipse unigenitus Dei in fide crẽtiũ, & in uirtute operũ, nullã inter se & spiritũ sanctũ uoluit esse distantiã, quia nulla est diuersi-

diuersitas in natura. epistola 4. capite tertio.

Theodoretus sic scribit: Sanctum spiritũ non esse rerum creatarum partem, sed suam habere à Deo substantiam. Hoc enim dicit: Nos autem nõ spiritum mundi accepimus. pro eo quod est, creatum spiritum non accepimus, nec per angelum rerum diuinarum reuelationem accepimus: sed ipse qui à patre procedit spiritus nos docuit, quæ erant occulta mysteria. in secundum caput epistolæ prioris ad Corinthios. Item: Spiritum sanctum ergo ex Deo & patre substantiam habere didicimus, substantię autem modus nec creaturæ est similis, increatus est enim spiritus sanctus: nec unigenito filio, nullus enim sanctus sancti spiritus substantiam appellauit generationẽ. Ipsum autem ex Deo esse, & diuinum esse, docent sacrę Scripturę. Dominus enim Christus hæc de seipso dicit: Expedit uobis, ut ego recedam. Si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos. Et rursus: Cum uenerit paracletus spiritus ueritatis, qui à patre procedit, deducet uos in omnem ueritatem. Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum.

Isychius inquit: Lucernæ mentionem facit, non autem lucernarum, quia de ipso sancto loquitur spiritu. Sic dicit, ut lucerna semper ardeat: tam eius ęternitatem ostendens, quàm quia sponte, & ex sua autoritate succenditur. libro septimo in 24. caput Leuitici. Sedulius inquit: Ne quia diuersa sunt dona, diuersus spiritus ac uarius putaretur, sed unus & idem semper, sine ulla mutabilitate cũ patre & filio manens, prout uult: non ait ut homines merentur, quia dona diuersa & indignis tribuuntur. ut est illud: Non'ne in nomine tuo dæmonia eiecimus? & sicut alibi scriptum est: Spiritus ubi uult spirat. in 12. caput ad Corinthios posterioris epistolę.

¶ Quòd sit omnipotens spiritus S. & proprię potestatis & uolũtatis, Cerealis docet: De Spiritu sancto, quem patri ac filio consubstantialem credimus, coæqualem & coæternum. ex historia Vandalica Victoris, in confessione Eugenij. Item: Vnde nullus ambiguitati relinquitur locus, quin clareat spiritum sanctum & Deum esse, & suę uoluntatis autorem, qui cuncta operari, & secundum propriæ uoluntatis arbitrium diuinæ dispensationis dona largiri apertissimè demonstratur. Victor in Vandalica historia. Item, testimonia de Spiritu sancto ab operib⁹ diuinitatis, creatione, renouatione, & uiuificatione, à præscięntia omniũ rerũ, à potentia, à præsentia sua ubiq;, ab inhabitatione in sanctis, ab officio arguendi peccata, à naturę bonitate, ab officio mandãdi, ab autoritate uocandi & ministros mittendi, ab officio paracleti, Victor recenset in historia Vandalica.

¶ Quòd Spiritus sanctus sit ęqualis potentiæ cum cæteris personis, docet Chrysosto. his uerbis: Ex dicto Lucæ (Ministrantibus illis, ac ieiunantibus Domino, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulũ & Barnabã) liquet, eandem esse potestatem filij & spiritus. cum enim à spiritu missus esset, à Christo se missum ait Paulus. Idem & alibi declarat, ea quæ sunt Dei ascribens spiritui. in primum caput ad Galatas. Item homilia 31. in acta Apostolorũ, inquit: Vna potestas, sicut una natura & filij & spiritus sancti. Item: Spiritus sanctus fuit quidem semper, & est, & erit: neq; incepit, neque desinet, sed semper patri consubstantialiter familiaris & connumeratus, uita naturà uiuens, & uiuentium uiuificator: lux de luce, & lucis suppeditator, per se bonus & fons bonitatis, per se Dominus, sui iuris, Deus de Deo & deificans, uirtus omnipotens, etiam infirmis uirtutẽ concedens, supersubstãtialis ex substantia supersubstãtiali, etiam alijs quæ sunt suã essentiã donans. Sermone de Spiritu sancto.

Cyrillus ait, spiritum sanctũ ex substantia Dei patris esse: libro 2. cap. 40. in Ioannem.

Leo inquit: Nemo potest dicere Dominum IESVM, nisi in spiritu sancto, cuius ęqualem cum patre & filio omnipotentiã, unamque deitatem euidentissimè prædicat Apostolus dicens: Diuisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus. Sermone primo de Pentecoste. Item sermone secundo de Pentecoste: Cum ad intelligendam dignitatem spiritus sancti aciẽ mentis intendimus, nihil diuersum ab excellentia patris & filij cogitemus, quia in nullo ab unitate sua discrepat diuinitatis essentia. Item: Quæ habet pater, habet & filius, habet & spiritus sanctus: quia tota simul Trinitas est un⁹ Deus. Hanc autem fidem terrena sapientia non reperit, nec opinio humana persuasit: ipse spiritus sanctus instituit, de quo nihil est aliter quàm de patre & filio sentiendũ. Quia licet non sit pater, non sit filius, non tamen est à patre filioque diuisus: & sicut propriam habet in Trinitate personam, ita unam habet in patris & filij Deitate substantiã, omnia implentem, omnia continentem, & cũ patre & filio uniuersa moderantem, per infinita sęcula sęculorũ. Sermone tertio de Pẽtecoste.

Eucherius inquit: Spiritus S. Deus est, qui nõ loco continetur aut distenditur, nec temporum mutationibus subiacet, sed est ubiq; præsens ac totus. Superferri autem Domini spiritus aquis dicitur non peruagatione, sed potestate: nõ localiter, sed potentialiter: nõ per spacia locorũ, sicut terræ sol superfertur, sed per potentiã sublimitatis suæ. libro 1. in Genes. cap. 1. Itẽ: Spiritus S. est incõmutabilis cũ patre & filio. lib. 1. Com. in lib. Regũ.

De

De processione Spiritus sancti, Augustinus scribit de fide ad Petrum, capite undecimo: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Spiritum sanctum, qui patris & filij unus est spiritus, de patre & filio procedere. Dicit enim filius: Quum uenerit Spiritus ueritatis, qui à patre procedit. ubi suum Spiritum esse docuit, quia ipse est ueritas. De filio quo que procedere spiritum sanctum, Prophetica atq; Apostolica nobis cõmendat doctrina. Esaias enim de filio dicit: Percutiet terrã uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. De quo & Apostolus ait: Quem interficiet Dominus IESVS spiritu oris sui. Quem etiam ipse unicus Dei filius spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem suam insufflans in discipulos, ait: Accipite Spiritum sanctum. De ore uerò ipsius Domini IESV, ait Ioannes in Apocalypsi, quia gladius utraq; parte acutus procedebat. Ipse uerò spiritus oris eius, ipse est gladius qui de ore eius procedit. Itẽ de Trinitate & unitate capite primo: Spiritum sanctum neque genitum fides recta declarat. Quia si dixerimus ingenitũ, duos patres affirmare uidebimur. Si autẽ genitũ, duos filios credere culpamur. Sed quod certa fides tenet, nec ingenitus est, nec genitus, sed ab utroq; procedens: id est, & à patre & à filio. Et ut hoc testimonijs approbemus, ipsum Dominum nostrum IESVM Christũ audi ad Apostolos dicentem: Quum uenerit (inquit) paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritũ ueritatis, qui à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me. Et rursus ipse Dominus IESVS Christus post resurrectionem suam, ut ostenderet à se procedere spiritum sanctum, sicut & à patre, insufflans in discipulos suos, ait: Accipite spiritũ sanctũ. Vnus ergo est spiritus patris & filij, unus amborũ spiritus. Igitur quòd patris sit spiritus, ipse Dominus & saluator noster discipulis suis ait: Nõ enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Et quod idem & filij sit spiritus, Paulus apostol⁹ testis est: Si quis autem, inquit, spiritum Christi non habet, hic non est eius.

Docet & Cyrillus, Spiritum sanctum esse patris & filij, Dialogo sexto de Trinitate: Quemadmodum spiritus semper est secundum naturã, quoniam est spiritus S. patris: ita & sapiens, quando quidẽ sapientiæ spiritus est: imò substãtialiter potius, & quasi naturalis quædam qualitas sanctæ & sapientis diuinitatis, quæ sicut in patre & filio intelligitur, & ipso spiritu. Quòd autem patris spiritus, spiritus est filij, ipse per seipsum erudiat, dicens: Quando uenerit Paracletus, quem ego mittam uobis à patre spiritum ueritatis, qui à patre procedit, ille (inquit) testimonium perhibebit de me. Intelligis igitur, quomodo propriũ promittat missurum nobis ex patre, & spiritum quidem ueritatis uocet, emanare etiam ex ipso definiat patre, & quòd etiam testimonium de se perhibiturus sit prænunciet?

Isychius inquit: De sancto spiritu sciamus, quia & ipsius est filij, & à patre procedit. libro secundo in sextum Leuitici.

¶ De apparitione Spiritus sancti ait Augustinus de cognitione ueræ uitæ, capite decimooctauo: Sancti spiritus substantia non in columbam uel ignem est transmutata, sicut nec uerbum in carnem est trãsformatũ: sed Spiritus sanctus columbæ corpus condidit, in quo se ad horam super corpus sibi inseparabiliter unitum, ad testimoniũ hominibus uisibilem præbuit: ipse uerò inuisibilis in essentia patris & uerbi inseparabiliter manſit, animas quoque discipulorum interius posfidens, foris speciem ignis uel luminis oculis hominum pro signo exhibuit, & tamen à substantia patris & filij nõ recessit: profectò insinuans, quòd pater & filius per eum peccata consumunt, & in eorum amorem hominum corda per ipsum accẽdunt: & quòd impios per eum iudicabunt, iustos uerò lumine uitæ in ipso glorificabunt. Item de Trinitate & unitate capite primo: Nõ enim sicut filius hominem assumpsit, ut in æternum permaneat, sic spiritus sanctus columbam uel ignem: sed illæ factæ uisiones de creatura inferiore ad manifestandum Spiritum, esse postea destiterũt. Nunquam enim illa incomprehensibilis, incommutabilisq; Diuinitas, quę est Trinitas Deus, ab oculis carnalibus uideri potest, nisi (ut dictum est) per subiectam creaturam. Leo inquit: Quamuis autẽ, dilectissimi, ualde fuerit ipsa rei gestę forma mirabilis, nec dubium sit in illo omnium humanarum uocum exultante concentu, maiestatem Spiritus sancti fuisse præsentem: nemo tamen existimet, in ijs quæ corporeis uisa sunt oculis, diuinam eius apparuisse substantiam. Natura enim inuisibilis, & patri filioq; communis, qualitatem muneris atque operis sui, qua uoluit significatione monstrauit: proprietatem uerò essentię suę in sua Deitate continuit. quia sicut nec patrem, nec filiũ, ita nec spiritũ S. humanus potest uisus attingere. Sermone 1. de Pentecoste. Isychius ait: Spiritus sanctus igneus est, substantia & operatione. unde in specie ignearum linguarũ super discipulos descendit. lib. 7. in 24. cap. Leuitici.

Refutat Chrysostomus hęreticos quosdã, qui Spiritum creatum esse contendunt ex primo cap. Ioannis, & ita legũt: Quod factũ est in ipso, uita erat. ibi Spiritũ sanctũ intelligunt. homilia 4. in 1. caput Ioannis.

Quòd

Quòd detur à Christo Spiritus sanctus, Theodulus docet, inquiẽs: Ecquid uerò dedit? Spiritum, quem ex sola dilectione, qua dilexit nos, impertijt nobis. Non enim proprijs operibus uel uirtutibus spiritus paracleti gratiam impetrauimus. cap. 5. ad Romanos. Et: Insuper spiritus Dei est etiam spiritus Christi. nam & patri & filio spiritus est communis. in caput octauũ ad Romanos.

Quòd Christus eum sit promeritus nobis, docet Isychius, inquiens: Virtute diuini tatis passionem suscipiens, asperfit quidem suam carnẽ, asperfit autem septies: quia pro remissione hoc peccatorum, & pro subministrando nobis sancto spiritu fecit. libro primo in quartum caput Leuitici.

Dupliciter dari spiritum sanctum, docet Augustinus de 83 quæst. 62 quęstione: Spiritus sanctus latẽter dabatur ante Domini clarificationem: post manifestationem autem diuinitatis eius, manifestius datus est. Et hoc dictum est, Spiritus autem nõdum erat datus: id est, nondum sic apparuerat, ut omnes eum datum esse faterentur.

Quibus detur, Sedulius indicat dicens: Spiritus sanctus ipse credentibus datur, & templũ eius sumus. in 4. caput ad Ephesios.

Vbi uerò spiritus sanctus eijciatur, docet Synesius inquiens: Vbi ira, furorq; inconsul tus, & cõtentiosa affectio gubernat actionẽ, quomodo illic adesset spiritus sanctus? quibus subintrantib. etiamsi antè inhabitasset, eijcitur. Epistola 67.

¶ De operib. Spiritus sancti, ita scripserũt Patres. Chrysostomus in primũ caput ad Romanos: Hilaritatẽ enim & gaudiũ, neq; principatus magnificẽtia, neq; pecuniarũ abundantia, neq; potẽtiæ magnitudo, sed nec corporis firmitas, nec mẽsarũ sumptuositas, neq; uestimentorũ ornatus, aut aliud quippiã rerũ humanarũ præstare potest, nisi sola Spiritus sancti uirtus, & conscientia bona. Itẽ: Non solus Iohannes Baptista uidit spiritum in colũbæ similitudine. Quoniã hoc mysterium nõ corporis tãtũ oculis indigebat, sed mentis potius, ne inanis species putaretur. Quidã aũt dicũt, nõ omnes, sed Iohannẽ tantũ, & quosdã uita & morib. probatiores, spiritũ uidisse. Nã etsi corporeis oculis in colũbæ speciem spiritus descendens uideri potuerat: nõ tamen necessariò sequebatur, ut ab omnibus spectaretur. Etenim Zacharias sub corporea imagine multa cõspicatus est, nec nõ & Daniel & Ezechiel: nullũ tamẽ uisiõis socium habuerũt. Prẽterea Moses multa uidit, qualia aliorũ nemo. Hom. 16. in primũ caput Ioannis. Itẽ: Spiritus mœrorẽ soluit, malas cupiditates cõsumit, formidinem pellit, nec sinit amplius hominẽ esse quẽ afflat: sed tanquã in idipsum cœlũ translatus, omnia quæ illic sunt contemplatur. Homilia 74. in decimumquartũ caput Ioannis. Itẽ: Christus ait, Quæ uentura sunt, spiritus annunciabit. Hic maximè eius dignitatem ostendit, cum Deo maximè propriũ sit futura prædicere. Homilia 77. in 16. caput Ioannis. Item: Quãdo ergo aliquid boni cogitamus, sciamus quia spiritus sanctus habitat in nobis. si uerò aliquid mali, signum est quòd spiritus sanctus recesserit à nobis. Homilia 3 de Baptismo Christi. Augustinus ad Sixtum, epistola 105: Sicut ergo nemo rectè sapit, rectè intelligit, rectè consilio ac fortitudine prævalet, nemo scienter pius est, uel piè sciens, nemo timore casto Deũ timet, nisi acceperit spiritũ sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, sciẽtiæ pietatis & timoris Dei: nec habet quisquã uirtutẽ uerã, charitatẽ syncerã, cõtinentiã religiosam, nisi per spiritũ uirtutis & cõtinẽtię: ita sine spiritu fidei nõ rectè quispiã crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus. Nõ quia tot sunt spiritº: sed omnia hęc operatur unus & idẽ spiritus, diuidens propria unicuiq; prout uult: quia Spiritus ubi uult spirat. Sed, quod fatẽdum est, aliter adiuuat nondum inhabitans, alter inhabitans. Nam nondum inhabitans adiuuat ut sint fideles, inhabitãs adiuuat iã fideles. Itẽ de ciuitate Dei lib. 15 cap. 6: Spiritus aũt sanctus operatur intrinsecus, ut ualeat aliqd medicina quę adhibetur extrinsecus. Itẽ Sermone 181. Ipse uos docebit omnia: qa nisi idẽ spiritus cordi adsit audiẽtis, ociosus est sermo doctoris. Nemo docẽti homini tribuat, quod ex ore docẽtis intelligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua extẽrius in uacuũ laborat. Vnde quia sine eo nihil boni agere possumº, ipso opitulãte tales nos reddamus, ad quos spiritus sanctus aduenire, & in quib. habitare dignetur.

Prosperait: In die Pentecostes in linguis igneis donũ, sanctũ Spiritum misit. Non hic duos spiritus intelligere debemus, cum unus sis spiritus sanctº: sed ipse idẽ spiritus est, charismatũ dona dispensans, ita multipliciter prærogatus ab ipsa indiuidua Trinitate, ut in ea nõ duo, sed unus sit spiritus. secunda parte de promissionibus & prædictionibus Dei, capite trigesimo.

Theodoretus inquit: Omnes ab uno spiritu renouati sumus, idẽ donũ oẽs in Baptismo accepimus, remissionẽ peccatorũ similiter accepimº, diuinorũ sacramentorũ sumº ex ęquo participes. in 12 cap. prioris ad Corinthios. Itẽ: Nos à sancto spiritu, quẽ cõsolatorẽ literę sacrę appellãt, regi, sacrificariq;, nõ angelos solũ atq; archãgelos, aliosq; supcœlestes ordines affirmamus: sed ex hominib. quoq; ipsis qcũq; pietatẽ colere, magniq; res diuinas cooptarint. lib. 3. de Dijs & angelis.

Isy-

Isychius ita scribit: Ex spiritu sufficientem atq; celerrimam Dei scientiam possidebimus. libro primo in secundum caput Leuitici. Et: Aduenies spiritus totam nostram uitam renouauit, quod confirmauit Christi traditionem, & stabiliuit conuersationem quam in illis perfecit. ait enim: De meo accipiet. Propter quod non in alia hebdomadis die aduenit, sed in qua resurrectio facta est, & manipulus intelligibilis oblatus est: ut & hoc probaret, quòd noua conuersatio, quæ nos renouauit, liberando à corruptione uetustatis, resurrectione Christi, & sancti spiritus aduentu correcta est. libro sexto in 23. caput Leuitici.

Sedulius ait: Quomodo nos diligat Deus, ex hoc cognoscimus, quia non solùm nobis per filij sui mortẽ peccata dimisit, sed & spiritum sanctum nobis dedit, qui ostẽdat gloriam futurorum. in quintum caput epistolę ad Romanos. Item: Non quòd ipsa spiritus sancti substantia contristari potest, cum habeat æternam atq; incommutabilem beatitudinem: sed quia ita in sanctis habitat, ut eos impleat charitate, qua necesse est ut homines ex tempore gaudeant, profectu fidelium & bonis operibus. Et ideo necesse est, ut etiam contristentur lapsu uel peccatis eorum, de quorum fide ac pietate gaudeant: quæ tristicia laudabilis est, quia uenit ex dilectione, quã spiritꝰ sanctus infudit. in quartum caput ad Ephesios.

Victor inquit: Hæc autem omnia operatur unus atq; idem spiritus, propria diuidẽs unicuiq; prout uult. in ratione fidei ad Gen sericum. Et Cerealis: Viuificator est spiritus. sic docetur, ut Apostolus: Litera occidit, spiritus autem uiuificat.

Theodulus ait: Bene dilectionem Dei, quæ est donum spiritus, effusam esse ait, ut qui largiter traditus sit in corda nostra. Mentalis autem inhabitatio adorandi, terq; sanctus spiritus cùm sola mente, tum corde est comprehensibilis. Spiritum sanctum dicẽs, pulchrè ad Deum transit. in quintum caput ad Romanos. Item: Christus autor est, cur nobis impertiatur donum spiritus. Is itaq; spiritus liberauit me à peccato, & inde emergente morte, ducens nos ad optima quæq;. in octauum caput ad Romanos. Et: Ipse itaq; spiritus, hoc est ipse paracletus, simul testimonium perhibet spiritui nostro: id est, communicato nobis ab ipso dono. ibidem. Item: Spiritus non sinet te defatigari, uerùm hac in re te adiuuabit. ibidem. Et: Olim pleriq; uaria charismata accipiebant, nempe prophetiarum, interpretationem linguarũ, quæ omnia spiritum uocabant. Orationis donum, etiam spiritus dicebatur. ibidem. Item: Paracletus ipse corda spiritualium hominum scrutatur, qui gratiã uidelicet atq; orandi susceperunt spiritum. ibidem.

Salonius: Solus Christus proprius & naturalis filius est, cæteri uerò omnes sunt adoptiui. & ideo fratres eius sunt, nõ natura, sed gratia. Hic peccata nostra patienter sustinet, & misericorditer ad pœnitentiam expectat, & quotidie pro nobis apud Deum interpellat. in Ecclesiasten.

Eucherius ait: Spiritus ubi uult spirat, & spiritum prophetię nullarum animarum potest maculare contactus. attingit enim ubique, propter suam mũdiciam. Afficit enim omnes non eodem modo: sed alios per informationem spiritus eorundem hominũ, ubi rerum demonstrantur imagines: alios per fructum mentis, ad intelligentiam: alios utraq; inspiratione: alios etiam nescientes, per informationem spiritus, duobus modis: aut per somnia, sicut non solùm pleriq; sancti, &c. libro primo Commentariorum in libros Regum. Et: Sine gratia spiritus sancti nec Deus nec proximus potest amari: quia charitas Dei diffusa est in cordib. nostris, nõ ex merito nostro, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. Vbi autẽ charitas Dei, ibi profectò & proximi diffunditur in cordibus fidelium, quia nimirum una sine altera nequaquam ualet haberi. libro tertio in libros Regum. Item: Spiritus sanctus non solùm Apostolos, sed cunctos credentes per lauacrum regenerationis in Dei sacrificium absumit & sanctificat. lib. 4. in libros Regũ.

Synesius inquit: Quidam pro concione dixit, hilarem esse spiritum illum sanctum, hilaresq; reddere ipsius participes. epistola quinquagesimaseptima.

¶ Quòd in patriarchis Spiritus sanctus fuerit, testatur Leo inquiẽs: Patriarchę, & Prophetæ, & sacerdotes, omnesque sancti, qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt spiritus sancti sanctificatione uegetati: & sine hac gratia, nulla sunt celebrata mysteria, ut eadem semper fuerit uirtus charismatũ, quamuis non eadem fuerit mensura donorum. Ipsi quoq; B. Apostoli ante passionem Domini spiritu sancto non carebant, nec potẽtia huius uirtutis aberat ab operib. Saluatoris. Sermone secundo de Pentecoste.

¶ Quòd in Ecclesia tantum sit efficax Spiritus sanctus, docet Augustinus ad Bonifacium epistola 50. Sed non quærãt Spiritum sanctum, nisi in Christi corpore, cuius habẽt foris sacramentum: sed rem ipsam non tenent intus, cuius est illud sacramentum: & ideo sibi iudicium manducant & bibunt. Vnus enim panis sacramentum est unitatis: quoniã, sicut Apostolus dicit, Vnus panis, unũ corpus multi sumus. proinde Ecclesia catholica sola corpus est Christi, cuius ille caput

caput est, Saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem uiuificat Spiritus sanctus. quia sicut ipse dicit Apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordib. nostris, per spiritũ sanctũ, qui datus est nobis. Nõ est aũt particeps diuinæ charitatis, qui hostis est unitatis. Nõ habẽt itaq; Spiritũ sanctũ, qui sunt extra Ecclesiã. De illis quippe scriptũ est: Qui seipsos segregãt animales, spiritũ nõ habentes. Sed nec ille eũ percipit, qui fictus est in Ecclesia. Et quomodo deinde scriptũ est, Sanctꝰ enim spiritus disciplinæ effugiet fictũ? Qui ergo uult habere spiritũ, caueat foris ab Ecclesia remanere, caueat in eã simulatè intrare: aut si iam talis intrauit, caueat in eadem simulatione persistere, ut ueraciter coalescat arbori uitæ.

Spiritum sanctum per uerbum operari docet Isychius: Sicut materia ignis sunt ligna, sic nobis sunt materia subministrationis spiritus legis diuinæ testimonia, & sacrorũ eloquiorũ meditatio. li. 2. in sextũ cap. Leuitici.

Quare Christus spiritũ sanctum acceperit, Hom. 16. in primũ cap. Ioãnis indicat Chrysost. Spiritus sanctus in Christũ, inquit, in baptismate descẽdit, nõ ꝙ ipse Christus eo indigeret, sed ut Christũ annũciaret & ostẽderet.

Vtrum Apostoli habuerint Spiritum sanctum ante Christi passionẽ, Augustinus docet de Trinitate & unitate capite quarto: A quibusdam dubitari solet, an Spiritum sanctum habuerint Apostoli illo tempore, quo fuerũt cum Christo Domino, secundũ quod Euangelista dicit: Spiritus nondum erat datus, quia IESVS nondũ erat glorificatus. Et in alio loco ait: Si diligitis me, præcepta mea seruate. & ego rogabo patrẽ, & aliũ paracletũ dabit uobis, ut uobiscũ sit in æternũ, spiritum ueritatis, quẽ mundus non potest accipere, quia non uidet eum, nec cognoscit eum: uos autem uidetis & cognoscitis eum, quia apud uos manet, & uobiscum est. Et etiam post resurrectionem suam legitur insufflasse & dixisse discipulis, Accipite spiritũ sanctũ. In Pẽtecoste uerò, legitur spiritus sanctus in Apostolos descendisse. Ad hęc dicendum: Quia unus spiritus est, sed dona habet multa. Non est dubium, quin Spiritus sanctus erat cum eis: quia ubi Christus est, Spiritus sanctus est. Et quia uenturum Spiritum sanctum à patre promiserat Christus, nõ defuit in hoc indifferens eius diuinitas.

Vtrum Spiritus sanctus tantum sit charitas, Augustinus docet, de inquisitione ueritatis: Interrogatur, utrum ad solam sancti spiritus personam pertineat charitas, dum Apostolus dicit, Deus charitas est, qui diligit patris & filij esse legitur. Responsio: Nullatenus ita Spiritus sanctus charitas intelligitur, quasi non sit pater & filius charitas. Sicut spiritus sanctus est charitas, ita & pater est charitas, & filius est charitas: non tamẽ tres charitates, sed una charitas. Sed quia Spiritus sanctus donum Dei propriè dicitur, & nullum Dei donum charitate maius est: imò sine illo nullum donum ad perpetuam hominem poterit ducere beatitudinẽ, ꝓinde spiritus ꝓpriè dicitur charitas.

Quòd in Deo non sit accidens, Augustinus docet libro quinto de Trinitate, capite primo: Vt sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubiq; totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mirabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnino inuenire quid sit, piè tamen caueat quantum potest, aliquid de eo sentire quod non sit.

Qua ratione Deus sese conspiciẽdum hominibus exhibeat, libro tertio contra Maximinum, capite 26 indicat Augustinus: Ego diuinitatem patris & filij & spiritus sancti, in sua natura atque substantia mortalibus oculis inuisibilẽ dico. Eam uerò se in formas uisibiles uertere, absit ut dicam: quia & immutabilẽ dico. Restat ergo, ut aspectibus humanis quando se ostendit ut uoluit, per subiectã hoc intelligatur fecisse creaturam, qua potest oculis apparere mortalibus.

Non loco mouetur Deus, qui ubiq; est totus semper: sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam eius quodammodo ostendit. Eucherius libro secundo in Genesin. Item: Descendam & uidebo, &c. Omnipotens itaq; Dominus omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antè pręsumamus credere, quàm ꝓbare? lib. 2. in Genesin, cap. 6. Itẽ de turri Babylonica loquens ait: Descenderũt angeli eius, in quibus habitat: quia per angelos descẽdebat, qui in angelis descendentibus erat. Itẽ ait, Confundamus ibi linguam eorum: ostendens ita se operari per ministros suos, ut sint etiam ipsi cooperatores Dei. nec sic loquitur angelis Deus, quomodo nos inuicem nobis, uel Deo, uel angelis, uel ipsi angeli nobis, siue per illos Dominus nobis: sed ineffabili suo modo, nobis autem indicatur hoc nostro modo. Dei quippe sublimior ante suum factum loquutio, ipsius sui facti est immutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem atque transferentem, sed uim sempiternè manentem, & temporaliter operantem. Hæc loquitur angelis sanctis: nobis autem

longè positis per angelos, secundum modũ nostræ capacitatis. Eucherius libro secundo in Genesin, capite sexto.

¶ Idola non esse colenda, Augustinus docet, de uera religione capite 55. Non sit nobis religio humanorum operum cultus: meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere nõ debemus. Nõ sit nobis religio cultus bestiarũ: meliores enim sunt extremi homines, quos tamẽ colere nõ debemus. Non sit nobis religio cultus hominũ mortuorũ: quia si piè uixerũt, nõ sic habentur ut tales quęrãt honores: sed illũ à nobis coli uolunt, quo illuminante lætãtur meriti sui nos esse cõsortes. Honorãdi ergo sunt propter imitationem, non adorãdi propter religionem. Si autem malè uixerunt, ubicunq; sint, non sunt colendi. Non sit nobis religio uel ipsa perfecta & sapiens anima rationalis, siue in ministerio uniuersitatis, siue in ministerio partium stabilita, siue quæ in summis hominibus expectat commutationem, reformationemq; portionis suæ: quoniam omnis uita rationalis, si perfecta est, incõmutabili ueritati secũ intrinsecus sine strepitu loquenti obtemperat: non obtemperans autem, uitiosa fit. Non ergo per se excellit, sed per illum cui libenter obtemperat. Quod ergo colit summus angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo: quia ipsa hominis natura, id non colendo, facta est ultima. Item in expositione epistolæ ad Galatas, capite quinto: Idolorum seruitus ultima fornicatio est animę, propter quã etiam bellum aduersus Euangelium cum reconciliatis Deo furiosissimum gestum est: cuius reliquiæ quamuis interdiu, adhuc tamen recalent. Item ad Deogratias presbyterum, epistola 49. Et idola quidem omni sensu carere quis dubitet? Verùm cum ijs locantur sedibus honorabili sublimitate, ut à precantibus & immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorũ membrorũ atq; sensuum, quamuis insensata & exanima, afficiunt infirmos animos, ut uiuere ac spirare uideantur, accedente præsertim ueneratione multitudinis, qua tantus eis cultus Dei impenditur. Quibus morbidis & pestilẽtiosis affectibus medetur Scriptura diuina, quę rem quidem notam, sed tamen salubri remedio admonitionis inculcat, dicens: Oculos habent, & non uident: aures habent, & non audiunt, & cætera talia. Item libro primo de Trinitate, capite sexto: Idololatræ dicuntur, qui simulachris eam seruitutẽ exibent, quæ debetur Deo. Secundum hanc enim seruitutẽ dictum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Nã & hoc distinctius in Græca scriptura inuenitur. λατρεύειν enim habet. Porrò si tali seruitute creaturæ seruire prohibemur, quandoquidem dictum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: unde & Apostolus detestatur eos qui coluerunt & seruierunt potius creaturæ quàm creatori: non est utique creatura Spiritus sanctus, cui ab omnibus sanctis talis seruitus exhibetur, dicente Apostolo: Nos enim sumus circumcisio spiritu Dei seruientes: quod est in Græco, λατρεύοντες.

DE PROVIDENtia Dei.

LEo inquit: Præsens uita per Creatoris opem ducitur, & per ipsius prouidentiam sustinetur. Sermone quinto de ieiunio decimi mensis. Item sermone quinto de Quadragesima: Omnium fidelium corda non dubitant, nullis huius mundi partibus nullisq; temporib. prouidentiã abesse diuinam: nec de stellarũ potestate, quæ nulla est, secularium negociorũ pẽdere prouentus, sed æquissimo & clementissimo summi Regis arbitrio cuncta disponi. Item: Nunquam ab omnipotentia patris & filij & spiritus sancti est discreta Maiestas, & quicquid in dispositione rerum omniũ agit diuina moderatio, ex totius uenit prouidentia Trinitatis. Vna est ibi benignitas misericordiæ, una censura iusticiæ: nec aliquid est in actione diuisum, ubi nihil est in uoluntate diuersum. Quæ illuminat ergo pater, illuminat filius, illuminat spiritus sanctus: cumq; alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis & unitas manifestatur, & Trinitas. Sermone secundo de Pentecoste. Item: Prouidentia Dei semper suis necessarium præstat auxilium. epistola uigesimaseptima.

Theodoretus peculiares de Prouidentia libros conscripsit, & copiosissimè eã probat & illustrat. Sic inquit: Cõsiderate uisibilium naturã, situ, ordine, statu, motu, consonantiã, harmoniã, uenustatẽ, pulchritudine, magnitudinem, usum, oblectationẽ, uarietatẽ, alterationẽ, permansionem in corruptibilibus. Cernitis prouidentiã Dei in qualibet parte creationis manifestã. Cernitis ipsum in cœlo & luminaribus cœli, Sole, luna, & alijs astris: in aëre, in nubibus, in terra, in mari, in plantis, in herbis, in seminibus, in animalibus tã rationalibus quàm irrationalibus, pedestribus, uolatilibus, in natatilib. & reptilib. Cogitate apud uosmetipsos, quis sit cõtinẽs cœlestes apsidas, quòd tot millib. annorũ cœlũ non consenuerit, nullam mutationem recipiens: sed tamen passibilem habens & corruptibilem substantiam, manebat tale, quale erat, uerbo creatoris sustentatum: ob hoc tanto igne circa cœlum uecto, scilicet sole, luna, & alijs luminaribus, per tot annos non liquefit, non exiccatur, non incenditur;

cenditur: cum tamen ignis aurum, argentum, ferrum, æs, plumbum, ſtannum, cerâm, & his ſimilia, in liquidam naturam diſſoluat, cœnum exiccet, lapides coquat, &c. Horũ nihil cœlum paſſum eſt: ſed formam quam ab initio accepit, ad finem uſq; retinet. Hæc omnia quamuis inanimata ſint, & nullam mentem gubernatricem habeant, tamen manent eundem modum & terminum ſeruantia. Gubernat enim creaturam creator, & non relinquit nauem à ſe conditam ſine gubernatore: ſed ipſe nauis fabricator & materiæ plantator, dirigit gubernacula. Teſtantur hoc tot anni, & tam longum tempus non corrumpens nauim. Sermone primo de prouidentia. Item in decimo Sermone ait, incarnationem filij Dei eſſe maximum teſtimonium prouidentiæ, curæ, amoris & beneuolentię Dei erga nos. Item: Non ita oſtendunt immenſam bonitatem Dei cœlum, terra, mare, ſol, luna, aſtra, & omnis uiſibilis & inuiſibilis creatura, uno uerbo creata: ſicut hoc, quòd unigenitus Dei filius, forma Dei præditus, ſplendor gloriæ eius, character ſubſtantiæ eius, à principio Deus, apud Deũ exiſtens, & ipſe Deus exiſtens, per quem omnia facta ſunt, formam ſerui accipiens, ad ſimilitudinem hominis homo factus eſt, & in figura hominis inuentus ut homo, & in terra ab hominibus conſpicitur, & noſtras infirmitates & morbos portat. Sermone 10.

Ioannes Caſsianus inquit: Prouidentia Dei cognoſcitur ex creaturarũ ſuarum magnitudine, uel æquitatis ſuæ conſideratione, uel quotidianæ diſpenſationis auxilio: item potentia ipſius, qua uniuerſa gubernat, moderatur, ac regit: immenſitate ſcientiæ eius, & oculo quem ſecreta cordium latêre nõ poſſunt. Collatione 1. cap. 15. Itẽ: Adeſt igitur inſeparabiliter nobis ſemper diuina protectio: tantaq; eſt erga creaturã ſuã pietas creatoris, ut non ſolũ comitetur eam, ſed etiã præcedat iugiter prouidentia. collatione 13. capite octauo.

DE PRAEDESTINATIONE.

LOcum de prædeſtinatione ſæpe exponit Auguſtinus, ut ad Paulinum epiſtola 59. inquit: Sine pœnitentia ſunt dona & uocatio Dei, certè illos ſignificari qui pertinent ad numerum prędeſtinatorũ, de quibus alio loco dicit: Scimus quoniã diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonũ, his qui ſecundũ ꝓpoſitum uocati ſunt ſancti. Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi. Qui uerò electi, ipſi ſecundũ propoſitũ uocati, in quibus Dei præſciẽtia proculdubio falli non poteſt. Hos præſciuit & prædeſtinauit, cõformes imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratrib. Quos prędeſtinauit, hos & uocauit. Hæc uocatio ſecundũ ꝓpoſitum eſt, hęc eſt ſine pœnitẽtia. Quos autem uocauit, illos & iuſtificauit: quos autẽ iuſtificauit, illos & glorificauit. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Nõ ſunt in iſta uocatiõe, qui in fide quę per dilectionẽ operatur, etiãſi aliquãtulũ ambulant, nõ perſeuerant uſq; in finẽ. Et utiq; potuerũt rapi, ne malicia mutaret intellectũ eorũ, ſi ad illã prædeſtinationẽ & uocationẽ, quæ ſecundũ propoſitum & ſine pœnitentia eſt, pertinerent. At ne quiſquã præſumptor ita de occultis iudicet aliẽis, ut dicat: Ideo nõ rapti ſunt ex hac uita antequam eſſent fidei deſertores, quia in eadem uita nõ fideliter ambulabãt. hoc in eorũ cordib. nouerat Dominus, quãuis hominibus aliter appareret. Quid dicturꝰ eſt de infantulis paruulis, qui pleriq; accepto in illa ætate Chriſtianæ gratiæ ſacramẽto, cũ ſine dubio pertinerent ad uitã æternã, regnũq; cœlorũ, ſi continuò ex hac uita migrarent, ſinuntur creſcere, & nõ nulli etiã apoſtatæ fiunt? unde, niſi quia nõ pertinent ad illã prædeſtinationẽ? cur autẽ alij ad eã pertineant, occulta cauſa eſſe poteſt, iniuſta nõ poteſt. Nũquid enim iniquitas apud Deũ? Abſit. nã & hoc ad illã pertinet altitudinẽ iudiciorũ, quã mirans Paulꝰ tanquã expauit Apoſtolus: O altitudo diuitiarũ, &c. Ideo quippe illa iudicia uocat, ne quiſquã talia fieri putet ſiue iniquitate, ſiue temeritate faciẽtis, ſiue caſu & fortuitò, labentibus ullis partibus iam diſpoſitorũ ſub tanta potentia & ſapientia Dei ſeculorum. Itẽ lib. 13. de Trinitate, cap. 16. Scimus, quoniam diligentibus Deũ omnia cooperãtur in bonũ, his qui ſecundũ propoſitũ uocati ſunt ſancti. Quoniã quos antè præſciuit, & prædeſtinauit cõformes fieri imaginis filij ſui, ut ſit ipſe primogẽitus in multis fratrib. Quos autẽ prædeſtinauit, illos & uocauit: & quos uocauit, illos & iuſtificauit: quos autẽ iuſtificauit, ipſos & glorificauit. Horũ prædeſtinatorũ nemo cũ diabolo peribit, nemo uſq; ad mortẽ ſub diaboli poteſtate remanebit. Item lib. 6. Hypognoſt. Prędeſtinatio quippe à pręuidẽdo & pręueniẽdo uel pręordinando futurũ aliquid dicitur: & ideo Deus, cui præſcientia nõ accidens eſt, ſed eſſentia, fuit ſemper & eſt: quicquid antequã fit ſic præſcit, prędeſtinat: & propterea prædeſtinat, qa quale futurũ ſit præſcit. Ideo & Apoſtolꝰ: Nã quos pręſciuit, & prędeſtinauit. Sed non omne quod præſcit, prędeſtinat. mala enim tantũ præſcit, & nõ prædeſtinat: bona uerò & præſcit, & prædeſtinat. Quod ergo bonum eſt, præſcientia prædeſtinat: id eſt, priuſquam ſit in re, præordinat. Hoc cum ipſo auctore eſſe cœperit,

perit,uocat,ordinat & disponit. unde & sequitur: Nã quos prędestinauit,hos & uocauit:&c. Ibidẽ: Prędestinationẽ igitur negare, quã apud Deũ esse breuiter ꝓbauim⁹,immanis blasphemia est:quã non tantũ (ficut soletis dicere uos Pelagiani) in Apostolis debem⁹ accipere, sed à patriarchis & ꝓphetis & martyribus & confessoribus, in omnibus sanctis,& dignè seruiẽtibus Deo. Hinc nemo glorietur, nemo desperet. Sol⁹ enim Dominus scit qui sunt eius.In quantũ autẽ possumus, omnes homines ad bonũ opus exhortemur, nulli desperationẽ demus, ꝓ inuicem oremus, in conspectu Dei nos humiliemus, dicentes: Fiat uoluntas tua. Ipsius erit potestatis, iudiciũ in nobis debitũ mutare damnationis, & gratiã prædestinationis indebitã prærogare, &c. Item, in Euangeliũ Ioánis tractatu 45. Nouit Dominus qui sunt eius, nouit pscitos, nouit prędestinatos: de illo quippe dicitur:Quos autẽ pręscriuit,& prędestinauit, cõformes fieri imaginis filij sui,ut sit primogẽitus in multis fratrib. Quos autẽ prædestinauit, ipsos & uocauit: & quos uocauit, ipsos & iustificauit: quos autẽ iustificauit, ipsos & glorificauit. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Adde adhuc: Qui ꝓprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eũ,quomodo etiã non cũ illo omnia nobis donauit? Sed quibus? Nobis præscitis & prædestinatis,iustificatis, glorificatis. de quibus sequitur: Quis accusabit aduersus electos Dei? Nouit Domin⁹ qui sunt eius.Ipsę sunt oues: aliquando se ipsæ nesciũt,sed pastor nouit eas, secundũ istã prædestinationem, secundũ istã Dei præscientiã, secundum electionẽ ouium ante constitutionẽ mundi. Secundũ ergo istã præscientiã Dei, & prædestinationẽ,quàm multę oues foris,quàm multi lupi intus,& quàm multę oues intus, & quàm multi lupi foris, &c. Itẽ, de correptione & gratia, cap.13. Hæc de ijs loquor, qui prędestinati sunt in regnũ Dei,quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquã,nec minuatur ex eis:nõ de ijs qui, cum annũciasset & locutus esset, multiplicati sunt super numerũ. Ipsi autẽ uocati dici possunt,nõ autẽ electi,quia secundũ propositũ uocati. Certũ uerò esse numerũ electorũ, neq; augendũ neq; minuendũ, quãuis & Ioannes Baptista significet,ubi dixit, Facite ergo dignũ pœnitẽtiæ fructũ: &,Nolite dicere apud uosmetipsos, patrem habemus Abraham:potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: ut ostẽdat sic istos esse amputãdos, si non fecerint fructũ,ut nõ desit numerus qui ꝓmissus est Abrahę. De uerbis Apostoli, Sermone 16. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Deus ꝓ nobis,ut prędestinaret nos: Deus ꝓ nobis, ut uocaret nos.Deus pro nobis,ut iustificaret nos: Deus ꝓ nobis, ut glorificaret nos. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Prædestinauit,antequã essem⁹: uocauit,quũ auersi essemus:iustificauit, quũ peccatores essemus: glorificauit,quũ mortales essemus: Si Deus ꝓ nobis,quis cõtra nos? prędestinatis à Deo, uocatis, iustificatis, glorificatis qui uult aduersari, paret se si potest bellare aduersus Deũ, &c. Quęst. 64. Quòd autem Dominus interrogat, dicẽs: Vbi eum posuistis? uocationẽ nostrã,quæ fit in occulto,arbitror significari. Prædestinatio enim uocationis nostrę occulta est. cuius secreti signũ est, interrogatio Domini, quasi nescientis, quũ ipsi nesciamus,sicut dicit Apost. Vt cognoscã, sicut & cognitus sum. uel q, ignorare se peccatores alio loco Domin⁹ ostẽdit, dicẽs:Nõ noui uos, &c. De fide ad Petrum, cap.35.Firmissimè tene,& nullatenus dubites,omnes quos uasa misericordię gratuita bonitate Deus fecit ante cõstitutionẽ mundi,in adoptionẽ filiorũ Dei prędestinatos à Deo, neq; perire posse aliquem eorũ quos Deus prædestinauit ad regnũ cœlorũ: nec quenquã eorũ quos nõ ꝑdestinauit,ad uitã ulla posse ratiõe saluari.Prędestinatio enim illa,gratuitę donationis est prępparatio,qua nos Apostol⁹ ait prędestinatos in adoptionẽ filiorũ Dei,per IESVM Christũ in ipsum.

Prosper de Prædestinatione sic scribit: Prędestinationẽ Dei nullus catholicus negat: fatalẽ autem necessitatẽ multi, etiã nõ Christiani, refutant. In responsionibus ad capitula Gallorũ. Item: Infidelitas nõ credentiũ Euãgelio,nequaquã ex Dei prædestinatiõe generatur. bonorũ enim Deus autor est,nõ malorũ.Prędestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionẽ iusticiæ,aut ad donationẽ pertinẽs gratiæ.In responsionib. ad cap.Gallorũ, cap. 14..item cap.15. Potest sine prædestinatiõe esse prę scientia: prædestinatio autẽ sine præscięntia esse non potest. ad Gall. capitula, 14. cap. Itẽ: Nullo modo prędestinatio Dei iniquos facit, neq; cuiusquã omnino est causa peccati. ad cap. Gal. capite 14. Item: Prędestinatio Dei semper in bono est, quæ peccatũ sola hominis uolũtate cõmissum aut remittendũ nouit cũ laude misericordię, aut plectendũ cũ laude iusticię. cap.6. Itẽ ad capita obiectionũ Vincẽt.obiect.14. Ad pręuaricationẽ legis,ad neglectũ religiõis,ad corruptelã disciplinæ,ad desertionẽ fidei, ad ppetrationẽ qualiscũq; peccati, nulla omnino est prędestinatio Dei.Theodoret⁹ ait: Quorũ ꝓpositũ pręsciuit, eos ab initio prędestinauit.Cęterũ nemo pręscięti̇ã horũ causam esse dicat, non enim pręscientia eos tales effecit:

effecit: sed Deus, ut Deus, quæ futura erant, procul prospexit. in octauum caput ad Romanos. Item: Cũ nos ab initio prędestinasset, ad hanc uitam sortè elegit, qui quæcunque uult, facit. In primũ caput ad Galatas.

Isychius: Omnes, dicit, uocari quidem à Christo, sed nõ omnes iustificari: quia multi uocati, pauci electi. libro 6. in uigesimũ tertium caput Leuitici.

Sedulius ita scribit: Prædestinatio alicuius rei multo antè in mente eius qui destinat quid futurũ sit, præfigurat. in primum caput epistolæ ad Romanos. Et: Ante mundi omnia tempora apud se proposuit, per filium saluare credentes. In primum caput ad Titum.

Primasius uerò sic inquit: Prædestinatus est ut prior omnibus resurgeret, & filijs Dei uitam resurrectionis aperiret: ut quomodo caput, sic & corpus eius resurgeret. In primam epistolam ad Romanos. Et ita desinit: Prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia uerò ipsa iam donatio. In undecimũ caput ad Romanos.

De prędestinatione etiam Theodulus inquit: Non quibuslibet id contingit, cęterũ ab Deo tãtummodo uocatis. Deinde ne existimetur Deus partẽ solummodo mortalium uocasse, subijcit: His qui secundũ propositum uocati sunt: ostendens, omnes qui dẽ uocatos esse: uerùm eos dũtaxat obedisse, adiutosq; à Deo esse, qui secundũ ꝓpositũ ac prædestinationẽ sint uocati. cap. 8. ad Rom. Et: Ne petamus causas eorũ quæ agit Deus, sed omnia potius bona cẽseam⁹, quicquid etiã agat, etiãsi nos ignoremus. nã infinita, adeoq; inscrutabilis iudiciorũ Dei natura est. cap. 9. ad Rom. Et Iunilius: Vidit Deus q̃ esset bonum. Deus dixit, ante quã animantia uiua ꝓducta essent. nec mirũ, apud quem rerũ perfectio nõ cõsumma tione operis, sed suæ est prædestinatione uoluntatis. In Genesin.

Eucherius de conditione hominis ante lapsũ loquẽs, inquit: Illud credendũ, quòd tãta multitudo nasci potuit hominũ, quoad usq; prędestinatorũ sanctorũ numerus compleretur, quanti & nunc ꝑ Dei gratiã colliguntur. Lib. 1. in Genes. cap. 8. Et: Nulla quę in hoc mũdo hominibus eueniũt, absq; omnipotentis Dei occulto consilio fiunt. Nam cuncta De⁹ futura præsciẽs ante secula decreuit, qualiter per secula disponãtur. Statutum quippe iam homini est, uel quantũ hũc mũdi prosperitas sequatur, uel quantũ unũquẽq; aduersitas feriat, ne electos ei⁹ aut immoderata ꝓsperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Statutũ quoq; est in ęterna ueritate, quantũ in ista uita mortali unusquisq; tẽporaliter uiuat, &c. In Cõ. in lib. Reg. 4.

¶Species prædestinationis sic recẽset Augustinus, de Prædestinatione Dei capite 2. In primis nefas est dicere, Deum aliquid nisi bonũ prędestinare. Sed prędestinationũ alię sunt alligationis, aliæ conditionis. Istæ sunt iusticiæ, illæ potẽtiæ: ut lucidius fiat quod dicitur, quę sunt alligationis & potẽtię, quę cõditionis & iusticiæ, demõstretur. Creauit Deus cœlũ & terrã, solẽ & lunã, diẽ & noctẽ. Prędestinauit insuper, ut cœlũ semper uoluretur, terra immobilis circumuoluenti cœlo loco cẽtri haberetur, Sol & luna diei noctiq; præessent, dies & nox certis tẽporibus uicissim succederẽt. Hæ prędestinationes potentiæ sunt, & alligationis. unumquodq; enim illorum quæ prædiximus, sic alligatum est suo operi per prędestinationẽ Dei, ut ab eo dimoueri nõ possit. Creauit Deus hominẽ, & prędestinauit, ut si obediens esset, ac à gustu uetiti pomi se abstineret, in uita permaneret: sin autem inobediens esset, sententiã mortis subiret. Hæc prędestinatio conditionis est, & iusticiæ. Non enim Deus ante casum hominis sic eum per potentiã alligationis prædestinauit mori, ut necesse esset eum mori: sed sub ea cõditione, si peccaret. Quia igitur peccauit homo, iustum erat ut moreretur: si non peccaret, nullo uinculo prædestinationis diuinæ morti alligaretur.

Prędestinatos non perire, ait Augustinus libro sexto contra Iulianum, capite tertio: Ex numero electorum & prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt uitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam nõ sunt huic uitę in ipsa scelerũm perpetratione subtracti: ut ostendatur & ipsis & alijs cohęredibus eorum, de quàm ꝓfundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacunque ætate moriatur. Absit enim ut prædestinatus ad uitam, sine sacramento Mediatoris finire permittatur hanc uitam. Propter hos Dominus ait: Hæc est autem uoluntas eius qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, &c.

Prædestinationem non esse ad peccandũ, Augustinus tradit ad undecimum articulũ sibi falsò impositum: Nihil ergo talium negociorum Deus prædestinauit ut fieret: nec illã animam turpiter nequiterq; uicturã, ad hoc ut aliter uiueret, præparauit: sed talem futuram non ignorauit: & de tali se iustè iudicaturum esse præsciuit: atq; ita ad prædestinationẽ eius nihil amplius referri potest, nisi quod aut ad debitam iusticiæ retributionem, aut ad indebitã pertinet gratiæ largitatem. Item ad duodecimum: Prædestinatio Dei, etsi apud nos, dum in præsentis uitę periculis uersamur, incerta est: apud illũ tamen qui fecit quæ futura sunt, incõmutabilis

lis permanet: nec quæ illuminauit obcæcat, nec quæ ædificauit destruit, nec quæ plantauit euellit: sine enim pœnitẽtia sunt dona & uocatio Dei. Et firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius. Nullo ergo modo prædestinatio Dei facit, ut aliqui ex filijs Dei sint filij diaboli, aut ex tẽplo Spiritꝰ sancti tẽpla fiant dæmonũ: aut ex mẽbris Christi mẽbra meretricis. Sed potius prædestinatio facit, ut ex filijs diaboli fiãt filij Dei, & ex tẽplo dęmonũ templũ spiritus sancti, & ex mẽbris meretricis fiant mẽbra Christi: quia ipse alligat fortem, & uasa eius rapit, eruẽs ea de potestate tenebrarũ, & transferens de cõtumelia in gloriã. Hi aũt de quib. dicitur (Ex nobis exierũt, sed nõ erãt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mãsissent utiq; nobiscũ) uolũtate exierũt, uolũtate ceciderũt. Et quia p̃sciti sunt casuri, nõ sunt prędestinati. Essent aũt prędestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate ac ueritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini causa labendi. Item ad decimumquartum: Ad prævaricationem legis, ad neglectũ religionis, ad corruptelã disciplinę, ad desertionẽ fidei, ad perpetrationẽ qualiscunq; peccati nulla est omnino prædestinatio Dei: nec fieri potest, ut per quem à talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in sanctitate uiuitur, si in uirtute proficitur, si in bonis studijs permanetur, manifestũ est munus Dei, sine quo nullius boni operis fructus acquiritur. Si aũt ab his receditur, & ad uitia atq; peccata trãsitur, nihil ibi Deus malę tentationis immittit: & recessurum non deserit, antequam deserat, & facit plerunq; ne deserat: aut etiam si discesserit, ut redeat. Cur aũt illũ retineat, illum nõ retineat, nec possibile est cõprehẽdere, nec licitũ inuestigare: quũ scire sufficiat, & ab illo esse quod statur, & non esse ab illo quod ruitur. Item in Ioannem tractatu 53: Quidam ergo inter se mussitant, & ubi possunt aliquando proclamãt, & turbulenta disceptatione contendunt, dicentes: Quid fecerunt Iudęi, uel quę culpa eorũ fuit, si necesse fuit ut sermo Esaię impleretur, quẽ dixit: Domine quis credidit auditui nostro? & brachiũ Domini cui reuelatũ est? Quib. respondemus, Deũ prędscium futurorũ, per prophetã prędixisse infidelitatem Iudæorũ: prædixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quenquã Deus ad peccandũ cogit: quia futura hominũ peccata iã nouit: ipsorum enim præscisit peccata, non sua: nõ cuiusquã alterius, sed ipsorũ. Quapropter si ea quę ille prędscisit ipsorũ, non sunt ipsorum, non uerè ille prędscisit. Sed quia illius prędscientia falli non potest, sine dubio nõ alij, sed ipsi peccant, quos Deus peccatores esse præscisit. Fecerũt ergo peccatũ Iudæi, quòd eos nõ cõpulit facere, cui peccatũ nõ placet: sed facturos esse prædixit, quę nihil latet. Et ideo si nõ malũ, sed bonũ facere uoluissent, nõ ꝓhiberẽtur, & hoc facturi prę uiderẽtur ab eo q nouit qd sit quisquã factu rus, & quid ei sit ꝓ eius opere redditur, &c.

Quid differãt prædestinatio & gratia, docet Augustinus lib. 1. de Prędestinatione sanctorũ, capite decimo: Inter gratiam porrò & prędestinationem hoc tãtùm interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia uerò, iam ipsa donatio.

Non omniũ rerũ rationes sciri posse, testatur Theodulus, inquiens: Pro ijs quę discis, gratus esto: ob ea uerò quę ignoras, ne sis ægro animo, compertũ habens, quòd omnia haud citra rationẽ eueniant, etiãsi huiusmodi rationes te lateãt. cap. 9. ad Rom. Et: Nũ si ignores causas rerũ harũ quas te Deus latẽre uoluit, ęgrè feres? Atq; ignorãtia tibi omnino cõducit, si modò spiritu Dei imbutus es. capite 9. ad Romanos.

DE PRAESCIENTIA.

AVgustinus lib. 6. Hypognosti con inquit: Vbi ergo cõmemoratio operũ Iudæ malorũ à sancto sit spiritu in Psalmis, priusquã esset præscitus est, nõ factꝰ, quòd talis aduersus Dei filiũ futurus esset. Si enim factꝰ esset, inculpabilis esset: & Dei opificio reputaretur, nõ Iudæ. Iniustè etiã in eũ ꝓlata sentẽtia dãnationis esset. Sed absit hoc à summè bono iudice, auctore omniũ bonorum Deo, damnatore uerò cũctorũ malorũ: quia mala Iudę, ut prędixi, prędscisit, nõ prędestinauit, uel fecit: & tñ in quib. prędscisit, iudicio iusto tradẽs eũ in re, pbũ sensum, ut impleret, pmisit. Et ideo pmisit, quia p Spiritũ sanctũ eũ peritурũ antè prędixit. Quia sicut Christũ oportebat pati p Iudã, prędicẽte sancto spiritu p ꝓphetas: ita oportebat Iudã perire, eodẽ sancto spiritu prædicẽte. Itẽ, de uera innocẽtia cap. 389: Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse quę prętereũt: sic Deus p̃sciẽtia sua nõ cogit faciẽda quę futura sunt. Et sicut homo quędã quę facit meminit, nec tñ omnia quę meminit facit: ita Deꝰ omnia quorũ ipse autor est præscit, nec tamẽ omniũ quæ prędscit ipse autor est. Quorũ aũt nõ est autor malus, iustus est ultor. Itẽ de correptione & gratia, cap. 9: Quicũq; ergo in Dei prouidentissima dispositione prędsciti, prędestinati, uocati, iustificati, glorificati sunt, nõ dico etiã nondũ renati, sed etiam nondũ nati, iam filij Dei sunt, & omnino perire nõ possunt: si uerò ueniunt ad Christum, quia ita ueniunt quomodo ipse dicit: Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet, & eum qui uenit ad me non eijciam foràs, &c. De ciuitate Dei libro quinto, capite nono: Quapropter & uolun-

& uoluntates noſtræ tantum ualent, quantum Deus eas ualere uoluit atq; præſciuit. Et ideo quicquid ualent, certiſsimè ualent: & quod facturæ ſunt, ipſæ omnino facturæ ſunt: quia ualituras atque facturas ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt. Ibidem: Non ergo propterea nihil eſt in noſtra uoluntate, quia Deus præſciuit quid futurũ eſſet in noſtra uoluntate. non enim qui hoc præſciuit, nihil præſciuit. Porrò ſi ille qui præſciuit quid futurum eſſet in noſtra uoluntate, non utiq; nihil, ſed aliquid præſciuit: profectò & illo præſciente, eſt aliquid in noſtra uoluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta pręſcientia Dei tollere uoluntatis arbitrium: aut retento uoluntatis arbitrio, Deum (quod nefas eſt) negare præſcium futurorum: ſed utrunque amplectimur, utrunq; fideliter & ueraciter cõfitemur: illud, ut bene credamus: hoc, ut bene uiuamus. Malè autem uiuitur, ſi de Deo non bene creditur. Vnde abſit à nobis, eius negare præſcientiam, ut liberi eſſe uelimus: quo adiuuãte ſumus liberi, uel erimus. Proinde non fruſtra ſunt leges, obiurgationes, exhortationes, laudes & uituperationes: quia & ipſas futuras eſſe pręſciuit: & ualẽt plurimũ, quantũ eas ualituras eſſe pręſciuit: & preces ualent ad ea impetrãda, quę ſe precãtib⁹ cõceſſurũ eſſe præſciuit: & iuſta præmia bonis factis, & peccatis ſupplicia conſtituta ſunt. Neq; enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturũ eſſe pręſciuit. Imò ideo non dubitatur ipſum peccare cũ peccat, quia ille cuius præſciẽtia falli nõ poteſt, non fatũ, nõ fortunã, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturũ eſſe p̃ſciuit: qui ſi nolit, omnino nõ peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiã hoc ille præſciuit. Item, de Libero arbitrio lib. 1. cap. 4. Nõ igitur quia Dei præſciẽtia eſt, neceſſe eſt fieri quæ præſcierit: ſed tantummodo quia præſciẽtia eſt: quę ſi non certa p̃noſcit, utiq; nulla eſt. Itẽ Soliloquiorũ cap. 28: Attamen mors peccatorũ peſsima, illorũ inquã, quos antequã faceres cœlũ & terrã, ſecundũ abyſſum multã iudiciorũ tuorũ occultorũ, ſemp autẽ iuſtorũ, præſciuiſti ad mortẽ æternam: quorũ dinumeratio nominũ & meritorum prauorũ apud te eſt, q numerũ arenæ maris dinumeraſti, & dimenſus es ꝑfundũ abyſsi, quos reliquiſti in immundicijs ſuis, quibus omnia cooperantur in malũ, & ipſa etiã oratio uertitur in peccatũ: ut ſi etiã uſq; ad cœlos aſcẽderint, & caput eorũ nubes tetigerit, & inter ſidera cœli collocauerint nidum ſuum, quaſi ſterquilinium in fine perdẽtur. De prædeſt. & gratia, cap. 5: Ab illo ergo, quia ætern⁹ & pręſcius, quia & iuſt⁹ & pius eſt, qui exercet debitã ſeueritatẽ, & exhibet indebitã pietatẽ, & habet in creandis atque eligẽdis hominibus, ſicut in luto figulus, poteſtatẽ, facta ſunt alia quidẽ uaſa in honorẽ alia uerò in cõtumeliã. Antequã faceret nos, pręſciuit nos: & in ipſa nos pręſcientia, cum nondũ feciſſet, elegit. Sed à quo hoc fieri potuit, niſi ab eo qui uocat omnia quæ nõ ſunt, tanquã ea quæ ſunt? Apoſtolus enim dicit: Qui elegit nos ante mundi conſtitutionem. Intra mundũ facti ſumus, & ante mundũ electi ſumus: atq; ita uno eodẽq; nec tranſeũte, nec futuro, ſed continuo tẽpore, uel ſi quo alio modo dici poteſt, ſi tamẽ apud Deũ eſt & pręſcire, & facere, & eligere, & præſciẽtia ſua incõmutabiliter permanente eligere faciendos, quos facturus fuerat eligendo.

Proſperait: Volũtas Dei nunquã uult niſi bona: pręſciẽtia autẽ & bona noſcit, & mala. Sed bona, quæ aut ipſe faciat, aut etiã ut nos faciamus imperat: mala autem, quę omnino ipſe non fecit, neq; fieri ſuaſit, aut impulit. In reſponſionibus ad capita Gallorum.

Theodoretus inquit: Deus cũ ſit bonus & humanus, nõ uult punire ex ſola præſciẽtia, ſed expectat operũ conſummationẽ. & ita omnibus oſtẽdit, quàm iuſtè puniat. Alioqui etiã lõgè ęquius eſt Pharaonis nequitiã patefieri, quàm Deũ crudelẽ appellari. Nã ſi puniuiſſet, antequã redarguiſſet, crudelis utique uiſus eſſet, & iniquus. Nunc autẽ perſpicitur Dei lõganimitas, & Pharaõnis impietas atq; feritas cõuincitur. quęſtione 8. in Exodũ. Item: Non decet ante peccatũ, ex pręſcientia pœnam infligere. quæſt. 64. in Geneſin.

Malos pręſcitos eſſe tantũ, nõ prędeſtinatos, Auguſtin⁹ lib. 6. Hypognoſt. Tenẽda eſt igitur incõcuſsè huius diſputationis regula, quæ diuinis teſtimõijs claruit, peccatores ni malis ꝑprijs, antequã eſſent in mũdo, pręſcitos eſſe tantũ, nõ prædeſtinatos. Pœnã enim eis eſſe prędeſtinatã ſecundũ q, pręſciti ſunt.

De prædeſtinatione & pręſcientia ſic ſcribit Auguſt. lib. 1. de prędeſtinatiõe ſanctorũ, cap. 10. Quę pręparauit De⁹ ut in illis ambulemus, prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſciẽtia nõ poteſt eſſe, poteſt autẽ eſſe ſine prædeſtinatione pręſciẽtia. prædeſtinatione quippe Deus ea ptæſciuit, quæ fuerat ipſe facturus. unde dictũ eſt: Fecit quę futura ſunt. Pręſcire autẽ potens eſt etiã, quæ ipſe nõ facit: ſicut quęcunq; peccata. Quia etſi ſunt quædã quę ita peccata ſunt, ut pœnæ etiã ſint peccatorũ (unde dictũ eſt: Tradidit illos Deus in reprobam mentẽ, ut faciant quæ nõ conueniunt) nõ ibi peccatũ Dei eſt, ſed iudiciũ. Quocirca prędeſtinatio Dei quę in bono eſt, gratię eſt, ut dixi, præparatio. Gratia uerò eſt, ipſius prædeſtinationis effectus.

DE CREATIONE.

NOn caſu hũc mũdũ extitiſſe, ſed à tota Trinitate eſſe cõditũ, perſpicuè docẽt.

Sic enim inquit Chryſoſtomus Homilia de Ioãne Baptiſta: Quòd pater & filius & ſpiritus ſanctus omniũ creatores ſunt, manifeſtè in iſto uerſiculo demõſtratur: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Sic Cyrillus inquit: Imò uerò quoniã uirtus ipſe patris, ſicuti unigenitus filius eſt, uniuerſa ſimul cũ patre & ſpiritu ſancto creauit. cuncta enim ex patre per filium in ſancto ſpiritu ſunt. lib. 1. cap. 5.

Leo inquit: Illa uirtus, illa ſapientia, illa eſt colenda maieſtas, quę uniuerſitatẽ mũdi creauit ex nihilo, & in quas uoluit formas atq; menſuras, terrenam cœleſtemq; ſubſtãtiam omnipotenti ratione produxit, ut ſol, luna & ſidera ſint commoda utentibus, ſint ſpecioſa cernentibus: ſed ita, ut de illis gratiæ referantur autori, & adoretur Deus qui condidit, non creatura quæ ſeruit. Sermone ſecũdo in natiuitate Domini. Proſper inqt:

Per uerbum omnipotens Deus omnia condidit unus,
A quo natura eſt nulla creata mali.
Et quod non fecit dies ſapientia uerbi,
Non habet in rerum conditione locum.

Libro Epigrammatum. Item libro de prouidentia Dei:

Hic nullis mundi cauſis extantibus in ſe,
Quicquid uellet habens, cum uiſum eſt omnia ſolus
Condidit ut uoluit, formas, numerosq;, modosq;,
Et genera & uitas ſtatuens, & ſemina rebus
Quicquid ineſt cœlo, quicquid terræq;, mariq;, &c.

Item: Quicquid creaturarum in cœlo eſt & in terra, in mari & in abyſsis, Deus fecit: nec eſt ulla natura, ulla´ue ſubſtãtia, quæ nõ præcepto eius extiterit. In creanda autẽ uniuerſitate rerum atq; formarũ, non operatio fuit laboris, ſed ratio uoluntatis: quam nullum præceſsit tempus, nullus eſt moratus effectus. in expoſitione Pſalmi 134.

Theodoretus: Scriptura Deum inquit ſimul uoluiſſe, ſimul quæ prius nullo modo fuerãt protuliſſe: abũdè enim locuples, reiq; nullius eſt indigus. libro quarto de materia & mundo. Item: Creatio enim, & quę fiũt in creatione, horarum mutationes, & temporum uiciſsitudines, noctisq; ac diei ſucceſsiones, nubium quædam ueluti parturitiones, aurę, uentorum, fructuumq; & ſeminum productiones, & quæcunq; eiuſmodi, nos apertè docent, & Deum eſſe omnium effectorem, & creationis clauum ſcitè & ſapienter tenere. Qui enim ſola ſua benignitate & humanitate adductus, fabricatus eſt, nunquam eorum quæ fecit curam omnem abiecerit, & abſque adminiſtratione reliquerit. in primum caput epiſtolę ad Romanos. Item: Ipſe omnia fecit, ipſe omnia quæ facta ſunt, perpetuò regit. in decimum caput epiſtolæ ad Romanos. Item: Creata eſt natura, quæ ſumpta eſt. unus autem eſt & noſter & eius creator & opifex. in ſecundum caput epiſtolæ ad Hebræos. Item: Oportet ante omnia oſtendere, quòd creationis eſt opifex, non qui (ut uult Valentini fabula) ex paſsiõe Achamoth formatus eſt, & poſt 35 æonum productiones ex conuerſione & paſsione factus eſt: neq; angeli quidem, ut uult Baſilides & Cerinthus & alij, quorum principatum dicunt obtinere Iudaeos: nec, ut execrandus Marcion, aliquẽ alium præter bonũ opificẽ eſſe dicimus: ſed uniuerſorũ Deũ cũ uerbo unigenito & ſanctiſsmo ſpiritu omnia eſſe fabricatum, & dicimus & docemus. Verbo enim Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnes uirtutes eorũ. Theodoretus in epitome diuinorum decretorũ. Itẽ: Scriptura ſacra diſertè docet, creaturam habuiſſe initium, & ab uniuerſitatis Deo creatã eſſe. in quæſtione prima in Geneſin. Itẽ: Nõ indiget Dominus Deus laudatorib. quippe qui natura nullius indigeat: ſed ſola bonitate ductus, angelis, archangelis, & uniuerſæ creaturæ largitus eſt ut eſſet. quæſtione tertia in Geneſ. Item: Filius & Spiritus ſanctus in fabrica mundi ſocij cõpares q; fuerunt. lib. 2. de principijs. Item: Illud rectè ac uerè dicitur, eſſe rerum omnium autorem Deum, qui nequaquam quod cęteri faciunt artifices, ex iam cõparata materia omnia hæc effecerit: ſed quæ prius nõ erant, in ipſum eſſe protulerit, uoluerit q; non antea exiſtentib. rebus præbere ut quãdoque eſſent. Facile eſt enim Deo, & exijs quę nondũ ſint, & ex ijs quæ ſunt, excudere aliquid ac proferre. hoc enim & ab initio olim fecit, & ſingulis (ut ita dicam) diebus facere cernitur. Theodoret⁹ lib. 4. de materia & mundo. Item: Cæterùm neq; terrã ipſam, neq; cœlũ, neq; aërẽ, neq; aquarũ naturam, neq; ignẽ, item nec lucẽ, ulla prius cõparata materia iuſſu Dei produxit: ſed ea omnia ipſe opifex Deus, cũ nulla eſſent, antea procreauit. Idemq; qui ceu conſeuit, cõpegit q; capaciſsimam mundi huius phaſelum, idẽ eandẽ quàm ſapientiſsimè cõdidit, aſsiduè nunc gubernat & dirigit. libro quarto de materia & mundo.

Philaſtrius in catalogo hęreſiũ ait: Naturarũ Deo adſcribenda eſt, nõ alicui uanitati.

Primaſius inquit: Omnis creatura oſtendit ſe non eſſe Deum, ſed eſſe alium qui eam fecerit, cui ſeruitio parêre neceſſe ſit. Naturaliter enim de Deo poteſt ſcire quòd ſit, & quòd iuſtus ſit, & ipſam creaturam non eſſe à ſemetipſa: quia maior per omnia omnib. nulla eſt, quia omnes ſe alterutram uincũt: aliæ magnitudine, ut cœlũ: aliæ claritate, ut Sol & luna, uel ſtellæ præclaræ. in primum caput ad Romanos. Et: Quicquid fecit & condidit Deus pater per unigenitum filium ſuum,

suum, in unitate Spiritus sancti. in octauum caput ad Romanos. Item: Ab ipso non solùm omnis creatura de nihilo facta est, sed ex ipso est omne bonum. in undecimum caput ad Romanos. Et: Verbum ergo Dei patris, per quod omnia facta sunt, unius essentię existens cum patre & spiritu sancto, ubique est, & omnia implet. in primum caput ad Ebræos. Item: Virtute igitur uerbi Dei cœlũ & terra subsistunt, quia uirtute iussionis eius omnia facta sunt, & sine ipso factũ est nihil. ibidem. Item: Deus omnipotens est, qui bona creauit primũ ex nihilo, deinde uerò ex elementis corpora hominum, aliorumq; animalium. Animam uerò hominis ex nihilo creauit, & creat adhuc. in 12 caput ad Hebræos.

Iunilius ait: Necesse est, ut qui mundum atque omnia in eo posita considerat, modis ordinibusq; distincta, intelligat esse Deum, qui hæc & fecerit, & gubernet. lib. 2. capite uigesimoseptimo. Et: Quòd aũt dixerit Deus, siue ut lux fieret, siue ut alia quæ perhibentur, non nostro more per sonum uocis corporeum fecisse credendus est: sed altius intelligendum, dixisse Deum ut fieret creatura, quia per uerbum suum omnia, uel per unigenitum filium suum fecit. Iunilius in Genesin.

De diuisione mundi ait Iunilius: Conditor totius mundi machinam, cum una domus esset, in duas diuisit regiones. Diuisionis autem hæc fuit causa, ut superna regio angelis habitaculum, inferior uerò præberet hominibus. in Genesin.

Sedulius ait: Deum patrem nostrũ, propter originem nostram, quia ab ipso creati sumus, & cuius nos filij sumus adoptione. in primum caput epistolæ ad Romanos. Et: Ex ipso, primo creationis omnium: & hoc ipsum, quòd quæ sunt, ex Deo esse cœperunt, significantiam dedit. in tertium caput epistolæ ad Romanos.

Saluianus ait: Vnus Deus omnes creauit, & unus Mediator recreauit. in secundum caput ad Timotheum.

Ex nihilo mundum creatum esse, docet Cyrillus: Absque manibus & materia ex nihilo ad esse cuncta Deus uerbo suo produxit, omnem naturam creaturarum superans. libro primo Thesauri, capite septimo. Prosper scribit: Creator omnium Deus, omnia ex nihilo formare dignatus est, ut Scriptura sancta proloquitur, ex materia inuisa, summa medijs, & media imis libratione perpendens. Nam quædam inuisibilia uisibilibus præferens, rationalia irrationalibus, & sensata insensibilibus, & uiuentia uitæ expertibus, in mensura, numero & pondere cuncta disposuit. Prosper in prologo de Promiss. & prædict. Dei.

Eugenius inquit: Ferebatur autem spiritus Dei super aquas, utpote creator, uirtute potentiæ suæ continens creaturam: ut ex his uiua omnia productus, ipse rudibus elementis ignis proprij fomenta præstaret. è formula confelsionis Eugenij. Et: Necesse est, ut creationis totius autor Deus unus sit. Victor in historia Vandalica. Et: Sicut Deus omnibus quæ sunt, dedit esse: ita & omnia prouidentia sua simul colligauit. Thalassius Hecatontade prima.

Theodulus: Perinde, inquit, atque omnium est conditor Deus, omniumque Deus & curator: consimilem admodum Abrahamum omnium patrem elegit, non Iudæorum tantum, uerùm cunctorum iuxtà credentium. in quartum caput ad Romanos.

Salonius ait: Vnus Deus conditor est omnium temporum, cunctorumque dierum. in Ecclesiasten. Et: IESVS Christus ipsarum aquarum conditor est, per potentiam diuinitatis, quia æqualis est Deo patri. in Ecclesiasten. Et: Pro quibus enim oportebat glorificare Deum, illique gratias agere, quòd mundum quem conspicimus, nobilissimum opus condiderit: è contrario tantum abest ut glorificauerint, ut ignominia etiam affecerint. Theodulus in primum caput ad Romanos.

Claudianus inquit: At quicunque de Deo ueraciter ac piè sentiunt, nihil ab eo non creatum, quod creari oportuerit, consequenter intelligunt. Causa enim creandarum rerum, bonitas creatoris est. libro primo de statu animæ, capite quarto.

Iunilius: Deus in principio temporum mundum creasse perhibetur per filiũ: Quia in ipso, ut ait Apostolus, condita sunt, quæ fecit in cœlis & terra. in primum caput Genes. Et: Necesse est, ut qui mundum atque omnia in eo posita considerat, modis ordinibusq; distincta, intelligat esse Deum, qui hæc & fecerit, & gubernet.

Eucherius ait: Deus non ex indigentia fecit opera sua, sed ex beneficentia atque omnipotentia: qui nihil indigens omnia creat, & misericors cuncta uiuificat, & in plenitudine sancta permanet, non nostris ampliandis laudibus, sed suis innotescendus collaudatur operibus: neque enim horum indiget, quæ facit. lib. primo in Genesin. Et: Notandum, quòd in ipso exordio cœli & terræ, tota Trinitas insinuatur creatoris. Nam pater in Dei intelligitur nomine, filius in principij, spiritus uetò sanctus qui superferebatur aquis. libro primo in Gene-

Geneſin. Item: Deus omnia quæcunq; uoluit in cœlo & terra, fecit: & etiá illa quæ futura ſunt fecit. libro quarto Comment. in libros Regum. Et: Ipſe eſt enim filius, per quẽ facta ſunt omnia: ipſe principium, in quo facta ſunt omnia. libro 1. in Geneſin, cap. 1.

Proclus ait: Ex Scripturis accepim⁹, quòd Deus uerbo ſuo mundum condidit, & creaturam quæ non erat produxit ex nihilo.

Cl. Marius Victorinus in præfatione Cõmentariorum ſuper Geneſin:

Nam tibi ſola Deus, gigni quod cuncta iuberes,
Cauſa fuit bonitas.— libro primo Geneſ.
Factum igitur conſtat mundum, quod quiſq; ſubactus
Annuit, & uero conuictus dogmate credit,
Concedens feciſſe Deum, qui numine uerbi
Et uirtute potens, quicquid natura putatur,
Diſpoſuit, iuſſit, monuit, &c.—

De ratione inquit Theodoretus: Deus onium ſex diebus uniuerſa creauit. ſeptimo uerò die nihil fecit, ſed hunc diem benedictione honorauit. quęſtione 43. in Exodũ. Et Iſychius: In ſex diebus hæc uiſibilis facta eſt creatura. libro ſeptimo in uigeſimũ quartum caput Leuitici.

De materia inquit Iunilius: Decente ſatis ordine mundus, ex materia informi congruam procedit ad formam. in Geneſin. Item: Quædam ex nihilo facta ſunt, ut cœlum, terra, & cætera, quæ uſque ad completum diem primum diximus facta: quædam uerò ex iam factis primo die. libro ſecundo, capite ſecundo. Item: De informi materia mundum eſſe factum, teſtatur Scriptura, quæ in Dei laudibus dicit: Qui feciſti mundum de materia informi. Nam cuncta quæ cum aquis & terra uidere ſolemus in mundo, uel de ipſis exordium materiæ, uel ſumpſere de nihilo. Ipſa autem terra & ipſę aquæ propterea nomen ſortitæ ſunt materiæ informis, quia priuſquam in lucem uenirent, unde formoſitatem haberent, non erat. Iunilius in Geneſin. Eucherius ait: Materia facta eſt ex nihilo, mũdi autem ſpecies de informi materia, quæ cœli & terræ nomine appellata eſt, nõ quia iam hoc erat, ſed quia iam hoc inde eſſe poterat. libro primo in Geneſ. cap. 1. Cl. Marius Victorinus inquit in prefatione Commentariorum ſuper Geneſin:

Tu uita, & genitor uitæ, luciſq; profundæ,
Tu lux uera Deus, tu rerum cauſa uigorq;,
A' te principium traxit, quodcunq; repentè
Ex nihilo emicuit, &c.—

Quando mundus conditus, Theodoretus ſcribit: Prima die primi menſis Deus iuſſit erigi tabernaculum, propterea quòd eodem ferè tempore Deus creaturas condidit. Cuius rei fidem facit arborum germinatio: Germinet, inquit, terra herbam uirentem, ferentem ſemen ſecundum genus & ſimilitudinem ſuam, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius ſemen in ipſo ſit ad ſimilitudinem, iuxta genus ſuum ſuper terram. Incipiente enim uere, prata florere ſolent, ſegetes ſemina concipiunt, arbores fructum emittunt. Ea de cauſa Deus etiam ſub idem tempus liberauit populum Iſrael à ſeruitute Aegyptiorũ. quæſtione 72 in Exodum.

Deum omnia conſeruare, docet Proſper de prouidentia Dei:

Omnem autem hanc molem mundi qui condidit, ipſe
Et regit: utq; nihil non ortum ſumpſit ab illo,
Sic nihil eſt quod ſtare queat factore remoto.

Theodoretus inquit: Non ſolùm eſt omnium opifex, ſed etiam curam gerit eorum quæ fecit, & gubernat creaturam, quæ ſtat per eius ſapientiam & potentiam. in primum caput primæ ad Coloſſenſes. Item: Scriptura Deum omnia procreaſſe teſtata eſt, non tamen ſicut cementarij ſolent, & nauium fabri, æris'ue cuſores atque aurifices, non inquam textorũ ac ſutorum modo, cæterorumq; artificum. Hi namq; cum ſibi prius materiam compararint, tunc demum forma illam efficiunt, eamq; excudũt, inſtrumentaque alij ab alijs commodò ſibi aſſumunt: ſed Deum, inquit, ſimul uoluiſſe, ſimul quę prius nullo modo fuerant protuliſſe. abundè enim locuples, reiq; nullius eſt indigus. libro 4.

Quomodo Deus adſit, Primaſius monet dicens: Natura Deus omniũ, merito & uoluntate pancorum. in primum caput epiſtolæ ad Romanos.

Saluianus inquit: Quòd in his omnib. & curare pariter res humanas Deum, & iudicare cognoſcas. lib. 1. de prouidentia. Et: Ecce habes præſentem, ecce intuẽtem, ecce in omni loco, cura & prouiſione uigilantẽ. lib. 2. de prouidentia. Item: Quid enim tam furioſum, quàm ut aliquis, cum Deum creatorem omnium rerum non neget, & gubernatorem neget: & cum factorem eſſe fateatur, dicat negligere quæ fecit: quaſi nulla hęc ei faciendorum omnium cura fuerit, ut quęq; feciſſet, negligere creatorem. Ego autem in tantum eum curam creaturarũ ſuarum habere dico, ut probem, priuſquam etiá crearet habuiſſe. Saluianus lib. 4.

Theodulus ait: Non quia alios quidem bonos, alios non tales Deus condidit: abſit. Omnia probè & pulchrè, decenterque facit, etiamſi nos non intelligamus, rationemq; ignoremus. in caput nonum ad Romanos. Et Salonius: In huius mundi rebus nihil eſt perpetuum, nihil glorioſum aut magnum: ſed omnia ſunt breuia, caduca & uana, quæ cernimus. in Eccleſiaſten.

Et: Cæ-

Et: Cœlum & terra, & omnia quæ in hoc circulo cõtinentur, per ſe quàm bona ſunt, quoniam à bono Deo creata ſunt: ſed comparata Deo, utiq; pro nihilo habenda ſunt. idem in Eccleſiaſten. Et: Omnia uana ſunt, quia tranſitoria: ueruntamen cuncta bona ſunt, quoniam à bono Deo creata: & bona quæ ſunt, non tamen ſemper, &c. in Eccleſiaſten.

Iunilius ait: Cum cœlo in principio duo mundi elementa, aqua uidelicet & terra, nominatim facta memorantur. Quibus tamen reliquà duo fuiſſe conſtat indita. in Geneſin. Item: D. Quoniam de creatione mundi tractatum eſt, competenter reſtat ut quęramus, gubernatio eius quot modis ſignificetur? M. Duobus. aut enim generalis eſt, aut ſpecialis. D. Quæ eſt generalis? M. Per quam ea quæ facta ſunt, ſecundum modum quo facta ſunt permanent. Quod ſignificatur, cum dictum eſſet: Vidit Deus quia bonum, & quia bona ualde, & benedixit ea. Quod & beatus Dauid oſtendit, dicens: Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit, & non præteribit. D. Quæ eſt gubernatio ſpecialis? M. Per quam ſingula, & maximè rationabilia gubernantur à Deo: ſicut præceptum in paradiſo de ligno. Sicut enim omnes creaturas diuina continet uirtus, ut maneant: ita etiam rationales diuerſis occaſionibus erudit, ut proficiant. D. Generalis gubernatio in quot ſpecies diuiditur? M. In duas. Aut enim ſucceſsione conſtat, aut ſtatu. Succeſsione: ut homines uel iuméta, cætaraq; quę morte uel corruptione pereũtia, renaſcentium ſimilitudine renouantur. Statu autem, ut ea quæ his paſsionibus non ſubiacentia, mundanis moribus obſequuntur: ut cœlũ, ſol, ſtellæ, & cætera. D. Quæ in eis alia differentia eſt? M. Quòd ea quæ renouatione ſoluantur: indigent etiam quibusdam remedijs, alimentis & pluuijs, nonnunquam & miniſterijs angelorum, cæteriſque ſimilibus: ea uerò quæ non per ſucceſsionem ſubſiſtunt, ſine aliqua tali mediatione diuinitùs gubernantur. Vtrum uerò & in ipſis per angelorum miniſterium aliquid agatur, ſecreta & difficilis quæſtio eſt. D. Specialis gubernatio quot modis fit? M. Tribus. Aut enim à Deo fit pro angelis & hominibus, aut ab angelis propter ſeipſos & homines: aut ab hominibus, propter ſe. D. A Deo pro angelis & hominibus quomodo fit? M. Per legislationem. Iunilius de partibus diuinæ legis, capitibus tertio, quarto, quinto.

Eucherius inquit: De minutiſsimis animalibus credendum eſt, quæcunque ex aquis uel terris nunc naſcuntur, in prima rerum conditione fuiſſe creata. in Geneſin, capite ſeptimo. Item: Rerum origo ſimul creata eſt, ſed ſimul ſpecie formata non eſt: & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ. in Geneſin capite 11.

Paulinus de perpetua Dei gubernatione inquit: Quis enim nõ uidet mundum iſtum corporeum ui incorporea gubernari, totamque molem infuſam atque permixtam magno uniuerſitatis corpori, diuini ſpiritus mente, qua facta eſt, agitari ad uitam? temperari ad uſum? contineri ad ſtatum? ordinari ad diuturnitatem? ad Iouium. Et: Quia niſi prophanis in dubium uenire non poteſt, mundum Deo autore confectum: proinde uentos, & omnia quæ intra mundum, partes molis eiuſdem, & quaſi uiſcera corporis ſint, non ad alterius regimen eſſe referenda. quia neque regi continerique paterentur diuinorum operum uirtutes, hoc eſt ſubſtantiæ naturarũ omnium, in tanta diſcordia ſui, niſi ab ea tantum natura atque uirtute, hoc eſt Deo, uno omnium conditore: à quo uno fieri, ordinariq́ue potuerunt, & cuius leges niſi ſeruarent, ſtatum ſuum nõ obtinerent. Multo autem ineptius eſt, ullam culpare naturam, & malam dicere: quoniam ſi à Deo omnia, & Deus bonus eſt, omnia profectò quæ fecit Deus, bona. Si qua autẽ ſunt in arcanis ſtatutorum eius altiora ſenſibus & cogitationibus noſtris, etiamſi rationem eorum conſequi & colligere non poſſumus, tutius tamen nobis eſt, magis occultas eſſe rationes, quàm nullas, credere. Quia non ambigendum omnia Dei eſſe, etſi nobis non ſint perſpicua, tamen eſſe conſulta. Itaque ſi totum mundum Deus qui condidit, & gubernat: quo in loco, uel cui creaturæ caſus & fatum aut fortuna dominabitur? ad Iouium epiſtola. Item ad Iouium:

—— *Quibus omniparens ſapientia Chriſtus,*
In ſeſe ipſe manens, ſemper nouat omnia rerum:
Atq; ut uult, operum Deus arbiter ipſe ſuorum,
Continet & mutat ſpecies, & tempora uitæ
Porrigit aut retrahit, cœlum, mare, ſidera, uentos, &c.

De fine creationis ſic ait Theodoretus: Sapienter quidam noſtrorum atque argutè inquit, è creaturarum magnitudine ac ſpecie, proportione quadam generationis autorem ſpectari. libro tertio de Angelis & dijs. Item: Deus omnia animalia in hominum uſum condidit, & ſtatim eis propter nos pabulum dedit: Qui producit, inquit, fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum. quæſtione 13 in Geneſin.

Iſychius inquit: Ex multiplici ornatu huius mundi factorem Deum intelligi. in Leuiticum libro tertio. Et: Sunt ſeptem hebdomades annorum quadragintanouem anni,

anni, quia in hebdomade dierum totum ſeculum humanum diuiditur: quãdo hic ipſe in ſemetipſo multiplicatus fuerit, & tota ſeculi completa fuerit uolubilitas, cuius tempus Creator definiuit, diu ſemetipſum uoluens ad finem peruenit. libro ſeptimo in 25 caput Leuitici. Item: Menſe ſeptimo ætas mundi uenit, cuius menſem primum dicimus eum qui fuit in paradiſo, ſecundum uſque ad diluuium, tertium uſq; ad Abraham, quartum uſque ad tempus quo deſcenſum eſt in Aegyptum, quintum uſque ad captiui tatem in Babyloniam, ſextum uſque ad aduentum Chriſti, ſeptimũ ipſum Chriſti aduẽtum. Iſychius lib. 7. in 25 caput Leuitici.

Sedulius ait: Filius per omnes, quia per ipſum creata ſunt. in primum caput ad Epheſios. Et: Noticia Dei manifeſta eſt ex fabrica mundi. ut enim Deus, qui natura inuiſibilis eſt, poſsit ſciri, opus ab eo factum eſt, quod opificem uiſibilitate ſua manifeſtaret, ut per certum incertum poſſet ſciri. in primum caput ad Romanos.

Theodulus inquit: Cognitio Dei manifeſtata eſt. per uiſibilem enim creaturam inuiſibilis Deus cognoſcitur. Et paulo pòſt: Vbi dixiſſet Apoſtolus, quòd ſuam illis Deus noticiam manifeſtaſſet, ipſiq; ſuapte ſponte eum neglexiſſent, iam hoc demonſtrat inquiens: Quoniam per ea quæ condidit Deus, ueluti per inuiſibilia & uiſibilia monſtrauit ſuam ipſius maieſtatem. Nam creatura uocem edens, per uiſum autorem ſuum deprædicat. in primum caput ad Romanos. Et: At quomodo per creationem æterni creatoris agnoſcitur uirtus & potentia? Quia cũ quæ generationis uia producta ſunt, corruptibilis ſint naturæ, ſuoq; tempore ad ſubſtantiam ſint traducta, horum autorem incorruptibilem & ſempiternum eſſe omnino neceſſarium fuerit. ibidem.

Iunilius inquit: Opus erat, ut à Deo præſens ſeculum fieret: quia decuit ut rationales creaturæ prius diſcerent, ut excitarẽtur in dubijs, ac tunc æternis poſtea fruerentur, & meritò data uiderentur probatis, & gratiora fierent reminiſcentibus tranſacta certamina: & plus glorificarẽt donatorem, qui pios in hoc ſeculo iuuat, & ut uincerent, & uictoribus æterna præmia concederet. libro ſecundo, capite 26. Et: Propter hominem omnia facta ſunt. in Geneſin. Item: Creaturarum aliquæ, id eſt rationales, propter ſeipſas factæ ſunt, ut angeli & homines: reliquæ uerò non propter ſe, ſed propter prædictos angelos aut homines factæ noſcuntur. Homo uerò principaliter ſecundum animã propter ſe, intelligendus eſt factus: nam ſecundum corpus conſequenter. libro ſecundo, capite ſecundo.

¶ De duratione mundi Iſychius uidetur ſentire, 6000 annos duraturum mundum. Vocat enim ſeptimum diem paſsim Sabbatum ſabbatorum, & numerum ſeptenarium conſummationem temporum ſignificare. libro ſexto in 23 caput Leuitici. Et libro ſeptimo in 25 caput Leuitici: Sex annis ſerere noſtrum agrum, & plantare uineam, & colligere fructus qui ex ea naſcantur poſſumus: id eſt uſque dum in uita hac & creatura hac uiſibili ſumus, quam ſex dierum numerus rectè ſignificat: quia in ſex diebus cõſtituta ſunt quæ uidentur omnia. Septimo autem anno, ſabbatum & requies erit terræ. Quando enim intelligibile noſtrum uenerit ſabbatum, id eſt præſentis ſeculi requies (de qua ait Paulus Hebr. 4. Ergo relinquitur ſabbatiſmus populo Dei, quem ſignat dies ſeptima, quia ſeptima die requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis, uidelicet uiſibilib⁹) tunc operationis nõ eſt tempus: & ideo nec agrum legis tunc ſerere, nec Euangelicam uineam plantare poſſumus.

De interitu mundi ait Iſychius: Duplex quędam infertur à Deo omnium uiſibilium conſummatio. una quidem, uniuſcuiuſque noſtrûm: alia autem communis humani generis, ipſorumq; horum quæ hanc quæ nũc eſt, conuerſationem conſtituunt. libro ſeptimo in 25 cap. Leuitici. Theodulus ait: Reuelationem, hoc eſt mundi finem, quando demonſtraturus eſt Deus, qui ´nã ſint filij Dei, qui ´ue filij ſathanę. in octauum caput ad Romanos. Salonius inquit: Nihil permanebit ſub ſole, quod non tranſeat, quoniam omnia uana ſunt. in Eccleſiaſten.

Vnde ſint mala, docet Eucherius: Omnia leguntur bona à Deo creata, quare quædam noxia inueniuntur? Bona condita ſunt, ſed malè agentib. data ſunt in flagellũ. Hinc per Prophetam dicitur: Ego Dominus faciens pacem, &c. Creare ſe Dominus mala inſinuat, dum bona condita peccatorib. in flagellum formet, ut ea ipſa per dolorem, quo feriunt, delinquentibus mala ſint, & per naturam qua exiſtunt, bona. libro primo in Geneſin, cap. 7. Item: His ergo à quibus receptus eſt Chriſtus, tribulationes induxit diabolus, & mortem. libro 1. in libros Regum.

Iohannes Caſsianus collatione octaua, capite ſexto inquit: Nihil mali à Deo creatum eſt.

DE FATO.

Contra fatum Chryſoſtomus ait: Reſurrectio eſt, & iudicium, & operum examinatio. Et quicunque fatum eſſe arbitrantur, hoc dicant, & mox huius morbi tabe cũrabuntur. Nam ſi reſurrectio eſt, & iudiciũ, non eſt fatum: quamuis plurimi id contendant. Homilia 44. in ſextum caput Ioannis.

Item,

Item in libro tertio contra uituperatores uitæ monasticę, ubi describit fidelem patrem, dicit eos homines per scelera & flagitia ferri qui in delicijs uiuunt. Horum igitur causa, iudicia, leges, mulctæ, uariaq; tormentorum genera instituta esse. His subijcit: Vnde quæso Fati nomen multum per ora omnium ubiq; uertitur? unde siderum irrationabilibus motibus cuncta quæ accidunt pleriq; imputant? ut quid fortunam, ut quid causam, quidam profitetur & prædicant? unde sine ratione, sine prouidentia, ac temerè ferri cuncta arbitrantur?

Prosper inquit: Fati opinio uana est, & de falsitate concepta: prædestinationis autem fides, multa sanctarum Scripturarum autoritate munita est. in responsione ad capita Gallorum.

DE ANGELIS BONIS.

ANgeli uox quid significet, exponit Augustinus, de eo quod dictũ est, Ego sum qui sum. Angelus enim officij nomen est, non naturæ. Nam angelus Græcè, qui Latinè nuncius appellatur. Nuncius ergo actionis nomen est. Agendo, id est aliquid nunciando, nuncius appellatur. Isychius, Angelos qui manserunt in prima origine creatiõis uocat angelos primitiuos, qui scripti sunt in cœlis. in nonum caput Leuitici.

Quid sint Angeli, tradit Chrysostomus in sextum caput Esaiæ: Seraphin, inquit, spiritus dicuntur, uirtutes incorporeæ supernę, numerosissmæ multitudinis, quarum uirtutem & beatitudinem per earum nomenclaturam nosse quis possit? Seraphin enim, iuxta interpretationẽ Hebraicæ linguæ, dicuntur ora ignita siue ardentia: nimirum purissima est eorum spirituum substantia, peruigil, mirè excitata, pernicissima & agilis maximè, uim habet operatoriã, omnis macułæ immunis est. Et Augustinus de cognitione uerę uitæ, capite sexto: Angelus autem spiritus est substantia incorporea, inuisibilis, sensibilis, rationalis, intellectualis, immortalis, bonorum lucida & impassibilis, malorum tetra & passibilis. Sed uidendum est utrum aliqua substantia talis in rebus creatis esse credatur, cum à nobis minimè uideatur. Angelos enim esse, ipsa insensibilia probãt, quę tam certam sui motus legem obseruant.

De substantia angelorũ Cyrillus ait: Angeli incorporei sunt, & non utuntur cibo, quemadmodũ terrestria corpora: sed naturæ spiritus sunt. lib. 4. cap. 10. in Ioannẽ. Et Faustus: Patres animarũ & angelorũ naturã asserũt esse corporeã, pro eo quòd initio circumscribantur, & spacio. in quodã S. Hieronymi tractatu: Globos siderũ corporatos esse spiritus arbitrantur. in libello de Creaturis. Itẽ: Licet enim nonnullas pronunciemus esse spirituales naturas, ut sunt angeli, archangeli, cæteręq; uirtutes, tamen incorporeæ nullatenus existimandæ sunt: habẽt enim, secundum Apostolum, corpora quibus subsistant. in libello De creaturis.

De ordinibus angelorum ita scribit Salonius: Decem principes ciuitatis sancti angeli sunt intelligendi, qui sunt principes ciuitatis, id est cœlestis Hierusalẽ. Sunt & principes Ecclesiæ, quia ipsi quotidie regũt eã, & custodiunt. Decẽ fuerunt ordines angelorum, sed unus cecidit per superbiã: & idcirco boni angeli semper ad hoc laborãt, ut de hominib. numerus adimpleatur, & perueniat ad perfectũ numerũ, id est denarium. in Ecclesiasten.

De substantia angelorũ inquit Eucherius: Certè angeli leuitate spiritalis naturæ sunt præditi, ita ut ubicunque uoluerint, statim quasi uolando perueniant: & hic cũ alis figurati, & prophetis cũ alis sunt ostẽsi. lib. 3. in libros Regum. Itẽ: Si natura incõmutabiles essent angeli, diabolus non utiq; cecidisset. Cõmutabilitati namq; naturæ in eis suffragatur cõtemplatio creatoris. Inde priuatus est apostata angelus, dũ fortitudinem suã non à Deo, sed à se uoluit constare. lib. 1. in Genesin, cap. 2.

Quòd angeli libero arbitrio sint conditi, Augustinus affirmat, de uera & falsa pœnitentia cap. 16: Angeli quoq; qui perstiterũt, si liberi non fuissent, unde coronarẽtur? potuerũt enim peccare, quorũ similes cecciderunt. Licet enim misericorditer cuncta creauerit, iusticiã tñ in misericordia, qui iustus est, custodire oportuit. Item de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 62: Tales creati sunt angeli, ut si uellent, in beatitudinis luce persisterẽt: si aũt uellẽt, etiã labi potuissent. Vnde & satan cũ sequentib. legionib. cecidit. Sed post eius lapsum ita confirmati sunt angeli qui perstiterunt, ut cadere omnino nõ possint: qui ne omnino iã caderẽt, uirtutẽ incõmutabilitatis acceperunt.

Angeli quãdo creati sint, Augustinus exponit Quæstionũ ad Orosiũ, 21: Porrò primꝰ dies ipse est Angelica natura, quæ primò cœli nomine nuncupata est. Vnde euidẽter ostenditur, primo die spiritalẽ factã, id est angelicã naturã: & sic hoc cœlum, quod oculis cernimus. Iunilius inquit: Ipsum cœlũ mox creaturam, suis incolis, hoc est beatissimis angelorum agminibus impletum est, quos in principio cum cœlo & terra esse editos, ac mox conditionem suam simul & totius creaturæ primordialis ad laudẽ conditoris retulisse, testatur ipse conditor, qui loquens ad famulũ suũ Iob, dicit: Vbi eras quãdo ponebã fundamẽta terræ? in primũ cap. Genes.

Esse creaturas angelos, Augustinus docet De ciuitate Dei libro undecimo, capite nono: Vbi de mundi constitutione sacræ literæ loquuntur, non euidenter dicitur, utrum uel quo ordine creati sint angeli. Sed si prætermissi non sunt, uel cœli nomine (ubi dictum est, In principio fecit Deus cœlum & terrã) uel potius lucis huius, de qua loquor, significati sunt. Opus autem Dei esse angelos, hic quidem, etsi non prætermissum, non tamen euidenter expressum est, sed alibi hoc sancta Scriptura clarissima uoce testatur. Nã & in hymno trium in camino uirorum, quum prædictum esset, Benedicite omnia opera Domini Dominũ: in executione eorundem operum, etiam sancti angeli nominati sunt. Et in Psalmo canitur: Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes uirtutes eius. Eucherius inquit: A Deo facti angeli monstrantur, sed quo die creati sint nusquã infert. Et postea addit: Ante omnẽ creaturã facti sunt, qa prior omniũ creata est sapiẽtia. qui ꝓpterea dicũtur sapiẽtia, inhærendo scilicet æternæ sapiẽtiæ. in Genes. lib. 1. cap. 2.

Angelos participatione & gratia sanctos esse, scribit Cyrillus lib. 4. Thesauri, cap. 1.

De angelorum distinctione ita loquitur Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 58: Quomodo autem se habeat beatissima illa & superna societas, quæ ibi sint differentiæ personarum, ut quum omnes tanquam generali nomine angeli nuncupentur, sicut in epistola ad Hebræos legimus: Cui enim angelorum dixit Deus aliquãdo, Sede à dextris meis? Hoc quippe modo significauit, omnes uniuersaliter angelos dici. Sunt tamen illic archangeli. & utrũ ijdem archangeli nominentur uirtutes, atq; ita dictũ sit, Laudate eũ oẽs angeli ei⁹, laudate eũ omnes uirtutes eius: ac si diceretur, Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes archangeli: & quid inter se distent quatuor illa uocabula, quibus uniuersam ipsam cœlestem societatem uidetur Apostolus esse complexus, dicendo (Siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates) dicant qui possunt, si tamẽ possunt probare quod dicunt. ego me ista ignorare confiteor. Sed nec illud quidem certũ habeo, utrũ ad eandẽ societatẽ pertineat sol & luna & cuncta sidera: quãuis nõnullis lucida corpora esse, non cum sensu uel intelligentia, uideantur. Item de cognitione ueræ uitæ, capite octauo: Sicut enim luna stellas, sol lunã in claritate excellere cernitur: sic quilibet superior ordo angelorum, inferiorem ab angelis usq; ad Seraphin, gloria, dignitate, claritate præcellere creditur.

Quales sint creati, docet Theodoretus inquiens: Deus uniuersam naturam incorporeorum creauit, rationalem eam & immortalem efficiens. Rationalis autem proprium est libero arbitrio potiri. Horum autem alij beneuolentiam erga creatorẽ conseruauerunt, reliqui uerò declinauerunt in malitiam. quæstione 36. in Genesin.

Omnes simul creatos, docet Theodoretus: Naturam spirituum, qui uideri nõ possunt, nequaquam ex duobus constituit, sed uniuersam simul semelque creauit. Quot enim millia eorum spirituum ab initio esse sanxit, tot repentè simul produxit, ut superfluus continuò illis futurus fuerit fœminarum usus: qui ut immortales, propagatione non indigent: utq; incorporei, commixtionem non patiũtur. Idcirco hagios (quasi angeos, id est sine terra) eos nuncupamus, tanquam nihil terreni insitũ habentes, sed cunctarum infirmitatum exortes, quæ circa terram gignuntur: unum uerò duntaxat munus sortitos, ut in cœlesti choro factorem suum hymnis concelebrent. Tum ut ministeria obeant, in quibus imperio diuinæ uolũtatis obediunt, ab uniuersorum Deo ad humani generis salutẽ gubernationem emq; summissi. Theodoretus libro tertio de dijs & angelis. Eucherius inquit: Si primò omnium factum est cœlum & terra, angeli postmodum facti sunt: Si angeli antè facti sunt, nõ primò omniũ fecit Deus cœlum & terrã. libro primo in Genesin, capite primo.

Quando creati sint, Iunilius docet inquiens: Indicat, superius illud cœlũ, mortalium omnium inaccessibile cõspectibus nõ inane creatum esse & uacuũ, ut terra: sed mox creatum suis incolis, hoc est beatissimis angelorum agminibus impletum. in Genesin.

Quòd & quomodo angeli Deum norint, Augustinus scribit Quæstionum ueteris & noui Testamenti, quæstione prima: Angeli aũt qui superiores hominib. sunt, quia plus de Deo aliquid sentiũt, nõ est dubiũ. Archangeli uerò, eo ipso amplius. Cherubim aũt & Seraphim, quæ potẽtiæ iuxta Deũ esse dicũtur, maiora de Deo sentiunt, nõ tamẽ cõprehendunt penitus quid Deus sit: quia nemo nouit patrẽ nisi filius, nec filium quis nouit nisi pater. Itẽ de cognitione ueræ uitæ, capite 31: Beatorum animæ & angeli, suo more, non nostro, eum semper uidẽt: nõ p interualla spaciorũ, sicut nos corporea uidemus, sed intra se, & extra se, in omni creatura, & extra omnẽ creaturã eum conspiciunt, nec ullo intellectus intuitu amplitudinẽ suæ claritatis excedunt. Et quia non ita pleniter ab ipsis, ut à se ipso, conspicitur uel intelligitur, ideo solus inuisibilis dicitur.

Angelos etiã nõ posse Deum uidere sicuti est, Augustinus docet lib. 1. Meditationum, cap. 29: Hinc etenim patenter datur intelligi,

gi, q̃ unde angeli te intuent̃, inde & nos post hãc uitã uidebimus te. Sed nec ipsi, pfectò te uidere possunt sicuti es. nulli deniq; alij tota, nisi tibi soli, nota est omnipotẽs Trinitas.

Quòd boni angeli sint cõfirmati, docet Augustinus quæst. ad Orosiũ 17. Omnes quidẽ angeli æquales creati sunt: sed cadẽtib⁹ illis per superbiã, cæteri Domino pia obedientia cohæserũt, accipiẽtes certã scientiã suę stabilitatis, quam illi nunquam habuerũt. Et sic sunt gratia Dei in omnibus circũdati, ut nũquam possint cadere à beata uita, qua fruuntur Domino cohærentes. Itẽ ad Laurẽtium in Enchiridio, cap. 29: Placuit itaq; uniuersi ratis creatori atq; moderatori Deo, ut quoniã nõ tota multitudo angelorũ Deũ deserẽdo perierat, ea quę perierat, in perpetua perditione remaneret. Quæ autẽ cũ Deo illa deserente perstiterat, de sua certissimè cognita semp futura felicitate secura gauderet. Itẽ de fide ad Petrũ cap. 23: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnẽ creaturã naturaliter mutabilẽ, à Deo incõmutabili factã, nec tamẽ posse quemlibet sanctorũ angelorũ in deterius mutari: quia sic acceperũt æternam beatitudinẽ, qua Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint. Sed hoc ipsum quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum: sed postquã creati sunt, gratiæ diuinæ largitate collatũ. Si enim angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus & eius angeli cecidissent. Item de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 59: Angeli uerò quia in illa, qua creati sunt, beatitudine perseuerant, non natura possident bonũ, ut nõ mutarẽtur cũ cæteris: sed arbitrio seruantes bonã uoluntatem, & bonum conditionis, & fidẽ Domino. propter quod & meritò ab ipso Domino sancti angeli uocantur, quòd tenuerũt arbitrio sanctitatẽ, nec sociorũ exemplo deuiauerunt à bono. Itẽ in eodem capite sexagesimoprimo: Virtutes angelicæ quæ in diuino amore perstiterũt fixę, lapsis superbientib⁹ angelis, hoc munere retributionis acceperunt, ut nulla iam rubigine surrepentis culpæ mordeãtur, ut & in cõtemplatione cõditoris sine felicitatis fine permaneant, & in hoc sic cõditę æterna stabilitate subsistãt.

Prosper ait: Volũtatis eorum angelorum fuit, quòd malis sponte cadentib⁹, ipsi in sua dignitate mãserũt: & diuino iustoq; iudicio factũ est, ut quę fuit cũ Deo suo manendi uoluntas, fieret permanendi uoluntaria felixq; necessitas. Et ideo, quia nec peccauerũt unquam, nec peccare iam possunt, illius contẽplatiuæ uitæ semel facti participes, inexplebiliter autorẽ beatitudinis suæ conspiciunt: ac merito suę stabilitatis inæternũ felices effecti, de sua permãsione securi sunt. Qui sum mũ solidũq; gaudiũ, quo insatiabiliter perfruuntur, de diuina contemplatione percipiunt, ac Deo suo infatigabiliter & amanter inseruiunt, ita perfecti beati, ut nec cupiant beatiores fieri ultrà, nec ualeant. De uita cõtemplatiua capite tertio.

Eucherius ait: A' uia ueritatis, in qua mox conditi positi sunt, nunquã aberrauerũt angeli. Et paulo pòst: Angeli sic suã perpetuò innocentiã cõseruãt, sic de animarũ sanctarũ in cœlis beatitudine cõgaudẽt, ut eis quoq; quos in terris adhuc peregrinari conspiciũt electis opẽ ferre non desinant, donec & illos ad cœlestẽ patriã introducant. in lib. 3. Regũ. Item: Voluntas electorum spirituum diuinę pietati concordat: & reproborum sensus suę malitiæ seruiens, iudicio districtionis eius obtemperat. lib. 4. in lib. Regum.

Quomodo angeli appareant hominibus, Augustin⁹ exponit Enchiridio ad Laurentiũ, capite 59. Itẽq; quis explicet, angeli cũ qualibus corporib⁹ apparuerint hominibus, ut nõ solũ cernerentur, uerùm etiã tangerẽtur? & rursus, nõ solida corpulentia, sed spiritali potentia quasdã uisiones, nõ oculis corporeis, sed spiritualibus uel mentib⁹ ingerant? uel dicãt aliquid, non ad aurẽ forinsecus, sed intus in animo hominis, etiã ibidẽ ipsi constituti? sicut scriptum est in prophetarũ libro: Et dixit mihi angel⁹, qui loquebatur in me. non enim ait, Qui loquebatur ad me, sed In me. Vel appareant & in somnis, & colloquãtur more somniorũ. Habem⁹ q̃ppe in Euangelio, Ecce angelus Domini apparuit illi in somnis dicens, &c. His enim modis uelut indicant se angeli, cõtrectabilia corpora nõ habere. Faciuntq; difficilimam quæstionem, quomodo patres eis pedes lauerint, quomodo Iacob cũ angelo tam solida contrectatione luctatus sit. Quũ ista quæruntur, & ea sicut potest quisq; cõiectat, nõ inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantiũ se scire q̃ nesciunt. Quid enim opus, ut hoc atq; eiusmodi affirmẽtur uel negentur, uel definiãtur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur? Item, de spiritu & anima capite 29: Cum homines mortui siue uiui hominibus dormiẽtibus uel uigilantibus apparent, non in ipsis rebus ut sunt uidentur, sed in quibusdam similitudinibus rerum. Istud autem angelicis fieri operationibus creditur, per dispensationẽ prouidentiæ Dei bene utentis bonis uel malis, secũdum inscrutabilem altitudinem iudiciorum suorum, siue hinc instruãtur mentes mortalium, siue fallantur, siue consolentur, siue terreantur: sicut unicuiq; uel præbẽda est misericordia, uel irroganda iustitia, ab eo cui misericordiam & iu-

dicium nõ inaniter decantat Ecclesia. Ibi siquidem sunt spiritus defunctorum, ubi non uident neq; audiunt quæ aguntur aut eueniunt in ista uita hominibus. Ita tamen est eis cura de uiuis, quanquam quid agant omnino nesciant: quemadmodũ cura est nobis de mortuis, quamuis quid agant utiq; nescimus. Nesciunt quidẽ mortui quid hic agatur: sed dũ hic agitur, postea audire possunt ab eis qui hinc moriendo ad eos pergũt, nõ quidem omnino, sed quantũ sinitur eis indicare, & eos oportet audire. Scire etiam possunt ab angelis qui hic nobis pręstò sunt, & animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam Dei reuelante cognoscere possunt quę hic aguntur, quæ necessarium est eos noscere. Quidam etiam ex mortuis ad uiuos rapi possunt, non per propriam naturam, sed per diuinam potentiam. Vtrum tamen ista fiant per eorum præsentiã, aut per angelos suscipientes eorum personam, affirmare non audeo. Deus enim omnipotens, qui est ubiq; præsens, per angelica ministeria usquequaque diffusa potest præbere ista hominibus solatia, quibus in huius uitæ miseria iudicat esse præbenda.

Non tantum angelos Deo, sed & hominibus ministerium præstare, sæpe testantur huius seculi Doctores. Chrysost. inquit in 1. cap. ad Heb. Hoc est eorum ministerium, ut propter nos ubiq; mittantur: & harũ rerũ exẽplis pleni sunt libri ueteris & noui Testamenti. Item: Missus est quidem & filius, sed non sicut minister, nec ut perfuncturus quibuslibet officijs, sed sicut filius unigenitus, eadem cum patre uolens atque desiderans. magis autẽ neq; missus est: neq; enim de loco ad locum pertrãsijt, sed carnem sumpsit. Isti autẽ loca permutãt, & prima loca in quibus fuerant deserentes, ad alia ueniunt trãseundo, in quibus nõ erant antea. Itẽ: Vnus quisq; credentiũ angelũ habet. nã & ab initio quisq; uirorum celebrium ac probatorũ angelum habebat. in primũ caput ad Colos. Sic & homilia uigesimasexta in 12. caput actuũ Apostolicorũ inquit: Et hoc uerum est, quòd unusquisq; angelum habet. In homilia de ascensione Domini inquit: Cum in aere angelorum multitudo uersatur, multo magis in Ecclesia, multo amplius hodierno die, quando eorum Dominus ascendit in cœlum. Et ut scias quòd angeli ubique uersantur, audi quod Paulus fœmineo pudori prospiciens, ait: Debent mulieres uelamen habere supra caput, propter angelos. Et iterum Iacob: Angelus, ait, qui liberauit me à iuuentute mea. Et illi qui cum Apostolis erant, aiunt ad Herodem: Angelus ipsius est. Et Iacob: Vide, inquit, castra angelorũ. Et meritò angelorum castra uidebantur in terra. nam sicut Imperatoris optimi prouisione urbes omnes, uniuersæ ciuitates, castella singula, manu militari aduersus hostilem muniuntur aduentum, & omnia loca diligenter armantur, ne barbarica incursione deleantur: ita & Deus, quoniam barbara & agresti mente rabientes dæmones, ad pacis euersionem ubique uersantur, ad tutelam nostram constituit exercitus angelorum, ut eorum præsentia dæmonum confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur. Augustinus inquit libro secundo Meditationum, capite tertio: Aequalia nostra sunt ad conuiuendum, scilicet angeli, qui etsi modò sunt superiores nobis, in futuro erunt æquales. Et inferiora nostra sunt, quia ad usum nobis: sicuti res dominorum dicuntur esse famulorum, non priuatione à Domino, sed quia sunt ad usum eorum. Ipsique angeli in quibusdam Scripturę locis nobis seruire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur. Vnde Apostolus ait: Quoniam omnes administratorij spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Neque id incredibile cuiquam uideatur, quandoquidem & ipse creator & Rex angelorum uenit non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis. Dicuntur enim angeli orationes & uota nostra offerre Deo, non quia Deum doceant: quia omnia antequam fiant, sicut & posteaquam facta sunt, nouit: sed quia eius uoluntatem super his consulunt, & quod Deo iubente completum esse cognouerint, hoc nobis euidenter uel latenter reportant. Item de ciuitate Dei libro decimo, capite decimoquinto: Sic itaque diuinæ prouidentiæ placuit ordinare temporum cursum, ut quemadmodum dixi, & in actibus Apostolorum legitur, lex in edictis angelorum daretur, de unius ueri Dei cultu, in quibus & personã ipsius Dei, non quidem per suam substantiam, quæ semper incorruptibilibus oculis inuisibilis permanet, sed certis indicijs per subiectam creaturam uisibiliter appareret, & syllabatim per transitorias temporum morulas humanæ linguæ uocibus loqueretur, qui in sua natura non corporaliter, sed spiritualiter, non sensibiliter, sed intelligibiliter, non temporaliter, sed (ut ita dicam) æternaliter, nec incipit loqui, nec desinit, quòd apud illum sincerius audiunt, non corporis aure, sed mentis, ministri eius & nuncij, qui eius ueritate incommutabili perfruũtur immortaliter beati: & quod faciendum modis ineffabilibus audiunt, & usque in ista uisibilia atque sensibilia perducendum incunctanter atque indifficulter efficiunt. Item de Trinitate libro

libro tertio, capite undecimo: Sed quid ultrà differimus ora eorum euidentissimo atque grauissimo alio documento oppilare? ubi non angelus singulariter, nec uiri pluraliter, sed omnino angeli dicuntur: per quos sermo non quilibet factus, sed lex ipsa data manifestissimè ostenditur: quam certè nullus fidelium Deum dedisse Moysi dubitat, ad subiugandum populum Israel. sed tamen per angelos datam ita Stephanus loquitur: Dura ceruice, inquit, & non circumcisi corde & auribus, uos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres uestri. Quem prophetarum non persecuti sunt patres uestri? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu Iusti, cuius uos prodistis legem edictis angelorum, nec custodistis. Quid hoc euidentius? Quid tanta autoritate robustius? In edictis quippe angelorum lex illi populo data est, sed IESV Christi per eam disponebatur & prænũciabatur aduentus. Item Soliloquiorum animæ ad Deum capite uigesimoseptimo: Insuper facis angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti ut custodiant me in omnibus uijs meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis nouę tuæ Hierusalem, & montes in circuitu eius, uigilantes & custodientes uigilias noctis super gregem tuum, ne quando rapiat ut leo animas nostras, dum non esset qui eriperet: ille antiquus serpens, aduersarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens semper circuit, quærens quem deuoret. Hi sunt ciues beatæ ciuitatis supernæ Hierusalem, quę sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, ut eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus uijs suis, confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ maiestatis tuæ. Diligunt nempe conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant. Ideoque magna cura & uigilanti studio adsunt nobis omnib⁹ horis & locis, succurrentes & prouidentes necessitatibus nostris, soliciti discurrentes inter nos & te Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus uijs nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes quàm piè, quàm honestè in medio prauę nationis cõuersemur, quantoque studio & desiderio quæramus regnum Dei & iusticiam eius, quantoque timore seruiamus & exultemus tibi in læticia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant uincentes, congaudent gaudentibus, de te inquam gaudentibus: compatiuntur patientibus, pro te inquam patientibus. Grandis est eis cura de nobis, magnus est affectus dilectionis erga nos: & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis, custodiunt quos tu custodis, & deserunt quos tu deseris: nec diligunt operantes iniquitatem, quoniam & tu odisti omnes operantes iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus, gaudẽt angeli, & tristantur dæmones. Quoties à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & angelos tuos suo gaudio defraudam⁹. Gaudium est enim eis super uno peccatore pœnitentiam agente, sed diabolo super uno iusto pœnitentiam deserente, &c. Cyrillus ait: Ministrant Deo, & perpetuis eum glorificationibus honorant angeli & archangeli, habentes sincerã in societate & nobilitate uirtutem. libro tertio contra Iulianum.

Angelos ad iusticiam seruitutemque paratissimos esse, libro primo super Ioannem, capite primo Cyrillus ait.

Theodoretus inquit: Quando natus est Saluator noster, chorus angelorum laudabat beneuolentiam diuinam, inclamans: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Partum quoq; sine semine & conceptione futurum, prædixit archangelus Gabriel: & in certamine contra diabolum initiò aderant angelorum multitudines. Accedentes enim angeli, inquit, ministrabant ei. Nec nõ intererãt passioni, & post resurrectionẽ sedebant in monumento, dixeruntque mulieribus: Quid quæritis uiuentem cum mortuis? Et post ascensionem ad cœlos, dixerunt sacris Apostolis: Quid statis aspicientes in cœlum? Hic IESVS qui assumptus est à uobis in cœlum, ita ueniet, quẽadmodum uidistis eum ascendentem in cœlum. Cornelio etiam indicauit angelus, quę sibi à magno illo Petro imminebant. Similiter diuinus Apostolus, dum nauigaret, his qui simul nauigabãt dixit: Angelus Dei apparuit mihi, cuius ego sum. quæstione 42 in Deuteronomium.

Eucherius inquit: Sed quia maior fit festiuitas internæ beatitudinis, de consortio adunatæ fraternitatis, extendũt Cherubim ad utrumq; parietem oraculi alas suas: quia lętantes in cœlesti patria, iustos utriusq; plebis uisione quoq; suę glorię ad laudẽ Creatoris excitant. Nec solùm de illorum felicitate lętantur agmina cœlestia, uerùm etiam nostri, qui foris adhuc positi, de profundis

ad Dominum clamamus, curã gerunt ſedulam. libro tertio in libros Regum. Et: Miniſterio angelorum in habitationem cœleſtis patriæ introducimur. ibidem. Item: Angelica ſunt miniſteria, quæ nobis de corpore egreſsis introitum uitæ cœleſtis referant. ibidem. Proclus ait: Miniſtrare namq; præceptũ eſt angelo, non dogma componere.

Cyrillus ait, angelos legẽ adminiſtraſſe: per eos enim dictatam eſſe. Filium uerò Euangelium prædicaſſe. libro octauo Theſauri, capite ſecundo. Theodoretus etiam affirmat, per angelos legem eſſe datam: quæſtione ſecunda in Geneſin.

Vnicuiq; genti proprium angelum præeſſe, imò ſingulos homines ſub unius angeli cura degere, docet Theodoretus quæſtione tertia in Geneſin.

Angeli nolunt adorari, ut Auguſtinus libro uigeſimo contra Fauſtum, capite uigeſimoprimo. Ipſi enim ſancti uel homines uel angeli exhiberi ſibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cum commoti miraculis quæ per eos facta ſunt, Lycaonij, tanquam Dijs immolare uoluerunt. Conciſis enim ueſtimentis ſuis, confitentes & perſuadentes ſe deos non eſſe, iſta ſibi fieri uetuerunt. Apparuit & in angelis. ſicut & in Apocalypſi legimus angelum ſe adorari prohibentem, ac dicentem adoratori ſuo: Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum. Iſta ſibi planè ſuperbi ſpiritus exigunt, diabolus & angeli ei⁹, ſicut per omnia tẽpla & ſacra Gentiliũ. Sic De uera religione cap. 55. inquit: Quare honoramus eos charitate, nõ ſeruitute, nec eis tẽpla cõſtruimus. Nolunt enim ſe ſic honorari à nobis: quia noſipſos, cum boni ſumus, templa ſummi Dei eſſe nouerunt. Rectè itaq; ſcribitur, hominem ab angelo prohibitum ne ſe adoraret: ſed unum Deum, ſub quo ei eſſet & ille conſeruus.

De pane angelorum ita ſcribit Auguſtinus quæſtione uigeſima: Ideo autem angelorum panis dictus eſt Manna, quia ea uirtute creatus eſt, qua angelica natura ſubſiſtit & uiuit. Per id ergo, quod de cœlo ueniſſe dicitur, angelorum dictus eſt panis. Item, de mirabilibus ſacræ Scripturæ, capite uigeſimotertio: Panis angelorum Manna dicitur, non quòd illo angeli qui cibo non egent, ſaturentur: ſed per angelorum miniſterium tale officium, ſicut lex & cætera populo præbebantur, quæ diſpoſita per angelos, in manu mediatoris tribuitur.

Angelos etiam corporeos eſſe, affirmat Auguſtinus, uerùm ſua ratione, De ſpiritu & anima, capite decimooctauo: Omnis uerò rationalis creatura corporea eſt: angeli & omnes uirtutes corporeæ ſunt, licet non carne ſubſiſtant. Et ex eo intellectuales naturas corporeas eſſe dicimus, quia loco circumſcribuntur: ſicut & anima humana, quæ carne clauditur, quæ idcirco in loco & localis eſſe dicitur. In loco, quia hic alicubi præſens eſt: localis, quia quod alicubi præſens eſt totum, alibi non eſt. Non habet tamen corporalem dimenſionem, nec corporalem circumſcriptionẽ, quoniam corporalis quantitatis expers eſt. Sed quiã per præſentiam & operationem in loco concluditur, localis & ipſa dicitur: ueruntamen non ſicut corpus, cui ſecundum locum, principium, medium & finis aſsignatur, circumſcriptum eſt, quod cum alicubi eſt totum, non poteſt ſimul eſſe alibi: quod de ſolis corporeis naturis cernitur. Incircumſcriptum uerò eſt, quod ſimul ubique eſt totum: quòd de ſolo Deo intelligitur. Circumſcriptum autem ſimul & incircumſcriptũ eſt, quod cum alicubi ſit totum, poteſt ſimul alibi eſſe totum, non tamẽ ubique: quod de creatis ſpiritibus cognoſcitur.

Quæſtionem, an angeli poſsint mulieribus miſceri, Auguſtinus explicat De ciuitate Dei libro decimoquinto, capite uigeſimoquarto: Vtrum poſsint angeli, quum ſpiritus ſint, corporaliter coire cum fœminis. Et quoniam creberrima fama eſt, multiq́ue ſe expertos, uel ab eis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandũ non eſt, audiſſe cõfirmãt, Syluanos & Faunos (quos uulgò incubos uocant) improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe aut peregiſſe concubitum, & quoſdam dæmones (quos Duſios Galli nuncupant) hanc aſsiduè immundiciam & tentare & efficere plures, talesq́ue aſſeuerant, ut hoc negare impudentiæ uideatur: non hinc aliquid temerè audeo diffinire, utrum aliquis ſpiritus elemento aereo corporali (nam hoc elementum etiam, cum agitatur flabello, ſenſu corporis, tactuq́ue ſentitur) poſsint etiam hanc pati libidinem, ut quomodo poſſunt ſentientibus fœminis miſceantur. Dei tamen angelos ſanctos nullo modo ſic labi illo tempore crediderim potuiſſe, nec dixiſſe de illis apoſtolum Petrum: Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed carceribus caliginis inferi retrudẽs tradidit in iudicio puniẽdos reſeruari: ſed potius de illis, qui primùm apoſtatãtes à Deo, cum diabolo principe ſuo ceciderũt, qui primum hominem per inuidiã ſerpentina fraude decepit. Angelos autem futuros etiam Dei homines nũcupatos, eadem Scriptura ſancta locupletiſsima teſtis eſt. Nam & de Ioanne ſcriptum eſt: Ecce ego mitto

mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam. Et Malachias propheta propria quadã, id est sibi propriè impertita gratia, dict⁹ est angel⁹. Verùm hoc mouet quosdam, quòd ex illis qui dicti sũt angeli Dei, & ex mulieribus quas amauerunt, non quasi homines generis nostri, sed Gigantes legimus esse natos: quasi uerò corpora hominum modum nostrum longè excedentia, quod etiã suprà commemoraui, non etiam nostris temporibus nata sint. Non'ne ante paucos annos, cum Romanæ urbis, quod à Gotthis factum est, appropinquaret excidium, Romæ fuit fœmina cum suo patre & sua matre, quæ corpore quodã modo Giganteo longè cæteris præeminere? ad quam uisendam mirabilis fiebat usq; quaq; concursus. Et hoc erat maximè admirationi, quòd ambo parentes eius nec tam longi erant, saltem quàm longissimos uidere consueuimus. Potuerunt ergo Gigantes nasci, & priusquã filij Dei (qui & angeli Dei dicti sunt) filiabus hominum, hoc est, secundum hominem uiuentium miscerentur: filij scilicet Seth, filiabus Cain.

DE ANGELIS *malis.*

Indicat Theodulus, peccatum interdum pro Diabolo accipi. nam sic inquit: Peccatum hic uidetur accipere ipsum diabolum: hunc enim Scriptura aliàs peccatum, aliàs sanè mendacium, nonnunquam uerò mortem appellat. Per peccatum itaq; deinceps occasionem accepit diabolus. Etenim præcepta legis Dei ceu materiem arti suę quandam faciens, hominẽ deduxit eò, ut diuersum à mandatis ageret. in caput septimum ad Romanos. Eucherius ait: Nec mouere debet, quòd exercitus cœli etiam repulsi angeli uocantur: quia & ipsi quamuis ab ęthereo cœlo expulsi sint, adhuc tamen in aereo cœlo demorantur. lib. 4. in libros Regum.

Cur diabolus interdum spiritus Domini appelletur, Augustinus exponit libro secundo ad Simplicianum, quæstionę prima: Malignũ spiritum, à quo uexabatur ipse Saul, ideo dictũ arbitror spiritum Domini, quòd occulto Domini iudicio Saulem uexabat. Vtitur enim Deus ministris etiã spiritibus malis, ad uindictam malorum, uel ad bonorum probationem: alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamuis enim inde sit quisq; malignus spiritus, quia mala uoluntate nocere appetit: tamen nocendi potestatem nõ accipit, nisi ab illo sub quo sunt omnia certis & iustis meritorũ gradib. ordinata: quia sicut non mala uoluntas à Deo, sic nõ est potestas nisi à Deo.

Diabolos ita definit Augustinus libro octauo de ciuitate Dei, capite uigesimo secũdo: Dæmones esse credendum est spiritus nocendi cupidissimos, à iusticia penitus alienos, superbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos: qui in hoc quidem aere habitant, quia de cœli superioris sublimitate deiecti, meritò irregressibilis trangressionis in hoc sibi congruo uelut carcere prædamnati sunt. Nec tamen quia supra terram & aquas aeri locus est, ideo & ipsi sunt meritis superiores hominibus, qui eos non terreno corpore, sed electo in auxilium Deo uero, pia mente facilimè superant. Sed multis planè participatione ueræ religionis indignis, tanquam captis subditisq; dominantur, quorum maximæ parti mirabilibus & fallacibus signis siue factorum siue prædictorum deos se esse persuaserunt. De uoce ait, libro de ciuitate Dei nono, cap. decimonono: Sed ubicunq; illarũ literarum hoc nomen positum reperitur, siue Dęmones siue dęmonia dicantur, nõ nisi maligni significantur spiritus. Item cap. uigesimo: Dæmones enim dicuntur (quoniam uocabulũ Gręcum est) ob scientiam nominati. Item contra Iudæos, Paganos & Arianos, cap. 2. Quid est diabolus? Angelus per superbiam separatus à Deo, qui in ueritate non stetit, autor mendacij à semetipso deceptus, alterum decipere concupiuit.

Isychius diabolum bestiam intelligibilẽ uocat, quæ capit homines negligentes cautelam & custodiam suam: probatq; testimonio Petri, Aduersarius uester, &c. libro 2. in 7 cap. Leuitici.

De differentia spirituum istorum inquit Ioannes Cassianus: Illud etiam nequaquã ignorare debemus, non esse omnes eiusdem ferocitatis & desiderij, sed ne unius quidem fortitudinis atque nequitiæ: & incipientibus quidem atq; infirmis non nisi infirmiores spiritus in certamine comparari: & his nequitijs spiritualibus superatis, gradatim semp aduersus athletã Christi robustior pugna succedet. Pro cõparatione si quidem uirium ac profectus humani, etiã difficultas colluctationis augetur. Et tamẽ nõ sine suo labore congrediũtur cũ sanctis. Ioh. Cassianus collatione septima, cap. 21.

Diabolus qualis sit conditus, Augustinus docet de ciuitate Dei libro quinto, capite nono: Itaque fecit ut diabolus institutione illius bonus, uoluntate sua malus, in inferioribus ordinatus illuderetur ab angelis eius: id est, ut prosint tentationes eius sanctis, quibus eas obesse desiderat. Et quoniam Deus, cum eum conderet, futuræ malignitatis eius non erat utique ignarus, & præuidebat quæ bona de malo eius esset ipse facturus, propterea Psalmus ait: Draco hic quem finxisti ad illuden-

illudendum ei: ut in eo ipso quod eum finxit, licet per suam bonitatem bonum iam p suam præscientiam præparasse intelligatur quomodo illo uteretur & malo.

Vnde mali angeli, Augustinus exponit, de natura boni aduersus Manichęos, capite 33: Quia uerò & ipsi mali angeli non à Deo mali sunt cõditi, sed peccãdo facti sunt mali. sic Petrus in epistola sua dicit: Si enim Deus angelis peccãtibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi detrudens, tradidit in iudicio puniendos seruari. Hinc Petrus ostendit, adhuc eis ultimi iudicij pœnam deberi, de qua Dominus dicit: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quamuis iam pœnaliter hunc infernum, hoc est inferiorẽ caliginosum aerem tanquam carcerem acceperint, qui tamen aer quandoque & cœlum dicitur, non illud in quo sunt sidera, sed hoc inferius, cui⁹ caligine nubila conglobantur, & ubi aues uolitant: nam & cœlum nubilum dicitur, & uolatilia cœli appellantur. Secũdum hoc apostolus Paulus eosdem iniquos angelos, cõtra quos nobis inuidos piè uiuendo pugnamus, spiritalia nequitię in cœlestibus nominauit. Quod ne de illis superiorib. cœlis intelligatur, apertè alibi dicit: Secũdum principem potestatis aeris huius, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.

Vnde sit malicia diaboli, Augustinus exponit libro sexto contra Iulianum, capite nono: Diabolus spiritus est immundus. Et utiq; bonum, quòd spiritus: malum, quòd immundus: quoniã spiritus est natura, immundus est uicio. Quorum duorum illud à Deo est, hoc ab ipso. Non itaq; tenet homines siue maioris siue infantilis ætatis, propter quod homines, sed propter quod immundi sunt. Item libro primo Hypognosticon contra Pelagianos: Diabolus enim natura est angelus: sed quòd natura est, opus Dei est: quòd uerò diabolus, uitio suo est, utendo malè naturæ suæ bono. Opera uerò eius mala, quæ uitia dicuntur, actus sunt, non res: quæ tanquam per se agere dicuntur aliquid, cum ea & per ea totum agit diabolus.

Leo inquit: Deus qui uniuersitatis est cõditor, nihil nõ bonum fecit. Vnde & diabolus bonus esset, si in eo quod factus est, permaneret: sed quia naturali excellẽtia malè usus est, & in ueritate non stetit, non in contrariam transijt substantiam, sed à summo bono cui debuit adhærere, desciuit. epistola nonagesimatertia ad Turbium Asturicensem episcopum.

Theodoretus ait: Serpens talem à Deo omnium conditore naturam non accepit. bonus enim creatus est, & unà cum inco-

poreis uirtutibus conditus. At ubi sponte in nequitiam declinauit, tum honore priuatus est, quem ab initio sortitus erat: & in terram proiectus, maledictionem recepit. quæstione 24 in Genesin.

Eucherius rectè inquit: Quoniam spiritus ille uoluntate qua malus erat, non erat Dei: creatura uerò qua cõditus erat, Dei erat: potestas autem quam non sua, sed Domini omnium æquitate acceperat, Dei erat. libro primo in libros Regum.

Non esse aliquos diabolos bonos, Augustinus scribit de ciuitate Dei libro nono, capite secundo: Apud plerosque enim usitatum est, dici alios bonos, alios malos dæmones: quæ siue sit etiam Platonicorum philosophorum, siue quorumlibet sententia, nequaquam negligenda est eius discussio, ne quisquam uelut dæmones bonos sequendos sibi esse arbitretur, per quos tanquam medios, dijs quos omnes bonos credit, dum conciliari affectat & studet, ut quasi cum eis posit esse post mortem, irretitus malignorum spirituum, deceptusq; fallacia, longè aberret à uero Deo, cũ quo solo, & in quo solo, & de quo solo anima humana, id est rationalis & intellectualis beata est.

Sponte diabolos ad maliciam conuersos esse, docet Theodoretus quæstione decimanona in Genesin.

Diabolum superbia lapsum, scribit Chrysostomus Homilia decimaquinta, in primum caput Ioannis: Initium superbiæ, non cognoscere Dominum. Non esset è cœlo eiectus, neque in diabolum uersus cecidisset angelus, nisi hoc se scelere coinquinasset. Hoc eum præcipitem dedit, hoc in gehennam intrusit, hoc malorum omnium ei causa fuit: hoc tantarum uirium est, ut omnem animi uirtutem, eleemosynam, orationes, ieiunium, cætera animi bona corrumpat. Item in Homilia de Adam & Eua: Vnus angelus primus, qui Sathahel dictus est, malignam & nephariam præsumptionem assumens, dixit: Ponam sedem meam in Aquilonem, & ero similis altissimo. Et ita pro tali præsumptione cecidit irreparabiliter, ut angelus primus præcipitatus de culmine angelico, Diabolus nominaretur. Ecce sine præcepto ita cecidit irreparabiliter, ut consequentes sibi hodie, hodieq; occidat. Augustinus in Iohannem, tractatu 49. Nemo ergo se palpet. de suo satanas est, de Deo beatus est. Quid est enim de suo, nisi de peccato suo? Tolle peccatum, quod est tuum: Iustitia, inquit, de meo est. Quid enim habes, quod non accepisti? Quæstionum ueteris & noui Testamenti, quæ-

stione

ſtione nonageſimaoctaua: Nemo fideliũ dubitet, diabolum apoſtaſiæ ſuæ autorem non habere. Ipſe enim totius erroris eſt principeps. Qui uidens à Deo factum ſe non mediocris potentiæ, auſus eſt præſumere diuinitatem, ut quia cæteros uidit inferiores, ſeipſum præferret ut Deum.

Cyrillus ait: Satanas qui è cœlorum ſummis tanquam fulgur præcipitatus eſt. Videbatur enim admodum pueriliter ſe geſsiſſe, quòd uoluerat eſſe Deus, imaginando ea quæ ſupernaturam ſuam ſunt, ſua eſſe. in dialogo De adoratione in ſpiritu.

Leo inquit: Incentor namque ille, autorque peccati, primùm ſuperbus, ut caderet: deinde inuidus, ut noceret: quia in ueritate non ſtetit, totam uim ſuam in mendacio collocauit, omniaque deceptionum genera de hoc uenenatiſsimo artis ſuæ fonte produxit, ut ab illo bono quod ipſe propria elatione perdiderat, ſpem humanæ deuotionis excluderet, eosque in conſortium damnationis ſuæ traheret, ad quorum ipſe reconciliationem pertinere non poſſet. Quicquid igitur hominum quibuslibet impietatibus Deum læſit, huius fraude traductũ, huius eſt nequitia deprauatum. Sermone quarto De collectis eleemoſynis.

Proſper ſcribit: Cum eſſent utrique ſine peccato creati, & ad ſeruiendum Deo ſuo feliciter inſtituti, eorum quidem uoluntate propria deprauati, noluerunt permanere quod facti ſunt: & quum ſe contra creatorem ſuum typo ſuperbiæ letalis hoſtiliter extuliſſent, de ſuperna cœli regione proiecti ſunt. Quos diuina ſententia eo ſupplicio condemnauit, ut quia noluerunt perſeuerare cum poſſent, nec uellent reparari, nec poſſent. Siquidem præuaricationis eorum fuit, quòd irreuocabiliter iudicij animaduerſione percuſsi ſunt: & ad damnationem iuſtiſsimam profectò pertingent, quòd uoluntatem redeundi ac facultatem penitus amiſerunt. de uita contemplatiua, capite tertio. Item: Superbia in ipſo diabolo, ut diabolus exangelo fieret, æternæ perditionis extitit cauſa. Denique & ipſe ſciens ſe per ſuperbiam de cœleſtibus corruiſſe, & in hunc caliginoſi aëris carcerem truſum, homini ſubuertendo uitium perſuaſit, ſerpentina calliditate ſuperbiæ. lib. tertio de uita contemplatiua, cap. 2.

De lapſu diabolorum ſic Iſychius ſcribit: *πενοδοξία* fuit angelorum præuaricatio. libro quarto in decimumtertium caput Leuitici.

Primaſius inquit: Diabolus per ſuperbiã id quod habuit perdidit. in primum caput ad Romanos.

Sedulius: Autor ſuperbiæ per elationem ſuam inuenit ſibi malum, quod antea non fuerat. in primum caput ad Romanos.

Ioannes Caſsianus dicit, Angelos quoſdam ſuam præſtantiſsimam ſtationem reliquiſſe, & lapſos eſſe ſuperbiẽdo. collatione octaua, capite decimo.

Paulinus ait: Vnus principum angelorum fuit, antequam deijciendo cadens fieret diabolus, cui dicitur: Quomodo cecidit Lucifer, qui manè oriebatur? Sed non ſicut ille, in æternum interitum damnati ſumus: quia ille autor peccati fuit, ſimulque pro ſe & pro homine punietur: qui eodem perijt ſcelere, quo perdidit. epiſtola quarta.

¶ Diabolum multos angelos ſecum ſeduxiſſe, Auguſtinus indicat Quæſtionum ueteris & noui Teſtamenti undecima: Dicimus, Diaboli apoſtaſiam multos angelos, id eſt ſpiritales potentias ſecum in præuaricationem traxiſſe, dum uoluit ſibi regnum impia præſumptione defendere. Quod Propheta Eſaias ſignificat, dicens: Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? id eſt, qui cæteris lucidior apparebas. Erat enim quaſi princeps multorum, inter quos clarior erat, & cum quorum ſocietate ad impium deſcendit certamen. Videns enim infra ſe multas ſpiritales potentias, quippe cum in paradiſo Dei præſtantior eſſet cognitione myſterij cœleſtis, ipſa elatione inflatus, uoluit dici Deus: hac ſcilicet ratione, qua etiam in præſenti uita exemplum eius quoſdam imitatos uidemus, qui contemplatione aggregatorum circa ſe militũ elati, ſatellitibus in hac re fomitem conſpirationis præbentibus, imperium uendicare ſibi uoluerunt.

De ſcientia diabolorum ſic ait Auguſtinus libro nono de ciuitate Dei, capite uigeſimo: Eſt ergo in dæmonibus ſcientia ſine charitate: & ideo tam inflati, id eſt tam ſuperbi ſunt, ut honores diuinos, & religionis ſeruitutem, quam uero Deo deberi ſciunt, ſibi fategerint exhiberi: & quantum poſſunt, & apud quos poſſunt, adhuc agunt. Ibidem capite uigeſimoſecundo: Dæmones autem non æternas temporum cauſas, & quodammodo cardinales, in Dei ſapientia contemplantur: ſed quorundam ſignorum nobis occultorum maiore experientia, multo plura quàm homines futura proſpiciunt. Diſpoſitiones quoque ſuas aliquando prænunciant. Denique ſæpe iſti, nunquam omnino illi falluntur. Aliud eſt enim temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia coniectare, eisque tempora

lem

lem & mutabilem modum suæ uoluntatis & facultatis inferere: quod dæmonibus certa ratione permissum est. Aliud est autem in æternis & incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius sapientia uiuunt, mutationes temporum præuidere, Deiq; uoluntatē, quæ tam certissima quàm potentissima est omniū, spiritus eius participatione cognoscere: quod sanctis angelis recta discretione donatum est. Itaq; nō solùm æterni, uerùm etiam beati sunt. Bonum autem quo beati sunt, Deus illis est, à quo creati sunt. Illius quippe indeclinabiliter participatione & contemplatione perfruuntur.

Quomodo decipiat, exponit Sedulius dicens: Astutia diaboli est, ut sub specie iustitiæ fallat incautos, id est uertendo bonum in malum: hoc est, pœnitentiam in desperationem. in tertium caput posterioris ad Corinthios.

De potentia diaboli inquit Ioannes Cassianus: Nulli dubium est, quin possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates: sed indicijs eas sensibilibus forinsecus colligentes, id est aut ex nostris dispositionibus, aut uerbis & studijs, in quæ propensius conspexerint nos inclinati. Cæterùm illas quæ necdum de internis animæ prodierunt, adire omnino non possunt. collatione septima, cap. 15.

De malicia eius inquit Synesius: Mortalium calamitates epulæ sunt malorum dæmonum. libro primo de prouidentia.

Vnde diaboli cogitationes hominum cognoscant, scribit Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus capite 81: Internas animæ cogitationes diabolum non uidere, certi sumus: sed motibus eas corporis ab illo, & affectionum indicijs colligi, experimēto didicimus. Secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur: Tu solus nosti corda filiorum hominum.

Quòd diabolus sit hostis generis humani, & quòd magna potentia id inuadat & affligat, docet Chrysostomus in secundum caput ad Ephesios: Diabolus dicitur princeps huius seculi, eo quòd omnis ferè humana natura seipsam illi tradidit, omnesque illi spontè ac uoluntarij seruiunt. Et Christo quidem interea innumera bona promittenti neque attendit quispiam: illi uero nihil tale promittenti, omnes sese subijciunt. Item in concione de Lazaro inquit: Diabolus circumcursat, obsistere cupiens nostræ saluti, non solùm ipse nihil hinc lucri reportans, uerùm etiam suo studio grauissima detrimenta sibi concilians. Is tamen usque adeò uesanus est, ut frequenter & illa tentet, quæ nequaquam geri possunt: nec illos solùm adoriatur, quos omnino confidit esse supplantaturum, deiecturumque: uerùm etiam eos, quos probabile est artibus ipsius fore superiores. Itaque cum audiret laudari ac mirificè prædicari Iob, ab eo qui nouit arcana omnia, nimirum Deo: sperabat fore, ut eum uiribus superior subuerteret. nec destitit omnia mouere, molirique quo supplantaret hominem: nec desperauit impurus ille ac sceleratissimus dæmon, idque cum Deus illi iusto tantum uirtutis suæ suffragio tribuisset. & posthæc non erubescimus, neque pudore suffundimur? Dic mihi, si quum diabolus nunquam desperet nostram perniciem, sed indesinenter eam expectet, nos fratrum salutem desperauerimus? Et tamen illum decebat, etiam priusquam expertus esset, à lucta abstinere. nam Deus erat, qui testimonium ferebat de iusto. Nec tamen abstinuit: sed præ nimio furore, quo fertur aduersum nos, etiam post Dei testimonium sperabat futurum, ut illius ætatis præstantissimo uiro superior euaderet. Cæterùm nihil est tale, quod nos in desperationem adigat, & tamen desistimus. Ac diabolus quidem, uetante Deo, non discedit à pugna aduersum nos suscepta: tu uerò, cum Deus mandet, extimuletque ad subueniendum lapsis, resilis, refugisque. Audierat diabolus loquentem Deum: Homo iustus, uerus, timens Deum, abstinens ab omni opere malo: quodque nullus esset illi similis ex ijs qui sunt super terram. & tamen post tanta taliaque iudicia perseueramen dicere: Quid si quando perpetuitate magnitudineque malorum irruentium ualeamus illum superare, & hanc excelsam deijcere turrim? Quis igitur erit nobis ueniæ locus, aut quid excusabimus, si cum tanta sit mali dæmonis in nostrum insanientis exitium uigilantia, nos ne tantulum quidem similis diligentiæ adferamus ad salutem fratrum nostrorum, præsertim cum Deum habeamus auxiliatorem? Augustinus in Apocalypsin, Homilia decima: Quando enim Diabolus de sanctis eijcitur, tanto magis eos persequitur. Item, de ciuitate Dei libro nono, cap. decimooctauo: Falsi illi fallacesq; mediatores dæmones, qui cum per spiritus immundiciam miseri ac maligni multis affectibus clareant, per corporalium tamen locorum interualla, & per aereorum corporum leuitatem, à prouectu animorum nos auocare atque euertere moliuntur, non uiam præbent ad Deum, sed ne uia teneatur impediunt. Item libro decimo de ciuitate Dei, capite 21: Moderatis aūt prefinitisque temporibus etiam potestas permissa dæmonibus, ut hominib. quos possidēt excitatis, inimicitas aduersus

Dei

Dei ciuitatem tyrannicè exerceant, sibiq́ue sacrificia non solũ ab offerentibus sumant, & à uolentibus expetant, uerùm etiam ab inuitis persequendo uiolenter extorqueant, non solùm pernicioſa non est, sed etiam utilis inuenitur Ecclesiæ, ut martyrum numerus impleatur: quos ciuitas Dei tanto clario res & honoratiores ciues habet, quanto fortius aduersus impietatẽ potestatum etiam usq; ad sanguinem certant. Hos multo elegantius, si ecclesiastica loquendi cõsuetudo pateretur, nostros Heroas uocaremus. Item libro undecimo de Genesi, capite decimosexto: Ab initio ergo homicida diabolus, quia ipse occîdit hominem primũ, ante quem nullus hominum fuit. In ueritate autẽ nõ stetit, & hoc ab initio ex quo ipse creatus est: qui staret, si stare uoluisset.

Cyrillus in Leuiticum libro tertio inquit: Ipse nunc nos ut peccemus instigat, ipse etiam cum peccauerimus accusat. Item: Falsò agnominatos Deos, hoc est dæmones immundos, certum est amaros infensosq́ue esse creaturis.

Quòd homines obsideat, Chrysostomus scribit: Cõsidera, inquit, quomodo dæmon ille subingressus mente destituit correptos, & quasi insanientes facit, & persuadet ut faciant planè alia quàm apparet. Homilia 53 in 28. caput Genes. Augustinus de consensu Euangelistarum libro 3. capite 3. inquit: Et cœna facta, cũ iam diabol' immisisset in cor, ut traderet eum Iudas. Quomodo enim intrat in cor, nisi immittẽdo iniquas persuasiones cogitationũ iniquarũ? Sed nunc intelligere debemus, à diabolo Iudã plenius esse possessum: sicut cõtrà in bono illi qui iã acceperant spiritũ sanctũ, quando eis post resurrectionẽ insufflauit, dicẽs: Accipite Spiritũ S. Postea eum cũ desuper missus esset die Pentecostes, utiq; plenius acceperunt. Post buc cellam ergo, intrauit tunc in eum Satanas.

Leo inquit: Non desinit hostis antiquus, transfigurans se in angelum lucis, deceptionum laqueos ubiq; prætendere, & ut quo quo modo fidẽ credentium corrumpat, instare. Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat uirus inuidiæ: nouit quem mœrore cõturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat. Sermone 6. in natiuitate Domini.

Theodoretus inquit: Ipse omnis uitij & iniquitatis est & pater & magister. in dialogo tertio Impatibili.

Isychius de operibus diaboli sic scribit: Diabolus tanquam ignis corrumpit eos qui ei se coniungunt, & inter se quodammodo mittunt. libro quinto in decimumsextum caput Leuitici.

Et: Confiteri inimicus peccata non sinit, imò suggerit ut occultemus animæ uulnera, ut non inueniamus medicum qui medicamentum posit imponere, salutemq́ue præstare. libro quinto in decimumsextum caput Leuitici. Item: Dæmones sunt animarum corruptores. libro 5. in 18. caput Leuitici. Item: Dæmones propter multitudinem gentes dicuntur. Hi cum nimis sint iniqui, & omni lætentur malicia, maximè tamen fornicatione, & nefaria fornicatione, ac multo magis idololatria gaudent: quia in his corpus & anima maculatur, & totus homo, qui terra appellatur, per hoc polluitur. libro quinto in 18. caput Leuit. Item: Dæmones accipientes occasionem ex nostra negligentia, contumeliam ingeruntnaturæ nostræ. libro quinto, in decimũoctauũ caput Leuit. Item: Dęmones antiquiores nobis sunt in conditione, quia inuisibiles sunt creaturæ: polluerunt autem hominum genus, inobedientiam ei Adam & alia post illum mala suggerentes, ueluti mendacium, homicidium, & quęcunque his similia sunt, ita ut Dominus de diabolo diceret: Ille ab initio mendax, &c. Suggesserunt autem eis qui mentem lubricam & uergentem ad malum habebant. nam nec Abel, nec Seth, nec Enoch, nec Noe, nec alijs iustis suggerere potuerunt. libro quinto in decimumoctauũ caput Leuitici. Item: Dæmones sunt bestiæ ex simili malicia, primùm sicut latentes, deinde ut uenenum importabile & mortiferum habentes. Isychius libro septimo in 26. caput Leuitici.

Philastrius inquit: Quòd illi angeli qui de cœlo deiecti sunt, non sint humanæ naturæ similes, non est dubium: nisi solùm, quia nefanda & contraria, contraq́ue legem suggerere, sicuti & nunc hominibus faciunt, prævalebant, intrantes in homines, id est suadentes: sicut Iudæis inimicus humani generis persuasit contra Deum, contraque sanctos prophetas talia scelera perpetrare. sicut scriptum est: Intrauit, inquit, Satanas in Iudam. Ita igitur & antè intrantes immundi spiritus in animas hominum ac fœminarum, malæ persuasionis scelera in orbem terrarum diffuderant. in Catalogo hæreticorum.

Maximus inquit: Nec mirum si diabolus emittat iniquitatis tenebras, cũ ipse sit nox omnium peccatorum. in homilia hyemali.

Marcus heremita inquit: Modica delicta admodum eleuat & extenuat diabolus. alioqui enim ad maius malum aut uitium hominem adducere non posset. Et: Cum uiderit diabolus mentem ex corde orasse, tunc magnas & malicioſas cogitationes animo ingerit: modicas enim uirtu-

uirtutes magnis in impresionibus subuertere non sustinet. Item: Diabolus uiolento incursu tentat, & peccandi principium commonstrat.

Salonius ait: Diabolus ab ipso mundi exordio regnauit in genere humano, & ideo senex dicitur. Stultus rex, quia quanto plures decipit, tanto magis sibi pœnam accumulat. In regno diabolinatus est IESVS Christus. in Ecclesiasten. Item: Diabolus est princeps huius mundi, spiritus eius est maligna suggestio. Hic persuadendo facit, ut mala cogitemus. in Ecclesiasten.

Eucherius inquit: Vtitur Deus ministris etiam spiritibus malis, ad uindictam malorum, uel ad bonorũ probationem, alio modo ad illam rem, alio ad istam. in librum primum Regum. Item: Maligni spiritus animos fidelium à meditatione sacræ lectionis secularia illis negocia inferendo retardant, ne uel ipsi per huius exercitium resistendi fiduciam sumant, uel alios fortè qui legere nesciunt, ad resistendum uicijs exhortando aut corripiendo accendant. Tollunt fabros armorum, cum eos qui sacra eloquia norũt, in tantis sceleribus obruunt, ut dicere bona quæ didicerant, prorsus erubescant. libro primo in libros Regum. Item: Malo spiritu utitur Deus ad ministerium iudicij sui. Appellatur etiam ipse spiritus Dei ad uindictam malorum, & disciplinam uel probationem bonorum. ibidem. Item: Grassabatur in iniuriam Dei diabolus, antiquæ artifex tyrannidis, multimodam Dei religionem destruere satagens. libro quarto in libros Regum. Et: Diabolus, qui princeps huius mundi est, omnibus uitijs suis aduersus genus humanum pugnare non desistit. libro quarto in libros Regum. Item: Malignus spiritus subductis prius bonis operibus, postea intelligentiæ lumen tollit. ibidẽ.

Synesius inquit: Sicut carbonibus accidit, ut facilè ab admotis facibus inflammentur, quòd iam ante ad ignem cõcipiendum sint idonei: ita dæmonis natura cum affectibus scateat, uel potius uiua quædam sit & motus compos affectio, ubi ad animum accesit propius, eam quę in hoc inest affectionem commouet, & producit facultatem in opus. impresione enim facit, quicquid facit. Quicquid autem actionem aliquam excipit, id ei assimilatur, à quo afficitur. Sic libidinem, sic iracundiam, & quæcunque his sunt gemina mala, dæmones consuetudine sua in animis, per eas partes quæ ipsis congruentes sunt, accendunt. libro primo de Prouidentia.

Quòd honorem Dei rapiant diaboli, docet Cyrillus libro quarto contra Iulianum: Abduxerunt enim omnino homines, ne scirent quis naturà & uerè uniuersorum sit opifex & dominus: & sibijpsis ab omnibus rapuerunt honorem, sacrificia, festiuitates, hymnos, gratiarumactiones, & in suis ministerijs solis ut recumberent homines persuaserunt.

Quòd specie quadam diaboli imponant hominibus, Augustinus asserit Quæstionum ueteris & noui Testamenti 27: Porrò autem hoc est præstigium satanæ, quo ut plurimos fallat, etiam in potestate se habere confingit, quod Apostolus inter cætera ait: Ipse satanas transfigurat se in angelum lucis. Vt etenim errorem faceret, in quo & ipse gloriaretur, in habitu uiri iusti & nomine se subornauit, ut nihil proficere spem, quam prædicabant, Dei cultoribus mentiretur: quando hinc exeuntes iustos, finxit esse in sua potestate. Libro de spiritu & anima, capite 26. Hoc sic intelligendum est, quoniam dæmones naturas non creant: sed aliquid tale facere possunt ut uideantur esse quod non sunt. Nulla enim arte uel potestate animus, sed nec corpus quidem, aliqua ratione in membra uel in lineamenta bestialia conuerti ueraciter potest: sed phantastica hominis, quod etiam cogitando siue somniando per rerum innumerabilium genera uariatur, & cum corpus non sit, corporum similes formas mira celeritate capit. Sopitis autem & oppressis hominis sensibus corporeis, ad aliorum sensum figura corporea perduci potest: ita tamen, quòd corpus ipsum hominis alicubi iaceat, uiuens quidem, sed multo grauius & expressius, quàm somno suis sensibus obseratis: phantasticũ autem illud ueluti formatum in alicuius animalis imaginem alienis sensibus appareat, talisq; homo sibi uideatur, qualis sibi uideri posset in somnis, & portare onera. Quæ onera, si uera sunt corpora, portãtur à dęmonib⁹, ut illudatur hominibus, partim uera onerũ corpora, partim falsa iumentorũ cernentibus, &c. Ibidem, cap. 17: Implere autem dicitur Satanas mentem alicuius, & principale cordis, non ingrediens quidem in eum & in sensum eius, sed fraude & iniquitate atq; omni malicia illum alliciens atque seducens, affectu maliciæ trahit per cogitationes & incentiua uiciorum, quibus ipse plenus est, utpote fallax, nequam & fraudulentus deceptor animarum. Non enim participatione naturæ seu substantiæ, ut quidã putant, animam implet diabolus, aut eius habitator efficitur: sed per fraudulentam deceptionem atque maliciam in eo habitare dicitur, quẽ implet. Solius enim Trinitatis est intrare & implere naturam, siue substantiam quam creauit, &c. Ibidem capite 28. Vnde quædam mulierculæ post Satanã conuersæ,

uersæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductę, credunt se, & profitentur, nocturnis horis cum Diana paganorũ dea, uel cum Herodiade & Minerua, & innumera mulierũ multitudine equitare, earumque iussionib⁹ obtemperare. Ipse namq; Sathanas, qui transfigurat se in angeliũ lucis, cum mentem cuiusq; mulierculæ cæperit, & hãc sibi per infidelitatẽ subiugauerit, illo transformat se in angelum lucis, in diuersarumq; personarũ species & similitudines: & mentem quam captiuam tenet, in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per deuia quæq; deducit. Et cum solus hoc patitur spiritus infidelis, nec in animo, sed in corpore euenire opinatur: idcirco nimis stultus & hebes est, qui hæc omnia quæ in spiritu sunt, etiam in corpore accidere arbitratur: cum Ezechiel & alij prophetæ, Ioannes etiam euangelista & Apostoli in spiritu, non in corpore uisiones uiderint. Item lib. secundo de Symbolo ad catechumenos, capite primo: Duo sunt genera armorum diaboli, ualde fortia, contra quæ uigilanter ac fortiter stare debet omnis miles Christi, qui triumphare cupit, & superare uirtutem diaboli. Quæ sunt ista duo armorum genera? uoluptas & timor. Alios enim uoluptate capit, alios timore frangit. Theodoretus ait: Mos est diabolo, diuina imitari, & aduersus prophetas quidem pseudoprophetas producere: angelorum figuram imitari, & homines decipere. in undecimum caput posterioris ad Corinthios.

Diabolum nihil posse contra mortales, nisi quantum ei Deus concedit, Augustinus docet de Trinitate libro tertio, capite octauo. Sic etiam Theodoretus docet, permittente Deo, Dæmones operari: quæstione duodecima in Deuteronomiũ. Item: Diabolo Deus concesit, ut hominis rationes atq; discursus, tentationum pugna uexaret: ut uidelicet eos corona dignos ostenderet, qui fortiter restitissent. Neq; enim diabolũ contra genus humanum armauit ipse, atq; instruxit, sed ad humanã utilitatem diaboli malitia usus fuit. Ita & medicos solere aiunt, qui ad morborum curationem uiperis nonnunquam serpentibusq; utuntur. libro tertio de Dijs & angelis. Ioannes Casianus inquit: Potestas nocendi non est posita in arbitrio dæmonũ. Collatione 7. cap. 21. Quomodo uincatur diabolus, Primasius docet, inquiens: Quia ergo diabolus per mortem hominis in mundo principatum præsumpserat, per mortem Christi temporalem uincebatur. In 2. caput ad Hebræos. Quòd & quomodo mali angeli sint profligandi, docet Chrysostomus in secundum caput Geneseos, homilia undecima: Hæc nostra salus est, hæ spirituales diuitiæ, hæc securitas, si sic nos ipsos quotidie munimus, & per lectionem, & per auditũ, & per spirituale uerbũ. Poterimus enim sic etiam ipsi inuicti fieri, & maligni dæmonis technas eludere, cœlestiaq; regna assequi, gratia & misericordia Domini nostri IESV Christi. Augustinus in Euangelium Ioannis, tractatu 7: Nolite timere: nec tentat ille, nisi permissus fuerit. Constat illum nihil facere, nisi permissus fuerit, aut missus. Mittitur tanquam angelus malus, à potestate dominante. Permittitur, quando aliquid petit. Et hoc, fratres, non fit nisi ut probentur iusti, puniantur iniusti. Item libro quarto de Trinitate, capite decimo ait: Sicut enim diabolus superbus, hominem superbientẽ perduxit ad mortem: ita Christus humilis, hominem obedientem reduxit ad uitam. Quia sicut ille elatus cecidit, & deiecit consentientem: sic iste humilitatus surrexit, & erexit credentem. De utilitate credendi, capite uigesimosecundo: Vera pietate homines Dei, aëream potestatem inimicam, contrariamque pietati exorcizando eijciunt, non placando: omnes tentationes, aduersitatesq; eius uincunt orando, non ipsam, sed suum Deũ, aduersus ipsam. Non enim aliquem uincit aut subiugat, nisi societate peccati. In eius ergo nomine uincitur, qui hominem assum psit, egitq; sine peccato, ut in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum: id est, per mediatorem Dei & hominum, hominem Christũ IESVM, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo.

De æterna diaboli abiectione, Augustinus scribit ad Orosium, contra Priscillianistas & Origenistas, capite 5: Quantũ possum tamen, etiam ego commoneo, ut de diaboli, angelorumq; eius correctione, & in pristinum statũ reparatione sapere nihil audeas. Non quia diabolo & dæmonibus inuidemus, & eo modo quasi uicem maleuolentię illis rependimus: cum illi non ob aliud nisi inuidentiæ stimulis agitati, nostra itinera quibus in Deum tendimus, perturbare conentur: sed quia ultimæ sententiæ summi & ueracissimi iudicis ex nostra præsumptione nihil addere debemus. Ipse enim similibus eorum se dicturum esse prædixit: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Nec mouere debet, ut hoc loco æternũ pro diuturno accipiamus, quòd alibi scriptum est: In æternum, & in seculum seculi, &c.

Prosper ait: Deus angelis peccantibus non pepercit. Parcit tamen peccantibus hominibus: quia homo diabolo seducẽte peccauit, ille uerò seipsum peccando seduxit.

de promissionibus & prædictionibus Dei, capite secundo.

Isychius inquit: In Gehenna maximè locus & sors dæmonum est. quod manifestat Dominus dicens: Discedite à me maledicti. lib. 5. in 18. caput Leuitici.

DE HOMINE.

DEfinitionem hominis recitat Chrysostomus in quintum caput prioris ad Timotheum, homilia tredecima: Videamus certè quid homo sit. Definiunt illum externæ sapientiæ autores, animal esse rationale, mortale, rationis ac disciplinæ capax. Nos ab illis hominis definitionem nequaquam mutuabimur, sed unde? Ex diuinis scilicet literis. Vbi nã igitur, quid sit homo, illę definiunt? Homo, inquiunt, fuit iustus, uerax, pius, abstinens ab omni opere malo: hoc nempe homo est. Et alibi iterum: Magnum quiddam est homo, & precio sum, uir misericors. Cæteros uerò qui eiusmodi nõ sunt, quantumlibet rationis participes fuerint, disciplinæque capaces, non nouit Scriptura appellare homines, sed canes & equos, & uiperas & serpentes, & uulpes, lupos, & si quid etiam hisce feris ignobilius est. Si igitur hoc homo est, quod Scriptura definiuit: qui in delicias soluitur, homo profectò non est. Quo enim pacto? cum nihil eis curæ sit, quæ hominem faciunt. Neque enim possunt deliciæ atque sobrietas in eodem habitare domicilio. Hæc enim se inuicem perimunt, sicut etiam externæ sapientiæ autores dicunt. Nam uenter pinguis non gignit sensum tenuem. Moris etiam Scripturæ est, homines inanimes dicere, cum carnales eos significare uult: & certè illis non deerat anima, sed mortua illa erat. Quẽadmodũ enim de his qui uirtute clari sunt, licet habeant corpus, dicere tamẽ solem°, Tot° anima est: ita & de carnalib. licet illis p uitã nõ desit anima, dicimus, caro est. Sic & Paulus aiebat his qui carnis opera nõ perficiebãt: Vos autem non estis in carne. Pari profectò ratione, & qui in delicijs uiuunt, non in anima, neque in spiritu, sed in carne sunt.

Hominem ex corpore & anima constare, monet Chrysostomus inquiens: Et idcirco de brutis dicebat Moises, sanguis eius anima est. In homine autem substantia quędã est incorporea & immortalis, multo interuallo corpus excellens, & tanto, quanto corporeis eminent incorporea. in secundum caput Geneseos, Homilia tredecima.

Sedulius inquit: Tria esse in homine, designat integrum corpus nostrum, & anima & spiritus. in primum caput epistolę ad Romanos. Et: Homo ex spiritu & carne constructus est. quando ergo carnalia agit, totus caro dicitur: quando spiritualia, totus spiritualis appellatur. in octauum caput ad Romanos.

Quòd homines sint à Deo, sic docet Chrysostomus in quartum caput prioris ad Corinthios, Homilia undecima: Duplici ratione Dei sumus, & creationis & fidei. Idcirco Dauid inquit: Substantia mea à te est. Et Paulus: Quod in eo uiuimus, & mouemur, & sumus. Et cum de fide uerba facit: Non estis uestri, inquit, sed empti estis precio. Omnia enim Dei. Leo inquit: Vnus nos conditor finxit, unus nos creator animauit: eodem cuncti cœlo & aere, ijsdem utimur diebus & noctibus. de ieiunio decimi mensis. Prosper inquit: Vniuersos homines non ignoramus à Deo singillatim creari, & de hac uniuersitate alios damnandos cum diabolo, alios regnaturos esse cum Christo. Quod ergo etiam hic creantur, qui æternæ uitę participes non erunt, nulla est culpa creatoris: qui naturę autor est, non uitij quod natura contraxit. in responsione ad capita Gallorum, capite decimotertio. Item:

Nondum erat in terris animal, dedit optimus autor
Hoc homini speciale decus: cumq; omnia uerbo
Conderet, hunc manibus, quo plus genitoris haberet,
Dignatur formare suis: substantia duplex
Iungitur, inq; unam coeunt contraria uitam.
Namq; anima ex nullis, ut cætera, gignitur, expers
Interitus, nisi quòd Domino cruciabilis una est.

libro de prouidentia Dei.

¶ Quibus homo substantijs constet, Augustinus docet de Ecclesiasticis dogmatibus, capite decimonono: Duabus substantijs tantum constat homo, anima & corpore. anima, cum ratione sua: & corpore, cum sensibus suis. Quos tamen sensus absque animæ societate non mouet corpus: anima uerò & sine corpore rationale suum tenet.

Animas à Deo creari, Augustinus tradit de origine Animæ libro primo, capite septimo: Proinde ne longũ faciamus, hoc certè sentis, quòd singulas animas singulis nascentibus etiam modò Deus faciat. Ac definit animam de, cognitione ueræ uitæ, capite quinto: Anima uerò spiritus est, substantia incorporea, corporis sui uita, inuisibilis, sensibilis, mutabilis, illocalis, palsibilis, nec quãtitatũ mẽsuræ, nec qualitatũ formæ uel coloris susceptibilis, memorialis, rationalis, intellectualis, immortalis. Et ne hęc uacillet definitio, ratio eã probationib. roboret. Anima est spiritalis substantia. Omne enim quod alij uitam subministrat, ipsum est necesse ut subsistat. Sed anima uitã corpori tribuit, igitur anima realiter subsistit. Hãc uerò uitã esse, ipsamet probat, dum præsentia sua corpus uiuificat, absentia sua idẽ mortificat. Hæc nobis quidem est inuisibilis, sed spiritibus

tibus uisibilis. Hanc etiam sensibilem esse constat, dum oculis colores, auribus sonos, naribus odores, palato sapores, manibus aspera uel læuia sentire præstat. Est quoq; mutabilis. Omne enim quod melioratur & peioratur, mutabile est: sed anima uitijs peioratur, uirtutibus melioratur: igitur mutabilis est. Est etiam illocalis. Omne quod loco includitur, altitudine, longitudine, latitudine aeris circumscribitur, corpus est: sed ratio docuit, Animam incorpoream esse, id est, nec corpus, nec aliquod membrum habere: igitur constat, eam esse illocalem. Non enim spacium aeris, ut corpus, occupat: nec corpus, ut aqua utrem, implet: sed ut calor toti igni illocaliter inest, ita anima totum corpus illocaliter possidet. Ignis quidem est uisibilis, sed calor inuisibilis & sensibilis, & quodamodo igne uiuificans: ita anima inuisibilis, sed sensibilis, uisibile corpus quadam occulta ui sensificat & uiuificat. Hæc est quoque passibilis. Omne enim quod mœrore afficitur, passbile est: sed anima dum uoluntatis suæ compos non efficitur, dolore mœsticiæ afficitur: igitur passibilis esse conuincitur. Ab hac quantitas excluditur, dum nec altitudine, aut latitudine, aut longitudine metitur: nec sex circumstantias, scilicet antè & retrò, dextrum & sinistrum, sursum & deorsum se includere patitur. Qualitas etiam formæ uel coloris ab hac secernitur, dum nulla forma uel humani corporis, uel ullius coloratæ rei illi adscribitur. Hæc est memorialis, quia præterita recolit. Est etiam rationalis, quia præsentia discernit. Est intellectualis, quia futura intelligit. Hanc esse immortalem, hinc constat, quòd memoriam sui apud posteros perenniter durare laborat.

Isychius ait: Duplex est enim nostra conditio: & unus quidem in nobis est de puluere, alter cœlestis: sed tamen unus uterque. Ait enim Moyses: Formauit Deus hominem de limo terræ. hic est ergo terrenus. Et insufflauit in faciem eius spiritum uitæ. apertissimè hic cœlestis est. Et factus est homo in animum uiuam: unum enim animal uterque. Qui siquidem se ad corporea & uoluptates conuertat carnales, totus homo terrenus, quasi extincto & concluso cœlesti, nuncupabitur: si autem circa sola uersemur animæ proficientia, concedamusque ei principatum gerere, & dominari corpori, rectè cœlestis dicitur, utpote terreno neglecto. Quando Adam per inobedientiam cecidit, proculdubio terrenus effectus est, & propterea audiuit: Terra es, & in terram ibis. id est, dilexisti corporis corruptionem, habes pœnam peccato tuo similem. libro secundo in octauum caput Leuitici.

Maximus inquit: Nisi fallor, ipse est figulus, qui uascula corporis nostri fecit è limo, de quo dicit Scriptura: Et fecit Deus hominem de limo terræ. ipse est figulus, qui carnium nostrarum cœnosum lutum uapore sui spiritus animauit, & materiem fluidam atque terrenam ignito calore decoxit. homilia de Iuda traditore.

Salonius inquit: Soli quippe Deo notus est ortus & occasus hominum. Quoniam ipse instituit tempus, in quo unusquisque & nasceretur, & moreretur. in Ecclesiasten. Marcus heremita ait: Deus, cum non essemus, nos fecit & condidit. Eucherius ait: Autor humani generis Deus. libro quarto in libros Regum.

Synesius ait: Dei semen mens hominis est. epistola centesimaprima.

¶ Materialem hominis explicat Isychius: Primùm formauit Dominus Deus de puluere terræ hominem, & tunc insufflauit in faciem eius spiritum uitæ. Hic est ergo noster cœlestis homo, qui in medio immundiciarum nostrarum est, qui etiam passionibus carnis oppugnatur, secundũ quod Paulus dixit Rom. 7: Video aliam legem, &c. libro quinto in decimumsextum caput Leuitici. Et: Caro nostra ex terrena materia est. in præfatione libri sexti in Leuiticum.

¶ De dignitate hominis Cyrillus ita scribit: Omnium conditor secundum imaginem & similitudinem suam, creaturam fecit mentalem & rationalem: nimirum quia bonus est, etiam Dei appellatione honorauit. Neque id indignũ est. Solemus enim & nos humanam imaginem hominem cõgnominare. Itaque mentalis & rationalis creatura maioris apud Deum est dignitatis, quàm ea quæ non est rationalis, & mentalis: meliorem etiam gloriam sortita uidetur, Dei appellatione insignita. etenim ex alijs creaturis nulla prorsus appellatur Deus. Libro secundo contra Iulianum. Itẽ lib. tertio Dialogorũ: Diuinam noticiam in natura hominis maximè fundatam fuisse, & ei genuinam omnis boni, & ad salutem necessarij cognitionem immisisse Opificem dicimus. Item libro quarto Dialog. Nam simul ut hominis natura ineffabilibus nutibus opificis producta est, etiam habitudine quadam cum spiritu honestata fuit. Sufflauit enim in faciem eius spiritum uitæ, non aliter quàm in animal, opinor, quod in sanctimonia & familiaritate cum Deo clarum expiret, nisi sancti spiritus honestetur præsentia. Item libro ter-

tio contra Iulianum: Erat itaque corpus immortale, uitam enim inseuerat ominum Opifex. Quoniam autem incorruptibile erat, desideria ad edulia & cibos ei inseuit, mens uerò nulla tyrannide ad hoc agebatur, utique admiratione digna. Faciebat enim liberè quod uolebat, cum caro nondum affectionibus quæ ex corruptione oriuntur, subiecta esset.

Dignitatem hominis commendat Chrysostomus, ita inquiens: Augustior quippe est homo, magisque uenerandus quàm Ecclesia. Non enim propter parietes mortuus est Christus, sed propter ista spiritus sancti templa. in decimumquartum caput ad Romanos, sermone uigesimosexto. Item: Angelis meliores & archangelis maiores nos esse oportet, utpote præ illis omnibus honoratos. Non angelos Deus, sicut Hebræis scribens dicit, sed semen Abrahæ assumpsit. Non principatum, non potestatem, sed nostram naturam assumpsit, & in sublimi sedere fecit. Paulo pòst subijcit: Ipse in extremam humilitatẽ uenit, & hominem in magnam sublimitatem euexit suoque ipsius sanguine saluauit. in primũ caput ad Ephesios, Sermone tertio.

Leo inquit: primus homo carnis substantiam accepit à terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, ut ad imaginem & similitudinem sui autoris uiuens, formam Dei bonitatis atque iusticiæ in splendore imitationis, tanquam in speculi nitore seruaret. Quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem, si per obseruantiam legis datæ perseueranter excoleret ipsam, illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta perduceret. Sed quia inuido & deceptori temerè, atque infideliter credidit, & superbiæ consilijs acquiescens repositum honoris augmentum occupare maluit, quàm mereri: non solùm ille homo, sed etiam uniuersa in illo posteritas eius audiuit, &c. Sermone quarto, in solennitate natiuitatis Domini.

¶ De imagine Dei, Theodoretus inquit: Homo est Dei imago, neque quo ad corpus, neque quo ad animam, sed tantum quod attinet ad principatum & imperium: ut cui ergo omnium quæ sunt in terra, imperium est creditum, Dei imago appellatur: mulier autem, ut quæ sit in potestate uiri, est uiri gloria, & ueluti imago imaginis. nam ipsa etiam alijs imperat: sed uiro subiecta esse, & ei parére iussa est. in undecimum caput prioris ad Corinthios. Item: Ego uehementer admiratus sum eos qui assequi ista non potuerunt: sed hominem ad imaginem Dei creatum esse dixerunt, partim quidem propter imperium & potestatem, partim uerò secundum ratiocinandi uim, partim autem secundum partem animæ intellectiuam. quæstione uigesima in Genesin.

Isychius: Ne polluatis animas uestras. primum quidem, quia donatum est animæ, esse ad imaginem Dei: & maximè in ea esse sanctificationem uult, utpote quæ principatum super omne animal tenet. libro tertio in undecimum caput Leuitici. Item: Imaginem eius cricundati sumus, & polluta quidem ea, à qualibet earum quæ uetitæ sunt, malarum & nefariarum actione necessariò irascitur: munda autem conseruata, in tantum placet, ut etiam inhabitet in nobis. Quod manifestat Paulus utrumque. ait enim sic: Nescitis quia templum Dei estis, &c. Consummatam ergo sanctificationem custodientes, totam in nobis habemus inhabitantem Trinitatis plenitudinem, si tamen templum Dei sumus, uidelicet patris: Christi autem corpus & membra, & spiritus sanctus in nobis habitet. libro quinto in decimumoctauum caput Leuitici. Item: Deus hominem secundum suam imaginem omnium animalium principem constituit. libro sexto in decimũnonum caput Leuitici. Philastrius de hæresibus pagina 66. ait: Imago Dei est anima omnis hominis, facta ex nihilo.

Faustus inquit: Imago ergo Dei dicitur, quia ei indulgenter ac dignanter inseruit ueriras iusticiam, ratio sapientiam, perennitas æternitatem. De imagine Dei est, quòd intelligit, quòd rectum sapit, quòd inter malum & bonum iudicio examinante discriminat. Et cum Dei bonitas, misericordia, patientia atq; iusticia sit, quanto quisque magis iustus ac patiens inuenitur, tanto magis Deo similis approbatur. libro secundo de libero arbitrio. Iunilius inquit: Quòd autem sit homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, testatur Apostolus, cum nos solerter admonet, ut hanc, quam in primo parente perdidimus, per gratiam eiusdem conditoris recuperemus in nobis: Renouamini, inquit, spiritu mentis uestræ: & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusticia, sanctitate & ueritate. Creatus est eridо Adam nouus homo de terra, secundum Deum, ut esset iustus, sanctus, uerus, subditus, & humiliter adhærens gratiæ sui conditoris: qui æternaliter ac perfectè iustus, sanctus, uerus existit. qui quoniam pulcherrimam hanc nouitatẽ in se diuinæ imaginis peccando corrupit, corruptamque ex se prosapiam generis humani procreauit: uenit secundus Adam, id est Dominus ipse

iple conditor noſter, natus ex uirgine, creatus incorruptibiliter atq; incommutabiliter ad imaginem Dei, id eſt, immunis omnis delicti, & plenus omnis gratiæ & ueritatis, ut imaginem ſuam in nobis ac ſimilitudinem exemplis ſuis reſtauraret, & donis. In Geneſin. Et: Nec prætereundũ, quòd cum creaſſe diceretur Deus omnem animam uiuentem, additum eſt, Atque mortabilem: ad diſtinctionem uidelicet hominis, quem facturus erat ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: ita ut ſi eius præceptа ſeruaret, perpetua uiueret incõmutabilitate beatus. Nam animantia cætera ita ſunt prima mox conditione facta, ut uel alia alijs in alimoniam cederent, uel ipſa ſuo ſenio deficientia perirent. Iunilius in Geneſin. Et: In hoc maximè factus eſt homo ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit, capax uidelicet rationis conditus, per quam & creata quæque in mundo rectè gubernare, & eius qui cuncta creauit poſſet agnitione perfrui. ibidem. Item: Omnis homo & nunc, in quãtum ratione utitur, imaginem Dei in ſe habet. ibidem.

Salonius inquit: Inter cuncta animantia terræ ſolus homo accipit à Deo rationem & intellectum, ita ut agnoſceret ſuum creatorem, & diligeret eum, ac timeret, & corde & ore ſimul laudaret. in Eccleſiaſtẽ.

Eucherius inquit: De ſolo homine dictum eſt, Faciamus hominem ad imaginem: quia rationalis creatura condebatur, ut cum conſilio facta uideretur, & ut nobilitas eius oſtenderetur. libro primo in Geneſin, capite octauo. Item: In interiore homine eſt conditoris ſui imago, imago in immortalitate, ſimilitudo in moribus. Item: Imago Dei omnium, ſimilitudo paucorum. Hæc namque imago Dei ab excellentia diuinæ ſimilitudinis diſtat, quòd imago Dei anima peccatrix eſſe deſinit. ad Dei autem ſimilitudinem, niſi anima ſancta fuerit, non peruenit: quia illa anima creata eſt per naturam, hæc dabitur conſummari per gratiam. Quoniam ſi nihil eſt aliud imago Dei, quàm mens naturaliter animæ humanæ collata: quid aliud erit ſimilitudo, niſi feliciter beatitudo conferenda? ibidem. Item: Poſt hæc fecit Deus hominem ad imaginem ſuam, perfectum ſcilicet uirum, qui non quemlibet ſanctorum uirorum imitando, ſed ipſam ueritatem contemplabiliter intuendo, operatur iuſticiam, ut ipſam intelligat & ſequatur, ad cuius imaginem factus eſt ueritatem. Eucherius libro primo in Geneſin, capite nono. Item: Fecit Deus hominem de limo terræ. Non uerò tale erat corpus mortale iam factum, quale primo homini creatum uidetur ante peccatum. Si hoc in quo nunc ſumus, tale eſt, quale aut fuit, aut erit? quia primi hominis corpus, etſi habuit in natura poſſe non mori: hoc etiam habuit, ut ſi peccaſſet, poſſet morte diſſolui. Iſtud autem cuius corruptio de peccato facta, & ad mortem mortalitas ducit, poſtquam cecidit in hanc moriendi neceſsitatem, ita eſt ab illius primi hominis creatione corporis immutatum, ut ad immortalitatem tranſire non poſsit, niſi per mortem. libro primo in Geneſin, capite duodecimo. Item: Nondum ſpiritalem hominem debem⁹ intelligere, quia factus eſt in animam uiuentem, ſed adhuc animalem. Tunc enim ſpiritalis effectus eſt, cum in paradiſo conſtitutus eſt, & præceptum perfectionis accepit. Itaque poſtquam peccauit, & emiſſus eſt de paradiſo, in eo remanſit, ut animalis eſſet. & ideo animalem hominem prius geſtamus omnes, qui de illo poſt peccatum nati ſumus: donec aſſequamur ſpiritalem Adam, id eſt, Chriſtum. Eucherius libro primo in Geneſin, capite duodecimo. Item: Verè ad imaginem Dei illi cõdidit ſunt, qui ſtudent quotidie mortificare membra ſua, quæ ſunt ſuper terram: & renouari ſpiritu mentis, qui ſecundum Deum creatus eſt: qui deponunt mendacium, & loquũtur ueritatem proximis ſuis, cum quibus ſunt inuicem membra. libro primo in Geneſin, capite quadrageſimotertio. Et: Corporis naturæ anima iuncta eſt. Eucherius in libros Regum, libro 4.

Fauſtus ait: Quatuor uirtutes Deo, quando hominem creauit, aſtitêre: uidelicet potentia, bonitas, ſapientia, atque iuſticia. libro ſecundo de libero arbitrio.

¶ Hominem fuiſſe naturæ mutabilis, libro octauo Theſauri, capite primo docet Cyrillus: Mutabilis naturæ pater noſter Adam fuit, eratque innatum ſibi ut poſſet modò iuſticiam diligere, & iniquitatem odiſſe: modò contra iniquitatem amplecti, & iuſticiam reſpuere. Hoc enim mutabilis naturæ proprium eſt: ideo à diabolo quoque fuit ſedulus.

Quomodo initiò ſimus conditi, monet Iſychius inquiens: Sancta fuit ab initio maſſa noſtra, ita ut Dei in ea habitaret ſpiritus. Quod demonſtratur ex eo, quòd auferre illud iraſcens minatus eſt Deus Geneſis ſexto: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternũ, quia caro eſt, &c. Ergo ſi habitabat ſpiritus Dei in homine, antequam omnes ſequi paſsiones carnis inciperent: ſancta meritò erat hominum maſſa. nam nec primitias ſanctus ſanctorum

ctorum ex ea assumeret. libro quinto in decimum sextum caput Leuitici.

¶ De corpore nostro inquit Chrysostomus: Sicut fictile uas nihil est aliud quàm coctum lutum, ita & corpus nostrum nihil est aliud quàm lutum animæ calore solidatum. in secundam ad Timotheum capite secundo, homilia quinta.

¶ De lapsu hominis inquit Leo: Superbia est illic, quia in sua homo potius esse, quàm in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se præcipitauit in mortem: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia prohibitus usurpatus est cibus: & auaricia, quia plus quàm sufficere illi debuit, appetiuit. epistola octogesimasexta ad Nicætam Aquileiensem. Prosper inquit: Anima quippe creata, in hoc stadio mundi labe uitiata, corporis subuersa eluuie, flagitiorum grauata ponderibus, nisi sanguine redempta fuerit Saluatoris, ablutaque spiritali unda, contagio inflicti uulneris carens, decorem collatæ gratiæ inuiolata fide seruauerit, eam in æternam pœnam cum carne uicturam, Euangelica fides admonet. de promissionibus & prædictionibus Dei. Item libro secundo de uita contemplatiua, capite decimonono: Non à creatore suo in creaturam diuinitatis affectatione collapsos, moueret aperta concupiscentia, nisi eos antè corrupisset occulta superbia: nec eis per serpentem Diabolus propinaret tam ferale consilium, nisi prius eorum deprehenderet appetitum. Et iterum: Concupiscentia carnis ab eis impleta est, quòd de ligno uetito gustauerunt: concupiscentia oculorum, quòd sibi aperiri oculos cupierunt: & ambitio seculi, quòd se fieri posse, quod Deus est, crediderunt. Proinde delectatione carnis, & oculorum curiositate, ac seculi ambitione corrupti, à ligno uitæ, ex quo eis arcendæ mortis, ac salutis continuandæ gratia præstabatur, abscisi sunt, & morbidam qualitatem eorum corpora contraxerunt, ut iuxta sententiam Dei eo die credâtur mortui, quo in eis pœnaliter facta est necessitas moriendi: & per lignum illud, quod scientiæ boni & mali ex causa nomen accepit, à quo se abstinere cum possent miseri neglexerunt, quid interesset inter bonum quod amiserant, & malum quod incurrerant, ipsa pœna sua decernerent: qui si amisso tanto bono, nullum malum incurrerent, quale perdidissent bonum, fortè nescirent.

Eucherius ait: Nihil ita quotidie homines, ut mortem uident: nihil ita obliuiscuntur, ut mortem. Agitur humanum genus rapida in occasum mortalitate, omnisque posteritas succedentium seculorum lege decurrit. in Epistola parænetica.

Paulinus inquit: Homo non intelligens honorem suum, hoc est naturæ suæ dignitatem, quæ cæteris in terra animantibus ratione dominatur: ideo rationalis factus, ut autorem suum intelligeret, nosset & coleret, abutens tanto munere creatoris ad licentiam erroris sui, comparatur iumentis, & similis efficitur. Epistola 4.

¶ De fine hominis, ait Leo: Si fideliter atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inueniemus hominem ideo ad imaginẽ Dei conditũ, ut imitator sui esset autoris. & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Seruatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Sermone primo de ieiunio decimi mensis.

Eucherius ait: Primum instituti atque in lucem editi hominis officium est, prorium cognoscere autorem, cognitumque suscipere, uitamq; id est diuinum donum, in diuinum officium cultumque conferre: ut quod Dei munere sumpsit, Dei deuotione consummetur: atque id quod ab eodem indignus cœpit, eidem subiectus impendat. Optimum deinde est, curam principalem animæ impendere, ut quæ utilitate prior est, non sit consideratione posterior. in epistola parænetica.

¶ De recuperatione imaginis Dei sic Cyrillus scribit: Conditi sumus & nos ipsi si ad imaginem & similitudinẽ Dei. Quod autem diuinam nobis efficit effigiem, utique est sanctificatio, hoc est in spiritu participatio filij: & certè quando hominis natura corruit, & imaginis pulchritudinẽ fœdauit, innouati sumus, ad exordium redeuntes per spiritum ad imaginem conditoris, nempe filij, per quem omnia à patre. libro sexto Dialogorum.

¶ De nouo homine ait Sedulius: Nouitas uitæ est, ubi ueterem hominem cum actibus eius deposuimus, & induimus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, & qui renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius qui creauit eum. in sextum caput ad Romanos.

¶ Veterem hominem sic interpretatur Theodulus, inquiens: Vetus homo, id est uita condemnata: uel ueterem hominem non naturam appellauit, sed prauam mentem & sententiam, quam baptismate dagi neci,

ri neci, affirmat in sextum caput ad Romanos.

De corrupto homine sic loquitur Synesius: Homo non est simplex quædam res, neque uniformis: sed simul habitare fecit Deus, in unius animalis constitutione, turbam potentiarum mixtam. Et sumus hydra, puto, animal monstrosius, & plura capita habens. Non enim eodem modo intelligimus, & appetimus, & tristamur: neque eodem modo irascimur, neque uoluptate afficimur, neque timemus, &c. Et addit, Quòd tamen inter omnia media sit ipsa natura, quam mentem uel rationem appellat. ad Imperatorem Arcadium, de regno.

De homine ante regenerationem sic scribit Paulinus in 10. natali Fecilis:

Quo nam igitur nunc ista modo mihi fabrica formã
Præbebit, qua me colere, ædificare, nouare
Sensibus, & Christo metandum condere possim?
Prompta quidẽ ratio est, quæ sit mea terra, quidin me
Rudus, & unde meo spinæ nascantur in agro.
Terra cor est, culpæ praui sunt rudera cordis.
Luxus iners, impurus amor, maculosa libido,
Rudera sunt animæ: sic corporis anxia cura,
Liuor edax, & auara fames, grauis ira, leuis spes,
Prodigáq; ambitio proprij sitiens alieni,
Spinæ sunt animo, quia semper inanibus angunt
Ancipites animas stimulis, quas iugiter urit
Defectus miseri metus, & miser ardor habendi.
Atq; ita & inter opes inopes, quasi Tantalus ille
Inter aquas sitiunt, nec habẽt quod habere uidentur.
Nam partis uti metuunt, seruata relinquunt:
Dumq; alimenta parant, uiuendi tempora perdunt.
Has igitur spinas, hæc rudera, mentibus hirtis
Egerere est opus, & primùm hanc euellere fibris
Cunctorum stirpem scelerum, qua pullulat arbor
Infelix: Domini radicitùs illa securi
Icta cadat, nostris ut nunquam germinet aruis.
Hæc si præciso de nobis fomite radix
Aruerit, cadet omne nefas, uitium omne peribit,
Matricisq; suæ causam mala cuncta sequentur,
Et moriente sua simul arbore poma peribunt.
Tunc bene purgato domus ædificabitur horto,
Et firmo fundata solo bene surget in altum
Fabrica diuini moliminis, ipse columnas
Eriget in nobis Christus, uetereśq; resoluet
Obstructæ pylas animæ, spaciumq; sibi rex
Sensibus efficiet nostris, ut inambulet illis.

De ueteri & nouo homine scribit Augustinus, de uera religione capite uigesimo sexto: Vt enim finis ueteris hominis mors est, sic finis noui hominis uita æterna. Ille namq; homo peccati est, iste iustitiæ. Sicut autem isti ambo nullo dubitante ita sunt ut unum eorum, id est ueterem atque terrenum, posit in hac tota uita unus homo agere: nouum uerò & cœlestem nemo in hac uitâ possit, nisi cum uetere (nam ab ipso incipiat necesse est, & usque ad uisibilem mortem cum illo, quamuis eo deficiente, se perficiente perduret) sic proportione uniuersum genus humanum, cuius tanquam unius hominis uita est ab Adam usque ad finem huius seculi, ita sub diuinæ prouidentiæ legibus administratur, ut in duo genera distributum appareat: quorum in uno est turba impiorum, terreni hominis imaginem ab initio seculi usque ad finem gerentium: in altero, series populi uni Deo dediti, sed ab Adam usque ad Ioannem Baptistam terreni hominis uitam gerentis, seruili quadam iusticia: cuius historia uetus Testamentum uocatur, quasi terrenum pollicens regnum: quæ tota nihil est aliud quàm imago noui populi & noui Testamenti, pollicentis regnum cœlorum: cuius populi uita interim temporalis incipit à Domini aduentu in humilitate, usque ad diem iudicij, quando in claritate uenturus est. Post quod iudicium uetere homine extincto, erit illa mutatio quæ Angelicam pollicetur uitam. Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur. Resurget ergo pius populus, ut ueteris hominis sui reliquias transformet in nouum. Resurget autem impius populus, qui ab initio usque ad finem, ueterem hominem gesserit, ut in secundam mortem præcipitetur. Aetatum autem articulos, qui diligenter legunt, inueniunt, nec zizania, nec paleas perhorrescunt. Impius namque pio uiuit, & peccator iusto, ut eorũ comparatione alacrius, donec perficiatur, assurgat.

¶ Quatuor hominum gradus facit Augustinus, libro expositionis quarundam propositionum ex epistola ad Romanos: Itaque quatuor istos gradus hominis distinguamus, Ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem, sequimur concupiscentiam carnis: sub lege, trahimur ab ea: sub gratia, nec sequimur eam, nec trahimur ab ea: in pace, nulla est concupiscentia carnis. Ante legem ergo non pugnamus, quia non solùm concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, sed uincimur: fatemur enim malè esse, cum utique nolumus facere: sed quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo iacemus: & dum surgere nolumus & cadimus, grauius affligimur, &c. Item octuagintatrium Quæstionum, quęstione sexagesimasexta: In prima ergo actione quæ est ante legem, nulla pugna est cum uoluptatib. huius seculi. In secunda, quæ sub lege est, pugnamus, sed

uincimur. In tertia pugnam⁹, sed uincim⁹. In quarta non pugnamus, sed perfecta & æterna pace requiescimus. Subiugatur enim nobis quod inferius nostrũ est: quod propterea non subiugabatur, quia superiorem nobis deseruieramus Deum.

DE LIBERO ARBITRIO *trio.*

CYrillus libro tertio contra Iulianum inquit: Parentes in Paradiso nõ sunt conditi cum ignorantia boni & mali. Rationales enim cum essent, humanam scientiam sortiti utiq; sunt in omnibus quę necessaria illis, & substantialiter agnita, demonstrante Deo; liberam autem habentes mentem à carnis uoluptatibus, & absurdis concupiscentijs, sanctam, beatisimãque uitam agebant. Vbi autem corruptio intrauit, ut dixi, & motæ sunt in carne uoluptates ad impietatem ferentes, non habuerunt simplicem scientiam mali, sed per experientiam ipsam infirmitate laborarunt.

De hac parte etiam Augustinus inquit, de fide ad Petrum capite uigesimoquinto: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, primos homines, id est Adam & mulierem eius, bonos & rectos & sine peccato creatos esse, cum libero arbitrio: quo possent, si uellent, humili & bona uoluntate seruire, atque obedire: quo arbitrio etiam possent, si uellent, propria uoluntate peccare. eosque non necessitate, sed propria uoluntate peccasse: illoque peccato sic in deterius mutatam humanam naturam, ut non solùm in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccati mortisq; dominium.

Reijcit Chrysostomus opiniones Stoicas de Genesi & fato: Crede, inquit, supplicium esse, & regnum: & credere desistes, esse aliquid genesin, quæ liberum arbitriũ tollat, & nos uiolenter necessitati subijciat. in 1. cap. prioris ad Timotheũ, Homilia secunda.

DE LIBERO ARBITRIO *in conuersione.*

Vtcunque describit liberum arbitrium Augustinus, libro tertio contra Pelagianos inquiens: Esse fatemur omnibus hominibus liberum arbitrium, & certa fide credimus, & prædicamus indubitanter. Sed cur dicatur liberum arbitrium, est paulum differendum. Arbitrium, ab arbitrando rationali consideratione, uel discernendo quid eligat, quid ue recuset, puto quòd nomen accepit. Vel ideo liberum arbitrium dictum, quòd in sua potestate sit positum, habens agendi quod uelit possibilitatem, quod est uitalis & animæ rationalis motus. Sed huiusmodi, ut antè iam dixi, fuit in homine protoplasto, cum ante peccatum maneret illæsus.

Porrò in parte Chrysostomus synergiam uoluntatis humanæ passim defendit, sicut infrà de Inclinationibus doctrinæ annotamus. In sermone tamen primæ Dominicæ aduentus inquit: Ante peccatum, liberum arbitrium habebamus bene operandi, non autem postea: quia non nostra uirtute post peccatum euadere possumus de manu diaboli, sed sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducimur, ubi tempestas uoluerit: sic à diabolo de peccato in peccatum ducimur, nec hactenus quicquã facere licebit, nisi quod ipse diabolus uoluerit. Et nisi Deus ualida manu misericordiæ suæ nos soluerit, usque ad mortem in uinculis peccatorum nostrorum permanebimus. Fluctuat autè aliàs sæpe in hac parte Chrysostomus. Augustinus uerò, synergiam prorsus negat in nondum renato, & contendit, bonum uelle esse à Deo: quo dato, & excitato, postea concurrat nostra uoluntas, prius uerò non. Contra Fortunatum disputatione secunda inquit: Liberum uoluntatis arbitrium in illo homine dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino uoluntati eius resisteret, si uellet præcepta Dei seruare. Postquam autem libera uoluntate ipse peccauit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab eius stirpe descendimus. Quamdiu ergo portamus imaginem hominis terreni, id est quamdiu secundum carnem uiuimus, qui uetus etiam homo nominatur, habemus necessitatẽ consuetudinis nostræ, ut non quæ uolumus facia mus. Quum autem gratia Dei nobis amorem diuinum inspirauerit, & nos suæ uoluntati subiectos fecerit, quibus dictum est, Vos in libertatem uocati estis: &, Gratia Dei liberauit me à lege peccati & mortis: lex autem peccati est, ut quicunque peccauerit moriatur: ab ista lege liberamur, cum iusti esse cœperimus. Lex mortis est, qua dictũ est homini: Terra es, & in terram ibis. Ex ipsa enim homines sic nascimur, quia terra sum⁹, & in terrã ibimus, propter meritum peccati primi hominis: propter gratiã autẽ Dei, qui liberat nos à lege peccati & mortis, ad iusticiam conuersi liberamur, ut postea eadem ipsa caro quæ nos in pœnis torsit, in peccatis manentes, subijciatur nobis in resurrectione, & nulla amplius aduersitate nos quatiat, quo minus legem Dei & præcepta

cepta diuina seruemus. Item epistola 107 ad Vitalem: Si uerè uolumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde sit liberum. Nam qui oppugnat gratiã, qua nostrum ad declinandum à malo & faciendum bonum liberatur arbitriũ, ipse arbitrium suum adhuc uult esse captiuum. Item libro tertio contra Pelagianos Hypognosticon: Per peccatum ergo liberum arbitrium hominis possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationem. Esse fatemur omnibus hominibus liberum arbitrium, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certè peragere: sed tantum in operibus uitæ præsentis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur: id est, uelle laborare in agro, uelle manducare & bibere, uelle habere amicum, uelle habere indumenta, uelle fabricare domum, uxorem uelle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerum bonarum, uelle quicquid bonum ad præsentem pertinet uitam: quæ omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt, imò ex ipso & per ipsum sunt, uel esse cœperunt. Malis uerò dico, ut est uelle idolum colere, uelle homicidium uel adulterium facere, & res alienas uelle diripere, Deum uiuentem in secula blasphemare, uelle turpiter uiuere, uelle maleficio discere, uelle inebriari & luxuriosè uiuere, uelle quicquid non licet, uel non expedit operari. Sed ista non pertinent ad substantiam uitæ præsentis, quia non sunt à Deo: imò malè desiderata maculant uitam, quæ est à Deo. De uerbis Apostoli Sermone secundo: Verum est, magnas arbitrij uires homo cum conderetur accepit, sed peccando amisit, &c. Item, de fide ad Petrum capite trigesimo secundo: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, uel aduersitas, uerba sanctæ legis & Euangelij siue legere, siue ex ore cuiusquã prædicatoris audire. Sed diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præuenerit, ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta diuinitùs bona uoluntate atque uirtute mandata Dei facere uelit & possit. Neq; enim qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, qui etiam operatur in nobis & uelle & perficere, pro bona uoluntate. Prosper ait: Homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus: sed per se malus, per Deũ bonus. in epistola ad Ruffinum.

Liberum arbitrium quid ualeat, docet Augustinus de spiritu & litera, capite tertio: Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum ualet, si lateat ueritatis uia. Et cum id quod agendum, & quo nitendum est, cœperit non latêre, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene uiuitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris: non per arbitrium liberum quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. De cantico nouo, capite octauo: Quid enim ualeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi: ad bonum non, nisi adiuuetur à Deo. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, & posuit Deus ante eum, sicut Scriptura dicit, ignem & aquam: Ad quod uolueris (inquit) porrige manum tuam. Elegit ignem, reliquit aquam: Videte iustum iudicem. Quod elegit homo liber, accepit: malum uoluit, hoc illum secutum est. Videte rursum illum iustum iudicem, misericordiam facientem. Quum enim uideret, quòd homo stirpem suam totam, malè usus libero uoluntatis arbitrio, in se tanquam in radice damnasset: ipse non rogatus de cœlo descendit, & humanum genus superbia periens, sua humilitate sanauit: errantes perduxit ad uiã, peregrinos perducet ad patriam. Non ergo glorietur humana natura de se, sed in eo glorietur qui fecit se.

Sedulius inquit: Præter peccatum nihil ex nobis habemus. in quartum caput ad Corinthios. Sic & Primasius, Arbitrij libertatem dicit promptissmam esse ad malum: in primum caput ad Romanos.

Quis liberum faciat arbitrium, Augustinus exponit ad Vitalem epistola decimaseptima: Respondeo obsecro, quomodo dicit Apostolus, Gratias agentes patri, idoneos facienti nos in parte sortis sanctorum in lumine? si non ipse arbitrium nostrum, sed ipsum arbitrium se liberat? Mendaciter ergo gratias agimus patri, tanquã ipse faciat, quòd ipse non fecit. Et errauit qui dixit, quòd ipse nos faciat idoneos. Respondeo, Quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonũ, habemus liberũ arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum, unde nos si (quemadmodũ dicit Apostolus) Deus eruit, ipse utique illud liberũ fecit? Ita fit, ut neq; fideles fiant nisi libero arbitrio: & tamen ipsius gratia fideles fiant, qui à potestate tenebrarum liberauit arbitrium. Sic & Dei gratia non negatur, sed sine ullis humanis præcedentibus

dentibus meritis uera monſtratur: & liberum arbitriũ ita defenditur, ut humilitati ſoli detur, non elatione præcipitetur. Non eſt igitur gratia Dei natura liberi arbitrij, & in lege atque doctrina, ſicut Pelagiana peruerſitas deſipit: ſed ad ſingulos actus datur illius uoluntate de quo ſcriptum eſt, Animam uoluntariam ſegregans hæreditati tuæ. Quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus: & lex Dei atq; doctrina, quãuis ſancta & iuſta & bona, tamen occidit, ſi nõ uiuificet ſpiritus, per quẽ fit non ut audiendo, ſed ut obediendo, neq; ut lectione, ſed ut dilectione teneatur. Quapropter ut in Deum credamus, & piè uiuamus, non uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei eſt: non quia uelle & currere non debemus, ſed quia ipſe in nobis & uelle operatur, & currere. Non ergo gratiam dicamus eſſe doctrinam: ſed agnoſcamus gratiam, quæ facit prodeſſe doctrinã: quæ gratia ſi deſit, uidemus etiã obeſſe doctrinã. Item ad Paulinam epiſtola 106: Nam quis nos, niſi qui uenit quærere & ſaluare quod perierat, ab illa perditionis maſſa & contentione diſcernit? Vnde Apoſtolus interrogat dicens, Quis enim te diſcernit? Vbi ſi dixerit homo, Fides mea, uoluntas mea, bonũ opus meum: reſpondetur ei, Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Hoc itaq; totum ideo, non ut homo non glorietur: non ex operibus, ne fortè quis extollatur: non quia bona opera iſta pia cognitione fruſtrantur, cum Deus reddat unicuiq; ſecundũ opera eius, ſitq; gloria, honor & pax omni operanti bonum: ſed quia opera ex gratia, non ex operib. gratia: quoniã fides quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, niſi ipſa dilectio Dei diffunderetur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Nec ipſa fides eſſet in nobis, niſi Deus unicuiq; partiretur menſurã fidei. Bonũ eſt igitur homini, ut cum totis uiribus liberi arbitrij ſui ueraciter dicat, Fortitudinem meam ad te cuſtodiam: quia ille qui putauit ſine ipſius adiutorio ſe poſſe cuſtodire quod dedit, profectus in regionem longinquam, & uiuens prodigè, cuncta conſumpſit: & miſeria dutæ ſeruitutis attritus, reuerſusq; in ſemetipſum dixit: Surgam &, ibo ad patrem meum. Quã cogitationem bonam quando haberet, niſi & ipſam illi in occulto pater miſericordiſsimus inſpiraſſet? Item ad Anaſtaſium epiſtola 144: Tantum porrò quiſque peccatum odit, quantum iuſticiam diligit: quod non poterit lege terrente per literam, ſed ſpiritu ſanante per gratiam. Item lib. primo Homiliarum, Homilia decimaquarta: Hæc ergo & his ſimilia diligenter ac fideliter cogitantes, non acquieſcamus eis qui liberũ arbitrium extollentes, præcipitare magis quàm eleuare conantur. Sed humiliter conſideremus illud quod Apoſtolus dicit: Deus eſt qui operatur in nobis & uelle & perficere. Gratias agamus Domino & Saluatori noſtro, qui nos nullis præcedentibus meritis, uulneratos curauit, & inimicos reconciliauit, & de captiuitate redemit, de tenebris ad lucem reduxit, de morte ad uitam reuocauit: & humiliter confitentes fragilitatem noſtram, illius miſericordiam deprecemur, ut quia nos (ſecundũ Pſalmiſtã) miſericordia ſua præuenit, dignetur in nobis non ſolùm cuſtodire, ſed etiam augere munera & beneficia ſua, quæ ipſe dignatus eſt dare. Item libro primo ad Simplicianum, quæſtione ſecunda inquit: Illa etiam uerba ſi diligenter attendas, IGITVR non uolentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis: non hoc Apoſtolus propterea tantum dixiſſe uidebitur, quòd adiutorio Dei ad id quod uolumus perueniamus: ſed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit, Cum timore & tremore ueſtram ipſorum ſalutem operamini: Deus enim eſt qui operatur & uelle & operari, pro bona uoluntate. Vbi ſatis oſtendit, etiam ipſam bonam uoluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam ſi quæramus, utrum Dei donũ ſit uoluntas bona, mirum ſi negare quiſquam audeat. Item ad articulos falſò ſibi impoſitos, ad quintum: Quia liberatẽ quam perdidit, niſi Chriſto liberante non capit. Non enim eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat ſaluos fieri. Ibidem, ad ſeptimũ: Nemo niſi illius gratia erigitur, nemo niſi illius gratia ſtabilitur. Dei ergo eſt uoluntas, ut in bona uoluntate maneat: qui & priuſquã deſeratur, neminem deſerit, & multos deſertores ad ſe conuertit. Item lib. 3. contra Pelagianos Hypognoſticon: Reſpondemus, neminem poſſe per ſe ſibi, id eſt per liberum arbitrium ſufficere, implere quod uelit. Rectè dicimus, niſi protopalaſtum ſolum potuiſſe, cum uoluntas liberi arbitrij fuiſſet ſana eidẽ ante culpã, &c. Ibidẽ: Nõ ergo homo uoluntate ſua, adhuc uitio liberi arbitrij claudicante, præuenit Deum, ut cognoſcat & quærat eam gratiã, tanquã pro meritis accepturus: ſed præcedit, ut iã dixi, miſericordiſſima gratia ſua Deus hominis ignorantis & nondũ ſe quærentis uolũtatẽ liberi arbitrij, ut eum ſe ſcire & quærere faciat, ſicut dixit Ioannes apoſtolus in epiſtola ſua: Scimus quoniam filius Dei uenit, & dedit nobis ſenſum,

sensum, ut cognoscamus uerum Deum, & simus in uero filio eius. Hic est uerus Deus, & uita æterna. Ibidem: Itaque nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam uitam, nec liberum arbitrium sine gratia: & tamen paruulos, sine usu liberi arbitrij, facit gratia habere beatam & perpetuam, æternamque uitam. Eos autem qui iam rationis capaces sunt, præuenit atque docet, ut bonum uelint & possint. Scriptum est enim in actibus Apostolorum: Et aperuit Deus cor Lydiæ purpurarię, ut audiret ea quæ dicebantur à Paulo. Item, de uera innocentia capite 152: Arbitrium uoluntatis tunc est uerè liberum, cum uitijs peccatisq; non seruit. tale datum est à Deo: quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde Veritas dicit: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Item libro secundo de peccatorum meritis & remissione, capite decimooctauo: Quod à Deo nos auertimus, nostrum est: & hæc est uoluntas mala. quod uerò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante atque adiuuante non possumus: & hæc est uoluntas bona. Quid habemus, quod non accepimus? si autem accepimus, quid gloriamur quasi non acceperimus? ac per hoc, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Quibus hoc Dominus donare uoluerit, eius misericordiæ est, non meriti illorum: quibus autem noluerit, ueritatis est. Item, de spiritu & litera capite trigesimo: Liberum ergo arbitrium euacuamus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio: sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum: per gratiam sanatio animæ à uitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij: per liberum arbitrium iusticiæ dilectio, per iusticiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc, sicut lex non euacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur: quia gratia sanat uoluntatem, qua iusticia liberè diligatur. Omnia hæc quæ uelut catenatim connexui, habent uoces suas in Scripturis sanctis. Lex dicit: Non concupisces. Fides dicit: Sana animam meam, quoniam peccaui tibi. Gratia dicit: Ecce sanus factus es, iam noli peccare amplius, ne quid tibi deterius contingat. Sanitas dicit: Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me. Liberum arbitrium dicit: Voluntariè sacrificabo tibi. Dilectio iusticię dicit: Narrauerunt mihi iniusti delectationes, sed non ut lex tua Domine. Vt quid ergo miseri homines, aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur: aut de suis uiribus, si iam liberati sunt? Nec attendunt, in ipso nomine liberi arbitrij utique libertatem sonare. ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo serui sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio? A' quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Si autem liberati sunt, quid se iactant uelut de opere proprio, & gloriantur quasi non acceperint? An ita sunt liberi, ut nec illum uelint habere Dominum, qui eis dicit: Sine me nihil potestis facere? &, Si uos filius liberauerit, tunc uerè liberi eritis? Item contra duas epistolas Pelagianorum libro primo, capite decimonono: Hominis autem propositum bonum adiuuat quidem subsequens gratia. Sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia. Studium quidem hominis quod dicitur bonum, quamuis cum esse cœperit, adiuuetur gratia, non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus: Gratias autem Deo, qui dedit idem studium pro uobis in corde Titi. Si studium quisque ut pro alijs habeat, Deus dat: ut pro seipso habeat, quis alius est daturus? Item in secunda epistola ad Valentinũ: Boni uerò etiam ipsi quidem, non solùm secundum suæ bonę uoluntatis merita pręmium consequentur, sed etiam ipsam bonam uoluntatem per Dei gratiam consecuti sunt. ac sic impletur quod scriptum est: Ira & indignatio, tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci. Goloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primũ & Græco. Item, de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, capite decimoquinto: Aut enim à iusticia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando seruit iusticiæ, & tunc est bona. Gratia uerò Dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ uoluntatis, qui prius fuit uoluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona uoluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere diuina mandata, quæ uoluerit, cum ualde perfecteque uoluerit. Item, de correptione & gratia, capite duodecimo: Tantum quippe spiritu sancto accenditur uoluntas sanctorum, ut ideo possint, quia sic uelint: ideo sic uelint, quia Deus operatur ut uelint. Soliloquiorum capite 15: Nam, ut dixi: Domine credebam me aliquid fore ex me, existimabam me sufficere per me: nec percipiebam, quoniam tu regebas me: donec aliquantulum te elongasti à me, & cecidi statim in me: & uidi & cognoui,

gnoui, quoniam tu regebas me: & quod cecidi, fuit ex me: & quod surrexi, fuit ex te. Aperuisti mihi oculos, lux: & excitasti & illuminasti me, & uidi, quoniam tentatio est hominis uita super terram, & quòd gloriari non ualet ante te omnis caro, nec iustificatur omnis uiuês: quoniam si quid boni est, parui uel magni, donum tuũ est, & nostrũ non nisi malum est. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? Nunquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria, &c. Ibidem, capite 24. Velle quod bonum est, non possum, nisi tu uelis: nec quod uolo possum, nisi tua potentia me cõfortet: & quod possum, aliquãdo nolo, nisi tua uoluntas fiat sicut in cœlo & in terra. Et quod uolo & possum, ignoro, nisi tua sapientia me illustret. Etsi etiam sciam quandoq; uolens, quandoq; ualens, imperfecta & uacua transit sapientia mea, nisi adiuuet uera sapientia tua. In tua uoluntate cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere uolũtati tuę, Domine uniuersorũ, &c. De Ecclesiasticis dogmatibus capite 23. Neminem esse per semetipsum bonum, nisi ille participationem sui donauerit, qui solus est bonus. Ibidem capite 22. Firmissimè credendum est, in præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatẽ & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit. Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in præuaricationis profunda, demersus est. Et nihil, quemadmodam exinde surgere posset, inuenit: suaq; in æternum libertate deceptus, huius ruina latuisset oppressus, nisi eum pòst Christi pro sua gratia releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteritum uitiũ sui baptismatis lauacro purgauit. Ibidem capite uigesimoseptimo: Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisq; motus bonæ uoluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. De prędestinatione & gratia, capite duodecimo: Velle enim mihi adiacet, perficere autem non inuenio: quamuis & ipsum uelle nõ est ex nobis, sed Dei donum est, quoniam ab ipso habemus & uelle & perficere, pro bona uoluntate. In Psalmum 93. Quod facit homo malè, ipsius est hominis: quod facit bene, de beneficio Dei facit. cum cœperit facere bene, non sibi tribuat: cum sibi non tribuerit, gratias agat à quo acceperit.

Prosper ad Ruffinũ de libero arbitrio ait: Quis ambigat hunc per liberũ arbitriũ cohortationi uocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi, obediendiq; generauerit? Alioquin sufficeret moneri hominem, non etiam in ipso nouam fieri uoluntatem. sicut scriptum est: Pręparatur uoluntas à Domino. Et sicut ait Apostolus: Deus est enim qui operatur in uobis & uelle & perficere, pro bona uoluntate. pro qua bona uoluntate, nisi quam in ipsis operatus est Deus? ut quod donauerat uelle, donaret & facere. Item: Conuersio ergo nostra ad Deum, non ex nobis, sed ex Deo est. Sicut Apostolus dicit: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis, sed Dei donum est: & non ex operibus, ne quis glorietur. Agnoscat se humana debilitas, & in primo homine uniuersarum generationum damnata successio, & cum mortui uiuificantur, cum cæci illuminantur, cum impij iustificãtur, confiteantur uitam & lumen & iusticiã suam IESVM Christum. Et qui gloriatur, in Domino glorietur, non in se. Qui cum esset impius & cæcus, & mortuꝰ, à liberatore suo gratis accepit & iusticiam, & lumen & uitã. ibidẽ. Itẽ: Nec ex duabus massis, duabus'ue naturis, sed ex una massa quæ est caro primi hominis, unam scimus omnium hominum creatam, creariq; naturam. Et eandem peripsius primi hominis liberum arbitrium, in quo omnes peccauerunt, esse prostratam: nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberam, nisi eam ad imaginem Dei secundæ creationis Christi gratia reformauerit, liberumq; eius arbitrium agendo, spirando, auxiliando, & usq; in finẽ præeundo seruauerit. Itẽ, de baptisatis infantib. loquens ait: In eis non peremptũ inueniemus liberum arbitrium, sed renatum. Quod utique cum solum esset, sibiq; permissum, non nisi in suam pernicię mouebatur. ipsum enim se excæcauerat, & ipsum se illuminare non poterat. ad Ruffinum. Et addit: Nunc autem idẽ arbitrium conuersum est, non euersum: & donatum est ei aliter uelle, aliter sapere, aliter agere: & incolumitatem suam non in se, sed in medico collocare: quia necdum tam perfecta utitur sanitate, ut ea quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere, aut ab insalubribus possit iam uiribus temperare. Ibidem. Item: Liberum arbitrium nihil esse, uel non esse, perperã dicitur: sed ante illuminationem fidei, in tenebris illud & in umbra mortis agere, non rectè negatur. Quoniam priusquam à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet, in quod se sua libertate demersit. In responsione ad capita Gallorum, capite sexto. Item: In bonis uoluntas est intelligẽda cum gratia, in illis malis autem intelligẽda uoluntas sine gratia. ibidem. Item: Nõ est calumniandum Deo, quare istis non de-

deris,

derit, quod alijs dedit: sed confitendum est, & misericorditer eum dedisse quod dedit, & iustè non dedisse quod nō dedit, ne quēadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso uideatur & standi, cum illud humano fiat opere, hoc diuino impleatur ex munere. ibidem capite 7. Item, Arbitrium hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, & ab errore in uiā reuocat & reducit, ut quod sua libertate erat prauū, spiritu Dei agente sit rectum. ibidem capite 6. Item: Bonam uolūtatem, eam scilicet quæ adhæret Deo, nec negandum est hominis esse pro priam: & confitendum est, Deo inspirante conceptam. Prosper contra Collatorem. Item: Manens enim liberum arbitrium, quod utique cum ipso homine condidit Deus, à uanitatib⁹ & cupiditatibus suis, in quas negiecta Dei lege fluxerat, non à se ipso, sed à creatore mutatur, ut quicquid in eo in melius reficitur, nec sine illo fit qui sanatur, nec nisi ab illo sit qui medetur, cui⁹ sumus noua creatura. Ibidem. Item, de ingratis:

Libertate agimus, sed libertate redempta,
Cui Deus est rector, &c. Item:
At si dimota certandi nube, serenis
Quæ sunt uera oculis mecum intueare modestè,
Et uetera exemplis manifestis plena uidebis
Secula, & in nostro cognosces tempore multa,
Quæ doceant uirtute Dei conuersa malorum
Corda, quibus recti nihil unquam insederat, & quæ
Nullum iusticiæ signum, sensum ue gerebant.
Namque ut nunc sæuas gentes & barbara regna,
Ignoti prius aut spreti noua gratia Christi
Attrahit, & terra templum sibi condit in omni:
Sic prius immites populos, urbesq; rebelles
Vincente obstantes animos pietate subegit.
Non hoc consilio tantum hortatuq; benigno
Suadens atq; docens, quasi normam legis haberet
Gratia: sed mutans intus mentem, atq; reformans,
Vasq; nouum ex fracto fingens uirtute creandi.
Non istud monitus legis, non uerba prophetæ,
Non præstata sibi præstat natura: sed unus
Quod fecit, reficit. percurrat Apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quāq; uiam uerbo reseratam inuenerit intret:
Vt tamen his studijs auditor promoueatur,
Non doctor, neq; discipulus, sed GRATIA SOLA
Efficit, inq; graues adolet plantaria fructus.
Hæc semen fidei radicem adfigere menti,
Eq; sinu cordis ualidum iubet edere germen:
Hæc maturandam segetem seruatq; fouet, &c. Item:
——Deus ergo sepultos
Suscitat, & soluit peccati compede uinctos:
Ille obscuratis dat cordibus intellectum,
Ille ex iniustis iustos facit: indit amorem,
Quo redametur amās, & amor quē cōserit ipse est. Item:
Hic uanam insano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrij sublatum uociferantes,
Currere currentum si non, & uelle uolentum est:
Nec uitijs pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si uel naturam obstrictam mala uelle necesse est,
Vel nostro adscribi nequeūt bene gesta labori, &c. Item:
Sic animus cui lumen erat de lumine summo,
Arbitrium inuoluit tenebris, & luce relicta
Consilio legit terræ nigrescere noctis:
Nec iam captiuos oculos extollere in altum
Sponte potest, quoniam hoc etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto iaceat sub uuinere norit, &c.

Isychius ait: Quantumcunque homo egerit & uixerit, cucurrerit & comprehenderit, siue assecutus fuerit, sine adiutorio Domini salutē adipisci siue assequi non potest. Propter quod & Paulus dicebat: Non uolētis, neq; currentis, &c. lib. 2. in 7. cap. Leuit.

Sedulius inquit: Scriptum est in Prouerbijs Salomonis: Sicut impetus aquæ, sic cor regis in manu Domini. & capite 1. ad Romanos: Propterea tradidit illos Deus in desiderio, &c. His & alib. testimonijs diuinorū eloquiorū satis, quātum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum uoluntates quōcunque uoluerint. in primum caput ad Romanos. Primasius inquit: Nam ut uelle sit, iam uoluntas à Deo præparata est: quia ipse est, qui in nobis operatur & uelle. in septimum caput ad Romanos.

Salonius inquit: Sancti & electi uiri opera sunt Domini: quia nemo sua uirtute, nemo suo merito electus est à Domino, ut cœlesti ædificationi esset aptus, sed sola gratia & misericordia ipsius. in Prouerbia Salomonis. Et: Per quem, scilicet Deum, ut talia facerent, & omne bonum suum acceperunt. Item: Fideles de omnibus bonis laudes & gratias conditori suo referunt, à quo ea perceperunt. in Ecclesiasten.

Theodulus ait: Nemine uobis uim faciēte aut cogente obedistis. Id uerò ad encomiū illorū pertinet, simulac dixisset, spontaneam illorū esse uoluntatē, diuinum simul auxiliū deinceps subdit: Vos quidem, inquit, uoluntarij obedijstis. Deus autem nos in formam hanc doctrinæ tradidit. Qualem? ut rectè uiuere uelitis & cupiatis, tum etiā incolumes sitis, ualeatisue circa religiōis Christi doctrinam. in 6. cap. ad Rom. Marcus heremita ait: Omne bonū à Deo gubernante peculiariter procedit, discriminat autē mysticè ingratos. Et: Qui pro peccatis nostris mortuus est secundū scripturas, etiā fideliter & probè ipsis seruientibus libertatem largitur gratuitò.

Eucherius ait: Non est dubitandū, uoluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia quæcunq; uoluit fecit, & qui etiā illa quæ futura sunt fecit, humanas uoluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod uult: quādoquidem etiam de ipsis hominū uoluntā-

tibus, quod uult, & cum uult, facit. libro 4. in libros Regum.

Ioannes Cassianus inquit: Fatemur esse in homine libertatem arbitrij, sed non posse auxilio & gratia Dei carere. Collatione 13. capite duodecimo. Et: In multis Scripturæ locis approbatur, ita semper diuinam gratiã arbitrium hominis incitare, ut illud non in omnibus taliter protegat ac defendat, ut non etiam proprijs eum conatibus congredi aduersum spirituales faciat inimicos, in quibus uel gratiam Dei uictor, uel infirmitatem suam superatus intelligat: & ita discat nõ de sua fortitudine, sed de diuino semper sperare suffragio, atq; ad suum iugiter recurrere protectorem. ibidem capite 14. Item: Diuini muneris est, ut accendatur unusquisque ad desiderandũ omne quod bonum est, scilicet ita, ut in alterutram partem plenum sit liberæ uoluntatis arbitrium. Item: Diuinæ est gratiæ, ut effici ualeant exercitia prædicta uirtutum, scilicet ita, ut possibilitas non extinguatur arbitrij. Tertium quoque, ut acquisitæ uirtutis perseuerantia teneatur: sed ita, ut captiuitatem libertas addicta non sentiat. Sic enim uniuersitatis Deus omnia in omnibus credendus est operari, ut incitet, protegat atque confirmet: non ut auferat, quam semel ipse cõcessit arbitrij libertatem. Collatione 13. cap. ultimo. Et: Idcirco fide nõ dubia, & ut dicam, palpabili experientia comprobatur, uniuersitatis Deum, uelut pijssimum patrem, benignissimũque medicum, secundum Apostolũ indifferenter omnia in nobis operari, & nunc quidẽ salutis inspirare principia, & inserere uni cuique bonæ uoluntatis ardorem, nunc uerò ipsius operationis effectum & consummationem donare uirtutum: & nunc à ruina iam proxima lapsuque præcipiti etiam inuitos & inscios reuocare, nunc autem occasiones & opportunitates salutis ingerere, ac præcipites uiolentosque conatus à letalibus dispositionibus inhibere: & alios quidem uolentes currentesque suscipere, alios uerò nolentes renitentesque pertrahere, & ad bonam cogere uoluntatem. Collatione 13. capite 18.

Synesius ait: Quid uerò non fieri possit, si Deus uelit, & studium immittat hominibus, atque cupiditatem, ut omni contentione salutem suam uindicent? libro secundo de Prouidentia.

¶ Quando operemur, aut cooperemur, illustris sententia Augustini extat, de Gratia & libero arbitrio, ad Valentinum capite 17: Certus sum, quoniam qui operatur in uobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi IESV. Vt ergo uelimus, sine nobis operatur: cum autem uolumus, & sic uolumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo uel operante ut uelimus, uel cooperante cum uolumus, ad bona pietatis opera nihil ualemus, &c.

¶ Accepto libero arbitrio nos indigere gratia, docet Augustinus in Psal. 26: Iam tu accepto libero arbitrio, quasi præsumis unde ambules. Noli de te præsumere. Si te dereliquerit Deus, in ipsa uia deficies, cades, aberrabis, remanebis. Dic ergo illi: Voluntatem quidem liberam dedisti mihi: sed sine te nihil est mihi conatus meus. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, &c.

¶ Omnes homines saluari, quomodo intelligendum sit, ad Vitalem epistola 107 Augustinus explicat, inquiens: Sed sicut illud quod dictum est, Omnes in Christo uiuificabuntur, cum tam multi æterna morte damnantur: ideo dictum est, quia omnes qui uiam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo: ita quod dictũ est, Omnes homines uult Deus saluos fieri, cum tam multos nolit saluos fieri, ideo dictum est, quia omnes qui salui fiunt, nisi ipso uolente non fiunt, & si quo alio modo illa uerba Apostolica intelligi possunt: ut tamen huic apertissimæ ueritati, in quam uidemus tam multos uolentibus hominibus, sed Deo nolente saluos non fieri, cõtraria esse non possint. Quo modo autem ut non detur gratia diuina, uoluntas meretur humana, si eis quibus datur gratuita misericordia datur, ut uera sit gratia? Quomodo in hac re merita pensantur humanæ uoluntatis? Quandoquidem illis, quibus gratia ista non datur, nullo plerunque merito, nulla uoluntate distantibus, sed misericordia cum eis quibus datur habẽtibus causam, iusto tamẽ Dei iudicio non datur. Non enim est iniquitas apud Deum: ut intelligant quibus datur, quàm gratis eis detur, quando iusto utique non daretur: quoniam simílem habentibus causam iustè non datur. Item libro tertio contra Pelagianos: Ideo cur hoc illi operetur, illi non operetur, metuentem me & trementem iudicia eius inscrutabilia & incomprehensibilia, noli interroges: quia quod lego, credo & uereor, non autem discutio. Quis est enim homo, qui respõdeat Deo? Nunquid dicit figmentũ ei qui se finxit, Quare me sic fecisti? Habet enim potestatem figulus luti, ex eadẽ massa aliud quidem uas facere in honorem, aliud in contumeliam. Sed interroga eum qui dixit: Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum. Et: Non omnes capiunt hoc uerbum, nisi quibus datum est. Item: Vobis datũ est nosse mysterium regni cœlorum, cæteris non est datum. Item de correptione & gratia cap. 14. Et quòd scriptum est, Quod uult omnes homines saluos fieri,

fieri, nec tamẽ omnes salui fiunt, multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in aliis opusculis nostris aliquos cõmemorauimus. Sed hic unum dicam: Ita dictum est, omnes homines uult saluos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominũ in eis est. sicut dictum est pharisæis: Decimatis omne olus. ubi non est intelligendum, nisi omne quod habebant. Nec enim omne olus, quod erat in toto terrarum orbe, decimabant. Secũdum iustum locutionis modum dictum est: sicut &, Ego omnibus per omnia placeo. Nunquid enim qui hoc dixit, placebat etiã tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominum, quod Christi congregabat Ecclesiæ, siue iam intus positis, siue introducẽdis in eam.

¶ Quem uult indurat, sic explicat Augustinus de prædestinatione & gratia, capite 4: Quem uult indurat, ibi paululum humanæ mentis intentio uerbi nouitate cõfunditur. Sed non ita intelligẽdum est, quasi Deus in homine ipsam quæ nõ esset duriciã cordis operetur. Quid enim aliud est duricia, quàm Dei obuiare mãdatis? Vnde illud B. Stephanus dicebat ad populum: Dura ceruice, & non circumciso corde & auribus, uos semper spiritui sancto restitistis. Quam qui à Deo fieri putat, propterea quòd dictum est, Quem uult indurat, ipsum præuaricationis intueatur exordium: & Deo donante, mandatum per quod transgressionis culpam in corde fuerit operatus attendat. quamuis ne ab ipso quidem, si negaret assensum, potuit tẽtatore cõpelli. Ergo quicquid post illam præuarication em natus supplicij homo patitur, iuste reddi meritòq; fateatur. Indurare enim Deus dicitur eum, quem mollire noluerit. Sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit. Sic etiam repellere eum, quẽ uocare noluerit. Quos enim prædestinauit, illos & uocauit: & quos uocauit, illos & iustificauit. Ipse enim dedit ut simus, ipse ut boni esse possimus.

Item explicat Augustinus locũ Pauli, Cuius uult miseretur, in epistola 105 ad Sixtum Romanum presbyterum, inquiens: Quòd autem personarũ acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quod sine ullis præcedẽtibus meritis, cuius uult miseretur, & quos dignatur uocat, & quẽ uult religiosum facit: parũ attendunt, quòd debita pœna reddatur damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur: atq; ibi potius accepdemq; massa damnationis & offensionis inuoluit, ut liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Sed iniustum est, inquiunt, in una eademq; mala causa, hunc liberari, illũ puniri. Nempe ergo iustum est, utrumque puniri. Quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias Saluatori, dum nobis redditũ non cernimus, quod in damnatione similium etiã nobis debitũ fuisse cognoscimus. Si enim utriq; liberarentur, latêret quid peccato per iusticiam debeatur. Si nemo, quid gratia largiretur? Vt ergo in hac difficilima quæstione uerbis potius utamur Apostoli, Volens Deus ostẽdere iram, & demonstrare potentiam suã, &c. ubi quia uniuersa massa damnata est, contumeliam debitam reddit iusticia, honorem indebitum donat gratia, non meriti prærogatiua, non fati necessitate, nõ temeritate fortunæ, sed altitudine diuitiarũ sapientię & scientię Dei. Cur igitur sua merita iactaturus est liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, nõ esset nisi damnatus? Nullane ergo sunt merita iustorũ? sunt planè, quia iusti sunt. Sed ut iusti fierent, merita non fecerunt. Iusti enim facti sunt, cum iustificati sunt: sed sicut dicit Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius. Quærimus namq; meritũ obdurationis, & inuenimus. Merito namq; peccati uniuersa massa damnata est, nec obdurat impartiendo malitiã, sed non impartiendo misericordiam. Quibus enim non impartitur, nec digni fiunt, nec merentur: ac potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus: quia nullum est, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus, fidem præcessisse, in qua erat meritum gratiæ: quid meriti habet homo ante fidem? Quid enim habet, quod nõ accepit? Nam si quærere uellet homo, ante gratiam quid meruerit, ut acciperet eam, mala sua poterit homo inuenire, non bona: etiamsi eum unius diei uitam habentem super terram, gratia Saluatoris inuenerit.

De adiutorio sic inquit Augustinus cõtra duas epistolas Pelagianorum, libro primo, capite 18: Hominẽ, inquit, Dei opus defendimus, nec ex illius potentia uel in malum, uel in bonum inuitum aliquem cogi: sed propria uolũtate aut bonum facere, aut malũ. In bono uerò opere à Dei gratia semper adiuuari, in malum uerò diaboli suggestionibus incitari. Ad hæc respondemus, homines esse opus Dei, in quantum homines sunt: sed sub diabolo esse, in quantum peccatores sunt, nisi eruantur inde per eum qui non ob aliud factus est inter Deum & homines mediator, nisi quia ex hominibus non potuit esse peccator: neque ex Dei potentia

uel in malum uel in bonum inuitum aliquẽ cogi, ſed Deo deſerente pro meritis ire in malum, & Deo adiuuante ſine meritis conuerti ad bonum. Nõ eſt enim homo bonus, ſi nolit: ſed gratia Dei etiam ad hoc adiuuatur, ut uelit: quoniam non inaniter ſcriptum eſt, Deus eſt enim qui operatur in uobis & uelle & operari pro bona uoluntate: & præparatur uoluntas à Domino.

Quare quoſdam reijciat Deus, Auguſtinus exponit libro primo ad Simplicianum, quæſtione ſecunda: Itaque, inquit, huius impudentiam quæſtionis ita retundit Apoſtolus: Homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Sic enim reſpondet Deo, cum hoc diſplicet quod de peccatoribus conqueritur Deus, quaſi quẽquam Deus peccare cogat, ſed tantummodo quibuſdam peccantibus miſericordiã iuſtificationis ſuæ non largiatur: & ob hoc dicatur obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur, non quia impellit ut peccent: eorum autem non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe præbendã æquitate occultiſsima, & ab humanis ſenſibus remotiſsima iudicat. Inſcrutabilia enim ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius. Item libro ſexto Hypognoſticon: Dicite igitur, quare Deus qui perſonarum acceptor non eſt, & uult omnes homines ſaluos fieri, aliquorum corda referat ad credendum, oculos illuminat ad uidendum, & ad ſciendum myſterium regni cœlorum, quo ſcilicet ſalui fieri poſsint: aliorũ uerò, ut lectionis textus dicit, inuoluens in parobolis ueritatẽ obtũdit cor, excęcat oculos, claudit aures, ne Euangelium ſalutis agnoſcant, ne remiſsionem accipiant peccatorum? Dicite quæſo, qualiter hæc loca Euangelij accipitis: docete, quid hic de Deo, qui uult omnes homines ſaluos fieri, ſentitis? Ecce iam omnes generaliter ſalui non ſunt, cum alijs datur noſſe uiam ſalutis, alijs non datur. Hæc itaq; cum facit Deus, non perſonarum acceptione facit, nõ iniuſticia, ſed iuſticia inenarrabili, & miſericordia indebita. Quoniam uerò hinc liquidò utraq; pars dicere nihil ualemus, credamus tantũ reum mortis ex iudicis uoluntate pendére. Ne quiſquam autem putaret diuino iudicio fieri, non omnes ſaluari dixit Apoſtolus, qui uult omnes homines ſaluos fieri. Quapropter omnes homines qui ſaluantur, Dei uoluntate ſaluantur. Deus enim noſter, Deus ſaluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis. &: Quia ira in furore eius, & uita in uoluntate eius. Intelligite itaque in furore iuſticiam, in uoluntate miſericordiam. Item libro ſecundo de peccatorum meritis: Quare autem illos uelit conuertere, illos pro auerſione punire, quãquam & in beneficio tribuendo nemo iuſtè reprehendat miſericordem, & in uindicta exercenda nemo iuſtè reprehendat ueracem: ſicut in illis Euangelicis operarijs, alijs placitam mercedem reddentem, alijs etiam nõ placitam largientem, nullus iuſtè culpauerit: conſilium tamen occultioris iuſticiæ penes ipſum eſt. Item in enchiridio ad Laurentium, capite 97: Quando enim quæritur cauſa, cur non omnes ſalui fiant? reſpondere ſolent, Quia hoc ipſi nolunt. Item, Dominus in Euangelio: Quoties uolui, inquit, colligere filios tuos ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti? tanquam Dei uoluntas ſeparata ſit ab hominum uoluntate, & infirmiſsimis nolendo impedientibus, non potuerit facere potentiſsimus quod uolebat. Ibidem capite 98: Quis porrò tam impiè deſipiat, ut dicat Deum malas hominum uoluntates, quas uoluerit, quando uoluerit, ubi uoluerit, in bonum non poſſe conuertere? Sed cum facit, per miſericordiam facit: cum autem non facit, per iudicium non facit: quoniam cuius uult miſeretur, & quẽ uult indurat, &c. Item de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, capite 23: Deus indurauit per iuſtum iudicium Pharaonem, & ipſe Pharao per liberum arbitrium. Item libro ſecundo de bono perſeuerantiæ, capite 8: Ex duobus itaq; paruulis, originali peccato pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur, iſte relinquatur, & ex duobus ętate iã grãdibus impijs, cur iſte ita uocetur ut uocantem ſequatur, ille autẽ aut non uocetur, aut non ita uocetur ut uocantem ſequatur, inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perſeuerantia uſque in finem, illi aũt nõ donetur, inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſsimũ, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Nam ſi fuiſſent ex nobis (ait unus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc ſecretum) manſiſſent utiq; nobiſcũ, &c.

Damnat Auguſtinus eos qui aſſerunt, liberum arbitrium ſufficere homini ad ſeruandam legem: in ſolutionibus quæſtionum Hilarij, quæſtione prima: Illud uerò quod dicunt, ſufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiam ſi Dei gratia & Spiritus ſancti dono ad opera bona non adiuuetur: omnino anathematizandum eſt, & omnibus execrationibus deteſtandũ. Qui enim hoc aſſerũt, à gratia Dei penitus alieni ſunt. qui ignorantes Dei iuſticiam (ſicut de Iudæis dicit Apoſtolus) & ſuã uolentes conſtituere, iuſticiæ Dei non ſunt ſubiecti. plenitudo quippe legis non eſt niſi charitas. Et utiq; charitas Dei diffuſa eſt in cordib. noſtris, per Spiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis. Valet itaq; liberum arbitrium ad

opera

opera bona, si diuinitùs adiuuetur: quod fit, humiliter petendo & faciendo. Desertum uerò diuino adiutorio, qualibet scientia ligis excellat, nullo modo habebit iusticię soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ, & exitiosum tumorem.

De libero arbitrio post lapsum, interdum bene loquũtur doctores, ut Chrysostomus: Hoc solum scito, quòd Deus omnia prouidet, quòd liberi arbitrij cõditi sumus: quòd alia quidem operatur, alia uerò permittit: quòd nihil mali uult fieri: quòd non ex sola ipsius uoluntate fiunt omnia, sed ex nostra quoque: mala omnia ex nostra tantum modo fiunt, bona omnia ex uoluntate nostra & ipsi⁹ adiutorio. in tertium caput posterioris ad Timotheum, homilia octaua. Ita etiam benigna interpretatione accipi potest hæc oratio Chrysostomi in homilia de Adam & Heua: His ergo Ecclesiasticis regulis, & diuina sumptis autoritate documentis, ita adiuuante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum effectuum atque operum, & omnium studiorum omniumque uirtutum quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur autorem: & non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita prouenire: per quem item fit, ut aliquid boni & uelle inueniamur, & facere. Quo uti que auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidũ. Tanta enim est erga omnes bonitas Dei, ut nostra uelit esse merita, quæ sunt ipsius bona: & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit daturus. Agit quippe in nobis, ut quod uult & uelimus & agamus. Nec ociosa in nobis esse patiatur, quæ exercenda, non negligenda donauit: ut & nos cooperatores gratiæ Dei simus, & in his quæ in nobis ex nostra uiderimus remissione languere, ad illum sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu uitam nostram: cui quotidie dicimus, Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo. Sed passim tamen sese declarans, etiam synergiam uoluntatis humanæ stabilit. Ita etiam Dominica Aduentus commodiusculè scribit: Nam omnes homines antequam peccemus, liberum quidem habemus arbitrium, si uolumus sequi uoluntatem diaboli, an non. Quòd si semel peccantes obligauerimus nos operibus eius, iam nostra uirtute euadere non possumus: sed sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, ubi tempestas uoluerit: sic & homo, diuinæ gratiæ perdito auxilio, per peccatũ, nõ quod uult agit, sed quod diabolus uult. Et nisi Deus ualida manu misericordiæ suæ soluerit illum, usque ad mortem in peccatorum suorum uinculis permanebit. Ergò nostra quidem uoluntate & negligentia alligamur, sed per Dei misericordiam absoluimur. Sic & homo priusquam peccet, liberum habet arbitrium, utrum uelit esse sub regno diaboli, an non. Cum autem peccando se tradiderit sub regno ipsius, iam non potest de potestate eius exire, & sic prima uoluntas eius in necessitatem conuertitur.

Theodulus inquit: Libertatem uult ostẽdere, nempe quòd homo non sit dominus ad boni maliq; momentum. Dicit itaque: Non habitat in me bonum. non est certum, neque necessariò apud me permanet, ut possim bona persequi: imò adeò mea natura corrupta est, ut ui quadam ad mala me pertrahat. Id enim est ueluti habitatio, assidua perduratio, ac ueluti confessio ac residentia. in septimum caput ad Romanos. Itẽ: In postulatione causarum à Deo, cur ita fiant, uel non fiant, conuenit persuasum esse, nihil differre hominem à luto. in nonum caput ad Romanos.

De libertate in externis, ait Theodulus: Arma iniusticiæ. Corpus namque ut manũ quispiam ducere potest, ut fiat scutum cùm eleemosynæ, tum rapinæ: sic lingua ut sit grata & non maledica, institui potest. in sextum caput ad Romanos.

DE PECCATO.

IN genere peccatum describit Chrysostomus, quum inquit: Nihil aliud malum est quàm Deo non obedire. homilia sexagesima in decimumoctauum caput Matthæi. Theodoretus ait: Peccatum, cuiusdam legis transgressionem spontaneam significat: Delictum, iniquitatem ex aliqua circumstãtia contingentem. quæstione 1. in Leuiticũ.

Eucherius ait: Peccatum cum uoce, est culpa in actione: peccatum cum clamore, est culpa cum libertate & iactantia. libro secundo in 28 caput Geneseos.

Cyrillus libro nono, capite quarto in Ioannem inquit: Peccatum à contemptu mandatorum originem trahit.

De speciebus ait Salonius: Septies in die cadit iustus. loquitur Salomon de leuibus & quotidianis peccatis, sine quibus nullus iustorum in hac uita esse potuit, nec esse potest. in Prouerbia Salomonis.

Discernit Chrysostomus naturam hominis, prout creata est à Deo, & peccatũ quod est ex homine. Sic enim inquit: Non pertinet peccatum ad animæ, carnis ac uoluntatis substantiam: sed illæ quidem Dei sunt opera: quòd uerò ex nobis est, illarum est motio, quę eò ducit, quò nos utiq; uoluerimus. Voluntas quippe per se quidem naturaliter inserta atque ex Deo est: quòd uerò

talis est, nostrum est, atque ex nostra sententia natum. in septimum caput ad Romanos, Sermone decimotertio.

Augustinus pulchrè docet, autores peccatorum esse diabolos & homines, ad undecimum articulum sibi falsò impositum: Si diabolo obijceretur, quòd talium facinorum ipse autor, ipse esset incētor, puto quòd aliqua ratione hac se posset exonerare inuidia, & talium scelerum patratorem de ipsorum uoluntate uinceret: quia etsi delectatus sit furore peccantium, probaret tamen, se non intulisse uim criminum. Qua ergo insipientia, quáue dementia definitur ad Dei referendum concilium, quod nec diabolo in toto adscribi potest, qui in peccantium flagitijs illecebrarum adiutor, non uoluntatum credendus est esse generator? Peccatum non esse à Deo, idem docet ad decimūtertium articulum sibi falsò impositum: Omnibus quidem à fide ad infidelitatem, à sanitate ad turpitudinem relapsis, & ante finem uitę nulla purgatione emendatis, nihil aliud quàm æterna mors debetur: sed nefas est Deo adscribere causas talium ruinarum. Qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quod uniuscuiusq; meritis retributurus sit: nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem aut uoluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iusticia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus sanctus: nec in tali negocio quicquam diuinæ uoluntatis interuenit, cuius ope scimus multos ne laberentur detentos, nullos autem ut laberentur impulsos. Itē, de natura & gratia capite primo: Omnia quidem bona quæ habet in formatione, uita, sensibus, mente, à summo Deo habet, creatore & àrtifice suo. Vitium uerò quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, ut illuminatione & curatione opus habeat, nō ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio, ac per hoc natura pœnalis ad uindictam iustissimā pertinet. Si enim iam sumus in Christo noua creatura, tum eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Deus autem qui diues est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cū essemus mortui delictis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia sumus salui facti. Itē, de libero arbitrio libro primo, cap. primo: Euod. Dic mihi, quæso te, utrum Deus non sit autor mali. Augustin. Dicam, si planum feceris de quo malo quæras. Duobus enim modis appellare solemus malum. uno, cùm malè quenquam feciſſe dicimus: alio, cum mali aliquid esse perpessum. Euod. De utroque scire cupiò. Aug. At si Deum bonum esse nosti uel credis (neq; aliter fas est) malum non facit. Rursus si Deum iustum fatemur (nam & hoc negare sacrilegum est) ut bonis præmia, ita supplicia malis tribuit, quę utique supplicia patientibus mala sunt. Quamobrem si nemo iniustè pœnas luit, quod necesse est credamus, quando quidem diuina prouidentia hoc uniuersum regi credimus: illius primi generis malorum nullo modo, huius autem secundi autor est Deus. Deum non esse autorem mali, Augustinus docet 83. quæstionum, quęstione uigesimaprima: Boni igitur tantummodò causa est Deus, & propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali autor non est, qui omnium quæ sunt autor est: quia in quantum sunt, in tantum bona sunt.

Leo inquit: Omne peccatum ex uoluntate nascitur. epistola 87 ad episcopos Aphricanos per Mauritaniam Cæsarienſem constitutos, capite quinto.

Prosper etiam ait: Serpentina fraude diabolus superbia, qua ipse cum socijs ceciderat homine decepto, dum se cum tota stirpe humani generis Adam per inobedientiam præcipitaret in mortem: creatori præiudicium bene condita natura inferre non potuit. in Prologo de promissionibus & prædictionibus Dei. Theodoretus inquit: Si bonus est Deus, sicuti bonus est (communis enim hæc sententia est) non utique erit malorum causa qui bonus est. Quòd si Deus non est causa malorum quæ fiunt (mala autem propriè appellamus, non ea quæ à multis existimantur mala, paupertatem uidelicet, ægritudinem, quæque sunt prætera his similia, quæ nonnullis appellari dam na mos est: sed maliciam, libidinem, cæterasque iniquitates) nos igitur hæc ipsa facere audeamus, causaque earum rerum in nos autores referenda est: in Deum uerò nequaquam, cum ipse etiam latis legibus contraria fieri mandarit. lib. 5 de natura hominis.

Diabolum etiam simul esse peccati causam, Chrysostomus docet homilia decimasexta in tertium caput Geneseos: Videbat igitur super terram angelum terrestrem, & à sua rodebatur inuidia dęmon, malorum autor. Quoniam cum ipse inter supernas uirtutes esset, & ob uoluntatis suæ nequitiam & malitiam excellentem, è summo illo cœlo proiectus fuerit, magna usus est machinatione, ut & hominem gratia Dei priuare, & ingratum factum à tantis bonis per diuinam bonitatē ipsi concessis nudare posset.

Cyrillus inquit: Inuidiæ & peccati inuentor ociosus esse nolebat circa terrestre hoc animal, hoc est hominem: sed dolo & imposturis latenter inuasit, & usus uersutiæ organo mu-

no mulierè inobedientem effecit. Semper enim uoluptates quæ cum nobis & in nobis sunt, ad fœditatem, hoc est ad peccatum deducunt. libro Dialogorum de adoratione in spiritu. Item: Diabolus pater & rex est peccati, qui primus illud in mundum inuexit, ad cuius imaginem & figuram rectè quis assimilarit Pharaonem Aegyptiorum principem, apud quem densæ ad seducendum & errandum tenebræ, nullusque omnino resipiscèdi à peccato modus: ibidem. Theodoretus ait: Serpens est autor mali, & minister diaboli. quæstione 13 in Leuiticū. Item: Diabolus per serpentem allocutus est Euam. Cum enim à Deo omnium accepisset imperium in uniuersa irrationalia, diabolus ministerio unius animalium subditorum laqueum tetendit, hoc pacto suasu faciliores componens insidias. quæstione 32 in Genesin.

Hsychius diabolum peccati autorem suggerendo inobedientiam facit, libro quinto in decimumoctauum caput Leuitici. Et: A' bestijs captus est, qui operante in eo diabolo, tractus est ad aliquam actionem malam, quemadmodum Iudas ad tradendum Dominum, de quo Iohannis decimotertio capite. libro primo in quintum caput Leuitici. Item: A' dæmonibus corruptio humanæ est effecta naturæ. libro quinto in decimumquintum caput Leuitici.

De fonte peccati sic ait Prosper: Superbia est initium omnis peccati, & concupiscentia pœna peccati. libro tertio de Vita contemplatiua, capite tertio. Saluianus ait: Quia quòd lex bona est, nostrum non est: quòd autem malè uiuimus, nostrum est. & nihil utique nobis prodest, quòd lex est bona, si uita nostra & conuersatio non est bona. libro quarto de prouidentia Dei.

Item, quòd ex anima scaturiant peccata, Hsychius docet: Ante alia hoc nunc primum intende, quia peccata dixit esse animæ. quidam enim corpus quasi causale peccati accusant: sed non ita est. Nam si sana sit anima, nihil illi nocebit carnis luxuries. libro primo in quartum caput Leuitici.

Sedulius inquit: Deus neminem tradit, sed relinquit, nec adiuuat eum qui peccat. in primum caput Epistolæ ad Romanos. Et: Dei regnum est gratia regnante, sicut diaboli regnum erat peccato regnante. in quintum caput ad Romanos. Item: Præter peccatum nihil ex nobis habemus. in quartum caput ad Corinthios. Item: Porta diaboli peccatum est, quemadmodum Spiritus sancti iustitia. in quartum caput ad Ephesios. Item: Initium omnis peccati superbia. in sextum caput ad Timotheum.

Thalassius ait: Negligentia primum parentem nostrum fecit transgredi, & pro delicijs paradisi morti adiudicatus est. Hecatontade quarta.

Theodulus inquit: Ferè enim præter uoluntatem meam ad malum arripior, ut adeò totum peccatum sit ex dæmonibus suggerentibus. Isti enim simulac exiguum loci occupauerunt, totum subuertūt. in septimum caput ad Romanos. Et: Non ipse sanè tradidit, absit. uerùm is quidem istos neglexit, ab cura sua illos excidere sinens. Quod cum contingit, consequitur eos à Satana comprehendi. hinc tradidit eos, in quæ tradidit. Dei itaque permissum traditionem appellat, in primum caput ad Romanos. Et: Per auersionem enim à Deo, reproba mens à dæmonibus inducitur. Hanc sanè auersionem, inductionemque mos est Scripturæ appellare traditionem. ibidem. Et: Per peccatum itaque deinceps occasionem accepit diabolus. Etenim præcepta legis ceu materiem arti suæ quandam faciens, hominem deduxit eò, ut diuersum à mandatis ageret. in septimum caput ad Romanos. Et: Omnino obseruandum hic ostendit, & quòd tibi ipsi iræ autores, & quòd reijcis bonitatem Dei, atque colligis indignationem. in secundum caput ad Romanos. Et: Serie quadam & ordine in omnes homines primi parentis peccatum transijt, omnibus nobis per imitationem & successionem quandam peccantibus. in quintum caput ad Romanos. Item: Innuit affectiones carnis per Satanam forinsecus etiam accidisse, ut nos morti obnoxios redderent, eiq; includerent. per peccata enim admissa morti fructum adferebamus, commodabamusque. in septimum caput ad Romanos. Item: Præter uoluntatem meam ad malum arripior, ut adeò totum peccatum sit ex dæmonibus suggerentibus. Et paulo pòst: Sæpe delinquendo ad peccati habitum peruenimus. Nimia enim consuetudo instar naturæ est. Theodulus in septimum caput ad Romanos.

Salonius ait: Causa superfluæ curæ atque malæ solicitudinis non est in Deo, sed in illo qui antè sponte sua peccauit: quia peccatis suis exigentibus promeruit, ut haberet curā superfluam, & solicitudinem. in Ecclesiasten. Item: Noli dicere, non ego pecco, sed quod in me habitat peccatum: id est, fragilitas carnis meæ. Quia si hoc dicis, Dominum prouocas ad iram, quasi ipse sit autor malitiæ atque peccati. ibidem.

Faustus ait: Peccatum est opus Diaboli, mors pœna peccati. libro primo de libero arbitrio.

Eucherius inquit: Nemroth autor ædificandæ turris extitit, qui non incongruè dia-

bolo comparatur, qui cogitatione cordis sui intumescens, super sidera exaltare se uoluit, id est, super omnem potestatem angelorum, Deo se coæquare disponens, dum dicit: Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo. libro secũdo in Genesin, capite septimo. Item: Diabolus induxit tribulationes & mortem, his à quibus receptus est Christus. libro primo Commentariorum in libros Regum.

Iunilius inquit: Causa malorum in ipsis est, qui mali sunt: quia dum libero arbitrio atque bene concesso inordinatè utuntur rationales creaturæ, & malitiæ & pœnæ causa sibimet existunt. libro secundo, cap. 28.

Deum non esse peccati causam, testatur Augustinus libro de uera innocentia, capite 389: Neminem Deus ad peccandum cogit, præuidet tamen eos qui propria uoluntate peccabunt. Cur enim non uindicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Cyrillus libro tertio contra Iulianum inquit, Deum quidem malum scire, sed προεπιστως. Verba eius sunt: Igitur bona quidem & bene operans eodem modo, imò ipsa bonitas est, diuina & ineffabilis natura: non ignorauit autem malum, sed nouit non practicè, id quod nos sentimus, in omne uenientes malum.

Prosper ait: Peccatum ad mortem trahit, sed ad peccandum neminem Deus cogit. capite primo in obiectiones Gallorum.

Eucherius de fonte peccatorum ait: Superbia est initium omnis peccati. in libro quarto Regum.

Impulsiuas ad peccandum sic exponit Prosper: Plerosque peccandi consuetudo delectat, alios ad peccandum occasio alicuius lucri temporalis inuitat, fragilitas nonnullos inclinat, quosdam ignorãtia boni facit nescire quod peccant: & impedit mali dulcedo, ne correpti aliquando sapiant, quod ignorãt. Taceo de illis quos aliena delicta quibus consentiunt, decolorant: illos etiam prætermito, qui cupientes adipisci quod diligũt, uel refugientes pati quod metuunt, aut fidem catholicam produnt, aut mendacio præstantiam ueritatis addicunt. lib. 2. de Vita contemplatiua, cap. primo.

¶ De damnis peccati inquit Chrysostomus: Peccata quippe uermibus periora sunt. corpus enim isti, animam uerò illa inficiunt, maioremq; quàm isti generant putredinem: quam quia nos non sentimus, expurgare etiam non conamur. Quemadmodũ qui ebrius est, ignorat quanta sit putris uini abominatio, probè uerò nouit quisquis ebrius non fuerit: ita etiam habet ratio peccatorũ. Cœnum quippe probrumq; illorum, qui sobriè uiuit, bene nouit: qui uerò malitiæ seipsum tradidit, non secus quàm solet qui per ebrietatẽ profundè sopit⁹ est, etiã hocipsum ignorat quòd morbidus est. in sextũ caput ad Romanos, sermone undecimo. Item: Huiusmodi est natura peccati, habet antequam perpetretur aliquam uoluptatem: ubi uerò consummatũ fuerit, uoluptas illa cessat atq; marcescit, subit autem cõtinuò mœstitudo ac tristicia ingens. Econtrà, iusticia initiò labores habet, in fine autem uoluptatem ac requiem. idem, in primũ caput prioris ad Timotheum, homilia secunda. Itẽ: Ex peccatis morbi generantur, inde quod uerum est, apud gehennã maximum & perpetuum esse supplicium. Breui peccatum patratur, morbi tormenta diuturna sunt. Nõ enim tempore peccata, sed peccantium animus iudicatur. Non tamen omnes morbi propter peccata ueniunt, sed plerique. homilia 37 in quintum caput Ioannis.

Prosper ait: Quòd si primus homo uoluisset se in illa paradisi beatitudine custodire, ut à fructu unius interdictæ arboris ieiunasset: nec statum illum tantæ felicitatis amitteret, nec eum uoluntaria salutaris præcepti trãsgressio necessitati corruptionis ac mortalitatis addiceret, ut tãta beneficia Dei sui, quæ in natura suæ conditionis acceperat, aut corrũperet peccato corruptus, aut perderet. Quis enim sufficienter enumeret, quæ & quanta bona illi abstinentiæ cõtemptus ademerit? quòd intellectualis mentis dignitate donatus, imaginem sui creatoris accepit: quòd soli Deo suo subiectus, omnia uisibilia sibi subiecta conspexit, &c. libro secundo de Vita contemplatiua, capite 18. Item libro tertio de Vita contemplatiua, capite secundo: Primus homo superbi spiritus elatione corruptus, omnẽ posteritatem suã quæ in illo radicaliter fuit, necessitati corruptionis ac mortalitatis addixit. Item: Peccatum contra naturam est, de quo mors & omnia quæ sunt mortis oriuntur. in responsione ad obiectionem quintam, obiectionum Vincentianarum.

Theodoretus inquit: Quoniam primus homo sub peccato totus fuit, & diuinæ imaginis characteres perdidit, & principem generis genus est consecutum: necessariò uolens opifex deletam renouare imaginẽ, tota susceptа natura, prioribus multo melioris characteres effinxit. in 2. dialogo Inconfuso. Item: Peccatũ nos omnes interemit. ipsum enim mortis in nos tulit sententiã. in 2. cap. epistolæ ad Colos. Item: Peccatũ quidem mortis mater est, eius autem pater est diabolus. in dialogo 3. Impatibili. Item: Homines sententiam mortis propter peccatum receperant. quæstione 13 in Genesin. Item: Videntes serpentẽ ſrepere & uolutari super terram, maledictionis antiquę recordamur: &di-

& discimus quanta mala peccatũ accersat, non solùm his qui illud admittunt, sed & illis qui subseruiunt. quæstione 34. in Genesin. Item: Iussit Deus Adam eregionè paradisi agere, ut pristinam uitam dolore carentem reuocans in memoriam, odio prosequeretur peccatum, tanquam autorem laboriosæ & ærumnosæ uitæ. quæstione 40. in Genesin. Item: Delinquentes homines pungit interior conscientiæ stimulus, nec finit integram esse uoluptatem peccati, sed acerbissimos illi cruciat' admiscet. id quod planè conspici potest euenire sicarijs, grassatoribus & adulteris, quiq; murorum perfossionem, latrocinia proditionesque obeunt, aliud ue quippiam audent, quod lege prohibeatur. libro septimo de sacrificijs.

Hesychius ait: Immundiciæ animæ peccata sunt. libro sexto in 22 caput Leuitici. Et: Nihil sic hominem polluit, ut peccatum. libro tertio in undecimum caput Leuitici. Et: Propter quod nec uenia tali nũc dignus est talia peccans (sciens conatum diaboli, illi tamen obtemperat) quia postquam destructi sunt qui nos seducunt, & postquam euomuit eos terra, nos ea quæ ad eos pertinent imitamur, & patimur quod Dominus dicebat, Fiunt nouissima hominis illius deteriora prioribus. Hi enim qui post Euangelicam prædicationem in eas quę dictæ sunt impietates excesserunt, & scelera siue abominationes, propter nimiã ab eis Dei auersionem rectè dicti sunt mali, terra abhorret, & euomet illos. Non enim iam in hominũ portione, sed in dæmonum ordinabuntur, perdentur autem eorum animæ. libro quinto in 18. caput Leuitici.

Primasius inquit: Sagitta mortis peccatũ, per quod animæ iugulantur. in 15 caput prioris ad Corinthios. Theodulus inquit: Nam cum morte perturbationũ pariter cœtus subijt, ut ira, tristicia, concupiscentia mala. his, inquit, traditus sum: id enim significat Venditus. Traditus autem sum perturbationibus, principium ducentibus in Adami præuaricatione. in septimum caput ad Romanos. Et: Incorruptibilis creatura creata, ob mortalium peccata corruptibilis facta est: quandoquidẽ & nos ex incorruptibilibus corruptibiles facti sumus. in octauum caput ad Romanos. Et: Nullam itaque mensuram dicit, neq; quicquam medij habet, sed repletos dicit: seu pleni sunt iustitia, eaq; omni. Cum enim quisquã Deũ auersatus fuerit, & ab eo discesserit, meritò omnia malorum genera econtrariò in eum subintrant. in primum caput ad Romanos. Et: Quanto enim maiore institutione donatus est, tãto maioribus, si peccet, pœnis adficietur. in secundum caput ad Romanos.

Item: Quomodo autem aliquis pacem habet apud Deum? Si sequatur mandata eius, quemadmodũ qui peccat, bellum gerit aduersus Deum. in quintum caput ad Romanos. Item: Si tam fuit potens delictum Adami, etiamsi infirmum esset, ac longè inferius dono Dei, ut etiam eos qui non peccauerant, morte frangeret: quanto maiore robore donum Dei efficax erit, eos etiam qui non rectè egerint resurrectione sua uiuificare? in quintum caput ad Romanos. Item: Hæc itaq; lex, siue peccatũ decipit me propter insitam membris meis & nobis ipsis cõcupiscentiam, meq; captiuum ducit. in septimum caput ad Romanos. Et: Nihil adeò animam senio conficit, annosam reddit, antiquat, atq; peccatum. in duodecimum caput ad Romanos. Salonius inquit: Peccata & uitia gratiã sancti Spiritus extenuant. in Ecclesiasten.

Eucherius ait: Post peccatum enim primus homo damnatus amisit perfectionem illam, qua ad imaginem Dei fuerat factus, ut omnibus dominaretur. Merito enim peccatorum actum est, ut naturaliter prospera efficerentur homini aduersa. Eucherius in Genesin. Et: Homo cecidit de corporali & spirituali paradiso. libro primo in Genesin, cap. 24. Et: Cum homo per superbiam Deus esse appetijt, usque ad beluarum mortalitatem deiectus est. libro primo in Genesin, cap. 30. Item: Humanũ genus in omnium criminum abysso infelici ruina corruit. sicut scriptum est: Infixus sum in limo profundi. libro quarto in libros Regũ. Et: Ex pœna peccati euenit homini, ut sua ipsius ei rebellis esset caro: quia ipse rebellis extitit creatori suo in actibus suis, & idcirco erubuit postmodum in corpore suo. libro primo in Genesin, capite 23. Item: Natura generis humani peccato uitiata, ac per hoc iure damnata, nihil uerę felicitatis in posterum merebatur. libro 2 in Genesin, cap. 33.

Ioannes Calsianus inquit: Inhærere quidem Deo iugiter, & cõtẽplationi eius (quẽadmodum dicitis) inseparabiliter copulari, impossibile est homini ista carnis fragilitate circumdato. collatione prima, capite 13.

Synesius ait: Quod uideri quidem potuit, proditionem Iudæ excepit suspendiũ: quod autem uideri non potuit, ne satis quidẽ cogitauerit quispiam. Non enim hominis cogitatio capere potest, qualia debeantur proditori Christi supplicia. Epistola 57. Et: Andronicus quemadmodũ insanabile mẽbrum à nobis amputãdus erat, ne cõmunione & sana pariter corrũperentur. nã inquinatio cõtagiosa fit: quiq; scelestũ tangit, reatus se facit participem. Oportet autẽ nos & animo & corpore puros esse Deo. Epistola 58.

Paulinus

Paulinus inquit: Etenim homo in errore positus, & à iusticia relapsus, iustè ut Samson sapientiæ pariter & gratiæ uirtute desertus cæcitare punitur, & mola: quia dignus est opere iumentario, qui semetipsum lumine rationis orbauerit, & in similitudinem beluarum corporis sensus abiecerit. Considera huiusmodi mortalium uitam, & tota tibi species iumenti molentis occurrat. ut ille pannis oculos corporis, sic iste sordibus uitæ suæ, oculos mentis obsitus, per errores suorum sensuum, quasi circa ambages molarum laboriosa miser statione uersaturus, uisu suo uacuus, & operosus alieno, stat in uia peccatorum, compeditus uinculis cupiditatum suarum: & ipse sibi carcer est, obsessus tenebris erroris sui, & conscientiæ squalore concretus, in semetipso pistrini ergastulum patitur: saxum cordis sui, pertinacia iniquitatis induratum, quasi molam uersat, farinã hostibus suis de corrupta animæ suæ fruge conficiens. Epistola quarta. Item: Qui diligens iniquitatem, odit animam suam, & traditus ministro carceris inferni, mittitur in tenebras exteriores, quia secundum exteriorem hominem uixerit. Paulinus in prima Epistola ad Amandum.

Præclarè & hoc dictum est: Nemo periculosius peccat, quàm qui peccata defendit. Primasius in secundũ caput ad Romanos.

Peccati naturam eam esse, ut subinde crescat, docet Chrysostomus in libro cõtra gentiles. Peccatum igni comparat, & postea inquit: Sic & peccati natura, ubi animi cogitationem aliquam adorta est, nec quisquam est qui malum restinguat, procedens ulterius, grauior certè ac magis indomita efficitur. propterea sæpe fit, ut quę posteriora sint peccata, prioribus grauiora sint, anima semper posteriorum peccatorum accessione ad maiorem contumaciam ac despicientiam sese promouente, & per hæc ipsa suam quidẽ uim eneruante, peccati autem robur alente, qua utiq; ratione complures uideat in omne peccatorũ genus imprudẽter, plapsos, quod flammam initio exorientẽ nõ restrinxerint.

Omnes sanctos esse peccatores, Augustinus docet, De ecclesiasticis dogmatibus capite 86: Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamẽ ex hoc desinit esse iustus uel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Non enim naturæ humanæ uiribus, sed propositi adiumẽto, per Dei gratiam acquirimus sanctitatem. Et ideo ueraciter se omnes sancti pronunciant peccatores: quia in ueritate habent quod plangant, etsi non reprehensione conscientiæ, certè mobilitate & mutabilitate præuaricatricis naturæ.

DE ORIGINALI.

Peccatum originale, peccatum libidinis uocat Primasius: libro tertio in Apocalypsin, capite duodecimo.

De peccato originali ait Leo: Natura quippe mutabilis, & de peccati labe mortalis, licet etiam iam redempta, & sacro baptismate sit renata, in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora procliuis. Corrumperetur carnali desiderio, nisi spiritali muniretur auxilio. quia sicut illi nunquam deest unde corruat, ita semper præstò est ut subsistat, dicente Apostolo: Fidelis Deus. Sermone septimo de ieiunijs decimi mensis, & eleemosynis. Item: Talis erat omnium à primis ducta genitoribus causa mortalium, ut originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis euaderet, nisi uerbum caro fieret. Epistola 23. Item: Sicut nullus prohibendus est à baptismo: ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo. Sed paruuli, originali: maiores autem, etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcunq; malè uiuendo addidêre ad illud quod nascendo traxêre. Epistola 86. ad Nicetam Aquileiensem episcopũ. Theodoretus inquit: Cum hominum natura mutationi sit obnoxia, ab omnibus immunem esse peccatis est impossibile. Nemo enim, inquit, purus est à sorde, nec si uita eius fuerit unius diei. Quapropter diuinus ille Dauid inclamat: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens. quæst. 9. in Numeros.

Quòd ab uno homine in omnes peccatum, quod propterea originale appellatur, exundarit, Chrysostomus monet Sermone sexto, de proditione & mysterijs cœnæ Dominicæ: Ergo, inquit, quia primus homo adiudicante Deo de reatu incurrerat mortem, & eam delegauit suo generi, transmisit ad posteros: quia corpore iam mortalis generaret, & morti obnoxios, non liberos, nõ absolutos, sed addictos, uenit de cœlo secundus homo, uenit solus peccati nescius, uenit solus reatus nostri alienus, uenit qui peccato nihil debebat & morti, uenit ut fieret inter mortuos liber, ut mors morte damnaretur. Item, homilia de Adam & Heua: De ipso ergo peccato transgressionis pullulant omnia peccata. Cum ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, ex ipsa propagine fit reus: quia desertus à Deo, cedit cupiditatibus, atque consentit: Vincitur, rapitur, traditur, possidetur. Et in quintum caput Esaiæ idem inquit: Natura pestilentiæ ab uno corpore, ut cœpit primũ, rectà pergens, reliquam depascitur multitudinem.

Prosper ait: Contra uulnus originalis peccati, quo in Adã omniũ hominum corrupta mortificata natura est, & unde omniũ cõcupiscentiarũ morbo inoleuit, uerũ & potẽs & singulare

singulare remedium mors Christi. ad obiectionum Vincentianarum primam. Sic Hesychius inquit: Ipsa substantia generis humani mūda est, sicut à Deo est creata. Omnia enim quæ fecit Deus, erant ualde bona, & multo magis homo, sed per successionem Adę transgredientis læsus est. libro tertio in duodecimum caput Leuitici. Item: Ad quid paruulo opus est inundatio per baptismum? Ad hoc ei opus est, quia nemo est mundus à sorde. Nam licet unius diei uita eius sit super terram, sordem tamē quam ex Adā successione & generatiōe traxit, retinet. libro secundo in sextum caput Leuitici. Item: Septem diebus mulierem esse immundam dicit, & hoc quamobrem? Videlicet quia sator immundus est, utpote hæres Adam, qui per transgressionem immundus factus, atque ita Euæ mixtus, omne genus humanum fecit immundum. libro tertio in 12. caput Leuitici. Et: Adam cum genere uitam polluit nostram. Quomodo autem nostram polluit uitam? Inducens ei maledictionem, & transferens ad miseriam, eam quam sortiti fueramus ab initio beatitudinem. Quod manifestum est ex his quę Deus ad Adam dicit: Maledicta terra in operibus. Hesychius lib. 3. in 12 caput Leuitici.

Sedulius ait: Iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationē. Ex uno ergo quid, nisi delicto? quia sequitur: Gratia autem ex multis delictis in iustificationem, quomodo ex uno delicto in condemnationem: nisi quia fuit ad condemnationem etiam unum originale peccatum, quod in omnes homines pertransijt. in quintum caput ad Romanos. Item: Nullus hominum nisi per Adam trahitur ad damnationē, de qua per lauacrum regenerationis homines liberantur: & nullus hominum ab hac damnatione nisi per Christum liberatur. ibidem. Item: Consuetudo peccandi ab Adam transfusa in nobis, habitat autem quasi hospes, & qua si aliud in alio: non quasi accidentia, scilicet non naturalia. sicut, uerbi gratia, si quis iam diu iurare uel irasci consueuit, etiam cum nō optat, incurrit. Sedulius in septimum caput ad Romanos.

Primasius: Habitat in me cōsuetudo peccati, quæ mihi per transgressionem primi parentis exuitiata natura transfusa est. in septimum caput ad Romanos. Et: Quia omnes rei sunt per unum, per quem peccatum introiuit in mundum. in nonum caput ad Romanos.

Theodulus inquit: Quis credit, quòd honestum sit ipsa iniusticia, & malum ipsa ueritas? Perspicuum autem est, quòd in generatione est peccatum: hoc enim potissimùm obtemperantibus indicat. Voluntarius enim obtemperat, qui obtemperat. in secundum caput ad Romanos. Et: Demonstrare illi est animus, quòd non usque adeò propter peccata nostra intermorimur, quantum propter Adamum, qui peccato locum fecerit per inobedientiam suam, inquiens: Erat sanè in hominibus ante legem etiam peccatum, uerùm non imputabatur ipsis, quandoquidem non esset lex peccatum denuncians, adeoque uetans. Non imputato itaque peccato, obibant diem homines. Quid ita? Non ne perspicuum est, quòd propter Adami istuc condemnationem eis acciderit? in quintum caput ad Romanos. Item: Adam admisso flagitio propriam suam mortalitatem in genus omne mortalium transfudit. Per mortem Adami omnes moriebantur. Adamus omnibus suis posteris, ijs etiam qui non ederant de ligno illo, causa mortis per manducationem inductæ fuit: ibidem.

Omnes esse reos huius peccati, docet Sedulius, dicens: Omnes originali peccato infames, immunes esse non possunt, nisi ab eius reatu per Christi baptismum resoluantur. in quintum caput epistolæ ad Rom.

Theodulus inquit: Nihil igitur ex lege Iudæo præstantiæ seu prærogatiuæ accedit. non enim eam custodiuit, non obseruauit, nec præputium gerenti: nam & is peccauit. Neuter igitur altero est melior. Omnes nāque causati sumus, hoc est conuicimus, peccato esse obnoxios. in tertium caput ad Rom. Et: Hanc ob causam, inquit, prophetæ redarguerunt Iudæos, planumque fecerunt eos nequicquam magnifica de sese prædicare, quinimò totum iuxtà mundum peccatis obnoxium, ut iter præstruerent fidei. in tertium caput ad Romanos. Et: Porrò nequis iniusticiæ insimulet Deum, quòd ob Adami delictum nos moriamur, subdit: In quo omnes peccauerunt. perinde quasi dicat: Ipse quidem principium præbuit, & causam, peccauimus autem & ipsi nos. Non enim propter auitum, adeoque primorum parentum peccatum tantum punimur: nec ideo solùm, quia per mortem Adami in genus eius & propagationem peccatum deriuatum sit. enimuerò ob suum quisq; perpetratum indignum facinus, mortis terminum recipit. in quintum caput ad Romanos. Item: Nam cum morte perturbationum pariter cœtus subijt, ut ira, tristicia, concupiscentia mala: his, inquit, tradi tus sum perturbationibus, principium ducentibus in Adami præuaricatione. in septimum caput ad Romanos.

Eucherius ait: Si etiam paruuli, quod uera fides habet, nascuntur non propriè,

propriè,sed originaliter,peccatores (unde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur:) profectò eo modo, qui sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius quæ in paradiso data est, agnoscuntur. ut uerum sit utrumq; quod scriptum est, &, Prævaricatores reputauit omnes peccatores terræ:&, Vbi lex non est, nec prævaricatio.Libro secundo in Genesin, capite uigesimoquarto. Item: Omnes homines in monte superbiæ nati sumus:quia de prævaricatione primi hominis,quam superbia fecit,originem carnis traximus.libro tertio in libros Regum,cap.5.

De effectu peccati originalis sic scribit Prosper: Adhuc passiones quæ per legem sunt, operantur in membris nostris, ut fructum ferant morti, multisq; uicijs implicati tenemur in hac uita. in peroratione libri de promissionibus & prædict.Dei. Item:Collatus illis absolutè perfectis, qui in uita beata futuri sunt, non est(ut ita dicam) perfectè perfectus: cui etsi dimissa est omnis iniquitas,nõ est adhuc sanata, sed sanatur eius infirmitas. & ideo etsi non peccat, ut sit uerè perfectus: peccare tamen potest, quia non est consumpta omni infirmitate sanatus. de uita cõtemplatiua capite nono. Item: Primus homo superbi spiritus elatione corruptus,omnem posteritatem suam, quæ in illo radicaliter fuit, necessitati corruptionis ac mortalitatis addixit, ut corruptibilis & mortalis effectus, corruptibiles mortalesq; generaret:atque ita quod in illo egerat punienda superbia, in omnibus ex illo natis peccati fieret pœna.Et propterea nõ eo modo iam possumus peccato resistere, sicut ille potuit:cui nihil aliud fuit nõ peccare,quàm nolle.Nobis autem irreprehensibiliter uiuere uelle non sufficit, nisi ipsum uelle nostrũ, quod languida possibilitate deficit, diuina uirtus adiuuerit.libro tertio de uita contẽplatiua,capite secundo. Item: Primus homo non ideo peccauit, quia corruptibilis fuit,& corruptionem suam in nos propagatione transiecit:& idcirco ibi nobis auferenda est tota mortalitas, omnisque corruptio, quæ facta est ex peccato, ubi erimus sine ullo peccato.Hic uerò ubi non iam sanata est, sed adhuc sanatur per gratiam nostra natura,quæ infirmata est per culpam, pijs conatibus nostris resistit ipsa concupiscentia uitiosa, non naturalis,sed naturæ nostræ indita pœnaliter & inserta,quę peccato facta est, & peccatum si uicerit facit. Quam licet quãdiu mortaliter uiuimus, habeamus: nonea tamẽ studio nostræ uoluntatis adiuuemus,& uincimus. ibidem. Item libro de prouidentia:

Victus enim terrenus Adam transfudit in omnes Mortem homines,quoniam cuncti nascuntur ab illo, Et trangressoris decurrit causa peccati.

Item: Omne humanum genus in Adam, à quo est uniuersalis propago, percussum est:& de illius uulnere gemunt, qui spe saluantur in Christo, non sine miserijs mortalitatis inde contractæ. in expositione Psalmi centesimi primi.

Isychius ait: Peccato refertum est omne uiuẽtium genus. libro quinto in decimumsextum caput Leuitici. Et: Pollutionem nõ motus naturales faciunt, sed peccatum, de quo Dauid dicebat: Ecce in iniquitatib. conceptus sum. Non suæ matris peccatum aliquod accusans: sed matrem naturam appellat,immundiciam peccati Adę & Euæ in omne genus nostrũ descendisse significans. libro tertio in duodecimum caput Leuitici.

Sedulius inquit: Qui autem confitetur mortuum, & negare non potest mortem de peccato esse, & ob hoc etiam ipsum peccatum uocat.in decimumquintum caput epistolæ ad Galatas.

Eucherius ait: Ac per hoc quia circumcisio signum regenerationis fuit, & non immeritò paruulum propter originale peccatum,quo primum Dei disipatum est Testamentum,generatio disperdet.lib.2.in Genesin,capite 24.

Quòd in sanctis etiam peccata sint, testatur Iohannes Cassianus: Cæterùm iustos & sanctos uiros non esse immunes à culpa, manifeste Scriptura pronunciat. Et tamen cum dicatur septies cadere, nihilominus pronũciatur iustus, nec iusticiæ eius præiudicat lapsus fragilitatis humanæ. Quia nullum interest inter sancti & peccatoris hominis lapsum. Aliud est enim,admittere mortale peccatum:& aliud est, cogitatione quæ peccato non caret, præueniri,uel ignorantiæ uel obliuionis errore. collatione uigesimasecunda,cap.13.

DE ACTVALI.

De peccatis actualibus inquit Leo: Peccata quæ malè agendo postea (scilicet post regenerationem) committuntur,possunt& pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri uidemus. epistola 86 ad Nicetam Aquileiensem episcopum.

De ueniali peccato inquit Isychius: Quia diffusam maculam non inuenit, nec exuberantem impietatem: id est, his quidem qui peccauerunt,utpote pœnitentibus ignoscit, & ut ex infirmitate peccantibus.libro quarto in decimumquartum caput Leuitici.

De peccato in Spiritum sanctum inquit Leo: Qui dixerit contra Spiritum sanctum, &c.permanens in hac impietate, sine uenia est: quia exclusit eum à se, per quem poterat confiteri: nec unquam peruenit ad indulgentiæ

gentiæ remediũ, qui patrocinaturũ ſibi nõ habet aduocatũ. ab ipſo enim eſt inuocatio patris, ab ipſo ſunt lachrimæ pœnitentiũ, & gemitus ſupplicãtium. Sermone primo de Pentecoſte. Iſychius ita ait: Illã blaſphemiã quã ſciẽdo quis cõmittit, hãc ſub pœna maxima eſſe, & nõ uenialẽ uult. & hoc dicit apertè, quod in Euãgelijs Dominus ait: Omne peccatũ & blaſphemia dimittetur hominibus, &c. blaſphemiã ſpiritus eam quæ in ſciẽtia Dei cõmittitur blaſphemiã appellãs: quia ſcientia donũ eſt ſpecialiter ſpiritus, ita ut Paulus diceret: Huic quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ. Quamobrẽ & nunc intelligis maledicere Deum, qui non ſciendo blaſphemat. lib. 7 in 24 caput Leuitici.

De peccato in ſpiritum ſanctum ſcribit Auguſtinus ad Bonifacium epiſtola 50: Qui peccauerit in ſpiritum ſanctum, uel qui uerbum dixerit aduerſus ſpiritum ſanctum. Non utiq; omne quod in ſpiritum ſanctum peccatur facto ſiue dicto, ſed aliquid certũ & proprium intelligi uoluit. Hoc eſt autẽ, qua homo recuſat in unitate corporis Chriſti, quod uiuificat ſpiritus ſanctus, remiſſionem accipere peccatorũ. Quum enim dixiſſet diſcipulis, Accipite ſpiritum ſanctum: continuò ſubiecit, Si cui dimiſeritis peccata, dimittentur: ſi cui tenueritis, tenebuntur. Huic ergo dono gratiæ Dei quicunque reſtiterit & repugnauerit, uel quoquo modo fuerit ab eo alienus, uſque in finem huius temporis uitæ, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Hoc ſcilicet tam grande peccatum, ut eo teneantur cuncta peccata: quod non probatur ab aliquo eſſe commiſſum, niſi cum de corpore exierit. Quamdiu uerò hic uiuit, eum (ſicut dicit Apoſtolus) patientia Dei ad pœnitentiã adducit. Sed ſi ipſe perſeuerat in iniquitate (ſicut conſequenter adiungit Apoſtolus) ſecundum duriciam cordis ſui, & cor impœnitens, theſaurizat ſibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, nõ remittetur ei neq; in hoc ſeculo neque in futuro. Iſti aũt cum quibus agimus, uel de quibus agimus, nõ ſunt deſperandi: adhuc enim ſunt in corpore.

DE LEGE NATVrali.

DE lege naturali ait Chryſoſtomus: Lex naturalis non eſt nobis à Spiritu ſancto data, quandoquidem illam habent & barbari & gentes, ac uniuerſi ſimul mortales. in ſeptimum caput ad Romanos, Homilia duodecima. Item: Natura leges dicit. Scim⁹ ex nobis ipſis quid bonũ & quid malum. Poſuit Deus in natura noſtra legẽ non ſcriptam, quæ illuſtret mentes noſtras. Sermone de fide & lege naturæ.

Sedulius inquit: Lex naturalis eſt, quæ per Moſen partim roborata eſt, partim autoritatem accepit in uitijs cohibendis. in tertiũ caput ad Romanos. Theodulus ait: De his namq; peccatis naturalis erat lex poſita. Conditor enim uniuerſi Deus, hominẽ creans, rerum quas agere deberet & non agere, naturalem quandam ei cognitionem indidit & inſeuit. in 5 caput ad Romanos.

Eucherius ait: Naturalis lex diuina largitione humanæ naturæ inſita, per quam diſcernitur bonũ uel malum, & ut quod ſibi quiſq; fieri non uult, ipſe non faciat. lib. 4. in libros Regum.

Proclus inquit: Quia Deus naturali lege rationale animal honorauit, datur ei mãdatũ, ut quod erat optimũ, non latêret eius arbitriũ, ſed meliori propoſito noxia declinaret. Et quòd ille ſpõtanea uoluntate in deteriora prolapſus, extorris paradiſi perinobedientiam factus eſt.

Diuidit legem naturalem Sedulius his uerbis: Lex naturalis tres habet partes. Prima eſt, ut agnit⁹ honoretur creator, nec eius claritas & maieſtas alicui de creaturis deputetur. Secunda pars eſt moralis: hoc eſt, ut bene uiuatur, & modeſtia gubernante. Tertia uerò pars eius eſt docibilis, ut creatis Dei, & exemplum mortis cæteris tradatur. in 5. caput ad Romanos.

Sedulius comparat legem naturæ & fidei hiſce uerbis: Quamuis lex naturæ de bono & malo teſtimonium reddat, ſecundum iudicium cõſcientię: tamẽ legi fidei nõ poteſt exęquari, qua Deo credidit Abrahã, & iuſtificari meruit, atq; amicus Dei appellari. in 4 caput epiſtolæ ad Romanos.

DE LEGE MORALI.

Diuidit legem Sedulius, inquiens: Lex eſt triplex. Prima pars, de Sacramentis diuinitatis Dei eſt: ſecunda, quæ congruit legi naturali, quæ interdicit: tertia, lex factorum eſt, id eſt ſabbata, neomeniæ, &c. in tertium caput ad Romanos. Item, diuidit quoq; in legem operum & legem fidei: in tertium caput ad Romanos.

Theodulus inquit: Non ſolùm parem hic dignitatẽ Iudæi & Græci oſtendit, ſed multo etiam magis Iudæũ grauari legis traditione. nam Græcus citra legẽ iudicatur. Citra legẽ aũt hic non difficilius, ſed quod placidius & manſuetius eſt uocat: hoc eſt, Græcus nõ habet legẽ accuſantẽ. nam ſine lege, hoc eſt, ſine cõdemnatione quæ eſt ab ratiocinatione cogitationeq; legis, cõdemnatur tantũ. Iudęus uerò in lege: hoc eſt tũ natura, tum lege accuſante perit. in ſecũdum caput ad Romanos. Item: Agnoui quid me oportet

teat facere, cùm ab naturæ, tũ charitatis lege edoct⁹. in ſeptimũ caput ad Rom. Itẽ: Quatuor ſunt legũ formulæ, de quib. hic diſputat. Prima eſt, Lex Dei, de qua dicit hic: Oblector autem lege Dei. Altera eſt, quę opponitur legi Dei. Tertia eſt, de qua inquit: Legi mẽtis meæ. Quarta eſt, de qua ait: Legi peccati, quæ eſt in mẽbris meis. in ſeptimũ caput epiſtolæ ad Rom. Marcus heremita inquit: Eſt præceptũ particulare, & eſt alterum generale. illo particulariter præcepit, Non habenti impertiendum: hoc mandat, Omnibus bonis renunciandum.

Iunilius inquit: Legislatio in duas partes diuiditur, in naturalẽ diſcretionẽ, & in legẽ extrinſecus poſitam. lib. 2. cap. 6. Et: Lex in uerbis conſtituta, in duas partes diuiditur. aut enim immutabile quid præcipitur, aut tẽporale. Immutabiliũ genera ſunt duo: dilectio Dei, & dilectio proximi. Temporalia præcepta diuiduntur in duas partes. aut enim diu ſeruata ſunt, ut circũciſio: aut paruo tempore, ut mannæ perceptio. Legum aliæ aut præcipiunt aliquid: ut, Honora patrẽ tuum. aut aliquid uetant: ut, Non occides, non mœchaberis. Præceptorũ alia ſunt per ſe utilia, ut Dei proximiq; dilectio: alia propter alia neceſſaria, ut Non occides. Iunilius libro 2. capite 8.

Quis legem dederit, Auguſtinus meminit lib. 2. quęſtionũ ſuper Exodũ, quęſtione 146. Et ideo dicitur opus Dei, quia Deus legem cõſtituit, Deus conſcripſit: nullũ opus hominis, quia homo Deo non obtemperauit, & eum potius reum lex fecit.

Cyrillus libro tertio Dialogorum diſputat copioſè, Chriſtum eſſe legislatorẽ: & ex eo probat, quòd ſit Deus.

Iſychius, Deũ per Moyſen legẽ dediſſe aſſerit: lib. 3. in 12. caput Leuitici.

Eucherius ait: Spiritus Dei dator eſt legis: lib. 4. in libros Regum.

Quo tempore lex promulgata ſit, exponit Auguſtinus lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 18: Eduxit ergo Moſes ex Aegypto populũ Dei, nouiſsimo tẽpore Cecropis Athenienſiũ regis, cum apud Aſſyrios regnaret Aſcades, apud Sicyonios Marath⁹, apud Argiuos Triopas. Educto aũt populo, in mõte Sina diuinitùs acceptá tradidit legem, quod uetus dicitur Teſtamentũ: quia promiſsiones terrenas habet, & per IESVM Chriſtũ futurũ fuerat Teſtamentũ nouum quo regnum cœlorum promitteretur.

Eucherius ait: Decem ſunt præcepta, quibus omniũ noſtrũm operatio in lege diuina præfixa eſt. lib. 3. in libros Regum. Et: Decalogi legis tria ſunt mandata, quę nos ad cultum diuini amoris excitant: ſeptẽ, quæ dilectionem commendant proximi. Qui ergo Decalogum legis in Dei & proximi dilectione cuſtodiunt, iurè mercedem huius cuſtodiæ in Dei ſimul & proximi uiſione percipiunt. lib. 3. in libros Regum.

Legẽ etiã interiora requirere, Seduli⁹ ait: Non eſt aũt una mœcha. nã totũ quod debet Deo anima, ſi alicui præter Deũ reddiderit, mœchatur. in 2. caput epiſtolæ ad Romanos. Et: Perfectio legis eſt agere quæ bona ſunt, & efficere quę perfecta ſunt. ibidem. Item: Lex ſpiritualis eſt, quia ſpiritualia mãdat. ardua præcepit opera ſpiritus, prohibens peccata: & ideo non poteſt impleri. in ſeptimum caput ad Romanos. Marcus heremita inquit: Ex omnibus præceptis nõ aliud plura complectitur, quàm charitatis, quæ eſt erga Deum & proximum. Hæc ex rerum naturalium abſtinentia, & cogitationum quiete conſtat & ſubſiſtit.

Nos non eſſe ſub lege, Auguſtinus explicat in Euangelium Iohannis tractatu tertio: Pertinemus ergo ad Euangelium, pertinemus ad nouũ Teſtamẽtum. Lex per Moſen data eſt, gratia autem & ueritas per IESVM Chriſtum facta eſt. Interrogamus Apoſtolum, & dicit nobis: Quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Miſit ergo filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Ecce ad hoc uenit Chriſtus, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut iam non ſimus ſub lege, ſed ſub gratia. Primaſius ait: Non eſtis ſub lege, quæ paruulis data eſt, quia gratia implet legem: iuſto enim Lex non eſt poſita. in nonum caput ad Corinthios.

Lex quomodo contraria proponat, Iſychius docet, inquiens: Lex præcipit nonnunquam quæ uetuerat, rurſuſq; prohibet quæ pridem præceperat. Quòd & nimis obſeruantiam reprehendit literæ, oſtenditq; conſiderationem neceſſariam eſſe ſpiritalis intelligentiæ: nec non Euangelicam defendit prædicationem, prohibentẽ quædam de his quæ uidentur legi ſecundum literam intelligi ſiue agi, & unum eundemq; eſſe legislatorem demonſtrat noui ac ueteris Teſtamenti. Nihil autem ſibi contrarium iubet, licet præcipiat ea quæ pridem prohibuit, & prohibeat quæ olim præcepta ſunt. in præfatione Commentariorum in Leuiticum.

¶ Legis uſum & effectum rectè explicuerunt huius ſeculi doctores. Chryſoſtomus inquit in ſeptimum caput ad Romanos, ſermone decimotertio: Sciebant & qui ante legem erant, quòd peccaſſent: diligẽtius uerò didicerũt peccati magnitudiné poſt datam legem, unde & maiori accuſationi facti ſunt obnoxij. Non enim idem eſt naturã habere accuſatri-

accusatricē, & cum natura legē quoque habere manifestè omnia publicantem. Item: Non peccatum, cum nondū esset, produxit lex, sed abditū ostendebat: id quod utiq; ad laudem legis facit. siquidem ante illā sine peccati sensu peccabant. Illa uerò aduenie te, etsi nihil aliud lucrabantur, hoc tamen probè discebāt, uidelicet quòd peccassent: quod utiq; non parū faciebat ad malicię liberationem. in septimum caput ad Romanos, Homilia duodecima. Item: Quid est iustificatio legis, quam ait Paulus ad Rom. 8. in nobis impleri, qui non secundum carnē ambulamus? Finis scilicet legis, scopus & rectitudo. Quid enim aliud illa uolebat, quid aliud instituebat, quàm ut sine peccato uiueretur? Hoc igitur nobis per Christū nunc est paratum. in octauum caput ad Romanos, Sermone 13.

Augustinus de pœnitentiæ medicina capite primo: Ad hoc enim lex data est, ut superbo infirmitatē suam notam faceret, infirmo pœnitentiam suaderet. Ad hoc etiā lex data est, ut uulnera ostenderet peccatorū, quæ gratię benedictione sanaret. Ad hoc etiam lex data est, ut diceremus etiam in cōualle plorationis: Video aliam legē in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. & cum ipso ploratu clamaremus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & succurret nobis exaudiente Deo, qui erigit elisos, & soluit compeditos, illuminat cæcos, gratia Dei per IESVM Christum Dominum nostrum. Item, quæstionum ueteris & noui Testamenti quarta: Primùm lex formata in literis dari non debuit, quia in natura ipsa quodammodo inserta est, & creatoris noticia ex traduce non latebat. Nam quis nesciat, quid bonæ uitæ conueniat: aut ignoret, quia quòd sibi fieri nō uult, alij minimè debeat facere? At ubi naturalis lex euanuit, impressa consuetudine delinquendi, tunc oportuit legem manifestari, ut in Iudæis omnes audirent: non quòd penitus oblitterata esset, sed quia maxima eius autoritate carebāt: idololatrię studebatur. Timor Dei in terris nō erat, sed fornicatio operabatur. Circa rem proximi auida erat concupiscentia. Danda ergo lex erat, ut & quæ sciebantur, autoritatem haberent: & quę latēre cęperāt, manifestarentur. Itē in Euangeliū Iohannis tractatu decimoseptimo: Lex enim peccatores conuincebat, nō soluebat. Ideo litera sine gratia reos faciebat, quos confitentes gratia liberabat. Nam hoc dicit Apostolus: Si enim data esset Lex quæ posset uiuificare, omnino ex lege esset iusticia. Quare ergo data est lex? Sequitur, & dicit: Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide IESV Christi daretur credentibus. Item ad Asellicum epistola ducentesima: Hęc est igitur utilitas legis, quia ostendit hominem sibijpsi, ut sciat infirmitatem suam: & uideat, quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiscentia, quàm sanetur. Appetuntur enim ardentius quæ uetantur, dum id quod spiritaliter iubetur carnalis obseruare compellitur.

Cyrillus inquit: Lex Mosaica nō inutilis, sed non consummatè inde nobis bonum affertur. Præparatio enim quædam fuit ad Euangelium. libro nono Commentariorū, capite uigesimotertio.

Prosperita scribit libro Epigrammatum:

Non seruit iussis legis prudentia carnis,
Peccati stimulos nec superare potest.
Sed quia mens anceps patitur mala corporis ægri,
Quærere diuinum cogimur auxilium.
Lex igitur facit, ut poscatur gratia Christi,
Ardua qua legis iussa queant fieri.
Nec iam non ualeant carnales uincere sensus,
Quos iustæ legis conditor ipse iuuat.

Theodoretus ait: Non lex nobis ideo data est, ut nostras demulceat aures: sed ut ad bonorum actionem deducat. Quod enim lex diuina actionē exigit, testantur qui ante legem Mosaicam pijs quidem usi sunt rationibus, bonis autem actionibus uitā exornauêre, & sibi ipsis legem tulêre. in secundū caput epistolæ ad Romanos. Itē: Lex punit eos qui transgrediūtur: Legi enim coniuncta est obseruatio & trāsgressio, cum hi quidem propter uirtutis studium eam libēter seruēt, illi uerò propter socordiam eam securè transgredi sibi in animū inducant. in quartum caput epistolæ ad Romanos. Itē: Lex non quęrit fidem, sed actionem exigit: & ijs qui eam seruāt, uitam promittit. in epistolæ ad Galatas caput tertium. Item: Legis autem scopus est, ut nos ad Dominū Christum adducat: post illius autem aduētum non amplius dominatum obtineat. in priorem ad Timotheum.

Sedulius inquit: Per legem enim quid sit peccatum agnoscitur, quia in obliuionem ierat Lex naturæ. in tertiū caput ad Romanos. Et: Lex Mosi peccatū quidem cognitum fecit, non quod latêret, sed ostēdit peccata non impunè futura apud Deū. hoc ergo est quod lex ostendit. in tertium cap. ad Romanos. Item: Per legem manifestatio peccati, nunc sine lege iusticia Dei cognita est. ibidem. Item: Lex iram operatur, quia lex non donat peccata, sed damnat. in quartum cap. ad Rom. Et: Lex peccata nō abstulit, sed adiecit: non tamen suo uitio, sed peccantiū. in quintum caput ad Romanos.

Ité: Lex mortis ideo à Paulo dicta, quia punit reos mortis. ibidem. Item: Lex est data, ut humanum genus terroris metu lege frenaretur. quia non se cohibentes, rei tenebãtur à lege prædicta. in undecimum caput ad Romanos. Et: Ostendit arguendo peccata, quia uetus lex pestem non detulerat, sed ostendit omnia sub peccato, dicendo: Non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. in tertium caput ad Galatas.

Primasius idem docet, inquiens: Lex peccata non minuit, sed adiecit: non tamen suo uitio, sed illorum. in 5. caput ad Romanos. Item: Lex quid aliud quàm sola litera est, eis qui eam legere nouerũt, & implere non possunt? Quæ talibus litera est, quia non est adiutrix legentiũ, sed testis peccantiũ. in quartum caput ad Romanos. Et: Lex peccati uindex aduenit. in quintum caput ad Romanos. Item: Lex non ut tolleret peccatum, sed ut demonstraret, uel indicaret, aduenit. ibidem. Et: Per legem cognitio peccati. non ergo ablatio, sed cognitio est: quæ ideo data est, non ut peccatum tolleret, neque ut extirparetur, sed tantum ut demonstraretur. in septimum caput ad Romanos. Item: Virtus peccati lex, auget peccati desideria, & inde occîdit. Lex enim sola litera est ijs qui eam legere nouerunt, sed implere non possunt: quæ non est adiutrix legentium, sed testis peccantium, quæ mortificat peccatores. in secundum caput posterioris ad Corinthios. Et: Non ergo quæ ex lege, quæ nondum erat, sed cum uenit, ostendit peccatum, non abstulit. Primasius cap. 2 ad Galatas.

Theodulus ait: Ad hoc nobis lex profuit, manifestauit, cognitumque nobis reddidit peccatum, non solùm quod absurdis nos operibus arceat, ea'ue prohibeat: uerumetiã, quòd morem sibi nõ gerentes supplicio afficiat. Non enim quale peccatum esset agnouissemus, nisi erroribus atque delictis nostris pœnam inferret. in tertium caput ad Romanos. Item: Si quis rectè exploret, inueniet à lege uos detrimentum accipere, non ob eius naturam, uerùm propter uestrã maliciam. Ecqui fit istuc? Quia peccati noticiam per legem habetis. In cognitione uerò peccare grauius est, quàm per ignorantiam indignum admittere facinus. ibidem. Ité: Non enim in eum finem sancita est lex, ac data, ut peccatũ faceret abundare: minimè gentiũ. uerùm data, ut nos seruet & erudiat. Atqui nõ obseruata auxit peccatũ, nõ quòd per propriam naturã peccatum augeat, sed per socordiam eorum, & transgressionem, qui ipsam non obseruant. in quintum caput ad Romanos. Et: Lex'ne peccatrix, aut peccati suppeditatrix? Id uerò, inquit, non assero: uerùm ipsam præbere mihi peccati cognitionem. Quare cruciari me etiam grauius oportebit, si per cognitionem delinquam. Pariter autem commonstrat, legem esse peccati constitutricem, non modò præter propriam naturam, uerùm etiam præter suam maliciam. Non dixit, Peccatum non feci, nisi per legem: uerùm, Non noui. Lex itaque in causa est, non uti peccatum committas, cæterùm ut illud ipsum potius agnoscas. Erudire namque solet (ea enim eius est natura) nec permittit per ignorantiam ad brutorum naturam excidere, ratione uacantibus pecoribus te adæquari. in septimũ caput ad Romanos. Et: Lex autem ceu beneficio nos afficiens, manifestauit peccatum, ut auersemur illud. Circumstantiæ autem ijs qui non effugerunt, obsunt. Quæ itaque ad uitam mihi lata erat (ea enim eius natura erat & finis) in mortẽ mihi uersa est propter nostrã socordiã, nõ per ipsi⁹ naturã. Eadem rursus uarijs modis probat, idq; non immeritò. Magnam namq; gloriam, ingensque decus lex habebat. Ostẽdit itaq; legem nihil quicquam profuisse, sed accepto ponere & occasione læsisse quoque: ut gratus sit, cum docet deserendam esse legem, & ad fidem Christi accurrendum. in septimum caput ad Romanos. Et: Non parum igitur lex profuit, omnem peccati amarulentiam reuelans, ut ita ipsum euaderemus. ibidem. Et: Lex quam prætergrediebantur, iram ipsis operabatur, ac promissione illos ita orbabat, patribus addicta. in 15. caput ad Romanos.

Eucherius inquit: Per obseruantiam Decalogi legis, Deo seruiendum: & Deo fideliter seruientes denario remunerandos esse regni perpetui ostenditur. Item: Qui Decalogum legis in Dei & proximi dilectione custodiunt, iurè mercedem huius custodiæ in Dei simul & proximi uisione percipiunt. Quique in hac uita & proximum quem uident, & Deum quem non uident, diligunt: hi in futura uita & Deum regem in decore suo, æquè & proximum Deo glorificatum ac decoratum uidebunt. libro tertio in libros Regum.

Ex lege neminem iustificari, docet Augustinus, de spiritu & litera, ad Marcellum capite quinto: Sed laudamus, inquiunt, & Deum nostræ iustificationis autorem, in eo quòd legem dedit, cuius intuitu nouerimus, quemadmodum uiuere debeamus, nec audiunt quod legunt: Quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram Deo. Potest enim fieri coram hominibus, non autem coram illo, qui cordis ipsius & intimæ uoluntatis inspector est. Item libro quarto contra epistolas Pelagianorum, capite

pite quinto: Neque enim lex illa, quamuis & iusta & sancta & bona, omnibus illis hominibus Dei, sed fides quę in Christo est, uitam potuit conferre perpetuam.

Primasius inquit: Ex lege nihil rectè fit sine gratia, quia nō est data quæ posset uiuificare: sed prævaricationis causa posita est, ut conuictos concluderet sub peccato. Non iustificandis impijs, sed conuincendis superbis, prævaricationis causa posita est. in septimum caput ad Romanos. Item: Non lex, sed gratia liberat, per Dominum nostrum IESVM Christum. ibidem. Item: Hoc tempore lex nullum iustificat, sic nec antea profuit sine fide. in secundum caput ad Galatas.

Quis legem implerit, Augustinus tradit in Euangelium Ioannis tractatu tertio: Quis ergo dedit legem? Ille dedit legem, qui dedit & gratiam. sed legem per seruum misit, cum gratia ipse descendit. Et: Vnde facti erant homines sub lege? Non implendo legē. Qui enim legem implet, nō est sub lege, sed cum lege. Qui autem sub lege est, non subleuatur, sed premit lege. Omnes itaq; homines sub lege cōstitutos, reos facit lex, & ad hoc illis super caput est, ut ostendat quòd peccata nō tollat. Lex ergo iubet, dator legis miseretur. In eo quòd lex iubet, conātes homines implere uiribus suis, quod à lege præceptum est, ipsi sua temeritate & præcipiti præsumptione ceciderunt, & non sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei. Et quoniam suis uiribus implere non poterant legem, facti rei sub lege, imploraverunt liberatoris auxiliū, & reatus legis fecit ægritudinem superbis. Aegritudo superborum facta est confessio humilium. Iam cōfitentur ægroti, qui ægrotant: ueniat medicus, & sanet ęgrotos. Medicus quis est? Dominus noster IESVS Christus. Item libro expositionis quarundam propositionum ex epistola ad Romanos: Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum) satis ostendit Apostolus, non posse impleri legem nisi à spiritualibus, quales facit gratia. Dei enim similis quisque factus, ipse legem facilè implet, quod præcepit: nec erit sub illa, sed cū illa. Et Cyrillus inquit: Legem nō solutam esse dicimus, sed impletā potius tempore, quo nobis refulsit Christus. libro nono contra Iulianum. De legis interpretatione etiam inquit: Nisi uelamen abstulerit Euangeliū de facie Mosi, nō potest uideri uultus eius, nec sensus eius potest intelligi. libro quarto in Leuiticum.

Theodoretus ait: Lex nos ad Dominum Christum deduxit. Qui itaq; credit Domino Christo, is scopum legis adimplet. in decimum caput ad Romanos. Isychius asserit, Christum ideo incarnatū, ut legem impleret. ergo homo non potest implere. libro primo in quintum caput Leuitici. Itē: Totus legis fructus in aduentu Domini est. libro sexto, in decimumnonum caput Leuitici. Sedulius asserit, Christum legalia omnia morte sua sustulisse. cap. 2 ad Romanos. Et: Ideo per illū Christum. nam per ipsum incarnatū omnes figurationes legis & promissiones Dei ueræ sunt, & impletæ. in primum caput posterioris ad Corinthios. Itē: Perfectionē legis habet, qui credit in Christo. Cum enim nullus iustificaretur ex lege, quia nemo implebat legem, nisi qui sperabat in promissionem Christi, fides posita est quæ cederet pro perfectione legis, ut in omnibus prętermissis fides satisfaceret pro tota lege. in decimum caput ad Romanos.

Primasius ait: Qui caput operum legis suscepit, necesse est ut uniuersa persoluat, & maledictio subiaceat. in quartum caput ad Galatas.

Theodulus ait: Hæc Christus fecit, ut scopus legis (hæc enim iustificatio est) impleatur in nobis. Quis uerò legis scopus est? ut ne fiamus obnoxij execrationi. Impleatur autem in nobis. Quibus? illis qui nolūt secundum carnem porrò uiuere, sed secundum spiritum. in 8. caput ad Romanos.

Et: Propriam iusticiam eam quæ est ex lege appellat, uel quia nihil porrò ualeat, uel quia laboris ac sudoris sit indigna. Finis legis Christus. In libro nono aduersus Iulianum, sic scriptum est: Quoniam finis & ueluti sublatio legis & impletio est Christus. Finis enim legis obserua quid nā adstruat. Quoniam lex, inquit, iustum uolebat facere hominem, sed non potuit. nemo enim ipsam impleuerat. Hic igitur finis erat legis, & propter hunc omnia facta sunt, & festiuitates & sacrificia. Verùm hunc finem Christus perficit per maiorem in se fidem. Et quia ex lege iusticiam quandam appellauit, ut ne existimēt quòd lex iustificare queat, Christum finem & adimpletionem legis esse ait. Lex namque perfectionem habet per fidem in Christum. Qui igitur Christo credit, legem implet. in decimum caput ad Romanos. Marcus heremita inquit: Ne queras legis perfectionem in humanis uirtutibus. Perfectus enim nullus in illis inuenitur. Siquidem perfectio legis in cruce Christi abscondita est. Et: Dominus totius legis debitores nos esse indicare uolens, & filiorum adoptionem proprio sanguine nobis gratuitò datam, inquit: Cum omnia feceritis, &c.

Eucherius inquit: Lex enim sine gratia impleri non potest. libro primo in libros regum.

DE LEGIS ABROGATIONE.

DE legis ceſſatione ſic ſcribit Auguſtinus, Quæſtionum ueteris & noui Teſtamẽti quęſtione ſexageſimonona: Lex autem duplici modo ceſſauit, nec quidem tota. Nam & id quod ceſſauit, poterit permanere, ſi ſeruetur conditio: aliud enim ceſſauit in ſententia, aliud in ipſa lege. Prædicante Ioanne baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, ceſſauit ſententia legis, quę reos tenebat peccatores: ceſſauerunt etiam onera legis, quæ ad duritiã cordis Iudaici fuerãt data, in eſcis, neomenijs, ſabbatis, & cæteris. Miſericordia enim aduenientę, ceſſauit uindicta. Sed onera legis in perpetuum ceſſauerunt. Sententia uerò ijs ceſſat & aboletur, qui permanent in beneficio conſecuto: ijs autem qui redeũt ad hominem ueterem, refricatur legis auctoritas, quia immemores beneficiorũ redeunt ſub ſententia legis. Circumciſio uerò & ſabbatum uſq; ad illud tempus ualuit, quo nouæ legis prædicaretur mandatum. ſic enim data ſunt, ut aduenientę lege fidei ceſſarẽt. Vnde dicit Apoſtolus: Finis legis Chriſtus. Nam & Daniel hoc ſignificat, cum & de aduentu Domini, & temporib⁹ hebdomadũ prophetat: quia & chriſma, & iudicium, & ſacrificium, & ipſa ciuitas ceſſatura erant. Spiritali enim aduenientę lege, neceſſe erat ceſſare carnalia. De uera innocẽtia cap. quadrageſimoquarto: Lex data eſt, ut gratia quæreretur. Gratia data eſt, ut lex impleretur. Neque enim ſuo uitio non implebatur, ſed uitio prudentiæ carnis: quod uitium per legem demõſtrandum, per gratiam ſanandum fuit.

Iſychius inquit: Omnia finem habent, quæ ibi fieri lex præcepit, etiam illa Deo non placent. neq; enim alias diſperdidiſſet locum, in quo peragi omnimodo ſecundum legem debuiſſet. Quod etiam dices, cum ſic iuſtas actiones, id eſt, non occidere, non adulterari, non furari, &c. non circumſcribit loco: quia ſemper ſunt utilia, & cum Euangelica conuerſatione communia. libro quinto in decimumſextum Leuitici. Item: Poſt hoc lex illud prẽcipit, non oportere in Iudaica conuerſatione Eccleſiaſticam accipere: nec ſimul Paſcha quod in figura eſt, cũm eo quod eſt intelligibile, celebrare: nec feſtiuitatẽ azymorum celebrantes, Chriſti panis cœnã ſumere, quæ ſunt uera azyma: nec circumciſionẽ ſimul prædicare, & baptiſma. libro quinto, in decimumoctauum caput Leuitici.

DE CEREMONIALIbus legibus.

In ſeptimum caput ad Hebræos inquit Chryſoſtomus: Nihil ergo profuit lex? Profuit quidem, ualde profuit: ſed ad faciendos perfectos nihil profuit. Nihil ergo perfectum fecit lex. iuxta hoc quippe dicit, Omnia legis typos fuiſſe, omnia umbras, utpote circumciſionem, ſacrificium, ſabbatum. Non ualebat ergo penetrare ad animam uſque, propter hoc etiam cedit atque diſcedit.

Cyrillus inquit: Figuris & umbris lex inuoluta eſt. libro ſecundo in Iohannem, capite primo.

Theodoretus ait: Quemadmodum notę greges & pecora diſtinguunt & declarant: ſic leges eximiæ in Hebræorũ republica à malis eos arcẽt, & legum autorem ſemper prẽſidere demonſtrant. quæſtione ſexageſimaquinta in Exodum.

Iſychius ait: Ego Dominus, qui ſanctifico eum: id eſt, propterea non opus habet legis figuras, nec ſacrificia, nec purificationes: quoniam ego Dominus, pro omnibus illis & ſacrificium efficior, & purificatio. libro ſexto in 21. caput Leuitici.

Theodulus inquit: Per legem circumciſionis nihil plus cæteris obtinuimus, in ijs quæ obtinuimus. in tertium caput ad Romanos. Et: Legales obſeruationes Moſis per Chriſtum ſunt abrogatæ. in 14 caput ad Romanos.

DE LIBERTATE Chriſtiana.

SEduli⁹ inquit: Liberi à iuſticia nõ ſunt, niſi arbitrio uoluntatis: liberi autẽ non ſunt à peccato, niſi gratia Saluatoris. Vnde liberos à iuſticia dixit: à peccato autẽ non liberos, ſed liberatos, ne ſibi hoc tribuerent. in ſextum caput ad Romanos. Thalaſſius: Libertas ſpiritalis eſt à perturbationibus eſſe liberum, quæ nulli abſq; miſericordia ſvv Chriſti cõtingit. Hecatontade ſecunda. Et: Liber es, & in libertatem accerſitus. pigeat igitur impuris uoluptatib. ſeruire. ibid.

Theodulus ait: Chriſtus uerò à præteritis peccatis nos liberauit: uerùm etiam in futurum nos liberos effecit, ac tales qui delictis intercipi captiuiq; teneri nõ poſsimus. hoc enim denunciat, Nulla igitur cõdemnatio nunc: ac ſi dicat, Nulla poſtmodũ propter peccatum damnatrix proferetur ſententia. Quid igitur? nulla condemnatio neque peccatum nunc? Hoc iam confirmat, & inquit: Nulla ſanè condemnatio, ſed ijs tantummodò qui non ſuapte ſponte carnalem uitam uiuunt. Si enim ſolummodo ſpiritualiter uiuere elegerint, non peccabũt. In Chriſto autem Ieſu, tanquam ijs qui ſunt in Chriſti fide, eligentibus ſpiritualem uitam. in octauum caput epiſtolæ ad Romanos. Item: Chriſti miniſter, quem Chriſtus ſuſcepit,

pit, alienus est à lege. Quis igitur es, qui iudicas ex lege alienum à lege? in 14 caput ad Romanos. Et: Quid adhuc igitur legem tenes, & non potius Christum amplectesti legi se mortuos, & ab ea liberatos esse sciunt. Si igitur lege mortua non est transgressor qui aduersus eam committat, quippe quia Domino credit: multo magis, inquit, si quis ipse mortem obijt, perinde ac uos obijstis, solutus est à lege: nec est porrò transgressor legis, qui Christo fidē adhibet. in septimum caput ad Romanos. Et: Perspicuum igitur est, quod à lege absoluti sumus, tanquam mortui: subiectiq; sumus ei qui nos à morte redemit, Christo. Theodulus ibidem.

DE EVANGELIO.

ALiquam Euangelij definitionē Theodoretus recensēt, quod inquit: Prędicationem aūt Euangeliū appellauit, ut quod multorū bonorū suppeditationē promitteret. Feliciter enim annūciat Dei recōciliationē, diaboli dissolutionem, peccatorum remissionem, mortis cessationē, à mortuis resurrectionem, uitam ęternam, & regnum cœlorum. in 1. cap. epistolæ ad Rom.

Sedulius ait: Euangelium bonum nunciū interpretatur, quo peccatores ad indulgentiam conuocantur. in primum caput ad Romanos. Et Primasius: Euangeliū bona annunciatio dicitur. & quod maius bonum, quàm natum & passum resurrexisse Christū pro nobis? in 1. caput epistolæ ad Romanos.

Theodulus ait: Euangelium dicitur ipsa uerbi annunciatio. ea autem est prædicatio Christi, adeoq; ipse Christus. Itē: Euangelium est donū magni precij, nedū ex prędicante Christo, & ex eo quod Euangelium dicitur: uerùm etiā, quòd nunc nobis gratis illuxerit, etsi fuerit ante tempora & mundi creationē, Deus pater demandauit filij sui Euangeliū diuulgari per uniuersas gentes. in 15. caput ad Romanos.

Summam Euangelij Isychius hisce uerbis complectitur: Christus perfectus secundum tempus factus, prędicare Euangeliū cœpit, in quo omnis est uitæ & donationis plenitudo, & conuersationis retributionisq;. lib. septimo in 26. caput Leuitici.

De fine Euangelij inquit Theodoretus: Euangelij scopus & institutū est salus hominum. in 9. caput prioris ad Corinthios.

Theodulus inquit: Christi Euangelium non ad publicę bonæ ordinationis subuersionem datum est. in 12. caput ad Romanos.

Eucherius ait: Euāgelica prædicatio mentes electorum à terrenis cupiditatib. in cœlestia desideria suspendit, ac suspensas ad profectum bonę operationis, siue ad ministerium prędicationis, quocunq; adiuuans gratia spiritus uoluerit, ducit. libro tertio in libros Regum. Et: Euangelica prædicatio fideles & iustos quodāmodo diuidit & separat ab infidelibus & iniustis, & quia in cordibus credentium cupiditates interimit noxias, & uitia uniuersa arq; peccata. libro quarto in libros Regum.

DE DISCRIMINE LEgis & Euangelij.

DIscrimina Legis & Euangelij hęc à Cyrillo, lib 1. cap 21. in Ioannis Euangelium referuntur. 1. Lex mundum damnauit, & supplicio nos iure subiectos monstrauit: Saluator uerò nos liberauit. non enim uenit ut iudicaret mundum, sed ut saluaret. 2. Quamuis lex gratiā daret in cognitionē ueri Dei à cultu idolorum reuocans, & bonum à malo discernere docens: non tamen id perfectè, sed pædagogicè ac inutiliter faciebat. Vnigeniti uerò ueritas atque gratia non figuris neque umbris, sed apertè atq; liquidè bona nobis largitur, doctrinaq; sua ad perfectam cognitionem fidei ducit. 3. Præterea lex seruitutis spiritum ad formidinem dabat: Christus uerò spiritum adoptionis in libertatem. 4. Lex circumcisionē carnis, quę nihil est (ut Paulus ait) introduxit: Dominus circumcisionē Spiritus atq; cordis, per fidem. 5. Lex inquinatos aqua baptizat: Saluator in Spiritu sancto & igne. 6. Lex in tabernaculū ducebat, quod uerarū rerum erat figura: Saluator in ipsum cœlum adduxit nos, & in tabernaculū uerū, quod non homo, sed Dominus condidit. Item: Et lex quidem nullam perfectionem bonorum affert: Euangelica uerò doctrina plenissimam benedictionē adducit. libro 2. cap. 26. in Euangelium Ioannis. Moses lege orbem terrarū damnat: Filius à maledictione legis orbē liberat, & misericordiæ cumulo ægritudinem mundi curat. ibidem cap. 52. Itē capite 53: Melius est atque altius gratia iustificari, quàm lege condemnari. Fides salutem affert, & gratia iustificat: mandata uerò legis condemnant magis. ibidem cap. 32. Vetera enim legalia sunt, noua uerò Christi. ibidem capite 34.

Theodoretus ait: Lex eos qui peccabant condemnabat: gratia autem eos suscipiens, per fidem iustificat: ad diuinum enim Baptismum adducit, & donat remissionem peccatorum. Item: Quemadmodum Moses eduxit populum ab Aegypto, Iosue uerò ipsum in terram promissam introduxit: ita lex ab impietate liberat credentes, Euangelica autem gratia introducit eos in regnum cœlorum. quæstione 43. in Deuteronomium.

Primasius ait: Lex autem Christi iam

non minatur gladium peccantibus, sed promittit præmium liberè seruientibus: & ideo laudem à Deo habet, qui solus uidet cor, quia ex fide precatur. in secundum caput ad Romanos. Item: Lex auditores facit, gratia factores. ibidem. Et: Lex quæ post tantum temporis data est, testamentum illud non potest euacuare, quod Abrahæ Deus confirmauit in Christo. in 2 caput ad Galatas.

Sedulius inquit: In comparatione Euangelicæ gloriæ umbratur gloria legis: sicut orto sole obtunditur lunæ lumen, cum tamen suo tempore magnum habeat fulgorem. in tertium caput posterioris ad Corinthios. Et: Irritam ergo gratiam facit, qui post Euangelium uiuit in lege, & peccatis post baptismum sordidatur. in secundum caput ad Galatas.

Theodulus inquit: Mosen totũ uetus Testamentum appellat, itidem ut isthic, Si Mosen non audiunt. Tempus igitur ad aduentum usque Christi Mosen dicit. Ait itaq;, quòd mors ueteris Testamẽti tempore sceptris sit potita: iam nunc uerò in nouo Testamento, per gratiam Christi soluta sit, ac destructa per sanguinem Dei nostri. in quintum caput ad Romanos.

DE IVSTIFICATIONE.

DE uocabulis huius articuli aliquid monet Chrysostomus in secundum caput Matthęi, Homilia 4.: Iustum hic in omni uirtute dicit esse perfectum. Est enim iusticia specialis quædam, & ex parte iusticia, auariciæ uitio non teneri. Est uerò iusticia altera generalis, quę ex cunctis omnino perficitur, iuxta quem præcipuè modum Scriptura solet appellare iusticiam. ut cum dicit: Homo iustus, uerax. & rursus: Erant iusti ambo in conspectu Dei. Item hanc iusticiam Dei uocat, nimirum quę ex fide est, propterea quòd omnino ea ex superna gratia sit, in qua non laboribus, sed Dei dono iustificamur. in decimum caput ad Romanos, Sermone 17.

Iusticiam fidei hanc dicit esse Sedulius, si non dubitet de spe Dei quæ in Christo est: quia ideo passus est, ut expoliatis inferis, uirtute patris deuicta morte resurgẽs, cum animabus ereptis in cœlum ascenderet. in 10. caput ad Romanos.

De iusticia sic Theodul⁹ loquitur: Oportebat ad Abraham factas promissiones impleri: In semine tuo benedicetur omnibus gentibus. Ea igitur est iusticia, quòd Deus promissionis tenax fuerit, eamq; etiam apud indignos seruauerit. in tertium caput ad Romanos. Et, iusticiam Dei uocat fidem in Christum: in caput 10 ad Romanos.

Gratiam sic definit Augustinus, libro de gratia noui Testamẽti, capite 19: Gratia est, quę gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis.

Sedulius inquit: Aliud est iustificari coram Deo, aliud coram hominibus: hoc est, ad comparationem aliorum hominum, poteſt, qui emẽdatius uixerit, iustus uideri. in 3. caput ad Romanos. Et: Iusticia Dei est sanctificatio per fidem, & remissio peccatorum. Ibidem. Item: Ideo autem iusticia Dei dicta est, quæ uidetur esse misericordia, quia de promissione habet originẽ: & promissio cum redditur, iusticia Dei dicitur. ibidem. Item: Prima iusticia est cognoscere creatorem, deinde custodire quæ præcipit. in 9. caput ad Romanos. Primasius inquit: Iusticia Dei dicitur, nõ qua iustus est Deus: sed qua dat homini Deus, ut iust⁹ sit homo per Deum. in 10. caput ad Romanos.

¶ Quis sit autor nostræ coram Deo iustificationis, & quanam re ea constet, Chrysostom⁹ tradit in Sermone 6. de proditore: Ergo quia primus homo adiudicante Deo de reatu incurrerat mortem, & eam delegauit suo generi, transmisit ad posteros, quia corpore iam mortalis generaret & morti obnoxios, non liberos, non absolutos, sed addictos: uenit de cœlo secundus homo, uenit solus peccati nescius, uenit solus reatus nostri alienus, uenit qui peccato nihil debebat & morti, uenit ut fieret inter mortuos liber, ut mors morte damnaretur. Item: Crux nobis totius beatitudinis causa est, hæc nos à cæcitate liberauit erroris, hęc è tenebris reddidit luci, hęc debellatos qęti sociauit, hæc alienatos Deo coniunxit, hęc longè cõstitutos Deo ꝓximos præsentauit, hęc peregrinantes ciues ostendit: hęc discordię amputatio est, hęc pacis firmamẽtum, hęc bonorũ omnium abunda largitio. de cruce & latrone. Itẽ: Expurgare peccata, soli Deo patri, filio & spiritui sancto cõpetit. in 6. caput Esaiæ. Item: Quòd in tanta uiuentes malitia saluati sumus, maximũ signũ est, quòd ab eo qui corpus impendit, ualde diligamur. Nõ enim per angelos aut archangelos, sed per ipsum unigenitũ saluauit. Itaq; quòd saluati sumus, & quòd cum tales fuerimus saluati sumus, quodq; per unigenitũ hoc factum est, neq; tñ simpliciter per unigenitũ, sed & per illius sanguinẽ: innumeras nobis unde gloriemur coronas texit. in quintum ad Romanos, Sermone nono. Item: Peccatum ex præsenti hac uita eijcit. gratia uerò aduenies non præsentem hanc, sed immortalem æternamq; largita est uitam. Horum autem omniũ conciliator ac reparator nobis est Christus. Noli itaq;, cũ iusticiã habeas, de uita dubitare. Vitã enim excellit iusticia, mater quippe illius

lius est. in 5. cap. ad Romanos, Sermone 10.

Augustinus lib. 13. de Trinitate, cap. 20 ait: Remissio peccatorum, quæ non fit nisi per eum qui sanguine suo uicit principem peccatorum. Sic de remissione peccatorum inquit contra Iudæos, Paganos & Arianos, cap. 19: Donum Spiritus sancti agnoscimus esse remissionem peccatorũ omnium, suffragante nobis ipsa ueritate, quæ post resurrectionem suam ait discipulis suis: Accipite Spiritum sanctum: si cui remiseritis peccata, remittuntur illi. Item Sermone 181. de tempore: Credenda est præcipuè, fratres, peccatorum remissio: quia hoc unum remedium est, quod hominum genus à sententia perpetuæ mortis absoluat. Idcirco unigenitus altissimi dignatus est carnem assumere, cõtentus est cruce, ut te qui crimina tua euadere non poteras, indulgentia faceret innocẽtem. Ideo immaculatus occisus est agnus, ut ei⁹ cruore, humani generis macula tergeretur. Miror aũt quosdã sic obstinatos esse, ut dandã non putent lapsis pœnitentiã, aut pœnitentibus existiment ueniã denegandã, cum scriptum sit: Memento unde excideris, & age pœnitentiã, & fac priora opera.

Cyrillus ait, Salutẽ esse opus totius Trinitatis: sed credo omnia à patre per filiũ in spiritu fieri, & totius (ut ita dixerim) Trinitatis nostrã salutẽ opus esse, id est naturæ nostræ ad uitã reditũ. lib. 4. in cap. Ioannis 2. Item: Sed neminẽ dubitaturũ puto, filiũ Dei creaturis illuminationẽ largiri: quã cum acceperint, saluantur. in 8. cap. Ioannis. Item: De plenitudine nãq; filij quasi iugi fonte gratia rũ donũ scaturiẽs, in singulas animas quę dignæ sunt defluit. lib. 1. in 20 caput Ioannis. Item Christus per seipsum ad Deũ ac patrẽ nos adduxit, iustificatosq; fide lucrifecit. li. 1. Dialogorũ. Itẽ: Passio Christi credentibus quidẽ uitã, mortẽ uerò non credentib⁹ confert. Quamuis enim salus gentibus sit per crucem eius, & iustificatio: Iudæis tamen interitus est, & cõdemnatio. lib 3. in Leuiticũ. Itẽ: Quàm sapiens & salutaris erat erga nos uolũtas patris, abolere in morte Christi peccatũ, & peccati inuentorẽ ac autorẽ ab initio, & per sanctũ sanguinem ab ipsis fieri redemptionem? lib. 5 Dialogorum.

Leo inquit: Causa reparationis nostræ nõ est nisi misericordia Dei: quem non diligere mus, nisi pri⁹ nos ipse diligeret, & tenebras ignorantiæ suæ ueritatis luce discuteret. Ser mone 1. de ieiunio 10. mensis, & collectis. Itẽ: Nisi ille ad nos in hac humilitate descenderet, nemo ad illũ ullis suis meritis perueniret. Sermone 6. in solennitate natiuitatis Christi. Item: Sicut Deus iustificationis est autor, ita homo deuotionis est debitor. Sermone 16. de passione Domini, Itẽ Sermone 3. de Pẽtecoste differit, quòd in reparatione nostra tota sit operata Trinitas, sed quęlibet persona suũ egerit. Itẽ: Nihil ergo dilectissimi ab antiquis significationib⁹ in Christiana religione diuersum est, nec unquã à præcedentib⁹ iustis, nisi in Domino Iesu Christo sperata saluatio est. Sermone 13. de Passione Domini.

Prosper sic scribit contra uulnus originalis peccati, &c. Verũ ac potẽs ac singulare remediũ est mors filij, Domini Iesu Christi, qui liber à mortis debito, & solus absq; peccato, pro peccatorib⁹ & debitorib⁹ mortuus est. Quod ergo ad magnitudinẽ & potentiã precij, & quod ad unã pertinet causam generis humani, sanguis Christi redẽptio est toti⁹ mũdi. ad cap. obiectionũ Vincẽtianarũ. Itẽ:

Omnipotens genitor, natusq; & spiritus almus,
Vna in personis par tribus est Deitas.
Quæ genus humanum prostratum fraude maligni,
Ad uitam hac fecit posse redire uia.
Naturæ ut nostræ Christus, causæq; redemptor
Mortalis fieret, non minuens quod erat.
Perq; habitum serui uacuaret iura tyranni,
Et letum leto uinceret innocuo.
Hinc uerbum carni insertum, carnemq; receptans,
Nec se confundit corpore, nec geminat.

Prosper libro Epigrammatum.

Theodoretus ait: Ipse fuit pacis arbiter, & cõciliator: ipse effecit, ut qui ex illis & ex nobis credebãt, in unũ corp⁹ redigerẽtur: & fecit ut lex cessaret, quę instar cuiusdam muri nos à nobis inuicẽ arcebat: pri⁹ aũt inimicitias, quę nobis cum Deo intercedebãt, sustulit, cũ suã carnẽ p nobis dedisset preciũ redẽtionis. in 2. cap. ad Ephesios. Itẽ: Cum oẽs redacti essent sub mortis potestatẽ, ipse qui nec ut De⁹ fuit morti obnoxius (habet enim naturam immortalẽ) sed nec ut homo (peccatũ enim nõ fecit, quod mortẽ affert) dedit seipsum ueluti quoddã redẽptionis preciũ, & omnes liberauit ab eius seruitute. in 2 caput 1. ad Timotheum.

Isychius inquit: Solius Dei est propitiationem conquirere peccatorũ. lib. 5. in 16 cap. Leuitici. Et: Per Christi sacrificiũ nobis peccatorũ remissio & redẽptio concessa est. lib. 1. in 4 cap. Leuitici. Et: Solius Dei est ignoscere, etiã ea quorũ impossibilis uidetur remissio. libro 1. in 5. cap Leuitici. Itẽ: Christi passiones, per quas nobis remissio procurãtur, nõ hominis cuiusquã puri, sed Dei sunt incarnati. lib. 2. in 6. caput Leuitici. Et: Ipse Christus ad sanctificationẽ nostrã, asperssione proprij sanguinis uidelicet, passionẽ suã pro nobis obtulit. lib. 2. in 8. caput Leuitici. Et: Christus suũ sanguinẽ fudit ad propitiationem nostram, & pro nostris animab⁹ dedit. lib. 5 in 17. caput Leuitici.

Primasius inquit: Etenim Deus noster ignis

gnis consumens, Deus omnipotens ignis appellatur, non ut materiã quã fecit consumat: sed quã exterius homo attrahit, rubiginẽ scilicet peccatorũ. non enim illud consumit quod ipse fecit, sed quod malicia hominũ intulit. in 12. caput ad Heb. Et: Christus igitur nos iustificat, qui est rex iusticiæ: & ipse pacificat omnia quæ in cœlis & quæ in terris sunt, qui nascendo & moriendo, resurgendo atq; ascẽdendo pacem attulit mũdo. in 7. caput ad Hebræos.

Sedulius ait: Sicut per unius delictum omnes homines in condemnationem, sic & per unius iusticiam omnes homines in iustificationẽ uitæ. in 5. caput ad Rom. Et IESVS Christus dicitur Dominus, quia eius sanguine redempti, sumus filij Dei. in 1. cap. ad Romanos.

Theodulus inquit: Perinde ac demonstratio locupletis in hoc cernitur, quòd alios etiam locupletat: hac ratione Christus iusticiam suã ostendere uolens, mortales etiam iustificauit. in caput 3. ad Romanos. Et: Pater quidẽ proposuit ac decreuit per filiũ genus humanum redimere. ibidem. Et: Vbi porrò Deus donat, omnia grandia donat. Ecquid uerò donat? Filiorum adoptionem præstat, fratres efficit Christi, hæredes Dei, cohæredes Christi, quę sanè iam olim nobis præstitit dona. in cap. 4. ad Rom. Et: Communi sanctæ Trinitatis nos beneuolẽtia salui facti sumus. in 8. caput ad Rom. Et: Porrò quos ipsa Trinitas iustificauit, quis condemnet? ibidẽ. Et: Christus à præteritis peccatis nos liberauit, in futurũ etiam nos liberos effecit, ac tales qui delictis intercipi, captiuiq; teneri non possimus: Christus autor est, cur nobis impertiatur donũ spiritus. idẽ nobis soluit peccatũ, & attrahit quatenus est homo spiritu, quẽ nobis cõmunicet. ibidẽ. Et: Suprà cõfirmabat nos per Spiritum paracletũ seruatos, nũc per filiũ dicit. Nam cõmuni sanctę Trinitatis nos beneuolentia salui facti sumus. ibidẽ. Et: Cooperatus est nãq; & Spiritus S. in redẽptione generis humani. in 3. cap. ad Rom. Itẽ: Quis me liberabit ex corporalib. actionibus, ut nõ arripiar ab ijs quę in corpore meo sunt cupiditatib⁹, quæ nobis prorsus mortẽ cõciliãt? Quis aũt alius præter Christũ? id enim clàm indicat. Neq; enim lex me liberabit, neque mea me uoluntas, quantũuis hoc conetur, seruabit. in 7. caput ad Rom. Et: Si cum lege peccauimus, ecqui seruari poterimus? Sic enim dicere quispiã queat, maximè uerò quomodo citra legẽ? Huic respondet: Per iusticiã quæ ex Deo est: quã si Deus dederit, ne ambigas de salute tua ô homo. ibidẽ. Itẽ: Per ipsum nãq;, scilicet Christũ, adducti sum⁹ ad Deũ. Si ergo cũ longè abessemus à Deo, per mortem eius uiciniores illi facti sumus: multo magis propinqui ipsi existentes, pacẽ habemus erga ipsum per gratiã Christi. in 5. caput ad Rom. Et: Decebat, inquit, ac rationabile erat, eos qui per unũ hominẽ peccatores, mortiq; obnoxij facti essent, per inobedientiã Adami, per unũ hominẽ Christũ Dominũ seruaremur, iustificati & immortales cõstituti. ibidẽ. Itẽ: Obserua aũt, quomodo sermone suo pergat, fortioresq; & fecundos reddat, ad futurarũ rerũ expectationẽ. ac quomodo gratos eos Deo facere laboret, eo quòd per Christũ redẽpti sint. in 6. cap. ad Rom. Et: Nos à lege liberati sumus, hoc est absoluti & redẽpti. Quamobrẽ? Nã mortui sumus per peccatũ quod nos detinebat: excitatiq; sumus nõ per legẽ, sed per Christũ. Perspicuũ igitur est, quod à lege absoluti sumus tanquã mortui, subiectiq; sumus ei qui nos à morte redemit Christo. in 7. caput ad Romanos. Et: Hæc Christus fecit, ut scopus legis (hæc enim iustificatio est) impleatur in nobis. in 8. caput ad Romanos. Item: Ecquis est (inquit) qui condemnet, spiritu simul excipiente, adiuuanteq; imbecillitatẽ nostram, patre autem iustificante, filio uerò pro nobis mortuo? Porrò quos ipsa Trinitas iustificauit, quis condemnet? ibidem. Item: Quisquis Christum Dominum induerit, is habet uniuersam uirtutem. Qui uerò ipse induendus est, si nobis intrinsecus & forinsecus omnia ipse solus fuerit, si interna & externa bona nostra ille solus exteriorẽ? porrò nunquã ab eo destitui, indumentum uocat. in 13 caput ad Romanos.

Eucherius ait: Apertio regni cœlestis per incarnationem Domini saluatoris nostri nobis donata est. libro 3. Commentariorum in libros Regum.

Marius Victorinus in præfatione Cõmentariorum super Genesin ait:

——dum latum in sidera uultum
Erexisti hominem, quem sæui fraude tyranni,
In mortis laqueos, & ad impia tartara raptum,
Vnigeni redimis profuso sanguine nati,
Eq; inis erebi dona ad maiora petitum
Restituis quàm factus erat, uitæq; perenni
Reddis, & in cœlum diro uehis hoste subacto.

¶ De causa materiali iustificationis, etiam

Isychius inquit: Opus crucis Christi & effectus, perfecta peccatorũ nostrorũ remissio est. lib. 1. in 4. cap. Leuitici. Et: Christus suum sanguinẽ fudit ad propitiationẽ nostrã, & ꝓ nostris animab. dedit. lib. 5. in 17. cap. Leuitici. Itẽ: Crux Christi est uera remissio. lib. 7. in 25 caput Leuitici.

Sedulius inquit: Empti enim estis non auro, non argento, sed sanguine Christi. Sanguis ægrorum alijs nocet: sanguis uerò Christi mundum redemit. in 6 caput ad Corinthios.

rinthios. Et: Sanguis Abel accusabat, sanguis uerò Christi redemit. in 12. ad Hebræos. Item: Multorum sanguinis effusio precęsit, usquequò per unius sanguinem omnium redemptio fieret. in 2 caput ad Romanos.

Et de causa materiali iustificationis nostræ corã Deo, sic inquit Chrysostomus Homilia 3. in Marcum: Remissio peccatorum in Christi sanguine est.

Theodulus inquit: Si tum non est asperatus nos cum peccatores essemus, opusq; erat morte filij eius, ut nos conseruaremur: quãto magis nunc nos nõ cõtemnet, ut qui sumus iustificati sanguine Christi, neq; porrò sit necesse filiũ eius postmodum mori? Et paulo pòst: Vt ne rubore suffundamur, mœroreq; cõficiamur, quòd adeò extiterimus impij, ut etiã necessariũ fuerit filiũ Dei pro nobis in mortẽ tradi, ut saluaremur, infert: Non solùm autẽ seruati sumus, inquit, uerùm gloriari etiã debemus. Proinde gloriamur quòd Christus omnino pro nobis mortuus est, cũ impij essemus. Id enim maximè patris dilectionẽ indicat, quandoquidem & pro impijs filiũ suũ dederit. Dilectos porrò à Deo neq; lugere, neq; mœstos esse, sed enim exultare potius & gloriari in Domino cõuenit. in 5. caput ad Rom. Et Christus uniuersam iustitiã replens, atq; à morte resurgens, cũctis incorruptibiltatẽ impertijt. per mortẽ Christi omnes uiuemus, resurgemusque. Christus in ipsum credentibus, etiã ijs qui nihil iustè egerũt, iusticiæ autor est, & collator. ibidẽ. Itẽ: Gratias, inquit, ago Deo meo, quoniã ipse me liberauit per mortẽ Filij sui. in 7. cap. ad Romanos.

¶ Sanguine Christi nos iustificari, docet Augustinus, Ad articulos falsò Augustino impositos. ad primũ: Quod ergo, inquit, ad magnitudinẽ & potentiã precij, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redẽptio est totius mundi. Sed qui hoc seculũ sine fide Christi, & sine regenerationis sacramẽto pertranseunt, redemptionis alieni sunt.

Leo inquit: Agnoscimus misericordiam Dei ab initio promissam, & ante secula præparatã, per quã solã resolui captiuitatis humanæ uincula potuerũt, quib. primũ homitẽ omnẽq; eius posteritatẽ malesuadus autor peccati obstrinxerat, & propaginẽ dediticiam originali sibi præiudicio uendicabat. Quia igitur iustificãdis hominib. hoc principaliter opitulatur, quòd unigenitus Dei & filius hominis esse dignatus est, &c. Deinde addit: Omnes sancti qui Saluatoris nostri tempora præcesserunt, per hanc fidẽ iustificati, & per hoc sacramentũ Christi sunt corpus effecti, expectantes uniuersalẽ credentium redemptionem in semine Abrahę. Sermone decimo in natiuitate Domini.

Theodoretus inquit: Dominus Christus & Deꝰ est, & propitiatoriũ, & pontifex, & agnus: & in suo sanguine nostrã salutẽ procurauit, solã fidẽ exigẽs. in epistolã ad Rom.

¶ Aliena nos iusticia iustificari, ait Augustinus secũda quinquagena Psalmi 70: Ergo in tua iusticia, nõ in mea. Quia mea quid? Præcesit iniquitas. Et cũ ero iustus, tua iusticia erit: quia iusticia mihi abs te data iustus ero, & sic erit mea, ut tua sit: id est, abs te mihi data. In eum enim credo, qui iustificat impiũ, ut deputetur fides mea ad iusticiam. Erit ergo & sic iusticia mea, non tamen tanquã propria mea, nõ tanquã à meipso mihi data, sicut putabãt illi qui super literam gloriabantur, & gratiam respuebant.

¶ Fide nos apprehendere & applicare salutem, Chrysost. scribit Homilia 6 in 1. caput Ioannis: Christus, inquit, nõ ad iudicandũ, neq; ad inquirendum uenit: sed ad dimittenda peccata & salutem per fidem largiendam. Item Homilia 27 in 8 caput Matthæi: Vt iam neminẽ fugere possit, his uerbis declarari, nõ ex operibus legis, sed ex fide salutem hominibus æternam præstari. Idcirco non Iudæis tantum, uerumetiam gentibus hoc donũ propositũ est, & gentibus potius quàm Iudæis. Non enim cẽturioni soli, sed in toto terrarũ orbe sic futurũ prædicit. Item: Nulla prorsus re liberamur, nisi per fidem. Sic & qui ante nos fuerunt, illustres facti sunt omnes. Sic Abraham, sic Isaac, sic Iacob. in primum caput ad Romanos, sermone secundo. Item: Gratia ex fide seruat & iustificat. in 3. caput ad Galatas. Item: Quãprimũ homo crediderit, cõfestim simul iustificatus est. in 3. ad Rom. sermone septimo.

Leo inquit: Hoc est quod iustificat impios, hoc est quod ex peccatoribꝰ facit sanctos, si in uno eodẽq; Domino nostro IESV Christo, & uera Deitas, & uera credatur humanitas. sermone 4. de epiphania Domini. Item: Regeneratio mutat originẽ, fides iustificat peccatorẽ. sermone 2. in solennitate natiuitatis Domini. Item: Sicut per fidem iusticia, ita etiam per fidem ueram uita obtinetur æterna, dicente Domino: Hæc est aũt uita æterna, &c. sermone 4 de natiuitate. Itẽ sermone 14. Vna fides iustificat uniuersorũ temporũ sanctos: & ad eandẽ spẽ fideliũ pertinet, quicquid p mediatorẽ Dei & hominũ IESVM Christũ, uel nos confitemur factũ, uel patres nostri adorauêre faciendũ. Theodoretus inquit: Per fidẽ enim Deo cõiuncti, & familiares efficimur. in 10 caput ad Heb.

Isychiꝰ ait: Per pectusculũ fidẽ designat, & confidentiã quã offerri Domino uult ab eo qui saluari desiderat. Quia sine fide impossibile est nos placere Deo. lib. 2 in 7. Leuitici.

Philastrius

Philastrius ait: Non aliunde salutis remedium, nisi ex fide hac in patrem, filium, & spiritum sanctum, humano generi cognoscimus affuturam. Vnde & in hac coniunctione sanctæ adorãdęq; Trinitatis gaudemus, in qua antè Adam pater noster, Noa, Abraham, Moses & Prophetæ, Sacerdotes, Iudices, & Apostoli pariter & Euangelistæ prædicentes meruerunt consequi angelicam dignitatem: in qua & Ecclesia catholica exultat, hoc prędicans quotidie atque edocens, eandemq; hanc omnem impietatem Paganam & iniquitatem Iudaicam destruens, quotidie omni exultat in gaudio. in Catalogo hæresium.

Sedulius inquit: Disposuit Deus propitiũ se futurum esse humano generi, si credant in sanguine eius se esse liberandos. in 3. ad Romanos. Et: Potest ergo homo iustificari ex fide, sine operibus legis, cum fides per dilectionem operetur in corde, etiamsi foris nõ exit in opere. ibidem.

Maximus inquit: Christus omnib. natus est, sed fidelib. dat salutẽ. Hõ. 4. de Christo.

Sic & Primasius scribit: Pro omnibus quidem effusus est sanguis Christi, sed credentibus prodest, incredulis uerò erit in condemnationem. in 2. caput ad Timotheum. Et: Vtramq; gentem per fidem Christi saluandam esse denunciat, hoc est ex fide. in 3. caput ad Romanos.

Theodulus: Attamen & hos & illos gratiæ participes fore dixit: non tamen simpliciter, uerùm credentes, & quia non iniuria gratia sit omnibus communis. in 3. cap. ad Romanos. Et: Qui igitur grauiter adeò flagitia commiserunt, ut uel indigni essent uenia, hos iam per fidẽ seruat, ęternumq; beat. in 3. ad Romanos. Item: Mortuum namq; peccatis nunc seruari, quando tempus supplicij instat, istuc uerò est commonstratio iusticiæ, per hoc, quòd nedum ipse Deus iustus sit, uerùm etiam iustificet per fidem in Iesum Christum, proprium etiam populum suũ. ibidem. Et: Consilium itaq; & scopus Apostoli est, demonstrare quòd Abrahã etiã ipse non ex operibus legis, sed per fidem iustificatus sit. Quid igitur dicimus Abraham patrẽ nostrũ secundũ carnem inuenisse? aut qualem ipsum consecutum iusticiam? Operum ne, an fidei? Ostendit aũt, quòd per fidẽ sit nactus iusticiã. in 4. caput ad Romanos. Itẽ: Duo indicat, & quòd Abraham ex fide iustificatus est, & quòd iusticia per fidẽ maior est, &c. Qui uerò ex fide seruat⁹ est, postquã non habet unde apud se glorietur (nullum enim opus operatus est) corã Deo gloriatur. in 4 caput ad Romanos. Et: Proinde nõ est data circumcisio ut iusticiã efficeret, uerùm ut iusticiæ sigillum esset, & euidens iusticiæ significatio, quæ Abrahamo ex fide obtigit. ibidem. Et: Positis ijs quæ ad Christũ attinent, nostra etiam subdit. ad inenarrabilia enim dona & beneficia Dei in nos collata, nos nihil præter fidem attulimus. in 5. ad Romanos. Item: Verùm credẽtes, legi se mortuos & ab ea liberatos esse sciunt: nec est porrò transgressor legis, qui fidem Christo adhibet. in 7 caput ad Romanos. Et: Pari ratione Iudæi, alij quidem fideles semen Abrahami sunt, & seruantur in æternũ: alij uerò infideles, & pereũt. Quot enim digni sunt, seruantur: credunt enim. & quotquot non sunt digni, pereunt: nõ enim credunt. in 9. ad Romanos. Item: Non enim eorum qui seruantur tantum misertus est, uerumetiam Pharaonis. parte etiam populi sui miseratus est. Viden, quòd nõ unius partis Deus est Deus? Sed enim ex Iudęis & gentibus, qui per fidem digni sunt salute, seruat. in 9 caput ad Romanos. Itẽ: Vide quòd cum operib. & gratia habeamus opus, ut æternùm beemur? Cum enim obedietiam eorum adduxisset, gratiam pariter eis adoptauit. in 16 caput ad Romanos.

¶ Sola nos fide iustificari docent, ut Chrysostomus: Nũc aũt nõ amplius rationibus, sed sola fide opus est. Præterea quòd in crucifixũ & sepultũ credatur, neq; dubitatio ulla relinquatur: quoniã resurrexit, & supernè sedeat, neq; sapientia indiget, neq; rationibus, sed fide. in 1. caput 1. ad Corinth. Itẽ: Quoniã sursum deorsum hoc uertebãt illi, & undiq; iactabãt dicẽtes, fidẽ nõ ualere nisi adiuncta lege: Paul⁹ cõtrà demõstrat, addi tis præceptis, fidẽ iam nihil profuturã. Tum enim ualet fides, cũ nihil accesserit ex lege. in 3. caput ad Galatas. Itẽ: Ex sola quippe fide nos saluauit. in 2. cap. ad Ephesios, sermone 5. Itẽ: Fidelẽ aũt absq; operib. possum monstrare, & uixisse, & regnũ cœlorũ assecutum. Nullus sine fide uitã habuit. Latro aũt credidit duntaxat, & iustificatus est à misericordissimo Deo. Atq; hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo iustè uiueret, & honesta faceret opera. neq; enim de hoc cõtenderim ego. Sed illud unum asseuerauerim, quòd sola fides per se saluũ fecerit. Nã si superuixisset, fideiq; & operum fuisset negligens, à salute excidisset. in sermone de fide & lege naturæ.

Augustinus sic interpretatur, Fide nos iustificari, lib. 1. de prędestinatiõe sanctorũ, cap. 7: Ex fide ideo dicit iustificari hominẽ, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrẽtur cætera, quæ propriè opera nuncupãtur, in quib. iustè uiuitur. Nã dicit etiã ipse: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis, sed Dei donũ est: id est, q̃ dixi per fidẽ, nõ ex uobis, sed Dei donũ est. Et iã fides

fides non ex operibus, inquit, ne fortè quis extollatur.

Cyrillus libro 3. capite 11. in Ioannẽ dicit: Facilis enim & plana uia iusticiæ omnibus est, qui per fidẽ ad eum proficiscuntur: aspera uerò atq; ardua, imò autem omnino inaccessibilis, ijs qui sua incredulitate Dominũ irritant. Item: Sanua & uia in uitam fides est, & recursus quidã atq; reductio à corruptione in immortalitatem. libro 4. in 9 caput Ioannis. Item: Iustificamur enim per fidem, & participes diuinæ naturæ participatione sancti Spiritus efficimur. lib. 9. capite 32 in Ioannem. Item: Subiectus Christus patri est: nõ tamen pro omnibus, sed pro solis credentib⁹ in eum, pro quibus seipsum tanquã immaculatum agnum patri obtulit, ut ab omni peccato liberatos patri offerret. libro decimo Thesauri, capite octauo.

Prosper ait: Non alia gratia, aut alia fide quenquam hominum siue ante legem, siue legis tempore iustificatum esse credendum est, quàm hac eadem, per quam Dominus noster IESVS Christus secũdum consilium uoluntatis suę, in fine seculorum uenit quęrere & saluare. in responsionibus ad capitula Gallicorum, capite 8. Item:

Vna fides igitur, spes una est, atq; amor unus,
Quo fiat iustus, sitq; beatus homo.

Item: Quicunq; quocunq; tempore, in qua cunque gente, in Deum credentes ex fide uixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, iusti ac fortes fieri utiq; potuerunt. Qui autẽ nescientes Deum, uel etiam blasphemantes sine fide uixerunt, nihil earum uirtutũ à Deo accipere uel habere potuisse credendi sunt. libro 3. de Vita contemplatiua, capite 18.

Theodoretus ait: Sola fide allata peccatorum remissionem accepimus, quoniam ueluti quoddam redemptionis preciũ Dominus Christus suum corpus obtulit. in epistolam ad Romanos. Item: Non nostra sponte credimus, sed uocati accessimus: & cum accessissemus, non exegit uitæ puritatem & innocentiam, sed sola fide suscepta condonauit peccata. in 2. cap. ad Ephesios. Item: Deus per Esaiam rursus ostendens legalium uictimarũ species esse inutiles, polliceturq; peccatorũ ueniã, quæ per sanctũ baptisma mortalib. data est. Inquit enim: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorũ non recordabor. Neq; enim ullis operibus nostris, sed per solam fidem mystica bona consecuti sumus. Hinc & Apostolus manifestè testatur: Gratia salui facti estis, & hoc non ex uobis: Dei donum est, ne quis glorietur. id ipsum significans, quod superius dixerat Deus per Esaiam: Propter me. libro 7. de Sacrificijs.

Isychius inquit: Miseratus Deus humanum genus, cum illud ad explenda legis opera infirmatum uidisset, iam non ex operibus saluare, sed per gratiam hominem uoluit. Gratia uerò ex misericordia atq; compassione præbetur, & fide comprehenditur sola, non ex operibus, ut Paulus dicit ad Ephesios tertio. Nam gratia iam non erit gratia. libro quarto in 14. Leuitici.

Sedulius ait: Conuertentem impium per solam fidem iustificat Deus, non per bona opera, quæ non habuit prius, alioquin per impietatis opera fuerat puniendus. Hoc dicit, quia sine operibus legis credenti impio in Christũ, reputatur fides eius ad iusticiam. in 4 caput ad Romanos. Item: Quomodo Abraham credens ex gentibus per solam fidem iustificatus est, ita cæteri fidẽ eius imitantes saluantur. in 4 cap. ad Romanos. Item: Patriarchæ & prophetæ non ex operibus legis, sed ex fide iustificati sunt. in 2 cap. ad Romanos. Item: Non dixit, Operatus est per legem: sed, Sola fide credidit. in secũdum caput ad Romanos.

Primasius inquit: Impium per solam fidẽ iustificat, non opera: puniendus est, non liberandus: per ipsum saluabimur, non per nos: hoc est, si membrum eius fuerimus. cũ enim omnia ardebunt, solum corpus saluabitur iudicantis. in 5. caput ad Romanos. Et: Propositũ Dei est, ut sine operibus legis, uel quibuscunq; alijs meritis, per fidẽ solam iustificaret impios: quę fides non ex natura, sed Dei donum est, fructus spiritus est inter cætera & fides. in 8. ad Romanos. Item: Impiũ per solam fidem iustificat, non opera quæ non habuit. si enim secundum opera, puniendus est, non liberandus. Simul attendendum, non peccatorem iustificari per fidem, sed impium. in 4. caput ad Romanos. Item: Vt omnes qui ex gentibus credunt, secundum fidem filij sunt Abrahæ, dum & illis sola fides ad iusticiam reputatur, etiam & ipsi circumcisi non carne, sed corde. in 4. caput ad Romanos. Item: Sola fide saluati estis, per gratiã Dei. in 1. caput ad Galatas. Item: Non ex operibus, sed sola fide per gratiam, uitam habere te nosti. in 2. caput ad Galatas. Et: Si enim gentes fides sola non saluauit, nec nos: quia ex operibus nemo iustificabitur. in 2 cap. ad Galatas. Itẽ: Ita & uobis fides sola sufficit ad iusticiã. ibidẽ.

Theodulus inquit: Mirificum quiddam dicit. Adeò, inquit, circumcisio sine fide iustificare non potest, neq; progenitorem tuũ ô Iudæe, tibi Abrahamum facit. Nam & ipsa lex, ob quã gloriaris, nihil profuit ad promissiones ipsi Abraham factas, ut quæ nondum sancita esset, sed sola fides. Cum enim, incircumcisus dum esset, ante legem, pro-

missiones illi datæ sunt credẽti. Si itaq; lex ad promissiones nihil fecit, circũcisio ad iusticiam haudquaquã quicquam ualebit, sufficiet ue. in 4. cap. ad Rom. Et: Gratia est quicquid per Christũ cõtingit, nec opera ad fidẽ sunt necessaria. Neq; enim qui crediderunt, ob præterita opera uocatione illa digni uisi sunt, uerùm gratia Dei hoc totum est. in decimum caput ad Romanos.

Faustus ait: Tempus gratię quo redempti sumus, merita hominũ nõ expectauit, opera penitùs nõ quęsiuit. Sola Deus fidei nostræ deuotione cõtentus fuit, secundũ illud: Credidit Abraham Deo, &c. Iustus autẽ ex fide sua uiuet. Accedentem ad Deum credere oportet. libro primo de Libero arbitrio.

Marius Victorinus libro 3. Cõmentariorum in Genesin inquit: Credidit Abraham Deo, &c. ——*At ille*

Credidit, & nudæ fidei consensio sola
Plenam ad iusticiæ & meriti reputata coronã est.

¶ Gratis nos iustificari, Augustinꝰ docet, in Psalmũ 30. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Quid est Egent? Vt ipse liberet, nõ tu. Quia tu liberare non potes, indiges liberatore. Quid est quod te iactas? quid est quod de lege & iusticia præsumis? Non uides quòd intus confligas in te, de te, aduersus te? nõ audis pugnantẽ & confitentem, & adiutoriũ in pugna desiderantẽ? Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESVM Christum Dominum nostrũ. Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te præuenerũt. Itẽ prima quinquagena ex prologo Psalmi 31: Credidit Abrahã Deo, & reputatũ est ei ad iusticiã. Et: Ei qui operatur, id est, de operibus præsumit, & eorũ merito sibi dicit datã esse gratiã fidei, merces nõ imputatur secundũ gratiã, sed secundũ debitũ. Quid est hoc, nisi quòd merces nostra gratia uocatur? si gratia est, gratis datur. Quid est gratis datur? Gratis constat. Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorũ. Attenduntur opera tua, & inueniũtur omnia mala. Si quod debetur istis operibus, Deus redderet, utiq; damnaret. Non tibi Deus reddit debitã pœnã, sed donat indebitã gratiã. Itẽ ad articulos Augustino falsò impositos, ad secundã responsionẽ: Vt enim reus damnetur, inculpabilis est Dei iusticia: ut autẽ reꝰ iustificetur, ineffabilis Dei gratia est. Item lib. 3. contra Pelagianos: Nullũ autẽ esse hominis meritũ in accipienda gratia ad salutẽ, Paulus apostolus docet, scribens ad Ephesios: Deus autẽ, ait, qui diues est in misericordia, propter nimiã charitatẽ suã, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis salua ti. Itẽ, De natura & gratia contra Pelagianos, cap. 4: Hęc igitur Christi gratia sine qua nec infantes, nec ętate grãdes salui fieri possunt, nõ meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Iustificati, inquit, gratis per sanguinẽ ipsius. Vnde ij qui non per illã liberantur, siue quia audire non potuerũt, siue quia obedire noluerunt, siue etiã cum per ætatẽ non possent audire, lauacrum regenerationis quod acciperepossent, per quod salui fierent, non acceperunt, iustè utiq; damnantur: quia sine peccato nõ sunt, uel quod originaliter traxerũt, uel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccauerũt, siue in Adã, siue in semetipsis, & egent gloria Dei. Ibidẽ cap. 5: Qui ergo ingratiã liberantur, nõ uasa meritorum suorum, sed uasa misericordię nominantur. Cuius misericordię, nisi illius qui Christum IESVM misit in hunc mundũ peccatores saluos facere, quos præsciuit & prædestinauit, & uocauit, & iustificauit, & glorificauit? Quis igitur usqueadeò dementissimè insaniat, ut nõ agat ineffabiles gratias misericordiæ, quos uoluit liberantis: qui rectè nullo modo possent culpare iusticiam, uniuersos omnino damnantis? De Patientia cap. 20. Si enim ullis meritis datur, iam non gratis donatur, sed debita redditur: ac per hoc non uero nomine gratia nũcupatur, ubi merces (sicut idem dicit Apostolus) non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitũ. Si autẽ ut uera sit gratia, id est gratuita, nihil inuenit in homine cui meritò debeatur (quod bene intelligitur & in eo quod dictũ est, Pro nihilo saluos facies illos) profectò ipsa dat merita, non meritis datur. præueniunt ergo etiã fidẽ, ex qua omnia bona opera incipiũt. Iustus enim (sicut scriptum est) ex fide uiuit. Porrò autẽ gratia non solùm adiuuat iustum, uerùm etiam iustificat impium. Et ideo etiã cum adiuuat iustum, & uidetur eius meritis reddi, nec sic desinet esse gratia: quoniam id adiuuat, quod ipsa est largita.

Cyrillus inquit: Nos uerò misericordia eius adoptati per gratiam. libro 1. cap. 13. in Ioannem. Itẽ: Si ergo lex condemnãs per Mosen data est, gratia uerò iustificans per unigenitum facta. libro 1. in Ioãnem capite 21. Item: Ita ne iustificari opere putemus, ne gratiam Dei meritis nostris, sed fide assumptã nobis speremus. lib. 4. in Ioan. cap. 51.

Prosper ait: Gratia Dei quoscunq; iustificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos fecit. in epistola ad Ruffinum de Libero arbitrio. Itẽ: De primi hominis pœna nemo liberatur, nisi per gratiã Domini nostri IESV Christi, præparatam & prædestinatam in ętemo consilio Dei, ante constitutionem mundi. in capite 1. ad obiectiones Gallorũ.

Item:

Ité: Iustificatus homo, id est ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirat & meritũ: ut quod in illo inchoatũ est per gratiã Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrij, nunquam remoto adiutorio Dei, sine quo nec proficere nec permanere in bono quisquam potest. capite 6. ad obiectiones Gallorum. Item libro De ingratis:

Vsquadeò donum est quo credimus, & data gratis
Gratia, non merita ditat mercede uocatos,
Nec iustorum operum discernit facta: sed omnes
Sola ex immundis mundos facit, &c.

Item: Bonitas Christi sola est causa uocatis, & fidei & meriti. libro De ingratis.

Theodoretus inquit: Dominus quoque Christus, cum non iusti essem⁹, nos amauit, sed peccatores acceptos iustificauit. in 15. caput ad Romanos.

Isychius ait: Cum Deus genus humanum ad implenda legis opera infirmatũ uidisset, iam nõ ex operibus saluare, sed per gratiam hominem uoluit. libro 4. in 14. caput Leuitici. Et: Sicut licet non solùm de ouibus, sed & de capris offerri, & oblatio de pecoribus dicitur: sic & eum qui ex peccatoribus est, posibile est simplicitati operam dare, & quasi ouem factum, conuersationem suam in holocaustum offerre Deo. quia enim nihil impedit, ad adipiscendam iustificationé, peccatorẽ quempiam fuisse. Ezechielis 18. Quòd si genuerit filium, qui uidens omnia peccata patris sui quæ fecit, &c. hic non morietur in iniquitate patris sui, sed uita uiuet. libro primo in 1. caput Leuitici.

Primasius inquit: Maior est redemptio Saluatoris, quàm perditio transgressoris: quia per Christum omnia peccata dimissa sunt, non solùm originalia, uerùm etiam actualia. in 5. caput ad Romanos. Et: Christus pro peccatoribus & pro impijs mortuus est, ut ad credendum non meritò, sed gratia uocaremur. in nonũ caput ad Romanos. Et: Christus non contra legem uenit, sed secundum legem: quia non possunt secundum legem iustificari, sed Deus gratis ex fide iustificat. in 10 caput ad Romanos. Ité: Sed quia illum fides à Deo donata sine operum præsumptione iustificat, non sibi, sed Domino ex gratuita largitate dat gloriã. in 4 cap. ad Romanos. Et: Quia non possunt secundum legem iustificari, sed Deus gratis ex fide iustificat, nõ ex operibus legis, in quibus illi gloriabantur. in 10 caput ad Romanos.

Sedulius: Hoc est, sine ullis operibus præcedentibus per baptismum gratis peccata donauit. in 3. ad Rom. Et: Quomodo iustificatur homo sine operib. legis? Credit aliquis, percipit fidei sacramenta, & mortuus est, defuit illi operandi tempus: planè dicimus iustificatum, credentem in eum qui iustificat impium. ergo iste iustificatus, & operatus non est. in 3. caput ad Romanos. Item: Gratia Dei filius Dei dicitur, quia per suam gratiam gratis peccata dimisit, nullis præcedentibus hominum meritis. in 2 cap. ad Hebræos. Item: Gratiam, ut credamus & baptisemur: & quia gratis & iam ipse iustificatus est, nullis meritis suis. in primum caput ad Romanos.

Theodulus inquit: Etenim cognoscentes mortales, quòd neq; per legem & circumcisionem, neque per præputium liceat seruari æternũ, facilè Christo accesserint, gratia sua genus mortalium cõseruanti. in 3. caput ad Romanos. Et: Cum hæc ita se habeant, paterq; seruet eum qui ex fide in Christum propius factus est, Deoq; adiunct⁹, ubinam in posterum Iudæorũ gloriatio manet? monstrat aũt eos temerè gloriari: Nõ per opera, inquit, quæ nos peregimus, Iudæorum gloriatio est excluſa: sed enim per fidem. perinde quasi dicere fuisset ei animus, omnis ista gloriatio, & quę uisa est dignitas, primatusue uester, excluſa sunt per fidem, citra operũ indigentiam accessum ue. Arbitramur, pro eo quod est, rationibus certis accedẽtes putamus, iusticia fidei omnem hominem, uolentem esse participem eiusdem, sine operibus legis iustificari. in 3. cap. ad Romanos. Et: Maiorem secundũ gratiam iusticiam esse monstrat, quam fides præstat, hanc ad rationem. Ei qui gnauiter operatur, prẽmium secundum debitum debetur, & meritum. At uerò quid quæso potest, qui totus etiam in uirtute uersatur, ac strenuè se gerit? Quid inquam, uel quomodo potest Christum debitorem suũ uel facere, uel habere? Enimuerò qui ex fide iustificatur, secundũ gratiam iustificatur. Vbi porrò Deus donat, omnino grandia donat. Ecquid uerò donat? filiorũ adoptionem præstat, fratres efficit Christi, hæredes Dei, cohæredes Christi: quæ sanè iam olim nobis præstitit dona. in 4. caput ad Romanos. Et: Qui enim legẽ, ceu eam qua seruetur, tenet, is salutem per fidem obuenientem contumelia afficit. in 4. cap. ad Romanos. Et: Vbi namque gratia Dei, ibi haud sunt dubię promissiones, sed firmæ ac stabiles. Deus enim, inquit, est qui per gratiam iustificat, & quis est qui condemnet? ibidem. Item: Gratia uerò ac donum Dei adeò exuberauit, ut & ipsum Adami peccatum deleret: nec illud solummodo, uerùm omnia omnium aliorum mortalium delicta, quæ post illius peccatum cõmiserunt. Nec id tantum effecit, uerùm ad iustificationem, id est ad iusticiam omnes deduxit. in 5. caput ad Romanos. Et: Ne perterrefias quòd peccatũ abundauerit. etenim hominũ

transgressione ad bonum & commodum usus est Deus, indigentibus opes tribuens. Hinc enim gratia per Christum maior & desiderabilior facta est, cuius bonitate nobis communicata fides auctior est reddita. Non enim ex abundãtia peccati, pœna etiam maior est facta: sed salus iucundior, amabiliorque nobis obtigit. in 5. caput ad Romanos. Item: Non dixit, merces uirtutum seu officiorum: sed donũ, uel gratia: demonstrans, quòd non ex laboribus suis, uerùm ex gratia discesserint, ac liberati sint à peccatis. in 6. caput ad Romanos.

Marcus heremita inquit: Deus nos peccato mortuos, proprio sanguine suo mercatus est: & ijs qui ita credunt, gratiam suam gratuitò largitus est.

Eucherius inquit: Fides solet sanctis ad iusticiam reputari. in 1. Regũ. Et: Quid retribuemus uel per hoc tantũ, quòd per fidẽ homini salutem dedit? in Epistola paræneticа.

Ioannes Cassianus inquit: Nos absoluta pronũciamus sententia, etiã exuberare gratiam Dei, & transgredi interdum humanæ infidelitatis angustias. Collatione 13. capite 16. Item: Omnes patres affirmant, summã salutis nostrę non operũ nostrorum merito, sed cœlesti gratiæ deputandam esse.

Paulinus ait: Assumpti nõ nostro merito, sed gratia Dei, cuius dona & uocationes sine pœnitentia sunt: neq; ex operum prærogatiua, sed ex fide bonæ uoluntatis. qua pariter in charitatem eius animati, ut uno & tenore propositi, & tempore conuersationis nostrę apparuit, simul oportet gloriemur & exultemus in eo qui iustificat impium per fidem, & dat escam omni carni. in epistola 5. ad Seuerum.

¶ Gratia nos saluari, docet Chrysostomus: Annunciaui iusticiam in Ecclesia magna. Quid hoc est? Non dixit, Dedi: sed, Annunciaui. Quid tandem igitur? non ex benefactis, nec laboribus, nec pensatione, sed ex sola gratia iustificauit genus nostrum. in oratione 4. aduersus Iudæos. Item in homilia de loco Esaiæ, Gaude Sion, inquit: Cuius facti sumus filij, non pro obsequijs nostris, aut meritis: nõ ꝓ bona actione, quã nõ fecimus: sed pro eius misericordia & libertatem accepimus, & in adoptionem filiorũ annumerati sumus. Postea quędam adijcit de fructibus iustificatorum. Item: Non sudoribus & laboribus illam comparabis, sed ex diuino gratię dono, quod ex supernis est, gratis ut accipias oportet, unum hoc solum afferens de tuo, nimirum ut credas. in 1. cap. ad Romanos, Sermone secũdo. Item: Accusauerat Paulus & gentes, & Iudæos. consequenter erat proximum ostendere, quæ uera esset iusticia, nimirum quæ per fidẽ est. Quando enim neque lex naturæ quicquam proderat, neq; lex scripta amplius quiddam præstiterat, sed ambæ magis grauauerant eos qui non ut oportebat illis essent usi, maioreq; supplicio dignos effecerant: relinquebatur, ut necessariò salus per gratiã esset acquirenda. in 3. cap. ad Romanos, Sermone septimo. Item: Ab istis namq; salutis nostræ summa dependet, nusquam ab operib. nusquam à rectè factis, sed per fidem ueritatis. in 2 caput 2 ad Thessalonicenses, homilia quarta. Item: Fide saluari eum qui opera non habeat, nihil fortasse fuerit insolentiæ. Eum uerò qui rectè factis conspicuũ fecerit, non ex ipsis, sed ex fide iustum fieri, hoc scilicet admirabile est, & quod maximè fidei potentiam manifestat. in 4 cap. ad Romanos, Sermone 8. Iteꝝ: Lex grauis est, gratia uerò facilis. Deinde lex, etiamsi innumeris modis contenderint Iudæi, non saluat. Gratia uerò & suam, & quæ legis est iusticiam præstat. in decimum caput ad Romanos, Sermone decimoseptimo.

Theodulus inquit: Gratia Christi remittit peccatum, quod ante baptismum in nobis potens erat. Paulo pòst: Christi gratia commissa flagitia condonat, & in futurum excubias canit, si nos modò minimè torpeamus. in sextum caput ad Romanos.

¶ Omnes eodem modo saluari, monet Chrysostomus: Deus omnium, inquit, Deus est. iam si omnium Deus est, omnium etiam curam habet: si uerò omnium curam habet, omnes æquè per fidem saluat. in 3. caput ad Romanos, sermone 7. Item: In fide pares omnes esse oportet, quoniam una est fides. in uitæ autem uirtute, non omnes eosdem esse requiritur. Siquidem fides altera nõ est altera maior, sed eadem in omnibus qui uerè credunt. in 3. cap. 1. ad Corint. homilia 9.

Augustinus in Psalmum 104: Abrahã concupiuit uidere diem meum, & uidit, & gauisus est. Non enim quispiam præter eam fidem quę est in Christo IESV, siue ante eius incarnationem, siue postea reconciliatus sit Deo: cũ sit ab Apostolo ueracissimè diffinitũ, Vnus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Christus IESVS. Item libro 3. contra duas epistolas Pelagianorũ, cap. 4: Huius generis fuerũt antiqui omnes iusti, & ipse Moses testamenti minister uteris, hęres noui: qui ex fide qua nos uiuimus, una eademq; uixerunt, incarnationem, passionem, resurrectionemq; Christi credentes futuram, quam nos credimus factam, usque ad ipsum Ioannem Baptistam, tanquam prę teritæ dispensationis limitem quendam.

Sedulius inquit: Iusticia Dei in Euangelio reuelatur, per id quod ad saluté nullius excipitur uenire. in 1. caput ad Romanos.

Theodu-

Theodulus inquit: Quòd si eos tantum modo qui ex lege proficiscuntur, aut ex lege incedũt, iustificaret, nec omnem hominem credentem: unius modò partis studiosus esset, ac Deus Iudæorũ tantum. in 3. caput ad Romanos. Et: Hæc non patriarchæ solumpter nos, uti exemplo Abrahami nobis proposito, fideles similiter efficiamur, eundemque ad modum fides ad iusticiam nobis reputetur. in 4. caput ad Romanos. Et: Oſtendit non esse in fide differentiam inter Iudæum, & non Iudæum. Omnis enim qui credit, æternùm beatus erit. in decimum caput ad Romanos.

Eucherius inquit: Quia eadem quę nunc prædicatur Ecclesiæ fides, & ante incarnationis Dominicę tempus florebat in his qui patriarcharum prophetarumq; sunt deuotionem secuti. in lib. 2. Regum.

Iunilius ait: Adæ transgressio, typus fuit iusticiæ Saluatoris nostri, sicut beatus Apostolus docet: Quia sicut per inobedientiá unius hominis peccatores cõstituti sunt multi, sic etiam per obedientiá unius hominis iusti cõstituentur multi. lib. 2. cap. 17.

Præcedentibus operibus neminem iustificari, Augustinus docet de uera innocentia, capite 384. Nullus proculdubio præcedẽti bus meritis saluatur, ne gratia nõ sit gratia.

Per Sacramenta etiam iustificationem applicari, monet Chrysostomus: Deus, inquit, per regenerationis lauacrũ ab omnibus peccatis nos absoluit, & iusticiã atq; sanctificationem largitur. Homilia 27. in 3. cap. Ioan.

Imputari remissionem peccatorũ, Theodulus tradit, inquiens: Contecta sunt peccata, ad pœnitentiam refertur. Quod adijcit, Cui non imputauerit, est interpretatio uerbi Contecta sunt. Vera namq; & recta pœnitentia tegit peccata, ut apud Deum non imputentur. in 4. caput ad Romanos. Item: Quomodo iustificatur homo? Per remissionem, inquit, peccatorum quam in Christo IESV consequimur: id est, per IESVM Christum. Quem proposuit: beneuolẽtia enim patris propitiatio facta est nostrorum peccatorum. per Proposuit aũt uerbũ, denunciat ueterem adeoq; æternã Dei de hac re uoluntatem atq; decretum. Pater quidem proposuit ac decreuit, filius aũt sanguinem effudit pro nobis. Cõmunis itaq; gratia sanctæ Trinitatis: cooperatus est namque & Spiritus sanctus. in 3. caput ad Romanos.

Fidem ante opera iustificare, clarè pronũciat Augustinus in prima quinquagena, ex prologo Psalmi 31: Noli ergo præsumere de operibus ante fidẽ: noueris quia te peccatorẽ fides inuenit. & si te fides data fecit iustũ, impiũ inuenit quem faceret iustũ. Credẽti, inquit, in eum qui iustificat impiũ, deputatur fides eius ad iusticiam. Si iustificatur impius, ex impio fit iustus: si ex impio iust⁹ fit, quæ sunt opera impiorum? Iactet iam impius opera sua, & dicat: Do pauperibus, nihil alicui aufero, nõ uxorẽ alienam cõcupisco, non quẽquam occîdio, nulli frudem facio, depositum apud me nullo teste reprę-sento: hęc omnia dicat. Quęro utrũ pius sit, an impius? Et quomodo sum impius ista faciens? quomodo illi, de quibus dictum est: Et seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula. Quomodo nõ es impius? Quid si de ijs omnibus bonis operibus aut illud speras, quod sperãdum est: sed non ab illo, à quo sperandũ est? aut hoc speras, quod sperandũ nõ est, etiam ab illo, à quo æterna uita sperãda est? pro bonis operibus sperasti terrenam quandá felicitatem: impius es, non est ista merces fidei. Cara res est fides, uili illã addixisti. Impius ergo es, & nulla sunt ista opera tua. Moueas licet in bonis operibus lacertos, & uidearis nauem optimè gubernare: in saxa festinas. Quod si quod sperandũ est speras, id est uitã ęternam, sed non à Domino Deo per IESVM Christũ, per quem solum datur uita ęterna, sed putas te ad uitã æternã posse peruenire per militiã cœli, per solem & lunã, per potestates aeris & maris & terræ & siderum, impius es. Sed crede in eũ qui iustificat impiũ, ut possint & bona opera tua esse opera bona. Nam nec bona illa appellauerim, quamdiu non radice bona procedunt. Idem Prosper docet, inquiens: Fides quæ est iusticiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt, ex quo omnia procedunt, ipsa nos à peccatis omnibus purgat, mentes nostras illuminat, Deo reconciliat, cunctis participibus naturæ nostræ consociat, spem nobis futuræ remunerationis inspirat, auget in nobis uirtutes sanctas, ac nos in earum possessione confirmat. libro 3. de Vita contemplatiua, capite 21.

¶ De iustificationis effectu sic scribit Cyrillus: Familiares facit nos Deo ac patri fides, & per filiũ nos propè cõstituit. iustificat aũt nos secũdum uerum & sincerũ sermonem, non seorsim quidem Deus & pater, seorsim autem & propriè filius: sed quæ esse intelligitur iustificatio à patre, ea omnino est filij: & quam filius largitur, ea est patris. Nam quemadmodum res nostræ sortitæ sunt per filium, &c. libro 5. Dialogorum.

Leo inquit: Fides sine operibus mortua nominatur. sicut in fide est operum ratio, ita in operibus fidei fortitudo. Sermone 5. de collectis. Prosper in libro Epigrámatũ ait:

Conuersisq; nouam mentem dat gratia Christi,
Qua fiunt homines iustificante boni.

De effectu iustificationis sic inquit Cyrillus: Per filium uocati sumus ad ad optationem filiorum, qui accepta fide erga illum, configurati sumus ad illum tanquam ad exemplar imaginis. libro 4. Dialogorum. Ité: Ingressi ueræ pietatis semitas, Christo annuente iustificamur. Per illum enim nobis misericors est pater, iustificante legislatore. libro 7. contra Iulianum.

Saluianus ait: Commendat autem suam charitatem Deus in nobis. nam si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo magis igitur iustificati nũc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. in quarto libro de Prouidentia.

Theodulus inquit: Si per Christum à prætentis peccatis liberati sumus, per ipsum rursus & per fidem in eum à peccato deinceps abstinemus. Etenim facilius est tueri seruatęq; quàm acquirere bona, eius ope atq; auxilio. in quintum caput ad Romanos. Et: Nõ solùm ut uiuamus, data est nobis gratia Dei, utq; peccatum tollatur, & pœna simul auferatur: uerùm etiam, ut & filij Dei efficiamur, & cohęredes Christi, & hæredes patris, cõcorporeiq; filij, aliaq; innumera bona cõsequamur. in 5. caput ad Romanos.

DE FIDE.

FIdem Chrysost. describit in Sermone de fide, spe & charitate, his uerbis: Est fides origo iusticiæ, sanctitatis caput, deuotionis principiũ, religionis fundamentum. Nullus unquam sine hac Dominũ promeruit, nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit. Est enim fides innocens ac pura credulitas, qua ad Deum accedimus, qua præceptis insistimus, qua expiata mente Dominum ueneramur. Hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat: hanc qui tenet, felix est: qui deseruerit, miser. Hæc in Ecclesia signa ostendit, uirtutes exercet, charismata complet. Hæc amplexanda nobis est semper, hęc mentis uirtute tenenda. Per illam enim uenimus ad Christum, per illam pergimus ad Deum, per illam properamus ad cœlum. Hac gubernatrice Noa diluuiũ nauigauit: per hanc Abraham & benedictionem meruit, & filium in senectute suscepit. Per hanc ex Sodomitarum interitu Loth sanctissimus liberatus, Moses electus, Dauid protectus, tres pueri de incendio erepti, Daniel à leonibus liberatus. Est, inquam, fides pactum cum Deo, cum Christo placitum, consignatio promissorum. Denique quoties ad istam fidem acceditur, & pactum inter hominem & Deum firmatur, tunc homo Deo se credere profitetur, & à Deo homini pignus quoddam Spiritus sancti tribuitur.

Augustinus de uera innocentia, cap. 352. Fides Christi est, credere in eum qui iustificat impium: credere in mediatorẽ, sine quo nullus reconciliatur Deo: credere in saluatorem, qui uenit quærere & saluare quod perierat: credere in eũ qui dixit, Sine me nihil potestis facere. Sed hanc fidem non apprehendit, qui ignorans Dei iusticiam, quã iustificatur impius, suam uult cõstituere, quã conuincitur superbus. In Iohannem tractatu 79. Nam ipsa fides in epistola quæ scribitur ad Hebrẽos, ita est definita: Est autem fides sperantium substantia, conuictio eorũ quæ non uidentur. De uerbis Apostoli Sermone 27: Est autem fides, credere quod nõdum uides: cuius fidei merces est, uidere quod credis. Item, credere in Deum sic explicat Sermone 181. de tempore: Credo in Deum patrem omnipotentẽ. In primis dilectissimi, qualis sermo sit in Symboli capite, diligenter attendite. Ergo in primo habet, CREDO. Vide quòd Dominus noster non nos iubet discutere diuina iudicia, sed credere: nec rationem requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter exhibere. Non dicit, credo Deũ, uel credo Deo: quamuis & hæc saluti necessaria sint. Aliud enim est credere illi, aliud credere illum, aliud credere illum. Credere illi, est credere uera esse quæ loquitur: credere illum, credere quia ipse est Deus: credere in illum, diligere illum. Credere uera esse quæ loquitur, multi & mali possunt: credunt enim esse uera, & uolunt ea facere, quia ad hoc pigri sunt. Credere ipsum esse Deum, etiam dæmones possunt. Credere uerò in Deum, soli nouerunt qui diligunt illum, qui non solùm nomine Christiani sunt, sed & factis & uita: quia sine dilectione fides inanis est.

Theodoretus sic definit: Fides est uoluntaria quædam animi compositio & conuentio, uel latentis ac remotæ rei uisio quędam & contemplatio: uel circa id quod uerè est, animi adhæsio & constantia, rerumque inuisibilium apprehensio quædam, naturæ compar & congruens. Aut ita: Fides est insita credentium animis citra ambiguitatẽ aliquam dispositio. lib. 1. de fide.

Chrysostomus: Fides iusticia Dei dicitur, nimirum quæ ex fide est: propterea quòd omnino ea ex superna gratia sit, in quã nõ laboribus, sed Dei dono iustificamur. in 10 caput ad Romanos.

¶ Vnde fides, docet Augustinus contra duas epistolas Pelagiani libro primo, capite tertio: Datur ergo potestas ut filij Dei fiant, qui credunt in eum: cum hoc ipsum datur, ut credant in eum. Quæ potestas nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio: quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberauerit: sed in malo

malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ uel occultus uel manifestus deceptor inseruit, uel sibi ipse persuasit. Item de uerbis Apostoli, Sermone secundo: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Durus est, sed duris: id est, incredibilis, sed incredulis. Sed ut doceret nos, etiam ipsum credere, doni esse, non meriti: Sicuti, inquit, dixi uobis. Nemo uenit ad me, nisi cui datum fuerit à patre meo. Vbi autem hoc Dominus dixerit, si superiora Euangelij recolamus, inueniemus eum dixisse, Nemo uenit ad me nisi pater qui misit me traxerit eum. Non dixit, Duxerit: sed, Traxerit eum. Ista uiolentia cordi fit, non cani. Quid ergo miraris? Crede, & uenis: ama, & trahêris. Ne arbitreris istam asperam molestamque uiolentiam: dulcis est, suauis est, ipsa suauitas te trahit. Nonne ouis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto: quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic & tu ueni ad Christum, noli longa itinera meditari. Vbi credis, ibi uenitur, non nauigando. Libro primo de prædestinatione sanctorum, capite secundo: Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, Si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobis ipsis, quod sine cogitatione non possumus: sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum uel perficiendum quodcunque opus bonum, quod iam isti fratres, sicut scripta uestra indicat, uerum esse consentiunt, unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit uel ad incipiendam, uel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est, Quoniam si non cogitetur, nulla est: & Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Item, de prædestinatione sanctorum capite nono: Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non uult manifestissimis sacris literis repugnare. Item de uerbis Apostoli, Sermone uigesimoseptimo ad Sixtum Romanum presbyterum, epistola 105: Fides igitur ad Christum nos trahit, quæ nisi desuper gratuito munere nobis daretur, non ipse diceret: Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum.

Prosper ait: Fidem hominum donum Dei esse fateamur, sine cuius gratia nemo currit ad gratiam. ad capita Gallorum.

Thalasius inquit: IESVS est Christus Dominꝰ noster: & Deꝰ, quo nos uiuificaret, fidem in se nobis concessit. Hecatontade 4.

Non parua res est fides, inquit Chrysostomus, sed superno indiget auxilio: Homilia quadragesimaquarta in sextum caput Iohannis. Item: Nihil nostrum esse putemus, quandoquidem & ipsa fides non est nostrum opus. Probat dicto Pauli ad Ephesios 2. Etiam hoc non ex nobis, Dei donum. Hom. 30 in Acta apostolorũ, cap. 14.

Augustinus in epistolam Iohannis, tractatu secundo: Vnde crediturí sumus, nisi & unde ipsos palpantes uoluit confirmare? Aperuit enim illis Scripturas, & ostendit eis quia oportebat pati Christum, & impleri omnia quæ de illo scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis: id est, omnem uetterem Scripturam circumplexus est. Quicquid illarum Scripturarum est, Christum sonat, sed si aures inueniat. Et aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas. Vnde & nobis hoc orandum est, ut ipse sensum nostrum aperiat.

Prosper in libro de Ingratis:

Si uerò merito ascribis, uoluisse renasci,
Nempe utero fidei parta est tam recta uoluntas.
Porrò fidem quis dat, nisi gratia? sic bene uelle
Gratia dat, tribuendo fidem, quæ credita poscat.

Theodoretus inquit: Deus autem horum bonorum causa est. Ipse enim nobis firmam in Christum fidem donauit, ipse nos unxit, & sanctissimi spiritus signaculo dignos duxit, ueluti quandam futurorũ bonorũ arrã hanc nobis gratiã largiens. in 2. Corinth. 1.

Isychius inquit: Nemo sibi cõquirere Domini sacrificium, nisi per Spiritum sanctum, potest. Si enim nemo potest dicere, Dominus IESVS Christꝰ, nisi in Spiritu sancto: multo magis nec sacrificium eius assequi potest, sine operatione spiritus. in 5. Leuitici.

Primasius scribit: Fides ipsa, occulta inspiratione Dei gratiæ donc infunditur, non labore humano, nec opere ueteris Testamẽti acquiritur: quia, ut dictum est, ipsius donũ est ut credamus. in 3. caput ad Rom. Et: Ipse ergo operatur in cordibus nostris fidẽ miro & ineffabili modo, ut credamus. in 4. caput ad Romanos. Item: Fidem etiam ut credas, ille dat, à quo est datum omne bonũ. Quid enim habes quod non accepisti? in 9. cap. ad Rom. Item: Vt agnoscamus, à Deo nobis etiã ipsam fidẽ donari. in 12. caput ad Rom. Item; Ideo illa fides permanet, quæ per Dei uirtutem est collata in homine. in secũdum caput ad Corinthios. Et: Notandum & hoc, quòd & fides à Deo detur, quia à Deo est fides, uel Deo credere, uel homini bus promissa cõplere. in 5. cap. ad Galatas.

Sedulius inquit: Sicut plãtatio ſine aqua, ita fides ſine doctrina marceſcit. in 3 caput ad Corinthios.

Marcus heremita ait: Qui non cognoſcit ueritatem, nequaquam uerè poteſt credere. Siquidem cognitio ſecũdum naturam præcedit fidem. Marcus de lege ſpirituali.

¶ Vocatos credere, Auguſtinus aſſerit ad Simplicianum quæſtione 2: Vocando Deus præſtat & fidem, quia & ſine uocatione nõ poteſt quiſquam credere, quamuis nullus credat inuitus. Nemo itaq; credit non uocatus, ſed non omnis credit uocatus. Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.

¶ Proprietates fidei multas recenſent patres: ut, ad ſuperiora ſe referre fidem poſthabita ratione. Chryſoſtomus ait: Hoc potiſsimùm peculiare eſt fidei, ut omni infra nos relicta rationis ſequela, quod ſupra naturã eſt inquiramus, cogitationũq; infirmitate per diuinam uirtutem & potentiam eiecta, promiſſa Dei cuncta cõplectamur. in 10. caput ad Romanos, Sermone 17. Item: Ea demum fides eſt, qua quæ nulla poſſunt ratione inueniri, reperimus. in 2 caput 1. ad Corinthios, Homilia ſexta. Item: Magna nempe ſunt, quæ dare nobis uoluit Deus: ſed non capit anima diſpenſationum ipſius magnitudinem. Fide igitur ad iſtud opus eſt: ea enim animarum medicamentũ maximum ac ſaluberrimum eſt. Mox ſubiungit quæſtionem: Quid fides ipſa efficit in nobis? ut ſcilicet ipſius beneficia gratè ſuſcipiam⁹, euadamusq; meliores. Non permittit de re ulla contendere aut ambigere, ſed requiem ab his omnibus præſtat. Quæ enim fides peragit atq; ædificat, ea quæſtio prorſus euertit. Cur id quæſo? Quia inquirendi nullum finẽ facit, & fidẽ prorſus eliminat. in caput 1. Timoth. 1. Homilia prima. Item: Hoc fidei eſt, accipere quæ non uidentur. Eſt enim fides ſubſtantia rerum ſperandarum, argumẽtum non apparentium. Hom. 86 in 20 caput Iohannis. Item: Hoc igitur eſt fides, quando illis credimus quæ non uidentur, & mentem ad dignitatem eius qui promiſit intendimus: id quod profectò & iuſtus ille fecit, ſinceram & eximiam promiſsis fidem habens. Idcirco & prædicatur: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſticiam. Vidiſti quomodo & ante euentum & impletionem promiſſorum, eo ipſo quod credit, iuſtam mercedem accipit? Nam in iuſticiam ei reputatum eſt. Homilia 36. in decimumquintum caput Geneſeos.

Leo inquit: Virtus fidei in ijs quæ uiſui nõ ſubiacent, conſtituta eſt. Sermone 18, de paſsione Domini. Item: Habet hanc potentiam fides uera, ut ab ijs mẽte non deſit quibus corporalis præſentia intereſſe non potuit, & ſiue in præteritũ redeat, ſiue in futurum ſe cor credentis extendat, nullas ſentiat moras temporis cognitio ueritatis. Sermone 19 de paſsione Domini. Item: Fides uera iuſtificans impios, & creans iuſtos, ad humanitatis ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo ſe inuenit innocentem, liberum habens per gratiã Dei de potentia eius gloriari, qui contra hoſtem humani generis in carnis noſtræ humilitate congreſſus, his uictoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphauit. epiſtola 97 ad Auguſtum.

Sedulius ait: Hanc eſſe regulam fidei, credere Dominum noſtrum eſſe IESVM, & nõ erubeſcere, quia Deus illum ex mortuis deduxit in cœlum, confiteri. in decimum caput ad Romanos.

Primaſius inquit: Myſteriũ fidei eſt, quòd paſsio Chriſti remedium eſt ſalutis humanæ. in 3. caput ad Timotheum.

Chryſoſtomus ait: Per fidem eſt cognitio Dei, & ſine fide cognoſci nequit: per ipſam cognoſcẽda eſt natiuitas & reſurrectio Chriſti. in 3. caput ad Philippenſes, Sermone 11.

¶ Quòd ſit in Chriſto fixa, Auguſtinus docet lib. 3. de Trinitate, cap. 20: Neceſſaria eſt ergo fides, ut beatitudinẽ conſequamur omnib. humanæ naturæ bonis: id eſt, & animi & corporis. Hæc aũt fidem in Chriſto eſſe definitã, qui in carne reſurrexit à mortuis, non moriturus ulterius, nec niſi per illum quenquã liberari à diaboli dominatu per remiſsionem peccatorum.

Iunilius inquit: Fides noſtra ſuper rationẽ quidẽ eſt, non tñ temerariè & irrationabiliter adſumitur. Ea enim quæ ratio edocet, fides intelligit. Et: Vbi ratio defecerit, fides pręcurrit. Non enim utcũq; audita credim⁹, ſed ea quæ ratio nõ improbat. Verùm quod cõſequi ad plenũ non poteſt, fideli prudẽtia confitemur. lib. 2. cap. 30.

Sedulius inquit: Fides in animo eſt, nec operibus addiſcitur, ſed corde creditur: & mẽs ipſa intelligit, naturæ eſſe ſuæ quod credit, nec oculis cernitur, nec manib. palpatur. in 7. caput ad Romanos.

¶ Eſſe firmã fiduciã, docet Chryſoſt. Hoc pacto, inquit, fit ſoliditas. Quando multa in unũ coacta denſè cõglutinaueris, ac indiuiſè, ita fit ſoliditas, utpote quo modo ſolidatur murus: iſtuc uerò charitatis op⁹ eſt. Quãdo enim ſeorſim exiſtẽtes ac ſeparatos quis diligẽter cõglutinat ac cõiungit, ſolidos facit ac firmos. Idẽ quoq; fides facit, quãdo rationes excludit. Quẽadmodũ enim illæ dictiones excludit. Quẽadmodũ enim illæ dictiones uellũt & cõcutiunt, ita fides cõſolidat & ſtabiles facit. Cum nãq; maiora nobis beneficia contulerit Deus, quàm quæ humana cogitatio cõprehendere poſsit, meritò fidem induxit.

induxit. Ibidē dicit, fide cōprehendēda esse multa etiā quæ sunt contra rationem. in caput 1. ad Colossenses, Homilia quarta. Itē: Ideo fideles uocati sumus, ut his quę dicuntur, sine ulla hæsitatione credamus. Et subiungit: Humana quidē esse discutienda, diuina aūt honoranda solūmodo atq; credenda esse, præsertim cum & gētes hoc faciant. in 4. caput ad Timoth. 1. Homilia prima.

¶ Proprietatē fidei esse, credere nō uisa, inquit Augustinus in Euangeliū Iohannis, tractatu 89: Hæc est enim laus fidei, si quod creditur, nō uidetur. Nam quid magnū est, si id creditur quod uidetur? secūdū illā eiusdem Domini sententiā, quando discipulū arguit dicens: Quia uidisti me, credidisti: beati qui nō uident, & credūt. Et nescio utrum credere dicendus est quisq;, quod uidet.

¶ De fidei fundaméto inquit Paulinus in epistola ad Iouium:

Nomine quo fundata salus stat nostra, fidesq;
Nititur, æternæ tendens in secula uitæ.

Item de obitu Celsi pueri:

Quòd si tanta animis nox caligantibus obstat,
Et piger obtuso corpore sensus habet:
Vt quia corporeis oculis diuina teguntur,
Nullam dicatis scripta tenere fidem.
Sed doceat Paulus, quia non æterna uidentur,
Aeterna humanis abdita sunt oculis.
Insipiens terrena uide, cœlestia crede:
Obtutu mundum conspice, mente Deum.
Hinc preciosa fides. nam sicut gratia iam non
Gratia, si meritis attribuatur, erit:
Sic & nulla fides, nisi quæ quod non uidet illud
Credit, & æternam spe duce rem sequitur.

¶ Fidem per opera probari ait Chrysost. in 1. caput ad Thessalonicenses 1. Hom. 1. Itē: Fides ergo sine operibus, figura solùm absq; uirtute est: rectè ergo pulchro ac uenusto corpori uirtute destituto, picturæq; assimilatę, fides recta absq; operibus cōparatur. in 3. caput ad Timoth. 2. Homilia octaua.

Fides est firmamentū ac præsidiū contra omnis generis hostes, Chrysost. inquit: Contra credentē, legiq; diuinę diligenter incumbentē, nemo uel hominū uel dæmonū, aut alius quispiā stare poterit. Nam si pecuniam illi abstuleris, mercedē illi hoc ipso procurasti: si malè de illo fueris locutus p diffamiā, illū splendidiorē corā Deo feciſti. in 8. caput ad Rom. Sermone 15. Itē: Siue ratiocinationes nos impugnarint, fidē obijciamus: siue absurda desideria, fide utamur: siue labores & ærumnę, in fidē innitamur & conquiescamus. Omniū armorū certè tutela est fides. in 6. caput ad Ephesios, Sermone 23.

Theodoretus inquit: Qui Domino Christo credit, & sanctissimi baptismatis gratiā suscipit, & refert gratiā adoptionis filiorū, p ea deducitur ut futuris bonis credat, mortuorū inquā resurrectioni, & uitæ æternę, & regno cœlorū. in cap. 1. ad Rom. Item: Fide quidē dedit uobis remissionē peccatorum, uosq; ab omni reprehēsiōe alienos, iustosq; p lauacri regenerationē effecit. in 5. cap. ad Rom. Itē: Purè ingenueq; credentibus, ille in quē creditur Deus, cognitionē scientiāq; concedit, fideiq; adiuncta cognitio perficit scientiā ueritatis: quā qui assequitur, nimirū felicissimus est habendus. lib. 1. de fide.

Thalassius inquit: Mēs quæ diuina philosophia exercere se incipit, à fide auspicatur: & trāsiēs ea quę in medio interiacēt, in summā definit fidē. Hecatontade quarta.

Marcus heremita inquit: Christus credenti fit omnia. Item: Firma & constans fides, turris est fortissima.

Eucherius ait: Sub Euāgelica prædicatione credētiū in Christo fides ,pficiēdo in tātū roborata est, ut ,p diuini nominis confessione cruorē suū effundi à persecutorib. minimè detrectauerint: aut certè ,p Christi amore sæua castigatione mēbra sui corporis crucifigūt cū carnalib. desiderijs. lib. 3. in Genes. Itē: Lapideus paries uestitur tabulis cedrinis, cū ,pfessio fidei bonis ornatur operibus, ne sine operib. ociosa iudicetur, aut mortua. lib. 3. in libros Reg. Et: Nā neq; fides sine operibus, neq; sine fide Deo possunt bona opera placere: neq; itē iniurias ferre sufficit, qui ei quē tolerat, etiā ea quæ necesse habet, cum possit ministrare, cōtemnit: neq; ei quī substantiam mundi habuerit, satis est de hac egenti proximo dare, si non etiam eas quas sibi fortè irrogauerat iniurias, sincero ex corde dimittit. libro 3. in libros Regum.

¶ De utilitate fidei sic scribit Augustinus in prologo libri de fide ad Petrū: Fides nāq; est bonorū omniū fundamentū, fides est humanæ salutis initium, sine hac fide nemo ad filiorū Dei numerū potest peruenire: quia sine ipsa nec in hoc secnlo quisquā iustificationis gratiā consequitur, nec in futuro uitā possidebit æternā. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, nō peruenier ad speciem. Sine fide omnis labor hominis uacuus est. Tale quippe est, ut sine uera fide quisquam uelit Deo per contemptum seculi placere, quale si quisquam tendens ad patriam, in qua se scit beatè esse uicturum, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus sectetur errorem, quò non ad beatam ciuitatem perueniat, sed in prçcipitium cadat, ubi non gaudium peruenienti datur, sed cadenti interitus inferatur. Item Sermone quinquagesimotertio de tēpore: Primùm ergo fides catholica Christiano necessaria est, quia in ipsa distinguūtur filij Dei à filijs diaboli, filij lucis à filijs tenebrarū: per ipsam renascimur in baptismate, & salutem æternam impetramus,

mus, ſicut ſcriptũ eſt: Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Hæc porta eſt uitæ, hæc ianua regni. Per ipſam diſcitur ueritatis ſcientia, & percipitur cognitio diuinitatis: per ipſam, gratiã Dei inuenimus, aliter aũt Deo placere nõ poſſumus: quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Verè enim beatus eſt, qui & rectè credẽdo bene uiuit, & bene uiuendo fidem rectam cuſtodit.

Sedulius ait: Credentibus ſolùm datur remiſsio peccatorũ. in 10. caput ad Romanos.

Primaſius inquit: In omnibus prælijs fide tegamur: quia ſcutum ipſorum quoq; armorum defenſio eſt, & ſine hoc infirma ſunt omnia. Primaſius in 6. caput ad Epheſios. Et: Initium ſubſtantiæ dicit fidem Chriſti, per quam ſubſiſtimus, & renati ſumus: quia ipſe eſt fundamentum omnium uirtutum. in 3. caput ad Hebræos.

¶ Fidei encomiũ habet Paulinus, inquiens: Maior lege eſt fides, cuius laus nõ ex hominibus, ſed ex Deo eſt: quia legis circũciſio in aperto eſt, fidei in occulto. Lex ramos peccati præſtringit, fides radices eruit, quæ nos non operibus, ſed & ſenſibus immaculatos facit: ut uerè ad primordialẽ dignitatẽ, hoc eſt Dei ſimilitudinẽ reformemur, nõ ſolùm corpore, ſed & corde mũdati. in epiſtola 2. ad Seuerum. Item de obitu Celſi:

Nam ueluti rupto patuêre ſacraria uelo,
Sic referat nobis legis operta fides.
Inde ſub antiquo legitur uelamine Moſes,
Iudæis nebula cordis opertus adhuc.
Quam de luminibus mentis mihi creditus aufert
Chriſtus, adumbratas diſcutiens ſpecies.
Seq; docet priſca uelatum legis in umbra,
Iamq; reuelatum corporis in facie.

Chryſoſtomus ait: Vbiq; fide nobis opus eſt: fide inquã, bonorũ matre, ſalutis medicina, ſine qua nullã magnarũ rerũ doctrinam percipere quiſpiã poteſt: ſed ſimilis illis qui ſine naui pelagus tranſnare aggreſsi, parum profecti, laſſatis manib. pedibusq;, fluctibus continuò obruuntur. Hom. 32. in 3. caput Iohannis. Item: Magnũ bonũ fides eſt, magnũ inquam, & bonorum multorum cauſa, ut Dei opera homines facere poſsint in nomine illius. Si enim credideritis, inquit, & dixeritis monti huic, ut transferatur, fiet. Magnũ igitur bonũ fides, cum à uehementi amore, & flagranti animo procedit. ipſa ſapientes nos indicat, ipſa humanam detegit humilitatẽ, & inferius omiſsis rationibus de cœleſtib. diſputat: & quod humana ſapiẽtia inuenire nõ poteſt, in quo deficit, hoc fides dirigit, hoc docet. Homilia 62. in undecimum caput Iohannis.

¶ Pios ſcire quòd credant, ait Auguſtinus de Trinitate lib. 13. cap. 1. Cum itaq; propterea credere iubeamur, quia id quod credere iubemur: uidere nõ poſſumus: ipſam tamen fidẽ, quando ineſt in nobis, uidemus in nobis, quia & rerũ abſentiũ præſens eſt fides, & rerũ quæ foris ſunt intus eſt fides: & rerũ quæ non uidentur, uidetur fides, & ipſa tamen temporaliter fit in cordibus hominũ.

Fidẽ ab operibus diſcerni, inquit Auguſtinus in Euangeliũ Iohannis tractatu 25: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eũ quem miſit ille. Diſcernitur quidẽ ab operibus fides, ſicut Apoſtolus dicit iuſtificari hominẽ per fidem ſine operib. legis. Et tamen ibidẽ inquit: Finis legis Chriſtus ad iuſticiã omni credenti. Ideo noluit diſcernere ab opere fidem, ſed ipſam fidẽ dixit eſſe opus Dei: ipſa eſt enim quæ per dilectionẽ operatur. Nec dixit, Hoc eſt opus ueſtrũ: ſed, Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quẽ miſit ille: ut qui gloriatur, in Domino glorietur.

DE SPE.

SPem definit Chryſoſtomus in 8. caput ad Romanos, Sermone 14. Quid eſt, inquit, ſpes? De futuris fiduciã habere. Item: Spes eſt futuræ pollicitationis religioſus aſſenſus, promiſſę gloriæ deuota intentio, ſanctorum deſtinata ſublimitas, bonorũ expectatio futurorũ. Spes eſt, inquã, cognitio fidei, credulitatis ꝓpinquitas, deſtinatũ præmiorum tẽpus, futura expectatio meritorũ. Sermone de fide, ſpe, charitate.

Diſcernit ſpem humanam à ſpe uerbi Dei Chryſoſt. inquiẽs: Spes humana ſubinde intercidit, & ſperantẽ pudore afficit. Noſtra uerò eiuſmodi non eſt, ſed firma & immobilis perdurat. Cum enim is qui promiſit, perpetuò uiuat, nos aũt qui promiſsis potituri ſumus, etiãſi moriamur, denuò tamẽ reſuſcitãmur ſumus: nihil omnino eſt quod nos in hac ſpe cõfuſioni poſsit reddere obnoxios, quaſi fruſtra & uanè in ſpẽ debilẽ & emarcidam inducti ſimus. in 5. cap. ad Rom. Sermone 9. Et ibidẽ: Spes noſtra dilectione Dei nititur. Sic ait: Noli itaq;, etiãſi nõ admodũ dignus fueris, animũ deſpõdere, cũ habeas tam ingẽs patrociniũ iudicis, uidelicet dilectionẽ, ꝓpterea quippe & ipſe Apoſtolus, cum dicit, Spes nõ cõfundit: nõ rectè factis noſtris, ſed dilectioni Dei rẽ omnẽ acceptam fert.

Diſcernit fidẽ & ſpẽ Chryſoſt. Fides, inq;, gloriã inchoat, ſpes ſuſtinẽdo cõſummat. Illa fundamentũ ponit, hęc ipſum hominẽ cõſtruit. illa dat principiũ, hæc Chriſtianũ ducit ad ſummũ. illa initia credulitatis aggreditur, hęc ad cõſummationẽ uirtutis medita tur. illa quod ꝓmittitur credit, hæc q; ſperat iã cernit. in Serm. de fide, ſpe & charitate.

Addenda & hæc locutio Sedulij uidetur, quod inquit: Opꝰ legis eſt fides. quia quod mandat lex, ultrò facit, ut credat in Chriſtũ. in 2. caput ad Romanos.

DE

DE BONIS OPERIBVS.

Doctrina de bonis operibus à plerisq; huius ętatis Doctoribus corrupta est: interdum tamen quædam habent bona, & sacris literis consentanea.

Bona opera esse necessaria, docet Chrysostomus: Nulla, inquit, nobis bonorũ dogmatũ ad salutẽ utilitas, si uita uitiorũ sordib⁹ scateat & inquinetur. Quamobrem eam ita formemus & erudiamus, ut Deo placeat, omni turpitudine, iniquitate, auaricia longè abiecta, & tãquam hospites & aduenas, & à terrenis rebus alienos exhibeamus. Et: Si quis diuitijs plurimis & possessionibus affluit, haud aliter his quàm colonus utatur, tanquam paulo pòst ea omnia uelit nolit relicturus. Homilia tertia in 1. cap. Ioan. Ité: Vt igitur alacriores nos reddatis, & iã dictorũ certã custodiã demonstrate, & cum rectæ fidei dogmatibus uiam quoq; uestrã diligẽter curate. Fulgeat enim, inquit, lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra opera bona, & glorificẽt patrem uestrum in cœlis, ut & uita cõsonet fidei dogmatis, & dogmata prædicent uitã. Fides enim sine operibus mortua est, & opera sine fide mortua sunt. Nam tametsi sanã teneamus doctrinã, uitã aũt negligamus, nihil nobis ꝓderunt doctrinę. Rursus, si uitę curã diligentẽ gesserimus, in fidei aũt placitis claudicauerim⁹, neq; sic nobis aliquid lucri fuerit. Ideo cõuenit utrũq; ædificiũ nostrum spirituale cõmuniri. Omnis enim qui audit hos sermões, dicitq; & facit eos, assimilabitur uiro prudenti. Vide quomodo nõ solũ audire nos uult, sed & facere, & operibus monstrate obedientiam. in 1. cap. Geneseos, Homilia 12. Ité: Vt scias rem ita se habere, licet infinitis tantũ philosophemur uerbis, & de patiẽtia differamus, & cũ tẽpus fuerit eam operibus non demõstremus, nõ tantũ proderunt uerba, quantũ nocebũt opera. Sin ante & post uerba operũ specimẽ exhibuerim⁹, digni habebimur qui admoneam⁹ alios eorũ quę per opera adimplemus. quia & Christus illos beatos dixit inquiens: Beatus qui fecerit & docuerit. Vide quòd opus ꝓposuerit, & postea doctrinã. Atq; adeò præcedente opere, etiamsi nõ sequatur doctrina, sufficiũt opera ipsa luce clarius, ad docendum eos qui in nos respiciũt. Hoc igitur omnibus modis cõsideramus, ut prius operibus doceamus, & postea sermonibus, ut ne & nos audiamus à B. Paulo: Tu qui doces aliũ, teipsum nõ doces. Et cũ uolumus admonere aliũ, ut aliquid ex his quæ necessaria, agat honestè, prius studeamus & nos hoc ipsum agere, quo nobis & maior sit loquendi fiducia, & omnis nostra cura sit in animarũ salute. homilia 8. in 1. cap Genes. Ité: Vnde nos incipiemus? uultis à uetere lege, id est Decalogo? sed in nostrã confusionem: quòd ea quæ in ueteri dicuntur, quæ excellere oportebat, nondum custodimus. Nos enim conueniebat non de his audire. Iudaicæ enim prauatis fuerint hæc præcepta. sed illa perfecta: Abijce opes, sta uiriliter, animã pro prædicatione impẽdito, ride terrena omnia, nihil sit tibi cũ præsente uita cõmune, benefac si quis te iniustè afflixerit, siue defraudatus fuerit benedic, si blasphemauerit honora, omnib. esto sublimior. Hęc & talia audire congruebat. Homilia decima in Acta apostolorum, capite quarto.

Augustinus inquit lib. 3. contra Pelagianos: Nemo sit segnis & remissus ad seruiendum Deo, nec sic de gratia cõfidat, tanquam Deus liberi arbitrij eius, quod per mortem filij sui reparauit, & sibi præparauit, opera non requirat. Imò declinet à malo, & faciat bonum: uigilet, quærat, pulset, petat, contendat uincere seculum: Deo placere sic, ut dum per mundi pelagus currit, quemadmodum sæpe dictum est, anchoram gratiæ cæruicibus reuectam, fiducia liberi arbitrij non soluat, qua siue in ꝓspero cursu ne extollatur, siue in tẽpestate tentationũ ne mergatur, eius gubernaculo quoadusq; ad portũ paradisi perueniat, nõ poterit permanere securus. & cũ impleuerit cursum, fidenter dicat cũ apostolo Paulo: Bonũ certamẽ certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.

Cyrillus inquit: Profectò ærumnosissimũ est, uelle iterũ laborare eo morbo, à quo per uirtutẽ Dei semel erepti sunt. Mundana uita lubrica, atq; adeò periculosum uel respicere in illã, & solam memoriã delictorũ habere, mente in eorũ dilectione relicta. Auerte, inquit, oculos meos, ne uideant uanitatem. libro Dialogorum de adoratione in Spiritu.

Isychius idẽ profitetur, inquiés: Etsi offerre munus in potestatẽ offerẽtis dedit, nimis rectè. liberi quippe arbitrij Deus hominẽ cõstituit: tũ quale offeratur, nõ iam uoluntatis est, ne fortè mala offerantur. necesse est ergo aut bouẽ offerri, aut ouem: id est, aut operari iusticiã, aut à malis abstinere. lib. 1. in 1. cap. Leuit. Et: Quẽadmodũ Christus misericordiã in nobis habẽs, ꝓ nobis semetipsum tradidit passiõi: sic oportet & nos ꝓximis misereri, passionẽ Dominicã ad huius accipiẽtes pietatis exẽplũ. Vnde ait, Effundes supra oleũ: ut & nos uiscera misericordię Domini ęmulemur. ait qppe, Estote misericordes. lib. 1. in 2. cap. Leuit. Ité: Vbi Deo placere magis homo quàm in mãdatis & operib. bonis potest? lib. 6. in 19. cap. Leuit. Sedulius lib. 2. ait:

Qui Dominum cœli patrem memoramus, in ipso
Iam fratres nos esse decet, nec origine carnis
Germanum tractare odium, sed spiritus igne
Flagrantes abolere doli monimenta uetusti.

Item:

Item: Quia ipse peccata nostra portauit, & pro nobis doluit, ne decæterò peccaremus. in 6. caput ad Romanos.

Theodulus ait: Mortui sumus peccato, Christo credentes, baptismateq; tincti. Non oportet igitur salutarem, inquit, mortificationem expectantes, uiuere minimè optimam peccati uitam. Mortui proinde sumus peccato. Quomodo? ut ne morem, inquit, geramus ipsi. in caput 6. ad Romanos. Et: Verùm ad uitæ institutionem peruenit, aliâ à nobis resurrectionẽ postulans, quæ est per uitæ nouitatem, in qua emoritur quidem peccatum, resurgit autẽ uita, uirtute & fide conspicua. Si fornicator non porrò fornicetur, & raptor ac prædo non amplius prædetur, uitæ istuc est nouitas. in 6. caput ad Romanos. Item: Quemadmodum Christus mortem obijt, & uiuit: sic & uos existimate uos ipsos oportere mori, quantũ ad non peccandum attinet. Viuere autẽ in diuinis cœlestibusq; rebus per IESVM Christũ: hoc est, Christo auxiliante. ibidem. Et: Multo quidem maiorem oportebat Christo seruitutẽ exhibere, & iusticię, quàm ea est quam exhibuistis impuritati & iniquitati: ꝓpter imbecilitatẽ tamen carnis uestræ æqualẽ posco. in sextum caput ad Rom. Item: Fructũ feramus, legẽ nimirũ uita moribusq; nostris exprimendo. in 7. cap. ad Rom. Itẽ: Ne existiment, postquam absoluti sint à lege, sibi deinceps quiduis etiã patrare licere, citra omnem uel metũ uel periculum. aliud longè exactius ministeriũ ac seruitium adfert, spiritus nimirũ. pulchrè uerò, In nouitate, dixit. ibidẽ. Item: Post tantũ, inquit, exhibitum nobis beneficiũ, debem⁹ certè secundũ uoluntatem Dei uitã ducere, nec porrò secundum carnem. in 8. caput ad Roma. Et: Nedum uerbis, inquit, benedicite, uerùm etiã operibus, gaudẽtibus quidẽ congaudentes, dolentibus cõdolentes. in 12 ad Romanos.

Marcus heremita ait: Quicunq; regenerationis lauacro dignati sumus, bona opera non propter retributionem facimus, sed propter custodiã concessę nobis puritatis & mundiciæ. Et: Si Christus pro nobis mortuus est secundũ Scripturas, non uiuamus nobis ipsis: sed ei qui pro nobis mortuus est & resurrexit, pro officio seruire debemus. Quomodo igitur filiorum adoptionem nobis deberi putabimus?

Eucherius ait: Sed non sufficit præteritorum remissio peccatorũ, si non quisq; bonis deinceps insistere studuerit operibus. libro 3 Commentariorum in libros Regum.

Paulinus in decimo natali Felicis ait:

Non eadem simul, atq; eadem quæ, forma futuri
Præsentisq; boni est. namq; & nunc utile nobis,
Deserto ueteris uitæ squalore, nouari
Mente pia, Christumq; sequi, regnisq; parari.
Tunc quoq;, cum dabitur redeunte resurgere uita,
Ille resurgentum potior numerabitur ordo,
Qui super illustri carnem perfusus amictu,
Seruilem Domini mutauit imagine formam,
Conformemq; Deo conregnaturus honorem
Accipiet, Christo similis, sed munere Christi.
Hæc eadem ſpecies, ueterem deponere formam,
Et gestare nouam monet, & retrò acta abolere,
Inq; futura Dei conuersam intendere mentem,
Congrua præteritis obliuia ducere curis
Cœlestumq; animo regnorum inducere curam:
Rebus & humanis, & amoribus istius æui,
Mente prius quàm morte mori, neq; corporis antè
Nexibus absolui, quàm criminis. ergo nouemur
Sensibus, & luteos terrestris imaginis actus
Discutere à nostro properemus corpore longè
Vestibus excussis, puros ut corde recussi
Corporis atq; animæ nitidi reddamus amictus.

¶ De speciebus operũ Leo ait: Tria sunt quæ maximè ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, ieiuniũ, & eleemosyna.

Prosper in libro Epigramatum ait:

Maior enim offerri nequit hostia mentis in ara,
Nec Christi ex templo suauior exit odor:
Quàm cum homo castorum profert libamina morum,
Et de uirtutum munere sacra litat.

Theodulus inquit: Species seruitij Dei, seu diuini cultus multæ sunt. Etenim qui adorat Deũ, illi inseruit, eũq; colit, tum qui inedia corpus suum extenuat: quinetiã qui sacris literis adhibet mentẽ, ac qui peregrinorum curam gerit. Diuus uerò Apostolus seruire se Deo dixit, gentibus afferens Euangeliũ de filio Dei, ac seruire Deo in spiritu: hoc est, in tradito sibi dono. in 1. ca. ad Rom.

Eucherius inquit: Illas uirtutes omnes habere ualemus: charitas, gaudiũ, pax, longanimitas, patientia, benignitas, bonitas, modestia, continentia, & cæteri fructus Spiritus, quid nisi cælaturæ parietum templi, quæ ornatus sunt mentium populi Dei? libro 3 in libros Regum.

¶ Bona opera à Deo in nobis excitari, Chrysostomus scribit. Nam de dicto Psalmi 142. Nõ intres in iudicium, inquit: Sic dixit Apostolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Ergo de meritis suis nihil assignare sibi debet, nisi peccata quæ sunt propria nostra. Cæterùm uirtutes & actio purgata, cælitùs datur hominibus, donatur à Deo.

Augustinus inquit libro tertio contra Pelagianos: In omni opere sancto, prior est uoluntas Dei, posterior liberi arbitrij: id est, operatur Deus, cooperatur homo. Itẽ in Epistolam Iohannis, tractatu 4: Et omnis qui habet spẽ hãc in ipso, castificat semetipsum, sicut & ipse castus est. Videte quẽadmodũ non abstulit liberum arbitriũ, ut diceret, Castificat nisi Deus?

Deus? Sed Deus te nolentem non castificat. Ergo qd' adiungis uoluntatem tuam Deo, castificas temetipsum, castificas te, non de te, sed illo qui uenit ut habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid uoluntate, ideo & tibi aliquid tributum. Ideo autem tibi tributum est, ut dicas sicut in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis, Adiutor meus esto: aliquid agis. nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat? Item in Enchiridio ad Laurentium, capite trigesimo: Verùm hæc pars generis humani, cui liberationem Deus regnum q; promisit æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid libero uoluntatis arbitrio? & hoc absit. Nam libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum. Gratia salui facti estis, per fidem. Item de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, cap. 6: Quapropter quando cœperit homo habere merita bona, non debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Dicendo, Ne derelinquas me: ostendit, quia si derelictus fuerit, nihil boni ualet ipse per se. Ibidem capite 7: Si ergo dona dei sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Ibidem capite decimosexto: Certum est nos facere, cum facimus: sed ille facit ut faciamus, præbendo uires efficacissimas uoluntati, qui dixit: Faciam ut in iustificationib. meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. De correptione & gratia cap. 2: Quis hoc audiat, & non euigilet, atq; fateatur à Domino Deo nobis esse, ut declinemus à malo, & faciamus bonum? De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 51: In omni opere bono nõ nos inci-pimus, & postea per Dei misericordiã adiuuamur: sed ipse nullis præcedentibus bonis meritis & fidem & amorẽ sui prius inspirat, ut & baptisma sacramenti fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Vnde manifestissimè credendum est, quòd & illius latronis quẽ Dominus ad paradisi patriã reuocauit, Cornelij Centurionis, ad quem angelus Domini missus est, Zacheiq; qui ipsum Dominũ suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuerit de natura, sed diuinæ gratiæ largitate donata. Item de ciuitate Dei libro 22. capite 30: Nam & ipsa bona opera nostra, quando ipsius potius intelligũtur esse quàm nostra. Item Psalmo 137: Quæcunq; sunt opera mea bona, abs te mihi sunt, & ideo tua magis quàm mea sunt. Audio quippe ab Apostolo tuo: Gratia salui facti estis per fidem: & hoc non ex uobis, sed Dei donũ est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo IESV, in operibus bonis. Item lib. 22. de ciuitate Dei, capite 30 inquit: Nam & ipsa bona opera nostra, ipsius potius intelliguntur esse, quàm nostra.

Iunilius inquit: Naturalis est in nobis boni maliq; communis discretio: Spontaneus autem motus in his, quæ iam discreta & sequenda sunt. Ipsum lex quidem erudit, gratia autem præparat, adiuuat, corroborat, coronat. libro 2. cap. 12.

Gratiam non præcedere opera, Augustinus admonet lib. primo ad Simplicianum, quæstione secunda: Eo ipso quod gratia est Euangelica, operibus non debetur, alioquin gratia iam nõ est gratia. Et multis locis hoc sæpe testatur fides, gratiam præponens operibus, non ut opera extinguat, sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: ut scilicet non se quisq; arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est: sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Item ibidem: Nemo enim credit, qui non uocatur. Misericors autem Deus uocat nullis hoc uel meritis fidei largiens, quia merita fidei sequũtur uocationem potius quàm præcedant. Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Et quomodo audient sine prædicante? Nisi ergo uocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat iustificari, & accipiat facultatẽ bene operandi. Ergo ante omne meritum est gratia. etenim Christus pro impijs mortuus est. Item in Psalmum 49: Si gratia uocatur, gratis datur. Si gratis datur, nulla merita tua præcesserunt ut detur.

Cyrillus inquit: Sanctus nemo erit unquã, nec recta uiuendi disciplina sanctificabitur, nisi ope atq; patrocinio Christi. lib. 9. cap. 33. Item: Opera uerò fidei congruentia facere, eorum solummodo est qui Deum diligunt. lib. 9. capite 44.

Leo inquit: Diligendo itaq; nos Deus, ad imaginem suam nos reparat: & ut in nobis formã suæ bonitatis inueniat, dat unde ipsi quoq; quod operatur, operemur: accendẽs scilicet mẽtiũ nostrarũ lucernas, & igne nos sue charitatis inflãmans, ut nõ solùm ipsum, sed etiã quicquid diligit diligamus. Sermone primo de ieiunio decimi mẽsis & collect.

Prosper ait: Agnoscat se humana debilitas, & in primo homine uniuersarũ generationũ damnata successio, & cũ mortui uiuificãtur, cum cæci illuminãtur, cũ impij iustificantur, cõfiteantur uitã, & lumen, & iusticiam suam IESVM Christũ. in epistola ad Ruffinum de libero arbitrio. Item: Sicut bona opera sunt referenda ad inspiratorẽ eorũ Deum, ita ma-

la ad eos sunt referenda qui peccât. in respõ sionibus ad capita Gallorum, cap. 3. Item: Non nostris meritis præuenimus misericordiam Domini: sed Dominus memor fuit nostri. in expositione Psalmi 113.

Theodoretus ait: Vincentes suæ fortitudini uictoriam non adscribant, sed suppeditanti uires, ac propugnatori Deo. quæstione 6. in Deuteronomion. Item: Quomodo intelligendum est illud: Non dedit Domin⁹ Deus uester uobis cor intelligens, nec oculos uidentes? Respõdeo. Intelligi debet quẽ admodum & istud, Tradidit illos in sensum reprobum: &, Tradidit eos in passiones ignominiæ: &, Indurauit Dominus cor Pharaonis. Bonorũ enim autor est Deus, malorũ aũt minimè. Nam quid sit agendũ ostendit, & contraria dissuadet: non tamen cogit animum humanum, sed libero suo arbitrio dimittit. quæstione 37 in Deuteronomion.

Isychius ait: Ita se quis debet disponere, ut omne desideriũ & propositũ cuiuslibet actionis, & cõsummationẽ Deo offerat: sed & à mala ira, & à tali delectatione mundari debet. in 3. Leuitici.

Marcus heremita inquit: Quoties aliquid uirtutis feceris, fac memor sis eius qui dixit, Sine me nihil potestis facere.

Paulinus inquit: Et ideo nihil nobis de nostris operib. blandiẽtes, semper in manus eius cõmẽdem⁹ spiritũ nostrũ: quoniã apud ipsum est fons uitæ. Ab illo intellectum itineris nostri petamus, quoniam à Domino gressus hominis diriguntur. Sed & si potuerimus mandata eius per ipsius opem facere, necesse habemus sic quoq; inutilitatem nostrã fateri: quia imputare nõ possumus debitam seruitutem, si tantũ præcepta faciamus. Inutilis enim & nequã seruus est, qui nihil ad necessitatem debiti muneris, uoluntario addit affectu, nõ habiturus unde præmium speret, si tantum conditionis officia dependerit. Quamobrem etiam mandata cõplentes, timeamus semper dicẽtes Domino: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuẽs. in epistola decima ad Seuerum.

¶ Opera per fidem placere, monet Chrysostomus in Sermone de fide & lege naturæ: Cum olim Iudæi dicerent Domino, Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Vides quomodo fidem opus uocauit? Igitur quamprimùm credideris, simul & operibus ornatus eris: non quòd desint opera, sed per seipsam fides plena est operibus bonis. opera quidem erga homines & ex hominibus sunt, fides autẽ ex hominibus erga Deũ. Fides eum qui conuertitur, ciuem cœlorum declarat: fides hominem qui terrenus est, Deo familiarem efficit. Nihil enim extra fidem bonum. Et paulo pòst: Opus quidem habet anima, ut operibus alapus tur: ante opera tamen fides primùm inducẽda est. Eum qui operatur opera iusticiæ, sine fide, non possunt probare uiuum fuisse.

Augustinus de Trinitate lib. 12. cap. 7. Opera uerò misericordiæ nihil prosunt siue Paganis siue Iudæis, qui Christo non credunt, siue quibuscunq; schismaticis uel hæreticis, ubi fides & dilectio & sobria sanctificatio non inuenitur. Item de uera innocentia capite 214: Non sunt bona opera, nisi quæ per fidẽ & dilectionem fiunt: quia alterũ sine altero nullius uirtutis fructum parit. Item libro 3. contra duas epistolas Pelagianorũ, capite 5: Sine ipsa uerò, etiam quę uidentur bona opera, in peccata uertuntur: omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Item Sermone 38. de tempore: Fides est bonorum omnium fundamentũ, fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorũ Dei consortium potest peruenire, quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam iustificationis affequitur gratiam, nec in futuro uitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem beatæ uisionis Domini nostri IESV Christi. Item Sermone 53 de tempore: Igitur sicut ociosa est fides sine operibus, ita nihil proficiunt opera bona sine fide recta. Ad Sixtum Romanum presbyterum epistola 105: Deus unicuique partitur mensuram fidei. opera quippe bona fiunt ab homine: fides autem fit in homine, sine qua illa à nullo fiunt homine. omne enim quod non est ex fide, peccatum est.

Primasi⁹ inquit: Sine fide infructuosa sunt omnia. in ultimum caput ad Ephesios.

Faustus ait: Iugiter ergo laborandum, sed à gratia non recedendum, & dicendũ: Deus in adiutorium meum intende. Adiutorij sermo duos indicat, operantem & cooperantẽ, petentem & promittentem, pulsantẽ & aperientem, quęrẽtem pariter & retribuentem. lib. 2. de libero arbitrio, cap. 10.

Marcus heremita inqt: Porrò bonũ opus fieri nõ posse, ut aut efficax sit, aut credatur, nisi in Christo IESV, & Spiritu sancto. Omne bonũ à Deo gratuitò nobis datũ est. Ad hũc ergo modũ credens, illud neutiquã amissurus est. Marcus de lege spirituali.

Eucherius ait: Secundum puritatem factorum meorum retribuet mihi, qui tribuit mihi ut bene facerem, educendo me in latitudinem fidei. Et paulo pòst: Vt latitudinem bonorũ operum quæ per fidem sunt, longanimitas perseuerantiæ consequatur. lib. 2. in libros Regum, capite 10.

¶ Opera non præcedere fidem aut iustificationem,

cationem, Augustinus docet in Iohannem tractatu octuagesimo sexto: Nõ est ut dicas, Antequam crederem iam bona operabar, i-deo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidẽ, cum dicat Apostolus: Omne quod non est ex fide, peccatum est? Quid ergo di-cturi sumus, audiẽdo, Non uos me elegistis: nisi, quia mali eramus: sed electi sumus, ut boni per gratiã eligentis essemus? Non est e-nim gratia, si præcesserant merita: est autem gratia. Hęc igitur non inuenit, sed efficit me rita. Et uidete charissimi, quemadmodum non eligat bonos: sed quos elegit, faciat bo-nos. Item in præfatione Psalmi trigesimi primi: Nemo ergo cõputet bona opera sua ante fidem. Vbi fides non erat, bonum opus non erat. Ibidem: Nemo ergo iactet bona opera sua ante fidẽ, nemo sit piger in bonis operibus accepta fide. Item 83 Quæstio-num, quæstione 76: Quibus sententijs mani festissimè docet, non eos præterito bono o-pere ad fidei iustificationem peruenisse, nec meritis eorũ istã datã gratiã, quãdo dicit: Et hæc quidẽ fuistis. Sed cum dicit, Qui talia a-gũt, regnũ Dei nõ possidebũt: satis ostendit iã, ex quo crediderũt, bene operari debere. Quod & Iacobus dicit, & multis omnino lo-cis idẽ apostolus Paulus satis aperteq; præ-dicat, rectè uiuẽdum omnib. qui in Christo crediderũt, ne ad pœnas perueniant. Quod & ipse Dominus cõmemorat dicẽs: Non o-mnis qui dicit mihi Domine Domine, intra-bit in regnũ cœlorũ: sed qui facit uoluntatẽ patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in re-gnũ cœlorum. Et alibi: Vt quid dicitis mihi Domine Domine, & non facitis quæ dico uobis? Et, Omnis qui audit uerba mea hæc, & facit ea, similabo eum uiro prudenti, qui ædificauit domũ suã supra petrã, &c. Et: Qui audit uerba mea hæc, & non facit ea, simila-bo eum uiro stulto, qui ædificauit domũ suã super arenã, &c. Quapropter non sunt sibi contrariæ duorũ apostolorũ sententiæ, Pau-li & Iacobi, cum dicit unus, Iustificari homi-nẽ per fidẽ sine operibus: & alius dicit, Inanẽ esse fidẽ sine operibus, quia ille dicit de ope-ribus quæ fidem præcedunt, iste de ijs quæ fi-dem sequuntur: sicut etiam ipse Paulus mul-tis locis ostendit. De gratia noui Testamẽ-ti ad Honoratũ cap. 30: Opera bona ex ipsius iustificatione operamus. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo IESV, in operi-bus bonis, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Item libro de fide & operi-bus, capite 14: Sequuntur iustificatum, non præcedunt iustificandum. In Psalmum 67: Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hoc autem necesse est ut antecedat fides, ut inde ista, non abistis incipiat illa: quoniam nullus o-peratur per dilectionem Dei, nisi prius cre-dat in Deum. Hæc est fides de qua dicitur: In Christo enim IESV neque circumcisio a-liquid ualet, neq; præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. Hæc est fides, de qua ipsi Ecclesiæ dicitur in Canticis can-ticorum: Venies, & pertransies ab initio fi-dei. Venit etiam tãquam currus Dei in milli-bus lætantium, prosperum iter habens, & pertransijt de hoc mundo ad patrem. Volo ut ubi ego sum, & isti sint mecum ab initio fidei. Quia ergo ut bona opera sequantur, præcedit fides: nec ulla sunt bona opera, nisi quæ sequuntur præcedente fide. In prima quinquagena, ex prologo Psalmi 31. Debe-mus nulla opera præponere fidei: id est, ut ante fidẽ quisquã dicatur bene operatus. Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis uideantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi uidẽtur esse, ut magnæ uires, & cursus celerrimus, præter uiam. Ne-mo ergo computet bona opera sua ante fi-dem: ubi fides non erat, bonũ opus nõ erat.

¶ Qui possint bona opera facere, docet Augustinus ad Simplicianum libro primo, quæstione secunda: Quomodo enim potest iustè uiuere, qui nõ fuerit iustificatus? Quo-modo sanctè uiuere, qui non fuerit sanctifi-catus? Vel omnino uiuere, qui non fuerit ui-uificatus? Iustificat autem gratia, ut iustifica-tus possit uiuere iustè. Prima est igitur gra-tia, secunda opera bona. sicut alio loco dicit: Ei autem qui operatur, merces non imputa-tur secundum gratiam, sed secundum debi-tũ, sicut illa immortalitas post opera bona, si tamen uel ipsa ex debito poscitur, sicut i-dem ait: Bonum certamen certaui.

Primasius inquit: Quis enim dicat non iu-stificatos eos, qui fuerũt ex fide legi obediẽ-tes? quando nisi iustificarentur, non possunt esse obedientes. in 2. ad Romanos. Item: Præcedit nãmq; nõ debita, sed gratuita gra-tia, ut per illam fiant bona opera: ne si præ-cesserunt bona opera, tanquam operibus reddatur gratia, ac si gratia iam nõ sit gratia. in 11. caput ad Romanos.

Eucherius inquit: Vnusquisque ergo no-strũm primò cõuertitur à peccato, & ex con-uersione generat opera iusticiæ. Eucherius in 1. librum Regum.

Chrysost. etsi plerunq; fidem ac opera mi-sceat & nostris factis plus tribuat quàm par sit: tamen interdũ quædã cõmoda recenset, quale & hoc uidetur: Coronat in nobis De⁹ non merita nostra, sed dona nostra. in Serm. de loco Esaiæ 9. Pacis eius nõ erit finis. Itẽ: Hoc est fidei insigne, ut absq; cõtrouersia ul-la obediant imperanti; nec tamen merce-dem reposcant obsequij. in secundum caput Matthæi Homilia octaua.

Eucherius ait: Eleemosynæ, oratio, & ieiunium, non ad hominum ostentationem, sed ad solam interni inspectoris sunt gloriã facienda: alioquin à fructu æternitatis uacua manerent. libro 3. Commentariorum in libros Regum. Item: Omnia uirtutum dona præsentia ad æternæ gloriam remunerationis, quæ per Euangelium nobis est promissa ac ministrata, respiciunt. ibidem.

Synesius ait: Virtuti cum studetur, ruere turpitudinẽ necesse est. lib. 1. de prouidẽtia.

Paulinus ait: Damnatur in lege, qui pecuniã suã dederit ad usurã, & munera super innocentes acceperit. Ecce Euangelij gratia ostendit nobis, quomodo eadem crimina ad innocentiam sanctitatemq; mutentur: nec pœnæ, sed præmij retributio consequatur, si tantũ in præcepta diuina salutaris cupiditate fidei conuertantur. in 12. epistola ad Seuerum. Itẽ: Operando præceptis ipsius, uidebis eum in omni paupere, & tanges eũ in omni egeno, recipies eum in omni hospite. Quoniam sibi fieri ipse testatur, quæ in eius nomine minimis eius fiant. in 12. epistola ad Seuerum.

Augustinus de uerbis Domini super Lucã, Serm. 36 inquit: Fidem esse fontẽ orationis. Itẽ, quòd opera fidẽ sequãtur, testatur in prima quinquagẽa ex prologo Psalmi 31: Ergo fratres, ex fide iustificat⁹ est Abrahã: sed si fidem opera nõ pręcesserũt, tamẽ secuta sunt. Nũquid enim fides tua sterilis erit? Si sterilis non es, sterilis non est ipsa.

De fine operũ Augustinus inquit, in Psalmum 65: Si ideo facis bona opera, ut tu glorificeris, hoc prohibuit: si aũt ideo ut Deus glorificetur, hoc iussit Christus.

Leo ait: Thesaurum suum condit in cœlo, qui Christũ pascit in paupere. Sermone primo de Collectis.

Primasius inquit: Boni operis merces per patientiam expectatur, quia in præsenti uita non redditur. in 2 caput ad Romanos.

Theodulus inquit: Horum scilicet bonorum operum emolumentum est, sanctificatio & uita. Attamen cum hęc ita se habeant, sic Deo seruite deinceps, ut iam antè impuritati & iniquitati. Theodul⁹ in sextum caput ad Romanos. Item, eleemosynam fructum appellat, innuẽs, eum qui quicquã impertiat pauperibus, lucrum facere. in 15. caput ad Romanos.

Salonius ait: Virtutes faciunt nobis tempora bona, uitia & peccata faciunt tempora mala: idcirco ita semper bene uiuere debemus, ut dies præsentes nobis meliores sint quàm præteriti. Salonius in Ecclesiasten.

Non esse gloriandũ bonis operibus, monet Augustinus libro primo Homiliarum, Homilia decimaquarta: Cum ergo coronat Deus merita tua, nihil coronat nisi dona sua. Hanc fidem & ueram pietatem, ne quis extollatur de libero arbitrio in bonis operibus, quisquis sic accipiat, ut nouerit dãtem: aut quisquis datori non sit ingratus, medico non superbiat, uel insanus adhuc, uel nõ à se sanus. Hanc inquam fidem sanam atque pietatem nullæ argumentationes euellant de cordibus uestris, seruate quod accepistis. Et humiliter consideremus, quòd Apostolus dicit: Deus est qui operatur in nobis & uelle & perficere.

DE ORATIONE.

CVm oramus, Deo colloquimur. Maximus in Homilia D. Chrysostomi.

De speciebus orationum sic scribit Augustinus ad Paulinum epistola 59: Precationẽ & deprecationem multi nostri hoc idem putant, & hoc quotidiano usu iam omnino pręualuit. Qui autem distinctius latinè locuti sunt, precationibus utebantur in optãdis bonis, deprecationibus uerò in deuitandis malis. Precari enim dicebant esse, precando & bona optare: imprecari mala, quod uulgò iam dicitur maiedicere: deprecari autẽ, mala precando depellere. Sed usitatum iam loquendi modum potius sequamur, & siue precationes, siue deprecationes inueneri-mus, quod Græci δεήσεις uocant, non putemus emendandum esse. Orationes uerò, quas Græcus habet προσευχὰς, distinguere à precibus uel precationibus, omnino difficile est. Quòd uerò quidam codices non habent orationes, sed adorationes, quia nõ dictum in Græco est σὺχὰς, sed προσευχὰς, nõ arbitror scienter interpretatũ: προσευχὰς enim orationes dici à Græcis, notissimum est. Et utiq; aliud est orare, aliud est adorare. Denique non isto uerbo, sed alio legitur in Græco, Dominum Deũ tuum adorabis: &, Adorabo ad templũ sanctum tuũ. & si qua similia. Pro interpellationibus aũt, quod nostri habent, secundũ codices (credo) uestros postulationes posuisti. Hæc interim duo, id est quod alij postulationes, alij interpellationes interpretati sunt, unũ uerbum transferre uoluerũt, quod Græcus habet ἐντεύξεις: & profectò aduertis, sed nosti aliud esse interpellare, aliud postulare. Non enim solemus dicere, postulant interpellaturi, sed interpellant postulaturi. Veruntamen ex uicinitate uerbum usurpatum, cui propinquitas ipsa impetrat intellectum, non est uelut censoria notatione culpandum. Nam & de ipso Domino IESV Christo dictũ est, quòd interpellat pro nobis. Nunquid interpellat, & non etiam postulat? Imò uerò quia postulat, pro eo positum est interpellat. Euidenter quippe alibi de eo dicitur: Et si quis peccauerit, aduocatum habemus ad patrem, IESVM Christum

Christum iustum: ipse est exoratio pro peccatis nostris.

Ioannes Cassianus inquit: Isaac abbas facit quatuor species orationis, obsecrationē uidelicet, orationem, postulationem, & gratiarum actionem, secundum Paulum: collatione nona, cap. 9. Item: Obsecratio est imploratio seu petitio pro peccatis, qua uel p̄ præsentib. uel pro præteritis admissis suis unusquisq; compunctus ueniam deprecatur. collatione nona, cap. 11. Itē: Orationes sunt, quibus aliud aliquid offerimus seu uouemus Deo, quod Græcè dicitur εὐχή, id est uotorum. ibidem cap. 12. Postulationes sunt, quas pro alijs quoq;, dum sumus in feruore spiritus cōstituti, solemus emittere, uel pro charis scilicet nostris, uel pro totius mundi pace poscentes, & (ut ipsius Apostoli uerbis eloquar) cum pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt supplicamus. ibidem capite decimotertio. Item: Gratiarum actiones sunt, quas mens, uel cum præterita Dei recolit beneficia, uel cum præsentia contemplatur, seu cum in futurum quæ & quanta præparauerit Deus his qui diligunt eum prospicit, per ineffabiles excessus Deo refert. ibidem capite decimoquarto.

Quis preces exuscitet, Theodulus monet, inquiens: In oratione spiritus ope carere non possumus. Admodum enim inutilia, nonnunquam citra spiritus paracleti gubernationem peteremus. in octauum caput ad Romanos. Item: In ignorantia precum à spiritu iuuamur, ut & mala in bona nobis commutet. ibidem.

Quis sit inuocandus, docet Leo: Illa uirtus, inquit, illa sapientia, illa est colenda maiestas, quæ uniuersitatem mundi creauit ex nihilo. Sermone secundo in solennitate natiuitatis. Et paulo pòst: Adoretur Deus qui condidit, non creatura quæ seruit. Theodoretus ait: Vnum quidē filium Dei & scio & adoro, Dominum IESVM Christum, diuinitatis autem & humanitatis didici differētiam. Dialogo secundo. Item: Nos nihil eorum quæ oculis cerni possunt, Deum esse asserimus. Illis item hominibus qui uirtute aliqua clariores fuerint, debitos optimis uiris honores præmiaq; deferimus: solum uerò adoramus uniuersorum Deum ac patrē, nec minus & illius uerbum, ac sanctissimū spiritum. Eundem uerò & filium unigenitū, & uerbum, & lucem, & ueritatem, uitamque uocamus. Sanctum item spiritum Dominū dicimus, & uiuificantem. libro secundo De principijs. Item: Adorationem, quæ Deo soli debetur, Deo & angelis ex æquo non partimur: sed hos quidem pluris esse hominibus faciendos putamus; at conseruos tamen opinamur. libro tertio de Dijs & angelis.

Sedulius inquit libro primo:

Omnipotens, æterne Deus, spes unica mundi,
Qui cœli fabricator ades, qui conditor orbis,
Qui maris undisonas fluctu surgente procellas
Mergere uicinæ prohibes confinia terræ.
Qui solem radijs & lunam cornibus imples,
Inq; diem ac noctem lumen metiris utrumq;,
Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus,
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti:
Qui diuersa nouam formasti in corpore terram,
Torpentiq; solo uiuentia membra dedisti,
Qui pereuntem hominem uetiti dulcedine pomi
Instauras meliore cibo, potuq; sacrari, &c. Item:
Christe faue uotis, qui mundum in morte iacentem
Viuificare uolens, quondam terrena petisti
Cœlitus, humanam dignatus sumere formam. Item: Adorare alium præter Patrem & Filium & Spiritum sanctum, impietatis crimen est. in primum caput ad Romanos.

¶ Vnde sit oratio, docet Prosper, inquiēs: Oratio corporis Christi non separatur à capite, quod in suscepta membrorum naturā manet, & orare totam Ecclesiam facit, dicēte Domino: Clamauī ad te nō alta uoce, sed forti fide. in expositione Psalmi 140.

Vnicum tantum esse Mediatorem, qui in precibus sit appellandus, docet Augustinus contra epistolam Parmeniani libro secūdo, cap. octauo: Nam si esset mediator Paulus, essent utiq; & cæteri coapostoli eius: ac sic multi mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio qua dixerat: Vnus enim Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, in quo & nos unum sumus, si seruemus unitatem spiritus in uinculo pacis.

De rebus inquit Victor: Mulier orthodoxa pergens cum cæteris in exilium, ducens etiam paruulum, petit pro se & paruulo cāri, dicens: Benedicite benedicite, & orate pro me & pro isto nepote paruulo meo. in Vandalica historia. Theodulus ait: Cum ignoraret uulgus quæ sint commoda, sæpe inutilia petebat. Acceperunt itaq; charismata quidem orationis, ut adeò pro populo ad Dominum preces funderēt, quod & ipsum spiritus dicebatur. Dicit igitur, quòd donū & gratia orationis apud Deum pro nobis intercedit uehementissimis gemitibus. in octauum caput ad Romanos. Marcus heremita inquit: Qui pro hominibus iniuriam inferentibus precatur, maledicit dæmonibus. De lege spirituali. Et: Satius est orare pro proximo, quàm eundem in omni opere redarguere. Et: Qui omnium malorum impetum & impressionem excludere uoluerit, debet precationibus Deo commendare negocia sua. Si quando puræ precationis locum tutum inueneris, rerum cognitionem

gnitionem quam tibi inimicus ſuggerit, in tempore caue ſuſcipias, ne id quod maius eſt amittas. Præſtabilius enim eſt, precationum iaculis iaculari ipſum in loco concluſo, quàm conuerſationem cum illo habere exuuiam afferente, & nos à precandi ſedulitate, quæ aduerſus illum ſit, abſtrahere moliente. Marcus heremita.

Quid potiſsimùm orandum, monet Auguſtinus libro ſecundo de ordine, capite uigeſimo: Oremus ergo, non ut nobis diuitiæ uel honores, uel huiuſcemodi res fluxæ atq; nutantes, & quouis reſiſtente tranſeuntes, ſed ut ea proueniant quæ nos bonos faciant, ac beatos.

Quomodo orandum ſit, ita docet Chryſoſtomus Homilia duodecima ſuper Matthæum: Non igitur geſtibus corporis, neque clamoribus uocis, ſed intentione optimæ uoluntatis orationum uota reddamus: non cum ſonitu oris ac ſtrepitu, non ad tam importunam oſtentationem noſtri, atq; iactantiam proximos nobis clamore appellemus: ſed cum omni modeſtia & contritione mētis, lachrymisq; ſecretis. Item ibidem: De imo prorſus corde uocentur hæc, & proprij pectoris contentus arcano, orationem tuam fac eſſe myſterium. Ibidem: Super hæc uerò uidetur mihi longas orationes uetare: longas uerò dico, non tempore, ſed multitudine & prolixitate uerborum. Perſeuerare quippe oportet, quæ ſunt utilia poſcentes. Item capite 5. Matthæi, Homilia octaua: Dominus enim non ſimulatam ac iactantem, ſed ſimplicem orationem, ac fidelem requirit. Et ideo clauſo oſtio, id eſt, intra cordis & conſcientiæ ipſius ſecretum à Domino iubemur orare, ut ab eo qui ſecretorum & occultorum eſt cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedem. Religioſæ enim mentis eſt, Deum non uoce uel ſono uocis, ſed deuotiōe animi ac fide cordis orare. Et paulo pòſt: Et ideo clamore uocis non eſt opus in oratione ad Deū, quē ſcimus ſecreta cordis intueri: ſed clamore fidei, ac religioſę mentis deuotione. Præclarè inquit Chryſoſtomus: Nulla eſt orationis utilitas, quālibet in longū extendatur, quando is qui orat obſtinatè acquieſcit peccatis. in 1. caput Eſaiæ. Cyrillus inquit: Orandum igitur eſt in nomine Saluatoris, ſi exaudiri à patre uolumus. Et hic orādi modus priſcis ignotus fuit, modus autem à Chriſto conſtituitur. lib. 11. cap. 7. in Ioannem.

Fide orandum, Auguſtinus tradit de uerbis Domini ſecundum Lucam Sermone 36: Veruntamen cum uenerit filius hominis, putas inueniet fidem in terris? Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, qui non credit? Vnde & beatus Apoſtolus, cum ad orādum exhortaretur, ait: Omnis qui cunq; inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Et ut oſtenderet fidē eſſe fontē orationis, nec poſſe ire riuū, ubi caput aquæ ſiccaretur, adiunxit atq; ait: Quomodo aūt inuocabunt, in quē nō crediderunt? Ergo ut oremus, credamus: & ut ipſa nō deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fuſa oratio fidei impetrat firmitatem. Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quid eſt in tentationem intrare, niſi à fide exire? In tātum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit: & in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit. Item Proſper ait: Oratio quæ nō fit per Chriſtum, non ſolùm non poteſt delere peccatū, ſed etiam ipſa fit ad peccatum. in expoſitione Pſalmi 108.

Paulinus in 10. natali Felicis ait:

Chriſte apud æternum placabilis aſſere patrem,
Saluator, Deus ac Dominus, mens, gloria, uerbum,
Filius & uero uerum de lumine lumen,
Aeterno cum patre manens, in ſecula regnans,
Conſona quem celebrat modulato carmine plebes,
Et reſponſuris ferit aera uocibus Amen.

Certitudinem in orādo debere eminere, docet Saluianus: Nulla eſt enim nobis ratio precandi, ſi ſpes tollitur impetrandi. in lib. 1. de prouidentia Dei.

Marcus heremita inquit: Qui cordatè orat, ſuffert ea quæ illi obijciuntur: cæterùm qui acceptarum iniuriarum memor eſt, nondum purè precatus eſt. Marcus heremita de lege ſpirituali. Item: Conſtantem in omni re precationem obtine, quaſi nihil citra orem poſsis effectum reddere. Item: Oportet nos quærere, & precando perſeuerantes pulſare, ut aut hic aut in exitu aperiat nobis paterfamiliās: & non dicat, Neſcio unde uos eſtis. Non autem ſolùm debemus petere & accipere, ſed etiam quod datum eſt ſeruare.

Oratio Auguſtini ad Trinitatem extat in libro Meditationum, cap. trigeſimoprimo: Te, inquit, inuoco beata & benedicta, & gloriosa una Trinitas, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, Deus, Dominus, paracletus, charitas, gratia, communicatio, genitor, genitus, regenerans, uerum lumen ex lumine uero, uera illuminatio, fons, flumē, irrigatio, abuno omnia, per unum omnia, in uno omnia, à quo, per quem, in quo omnia, uiuens uita, uita à uiuente, uiuentium uiuificator, unus à ſe, unus ab uno, unus ab ambobus, omnis à ſe, omnis ab altero, omnis ab utroque, uerax pater, ueritas filius, ueritas ſpiritus ſanctus. Vnà ergo pater logos, paracletus, eſſentia, una uirtus, una bonitas, una beatitudo, à quo, & per quem, & in quo beata

beata sunt omnia quæcũq; beata sunt, Amẽ.

Thalasius hanc formam habet Hecatontade tertia: Domine omnium Christe, libera nos ex omnibus perniciosis affectibus,& ex cogitationibus quæ ex ipsis oriuntur. Propter te facti sumus,ut in te delectemur,positi in paradiso à te plantato. Itraximus, quia prætulimus beatis illis delicijs has pernicioſas. Quare dignam in nobis mercedem accepimus,æterna uita commutata pro morte. Eis ergo Domine sicut respexisti,ita in finem usque respicias: & sicut homo factus es,ita salua nos omnes. Veni enim ut saluos nos faceres, quia perditi eramus,ne separes nos à parte saluando-rum. Resuscita animas, & salua corpora, purificans nos ab omni inquinamẽto. Rumpe uincula affectionum nos detinentium, qui rupisti phalanges immundorum dæmonum. Et libera nos à tyrannide ipsorum, ut tibi æterno lumini seruiamus soli:ut cum ex mortuis resurrexerimus, cum angelis beatam & æternam & indissolubilem choream tripudiemus.

Sedulius ait:Paulus agit Deo gratias per Christum,uelut pontificem magnum.oportet enim scire eum qui uult offerre sacrificium Deo,quòd per manus pontificis debet offerre.in primum caput ad Rom.

Maximus ait: Ergo cũ diluculo surgimus, debemus,priusquam procedamus è cubiculo,gratias agere Saluatori: & ante omnes actus seculi, actus habere pietatis: qui nos quiescentes custodiuit, & dormentes in lectulis. Quis enim,nisi Deus,dormientem custodiuit hominem ? qui ita resolutus in somnum,& oblitus sui uigoris humani, à se alienus efficitur, ut nesciat quid ipse sit, ubi'nam demoretur,adesse sibi certè ipse nõ posit.in Homilia de diuersis.

Quòd non sit precandum aliquid contra Deum, Cyrillus monet: Qui mala, inquit, petunt,nihil impetrant. Non est tamen par, ut qui manet in Christo, & mãdata eius seruat,is quicquã petat quod Deo nõ placeat. lib.10.in 18 caput Iohannis.

Christianos pro se inuicem orare, Augustinus docet contra epistolam Parmeniani libro secundo, capite octauo. Homines omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat,sed ipse pro omnibus, hic unus uerusq; Mediator est.

Quibus gestibus orandum, Augustinus indicat ad Simplicianum libro secundo, quæstione quarta: Quibus admonemur exemplis, non esse scriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut & scriptum est: Publicanus autem de longinquo stabat. Et fixis genibus, sicut in Actibus apostolorum legimus. Et sedentes,sicut ecce Dauid & Elias. Nisi autem etiam iacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Cum enim quisque orationem quærit,collocat membra sicut ei occurrerit, accommodata pro tempore positi corporis ad mouendum animum. Cum autem non quæritur,sed infertur appetit9 orãdi, cum aliquid repentè uenit in mentem, quo suppli candi moueatur affectus gemitibus inenarbilibus, quocunq; modo inuenerit hominẽ, non est utiq; differẽda oratio, ut quæramus quò sedeamus,aut ubi stemus, aut ubi prosternamur.Gignit enim sibi mentis intentio solicitudinem,& sæpe etiam obliuiscitur se uel ad quam cœli partem, uel in qua positione corporis membra illud tẽpus inuenerit.

Maximus inquit:Ipsius incessus hominis cum manus leuauerit,crucem pingit, atq; ideo eleuatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoq; membrorũ gestu passionẽ Domini fateamur.in Homilia de cruce & sepultura Domini.

¶ Preces non sunt alligatæ loco. Augustinus de uera innocentia, capite 313: Quid supplicaturus Deo, locum aptum & sanctum requiris?Interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate repulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in tẽplo orare,in te ora,& ita age semper, ut Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat. Item, in Euangelium Iohannis tractatu 10:Munda tantũ cubiculum cordis, ubi fueris,ubicunq; oraueris: intus est qui exaudit, intus in secreto, quem sinum uocat,cum ait:Et oratio mea in sinu meo conuertetur. Qui te exaudit,non est præter te. Non longè uadas,nec te extollas, ut quasi attingas ad illum manibus. Magis si te extuleris,cades: si te humiliaueris, ipse appropinquabit.

Prosper inquit: Non est locus adorandi,nisi in Ecclesia catholica. in expositione Psalmi 131.

¶ De sermone in orando, inquit Augustinus de magistro,capite 1: Quare non opus est locutione cũ oramus,id est sonantib.uerbis:nisi fortè sicut sacerdotes faciũt, significãdæ mẽtis suæ causa,nõ ut Deus,sed ut homines audiãt,& cõsensione quadã per commemorationem suspendantur in Deum. Ibidem: Summus magister cum orare doceret discipulos, uerba quædam docuit: in quo nihil aliud uidetur feciſſe, quàm docuisse quomodo in orando loqui oporteret.

Præcipuè tamen corde orãdũ, docet Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in monte: Vos aũt cum oratis, inquit, introite in cubicula ueſtra. Quæ ſunt iſta cubicula, niſi ipſa corda, quæ in Pſalmo etiã ſignificãtur, cũ dicitur: Quę dicitis in cordibus ueſtris, & in cubilibus ueſtris compungimini? Et claudẽtes oſtia, orate (ait) patrem ueſtrum in abſconſo. Orantes aũt (ait) nolite multum loqui, ſicut ethnici faciunt. arbitrantur enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. In Pſalmũ 32: Inquiſiui Dominum, & exaudiuit me. Vbi exaudiuit Dominus? intus. Vbi dat? intus. ubi oras, ibi exaudiris, ibi beatificaris. Oraſti intus, exauditus es, beatificatus es: & non ſcit qui iuxta te ſtat. Geſtũ eſt à te totum in occulto, ſicut Dominus in Euãgelio dicit: Intra in cubiculũ tuum, & claude oſtium tuum, & ora in occulto: & pater tuus qui uidet in occulto, reddet tibi. Cum ergo intras in cubiculum, intras cor tuum. Si ergo loci uiſibilis te delectat mundicia, quare te nõ offendit immundicia cordis tui? intra, munda omnia, leua oculos tuos ad Deum, & ſtatim te exaudiet. Item in Pſalmum 137: Cõfitebor tibi in toto corde meo, quoniam audiſti uerba oris mei. Cuius oris mei, niſi cordis mei? Ibi enim habemus uocem, quam Deus exaudit, quam prorſus auris humana non nouit.

¶ Sanctos non eſſe inuocandos, præclara ſententia docet Cyrillus libro 6. contra Iulianum: Sanctos martyres neq; deos eſſe dicimus, neq; adorare conſueuimus: laudam⁹ aũt eos potius ſummis honoribus, quòd ꝑ ueritate ſtrenuè certarunt, & fidei ſinceritatem ſeruarunt, ita ut & ſuam animam contẽpſerint, & mortis terroribus ualedicentes prævaluerint in ſummis periculis: tantæq; fuerint fortitũdinis, quaſi ſtatuas ſibi ſuę uitę excitaturi. Proinde nõ eſt indignũ, imò etiam neceſſariũ, eos qui tam claris operibus glorioſi ſunt, perpetuis honorari laudibus.

Theodulus ait: Sermonem ab oratione auſpicari, ſicque deſinere ac finire oratione cõuenit, ac uoto. Hoc enim fundamentum, hunc item terminum ſemper facere, diuo Paulo & gratũ & conſuetum eſt. in 16. Rom.

Marcus heremita inquit: Precatione fuganda eſt tentatio. Quæcunq; extra precationem aut loquimur aut facimus, poſtea periculoſa aut damnoſa exiſtunt, ac nos ab omni cognitione rerum alienos eſſe arguũt. Item: Qui urgentur affectibus, his orandum eſt. Qui cum ſubiectione & precatione aduerſus uoluntatem luctatur, hic athleta ualde promptus eſt.

¶ De effectu orationis ſic ſcribit Auguſtinus, Sermone 226 de tempore: Oratio iuſti, clauis eſt cœli. Aſcendit precatio, & deſcendet Dei miſeratio. Licet alta ſit terra, altum cœlum: audit tamẽ Deus hominis linguam, ſi mundam habeat conſcientiam, cum ſenſibus loquitur, ſi ſit ſolus noſter gemitus.

Leo inquit: Grata eſt Deo, & terribilis diabolo, ieiunantis oratio: nec latet, quantum acquirit ſuæ ſaluti, cum tantum præſtat alienæ. Sermone 2. de ieiunio ſeptimi menſis.

Theodoretus ait: Sufficit Deo rationabilis congruaq; oratio, ſuper omnes greges ouium & caprarum, ſupraq; omnia boum armenta: eamque libenter accipiens rependit offerentibus quæ conueniant. opem enim ſuam indigẽtibus porrigit, eosq; opportuna ultione defendit, ab eorum manibus uindicatos, qui eis detrimenta inferre conabantur. libro 7. de Sacrificijs.

Iſychius comparat orationem efficaciæ thuris: Sicut thus interiores paſsiones, ocurorũq; ægritudinis curat uulnera, & ſi quis incẽdens fumũ eius ſuſcipiat, reſtringit accedentes ex infirmitate lachrimas: ita oratio quoq; plurima operatur. Hęc quippe maximè animæ paſsiones ſanat, hæc etiã intelligibiliũ oculorũ curat uulnera, abſoluens ab ignorãtia, atq; ex ea quæ uerè eſt ægritudo, id eſt ex peccato lachrimas accedentes ſaluat. Infirmatur enim quis in uobis (ait Iacobus capite 5.) conuocet presbyteros, &c.

Iſychius in 2. Leuitici.

Sedulius ait: Multũ ualet oratio Eccleſię, quæ etiam Petrum de carcere liberauit. in 1. caput 2. ad Corinthios. Itẽ: Oratio iugis, infirmitas hoſtis. in homilia diui Chryſoſt.

Eucherius inquit: In terris homo loquitur, & imperio eius cœleſtes obediunt potẽtates. lib. 4. Cõmentariorum in lib. Regũ.

Conſolationẽ de exauditione Saluianus tradit inquiens: Sẽper ad audiẽdas Sanctorũ preces paratæ Domini noſtri aures, ſemper attentæ ſunt. lib. 2. de prouidentia Dei.

DE GRATIARVM ACTIONE.

DE gratiarum actione in hunc modum Chryſoſt. diſſerit, homilia 26. ſuper Matthęũ: Siquidẽ gratiarum actio illi quidẽ nihil omnino addit, nos aũt magis illi familiares facit. Nos enim hominũ beneficia recordãtes, uehementius eorũ amore ſuccẽdimur: multo magis beneficiorũ in nos Dei memores, ſtudioſiores erimus ad ipſius mãdata ſeruãda. Idcirco Apoſtol⁹ dixit: Et gratiæ eſtote. optima quippe beneficiorũ cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorũ, & ꝑpetua gratiarũ cõfeſsio. ꝓpterea & reuerẽda ac ſalutaria illa myſteria, quæ in omni certè Eccleſię cõgregatiõe celebramus, Euchariſtia, id eſt gratiarũ actio nũcupatur. Sunt enim beneficiorũ recordatio plurimorũ, caputq; ipſum diuinæ erga nos charitatis oſtendunt, nosque faciũt debitas Deo gratias ſemper exoluere.

DE

DE POENITENTIA.

FAdemum est pœnitentia, inquit Chrysostomus, ne amplius peccemus. Nam qui ad peccata reuertitur, similis est cani ad uomitum redeunti. in quartum caput Ioannis, homilia trigesimatertia. Augustinus ad Seleucianum epistola centesimaoctaua: Est enim pœnitētia, bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti uolumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo: sed illa utique, quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra subrepūt. Item, de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 54: Pœnitentia uera est, pœnitenda non admittere, & admissa deflere. Item, Quæstionū ueteris & noui Testamenti ducentesimasecunda: Quid est pœnitere, nisi dolere prætrita, & decæterò temperare ab his quæ admiserat?

Mutila definitio est. Perfecta definitio pœnitentiæ est, ut peccata pro quibus pœnitudinem gerimus, uel quibus nostra conscientia remordetur, nequaquam ulterius admittamus. Iudicium uerò satisfactionis & indulgentiæ est, affectus quoq; eorum de nostris cordibus expulisse. Ioannes Cassianus Collatione 20. cap. 5.

Quotuplex pœnitentia sit, Augustinus docet, de pœnitentiæ medicina capite secūdo: Tres sunt actiones pœnitentiæ, quas me cum uestra eruditio recognoscit. Sunt enim usitatæ in Ecclesia, & diligenter attendentibus notæ. Vna est, quæ nouum hominē per baptismum parturit, donec salutaris omniū præteritorum peccatorū fiat ablutio, ut tanquam nato puero dolores transeant, quib. uiscera urgebantur ad partum, & tristiciam lætitia consequatur. Omnis enim qui iam uoluntatis suæ factus est arbiter, quū ad Sacramenta accedit fideliū, nisi eum pœniteat ueteris uitæ, nouam non potest inchoare. Altera uerò pœnitētia est, cuius actio per totam istam uitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est. Primò, quia uitam æternā, incorruptibilem, immortalemq; nullus desiderat, nisi eum huius uitę tēporalis corruptibilis, mortalisq; pœniteat. Tertia actio pœnitentiæ est, quæ pro illis peccatis subeūda est quæ legis Decalogus continet, de quib. Apostolus dixit: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. In hac ergo pœnitentia, maiorem in se quisque seueritatem debet exercere: ut à seipso iudicatus, non iudicetur à Domino, sicut ipse Apostolus ait: Si enim nosmetipsos iudicaremus, non utiq; iudicaremur. Cyrillus: Duplex est coinquinatio, corporis & animæ. Consectaneum igitur opinor, & ualde meritò, ut hi qui se polluere soliti sunt, pari studio & certamine abstergere se contendant. libro Dialogorum, de oratione in Spiritu.

Vnde sit pœnitētia, docet Augustinus ad Valentinum epistola 46: Omne datum optimum, & omne donū perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Nec quisquam dicat, meritis orationum suarum, uel meritis fidei suæ traditam Dei gratiam: & putetur uerum esse quod illi hæretici dicūt, gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod omninò falsissimū est, non quia nullum est meritū, uel bonum piorum, uel malum impiorum: alioqui quomodo iudicabit Deus mundum? Sed gratia & misericordia Dei cōuertit hominem, de qua Psalmus dicit: Deus meus, misericordia eius præueniet me, ut iustificetur impius: hoc est, ex impio fiat iustus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit, quādo iudicabitur mundus. Item ad decimumquintum articulum sibi falsò impositū: Qui captiuitatē suam gemunt, & iudicātes semetipsos ad misericordiā Domini mutato corde confugiunt, non sine spiritu diuinæ uisitationis hoc faciunt. Hæc est enim mutatio dexteræ Excelsi, qui innumeris lapsis pœnitentiam dat, ut resipiscāt à laqueis diaboli, à quo captiui detinebantur ad ipsius uoluntatem. Nemini autem Deus correctionis ademit uiam, nec quenquā boni possibilitate despoliat: quia qui se à Deo auertit, ipse & uelle q, bonum est, & posse sibi sustulit. Nō est ergo consequens, sicut putant qui talia obijciunt, ut Deus, quibus pœnitentiam nō dederit, resipiscentiam abstulerit: & quos nō leuauerit, alliserit. quum aliud sit insontem crimen egisse, quod alienum est à Deo: aliud criminoso ueniam non dedisse, quod de peccatoris est merito. Itē, contra Cresconium libro secundo, capite nono: Hæc conuersio uoluntatis repentè mutauit non solùm in telonio peccatorem, uerumetiam in cruce latronem. De fide ad Petrum cap. 31. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, neminē hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sua miseratione conuerterit. Apostolus enim dicit: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, ad cognoscendam ueritatem, ut resipiscant à diaboli laqueis. In Enchiridio ad Laurentium capite 82: Vnde non solùm quum agitur pœnitentia, uerumetiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. Alioqui non diceret Apostolus de quibusdam: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam. Et ut Petrus amarè fleret, præmisit Euangelista, & ait: Respexit eum Dominus. Itē, Sermone

septimo

septimo de tempore : Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. Libro tertio Hypognosticon cõtra Pelagianos 50. Pœnitentia ergo res est optima & perfecta, quæ defectos reuocat ad perfectũ. Sed omne datum optimũ (Iacobus inquit apostolus) & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminũ, apud quem non est cõmutatio, nec momenti obumbratio. Oportet ea orare pœnitentem, quæ ad eius emundationem expediunt.

Prosper ait: Sicut enim uult ut homo nõ peccet: ita uult peccanti parcere, ut reuertatur & uiuat, ita etiam uult in peccatis perseuerantem punire, &c. in expositione Psalmi 110. Item: Conuersio nostra ad Deum nõ ex nobis, sed ex Deo est. in epistola ad Ruffinum, de libero arbitrio.

Isychius inquit: Solius Dei est ignoscere, etiam ea quorum impossibilis uidetur remissio. in quintum caput Leuitici. Item: Christus nobis propitiatio factus, ergo in ipso omne pœnitentię sacrificium ministratur & agitur: & omne quod ex pœnitentia quis cõsequitur, ad eum refertur. Ipsius est enim pœnitentia, & propter hanc, ut nos saluaret, aduenit. quod manifestum est ex eo quòd dixit: Non ueni uocare iustos, &c. libro secundo Comment. in septimũ caput Leuit.

Eucherius ait: Quia manu fortis Domini abiecta mundi non despicit, & plerunq; eos qui mundum sequi ualẽt, quasi in uia remaneãt, ad amoris sui gratiam conuertit, eisq; uerbi sui cibum porrigit, & quasi duces sibi in uia dirigit, dum suos etiam prædicatores facit. in Comment. in libros Regum, libro primo. Et: Redemptor noster piè nos respiciens, cor peccatoris humiliat, & ei quam amiserat intelligentiam reformat. libro 4. Commentariorum in libros Regum.

¶ De contritione ait Chrysostomus: Magnum bonum est, ut quis peccata sua agnoscat, & memoriam eorum perseueranter retineat. in duodecimum cap. ad Hebræos.

Isychius inquit: Non aliter pœnitentiam quis agere potest, nisi agnoscat peccatum suum. in quartum caput Leuitici.

Eucherius ait: Spiritus Domini euertit mentes, & conterit petras, quia pauor qui ex aduentu eius ingruit, & altitudinem cordis nostri deijcit, & duriciam liquefacit. in Comment. in libros Regum, libro 4. Itẽ: Confessioni amaritudo misceatur, ut uera pœnitentia præsignetur. Hæc pœnitentia fœcundatur, Ecclesia in omnibus gentibus constituta. libro tertio in Genesin. Et: Si quando uerò contra eos uel in minimis lingua labitur, necesse est ut per afflictionẽ pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat: & cum præpositæ potestati deliquerit, eius contra se iudicium à quo sibi prælatus est perhorrescat. in Comment. in libros Regum, libro primo. Ioãnes Cassianus ait: Dum ergo agimus pœnitentiam, & adhuc uicioſorum actuum recordatione mordemur, necessarium est ut ignem cõscientiæ nostræ, obortus ex confessione culpę lachrimarũ imber extinguat. Et sic certum est, ipsum ad satisfactionis finem atque indulgentię merita peruenisse, & ab uniuersorum criminum labe purgatum. Collatione uigesima, capite sexto.

¶ De fide quę debet in pœnitentia lucere, ait Augustinus de uera & falsa pœnitentia capite secundo: Si fides fundamentum est pœnitentiæ, præter quam nihil est quod bonum sit, appetenda est pœnitentia, quã constat in fide esse fundatam. Non enim potest arbor bona fructus malos facere. Pœnitentia itaq; quæ ex fide non procedit, utilis nõ est. Oportet autem credi, remedium pœnitentiæ à Saluatore concedi.

Chrysostomus formam pœnitentiæ describens, non facit mentionem fidei in Christum, sed opera humilitatis præcipuè urget: quæ res docet, eum non integrè hunc articulum tradidisse. Sic enim scribit: Quale ergo est istud medicamentũ pœnitentiæ, & qualiter conficitur? Primò, condẽnando & cõfitendo propria peccata, iuxta dictũ: Iniquitatem meã nõ celaui. itẽ: Pronunciabo aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu abstulisti impietatem cordis mei. item: Dic iniquitates tuas prius, ut iustificeris. item: Iustus seipsum accusat in initio sermonis. Secundò autem, ex humilitate multa. Habet enim illa instar cathenæ aureæ, quę si initiũ sumpserit, omnia cõsequentur. Si enim confessus fueris peccatum tuum, sicut oportet confiteri, humiliatur anima. Conscientia quippe eam conuertens, humilem facit. Oportet autem & alia addere humilitati, sitalis erit, qualem beatus Dauid habebat, dicens: Cor contritum & humiliatum, &c. Quod enim contritum est, non erigitur, nõ percutit, sed ad mala patienda paratum est, ipsum uerò nõ erigitur. Talis est contritio cordis, siue enim iniurietur, siue patiatur, silet, & non impellit ad uindictam. Post humilitatem autem oratione intenta opus est, lachrimis multis per diem & noctẽ: post orationem autem sic intentã, opus est eleemosyna multa. Medicamẽtum enim ualidum, quod maximè operetur ad pœnitentiã, hoc est. Deinde opus est non irasci, neq; iniuriæ memoriam tenere, omnibus dimittere peccata, &c. Opus est etiam conuertere fratres ab errore: & ut circa sacerdotes germanè se quis habeat. Ad hæc, oportet opem ferre iniusticiã patienti, nõ habere furorem, omnia mansue-

manſuetè portare. in 6. cap. ad Hebræ. Sic prorſus impiè loquitur, non facta mentione ſanguinis aut meriti Chriſti, in dictum, Mulier alligata eſt legi: 1. Corinth. 7. Talē quære purificationem, quæ illius maculam ablere poterit. Quod autem eſt illius maculæ balneum? Calidi lachrimarum fontes, gemitus è profundo cordis aſcendentes, compunctio perpetua, preces continuę, eleemoſynę & eleemoſynę largę, nō ultra hęc opera attentare, cōdemnareq; factū. Ita peccati natura abluitur, ita expurgatur animæ macula.

Quæ fiant in nobis in conuerſione, ſic effert Auguſtinus ad Paulinum epiſtola 106: Tria uerò reliqua in nobis fiunt, uocatio, iuſtificatio, & glorificatio. Vocamur, prædicatione pœnitentiæ. ſic enim cœpit Dominus euangelizare: Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum. Iuſtificamur in uocatione miſericordię, & timore iudicij. Hinc eſt quod dicitur: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in uirtute tua iudica me. non timet iudicari, qui impetrauerit antè ſalnitentiam, ne ſub iugo eius remaneamus. uari. Vocati renunciamus diabolo per pœ- Iuſtificati ſanamur per miſericordiam, ne iudicium timeamus. Glorificati tranſimus in uitam æternā, ubi Deū ſine fine laudamus.

¶ Lapſos poſt baptiſmum accipi agentes pœnitentiam, Chryſoſtomus ſæpe docet: Deus, inquit, per regenerationis lauacrū nos ab omnibus peccatis noſtris abſoluit, iuſticiam & ſanctificationē largitur. Qui uerò à cunabilis, diuinis myſterijs initiatus, dein- de in multa peccata lapſus eſt, is profectò maioris reus eſt ſupplicij. ex ipſis enim peccatis poſt myſteriorum initiationem longè grauius affligimur. Veruntamen etiam huic pœnitentiæ portas aperuit Deus, & multas abluendi peccati uias præbuit. Conſidera quęſo, quanta hęc ſint benignitatis exempla, ut poſt lapſum à gratia peccanti & reo non ſupplicium, ſed emendationis ſpaciū diuina largiatur clemētia. homilia 27 in 3. cap. Ioānis. Iē: Qui poſt baptiſma redierit in peccatū, ſi pœnituerit, Dei bēnignitatē experietur. Item: Quemadmodū hi qui poſt baptiſmum delinquunt, ob id grauius puniuntur, quàm catechumeni: ita qui ſciunt eſſe pœnitentiæ remedium, nec eo uolūt uti, grauiora ſluent ſupplicia. homilia prima in Acta apoſtolorum. Et homilia 87 ſuper Matthæum inquit: Non enim tantos peccatum, quantos deſperatio perdit. Nam qui deliquit, ſi ſeipſum per pœnitentiam excitabit, citò delicti remiſsionem impetrabit: qui autē pœnitentiam ſpernit, idcirco ueniam impetrare non poteſt, quoniam medicinam pœnitētiæ non imponit. Et in homilia 68 ſuper Matthæum, prolixè commemorat exemplum cuiuſdam celeberrimæ meretricis, quæ pœnitentiam egerit, & ſaluata ſit. Auguſtinus ad Seleucianum epiſtola centeſima octaua: Agunt homines ante Baptiſmum pœnitentiam de ſuis prioribus peccatis, ita tamen ut etiam baptizentur, ſicut ſcriptum eſt in Actibus apoſtolorum: Loquente Petro ad Iudæos, & dicente, Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque ueſtrūm in nomine Domini IESV Chriſti, & dimittentur uobis peccata ueſtra. Agunt etiā homines pœnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccauerint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur: ſicut agunt in omnibus Eccleſijs illi qui propriè Pœnitentes appellantur. De tali enim pœnitentia loquutus eſt apoſtolus Paulus, ubi ait: Ne iterum quum uenero, humiliet me Deus apud uos. De uera & falſa pœnitentia capite 5: Scimus autem & primos patres, & in omni tempore Eccleſiam Dei ſemper uſq; in ſeptuagieſsepties, quod eſt ſemper, peccata dimittere: quam poteſtatem Nouatiani ab Eccleſia Dei conantur auferre. Oportet enim ſic Eccleſiam credere, quæ confitetur ſe ſæpe peccare.

Marius Victor libro primo Commentariorum in Geneſin inquit:

——Sancta parentis
Deſperare uetat pietas, clementia cuius
Iuſticiam excedit.—— Item:
At uerò nulla eſt hominis tam dira nephandi
Culpa, Deus quam non animo clemente remittat,
Si modò pœniteat facti.——libro ſecundo Comment. ſuper Geneſin.

¶ Deum recipere agentes pœnitentiam, Auguſtinus docet Sermone 58. Quia longū eſt ire per ſingulos, iſti quatuor quos nominauimus, ſatis abundeq; ſufficiunt, ut agnoſcamus quòd Dominus noſter, qui & Dauid poſt tam graue peccatū indulſit, & Achab ſacrilego regi pepercit, & Manaſſen poſt innumerabilia peccata pœnitentiam agentem inter amicos ſuos reputauit, & meretrici quæ lachrymis pedes rigauerat, & capillis ſuis terſerat, totū indulſit: qui ergo iſtis tantis ac talibus peccatoribus ueniam dedit, paratus eſt & nobis, ſi in ueritate conuertimur, nō ſolùm peccata dimittere, ſed etiā æternā beatitudinem dare. De Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 80. Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiam ſi in ultimo uitæ ſpiritu admiſſorum pœniteat, & publica uel ſupplicij lamentatione peccata prodantur: quia propoſitum Dei, quo decreuit ſaluare quod perierat, ſtat immobile. & ideo quia uoluntas eius non mutatur, ſiue emendatione uitæ, ſi tempus conceditur: ſiue ſupplicij confeſsione, ſi continuò uita excediturr: uenia peccatorum fideliter præſumatur ab illo, qui non uult mortem peccatoris, ſed ut

sed ut conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus Domini miseratione uiuat. Si quis aliter de iustissima Dei pietate sentit, non Christianus, sed Nouatianus est.

Sic & Theodoret⁹ inquit: Diuina Scriptura non solùm iniquitates & peccata prohibet, sed etiam ijs medetur qui eorũ uulnera acceperunt. Nouati enim feritatem & belui nam crudelitatem abhorret, & accusat pastores qui non suarum ouium eam curam gesserũt. Et dicit ipse De⁹: O` pastores, quod infirmum fuit non confirmastis, & quod ægrum non curastis, & quod malè habebat nõ refecistis, & q, aberrabat nõ reduxistis, & quod perierat non requisistis. in Epitome diuinorum decretorum.

Idem Isychius docet, inquiens: Rectè pœnitentiam omnem Apostolicæ prædicationi tribuit. Quia omnis eius intentio hęc est, ut omnis homo pœnitens se corrigendo saluetur, ꝓpter quod & primã uocem illã Dominus prodidit in Euangelio doctoralem: Pœnitentiã agite. Qui etiã ad hoc se uenisse dixit. ait enim: Non ueni uocare, &c. lib. 1. Comment. in quartum caput Leuitici. Item: Non omnis qui à bestia capitur, iam omnimodò ab ea & occiditur. forsitan enim & postquam capitur, liberatur, sicut Petrus. Incidit enim in diaboli laqueos tempore negationis, sed resipiscens euasit. libro primo Comment. in quintum caput Leuitici. Et: Quicunque pœnitentiam sæpe præuaricans uiolabit, rursusque uult agere pœnitentiam, in spe Christi agat, qui inquisitus à Petro, Si peccauerit, &c. dixit: Non dico tibi, &c. Hic ergo sermo spem pœnitentiæ eis, quibus impossibilis uidetur, præbet. in 5. cap. Leuit. Item: Etiam ab uno horum, utpote sæpe eadem peccante, sæpeq; de eadem re pœnitente, atque nihilominus iterante peccatum, ea in quibus præuaricatus est, pœnitentiam rectè sacerdos dimittit & deprecatur. in quintum caput Leuitici.

Item Thalassius: Christus totius mundi saluator est, & pœnitentiam ijs qui eam acturi sunt, in salutem concessit. Hecaton. 2. Eucherius ait: Si qui à fide uel bonis operibus ad mendacia sua, desideriaque labuntur, non despicit illos Deus, sed adhuc ut redeãt ad pœnitentiã uocat: quia non uult mortem peccatoris, sed ut cõuertatur & uiuat. Ergo nõ est desperandum quibuslibet peccatoribus, dum & ipsi impij ad spem indulgentiæ prouocantur. libro primo in Genesin, capite uigesimo octauo. Et: Postquam fidelis quis pristinis initijs per pœnitentiæ satisfactionẽ sua mortificauerit membra, sublatus à terrenis cupiditatibus & carnalibus desiderijs, per meditationem legis ac prophetarum, Euangelica prædicatione uiuificari meruit, templumq; fuerit diuinum effectus. Illucintentionẽ animi contendit dirigere, ubi Christus est, ad patris dexteram sedens: & in carne adhuc habitans, conuersationem iam nititur habere in cœlis. in Commentario in libros Regum, libro quarto.

De non differenda pœnitentia, Chrysostomus inquit: Bona est pœnitentia, frater, si tarda non fuerit: & si fuerit sera, in opere uideatur esse perfecta. Facilius cognoscimus ueniam creatoris, quàm pœnitentiam peccatoris. Sermone secundo de resurrectione. Item, homilia decimanona in 4. cap. Geneseos: Pœnitentia priusquam pœna inferatur, tempus habet, & ineffabilem uim. Augustinus de fide ad Petrum, capite tertio: Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nõnunquam ita præueniuntur Dei furore, ut nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis inueniant. Ideo sacra Scriptura nos admonet, dicens: Ne tardaueris cõuerti ad Deum, & ne differas de die in diem: subitò enim ueniet ira eius, & in tempore uindictæ disperdet te.

Pœnitentiam non esse differendam, docet Theodulus, inquiens: Longanimis quidem est: ueruntamen si non conuertamur, ensem suum uibrabit. Propterea enim longanimis est, non uti longanimitate eius utaris ad occasionem maioris contemptus, uerùm ut pœnitentiæ interuallũ accipias: perseuerans itaq; in transgressione, tu indictam Dei experieris. Quando namq; neque bonitatẽ quispiam molitur, neq; indignationem formidat, quid hoc quæso durius? in 2. cap. ad Rom. Paulinus inquit in obitu Celsi:

Festinate precor, dum copia panditur istic,
Procurare bonis, præq; cauere malis.
Vertite peruersas conuerso pectore curas,
Monstrat flere fides utilibus lachrimis.
Peccato lugere iuuat, contractaq; cultis
Vulnera profusis fletibus abluere.
Qualibus ille suum stratum omni nocte rigabat,
Multa gemens Dauid, corde potens humili.

Nõ requiri satisfactionem pro peccatis in pœnitentia, Chrysostomus ait: Ego testificor & fideiubeo, fore ut si nostrũm quisque, qui peccatis obnoxij sumus, recedens à pristinis malis, ex animo uereq; promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem. de beato Philogonio. Item: Preciosus est, fratres charissimi, pœnitentiæ fructus: quia quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lachrimæ cõgeriem peccatorũ. Quàm preciosæ lachrimæ, quæ extergunt culpam, & exigunt ueniam? profuit illi (scilicet Petro) uerè ista amaritudo: quoniam quicquid in eo delicti tabidum fuit, ferramento pœnitentiæ

tentiæ resecuit. Sermone secundo de prodi-
tore & mysterijs cœnæ Dominicæ. Item:
Idcirco nec terreat tuorum conscientia pec-
catorum, cum pœnitentia deleantur. Tunc
enim grauius crimen peccatum est, cum in
peccato durat. homilia de Iona propheta.
Item: Pœnitentia est permolesta quidem, &
horroris plena peccatoribus. Est alioqui
medela delictorum & consumptio, præua-
ricatorum legis solutio, loquendi libertas
in conspectu Dei, aduersus diabolum arma-
tura simul & gladius, caput ipsius præsecãs,
salutis spes, euersio ignorantiæ. Ipsa homi-
ni cœlum adaperit, eadẽ ipsum in paradisum
introducit, euicto diabolo. in Hypomnema-
te in Esaiã. Item: Dixerit aliquis, licet ne
per pœnitentiam consequi salutem? pror-
sus, licet. Quum omnem uitam in peccatis
detriuerim, si me pœnituerit, fiam ne saluus?
Prorsus fies. Id unde liquet? Ab ipsa Do-
mini tui erga nos benignitate, nõ ex tua pœ
nitentia, mihi sumo fiduciam. Pœnitentia e-
nim tua non prœualet tantam abstergere ma
lorum eluuiem. Pœnitentia si sola fuerit, me
ritò tibi metuendum est. in Hypomnemate
in Esaiam. Item: Pœnitentia est, impacti
uulneris medela: fiduciam loquendi recu-
perat. Idem in proœmio priori Commenta-
riorũ in Esaiam. Item: Pœnitentia tam ua-
lida est, & efficax, ut peccatũ aduersus eam
nihil possit obtinere: neq; est ulla legis trans
gressio, quæ ipsius uirtutẽ expugnare que-
at. in proœmio priori Comment. in Esaiam.
Isychius ait: Pœnitentiæ finis & generalis
effectus peccatorum remissio est. in quartũ
caput Leuitici. Et: Omnis impietas per
mundã pœnitentiã mũdatur. libro quarto
Comment. in 13 caput Leuitici.

Vtrum Deus ad fidem cogat, sic explicat Augustinus, de correctione Donatistarum cap. 15. Vbi uerò est quod isti clamare con-
sueuerunt, Liberum est credere uel non cre-
dere? Cui uim Christus intulit? quẽ coegit?
Ecce habent Paulum apostolum. Agnoscãt
in eo prius cogentem Christum, & postea
docentem: prius ferientem, & postea con-
solantem. Mirum est autem, quomodo ille
qui pœna corporis ad Euangelium coactus
intrauit, plus illis omnibus, qui solo uerbo
reuocati sunt, in Euãgelio laborauit. Et quẽ
maior timor compulit ad charitatẽ, eius per
fecta charitas foràs misit timorẽ. Ibidem:
Cur ergo nõ cogeret Ecclesia perditos filios
ut redirent, si perditi filij coegerunt alios ut
perirent? Quãuis etiã illos quos non coege-
runt, sed tantummodò seduxerũt, si per ter-
ribiles, sed salubres leges in eius gremium
reuocẽtur, blandius pia mater amplectitur:
& de illis multo amplius, quàm de ijs quos
nunquam perdiderat, gratulatur. Ibidem
cap. 16. Sed à Christo coactum ostendimus
Paulum. Imitatur itaq; Ecclesia in istis cogẽ
dis Dominum suum, quę prius ut neminem
cogeret expectauit, ut de fide regũ atq; gen-
tium prædicatio prophetica cõpleretur. E-
tiam hinc enim non absurdè intelligitur A-
postolica sententia illa, ubi beatus Paulus di
cit: Parati ulcisci omnem inobedientiam,
cũ completa fuerit prior obedientia uestra.
Vnde & ipse Dominus ad magnam cœnam
suam prius adduci iubet conuiuas, postea
cogi. Nam cum ei serui respondissent, Do-
mine factum est quod iussisti, & adhuc est lo
cus: Exite, inquit, in uias & sepes, & quos-
cunq; inueneritis, cogite intrare.

IN GENERE DE SACRAMENTIS.

AVgustinus tantum duo sacramenta numerat. nam ad inquisitiones Ianua rij inquit, capite primo: Primò itaq; tenere uolo, quod est huius disputationis caput: Dominum nostrum IESVM Christum, sicut ipse in Euãgelio loquitur, leui iugo suo nos subdidisse, & sarcinæ leui. Vnde sacramentis numero pauciss imis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatẽ noui populi colligauit: sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, cõmunicatio corporis & sanguinis ipsi', & si quid aliud in Scripturis Canonicis cõmendatur: exceptis ijs quæ seruitutem populi ueteris, pro congruentia cordis illorum & propheti ci temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur. Item libro tertio de doctrina Christiana, cap. 9: Ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.

Sic & Eucherius: Ostia domus tẽpli sunt, doctores sancti, ac sacerdotes, qui instruendo, baptizando, Domini corporis & sanguinis mysteria communicando, prima nobis Ecclesiæ præsentis limina pandunt. in libros Regum, lib. 3.

DE BAPTISMO.

PAulinus uocat baptisteria locum refectio nis humanæ, his uerbis: Rectè enim in lo co refectionis humanæ Martinus pingitur. epistola duodecima ad Seuerum.

Baptismum his uerbis describit Chrysostomus in 6 cap. ad Hebræos: Baptisma ni-
hil aliud est, quàm interitus eius qui baptisa
tur, & resurrectio illius. Augustinus uerò
sic libro secundo contra Cresconium Gram-
maticum, cap. 18: Baptismus igitur est sacra-
mentum nouæ uitæ ac salutis æternę, quem
multi habent non ad uitam æternã, sed pœ-
nam æternã, non bene utentes tanto bono.

De autore baptismi, ac qui per eum est ef-
ficax, scribit Chrysostom': Profectò magnũ

quiddam baptisma est, sed eius magnitudinem non qui baptizat, sed qui inuocatur in baptismate efficit. in primum caput ad Corinthios epistolę 1. homilia tertia. Itē: Euāgelisare paucorum est, baptisare aūt cuiuslibet, modò fungatur sacerdotio: quippe qui hominē catechumenū, & ad suscipiendū baptisma persuasum nacti sunt, eorū quilibet baptisandi subire munus poterit. Ibidē. Itē: Solus Deus peccato liberare potest. Quod in isto regenerationis lauacro facit, mentem gratia tangit, hinc radicale peccatū euellit. Itaque qui crimine, regis beneficio absolutus est, inquinatum animum seruat: quem abluit baptisma, non itē, sed solis radijs puriorem mentem habet, & qualis erat iam olim dum conderetur, imò hac illustriorem dum eum spiritum sentit, qui uniuersam se inflammat, sanctificationem intendit, & ut tu ferrum, aurum ue recoquendo, purum nouumque facis: sic Spiritus ille sanctus in baptismate uelut in fornace recoquit ipsam, & peccatum cōsumendo quolibet auro purius splendentē reddit. in 1 ad Corinthios 15. Homilia 40. Item: Vt enim Saram non natura, sed Dei repromisio fecit matrem: sic & nostra renascētia natura quidem nulla est: cęterùm uerba Dei quæ norunt fideles, hæc in aquæ lauacro per sacerdotē pronunciata, tāquam in utero quodam formant ac regenerant eum qui baptisatur. in quartum caput ad Galatas. Item: Quemadmodum huius aquę natura (scilicet aqua piscinæ, de qua Ioannis quinto) per se non sanabat, siquidem semper sanasset, sed duntaxat cum ab angelo mouebatur: ita & in nobis nō simplex aqua operatur, sed cum spiritus gratiā accipit, omnia abluit peccata. Homilia 35 in 5. cap. Ioan. Item: In baptismo præcipua pars est spiritus, per quem & aqua fit efficax. Vnctio spiritus, & tinctio aquę in Apostolis, diuersis temporibus fiebant. A' Ioanne enim sunt antea baptisati, & postea à Spiritu sancto in Pentecoste uncti. In nobis utrumque fit pariter. Homilia prima in Acta apostolorum. Augustinus inquit libro secūdo contra literas Petiliani, cap. 24: Baptismus in nomiñe patris & filij & spiritus sancti, Christum habet autorem, non quemlibet hominem: & Christus est, non quilibet homo. Libro tertio contra Donatistas de Baptismo, capite quarto: Christi baptismus nō ex merito eorum per quos datur, sed ipsius de quo dictum est, Hic est qui baptisat, agnoscendus & approbandus est.

De ministris baptismi ita scribit Augustinus lib. 3. contra Cresconium, capite quinto: Siue à fideli, siue à perfido dispensatore, sacramentum quisq; percipiat, non sanctificat, nisi Deus. Ibidē capitę sexto: Et ideo per ministros dispares Dei mun⁹ æquale est: quia non illorum, sed eius est. Ibidem capite undecimo: Gratias ago Deo meo, quòd neminem uestrūm baptisaui, ne quis dicat quòd in nomine meo baptisaui. Quid aliud insinuans, nisi baptisma Christi non esse nisi eius, cuius nomine datur: & ideo non fieri melius, quum per meliorem datur: nec deterius, per deteriorē. Libro tertio contra Donatistas de baptismo, cap. 15: Quamobrē si Euāgelicis uerbis, in nomine patris & filij & Spiritus sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrū erat sacramentum: quamuis eius fides sub eisdem uerbis aliud opinātis, quàm catholica ueritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata, Item libro quinto contra Donatistas, de baptismo, cap. 19. Si aūt Deus adest sacramentis & uerbis suis, per qualeslibet administrē tur, & sacramenta Dei ubique recta sunt, & mali homines quibus nihil prosunt, ubique peruersi sunt.

De materia baptismi Chrysost. sic scribit: Nouum iam naturæ nostræ intexitur opificium à Spiritu sancto & aqua. Aqua autem accepta est, partus genito factum. Quod enim est matrix embryoni, hoc est fideli aqua. Siquidē in aqua fingitur & formatur. Homilia 25 in 3. cap. Ioan. Augustinus inquit tractatu 80 super Euangelium Ioannis: Iam uos mundi estis, propter uerbum quod locutus sum uobis. Quare non ait, Mundi estis propter baptismum quo loti estis: sed ait, Propter uerbum quod locutus sum uobis: nisi quia & in aqua uerbū mundat? Detrahe uerbū, & quid est aqua nisi aqua? Accedit uerbū ad elementū, & fit sacramentū, etiam ipsum tanquā uisibile uerbū. Itē in libro de Cataclysmo, cap. 3. Non enim omnis aqua mundat, sanctificatur hæc per consecrationem uerbi. Tolle enim uerbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit uerbum ad elementū, & fit sacramentū. uirtus uerbi per aquam mundauit nos, quia super aquas ambulauit. ut aūt à tempestate huius seculi nos liberaret, uos uidete potentiam uerbi Dei, quēadmodū dominetur cuctę creaturę suæ. De forma in hunc modum scribit Chrysostomus: Sicut Isaac promissionis efficacis genitus est: ita & nos oportet ex uerbo Dei nasci. Sunt enim in illo aquarum lauacro uerba Dei, quæ nos & fingunt & gignūt: in nomen quippe patris & filij ac spiritus sancti baptisati nascimur. Est aūt ista natiuitas non naturæ, sed diuinæ promissionis. In 9. cap. ad Rom. Sermone 16. Asserit Chrysostomus, patrem totū facere posse, quæ in baptismate fiunt: item filiū, similiter & spiritū sanctū: sed Trinitas accipitur, ut in communicatione societatis, illorū arcanorū bonorum &

rum & dignitatis communionem intelliga-
mus. Homilia 77 in 16. caput Ioannis. Au-
gustinus inquit libro secundo contra lite-
ras Petiliani, capite secundo: Nec aqua no-
stra inquinamur, nec uestra mundamur: sed
aqua baptismi, in nomine patris & filij & spi
ritus sancti, quum datur alicui, nec nostra,
nec uestra est, sed illius de quo Ioanni dictũ
est: Super quem uideris spiritum sicut co-
lumbam descendentẽ, & manentem super
eum, hic est q baptisat in spiritu sancto. Li-
bro quinto contra Donatistas de baptisma-
te, cap. uigesimo quinto: Cæterùm quis ne-
sciat, non esse baptismum Christi, si uerba
Euangelica, quibus symbolum constat, illic
defuerint?

Isychius ait: Non in hominis passione,
sed Dei & hominis baptisamur. lib. 4. Com
ment. in decimum quartum caput Leuitici.
Et: In nomine patris, atque ipsius unigeniti
filij, & spiritus sancti etiam baptisma agitur,
in quo in morte Christi baptisamur, & totũ
ipsum mysterium in eo sanctificatur. lib. 4.
in 14. caput Leuitici.

Sedulius inquit: Vtiq; non habetur legiti-
mum baptisma, nisi sub nomine Trinitatis.
In sextum caput ad Romanos.

Theodulus ait: Nam tres obitus & ortus,
hoc est triplex illa tinctura mortem & resur-
rectionem significant. capite sexto ad Rom.
Et: Per nomen patris & filij & spiritus sancti
fiat submersio & intinctio. in caput 9. ad Ro
manos. Et: Sed & cum uenitur ad baptis-
mum, prius accedentis uolũtas inquiritur,
ut regenerantis gratia subsequatur. Faustus
libro secũdo de libero arbitrio, capite octa-
uo. Item: Quoniam dum baptisamur, pro-
fitemur nos mundo esse mortuos, atq; pec-
cato & diabolo nos reluctaturos. capite sex
to ad Romanos. Eucherius ait: Omnes in
confessione patris, filij & spiritus sancti ba-
ptisamur. in libros Regum, libro tertio.

Quomodo baptismus accipiendus, com
monefacit Chrysostomus homilia decima
quarta in Marcum: Sic & uos, inquit, qui ac-
cepturi estis baptisma, quoniam omnes sub
peccatis sumus, &c. Primùm tenete pedes
Saluatoris, lauate lachrimis, crine tergite: &
cum hoc feceritis, postea uenietis ad caput.
Quando descẽditis in uitalem fontem cum
Saluatore, tunc habetis discere, quomodo
unguentum ueniat in caput Saluatoris. Si
enim caput uiri Christus est, uestrum autem
caput unguentum est.

Dignitatem baptismi exponit Maximus,
quod inquit: Hodie Christus beati Ioannis
ministerio fluenta Iordanis benedictione
proprij baptismatis consecrauit. in homilia
sexta, de baptismo Christi.

Regenerationis rationem non posse ex-
plicari, monet Chrysostomus, inquiẽs: Nul-
lo pacto de intellectuali per baptismum ge-
neratione, & tam admirabili partu ratio-
nem reddemus. Nam & angeli qui affuerũt,
tam inenarrabilis operis modum minimè
enarrare possent. Affuerunt duntaxat, & ui-
derunt, nihil tamen operati sunt: sed pater
tantum, & filius, & spiritus sanctus. Homilia
uigesimaquarta in tertium caput Ioannis.

Alicuius peruersam fidem non mutare
sacramentum, Augustinus monet libro ter-
tio contra Donatistas de baptismate, capite
decimoquarto: Nec interest cum de Sacra-
mẽti integritate & sanctitate tractatur, quid
credat, aut quali fide imbutus sit ille qui ac-
cipit sacramentum. Interest quidem plurimùm ad salutis uiam, sed ad sacramẽti quæ-
stionem nihil interest: fieri enim potest ut
homo integrum habeat sacramentũ, & per-
uersam fidem. De unico baptismo contra
Petilianum, capite undecimo: Prorsus fieri
potest, ut aliqui uerum habeant baptisma,
& non habeant ueram fidem: sicut fieri po-
test ut habeant uerum Euangelium, quod
non rectè intelligendo, falsi aliquid credant
de Deo. Nunquid propter ipsam fidei falsi-
tatem, etiam Euangeliũ, quod uerum apud
eos inuenitur, detestandum aut emendan-
dum putabimus?

Vnicum baptismum satis esse, Augusti-
nus docet libro secundo de baptismo con-
tra Donatistas, capite 14: Quid sit autem
perniciosius, utrùm omnino nõ baptisari
an rebaptisari, iudicare difficile est. Video
quidem, quid amplius homines detestẽ-
tur, atque horreant: uertuntamen recurrens
ad illam æternam Dominicam, ubi non ex
humano sensu, sed autoritate diuina rerum
merita pensantur: inuenio de utraq; re Do-
mini sententiam. Nam & Petro dixit: Qui
lotus est, nõ indiget nisi ut pedes lauet: uel,
Non habet necessitatem iterum lauandi. Et
Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua
& Spiritu sancto, nõ intrabit in regnum cœ-
lorum. Quid habeat secretior dijudicatio
Dei, hominibus, quales nos sumus, difficile
est fortasse cognoscere: quantum tamen ad
ipsa uerba attinet, cuilibet homini manife-
stũ est quantũ distet inter Nõ habet necesi-
tatem iterum lauandi: &, Non intrabit in re
gnum cœlorum. Ipsa deniq; Ecclesia sic tra-
ditum tenet, ut hominem sine baptismo ad
altare prorsus non possit admittere: reba-
ptisatum autem cùm post pœnitentiam li-
ceat admitti, quid aliud ostẽditur, nisi eum
baptismo non carere? Leo inquit: Scimus
quidẽ inexpiabile esse facinus, quoties iux-
ta hæreticorum dogmata à sanctis patribus
institutа, cogitur aliquis lauacrum, quod re
generandis semel tributum est, bis subire,

Apostolica reclamante doctrina, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unã in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum. epistola trigesimaseptima ad Leonem Rauennatem episcopum. Theodoretus ait: Semel mortuus est Christus, nec ut bis moriatur fieri potest. habet enim corpus immortale, & ideo unum etiam baptismum percipimus. cap. 6.

Sedulius inquit: Sicut impossibile est Christum iterum crucifigi, ita criminosi homines non possunt iterum baptisari. Non autem in hoc pœnitentiam excludit de peccatis: sed sicut secundum humanam natiuitatem impossibile est homines iterum carnaliter nasci, ita secundum spiritualem regenerationem homines non possunt rebaptisari. in sextum caput ad Hebræos. Et: Sicut semel Christus mortuus est carne, id est in cruce: ita nos semel morimur peccato in baptismate. in 6 caput ad Hebræos.

Chrysostomus de effectu baptismi ait: Non ad hoc tantum ualet baptismus, quòd priora delicta delet: sed quòd & ad futura cauenda munit. in sextum caput ad Romanos, Sermone undecimo. Item: Quemadmodum ille sine uirili cõgressu natus est ex Spiritu sancto, ita & nos illud efficimur in lauacro. in quintum caput ad Ephesios. Item: Christus ueluti antidoton quoddam pharmacum dedit baptismi lauacrum, & sic omnem euomuimus malitiam, & effugata sunt simul omnia, & inflammatio cessit, & febris extincta est, & putredines exiccatæ sunt. Nam omnia tam quę erant ex auaricia, quàm quæ ab animi tumore, & reliqua mala omnia euacuata sunt, & eiecta per spiritũ. in tertium caput ad Philippenses. Item: Verè quippe lutei fumus ante lauacrum, post lauacrũ uerò aurei. in tertium caput ad Colossenses. Item: Deus propter hoc baptisma tribuit, ut abluat peccata, non ut addat. in septimum caput ad Hebræos. Item: Quid autem est quod facit fraternitatem, nisi lauacrũ generationis, quod facit posse uocari Deum patrem? Proinde qui catechumenus est, etiamsi monachus sit, non est frater: qui uerò fidelis est, etiamsi secularis sit, frater est. in undecimum caput ad Hebręos. Item: Transitus ille Iudęorum futuri baptismi typus erat. Paulo pòst declarat hoc: Nam ibi aqua, & hic aqua: lauacrum hic, & ibi pelagus. Omnes hic in aquam ingrediũtur, & ibi omnes. Postea uis cognoscere colorum ueritatem: ibi quidem liberati sunt ex Aegypto, hic autem ab idololatria. Et ibi quidem Pharao submersus est, hic autem diabolus: ibi Aegyptij submersi, hic autem uetus homo peccatis defoditur, &c. Pergit in illa cõparatione: Agè ostendam tibi & mensas, & sacramentorum communionem in transitu deliniari, &c. in dictum Pauli 1. Corinth. 10. Nolo uos ignorare, &c. Item: Multa & grauia commisimus, neque à pueris in ultimam usque senectutem abstinuimus: quin innumeris animam sceleribus coinquinaremus, nullam à nobis rationem exigit Deus: sed per regenerationis lauacrũ his nos absoluit, iusticiam & sanctificationẽ largit⁹ est. Homilia uigesimaseptima in tertium caput Ioannis.

Augustinus ita de fine baptismi disserit, libro primo de moribus Manichæorum, capite trigesimoquinto: Et illo sacrosancto lauacro inchoatur renouatio noui hominis, ut perficiendo perficiatur, in alijs citius, in alijs tardius: à multis tamen proceditur in nouam uitam, si quisquam non inimicè, sed diligenter intendat. Ipse quippe sicut ait Apostolus: Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Apostolus interiorem hominem renouari dicit, ut perficiatur: & uos à perfectione uult incipiat. Contra duas epistolas Pelagianorum, libro 3. cap. 3: Baptismus igitur abluit quidẽ peccata omnia, prorsus omnia factorum, dictorum, cogitatorum, siue originalia siue addita, quæ ignoranter siue quæ scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quãdo bonum agonem luctatur. Consentit aũt, quando sicut homo in aliquo delicto præoccupatur. Ibidẽ: Salus ergo hominis in Baptismate facta est, quia dimissum est quod peccatũ à parentib. traxit, uel quicquid etiã propriè ante baptismũ peccauit. Lib. 1. Retract. cap. 7: Lauacrũ regenerationis purgat à reatu omniũ peccatorum, quæ humana traxit natiuitas, & contraxit iniquitas.

Leo inquit: Terra carnis humanæ, quę in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc solo beatę uirginis partu germen edidit benedictũ, & à uitio suæ stirpis alienũ: cuius spiritalẽ originẽ in regeneratiõe quisq; cõsequitur, & omni homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri uirginalis, eodẽ Spiritu sancto replẽte fontẽ, qui repleuit & uirginẽ: ut peccatũ, quod ibi uacuauit sacra cõceptio, hic mystica tollat ablutio. Serm. 4. in solennitate natiuitatis Domini. Itẽ sermone 6: Quicquid hominũ in quacunq; mũdi parte regeneratur in Christo, intercisо origi nalis tramite uetustatis tranſit in nouũ hominẽ renascendo. Item sermone 14. de passione Domini: Filius Dei incontaminatam ecclesiã suã eadem inspiratione fœcundat, ut per baptismatis partum innumerabilis filiorum Dei multitudo gignatur. Item: Ipse est, cui non solùm gloriola Martyrũ fortitudo, sed etiam omniũ renascentium fides in regene-

regeneratione compatitur. Dum enim renunciatur diabolo, & creditur Deo, dum in nouitatem à uetuſtate tranſitur, dum terrena hominis imago deponitur, & cœleſtis forma ſuſcipitur, quædam ſpecies mortis, & quædam ſimilitudo reſurrectionis interuenit, ut ſuſceptus à Chriſto, Chriſtumque ſuſcipiens, non idem ſit poſt lauacrum, qui ante baptiſmum fuit, ſed corpus regenerati fiat caro crucifixi. Sermone decimoquarto de paſsione Domini. Item: Propriè in morte crucifixi, & in reſurrectione ex mortuis potentia baptiſmatis nouã creaturam condidit ex ueteri, ut in renaſcentib. & mors Chriſti operetur, & uita, &c. epiſtola quarta, capite tertio. Item paulo poſt: In baptiſmatis regula & mors interuenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina dimerſio, & ab aquis eleuatio reſurgentis adinſtar eſt de ſepulchro. Item: Ideo quiſque renaſcitur, ut ſoluatur in eo quicquid peccati eſt, cum quo naſcitur. Nam peccata quæ malè agendo poſtea committuntur, poſſunt & pœnitendo ſanari, ſicut etiam poſt baptiſmum fieri uidemus. epiſtola octuageſimaſexta, ad Nicætam Aquileienſem epiſcopum. Item: Regenerationis ſacramento per Spiritum ſanctum promiſſionis filij renaſcuntur, non in utero carnis, ſed in uirtute baptiſmatis. epiſtola nonageſima tertia, capite tertio. Item: Ipſe eſt, qui de Spiritu ſancto ex matre editus uirgine, incontaminatam Eccleſiam ſuam eadem inſpiratione fœcundat, ut per baptiſmatis partum innumerabilis filiorum Dei multitudo gignatur. Sermone decimoquarto de paſſione Domini.

Proſper ait: Relapſum poſt baptiſmum ad infidelitatem & impios mores, qui negat originali peccato fuiſſe purgatum, tam falſa opinatur, quàm qui eundem aſſerit nõ æterna morte eſſe damnandum. in ſecundũ caput ad obiectiones Gallorum. Item: Omnis homo qui credens in patrem & filium & ſpiritum ſanctum regeneratur, in baptiſmo tam à proprijs peccatis, quæ mala uoluntate & actione contraxit, quàm ab originali, quod à parentibus traxit, abſoluitur. in obiectiones Gallorum, capite ſecundo. Item: Sacramentum baptiſmatis quo omnia prorſus peccata delẽtur, etiam in eis uerum eſt, qui non ſunt in ueritate manſuri, & ab hac ad uitam ueram non ſunt prędeſtinati. in obiectiones Gallorum. Item: Regenerationis hæc uirtus eſt, quæ homines exuit peccatis, & gratiæ induit donis, ut uetuſtas óccidat, & ueritas oriatur. in expoſitione 102 Pſalmi.

Theodoretus inquit: Vetus quoque homo noſter unà crucifixus eſt, mortis figura in baptiſmo ſuſcepta. in ſextum caput ad Hebræos. Item: In lege utebantur aſperſionibus, & corpus frequenter lauabant. Qui autem ex nouo Teſtamento uitam inſtituunt, per ſanctiſsimum baptiſmum animam expurgant, & à prioribus maculis liberam reddunt conſcientiam. in epiſtolam ad Hebræos capite decimo. Item: Pro illis autem aſperſionibus, ſufficit ijs qui credunt, donum ſanctiſsimi baptiſmatis. Non ſolùm enim donat remiſsionem peccatorum uetorum, ſed etiam ſpem inſerit promiſſorũ bonorũ, & mortis Dominicæ reſurrectionis q; efficit participes, & doni ſpiritus largitur participationem, & filios Dei reddit: & non ſolùm filios, ſed etiam hæredes Dei, & cohæredes Chriſti. in Epitome diuinorum decretorum. Item: Et hoc igitur loco, quoniam De⁹ animal rationale formabat, quod poſtea renouaturus erat poſt multas generationes, ſanctæ Trinitatis inuocationibus ſacroſanctum baptiſma inſtituens, quum fabricaturus eſſet naturam cui hæc myſteria crederentur. quæſtione decimanona in Geneſin. Item: Baptiſma uocatur aqua uiua, non quòd aqua baptiſmatis aliam habeat naturam: ſed quia per illam aquam diuina gratia donat uitam æternam. quæſtione uigeſimaſexta in Geneſin. Itẽ: Quemadmodum Hebræi, ubi mare rubrum tranſierunt, cibo peregrino & aqua inopinata fruebantur: ita nos poſt ſalutarem baptiſmum participes ſumus diuinorum myſteriorum. quæſtione uigeſimaſeptima in Exodum. Item: Qui credit Chriſto Saluatori, ſacroſancti baptiſmatis aqua luſtratus, peccatorum maculis abſtergitur. quæſtione decimanona in Leuiticum. Item: Sicut ſacerdotibus geſtantibus arcam, Iordanem primùm ingreſsis, cum Ieſu duce & propheta, populus omnis tranſijt: ita planè ubi Iohannes incipit baptiſare, & IESVS ſaluator ſanctificauit naturam aquarum, populus pius per ſacroſanctum baptiſma regnum cœlorum introijt. quæſtione prima in Ioſua.

Iſychius ait: Aqua baptiſmatis remiſsionem prębente, mens diaboli conteritur. Vnde Dauid Deo dicebat: Tu contribulaſti capita draconum ſubter aquas. libro primo in quintum caput Leuitici. Et: Veterem peccati hominem non aliter quiſpiam, niſi ablutione regenerationis diſponit. in ſextum caput Leuitici. Et ad hoc paruulo opus eſt mundatio: quia nemo eſt mundus à ſorde. libro ſecundo in ſextum caput Leuitici. Et: Quando nos ungimur & offerimur baptiſmati, ſocij Dominicæ efficimur paſsionis. cuius gerit imaginem baptiſma, quod etiam docent hæc Pauli uerba: Quicunque

cunq; enim in Christo baptisati sumus, &c. libro secundo in octauum caput Leuitici. Item: Prius Christus sua mysteria inchoauit, & tunc ea nobis qui facti sumus filij eius, per lauacrum regenerationis tradidit. libro secundo in octauum caput Leuitici. Item: Necessariam habere regenerationem baptismatis humanum genus, ipse Dominus ostendit, dicens: Nisi quis renatus, &c. Cuius equidem sordis in nobis ex Adam inobedientia est transfusa. libro quinto in decimumquintum caput Leuitici. Item: Capitulum nostræ salutis est baptisma. Lauatur omne corpus per aquam baptismatis, quia totum nostrum lauat & renouat hominem. libro quinto in decimumsextum caput Leuitici. Et: Baptisma perfectam remissionem per donum gratiæ possidet. libro septimo in uigesimumseptimum caput Leuitici.

Primasius inquit: Sine ullis præcedentibus meritis, per baptismum iustificati. in tertium caput ad Romanos. Et: In die baptismi signaculum Spiritus sancti accepistis. in quartum caput ad Ephesios. Et: Ille autem uestimẽtis albis induitur, qui in baptismate Christo uestitur: & ea fide pollet, quæ per dilectionem operatur. Quicunque enim in Christo baptisati estis, Christum induistis. in Apocalypsin libro primo.

Sedulius ait: Nullus hominum nisi per Adam trahitur ad damnationem, de qua per lauacrum regenerationis homines liberantur. in quintum caput ad Romanos. Et: Vult tam firmum esse baptisatum, tamque perfectum, quasi qui peccare non possit: superueniente gratia Dei per Christum, & in nobis per fidem lauacro spirituali regnante, cœpimus uiuere Deo: mortui autem peccato, qui est diabolus. in sextum caput ad Romanos. Et: Baptismus itaque resurrectionis pignus & imago est, & ideo per aquam celebratur: ut sicut aqua sordes abluit, ita & nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos & innouatos credamus. in sextum caput ad Romanos. Et: Per baptismum cum Christo te crucifixum intellige, qui membrum de corpore eius factus es: & ille quidem innoxium corpus appendit, ut noxium suspendas à uitijs. in sextum caput ad Romanos. Item: Vt sitis noua conspersio, ut in gratia sacri baptismatis conspergamini, sicut conspergitur farina aqua. in quintum caput ad Corinthios. Et: Si quis credit in Christo, noua est creatura per sacramentum baptismatis renouata. in quintum caput ad Corinthios posterioris epistolæ.

Eugenius: Etiam tunc mysterio emicante baptismatis, uirtutẽ sanctificationis, liquoris natura perciperet. de Catholica fide. Salonius: Filij Ecclesiæ aut Christi dicuntur propter fidei ac baptismi sacramentum, & adoptationem filiorum, quam in baptismate perceperunt. in Prouerbia Salomonis.

Theodulus inquit: Christus non tantum adhortatur ac docet, uerùm etiã tollit præteritum peccatum per baptisma. Deinde uerò seruat & opitulatur. in caput septimũ ad Romanos. Et: Corpus nostrum per baptisma sepultum, iusticiam produxit nobis ipsis. in caput sextum ad Romanos. Et: Vetus noster homo, id est uita condemnata, simul crucifixa est Christo per baptisma. Vnde etiam dicit in eo destrui corpus peccati, hoc est mala opera, scelera, flagitia, mortem. in caput sextum ad Romanos. Item: Per corpus leto datur, pro nobis. Simul enim cum Christo in baptismate mortui sumus, nec sumus porrò nostri iuris: empti enim sumus precio. in caput septimum ad Romanos. Item: Per baptisma Christus præteritum delictum tollit. in caput septimum ad Romanos. Item: Deus iustificauit per lauacrum regenerationis. in caput octauum ad Romanos. Et: Nos uerò sumus filij Abrahæ, qui sumus eiusdem cum eo fidei: filij autem Dei, per lauacrum regenerationis. in caput nonum ad Romanos.

Faustus inquit: Cui autem ad baptismum sponte uenienti baptismum non profuisse poteris edocere, cum etiam hęretico in Trinitatis nomine regenerato, tantum per se uirtus ipsa mysterij conferat, ut si postmodũ ad Christi fidem transeat, baptismatis iteratione non egeat? sed ita operante gratia ablutus iudicetur, ut tantũ benedictione christmatis induatur. libro primo de libero arbitrio, capite decimoquinto. Et: In baptismo originale peccatum aboletur, & firmum esse baptisma comprobatur, ubi indiuisa Trinitas inuocatur. ibidem. Salonius ait: In sacro baptismate omnes Christiani filij Dei efficiuntur, & fratres Domini nostri IESV Christi. in Ecclesiasten.

Eucherius ait: A' primo baptisato usque ad ultimum qui in nomine IESV Christi in fide seculi baptisandus est, & crediturus, omnis fidelium chorus unam eãdemq; uiam ueritatis ingredi, & communem à Domino debet coronam sperare iusticiæ. in libros Regum libro tertio. Et: Quia & baptisante eo cœli aperti sunt, ut ostenderetur, quia per baptisma, quod ipse nobis consecrauit, ianuam patriæ cœlestis deberemus ingredi: & moriẽte illo in cruce, idem uelum scissum est medium à summo usque deorsum, ut apertè doceret, quia figuræ legales iam tunc ad finem uenissent. in libros Regum libro tertio. Item: Sacramentum baptismi

& uitæ

& uitæ à nobis mundiciam quærit in hoc seculo, & uitæ nobis æternæ gloriam promittit in futuro. in Commentarijs in libros Regum, libro tertio. Item: Accipitur autem & celebratur baptismi lauacrum in exemplum Dominicæ passionis, & resurrectionis à mortuis. in Commétarijs in libros Regum, libro tertio. Item: Vna fides Euangelij, quo instituuntur: unum baptisma, quo abluuntur: unus idemque spiritus est, quo omnes cõsecrantur electi. in libros Regum, libro tertio. Et: Per lauacrum baptismi nos ad regnum cœleste peruenimus. in libros Regum, libro tertio. Item: Aquarum elementum in ablutionem peccatorum conuertit nobis Christus: quia omne fidelium baptisma, quo Domino consecratur, in exemplum celebratur baptismatis illius, quo ipse aquas sanctificauit. Ibidem: Neque enim aliter uasa electionis & misericordiæ fieri possumus, nisi ad baptisma illius, quod in illo flumine subijt, respicientes, & ipsi uitali flumine satagamus ablui. in terrum librum Regum. Item: In descensu enim fontis, originali peccato ac priſtinis uitijs per baptismum, qui Christo credidérit, moritur. in libros Regum, libro quarto. Item: Postquam uerbum caro factum est, atque per ministrum in Iordane fluuio baptisari dignatus est, aquas huius mũdi uertit in lauacri fœcunditatem, ut quicquid ex eis regeneratum fuisset, uitalem acciperet spiritum. in libros Regum, libro quarto. Item: Nisi humanum genus per Christi gratiam donum baptismatis humiliter excepisset, ab originali & actuali lepra liberari non posset. in libros Regum, libro quarto. Item: Omnes qui baptisantur, siue senex sit, siue iuuenis, omnes tamen infantes appellantur: quia per Adam & Euam ueteres nascuntur, per Christum & Ecclesiam noui regenerantur. Prima generatio perducit ad mortem, secunda generatio ad uitam perducit: prima generatio filios iræ, secunda generatio uasa misericordiæ. in libros Regum, libro quarto. Ibidem: Populus gentium cum esset peccatis ueteribus senex, & multis iniquitatum maculis uelut lepra perfusus, per gratiam baptismi ita renouatur, ut in eo nec originalis nec actualis peccati lepra remaneat: & qui fuerat criminũ curuus ponderibus, lauacro salutari renouatur ut parulus, & prima stola induitur, de qua Apostol' ait: Quicunq; in Christo baptisati, &c. Iunilius ait: Baptisma figura est mortis Domini nostri IESV Christi, sicut dicit Apostolus: Quotquot enim baptisati estis, in morte IESV Christi baptisati estis. Quid enim aut baptismate gratius, ubi à peccato purgamur, & quo filij Dei efficimur: aut morte mœstius, ad quam ipse quoque qui eam fuerat sponte sumpturus, tamen mœstus accessit? libro secundo, capite decimoseptimo.

Paulinus ait:

Et quia cœlestes aulam condebat in actus,
Qua renouarentur fonte Deoq; homines. in epistola duodecima ad Seuerum. Item:
Hic reparandarum generator fons animarum,
Viuum diuino lumine flumen agit.
Sanctus in hunc cœlo descendit spiritus amnem,
Cœlestiq; sacras fonte maritat aquas.
Concipit unda Deum, sanctamq; liquoribus almis,
Edit ab æterno semine progeniem.
Mira Dei pietas: peccator mergitur undis,
Mox eadem emergit iustificatus aqua.
Sic homo & occasu felici functus & ortu,
Terrenis moritur, perpetuis oritur.
Culpa perit, sed uita redit, uetus interit Adam,
Et nouus æternis nascitur imperijs.
in duodecima epistola ad Seuerum. Item:
—— Medio pietatis
Fonte nitet, mireq; simul nouat atq; nouatur.
Namq; hodie bis eam geminata nouatio comit.
Dum gemina antistes gerit illic munera Christi,
In geminos adytum uenerabile dedicat usus,
Castifico socians pia sacramenta lauacro.
Sic pariter templum nouat hostia, gratia fontem.
Fonsq; nouus renouans hominem quid suscipit, & dat
Munus: siue magis, quod desinit esse per usum,
Tradere diuino mortalibus incipit usu.
Nam fons ipse semel renouandum missus in unum,
Desinit esse nouus: sed tali munere semper
Vtendus, nunquam ueteres renouare faceſſet.
Hoc Domini donũ, hanc speciem, quam munere Christi
Idem homo fit nouus, & uetus interit, &c.
in 10. Natalis Felicis.

De significatione baptismi sic scribit Chrysostomus in sextum caput ad Romanos, sermone decimo: Baptisma crux est, ut & nos, quemadmodum ipse mortuus est, moriamur. Quòd igitur crux & sepulchrum Christo fuit, id nobis baptismus factus est: licet non omnino in rebus ijsdem. Ipse quidem carne mortuus est, & sepultus, nos uerò peccato utrumque sumus. Item: Quæ est aquæ necessitas, scilicet ad nouam generationem? primùm, diuina in hoc cõsummantur iudicia, sepultura, resurrectio, uita, & hæc simul omnia. In qua enim tanquam in sepulchro caput immergentibus uetus homo sepelitur, emergentibus nouus resurgit inde, ut facile nobis est immergi, & emersos respirare: ita Deo ueterem sepelire hominem, & nouum induere. Præterea hinc patris & filij & spiritus sancti uirtutem hæc omnia implere intelligis. Homilia uigesimaquarta in tertium caput Ioannis.

Peccatis effectum baptismi excuti, docet Augustinus libro primo de peccatorum me-

ritis, capite uigesimo: Cæterùm quis ignorat, quòd baptisatus paruulus, si ad rationales annos ueniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentijs abstinuerit, nihil ei proderit quod paruus accepit?

Infantes esse baptisandos, scribit Chrysostomus in homilia de Adam & Eua: Ergo ideo prædicat Ecclesia catholica ubique diffusa, debere paruulos baptisari, propter originale peccatum: quia filios procreare, ex præcepto Dei uenit: cupiditas uerò quæ facit filios procreare, ex pœna peccati uenit. Videtur hic concupiscentiæ ascribere, quod est naturæ gignentis ex præcepto Dei. Item: Illud etiam quod circa baptisandos in uniuerso mundo sancta Ecclesia, siue sint paruuli siue iuuenes, uniformiter agit, non ocioso contemplemur intuitu. ibidem.

¶ Sic Augustinꝰ lib. quarto contra Donatistas de baptismate, capite uigesimoquarto inquit: Etsi quisquam in hac re autoritatem diuinam quærat, quanquam quod uniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolica traditum rectissimè creditur: tamen ueraciter conijcere possumus, quid ualeat in paruulis baptismi sacramentum, ex circumcisione carnis. Item libro decimo de Genesi ad literam, capite uigesimotertio: Consuetudo matris Ecclesiæ in baptisandis paruulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi Apostolica esset traditio. Habet enim & illa parua ætas magnum testimonij pondus, quæ prima meruit pro Christo sanguinem fundere. Item libro Solutionum quæstionũ Hilarij, quæstione secunda: Ideo non est superfluus baptismus puerorum, ut qui per generationem illi condemnationi obligati sunt, per regenerationem liberentur. Item libro quinto contra Pelagianos Hypognosticon: Sinite itaque paruulos uenire ad Christum uitam, ut eis perditam per Adam medicina sua redonet uitam. Venit enim non inaniter, quærere & saluare quod perierat. Vos uidebat præscientia sua futuros hæreticos, uosque notabat in Apostolis suis, dicens: Sinite infantes uenire ad me, & nolite eos prohibere, talium est enim regnum cœlorum. Talium, ad comparationem uidelicet uenientium ad se, dixit, non omnium paruulorum, generaliter etiam, & qui in eo renati non sunt. Ideo inquit: Sinite paruulos uenire ad me, id est, nolite eos credere me non indigere. non enim possunt uenire in regnum patris mei, nisi per me. Denique ait: Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Est enim Deus uerax, omnis autem homo mendax. Quinimò in remissionem baptisantur & paruuli, alioquin non habent in regnum cœlorum uitam. Dimittitur eis regeneratione spirituali, quod traxerunt (ut sæpe dixi) ex Adam generatione carnali. De Ecclesiasticis dogmatibus capite trigesimoquarto: Quicunque paruulos recentes ab uteris matrum baptisandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptisari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur: unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non uera, sed falsa intelligatur: anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum catholica Ecclesia ubique diffusa semper intellexit, propter hanc enim fidei regulam etiam paruuli, qui nihil peccatorum in se ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem ueraciter baptisantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Ad Sixtum epistola centesimaquinta: Circumstipantur enim & diuinarum autoritate lectionum, & antiquitùs tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in baptismate paruulorum: ubi apertissimè demonstrantur infantes, & cum exorcizantur, & cum eis per eos à quibus gestantur, renunciare respondent, à diaboli dominatione liberari. Libro primo de peccatorum meritis, capite uigesimotertio: Et qui incredulus erit filio, non habebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cuius naturaliter filij sunt, qui etiamsi per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum, non liberat nisi agnus Dei, qui tollit peccata mundi: non nisi medicus, qui non uenit propter sanos, sed ꝓpter ægrotos: nõ nisi Saluator, de quo dictum est generi humano, Natus est uobis hodie Saluator: non nisi Redemptor, cuius sanguine deletur debitum nostrum. Nam quis audeat dicere, non esse Christum infantum Saluatorẽ, nec redemptorẽ? Vnde autẽ saluos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Vnde redimit, si non sunt per originẽ primi hominis uenũdati sub peccato? Nulla igitur ex nostro arbitrio, prẽter baptismũ Christi, salus æterna ꝓmittatur infantibus, quam nõ ꝓmittit Scriptura diuina, humanis omnib. ingenijs præferenda. Libro 2. de sententia Iacobi ad Hieronymũ, cap. 1. Dicimus ergo, in baptisatis paruulis, quamuis id nesciant, habere Spiritum sanctum.

Sic

Sic enim eum nesciunt, quamuis sit in eis, quemadmodum nesciunt & mentem suam: cuius in eis ratio, qua uti nondum possunt, uelut quædam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu. Tractatu quarto in epistolam Ioannis inquit: Cum infantibus ad baptismum curritur, quia cum peccato in damnationem nascitur, ut soluatur à damnatione.

Quomodo paruuli fidem habeant, indicat Augustinus ad Bonifacium epistola uigesimaquinta: Sacramentum fidei, fides est secundum quendam modum. Nihil est autem aliud credere, quàm fidem habere. Ac per hoc, cum respondetur paruulum credere, qui fidei nondum habet affectum: respondetur fidem habere, propter fidei sacramentum: & conuertere se ad Deum, propter conuersionis sacramentum: quia & ipsa respon-sio ad celebrationem pertinet sacramenti. Sicut de ipso baptismo Apostolus ait: Consepulti (inquit) sumus Christo per baptisma in mortem. Non ait, Sepulturam significauimus: sed prorsus ait, Consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non nisi eiusdem rei uocabulo nuncupauit. Itaque paruulum, etsi nondum fides illa quæ in credentium uoluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis uocatur, non rem ipsa mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo. Cum autem homo sapere cœperit, non illud sacramentum repetit, sed intelligit, eiusque ueritati consona etiam uoluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non potest, ualebit sacramentum ad eius tutelam aduersus contrarias potestates: & tantum ualebit, ut si ante rationis usum ex hac uita emigrauerit, per ipsum Sacramentum commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione quæ per unum hominem intrauit in mundum, Christiano adiutorio liberetur. Hoc qui nō credit, & fieri non posse arbitratur, profectò infidelis est, etsi habeat fidei Sacramentum. Longeque melior est ille paruulus, qui etiamsi fidem nōdum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit, unde sacramentum eius saluberiter percipit.

An liberi baptisatorum sancti sint, docet Augustinus de uerbis Apostoli, Sermone de baptismo paruulorum contra Pelagianos capite decimoquarto: Quando dicunt, & parvulos turbāt, si de peccatore peccatores nati sunt: quare non de baptisato iam fideli cui remissa sunt omnia peccata, iusti nascuntur? citò respondete: Ideo de baptisato non iustus nascitur, quia non eum generat unde regeneratus est, sed unde generatus est. Carnalis est certè ista generatio, & carnalis est circumcisio, & tamen de circumciso non nascitur circumcisus. Sic ergo de baptisato non potest nasci baptisatus, quia nemo renatus antequam natus. Ad Sixtum epistola centesimaquinta: Quomodo peccatum transit in filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus dimissum esse per baptismum? Quasi propterea possit non habere generatio carnalis, quod sola tollit regeneratio spiritalis. Aut uerò in baptismo concupiscentię carnis infirmitas continuò sanetur, sicut continuò reatus eius aboletur, sed gratia renascendi, nō conditione nascendi. Vnde quisquis per hanc concupiscentiam etiam de renato nascitur, sine dubitatione oberit nato, nisi & ipse similiter renascatur. Libro secundo de peccatorum meritis, capite uigesimoseptimo: Quisquis uerò adhuc mouetur, quare baptisentur qui iam de baptisatis nascuntur, hoc breuiter accipiat: sicut generatio carnis peccati per unum Adā in condemnationē trahit omnes qui eo modo generantur, sic regeneratio Spiritus gratiæ per unum IESVM Christum, ad iustificationē uitæ æternæ ducit omnes qui eo modo prædestinati regenerantur. Sacramentū autem baptismi, profectò Sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non uixerit, mori nō potest: & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum.

Non esse differendum baptisma, hisce uerbis Chrysostomus exponit: At dicit aliquis, Metuo. Si metueres, accepisses utique, seruassesque. Verùm ob hoc ipsum, inquiet, nō accipio, quòd metuam. At non metuis sic ex hac uita decedere? Humanus, inquiet, est Deus. Igitur accipe baptismum. Humanus enim est, & opitulatur. Tu uerò, ubi uigilandum erat, non occupas istam humanitatem Dei? ubi uerò tibi uisum fuerit differre, tum uenit in mentem illius humanitas. Atqui tunc erat tempus utendi hac humanitate: quam tum magis assequemur, cum eam sponte amplectemur. Etenim qui postquam curam uniuersam coniecit in Deum, post baptisma redierit in peccatum, nimirum homo, si pœnituerit, Dei benignitatem experietur. At qui uelut deludens Dei bonitatem, excesserit expers gratiæ, nullo pacto ualebit effugere uindictam. Impossibile est, impossibile est inquam, eum qui tali spe differt baptismum, agere quicquam egregium ac honestum. Homilia prima in acta Apostolorum.

Augustinus ait libro tertio de peccatorū meritis, capite quinto: Quantum uerò (inquit beatus Cyprianus) ad causam infantiū pertinet,

pertinet, quos dixisti intra secundum uel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptisari non oportere: & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octauum diem, eum qui natus est, baptisandum & sanctificandum non putares, longè aliud in Concilio nostro uisum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit: sed uniuersi potiꝰ iudicauimus, nulli hominũ nato misericordiam Dei & gratiã denegandam. Nam cum Dominus in Euangelio dicat, Filius hominis nõ uenit animas hominum perdere, sed saluare: quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdẽda est. Ibidem: His certis, illa incerta de octauo die quæstio dissoluta est, atq; in Cõcilio iudicatum, homini nato, ne in æternũ pereat, omni die licere succurrere: cum etiã de ipsa carnali circumcisione ratio redderetur, quòd umbra esset futuri: non quòd intelligeremus ipsum baptisma octauo ex quo natus est homo die dari oportere, sed nos in Christi resurrectione spiritaliter circũcidi, qui tertio quidem post diem passionis, in diebus tamen hebdomadarum quibus tempora prouoluuntur, octauo, hoc est post sabbatum primo die à mortuis resurrexit.

De non baptisatis inquit Augustinus, libro de natura & gratia contra Pelagianos, capite quarto: Hęc igitur Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur: Iusti ficati (inquit) gratis per sanguinem illius. Vnde ij qui non per illã liberantur, siue quia audire nondum potuerunt, siue quia obedire noluerunt, siue etiam cum per ætatem audire non possent, lauacrum regenerationis quod accipere possent, per quod salui fierent, non acceperunt, iustè utique damnantur: quia sine peccato non sunt, uel quod originaliter traxerunt, uel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccauerũt, siue in Adã, siue in semetipsis, & egẽt gloria Dei. Itẽ libro primo de peccatorũ meritis, capite 16: Potest proinde rectè dici, paruulos sine baptismo de corpore exeuntes, in damnationem omnium mitissimam futuros. Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnationem prędicat non futuros, & dicente Apostolo, iudicium ex uno delicto in condemnationem. Et paulo pòst: Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem. Libro tertio de peccatorũ meritis, capite sexagesimo: Cedite itaq; ueritati, & uidete, sicut fieri potuit (quod & uos fatemini) ut de Christianis non Christianus, de membris Christi non membrum Christi: atq; ut etiam occurramus omnibus, qui licet falsò, tamen quocunque religionis nomine detinentur, de consecratis non cõsecratus: ita etiam fieri, ut de mundatis non mundatus nascatur. Quid respondebitis, quare de Christianis non Christianus nascatur: nisi, quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos?

De rebaptisatione inquit Augustinus ad Eleusium, epist. 163: Reuera enim fieri potest, ut sceleratior sit rebaptisator totius hominis, quàm solius corporis interemptor. Ad Maximum epistola 203: Rebaptisare igitur hęreticum hominem, qui hęc sanctitatis signa perceperit, quę Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est. Rebaptisare autem catholicum, scelus est immanissimũ. In expositione Epistolæ ad Romanos: Non enim possunt denuò baptisari, qui semel baptisati sunt, quãuis etiã post baptismũ per ignorantiam ueritatis peccauerint.

Cur Christus baptisatus sit, exponit Maximus, inquiens: Baptisatur IESVS non sibi, sed nobis. Baptisatur non ut purificetur aqs, sed ut aquas ipse sanctificet. Baptisatur nouus homo, ut noui baptismatis cõstituat sacramentũ. in hom. 7. de baptismo Christi.

DE CLAVIBVS.

DVplices claues Ecclesiam Christi habere, Augustinus monet in Apocalypsin, homilia secunda: Et quia ipsa Ecclesia, sicut habet claues uitæ, ita & inferorum. Ipsi enim dictum est: Cui dimiseritis peccata, dimittuntur: & cui retinueritis, retenta sunt. De excommunicatione inquit libro de fide & operibus, capite uigesimosexto: Nisi essent quædam grauia peccata, ita ut etiam excommunicatione plectenda sint, nõ diceret Apostolꝰ: Cõgregatis uobis & meo spiritu, tradere huiusmodi hominẽ satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini IESV. Vnde etiam dicit: Ne lugeam multos ex ijs qui antea peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditiam & fornicationem, quam gesserunt. Item libro quinto Quæstion. super Deuteronomion, capite trigesimonono: Auferte malum ex uobis ipsis. Ex quo apparet, Apostolum eum uoluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, ut excommunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat in ueteri Testamento interfectio. Quamuis & aliter illud Apostolicum possit intelligi, ut unusquisq; malum, uel malignum ex seipso sit iussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malum, uel hoc malignum, nõ autem hunc malignũ, in Græco inueniretur. Nunc uerò credibilius est de homine dictum, quàm de uitio. Item in Psalmum 54: Diligamus inimicos, corrigamus, castigemus & excõmunicemus cum dilectione, etiam à nobis sepa-

separemus. Videte enim quid dicat Apostolus: Si quis aũt non obaudit uerbo nostro, per epistolã hunc notate, & nolite cõmiscedi cum illo. Sed ne subrepat tibi ex hoc iracũdia, & turbet oculum tuum: Non (inquit) ut inimicum eum existimetis, sed corripite ut fratrem, ut erubescat. A' quo indixit separationem, non præcidit dilectionem. Quæstionum ueteris & noui Testaméti, quæstione 115: Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam. De duodecim abusionum gradibus, gradu primo: Si enim (inquit in Euangelio Dominus) peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si te nõ audierit, adhibe tecum adhuc unũ uel duos, ut in ore duorũ uel trium stet omne uerbũ. Si ille non audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Tali ordine expellendus est, quicunq; doctori uel episcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expulsus fuerit, ab alio aliquo doctore uel episcopo nõ debet recipi. De sacerdote namque in lege scribitur: Viduam aut repudiatam non accipiat uxorem. Qui ergo illam excommunicatam à catholico, illo non permittente, sibi iungit, iura sacerdotij sancti, quòd Christianorum genus electum est, excedit. Hac ratione episcopum, ad eos quibus in speculatione positus est, esse oportet. Item libro primo de doctrina Christiana, capite decimooctauo: Has igitur claues dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solueret in terra, soluta essent in cœlo, scilicet ut quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata crederet, seque ab ijs correctus auderet, in eiusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atq; correctione sanaretur. Quisquis enim non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius quàm malum esse remaneat, ubi de fructu suæ conuersionis infidus est. Item in Psalmum 101: Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest, suscitari autem ipse mortuus non nisi intus clamante Domino potest. Augustinus libro Quæstionum ueteris & noui Testamenti 93. de clauibus ita inquit: Illud autem quòd insufflasse in discipulos Dominus legitur, post dies paucos resurrectionis suæ, & dixisse, Accipite Spiritum sanctũ, Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum sanctum aguntur, idcirco cùm regula eis & forma traditur huius disciplinæ, dicitur eis, Accipite Spiritum sanctum. Et quia uerè ad ius Ecclesiasticum pertinet, statim subiecit dicens: Cuius tenueritis peccata, tenebuntur: & cuius remiseritis, remittentur ei.

Isychius ait: Non idonei sumus peccata nobismetipsis dimittere, Christus autẽ nobis propitiationem perficit. Vnde & eius uoce sacerdotes in Ecclesiam, utpote eius officium subeuntes, ordinati sunt, quibus in persona Apostolorum dicebat: Quorum dimiseritis peccata, &c. & rursus: Quæcunque solueritis super terram. libro primo in quartum caput Leuitici.

De excommunicatione sic Prosper scribit: Ecce autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecunque claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, uelut igni quodam piæ increpationis urẽda sunt, & curanda. Quod si nec sic quidem æquanimiter sustinentis, ac piè increpantis medela profecerit in eis, qui diu portati, & salubricer obiurgati, corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi: ne sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit: ita isti qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant. libro secundo de uita contemplatiua, capite septimo. Isychius inquit: Respicit ad finem excommunicationis, cum inquit Paulus: Eum qui in Corintho fornicatus est, tradidi sathanæ, ut afflictus ab eo peccatum sentiret, & sensum peccati perciperet, fieretque emendatior: simul etiam ut manifestaretur alijs, quatenus eum minimè debeant imitari. libro quarto in decimum quartum caput Leuitici.

Primasius inquit: In Ecclesia namque factam nouimus uictoria Christi salutem, per quam cognitam accepit etiam potestatem ligandi soluta, & soluendi ligata, cum in uno Petro generali significatione omnes audiuit: Quæ ligaueris super terram, ligata erunt & in cœlis: & quæ solueris, soluta. in Apocalypsin libro tertio.

Eucherius ait: Ingressus oraculi, & ostiola, Apostolorum atque uirorum Apostolicorum figuram tenent, quibus claues regni cœlorum sunt datæ, qui accepta à Domino potestate ligandi atque soluendi, & dignos intra regni ianuam admittunt, & contumaces impuros ac superbos excommunicando uel anathematizando ab ingressu uitæ perennis eliminant. libro tertio in libros Regum.

Quin'am publicè sint arguendi, Augustinus docet Quæstionum ueteris & noui Testamenti quæstione 101. cap. decimosexto:

Dicit

Dicit enim, Peccantes coram omnibus corripe, ut cæteri timorem habeant: quod de ijs peccatis accipiendũ est, quæ non latent, ne contra Domini sententiam putetur locutus. Ille enim dicit: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum. Verumtamen & ipse seueritatẽ correptionis eò usque perducit, ut dicat: Si nec Ecclesiã audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Quòd ad omnes pertineant claues Christi, Augustinus tradit super Ioannem, tractatu 124: Quando ei dictum est, Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. item: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis: uniuersam significabat Ecclesiã, quæ in hoc seculo diuersis tentationibus, uelut imbribus, fluminibus, tempestatibusq; quatitur, & nõ cadit, quoniam fundata est super petram: unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo uocatur. Ideo quippe ait Dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei uiui. super hãc etgo, inquit, petram, quam confessus es, ędificabo Ecclesiã meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id q, positum est, quod est Christus IESVS. Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro: id est, potestatẽ ligandi soluendiq; peccata. ibidẽ: Vniuersa Ecclesia ligat & soluit peccata.

Primasius inquit: Sicut regni cœlorum solus Petrus claues accepit, qua tamen potestate omnis Ecclesia uti sublimata promeruit. in Apocalypsin.

Ecclesiam omnia peccata dimittere posse, ait Augustinus de agone Christiano, capite trigesimoprimo: Nec eos, inquit, audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere.

Locum Matthæi decimosexto rectè exponit Augustinus, libro primo Retractationum, capite uigesimoprimo: In libro contra epistolam Donati, dixi quodam loco de Petro apostolo, quòd in eo, tanquam in petra, fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorũ in uersibus beatissimi Ambrosij, ubi de gallo gallinaceo ait, Hoc ipsa petra Ecclesia canente, culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, q, à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: ut super hanc intelligeretur, quam cõfessus est Petrus, dicens: Tu es Christus filius Dei uiui. ac si Petrus ab hac petra appellatus, personã Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum. Non enim dictũ est illi, Tu es petra: sed, Tu es Petrus. Petra autẽ erat Christus, quem cõfessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum aũt duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector. Itẽ in Euangeliũ Ioãnis tractatu 118: Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo uocatur. Ideo quippe ait Dominus, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei uiui. Super hãc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, prẽter id quod positum est, quod est Christus IESVS. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro: id est, potestatem ligandi soluendiq; peccata. Quodenim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra. Qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Omnib. igitur sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinenti bus, propter huius uitæ procellosissimæ gubernaculum, ad liganda & soluenda peccata, claues regni cœlorũ primus Apostolorũ Petrus accepit: quoniam nec ille solus, sed uniuersa Ecclesia ligat soluitq; peccata.

DE COENA DOMINI.

DOminicam cœnam uocat Theodoretus sacramentum Dominicum. Illius enim omnes sunt æquè participes, & qui in paupertate degunt, & quibus diuitiæ spiritẽ faciũt, & domini & serui, & principes, & qui eorum parent imperio. in epistolã primam ad Corinthios, capite undecimo.

In homilia de Psalmo centesimo decimoquinto, Chrysostomus appellat cœnam Domini mysticam mensam, cœleste summeque uenerandum sacrificium, spirituale ac mysticum donum, mysticam uictimam, alludens nimirũ ad sacrificia ueteris Testamenti: sed præsentiã ac cõmunicationẽ ueri ac substantialis corporis & sanguinis Domini tam expresse docet, ut transubstantiationis dogma uideatur asserere.

Christũ non modò autorẽ esse suæ cœnæ, uerùm etiã ppetuò adesse, scribit Chrysost. homilia 83 in 26. cap. Matth. Non sunt, inquit, humanæ uirtutis hęc opera, quę tũc in illa cœna cõfecit: ipse nunc quoq; operatur, ipse pficit. ministrorũ nos ordinẽ tenemus: qui uerò hęc sanctificat & trãsmutat, ipse est. De materia cœnæ inquit Chrysostomus: Quotquot in corpore Christi communicamus;

camus, quotquot sanguinem illius degusta mus, cogitemus quòd illius corpus & sanguinem gustamus, qui in cœlestibus sedet, qui ab angelis adoratur, qui ad immortalem est potentiã. in primũ caput ad Ephesios. Item: Non casu & simpliciter hi fontes (uidelicet aqua & sanguis) ex latere Christi in cruce pendentis scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati: per aquam enim regenerati, sanguine & carne nutriti. hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicé accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas. Homilia 84. in decimumnonum caput Ioãnis. Item: Nunc ille præstò est Christus, qui illam ornauit mensam, iste ipsam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit, & sanguinem: sed ille, qui crucifixus pro nobis est Christus. in Homilia de proditione Iudæ. Ac uidentur quidem ista esse transubstantiationis semina. Item: Corpus & sanguis mysticus non fiunt absque spiritus gratia. Sermone de resurrectione. Item: Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse uideatur quod dicit. Superet & sensum, & rationem nostram, quæso, ipsius: quod in omnibus, & præcipuè in mysterijs faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed uerba quoque eius tenentes. Nam uerbis eius defraudari non possumus, sensus uerò noster deceptu facilimus est: illa fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meũ, nulla teneamur ambiguitate: sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis à Christo; sed rebus sensibilibus: omnia uerò quæ tradidit, insensibilia sunt. in Matth. uigesimumsextum caput. Homilia 83. Item: O quot modò dicunt: Vellem formam & speciem eius, uellem uestimenta ipsa, uellẽ calciamenta uidere. Ipsum igitur uides, ipsum tangis: ipsum comedis: uestimẽta eius desideras uidere, ipse uerò seipsum tibi tradidit, non ut uideas solùm, uerùm etiam ut tangas, & in te habeas. Nemo igitur nauseans accedat. ibidem.

Item Augustinus epistola 118: Alij quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt. Ibidẽ: Liquidò apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, eos non accepisse ieiunos. Nunquid propterea calumniandum est uniuersę Ecclesię, quòd à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret. quàm cæteri cibi. nam ideo per uniuersum orbem mos iste obseruatur. Libro secundo contra Petilianos, capite trigesimoseptimo: Aliud est Pascha, quod Iudæi adhuc de oue celebrãt, aliud, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus. Ibidem: Quis nostrûm dicit esse participationem iustitiæ cum iniquitate, etiamsi iustus & iniquus, sicut Iudas & Petrus, pariter sacramenta communicent? Ex una quippe re sancta Iudas sibi sumebat iudicium, Petrus salutem. Homilia secunda in Psalmum 33. Accesserunt Iudæi ad Christum, ut crucifigeretur: nos ad eum accedamus, ut corpus & sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt: nos manducando crucifixum, & bibendo illuminamur. Et post aliqua: Verè magnus Dominus, & magna misericordia eius: uerè, qui dedit nobis manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, & sanguinem bibere. In Psalmum 37: Et ferebatur in manibus suis. Hoc, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam, non inuenimus: in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus, quando cõmendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis, ipsa est humiliatio Domini nostri IESV Christi, ipsa multum commendata hominibus. In Psalmum 94: De his qui crucifixerunt Christum, facta sunt postea miracula, & donatus est illis sanguis Christi. Impias manus & cruentas de sanguine Christi portabant: lauit eos ipse, cuius sanguinem fuderunt, ut biberent precium suũ. In Psalmum 119: In ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Sermone 28. de uerbis Domini: Cum de sacramentis tractarem, dixi uobis, quòd ante uerba Christi, quòd offertur, panis dicatur: ubi uerba Christi deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Sermone de uerbis Domini 40: Qui uxores nondum habetis, & tamen ad mẽsam Dominicam iam acceditis, & carnem Christi manducatis, & sanguinẽ bibitis, si ducturi estis uxores, seruate uos uoribus uestris. De uerbis Apostoli Sermone 18: Scelera & crimina omnes uitare debent, qui accipiunt corpus Christi, & sanguinem. Homilia 16. Interrogo uos fratres, dicite mihi, quid uobis plus esse uidetur: Verbũ Dei, an corpus Christi? Si uerum uultis respondere, utique dicere debetis, quòd nõ sit minus uerbũ Dei, quàm corpus

Christi. & ideo, quanta solicitudine obseruamus, quando nobis corpus ministratur, ut nihil de ipso in terram cadat: tanta solicitudine obseruemus uerbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus aut loquimur, ne de corde nostro pereat. quia non minus reus erit, qui uerbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit. Sermone primo Dominica Aduentus: Ideo rogo & admoneo, ut quantũ possumus, cum Dei adiutorio laboremus, ut in illa die cum sincera & pura conscientia, & mundo corde, & casto corpore ad altare Domini possimus accedere: corpus & sanguinem eius non ad iudicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore uita nostra cõsistit, sicut ipse dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Mutet ergo uitã, qui uult accipere uitam. Nam si non mutet uitam, ad iudicium accipiet uitam, & magis ex ipsa corrumpitur quàm sanetur, & magis occiditur quàm uiuificetur. Sic enim dixit Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat. Sermone secundo: Si Dominus uiderit charitatis luce uestitum, iusticię uel misericordiæ margaritis ornatum, castum, humilem, misericordem, benignum & sobrium: si talem agnouerit, corpus & sanguinem suum ei non ad iudicium, sed ad remedium per sacerdotum suorum ministerium dispensabit. Ad fratres in Eremo, Serm. 38: Corpus enim Domini quòd bonum est, malis malum est. In Sermone ad Neophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: & hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. Erit enim ei mors, non uita, qui mendacem existimauerit uitam. Ad Iulianum epistola III: Vnusquisque, antequam corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi accipiat, seipsum probet, & secundum Apostoli præceptum sic de pane edat, & de calice bibat. Quia qui indignè manducat corpus & sanguinem Domini, iudicium sibi manducat & bibit. Libro secundo de uisitatione infirmorum: Illud etiam uiuificũ Dominici corporis sacramentum susc ipere, fili mi, non renuas: quin potius illud auidissimè quæras, fideliter comedas. Cibus etenim incomparabilis, ineffabilis, uiaticum tibi saluberrimum, redemptionis tuæ precium, redemptoris monimentũ, & redempti munimentum. Libro de ciuitate Dei uigesimoprimo, cap. uigesimoquinto: Ostendit quid sit non sacramentotenus, sed reuera corpus Christi mãducare, & eius sanguinem bibere. hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus.

Cyrillus ait lib. 3. capite trigesimoseptimo in Ioannem: Assequimur benedictionẽ cõmunicatione corporis & sanguinis Christi. Item lib. quarto, capite decimoquarto in Ioannem: Si solo tactu suo corrupta redintegrentur, quomodo non uiuemus, qui carnem illam & gustamus, & manducamus? Item capite decimosexto: Propterea corpus & membra Christi sumus, quia per hanc benedictionem mysterij ipsum filium Dei suscipimus. Item lib. 10. cap. 13 in Ioannem: An fortasis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis uirtutem esse? quæ cum in nobis fiat, non ne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christũ in nobis habitare? Cur enim membra fidelium Christi membra sunt? 1. ad Corinth. 6. Item libro quarto in Ioannem, capite decimotertio: Oportebat igitur fidei primùm radices in animo jácere, deinde illa quærere quæ homini quærenda sunt: illi uerò antequam crederent, importunè quærebant. Hac igitur de causa Dominus, quomodo id fieri possit non enodauit, sed fide id quærendum hortatur. Sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Calicem etiam similiter circumtulit, dicẽs: Bibite ex hoc omnes, hic est calix sanguinis mei qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Perspicis, quia sine fide quærentibus, mysterij modum nequaquam explanauit: credentibus autem, etiam non quærentibus, exposuit. Item capite decimoquinto: Non erat igitur potus ille uerus, sed uerus potus sanguis est Christi, quo radicitùs mors euertitur atq; destruitur. Nõ enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius qui naturaliter uitę cõiunctus, uita effectus est. Propterea corpus & membra Christi sumus, per hanc benedictionem mysterij ipsum filium Dei suscipimus. Item capite decimoseptimo: Si quis carnem & sanguinem Christi recipit, cum ipso ita coniungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Item libro decimo, capite decimotertio: Non tamen negamus, recta nos fide charitateq; sincera Christo spiritualiter coniungi: sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernego, idque à diuinis scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitauit, Christum etiam sic uitem esse, nos uerò palmites, qui uitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem: Quia omnes unum corpus sumus in Christo. quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus. omnes enim uno pane participamus. An uerò fortasis putat, ignotam nobis mysticæ illius benedictionis uirtutem

tutem esse? quæ cum in nobis fiat, non ne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cur enim fidelium membra, membra Christi sunt? Nescitis (inquit) quia membra uestra, membra sunt Christi? Membra igitur Christi, meretricis faciam membra? Absit. Saluator etiam: Qui manducat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Vnde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, uerumetiam participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram, alij ceræ similiter liquefactæ ita misceuerit, ut unum quid ex utrisque factum uideatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & uitam traduci, nisi naturalis uitæ corpus ei adiungeretur. Non credis mihi hæc dicenti: Christo (te obsecro) fidem præbe. Amen amen (inquit) dico uobis, nisi manducaueritis filij hominis carnem, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet uitam æternam: & ego suscitabo eum in nouissimo die. Audis apertè clamantem, non habituros uitam, nisi sanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus. In uobis autem ipsis, dicit: id est, in corpore uestro. Vita autem iure, ipsa uitæ caro intelligi potest. hæc enim nos in die nouissimo suscitat: & quomodo, dicere non grauabor. Caro uitæ facta unigeniti, caro ad uirtutem uitæ traducta est: non potest igitur morte superari, propterea in nobis facta interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea unigenitus Dei filius. Vnde quia unus est cum carne sua: Ego (inquit) suscitabo eum in nouissimo die. Item in caput sextum Iohannis: Nam cum oporteret eos qui diuinam uirtutem Saluatoris ac potestatem signorum miraculo perceperunt, sermonem eius libenter suscipere, & si quæ difficilia uidebantur, eorum solutionem quærere, contrà omnino faciunt: &, Quomodo potest hic carnem suam nobis dare? de Deo, non sine magna impietate conclamant: nec in mentem uenit, nihil esse impossibile apud Deum. Nam cum animales essent, ut ait Paulus, spiritualia intelligere non poterant. Sed fatuitas quædam, tam magnum sibi uidetur mysterium. Sed nos magnum quæso à peccatis aliorum profectum faciamus &, firmam fidem mysterijs adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud Quomodo aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc uerbum est, & supplicij extremi causa. Ideo Nicodemus etiam cum diceret, Quomodo hæc fieri possunt? meritò audiuit: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Aliorum igitur, ut diximus, culpa perdocti, cum Deus operatur, non quæramus quomodo, sed operis sui uiam atque sententiam illi soli concedamus. Nam quemadmodum, quamuis nullus nouit, quid nam secundum naturam Deus sit, iustificatur tamen per fidem, cum credat præmia illum redditurum quærentibus eum: sic, etsi operum eius rationem ignorat, cum tamen fide omnia illum posse non dubitet, non contemnenda probitatis huius præmia consequetur. Ita profectò nos affici per prophetam Iesaiam Dominus ipse hortatur: Non enim sunt consilia mea, inquit, ut consilia uestra: nec sicut uiæ uestræ, uiæ meæ sunt, dicit Dominus: sed sicut exaltatur cœlum à terra, sic exaltatæ sunt uiæ meæ à uijs uestris, & cogitiones meæ à cogitationibus uestris. Qui autem sapientia & uirtute adeò excellit, quomodo non operabitur ita miraculosè, ut operum suorum ratio mentem nostram effugiat? Non ne uides quid sæpenumero mechanici faciunt? Incredibilia uidentur nobis nonnunquam enarrare: sed tamen quia similia ipsos fecisse uidimus, posse peragi ab ipsis facilè credimus. Quomodo igitur summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, ut Quomodo in operibus suis dicere audeant? quem totius sapientiæ lagitorem esse non ignorant, quem omnia posse Scriptura nos docuit. Si uerò tu, ô Iudæe, Quomodo, etiam nunc clamas: hanc tuam imperitiam ego quoque secutus, libenter, Quomodo ex Ægypto exiuisti rogabo: quomodo in serpentem Mosaica fuit uirga conuersa? Quomodo lepra manus affecta, uno momento temporis in pristinum statum restituta iterum fuit? quomodo in naturam sanguinis aquæ transierunt? quomodo patres tui per media maria ut per aridam aufugerunt? quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? quomodo è lapide fontes aquarum fluebant? quomodo stetit Iordanis? quomodo solo clamore inexpugnabilis Iericho cecidit? Innumerabilia sunt, in quibus si, Quomodo, quæris, uniuersam euertere tibi Scripturam necesse erit, Prophetarum doctrinam & ipsius Mosi scripta contemnenti. Quare credidisse Christo potius uos oportuit, & si quid arduum uidebatur, ab eo humiliter petere:

quàm ueluti temulentos exclamare, Quomodo potest hic nobis suam carnem dare? Non ne uidetis, quia cũ hæc dicatis, statim cum ista uoce arrogantia magna significatur? Et deinde: Amen amen dico uobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis, &c. Misericors certè ac mitis Christus est, ut à rebus ipsis uidere licet. nõ enim asperè ad crudelitatem eorum respondit, nec ullo modo contendit, sed uiuificantem huius mysterij cognitionem iterum atque iterum in mentibus eorum imprimere studet: & quomodo quidem carnem suam dabit ad manducandum, non docet, quia intelligere illi non potuerunt. Quàm magna uerò bona, si cum fide manducabunt, adipiscentur, id iterum atq; iterum aperit: ut æternæ desiderio uitæ ad fidem compellantur, per quam etiã doceri facilius potuerunt. Sic enim Esaias dixit: Si enim, inquit, non credideritis, nec intelligetis. Oportebat igitur fidei primùm radices in animo iácere, deinde illa quærere quæ homini quærenda sunt. Illi uerò antequam crederẽt, importunè quærebant. Hac igitur de causa Dominus, quomodo id fieri possit, non enodauit: sed fide id quærendum hortatur. Sic credentibus discipulis, fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Calicem etiam similiter circumtulit, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est calix sanguinis mei, qui ꝓ multis effundetur in remissionem peccatorum. Perspicis, quia sine fide quærentibus, mysterij modum nequaquam explanauit: credentibus autem, etiam non quærentibus exposuit. Audiant hæc, qui ex arrogantia nondum Christi fidẽ susciperе uolunt: Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Non enim possunt cum sanctificatione beatæ uitæ fieri participes, qui per mysticam benedictionem IESVM non susceperũt: uita enim secundum naturam ille est, qui ex uiuo patre genitus est. Sed non minus corpus quoque suum uiuificat: coniunctum enim ineffabiliter est filio Dei, à quo uniuersa uiuificantur. Idcirco corpus suum dicitur, & unus cum eo est: nempe post incarnationem unus est, & unus manet absque diuisione ulla: præterquam quod Dei patris uerbum, & templum à uirgine sumptum, idem natura non sunt. Non enim est eiusdem substantiæ uerbo Dei homo assumptus: unus tamen cum illo est coniunctione ineffabili. Quoniã igitur Saluatoris caro uerbo Dei, quod naturaliter uita est, coniuncta, uiuifica effecta est: quando eam comedimus, tunc uitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ uita effecta est. Hac de causa in exuscitandis mortuis non solummodo uerbo atque imperio, ut Deus, utebatur: uerùm etiam carnẽ suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut reipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, uiuificam esse: atque fideles doceret, suum, non alterius corpus esse. Nam quando synagogæ principis filiolam suscitabat, manum eius apprehendit, ut scribitur, & erexit, dicens: Puella surge. ita ut Deus, & uerbo & carnis suæ tactu eam excitauit, unam ab uno se, Christo Deo uidelicet atque homine, operationem producens. Quando etiam in ciuitatem Naim uocatam ingrediebatur, & efferebatur unigenitus matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius, dicens: Adolescens, dico tibi, surge. Non ergo uerbo solùm sem per, ut diximus, uerumetiam tactu mortuos excitabat: ut ostenderet, corpus quoque suum uiuificare posse. Quòd si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo non uiuemus, qui carnem illam & gustamus & manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui. Nec uelis Iudaicè, Quomodo, quærere: sed recordari, quamuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamen ignis frigiditatis suæ oblita æstuat: hoc sanè modo etiam nos, quamuis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen uitæ ab imbecillitate nostra reuocati, ad protrietatem illius ad uitam reformamur. Oportuit enim certè, ut non solùm anima per Spiritum sanctum in beatam uitam descenderet: uerumetiam, ut rude atque terrestre corpus, hoc cognato sibi gustu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur.

Leo ait: Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de ueritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur. Sermone 6. de ieiunio 7 mensis.

Theodoretus inquit: Qui sacra mysteria percipimus, non ne ipsi Domino communicamus, cuius & corpus & sanguinem esse dicimus, quandoquidem omnes unius panis sumus participes? in epistolam priorem ad Corinthios, capite 10.

Isychius inquit: Sancta sanctorum sunt propriè Christi mysteria, quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad uirginem dicebat: Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Sed & Esaias: Sanctus Dominus, & in altis habitat: in sinu uidelicet patris. Ab hoc enim non solùm alienigenas & inquilinos, & mercenarios sacrificij prohibuit, sed nec

per

per ignorantiam percipere præcepit. Per ignorantiam autem percipit, qui uirtutem eius & dignitatem ignorat: qui nescit, quia corpus hoc & sanguis est secundum ueritatem. Sed mysteria quidem percipit, nescit autem mysteriorum uirtutem. Ad quem Salomo dicit, uel magis Spiritus, Prouerbiorum uigesimotertio, qui in eo est: Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ posita sunt ante te. apertè & ipse compellens & cogens eum qui ignorat, addere quintam partem. Hæc enim quinta addita, intelligere nos intelligibiliter diuina & mystica facit. libro sexto in uigesimumsecundum caput Leuitici. Et: Carnem eius, quæ ad comedendum inepta erat ante passionem (quis enim comedere cupiebat carnem Dei?) aptam cibo post passionem fecit. Si enim non fuisset crucifixus, sacrificium corporis eius minimè comederemus. Comedimus autem nunc cibum, sumentes eius memoriam passionis. libro primo in secundum caput Leuitici.

Primasius dicit: Qui manducat corpus meum, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. in undecimum cap. ad Romanos.

Gelasius inquit: Certè sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ: & tamen esse non desinit substantia uel natura panis & uini. Et certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur. aduersus Eutychen & Nestorium.

Iunilius ita scribit: Qua etiam uespera ad consummanda Paschæ legalis sacramenta, Dominus noster posterum agni typici mysteria nobis sui corporis & sanguinis celebranda denunciauit. in Genesin.

Eucherius ait: Communione corporis & sanguinis Domini uiuificari manifestũ est. in libros Regum, libro 4.

Claudius Victor dicit, Melchisedech regem, cui de prælio redeunti Abraham panem & uinum obtulit, esse figuram Christi:

Cuius de manibus sumens Ecclesia corpus
Viuificum panem, cœlesti pota cruore est.

libro tertio super Genesin.

Paulinus inquit:

In cruce fixa caro est, quo pascor: de cruce sanguis
Ille fluit, uitam quo bibo, corda lauo.

in duodecima epistola ad Seuerum. Item:

Carne tua uiuet, tunc illi pocula sanguis
Præbeat, in uerbo uiuat agatq; tuo.

in epistola 12. ad Seuerum.

Quòd impij etiam in usu cœnæ corpus & sanguinem Christi accipiant, sed in perditionem, docet Augustinus libro quinto contra Donatistas, de baptismo: Corp' enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui indignè edit de pane illo, iudicium sibi manducat. In Ioannem tractatu uigesimoseptimo: Hoc ergo totum ad hoc nobis ualeat, dilectissimi, ut carnem Christi & sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod & multi mali: sed usque ad spiritus participationem manducemus & bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut eius spiritu uegetemur: & non scandalizemur, etiamsi multi modò nobiscum manducant & bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. Eodem modo enim corpus Christi mixtum est tanquam area: sed nouit Dominus qui sunt eius. De Ecclesiasticis dogmatibus: Hoc sacramentum non in merito consecrantis, sed in uerbo efficitur creatoris: nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. De uerbis Domini in Euangelio super Matthæum: Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quòd iudicium sibi manducent & bibant, quum ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant? Nunquid & Iudas, magistri uenditor & traditor impius, quamuis primùm ipsum manibus eius confectum sacramentum carnis & sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas euangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, & Christus in eo?

Verba cœnæ Dominicæ integrè recitat Chrysostomus in uigesimumsextum caput Matthæi, Homilia octogesimatertia.

¶ Ignorarunt doctores commentum de una tantum parte cœnæ laicis danda, sicut patet ex sermone Chrysostomi de Eucharistia, ubi & corporis & sanguinis Domini mentionem fecit. & quidem de sanguine inquit: Reputate salutarem sanguinem, quasi è diuino & impolluto latere effluere, & ita approximantes labijs puris accipite. Item in secundum caput Matthæi, Homilia septima: Tu relinquis huius sanguinis fontem, calicemque reuerendum: & ad Diabolicum illum locum festinus accurris, ut scilicet spectes meretricem natantem, & naufragium animæ patiaris. De materiali & formali itidem præclarè inquit in uigesimumsextum caput Matthæi, Homilia octuagesimaquarta: Quòd si ipse pellere non audes, mihi

dicas, non permittam iſta fieri, animam prius tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indignè: ſanguinemque meum effundi potius patiar, quàm ſacratiſsimum illum ſanguinem præterquam digno concedam. Quòd ſi quis uenerit cum ſordibus ignoranter, nulla ueſtra culpa eſt. Nam hæc mihi de notis ac manifeſtis diſputata ſunt: quibus emendatis, citò nobis Deus etiam ignotos notificabit. Sin uerò notos admittemus, qua de cauſa ignotos nobis manifeſtabit? Hæc mihi dicta ſunt, non ut coërceamus ſolùm, ſed ut corrigamus & reducamus, & curam omnium habeamus.

Leo inquit: Non aliud agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quàm ut in id quod ſumimus tranſeamus, & in quo mortui & ſepulti & conreſuſcitati ſumus, ipſum per omnia & ſpiritu & carne geſtemus. Sermone 14. de paſsione Domini.

Paulinus ait in 9. Natali Felicis:

Vnus ubiq; calix Domini, & cibus unus, & una
Menſa, domusq; Dei.—

Quòd fide participandum, Auguſtinus monet, de uerbis Domini in Euangelium Lucæ: Nolite parare fauces, ſed cor. Inde commendata eſt iſta cœna. Ecce credimus in Chriſtum, cum fide accipimus. In accipiendo nouimus quid cogitemus: modicum accipimus, & in corde ſaginamur. Non ergo quod uidetur, ſed quod creditur, paſcit.

¶ Quomodo utendum cœna, Auguſtinus docet in Ioannẽ, tractatu uigeſimo ſexto: Hic eſt ergo panis, qui de cœlo deſcendit, ut ſi quis manducauerit ex ipſo, non moriatur: ſed qui pertinet ad uirtutem ſacramenti, non qui pertinet ad uiſibile ſacramentum: qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente. Ibidem: Accedat, credat, incorporetur, ut uiuificetur: non abhorreat à compage membrorum, quod reſecari mereatur: non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur. Super Ioannem Homilia octuageſimaoctaua: Accedens debet eſſe plenus ſanctimonia, & immaculatus. De uerbis Apoſtoli Sermone ſecundo: Tunc autem hoc erit, id eſt uita unicuiq; erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in Sacramento uiſibiliter ſumitur, in ipſa ueritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualitet bibatur. Audiuimus enim Dominũ dicentẽ: Spiritꝰ eſt q uiuificat, caro nõ ꝓdeſt quicquã. Verba quę locutꝰ ſum, ſpiritꝰ & uita ſunt. Ibidẽ: Rogo uos fratres, diligẽter attẽdite. Si ad mẽſam cuiuſcunq; potentis hominis, nemo præſumit cum ueſtibus ſciſsis & inquinatis accedere: quanto magis ad conuiuiũ æterni regis? Ideo ab altari Domini debet ſe unuſquiſq; inuidię uel odij ueneno percuſſus, iracundiæ furore repletus, cum reuerentia & humilitate ſubtrahere, propter illud quod ſcriptum eſt: Vade prius, reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum. Et iterum: Quomodo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? Et illo obmuteſcente, dixit miniſtris: Ligate illi manus & pedes, & proijcite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Ecce qualem ſententiam merebitur audire, qui ad conuiuium nupţia le, id eſt ad altare Domini aut ebrius, aut adulter, aut odium in corde retinẽs, pręſumit accedere. Auertat hoc Deus à nobis.

Iſychius ait: Simul ſanctus, ſimul & nutritor ſubſtantię noſtrę intelligibilis prędictus panis eſt: nec pollutos eum percipere præcepit, nec rurſus mundatos prohiberi uult. Vtrumque enim planè & Paulus præcipit. ad Corinthios 11. Quicunq; enim comedet panem, & bibet calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Ecce iſte eſt pollutus & immundus. Hunc enim intelligis omnimodo indignè comedentem, à ſanctorum prohibitum participatione. Quid autem his addit? Probet autem ſe homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui autem ſemetipſum probat, ſi peccati ſibi conſcius eſt, & pollutionem animę ſe habere ſentit, pœnitet ſine dubio: & poſt pœnitentiam de pane comedere, & bibere rurſus de calice ſancto & impolluto poteſt. libro ſexto in uigeſimum ſecundum caput Leuitici. Et: Illud intelligere tibi maximè mandati huius legis utile eſt atque iuuans, quòd non ſolos ſacerdotes, ſed & omnes miniſtrantes, non præſumere ſine metu ſanctorũ perceptionẽ uult, intueriq; traditam à lege diſtinctionem, quæ pœnitẽtes quidem præcepit ad ſancta accedere, ante aũt pœnitẽtiam prohibet. lib. 6. in 22. caput Leuitici. Et: Ad corpus Chriſti in quo eſt omnis ſanctificatio. in ipſo enim omnis plenitudo inhabitat diuinitatis, ſine ſubtrili dijudicatione noſtri non temerè accedamus, ſed prius noſmetipſos probemus, reminiſcẽtes eius q dixit, Quicũq; comederit, &c. Probet aũt ſemetipſum, &c. Qualem probationẽ dicit? Id eſt, ut in corde mũdo, atq; cõſciẽtia, & pœnitentiã eorũ quæ olim deliquit intendẽti, participetur ſanctis, ad ablutionẽ peccatorum ſuorũ. lib. 7. in 26. caput Leuitici.

Sedulius inquit: Etiã quæ ſunt munda per naturam, eis immunda fiunt, non quòd uel mundum aliquid uel immundum ſit, ſed pro qualitate ueſcentium, & mundum mundis, & immundũ contaminatis fiat. alioqui infideles quoſq; & pollutos, etiã panis benedictionis & calix Dominicus nõ iuuat: quia qui comederit indignè de pane illo,

lo, & de calice biberit, iudiciũ ſibi manducat & bibit. in primum caput ad Titum.

Qui remouendi ſint ab uſu cœnæ, docet Auguſtinus, ad inquiſitiones Ianuarij, capite 3: Imò (inquit) ſi tanta eſt plaga peccati, atq; impetus morbi, ut medicamenta talia differẽda ſint, autoritate antiſtitis debet quæ ab altario remoueri ad agendã pœnitẽtiam, & eadẽ autoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tẽpore accipiat quo debet agere pœnitentiã, nõ ut arbitrio ſuo, cũ libet, uel auferat ſe communioni, uel excõmunicandus quiſq; homo iudicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Dominici corporis ſeparare.

De effectu cœnæ Domini ita docet Chryſoſt. Quemadmodũ corpus illud unitum eſt Chriſto, ita & nos per hunc panẽ unione cõiungimur. in 10. cap. prioris epiſtolæ ad Corinth. Hom. 24. Itẽ: Quemadmodũ frigida acceſsio periculoſa eſt, ita nulla myſticæ illius cœnę participatio peſtis eſt & interitus. Ipſa nam q; mẽtis, fiducię uinculũ, fundamentũ, ſpes, ſaluſ, lux, uita noſtra. Si hinc hoc ſacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia ſanctũ aſcendemus ueſtibulũ, tãquã aureis quibuſdã ueſtibus undiq; contecti. Et quid futura cõmemoro? Nam dũ in hac uita ſumus, ut terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſteriũ. in decimum caput ad Corinth. primæ epiſtolæ, homilia 24. Auguſtinus libro primo de peccatorum meritis, cap. 24: Optimè Punici Chriſtiani baptiſmũ ipſum nihil aliud quàm ſalutem, & ſacramentũ corporis Chriſti nihil aliud quàm uitam uocant. Vnde niſi ex antiqua (ut æſtimo) & Apoſtolica traditione, qua Eccleſię Chriſti inſitũ tenent, prę ter baptiſmũ & participationem Dominicæ menſæ, non ſolùm non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & uitam æternã poſſe quenquam hominum peruenire?

Leo inquit: In illa myſtica diſtributione ſpiritualis alimoniæ hoc impartitur, hoc ſumitur, ut accipientes uirtutem cœleſtis cibi, in carnẽ ipſius, qui caro noſtra factus eſt, trãſeamus. epiſt. 23 ad Conſtantinopolitanos.

Iunilius inquit: De latere Chriſti dormiẽtis exiuit ſanguis & aqua, de quib. ſacramẽtis naſcitur ac nutritur Eccleſia. Vnde de ijſdem ſacramentis dicit ipſe Dominus: Qui mãducat carnẽ meam, & bibit meũ ſanguinẽ, habet uitam æternam. in Geneſin.

Chryſoſt. in 26. Matthæi, Homilia 86: Videamus quãtũ ei ſtudiũ fuerit, ut ſemper memoria teneamus, pro nobis ipſum mortuũ eſſe.

¶ Quòd ſit menſa ſpiritualis, & animã repleat cœna Domini, in homilia de cruce Dominica Chryſoſt. monet: Hodie uolo menſam uobis apponere ſpiritalem, non corpus reficientem, ſed animam lucidantem. Talis etenim eſt menſa ſpiritualis, non ſicut illa quæ uentrẽ onerat, & obtundit animã: ſed ſicut ille, qui cũ mirũ aliquid comederit, odorẽ ſuauitatis eructat. ſermo enim eſt ſpiritalis, & nõ ſolùm ſemetipſum odore replet bono, ſed & proximos ſuos replet ſuauitatis dulcedine, &c.

Chryſoſt. ait, nos unũ cum Chriſto corpus effici, Hom. octuageſimatertia in 26. caput Matthæi: Non enim ſufficit ipſi, hominẽ fieri, flagellis iterum cædi: ſed nos ſecum in unam (ut ita dicam) maſſam reducit. neq; id fide ſolùm, ſed reipſa nos corpus ſuũ efficit. Qua igitur re mundiorẽ eſſe nõ oportet eũ, qui hoc ſacrificio participaturus eſt? quos radios ſolares nõ deberet excedere manus illa, quæ hanc coronã pertractat? os, quod igne impletur ſpirituali? lingua, quæ cruentatur hoc admirabili ſanguine? Veniat in mẽtem tibi, quo ſis honore honoratus, qua menſa fruaris. Ea namque re nos alimur, quam angeli uidentes tremunt: nec abſque pauore, propter fulgorem, qui inde reſilit, aſpicere poſſunt, & nos in unam cum illo maſſam reducimur, Chriſti corpus unum, & una caro. Quis loquetur potentias Domini? quis auditas faciet omnes laudes eius? quis paſtor unquam membris ſuis oues ſuas nutriuit?

Iudam percepiſſe euchariſtiam, Auguſtinus multis in locis refert. ut Pſalmo decimo: Chriſtus traditorem ſuum tanta patientia pertulit, ut ei primam euchariſtiam, confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut cæteris Apoſtolis traderet. In Ioannem, ſuper locum, Fut erat, etcætera. De uno pane & Petrus & Iudas accepit, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad uitam, Iudas ad mortem. Qui enim manducat indignè, reus erit, etcætera. Super Ioannem tractatu uigeſimoſexto: Non enim Dominica buccella uenenum fuit Iudæ, & tamen accepit: & quum accepit, in eum inimicus intrauit. non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit. In Iohannem tractatu quinquageſimonono: Apoſtoli manducabant panem Domini, Iudas uerò panem Domini contra Dominum. illi uitam, ille pœnam. Qui enim manducat indignè (ut Apoſtolus ait) iudicium ſibi manducat. De utilitate agendæ pœnitentiæ, capite ſexto: De ipſo quippe pane, & de ipſa Dominica manu, & Iudas partem, & Petrus accepit: & tamen quæ ſocietas? quæ conſonantia? quæ pars Petro cum Iuda? Quoniam nec cauſa cauſæ præiudicat, nec perſona perſonæ.

DE SACRIFICIO.

SAcrificium noui Testamenti ita describit Augustinus, de gratia noui Testamẽti ad Honoratum, epistola centesima uigesima, cap. 16: Et paulo pòst, ut ostẽderet sacrificium noui Testamenti, quãdo illa fuerant cessatura, Immola (inquit) Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Et in fine eiusdem Psalmi: Sacrificium, inquit, laudis glorificabit me, & illic uia est qua ostendam illi salutare meum. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio noui Testamenti: quod ubi & quando & quomodo offeratur, quum fueris baptisatus, inuenies. Item, in Psalmum quadragesimumnonum: Immola Deo sacrificium laudis. Ad me redeam, ubi inueniam quod immolem. Ad me redeam, in me inueniam laudis immolationem. Ara tua, conscientia tua, immola Deo sacrificium laudis. Sic definit sacrificium libro decimo de ciuitate Dei, capite sexto: Verum sacrificium est, omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo ueraciter beati esse possumus. Vnde & ipsa misericordia, qua homini subuenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium. Etsi enim ab homine fit uel offertur, tamen sacrificium res diuina est, ita ut hoc quoque uocabulo id Latini ueteres appellauerunt. Vnde ipse homo Dei nomini consecratus, & Deo deuotus, inquantum mundo moritur, ut Deo uiuat, sacrificium est.

Cyrillus uerò sic de Christianorum sacrificio docet, libro decimo contra Iulianum: Sacrificamus autem nunc multo melius, quàm illi olim. Descendit enim cœlitùs non sensibilis ignis, imaginem ineffabilis naturæ complens, sed ex patre per filium spiritus sanctus, illustrans Ecclesiam. Adhibemus autem & sacrificia, spiritualia scilicet, & mentalia. Nam illi qui ex sanguine Israel, offerebant Deo boues & oues, turtures & columbas, & ex fructibus, & similam oleo sparsam, & lagana & thura: nos autem tam crasso ministerio relicto, præceptum habemus, ut tenue ac spirituale & subtile perficiamus. Offerimus enim in odorem suauitatis Deo, uirtutes omnigenas, fidem, spem, charitatem, iusticiam, continentiam, obedientiam, facilitatem, perpetuas laudes, & alias uirtutes. Istud enim sacrificium minimè carnale, simplicem & secundum naturam incorporeum decet Deum. Et mentalis fragrantiæ oblationes sunt uerè honestæ uitæ modi. Ita enim alicubi dicit ipse: Misericordiam uolo, & non sacrificium, agnitionem Dei magis quàm holocaustomata. Et optimus Samuel: Ecce, an non auscultatio bona magis quàm sacrificium, & obedientia plus quàm ossa arietum? Psallit autem & diuinus Dauid: Sacrifica Deo hostiam laudis. Et iterum: Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam iubilationis. Præcepit autem & Paulus, dicens: Exhibete corpora uestra hostiam uiuam, sanctam, placentem Deo, rationale obsequium uestrum. Quod autem in umbris secundum legem, eos qui ex sanguine Israel, absque prudentia immorari non permiserit Deus, & ex ipsis sciemus sacris Scripturis. Etenim præcepit quidem immolari agnum, ad figuram Christi: ueruntamen, Sic comedetis illum, dicit: Sint lumbi uestri præcincti, & calceamenta in pedibus uestris, & baculi in manibus uestris. Vide igitur, quomodo in peregrinorum humilitate comedere iusserit, ut res ipsæ significent, quòd figuræ non semper duraturæ sint, sed quodammodo ad ueritatem currant. Igitur quum peruenisset figura ad ueritatem, nos pro igne sensibili spiritum accipientes, rationabile implemus ministerium. Ita enim dicitur Christus baptisare nos in Spiritu sancto & igne. Quòd autem aries monstratus est Abrahæ, quem & sacrificauit pro Isaac: dicimus quòd & ille fuerit figura Christi, qui per nos, & propter nos, mortem secundum carnem sustinuit, ut nos morte & corruptionem liberaret. Iam si sacrificasset Abraham ignem alienum, ut dicit, sacrificijs innitens, & non omnino illum qui est ex igne, hoc omnino nihil ad nos. Nam caeuentibus sacrificare Deo quæ lege definita sunt, & excusationis prætextum facientibus quòd cessarint: ipse, quòd non supernè & ex cœlo descendat ignis, attulit in argumentum fortissimum, nos diuinas leges contemnere, sed alieno igne usum esse Abraham. Quoniam autem melius nos quàm illi seruiuimus, sacrificantes Deo spiritualia, & pro igne sensibili spiritum recipientes, ne redarguar, dicens: Quare non adducamus sacrificia altaribus? Obluctatur enim diuinus Paulus, tantum non clamans, & dicens: Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Transmutati enim sumus ad nouitatem uitæ Euangelicæ, & inducti ad perfectas disciplinas, relicta legalis literæ institutione, & adolescentibus quidem adhuc conuenientis, nobis autem non item, qui in uirum perfectum occurrimus, & peruenimus usq; in finem ætatis plenitudinis Christi.

¶ Du-

¶ Duplex sacrificium commemorat Augustinus, sermone centesimo quinquagesimo secũdo de tẽpore: Deniq;, inquit, duplex à nobis sacrificium quęrit Deus. unum, ut simus casto corpore: aliud, ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est in corde nostro, offerantur opera bona: in corde, odorem suauitatis redoleat cogitatio sancta. In altari cordis nostri iugiter, quod est Deo placitum, operemur.

De Christi sacrificio inquit Augustinus libro primo contra aduersarium legis & prophetarum, capite decimooctauo: Verùm sicut nobis, non illi, utile est offerre sacrificium Deo: & quoniam singulari & solo uero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est, ideo primis temporibus ad hoc sacrificium talibus significationibus significandum & prophetandum, immaculatorum animalium sacrificia Deus sibi iussit offerri, ut quemadmodum illa immaculata erant à corporum uitijs, ita sperretur immolandus esse pro nobis, qui solus immaculatus fuerat à peccatis. Propcium: & quod sacrificium, nisi occisio illius sper ait: Quæ est propitiatio, nisi sacrifiagni, qui tulit peccatum mundi, & uenit ut legem ueteris Testamenti noua lege Euangelicæ ueritatis impleret? in expositione Psalmi CXXIX.

Hesychius inquit: Sacrificium unigeniti esse quidem eius carnis, per uirtutem ruris diuinitatis eius, & per beneplacitum patris, ad remissionem peccatorum nostrorum, & ereptionem, simulque ad donum subministrationis spiritus peragi, apertè ex uerbis legislatoris manifestatur. Libro quinto, in decimumsextum caput Leuitici. Et: Christi sacrificium pro omni genere humano oblatum est. libro secundo in septimum caput Leuitici. Item: Domini sacrificium ad ablutionem naturæ nostræ peccatorum factum est. in octauum caput Leuitici.

Eucherius inquit: In hanc partem sacerdotalem, postulat comedere buccellam panis. Quibus uerbis ipsum sacrificium Christianorum eleganter expressum est, de quo dicit sacerdos ipse: Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita. Ipsum quippe est sacrificium nõ secundum ordinem Aaron, sed secundũ ordinem Melchisedech. in libros Regum libro primo.

¶ De piorum sacrificijs inquit Augustinus libro decimo de ciuitate Dei, capite quarto: Cum ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum, eius unigenito cum sacerdote placamur, ei cruentas uictimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro eius ueritate certamus: ei suauissimum adolemus incensum, cùm in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus: ei dona eius in nobis, nosque ipsos uouemus & reddimus: ei beneficiorum eius solennibus festis & diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne uolumine temporum ingrata subrepat obliuio: ei sacramus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis, igne feruidæ charitatis. Item libro decimo de ciuitate Dei, capite 6: Cum igitur uera sacrificia opera sint misericordiæ, siue in nosipsos siue in proximos, quæ referuntur ad Deum: opera uerò misericordiæ non ob aliud fiant, nisi ut à miseria liberemur, ac per hoc ut beati simus: quod non fit nisi à bono illo, de quo dictum est, Mihi autem adhærere Deo bonum est: profectò efficitur, ut tota ipsa redempta ciuitas, hoc est congregatio sanctasque sanctorum, uniuersale sacrificium offeratur Deo, per sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam serui. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est: quia secundum hanc Mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est.

Theodulus ait: Quia sacrificij mentionem facit, ne quis existimet nos mactari iuberi, intulit: Viuens, seu uiuentem hostiam. Quî uerò erit uictima corpus? Videant oculi quæ recta sunt, lingua manusque: altera quidem laudibus Dei, altera uerò præceptis uacet: sic fiet hostia uiua ipsum corpus. Secernens itaque sacrificium istuc à Iudaico, sanctum (inquit) beneplacens, & rationis capax. Nam Iudaica uictima corporea & externa cum esset, non perinde sancta aut beneplacens erat. Exhibete corpora uestra hostiam cruore uacantem. in caput duodecimum ad Romanos.

Eucherius inquit: Acceptissima Deo sacrificia sunt, iusticia & misericordia. in Epistola parenætica.

De abrogatione sacrificiorum ueteris Testamenti, ait Prosper: Sacrificia sunt legalia instituta usque ad Christum regnantem: qui sui corporis oblato sacrificio, saluos fecit pusillos cum magnis. de promissionibus & prædictionibus capite quarto.

Primasius inquit: Neque enim Christus qui est hostia nostra, iterum immolandus est pro peccatis nostris. hoc enim semel factum est, & secundò opus non est: sed magis quidem opus est post acceptam gratiam permanere in fide recta, & mundicia bonorum operum. in decimum caput ad Ebræos.

De fine sacrificiorum sic inquit Theodoretus: Haud itaque uictimarum indigens Deus, nidoris ue appetentior, sacrificia illa instituit: sed ut imbecillitati eorum sapienter hoc pacto leniterq; consuleret. Ita & Musica instrumenta passus est esse, non qui illorum concentu suas ipse aures oblectaret, sed ita paulatim idolorum præstigia surrepturus. Etenim si, ut primùm ab Ægypti conuersatione liberati fuerant, perfectas eis leges obiecisset, absq; mora utique resilijssent, frenumq; accipere indignati, ad pristinam labem cupidè recurrissent. libro 7. de Sacrificijs

Omnes pios esse sacerdotes, Augustinus tradit libro uigesimo de ciuitate Dei, capite decimo: Sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis, de quib. apostolus Petrus: Plebs (inquit) sancta, regale sacerdotium, &c.

DE ECCLESIA.

QVasdam Ecclesiæ appellationes recitat Augustinus libro 3. de Symbolo ad Catechumenos, capite 13: Sancta Ecclesia in qua omnis huius sacramenti terminatur autoritas, mater & uirgo, corpore casta, prole fœcunda, sponsa Christi superius declarata, piè nutrit filios, quos Deo patri dignos assignare contendit.

Isychius uocat Ecclesiam, aulam diuinã: libro 6. Commentariorum in 22. caput Leuitici. Item, nostram matrem, eodem cap.

Eucherius ait: Paradisus Ecclesia est. sic enim de illa legitur in Canticis canticorum: Hortus conclusus soror mea. A principio autem paradisus plantatur, quia Ecclesia catholica à Christo principio omnium condita esse cognoscitur. Fluuius de paradiso exiens imaginẽ portat Christi, de paterno fonte fluentis, qui irrigat Ecclesiam suam uerbo prædicationis, ex dono baptismi. lib. 1. in Geneseos caput 14.

¶ Ecclesiam ita definit Chrysost. Nihil aliud est Ecclesia, quàm ex nostris animabus constructa domus. Non est autem ipsa domus eiusdem honoris in omnibus: sed lapidum, ex quibus est perfecta, quidam quidẽ splendidi sunt, & illustres, quidã uerò minoris gloriæ & obscuriores. in 4. cap. ad Ephes. Serm. 10. Et Hom. 9. in Marcũ inquit: Vides ergo, quoniã domus Dei Ecclesia est. Dicitur ergo ei, Vade in domũ tuã: hoc est, in domũ fidei: hoc est, in Ecclesiã, ne reuertaris in uinculũ Iudęorũ. In qua Ecclesia utinã semper maneamus, cõcedente Domino, qui uiuit & regnat in secula seculorũ, Amen.

Periphrasticè eam sic describit Augustinus lib. 3. de symbolo ad Catechumenos, cap. 10: Ecclesia mater spiritualis est, Ecclesia sponsa Christi est, gratia eius dealbata, precioso sanguine dotata. Totum possidet, quod à uiro suo accepit in dote. Lego tabulas matrimoniales eius, recitabo. Audite hæretici quid scriptum sit: Oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, per omnes gentes. Omnes gentes, totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod à uiro suo accepit in dote. Quæcunq; congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona.

Leo inquit: De salutis suæ sacramentis gaudeat Ecclesia, quæ corpus est Christi. Sermone 5. in solennitate natiuitatis Domini.

Sedulius ait: Omnis Ecclesia corpus Christi est, singuli autem membra, caput autem Christus est. in 6. caput ad Corinthios. Idé ijsdem uerbis exprimit Primasius in 6. cap. ad Corinthios.

¶ De duplici Ecclesia Eucherius inquit: Domus Domini, quam ædificauit rex Salomon in Hierusalem, in figura facta est sanctę uniuersalis Ecclesiæ, quæ à primo electo usque ad ultimum qui in fine mundi nascturus est, quotidie per gratiam regis pacifici, sui uidelicet redemptoris, ædificatur: quæ partim adhuc peregrinatur ab illo in terris, partim euasis peregrinandi ærumnis cum illo iam regnat in cœlis, ubi peracto ultimo iudicio toat est regnatura cum illo. in Commentarijs in libros Regum, lib. 3.

¶ Notam Ecclesiæ esse doctrinam, Isychius tradit: Atrium tabernaculi testimonij, id est cœli, Ecclesia est, non solùm sicut introitus & uestibulum cœlorum, sed etiam quẽadmodum domus Dei. ibi ergo, id est in ea oportet omnimodo de diuinitate loqui, siue Theologiam exercere. In Ecclesijs enim, ait, benedicite Domino. libro 2. commentariorum in 6. caput Leuitici.

¶ Vnde sit Ecclesia, docet Chrysostomus, Sermone de Pentecoste: Propter Ecclesiam prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli: & quid plura dicam? propter Ecclesiam unigenitus filius Dei homo factus est, sicut dicit Paulus: Qui proprio filio non pepercit, ut Ecclesiæ mederetur, sanguinem filij effudit propter Ecclesiam. Hic sanguis irrigat Ecclesiã, & ideo plãtaria eius marcescere nõ possunt, nec amittũt folia arbusta eius: nõ subiacet necessitati tẽporis, nec est cõditioni obnoxia, ut per æstatẽ coma foliorum regatur, hyeme amittatur. Nõ tenetur tẽporũ qualitate, sed Spiritus eã sancti gratia gubernat: & ideo nõ senescit, nec contrahitur, & multis impugnantib. nõ opprimitur. Et cõtra gentes demonstrat, Christum esse Deum, præcipuè hoc argumento, quòd Christianorum genus plantauit Christus, omnesq; undequaq:

quaque Ecclesias orbis fundauit sine armis, sine exercitu.

Prosper ait: Nisi Dominus ędificauerit domũ. Quod utiq; de tota Ecclesia intelligẽdũ est, quæ est Hierusalẽ, in omnium compage sanctorum una domus, & unum templum, & una ciuitas: cuius extructio ab initio usque in finem Domino ędificante consurgit: fine cuius gratia nihil est solidum, nihil firmum. in expositione Psalmi 126.

Sedulius libro 4. ait:

Victima quæ dabitur, cum uictima pastor habetur.
Discedat synagoga suo fuscata colore,
Ecclesiam pulchro Christus sibi iunxit amore.

Salonius inquit: Christus Ecclesiastes, id est concionator noster, qui congregat cœtũ, uidelicet sanctam Ecclesiam de uniuerso orbe terrarum. in Ecclesiasten.

Eucherius ait: Noster autem Dauid, ipse IESVS, ab ouib. plebis Iudaicę ablatus, in regno gẽtiũ trãslatus est. A Iudæa enim plebe modò Christus ablatus est, unde nũc gentiũ greges pascit. in Comment. in libros Regũ lib. 1. Itẽ: Cum aũt dicitur, de patre esse fororẽ Christi Ecclesiã, nõ de matre: nõ terrenæ generationis, quæ euacuabitur, sed cœlestis gratiæ quæ in æternũ manebit, cognatio commendatur: secundum quam gratiam, genus mortale non erimus accepta potestate, ut filij Dei uocemur, & simus. Neque enim hãc gratiam de synagoga, matre Christi secundum carnem, sed de Deo patre accepimus. libro 2. in Genesin. Item: Ecclesia constituitur à Christo ex omnibus gentibus in ętternum uicturis. libro 1. in Geneseos caput 41. Et: Christus est mons montium, in quo ciuitas siue domus Domini constructa est: quia si non in illo radicem figat spes & fides nostra, nulla est. in Commentarijs in libros Regum, libro 3.

Iunilius uocat Christum secundum Adamũ, mediatorẽ uidelicet Dei & hominum. dicitq;, ex latere eius nasci Ecclesiam, non secus ac ex costa Adami Eua creatur. Iunilius in Genesin. Item: Sicut Deus de latere dormiẽtis Adę fœminã creauit Euã: sic de latere secũdi Adami, id est Christi dormiẽtis exiuit sanguis & aqua: de quib. sacramentis nascitur & nutritur Ecclesia, quæ est mater omniũ per orbẽ, uera uita uiuentium, quod Euæ nomẽ sonat. Iunilius in Genesin.

De fidelib. inquit Eucherius: Sancta uniuersalis Ecclesia consistit ex populis fidelibus. in Comment. in libros Regum, lib. 3.

De malis in Ecclesia Christi, sic inquit Augustinus libro primo de morib. Ecclesiæ catholicæ, capite 34: Nũc uos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ catholicæ maledicere desinatis, uituperando mores hominum quos & ipsa condẽnat, & quos quotidie tã quã malos filios corrigere studet. Itẽ de fide ad Petrũ, cap. 43: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, areã esse Dei Ecclesiã catholicã, & intra eã usq; in finem seculi fruméto mixtas paleas cõtineri: hoc est, bonis malos sacramentorũ cõmunione misceri, & in omni ꝓfessione siue clericorum, siue monachorum, siue laicorũ bonos esse simul & malos, nec pro malis bonos deserẽdos, sed ꝓ bonis malos, in quãtũ exigit fidei & charitatis ratio, tolerãdos: id est, si uel in Ecclesia nullius ꝓfidię semina spargũt, uel fratres ad aliquod malũ opus mortifera imitatione non ducũt: nec posse aliquẽ intra Ecclesiã catholicã rectè credentẽ, beneq; uiuentẽ alieno unquã maculari peccato, si cuiquã peccãti nec consensionẽ præbeat, nec fauorẽ: utiliterq; malos à bonis intra Ecclesiã tolerari, si hoc cum eis bene uiuẽdo & bene monẽdo agatur, ut & uidẽtes & audiẽtes, quæ bona sunt, mala sua respuãt, iudicãdos se à Deo pro suis malis operib. cõtremiscãt, atq; ita præueniente dono gratię, de suis iniquitatib. cõfundãtur, & ad bonã uitã per Dei misericordiã cõuertantur. Bonos uerò à malis, intra Ecclesiam duntaxat catholicam constitutis, non debere nisi operum dissimilitudine separari: ut quibus diuina communicant sacramenta, non habeãt mala opera, quib. illi sunt criminosi, communia. In fine uerò seculi, bonos à malis etiam corpore separandos, quãdo ueniet Christus habẽs uentilabrũ in manu sua, & permundabit aream suam, & cõgregabit triticũ in horreũ suũ: paleas aũt cõburet igni inextinguibili, quando per iudiciũ iustum segregabit iustos ab iniustis, bonos à malis, rectos à peruersis, bonos constituet à dextris, malos à sinistris: & ex eius ore iusti æterniq́ue iudicij sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniqui omnes ibunt in combustionem æternam, iusti autem in uitã ętternã: iniqui semper arsuri cum diabolo, iusti aũt regnaturi sine fine cũ Christo. Itẽ contra Petiliani Donatistæ epistolã cap. 13: Habemus innumerabilia testimonia, & de cõmixtione malorũ cum bonis, in eadem cõmunione sacramenti, sicut Iudas ab initio malus inter bonos undecim cõuersatus est, & de bonorũ paucitate propter malorũ plurimã cõparationẽ, & rursus de bonorũ multitudine per seipsam considerata: ex quibus (ne longum faciam) pauca cõmemorabo. Est in Canticis canticorũ, quòd de sancta Ecclesia omnis Christianus dictũ esse agnoscit: Sicut lilium inter spinas, ita proxima mea in medio filiarum. Item: Qui gemunt & mœrent peccata & iniquitates populi mei, quæ fiunt in medio eorum. Item in Euangelio Matthæi: Sinite utraque crescere usque ad messem. Item: Simile

Simile est regnum cœlorum sagenę missę in mari, quę congregat omnia genera piscium. Cum autem esset impleta, eduxerũt omnia ad littus, & sedentes elegerunt optimos in uasa sua, malos autem foràs miserunt. Sic ergo erit in consummatione seculi. Item: Intrate per angustam portam. Item libro septimo de baptismo contra Donatistas, capite secundo: Alios autem ita dici cõstat esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ, pacificæq; iusticiæ, sed sicut esse palea dicitur in frumentis. Nam & istos esse in domo, negare non possumus, Paulo apostolo dicente: In magna aũt domo non solùm aurea uasa sunt, & argẽtea, sed & lignea & fictilia: & alia quidem sunt in honorem, alia uerò in contumeliam. Item Sermone 107: Habet ergo Ecclesia in se fortes, habet infirmos, habet iustos, habet & iniustos. Modò enim corpus Christi, quod iustis area est, postea horreum erit. Tamen cum area est, non recusat paleas sustinere. Cum tempus aduenerit, reponet triticum, & à paleis segregabit. In Psalmum 42. In omni congregatione multitudinis necesse est ut inueniantur mali. Deus enim qui nouit exercendos nos, miscet nobis & non perseueraturos: aut certè ita simulatos, ut nec inchoauerint in quo perseuerare debeant. Nouit enim necessarium esse nobis ut feramus malos, & proficiat quod boni sumus.

Prosper ait: Nunc uerò Ecclęsia aut arca, uelut munda & immunda animalia, bonos malosq; portare cognoscitur, usque in prædictum finem, de quo Dominus & Saluator noster in Euangelio testatus est. de promissionibus & prædictionibus Dei, cap. 7.

Primasius inquit: Magnam domum Ecclesiam esse dicit, in qua sunt mixti & boni & mali, certi & ficti, iusti & iniqui: sicut & area, in qua triticum & palea simul, cum zizania à tritico fuerit separata. Nam modò quòd peius est, multi ficti Christiani intrant Ecclesiam, & populo Dei miscentur, sicut Manichæi & reliqui. in 2. caput ad Timoth.

Eucherius ait: Plures sunt in sancta Ecclesia carnales quàm spirituales: plures qui uitiorũ illecebras refrenando cohibent, quàm qui superato ac sopito uitiorum certamine, adepta uirtutum securitate lætantur. in Cõmentarijs in libros Regum, lib. 3.

De fundamento inquit Eucherius: In statu præsentis Ecclesiæ, electi super fundamẽtum Christi omnes sunt ædificati, sibiq; inuicem in ordine per temporum curricula succedunt: seseq; inuicem portantes, legem Christi, quæ est charitas, adimplent. in Cõmentarijs in libros Regum, lib. 3.

¶ Vnum esse caput Ecclesiæ, docet Prosper: Tota Ecclesia cum suo capite, quod est Christus, unus homo, cuius proprium officium est in omni tempore benedicere Dominum, seque in laudem eius quem ex tota uirtute sua diligit cohortari. Interiora autẽ eius sunt ratio intelligentiæ, spes fidei, humilitas timoris, fortitudo charitatis, &c. in expositione Psalmi 111. Isychius ait: Christus est caput Ecclesiæ. libro 2. Commentariorum in 9. caput Leuitici. Primasius inquit: Christus caput Ecclesiæ, est omnium plenitudo membrorum. in primum caput ad Ephesios.

Eucherius inquit: Assumpsit Deus carnẽ, & factus est caput Ecclesię, ut operaretur: id est, uolũtatem patris, ex omnibus gentibus Ecclesiam impleret. libro primo Geneseos, capite decimoquarto.

¶ Porrò Ecclesiam orbis columnam appellat Chrysostomus, in primum ad Timotheum, capite tertio, Homilia 11. Cohærẽtiam eius Augstinus exprimit contra Petiliani Donatistæ epistolam, capite secundo: Membra uerò Christi per unitatis charitatẽ copulantur sibi, & per eandem capiti suo cohærent, quod est Christus Iesus. Totum igitur quod annunciatur de Christo, caput & corpus est.

¶ Christum esse fundamentum Ecclesiæ, Augustinus docet in Psalmum 103. Firmauit Ecclesiam super firmamentum Ecclesiæ, Quid est firmamentum Ecclesiæ? Quid est fundamentum Ecclesiæ, nisi fundamentum Ecclesiæ, nisi de quo dicit Apostolus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus? Et ideo tali fundamento suffulta, non inclinabitur in seculum seculi.

Item, unicum Deum docet esse notam Ecclesiæ Theodoretus, inquiens: Quemadmodum monoceros unicum habet cornu, sic populus uerè pius unicum Deum adorat. Quæstione 44. in Numeros.

Eucherius ait: Eo autem tempore, quando linguarum facta est uarietas, in sola domo Heber, quæ antea fuit lingua, remansit: ita & nunc in sola Ecclesia, quæ est domus Christi, unitam esse confessionis & fidei pacem, diuisis omnibus reprobis, restat. libro secundo in Geneseos caput 7. Et: In gloria quippe Christi rectè uiuit Ecclesia, ut pulchritudo eius honor sit uiro eius. Sicut Abraham propter Saræ pulchritudinem interalienigenas honorabatur, &c. Et addit: Est enim & sancta Ecclesia Domino IESV Christo in occulto uxor. occultè quippe atq; intus, in abscondito secreto spiritu ali, anima humana inhæret uerbo Dei, ut sint duo in carne una, quod magnum coniugij sacramentum in Christo & in Ecclesia commendat

dat Apostolus. lib. 2 in Geneseos caput 32. Item: Sancta Ecclesia studet non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. lib. 2. cap. 32. Item: Ecclesia fortissima ad omnem cohærentiam passionis. Hęc in littore maris inhabitat, ut uideat aliorum naufragia, ipsa immunis periculi expectat alios, fluctuantes in freto istius mundi, qui circumferuntur omni uento doctrinæ: ipsa fidei radice immobilis perseuerat, expectãs hæreticorum procellas, & naufragia Iudæorum: quoniam gubernatorem quem habuerunt, abnegarunt. lib. 3. in Geneseos caput 38. Itẽ: Ostium enim portæ, initium fidei, inde incipit Ecclesia, & peruenit usque ad speciem, ut cum credit ea quæ non uidet, mereatur perfrui, cum ea uidere facie ad faciem cœperit. lib 1. Commentariorum in libros Regum. Item: Sicut fasciculus unus quibuslibet uinculis alligatur: ita omnis cœtus sanctorum una eademque fide, spe & charitate ad inuicem constringitur, uno diuinæ protectionis munimine circundatur. lib. 1. Commentariorũ in libros Regum. Et: Nam etsi primitiua Ecclesia maxime de Iudæis efflоruit, & omnis Israel circa finem seculi saluandus esse creditur, plurimi fidelium huius corporis congregantur ad Euangelij susципienda sacramenta. quibus etiam hoc diuinitùs donatum est, ut reuelatis oculis cordis sui manifestè cognoscant literam ueteris Testamenti, Euangeliæ gratiæ plenam esse mysterijs. libro tertio Comment. in libros Regum. Item: Ecclesia omnium credentium mater est, quæ natos ad mortem regenerat ad salutem: per quam Christus plus restituit in gratia, quàm perijt in natura, & de Adæ transgressoris genere prolem in adoptionem diuinæ paternitatis assumpsit, & de paradiso exhæredatos cœlo reddidit ciues. lib. 3. Commen. in libros Regum.

Remissionem peccatorum & claues esse notam Ecclesiæ Christi, monet Augustinus in epistola Ioannis, tractatu 10: Vbi remissio peccatorum, ibi Ecclesia est. Quomodo Ecclesia? illi enim dictum est: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ solueris in terra, soluta erunt & in cœlis: & quæ ligaueris in terra, ligata erunt & in cœlis. Quà diffunditur ista remissio peccatorum? Per omnes gentes, incipientes ab Hierusalem.

De antiquitate inquit Vincentius Lirinensis: Oportet etiam in ipsa Ecclesia uniuersitatem dogmatum, antiquitatem & consensionem spectare.

¶ De unitate Ecclesiæ ait Prosper: Milites uestem Christi diuidere noluerũt, unitatem Ecclesiæ firmantes, à cujus sorte excluduntur hæretici. quoniã sorte prouenit, ut eam unus, id est unitas possideret. de promissionibus & prædictionibus Dei cap. 26. Itẽ: Omnis Ecclesia per mundum connexos, ut grana intrinsecus, cõtinens populos in uinculo pacis & gratię, unum eos tegmen operiat charitatis. de promissionibus & prædictionibus Dei, in 2. parte cap. 3.

Sedulius inquit: Ecclesia unum consensum debet habere in uno corpore, omnium compago membrorum, quæ ad unam spem sunt uocata salutis. in 4. caput ad Ephesios. Primasius: Ideo enim de Ecclesia primò pax annunciatur, ut ostendat se cum omnibus pacificum esse, qui corpori communicaturus est Christi. in 16. cap. ad Romanos.

Eucherius inquit: Siue sancti spirituales & fortissimi in tentationibus, siue minus perfecti, utriq; unum corpus Christi sunt, & una Ecclesia. lib. 1. Genes. cap. 21. Item: Quia dilatata per orbem Ecclesia in una eademq; fide, & ueritatis catholicæ societate consistit. lib. 3. Comment. in lib. Regum. Et: Cum innumera sit multitudo fidelium, unum tamen cor, unam habere animam pro communis fidei ac dilectionis societate meritò dicantur. ibidem. Et: Vna est Ecclesia, in qua omnes continentur electi, quantis libet meritis distent. ibidem.

¶ Esse Ecclesiam Dei nullo loco alligatã, passim docent Patres. ut Chrysostomus in Psalmũ 115. inquit: At Ecclesia, quæ ubique Christũ in se circumfert, innumerosq; martyres immolauit ob charitatem quam gerit erga uirum, à nullo prohibetur loco: sed in omni loco sunt altaria, in omni loco doctrina. Et in homilia de Adam inquit: Ecclesia catholica ubiq; diffusa. Item: Ecclesia omni cũ impunitate, expansis finibus quotidie excipit, & reclinatis manibus uniuersas undecũq; terrarũ gentes. in 2. cap. Esaiæ.

Augustinus libro de correctione Donatistarum ad Bonifacium cap. 3: Ecclesiam uerò toto terrarum orbe diffusam, cui non cõmunicat pars Donati, uniuersarũ Scripturarum testimonia consona uoce proclamant. In semine tuo benedicentur omnes gentes: lex Dei dicit. Ab ortu Solis usq; ad occasum, sacrificium mundum offertur nomini meo, quoniam glorificatum est nomen meum in gentibus: per prophetam Deus dixit. Domi nabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarũ: per Psalmum Dominus dixit. Fructificans & crescens in uniuerso mundo: per Apostolum Dominus dixit. Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & in Samaria, & usq; ad fines terræ: filius Dei ore suo dixit. Item libro 7 Quæstionum super Iudicum, cap. 40: Ex omnibus quippe ætatibus Ecclesia congregatur, quarum prima est ab Adam usque ad

diluuium. Secunda, à diluuio, id est à Noa usq; ad Abraham. Tertia, ab Abrahá usq; ad Dauid. Quarta, à Dauid usq; ad transmigrationem in Babyloniã. Quinta, ab hac transmigratione usq; ad uirginis partum. Sexta, inde usq; in huius seculi finem. Iteé, in Psalmum 56: Corpus autem eius est Ecclesia, nõ autem ista aut illa, sed toto orbe diffusa. Nec ea quæ nunc est in hominibus, qui præsentem uitam agunt: sed ad eam pertinentibus etiam ijs qui fuerunt ante nos, & ijs qui futuri sunt post nos, usque in finem seculi. Tota enim Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes mẽbra sunt Christi, habet illud caput positum in cœlestibus, quod gubernat corpus suum: etsi separatũ est à uisione, sed annectitur charitate.

Leo inquit: Nullius gentis exceptionem facions, de omni natione quæ sub cœlo est, unum sanctarum ouium efficit gregem, & quotidie implet quod promiserat: Habeo alias oues, &c. Sermone 14. de passione Domini. Sic de notis inquit: Totius Ecclesiæ una est oratio, & una cõfessio. Sermone 3. de ieiunio septimi mensis. Iteé: Ager Dominicus, rorante desuper gratia Dei, fide munitur, ieiunijs exercetur, eleemosynis seritur, orationibus fœcundatur. Sermone 3. de ieiunio decimi mensis. Item: Nec ullo credulitatis genere destrui potest sacramẽto crucis Christi fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiori uestitur, dum grana quę singula cadunt, multiplicata nascuntur. Sermone 1. de natiuitate Petri & Pauli.

¶ Ecclesiam esse catholicam, Augustinus docet lib. 1. de Symbolo, ad Catechumenos cap. 5. Credimus Ecclesiam catholicam. Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia uera, Ecclesia catholica, cõtra omnes hęreses pugnans: pugnare potest, expugnari tamen non potest.

Prosper ait: Verbi missio, Christi est incarnatio: cuius Euangelio currente per omnem terram, omnium gentium fit uocatio, præueniente gratia Dei, credentium. in expositione Psalmi 147.

Theodoretus ait: Passim uideas hæc nostratia dogmata non ab ijs solùm teneri qui sunt Ecclesiæ magistri, populorumq; præceptores: sed ab ipsis quoq; sutorib⁹, fabrisque ferrarijs, lanificibus præterea, cunctisq; artificibus: quin & à fœminis iteé omnibus, non ijs modò (si quæ demum illæ sunt) quę literas didicerunt, sed quęstuarijs ac sartricibus, ancillisq; adeò & pedissequis. Neq; ij solùm qui urbes incolunt homines, sed ipsi quoque agricolæ, probè eadem sciunt. Fossoresq; adeò ac bubulcos inuenias, plantarumq; cõsitores, de diuina Trinitate, rerũq; omniũ creatione dissertãtes, humanæ itemq; naturæ magis cõscios esse quàm Plato Stagirites q; fuerint. lib. 5. de natura hominis.

Primasius ita inquit: Nã impleuit Deus Abrahæ ꝓmissionẽ, quia ex omni parte mũdi gẽtes credãt in Christo. in 4 cap. ad Rom.

Theodulus ait: Etsi enim ipse nõ omnes circumierit gentes, omnes tamẽ per Apostolos Euangeliũ acceperunt. in 1 cap. ad Rom.

Saloni⁹ ait: Generatio de gentibus congregata, sancta uidelicet Ecclesia. in Ecclesiast.

Iunilius inquit: De latere Christi dormientis exiuit sanguis & aqua. De quib. sacramentis nascitur ac nutritur Ecclesia, quæ est mater omniũ per orbẽ, uera uita uiuentiũ, ꝙ Euæ nomen sonat. Iunilius in Genesin.

Eucheri⁹ inquit: Aperuit horrea sua Christus in omni orbe terrarũ, & erogatione fructus sui omnia subiugauit. lib. 3. cap. 25. Et: Sancta fraternitas adinuicẽ copulatur p officia charitatis, atq; in unã Christi domũ toto terrarum orbe cõponitur. lib. 3. Comment. in lib. Regũ. Et: Sancta namq; Ecclesia in primitijs suis multitudine gentiũ fœcundata, uix in fine mundi Iudęos, quos inuenerit, susc ipit: & extrema colligens, eos quasi reliquias frugũ ponit. lib. 1. Cõment. in lib. Regũ. Iteé: Omne igitur hominũ genus, per quos ædificanda erat Ecclesia, in ædificatione templi præcesserit. Iudæi namq;, proselyti & gentiles, cõuersi ad ueritatẽ Euangelij, unam eãdemq; Christi Ecclesiam, siue rectè uiuendo, siue etiã docendo cõstruunt. lib. 3. Comment. in lib. Regum.

¶ Quòd Ecclesia sit durabilis ac ꝑpetua, Chrysost. monet: Ecclesia, inquit, uocatur mons, & inexpugnabilis dogmatũ eius tramitio. Quemadmodũ enim montibus, licet quis obuallet & obijciat militũ millia decẽ, & hi quidẽ intorqueant arcus, isti euibrent hastas & eiaculentur, illi genus omne molitionis admoueant, & bellica machinamenta: illa ut adsint omnia, nihil noxæ aut detrimenti inuehent soliditati montiũ. Illine potius secedere cogentur, consumpta inaniter sua fortitudine. Sanè idipsum contigit ad unum omnibus qui oppugnarunt Ecclesiam. hæc quidem inconcussa perstitit: illi ediuersò deperdita propria uirtute, indecoris infamiæ notam incurrerunt: dum eam se riunt, euanescũt: dum iaculantur in eam, imbelles redduntur: dum cædũt flagris, ab his uincuntur, qui malè affecti sunt. in 2. caput Esaiæ. Item: Ecclesia cõparatur adamanti. Sicut is enim solidam illam uim ferri ipsum percutientis dissoluit: ita Ecclesia eos qui aduersus eam mala moliuntur. in 2. caput Esaiæ. Item: Ecclesię fortitudo oppugnata quidẽ est, scilicet à Iudæis, nec sic tamen cessit unquam se oppugnantium manibus: imò

imò sublimior effecta est, & illustrior, cũ hostium insidijs appeteretur. Sanè tunc emicuerunt numerosæ turbę martyrum, tunc confessorum frequẽs multitudo inclaruit: animæ tamen ipsa ferri duritie rigidiores se esse declarabant, eoq; expressius astris ipsis suũ diffundebant splendorem. Corpora quidẽ minutim cõcidebantur: at mens inuicta manebat, prævalebat & coronabatur. ibidem.

Prosper inquit: Ecclesia catholica in electis suis præcognitis à Deo filijs promissionis, membris corporis Christi nõ minuitur, nec ad paucitatem redigitur. in expositione Psalmi 106.

Eucherius ait: Arca autẽ Domini manet in æternum, secretum scilicet testamentum regni cœlorum, ubi manet Dei uerbum. lib. 1. Commentariorum in libros Regum.

¶ In Ecclesia tantum esse, ac dari salutem, Augustinus docet libro de correctione Donatistarum cap. 30: Vnus panis, unum corpus multi sumus. proinde Ecclesia catholica sola corpus est Christi, cui° ille caput est, Saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem uiuificat Spiritus sanctus. quia, sicut ipse dicit Apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis. Non est aũt particeps diuinæ charitatis, qui hostis est unitatis. Non habet itaq; Spiritum sanctũ, qui sunt extra Ecclesiam, de quibus scriptũ est: Qui seipsos segregant, animales spiritũ non habentes. Item Quæst. 65 ad Orosium, quæstione tertia: Sicut in arca Noæ, nemo nisi qui in ea erat à diluuio liberabatur: ita nullus, nisi Ecclesiæ membrum fuerit, saluabitur.

Theodoretus ait: Nobis salus per Ecclesiam prouenit: qui uerò sunt extra illam, nõ fruuntur æterna uita. quæst. 1. in Iosuam.

Salonius inquit: Mulier fortis, uidelicet sancta Ecclesia catholica, quæ ideo mulier dicitur, quia Deo spirituales generat filios ex aqua & Spiritu sancto. Fortis aũt ideo dicitur, quia cuncta seculi huius aduersa simul & prolpera propter fidẽ & amorẽ sui conditoris ac redemptoris contemnit & despicit. in Prouerbia Salomonis.

¶ Extra Ecclesiã nõ dari Spiritũ S. Augst. docet super Ioan. tract. 32: In hac, inquit, Ecclesia, qui nõ est, nec modò accipit Spritũ S. In Ecclesia Christũ esse efficacẽ, Isychi° docet inquiẽs: In Ecclesia Christ° pœnitentiũ salutẽ operatur, quæ salus eius etiam cib° appellatur. Meus. n. cib° est, inquit, ut faciã uolũtatẽ patris mei. lib. 2. Cõmẽt. in 6. cap. Leuit.

Ecclesiam subiectam esse cruci, docet Prosper: Corpus, inquit, Christi, q; est Ecclesia, ita distributũ est, ut alia mẽbra eius pericula tribulationũ iam euaserint, alij ijsdẽ adhuc laborib. atterantur. in expositione Psal. 123.

¶ De Vocatione gentiũ, inquit Chrysost. Ad gentiũ uocationẽ satis fuit nudum ac tenue uerbũ, solaq; auditio. etenim confestim accurrerũt omnes. q; equidẽ Dauid ipse subindicans, dicebat: Populus quem nõ cognoui seruiuit mihi. itẽ: In auditu auris obediuit mihi. Hoc ipsum & Iacob obscuriore multo sermone subindicans, dicebat: Ligans ad uineam pullũ suũ, & clauiculis hæderæ seu capreolis uineæ pullũ asinæ suæ. in 2. cap. Esa.

Augst. in epist. Ioan. tractatu 1: Quando uolunt homines uidere lunã nouã, dicimus, Ecce luna, ecce ubi est. Etsi sunt ibi qui non ualeãt intendere aciem, & dicant, Vbi? intenditur illis digitus, ut uideãt. Aliquãdo dum erubescũt, ne cæci putẽtur, dicunt se uidisse q; non uiderunt. Nũquid sic ostendimus Ecclesiã fratres mei? Non ne aperta est? non ne manifestata? nõ ne obtinuit omnes gẽtes? Vni fideliũ ꝓmissum est, in millibus fideliũ mũdus impletus est. Nõ ne impletur q; ante annos tot ꝓmissum est Abrahæ, in semine eius benedici omnes gentes? Ecce mons implens faciẽ uniuersæ terræ. Ecce ciuitas de qua dictũ est, Non potest ciuitas abscõdi super montẽ cõstituta. Ibidẽ tractatu 2: Nemo dubitat de Ecclesia, quia per omnes gentes est. nemo dubitat, quia ab Hierusalẽ cœpit, & omnes gẽtes impleuit. Agnoscimus agrũ ubi uitis plantata est. Cũ aũt creuerit, non agnoscim', quia totũ occupauit. Vnde cœpit? Ab Hierusalẽ. Quò puenit? Ad omnes gẽtes: Paucæ remãserunt, omnes tenebit. Interea cũ omnes tenet, aliqua sacramẽta inutilia uisa sunt agricolę pręcidenda, & fecerũt hęreses & schismata. Nõ uos inducãt pręcisa, ut prædicamini: hortamini magis, quæ præcisa sunt, ut iterum inserantur.

Theod. inquit: Aduena qui est apud te, ascẽdet supra te, tu uerò descẽdes deorsum. Obscurè per hęc innuit, uocationẽ gentium ad cultũ diuinũ, & ipsorũ Iudęorũ increduli tatẽ pręcidit illis. quæst. 34. in Deuterono.

Eucherius ait: Vocãdo ex gentibus in hęreditatẽ gloriosam Ecclesiã, nõ habentẽ maculã aut rugã. lib. 2. Cõment. in lib. Regũ. cap. 1. Itẽ: Primitiua Ecclesia ob infidelitatẽ Iudęorũ atq; inopiã uerbi Dei, quę illos obtinuit, reuelãte sibi diuino spiritu, ad populũ gẽtiũ trãsmigrauit. Hæc enim in fine mũdi, postquam plenitudo gentiũ introierit, ad priorẽ populũ reuertens, prædicante Helia, electos ex eadẽ plebe quasi pristinã paterno rum suorum possessionẽ in proprio iure recipiet, & tunc omnis Israel saluus fiet. lib. 4. Commentariorum in libros Regum.

Quomodo crescat Ecclesia, docet Eucherius inquiens: Ecclesia prędicatione ac ministerio sacerdotum ac doctorũ crescit, uel ordinatur uirtutib. lib. 3. Cõmen. in lib. Reg.

De Ecclesiæ autoritate inquit Augustinus cõtra epist. Manichęi cap. 5: Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondũ crederet, quid faceres dicẽti tibi, nõ credo? Ego uerò Euangelio nõ crederẽ, nisi me catholicę Ecclesię cõmoueret autoritas. De dicto Matt. 16. lib. 1. Retract. cap. 21 inquit: In hoc lib. dixi in quodã loco de apostolo Petro, q̃ in eo tanquã in petra fundata sit Ecclesia: q̃ sens⁹ etiã cantatur ore multorũ in uersibus beatissimi ambrosij, ubi de gallo gallinaceo hoc ait: Hoc ipsa petra Ecclesię cãtante culpã diluit. Sed scio me sic postea exposuisse, Tu es Petrus, & sup̃ hanc petrã ædificabo Ecclesiã meã: ut sup̃ hãc intelligeretur, quã cõfes⁹ est Petrus, dicẽs: Tu es Christus filius Dei uiui. Itẽ de unico baptismo, contra Petilianũ cap. 14: Duo erãt eminentissimarũ Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginẽsis, episcopi, Stephanus & Cyprian⁹, ambo ab unitate catholica cõstituti: quorũ Stephan⁹ baptismũ Christi in nullo iterandũ esse cẽsebat, & hoc facientibus grauiter succensebat: Cyprian⁹ aũt, in hæresi uel schismate baptisatos, tanquã nõ habẽtes baptismũ Christi, baptisandos in Ecclesia catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebãt, utriq; cum eis in unitate sistentes.

Cyrillus de dicto Christi Matth. 16. sic inquit: Petrã opinor p̃ agnominationẽ, aliud nihil quàm incõcussam & firmissimã discipuli fidẽ uocauit, in qua Ecclesia Christi ita fundata & firmata esset, ut cũ laberetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis in pepetuum manens. libro 4. Dialogorum.

Quòd possit Ecclesia uera degenerare rursum, Chrysost. docet hom. 20. de uarijs locis in Matth. sic inquit: Ecclesia, quocunq; modo cõtra uoluntatẽ egerit Christi, abijci digna est. Non aũt abijcitur p̃pter longanimitatẽ Christi, nisi sola causa transgressionis.

Quomodo hęreses ex Ecclesia Christi oriãtur, pulchrè exprimit August. lib. 1. de symbolo ad catechumenos, cap. 5: Hæreses omnes de illa exierunt, tanquã sarmenta inutilia, de uite præcisa: ipsa aũt manet in radice sua, in uite sua, in charitate sua, portę inferorum nõ uincent eam. Ita docet etiam p̃pter scandala nõ fugiendã esse Ecclesiã, lib. 3. cõtra literas Petiliani, ca. 2: Si enim firmissimè tenueritis, q̃ exhortor & satago, maledictũ esse omnẽ qui spẽ suã ponit in homine, ut nemo glorietur in homine, areã Dominicã propter paleã, quę nunc uel uento superbiæ percussa uolat, uel ultima uentilatione separabitur, nullo modo deseretis: nec domũ magnã p̃pter uasa facta in cõtumeliã, refugietis: nec propter malos pisces in littore separãdos, p̃ dirupta retia exibitis, nec p̃pter hœdos, pastore diuisuro ad siniſtram ponendos, bona unitatis pascua relinquetis: nec p̃pter cõmixta zizania, uos à tritici societate, cui caput est granũ illud mortificatũ & multiplicatũ, & quę per mundũ simul usq; ad messem crescit, nefaria decisione separabitis. Ager enim est mundus, nõ Aphrica: messis finis seculi, non tempus Donati.

DE ANTICHRISTO.

ANtichrist⁹ generaliter quid significet, August. exponit in epist. Ioan. tract. 3. Omnes certè qui exeunt de Ecclesia, & abnitate Ecclesiæ præcidũtur, Antichristi sunt. Nemo dubitet, ipse enim designauit: Ex nobis exierũt, sed non erant ex nobis. Nã si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscũ. Quicunq; ergo non manent nobiscum, sed exeunt ex nobis, manifestũ est q̃ Antichristi sunt. Et quomodo p̃bantur Antichristi? Ex mẽdacio. Et quis est mendax, nisi qui negat quoniã IESVS est Christ⁹? Itẽ: Si ergo ille est Antichrist⁹, q̃ negat IESVM esse Christũ: nec nos possunt illi dicere Antichristos, nec nos illos: quia & nos confitemur, & illi.

Etymologiã Antichristi attingit August. in epist. Ioan. tract. 3: Latinè Antichristus cõtrarius dicitur Christo. non quomodo nonnulli intelligũt Antichristum ideo dictum, quòd ante Christum uenturus sit: id est, post eum uenturus sit Christus. Non sic dicitur, non sic scribitur: sed Antichristus, id est contrarius Christo. Iam quis sit contrarius Christo, nũc aduertetis ipso exponẽte, & intelligetis nõ posse exire foràs nisi Antichristos. Itẽ in tract. de Antichristo: De Antichristo scire uolẽtes, primò notabitis, quare sic uocatus sit. Ideo scilicet, quia Christo in cũctis cõtrarius erit, & Christo cõtraria faciet. Christus uenit humilis, ille uenit sup̃bus. Christus uenit humiles erigere, peccatores iustificare: ille econtrà humiles deijciet, peccatores magnificabit, impios exaltabit, sẽp̃q; uitia quæ sunt contraria uirtutibus docebit. Legẽ Euangelicã dissipabit, dęmonũ culturam in mũdo renouabit, uel renouabit. Gloriam uanã quęrens, omnipotentẽ Deũ se nominabit. Hic itaq; Antichristus multos habebit suę malignitatis ministros, ex quib. multi in mũdo præcesserunt: qualis fuit Antiochus, Nero, Domitianus. Nos quoq; nostro tẽpore Antichristos multos nouimus esse. Habebit aũt Antichristus magos, maleficos, diuinos, incantatores, q̃ eum diabolo inspirante nutrient, & docebunt in omni iniquitate, falsitate & nefaria arte: & malignũ spiritus erunt duces eius, & socij semper & comites indiuisi.

De Antichristo Chrysost. scribit: At non audistis sæpenumero cũ in pueritia essetis, de nomine quoq; Antichristi multa quosdã dicere, & de genuflexione? Tenetis enim adhuc

adhuc mẽtibus noſtris inſerit iſta diabol⁹, ut falſum hoc dogma ſimul nobiſcũ accreſcat & corroboretur, quo nos ſeducere queat. Non aũt illa de Antichriſto diſputãs Apoſtolus præterijſſet, ſi quidem utilia fuiſſent. Ne quæramus igitur ea. Non aũt ita ueniet genua flectens: ſed elatus ſuper omnẽ qui De⁹ dicitur, aut numen, adeò ut in templo Dei uelut Deus ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe Deum. in 1. cap. 2. ad Theſſalonicenſes, homilia 1. Itẽ homilia 4: Atqui de Antichriſto multa prædicta ſunt, nempe quòd ſit iniquus, quòd ſit filius perditionis, quòd aduẽtus illius ſit futurus ſecũdum operationem ſatanæ. De Chriſto uerò contraria, quòd ſit Saluator, quòd innumera bona apportet.

Auguſtinus in Pſalmũ 9. Conſtitue legislatorem ſuper eos Domine: uidetur mihi Antichriſtum ſignificare, de quo Apoſtolus dicit, Cum reuelabitur homo peccati. Vt ſciant gentes, quoniã gentes ſunt, ut q nolunt liberari à filio Dei, & pertinere ad filium hominis, & eſſe filij hominum, id eſt noui homines: ſeruiant homini id eſt ueteri homini peccatori, quoniam homines ſunt. Et quia ille ad tantum culmen inanis gloriæ uenturus creditur, tanta ei licebit facere, & in omnes homines, & in ſanctos Dei ut tunc uerè nonnulli infirmi arbitrentur, Deum res humanas negligere. Hic Antichriſtus uſq; adeò beatus uidebitur hominibus, ut etiam Deus putetur. Itẽ quòd reges omnes ſuperatus ſit & ſolus regnum obtenturus, quando etiam ſecundum Apoſtolum, qui de illo præ dicat, in templo Dei ſedebit, extollens ſe ſuper omne quod colitur, & quod dicitur Deus. Et quoniam traditus in concupiſcentiã cordis ſui, & damnationi ultimę deſtinatus, per nefarias artes ad illud uanum & inane culmẽ, dominationem q; uenturus eſt, uim habebit in imperio, dolum in miraculis. Item libro 20 de ciuitate Dei, cap. 19: Et ideo mittet illis Deus operationẽ erroris: ut credant mẽdacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, ſed cõſenſerunt iniquitati. Nulli dubium eſt, eum de Antichriſto iſta dixiſſe, dieq; iudicij. Hũc enim appellat diem Domini non eſſe uenturum, niſi ille prior uenerit: quem refugam uocat, utique à Domino Deo.

Iunilius inquit: Sextæ diei ueſperam iam nunc appropinquare cernimus, & cum abũdante per omnia iniquitate refrigeſcet charitas multorũ: adueniet aũt multo tenebricoſior cæteris, cum apparente homine peccati, filio iniquitatis, qui extollitur atq; eleuatur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, tanta fuerit tribulatio ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiã electi. & ſubſequente ſtatim hora uniuerſalis iudicij, de qua ſcriptũ: Veruntamen filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? perſeuerabit inde ſabbatiſmus animarum ſanctarum uſq; ad finem ſeculi. & cum ultima ętas ſeculi poſt ueſperã ſuã, de qua prędicti ſumus finem interfecto per Dominũ noſtrũ IESVM Antichriſto perceperit. Iunilius in Geneſin.

Proſper citat dictum Apocalypſeos, Qui acceperunt ſcriptionem beſtiæ in fronte & in manu ſua. & addit: Inſcriptio in fronte & in manu hæc eſt, non tantum diaboli facta imitari, quantum & gloriari in eius malis operibus, ut ſub figura Chriſti, Antichriſti facta exerceant. Et iterum 1. Ioan. 2. Multi Antichriſti facti ſunt, addit: Hæreticos omnes oſtẽdit, & maximè Arianos, quos nunc uidemus multos ſeducere. de promiſſionibus & prædictionibus Dei.

¶ Locus ubi ſeſſurus ſit Antichriſtus, ab Auguſt. explicatur lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 19. In quo templo Dei, ut Deus ſit ſeſſurus, incertũ eſt. utrũ in illa ruina tẽpli, quod à Salomone rege cõſtructũ eſt: an uerò in Eccleſia. Non enim templũ alicuius idoli aut dęmonis, templũ Dei Apoſtolus diceret. Vnde nonnulli non ipſum principẽ, ſed uniuerſum quodãmodo corpus eius, id eſt, ad eum pertinentẽ hominũ multitudinẽ, ſimul cum ipſo ſuo principe, hoc loco intelligi Antichriſtũ uolũt. Rectiusq; putant etiã latinè dici ſicut in græco eſt, nõ in templo Dei, ſed in templũ Dei ſedeat, tanquam ipſe ſit templũ Dei, quod eſt Eccleſia. ſicut dicimus, ſedet in amicũ: id eſt, uelut amicus, uel ſi quid aliud iſto locutionis genere dici ſolet. Ibidẽ: Quidã putant hoc de imperio dictum fuiſſe Romano, & propterea Paulũ apoſtolũ non id apertè ſcribere uoluiſſe, ne calumniã uide licet incurreret, quaſi Romano imperio malè optauerit, cũ ſperaretur æternum. Ibidẽ: Tantũ qui modò tenet teneat, donec de medio fiat: non abſurdè de ipſo Romano imperio creditur dictũ. tanquam dictũ ſit: Tantũ qui modò imperat, imperet, donec de medio fiat: id eſt, de medio tollatur. Et tunc reuelabitur iniquus. quem ſignificari Antichriſtum, nullus ambigit.

Proſper de promiſſ. & prędictionib. Dei cap. 7. de muliere & beſtia, quæ portatur, lo quens ait: Nec eam uno in loco exiſtimes ciuitatem, quæ tota eſt ſparſa in orbe.

De perſecutione quã exercebit Antichriſtus, ſic Auguſtinus ſcribit lib. 18 de ciuitate Dei, cap. 4: Illam ſanè nouiſsimam perſecutionem, quæ ab Antichriſto futura eſt, prę ſentia ſua ipſe extinguet IESVS.

Eucherius meminit Antichriſti, quòd ſub eo talis ciuitatis Dei afflictio futura ſperatur, qualis antea nunquã fuit. lib. 2. cap. 20. Item: Antichriſti officium, ut contra uitam

fidelium cũ morsu pestiferæ prædicationis armat⁹ etiã ueniat cũ cornu potestatis. & in præcedentibus addit nonnullos dicere, q; à Dan ueniat Antichristus. lib. 3. cap. 24.

¶ Signa Antichristi attingit August. lib. 20 de ciuitate Dei, cap. 19: Tunc enim soluetur Satanas, & per illũ Antichristũ in omni sua uirtute mirabiliter quidẽ, sed mendaciter operabitur. Quod solet ambigi, utrũ propterea dicta sint signa & prodigia mẽdacij, quoniam mortales sensus per phãtasmata decepturus est, ut q; non facit, facere uideatur: an quia illa ipsa etiamsi erunt uera prodigia, ad mendaciũ pertrahent credituros, non ea potuisse nisi diuinitùs fieri, uirtutẽ diaboli nescientes: maximè quãdo tantã, quantã nunquam habuit, accipiet potestatẽ? Non enim quando de cœlis ignis cecidit, & tantã familiã cũ tantis gregibus pecorũ sancti Iob uno impetu absumpsit, & turbo irruens & domũ deijciens, filios eius occidit, phantasmata fuerunt: quæ tamen fuerunt opera Satanę, cui Deus dederat hanc potestatẽ. Propter quid horum ergo dicta sint prodigia & signa mendacij, tunc potius apparebit. Sed propter quodlibet horum dictũ sit: Seducẽtur eis signis & prodigijs, qui seduci merebuntur, ꝑ eo quòd dilectionẽ ueritatis (inquit) non receperũt, ut salui fierent. Nec dubitauit Apostolus addere, & dicere: Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Deus enim mittet, quia Deus diabolũ ista facere permittet, iusto ipsius iudicio: quãuis faciat ille iniquo maligno q; cõsilio.

Prosper de promissionibus & prædictionib. Dei cap. 8. applicat dicta Apocalypseos, & inter alia dicit: Antichristũ Neronis luxuriem & spurcitiã, ęquitiam q; morũ habiturũ.

Maximus inquit: Priusquam Dominus Christus aduenìat, Antichristum regnaturũ, qui ita tenebras humano generi suæ prauitatis infundet, ut lucẽ ueritatis nemo penè respiciat: & caligine propria operiens mentes hominum, cæcitatem quandam spiritualibus oculis exhibebit. in hom. 1 hyemali.

Primasius ait: Amaritudó Antichristi contraria est dulcedini uerbi Dei. in 3. caput ad Romanos. Item: Vnum ex capitibus eius dicit Antichristum, quæ septem non numero sunt, sed significatione uniuersitatis regni terreni, agno cõtrarij. in Apocalypsin lib. 4.

¶ Elatio Antichristi ab Augustino describitur, in Euangeliũ Ioannis tractatu 29. cap. 7: Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Hocerit qui uocatur Antichristus, extollens se, sicut Apostolus ait, supra omne quod dicitur Deus, & quod colitur. Ipsum quippe annuncians Dominus, gloriam suam quæsiturum, nõ gloriam patris, ait ad Iudæos: Ego ueni in nomine patris mei, & non suscepistis me: alius uenìet in nomine suo, & hunc susciꝑetis. significauit eos Antichristum susceꝑturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflatus, non solidus: & ideo non stabilis, sed utiq; ruinosus.

¶ Tempus aduẽtus Antichristi breuibus stringit Augustinus, in tractatu de Antichristo: Inde ergo dicit apostolus Paulus, Antichristũ non antea in mundum esse uenturũ, nisi uenerit primũ discessio: hoc est, nisi discesserint omnia regna à Romano imperio, quæ prius subdita erant. Hoc autem tempus nondum aduenit. quia licet uideamus Romanum imperium ex maxima parte destructum, tamen quamdiu reges Francorum durauerint, qui Romanum imperium tenere debent, Romana dignitas ex toto non peribit, quia in regibus suis stabit.

Primasius inquit: Regnum Romanum de medio prius auferetur, quàm Antichristus reueletur. in 2. caput ad Thessalonicenses.

Etiam eos qui Antichristi opera faciunt, Antichristos nominant. ut Chrysostomus homilia 11. in Matthęum, super illud, Cauete uobis à pseudoprophetis, inquit: Et unde tibi frustra Christianum nomen imponis, qui Christum in eius seruis persequeris? Affectas uocari, quòd operũ simulatione mentiris. Nomen tuum Christianum sonat, sed facta Antichristum monstrant. Sub nomine persequeris fidem, quam te profiteri simulas: nec te iam in aliquo occultas ut lateas, qui proditus es quòd latebas.

Prosper etiam retinet illam opinionem, quòd Antichristus ex tribu Dan esset exoriturus, capite 9. de promissionibus & prędictionibus Dei. Sic & Theodoretus. nam inquit: Illud quidem necesse est addere ijs quæ dicta sunt, quòd ante aduentũ Domini uenit, humanã naturã subiens, hominibus pernicioſus, Deiq; aduersari⁹ dæmon, diuipe Deus, suffuratus, sibi id imposuit, suæq; improbitatis & nequitiæ administris & auxiliatoribus, & persuasit hominibus per manib. fabricatas statuas, ei diuinũ honorẽ exhibere: ita Christi Domini appellatione usurpata, omnes quidẽ (ut semel dicã) decipiet. multis quoq; imponet ex ijs qui sanctũ & uenerabile nomẽ acceperunt, dicens se esse Christũ, quem diuini uaticinãtes ꝓphetę apparturũ prędicebãt. in Epitome diuinorũ decretorũ. Itẽ: Ego arbitror spiritũ diuinũ per patriarchã uaticinatũ esse, quę spectabãt ad Saluatorẽ nostrũ: & eadẽ prophetia locutũ esse, quę cõcernunt Antichristũ. Nam illi ualde cõueniũt quę scripta sunt. Dan enim, inquit, iudicabit populũ suũ, sicut & una tribus in Israel. Quemadmodũ enim, ait, Saluator &

tor & Dominus noſter exortus è tribu Iuda, ſaluaturus eſt orbem: ita ſerpẽs perniciosus egredietur ex tribu Dan. Siquidẽ hoc dicit: Fiat Dan ſerpens in uia reſidẽs, & in ſemita mordens unguläm equi: & cadet eques retrorſum, expectans ſalutem Domini. Theodoretus quæſtione 109 in Geneſin.

Quis deſtructur⁹ ſit Antichriſtũ, docet Maximus: Ad huius igitur tetrã caliginẽ depellendã, uelut fulgur quoddã Chriſt⁹ aduenies coruſcãte Saluatore Antichriſtus effugatur, nec ulterius poterit diſſeminare iniquitatis ſuæ tenebras, cum lumen ueritatis effulſerit. in homilia prima hyemali.

DE REGNO CHRISTI.

De regno Chriſti ſpirituali inquit Eucherius: In id q̃ reprobatus poſtea & reiectus eſt Saul, ſuccedẽte in regnũ Dauid, populi, ut prædictum eſt, Iſrael perſonã geſtauit. Qui populus regnũ adeptum fuerat amiſsurus, Chriſto Domino noſtro per notualiter regnaturo. libro primo Cõmentariorum in libros Regum.

DE MINISTERIO.

Quid ſit uerbi miniſter, monet Chryſoſt. inquiẽs: An ignoras quid ſit ſacerdos? Angelus utiq; Domini eſt. Non ex ſeipſo loqtur: ſi deſpicis, nõ illũ deſpicis, ſed Deũ, qui illũ ordinauit. Sed unde, inquies, cõſtat Deũ fuiſſe illius ordinationis autorẽ? Nempe niſi tu hãc habeas opinionem, ſpes tua inanis facta eſt. Nã ſi nihil per illũ operatur Deus, neq; lauacrũ habes, neq; myſterio rum particeps es, neq; benedictionibus frueris. Nõ ergo Chriſtian⁹ es. Quid ergo? Deus omnes ordinat, etiã indignos? Non omnes quidẽ ille ordinat: per omnes tamẽ ille operatur, ſalutẽ populi moliens, non illorũ intuẽs merita. Chryſoſt. in 1. cap. 2. ad Timoth.

Eſſe plures miniſterij modos, Chryſoſt. indicat: Cum Paulus inquit, Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo, in Euangelio filij ipſius, &c. miniſterij genus oſtendit. multi ſiquidem ſunt, differentes q̃; miniſtrationum modi, ſicut & cultus.

A Deo uocari pios miniſtros, Iſychius docet inquiens: Chriſti uoce ſacerdotes in Eccleſiã, utpote eius officium ſubeũtes, ordinati ſunt, quibus in perſona Apoſtolorũ dicebat: Quorum remiſeritis, &c. libro 1. Comment. in 4. caput Leuitici.

Saloníus inquit: Deus docuit magiſtros, id eſt, Prophetas & Apoſtolos, & reſtruxit eorum conſiliũ: quoniã ipſe dedit uerba in corde & ore ipſorum. in Eccleſiaſten.

Miniſtros Eccleſiæ debere doctrina excellere, Chryſoſt. in 5. cap. 1. ad Timoth. hom. 15: Multũ omnino ad Eccleſię ædificationẽ cõfert, ſi pſules doctrinę gratia polleãt: quæ niſi adſit, plurima Eccleſiaſt. diſciplinę peribũt. Itẽ: Solũ doctoris, anũciare, p̃dicare, docere, non ſubterfugere, nocte ac die orare. Quãdo aũt, dũ hęc fiũt, nihil p̃ficitur: ſcitote quid reliquũ. in acta Apoſt. cap. 20. hom. 45.

Proſper inquit: Cũ nõ ſolùm, ſecundũ Apoſtolũ, nos oporteat formã p̃bere fidelib. ſed etiã eos ipſos fideles, q̃ nobis diuinitùs inſtituẽdi cõmiſsi ſunt, inſtruere debeamus, de patre, quomodo ſol⁹ accipiatur ingenit⁹, de filio, quomodo ex ipſo ſit genit⁹. lib. 1 de Cõtẽplatiua uita, cap. 18. Itẽ paulo antè, cap. 16. diſſerit, q̃ periculoſo tẽpore nõ ſint miniſtris deferendę ſuę Eccleſię. Itẽ cap. 20: Ad hoc eſt Eccleſię Dei prępoſitus, ut nõ ſolùm bene uiuẽdo alios exẽplo ſuę cõuerſationis inſtituat, ſed etiã fiducialiter prędicãdo ſingulis ante oculos peccata ſua cõſtituta, quæ pœna maneat duros, quę gloria obedientes oſtẽdat, nullius ſalutẽ deſperãdo cõtemnat, animos nolentium emendari plangat. Et paulo pòſt: Quapropter ſciens, q̃ ſi quibuſlibet diuitibus ac potẽtibus malè uiuẽtibus pareat aut faueat, eos perdat ſimul, & pereat. Et ſanctè uiuere debet propter exemplũ, & docere propter ſuæ adminiſtrationis officiũ, certus q̃ ei nihil ſua iuſticia ſuffragetur, de cuius manu anima pereũtis exigitur. Itẽ: Ille cui diſpẽſatio uerbi cõmiſſa eſt, etiamſi ſanctè uiuat, & tamẽ perditè uiuentes arguere aut erubeſcat, aut metuat, cũ omnib. quĩ eo tacente perierunt, perit. Et iterũ: Sicut ſpeculatoris eſt, de loco editiori proſpicere, & pl⁹ omnib. contẽplari: ita ſacerdos debet eſſe ꝓpoſita ſublimitate celſior cũctis, & maioris ſcientię habere gratiã, qua poſsit ſub ſe uiuẽtes inſtruere. Itẽ: Eccleſię q̃ppe doctoribus, ſicut ſuprà iã diximus, & cẽſura ineſſe debet, ut arguãt: & patientia, ut emẽdari nolentes fortiter ferãt. de uita contemp. cap. 5.

Iſychius ait: Concionari, id eſt populum exhortari, ſiue prophetas interpretari, & cleros ſociare, Eccleſiaſticæ diſpenſationis & ordinis eſt. lib. 2. Cõment. in 9. cap. Leuit. Et: Oportet doctorẽ meditationi ſpirituali operã dare. lib. 5. Cõment. in 15. cap. Leuit. Itẽ: Oportet ſacerdotẽ diligentiã adhibere, & populo ut nõ peccet, ſed præcipuè domuĩ ſuæ & cognatis. Propter quod Paulus ait 1. Timoth. 5: Hęc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint. lib. 6. Comment. in 21. cap. Leuit. Et: Sacerdos debet quotidie, ſed & omni hora, ea quę ad ſalutem pertinent inſtruere, & uigilare circa ſuos, ut non peccent talia quæ morte digna ſunt. ibidẽ. Itẽ: Oportet ſacerdotem non ignorare, ſi tamen diligenter populo præſediſſet, eſſetq; ſolicitus quomodo hic, quomodo ille ſe haberet, utrum ſtarent, an nutarent, ut nutantes fulciret. ibidem.

Boni pastoris esse, propter ouiculas suæ fidei cõmissas, labores & pericula suscipere, docet Chrysost. in 15. cap. ad Rom. homilia 27. Verùm quoniam pecorum memini, perpendamus & ouiũ pastores illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quãta pro pecorum suorum custodia patiantur. Illi sæpenumero uniuersum triduum niue adobruti perdurãt. Dicuntur aũt & qui in Libya sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarumq; bestiarum plenã uagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiæ impendunt pastores illi, quam quæso excusationem habebimus, quibus rationales animæ concreditæ sunt, quòd profundũ hunc somnum dormimus? Respirare quidem omnino necesse fuerit: uerùm prorsus quiescere, & non circumquaq; percurrere, innumerisq; etiã mortibus seipsos pro ouibus istis exponere, id demũ non est boni pastoris. An ignoras gregis huius dignitatẽ? An illius gratia Dominus tuus innumera nõ fecit? An nõ postremò & sanguinẽ suũ fudit? Tu uerò requiem quæris? Et quid poterit peius esse pastoribus istis? An nõ perpendis, quòd oues istas circumstant lupi multo amaricatiores ac sæuiores? An apud temetipsum nõ reputas: qua mente sit opus ei, qui talem præfecturã sit administraturus? Et homines quidẽ qui populis præsunt, si quando de rebus fortuitis consulturi sunt, diebus nõ cõtenti, noctes etiã uigilando adhibent: nos uerò, qui pro ipso cœlo certamẽ habemus, ipso quoque die dormimus.

Quales debeant esse ministri Ecclesię, Leo monet: Virum, inquit, Catholicũ, & præcipuè Domini sacerdotẽ, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate uiolari. epist. 53. ad Anatolicũ Cõstantinopolitanũ.

Ministros ita Eucherius describit: Qui corda hominũ ad ædificiũ spirituale, q̃ ex uirtutibus animæ cõstruitur, parant, suos auditores fidẽ & opera iusticiæ docere sufficiũt, dũ ipsi prius sacris paginis edocti, diligẽter quę sit fides tenenda, quo uirtutũ calle incedendũ, certa definitione ueritatis didicerũt. Nã frustra sibi officiũ doctoris usurpat, qui dissertionem fidei catholicę ignorat. Neq; sanctuariũ Domino, sed ruinã sibi ædificãt, qui docere alios regulã quam ipsi non didicerũt conãtur. lib. 3. Cõmen. in lib. Reg. Item: Virtutũ operibus quę per totũ orbẽ Ecclesia in suis sanctis ac pfectis exercet, illi pręcipuè quibus fideliũ cura cõmissa, & claues regni cœlorũ sunt datę, omni debẽt solertia insiste re: ut quantũ gradu pręeminẽt cęteris, tantũ & merita præcellant bonæ actionis. ibidẽ.

Non omnia esse in allegorias transformãda, scribit Iunilius, inquiens: Si in libris Prouerbialibus uoluerimus præter prouerbialem speciem, ubiq; allegoriã sic recipere, ut narrationis ueritas infirmetur, locum damus inimicis, prout uoluerint, diuinos libros interpretandi. lib. 1. cap. 5.

Non uult Chrysost. doctorẽ tacere, quando nõ exauditur. Sic enim inquit: Licet me frustra loqui non ignorem, nõ tamen cessabo: ita enim apud Deum excusãbor, quãuis nemo me audiat. Qui attentè audientibus loquitur, is laboris præmium habet, auditorum persuasionem. Cuius aũt uerba non audiuntur, neq; tamẽ cessat, plurimi faciendus est, cũ Deo placere adnitatur, & nemine attendẽte suũ impleat officiũ. Verùm licet mihi nobis ex cõtemptu nostro præmiũ proueniat, id tamen minus desideramus, modò ad salutẽ uestrã aliquid ꝓficiamus, maximã mercedẽ probitatẽ uestrã ducẽtes. hom. 29. in 3. cap. Ioan. Itẽ: Episcopus si uehementer cõmoueatur, audit crudelis: si parũ uehemẽter, audit frigidus. Sed oportet hæc duo cõtraria concurrere, sic ut neq; conẽnatur, neq; odio habeatur. Quàm multos cogitur offendere, uolẽs nolẽs? Quàm multos obiurgare, uelit nolit? Non temerè dico, sed ut affectus sum, ac sentio. hom. 3. in Acta apost. Itẽ: Cogor uideri iniucundus, onerosus, & grauis. In hoc positus sum. Sicut pædagogus adsper ad hoc constitutus est, ut odio illũ prosequantur, quos erudit: sic sanè & uos. Multorum ex uobis opus est ut misereamini, humanitatem declaretis, suaues ac blandi hijs quibus benefacitis. Nos uerò, quibus debemus esse utiles, ijs & graues & iniucundi uidemur. non enim utiles sumus dicendo quæ oblectant, sed ea quę mordent. homilia 5. in cap. 2. Actorum apostolorũ. Item: In hoc positi sumus, inquit Chrysostomus, ut rideamur & subsannemur, ut omnia patiamur, purgamenta mundi sumus, secundum beatũ Paulũ. hom. 8. in acta Apostolorũ. Item: Bonũ nos Babylas docuit, quòd uidelicet unumquẽq; oportet suo officio fungi, etiamsi inde nullũ lucrũ ad alios dimanet. cõtra Gentiles. Itẽ: Extant etiã nunc cũ Babylæ cinerib. cõpedes Ecclesiarũ, præfectos omnes cõmonefacientes, ut uinciri & iugulari, ut quiduis pati oporteat. Certè omnia prompto atq; alacri animo, ac magna itẽ cũ uoluptate sustinenda, ut cõcreditæ nobis libertatis ne leuissimã quidẽ partẽ ꝓdamus aut cõtaminemus. in libro contra Gentiles.

¶ Corripiẽdos esse homines uoce ministerij, docet Augustinus. ad Festũ, epist. 166: Et phreneticis nolũt ligari, & lethargici nolũt excitari: sed ꝓseuerat diligẽtia charitatis, phreneticũ castigare, lethargicũ stimulare, ambos amare. Ambo offẽdũtur, sed ábo diliguntur: ambo molestati, q̃diu ægri sunt indignãtur, sed

sed ambo sanati gratulantur. Itē ab Bonifacium epistola 182: Bene enim agere, & illicita non prohibere, erroris cōsensus est. Libro tertio contra epistolā Parmeniani, cap. 2: Turba autem iniquorum, cum facultas est in populis promendi sermonem, generali obiurgatione ferienda est: & maximè si occasionem atque opportunitatem præbuerit aliquod Domini flagellū desuper, quo eos apparet pro suis meritis uapulare. Item Quęstionū ueteris & noui Testamenti quęstione 101. cap. 5: Quicunq; Dei præcepta iam tibi nota non facis, & corripi non uis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non uis. De duobus abusionum generibus gradu primo: Decet ergo Episcopum, qui omnium speculator positus est, peccata diligenter attendere. Audiens ergo, & postquam attenderit sermonem, si potuerit, & actu corrigere: si non potuerit, iuxta Euangelij regulā scelerum operarios declinare.

Isychius inquit: Filij fratris patris Aaron, bene & nimis aptè hi qui Euangelicā conuersationē didicerunt, dicuntur: & hos qui alia docēt, arguere & repellere, utpote perfectā habentes scientiā necessariò sunt dispositi. De qua Ioannes dicebat 2. epistola, cap. 1. Omnis qui præcedit, &c. Ergo propriū est eorum qui edocti sunt Euangelicam doctrinam, eos qui adulterina & aliena prędicāt, à facie sanctorū & tabernaculi expellere atq; proijcere. lib. 2. Cōment. in 10. cap. Leuit.

Eucherius inquit: Sancti prædicatores pręcidūt ab erroribus homines, & eos quasi comminuendo in Christi corpore trāsferūt. Eucherius libro 3. in Genesim.

¶ De dignitate & honore erga ministros, inquit Chrysost. Principatus Ecclesiasticus ciuili tanto melior est, quanto terra cœlum, imò & multo magis. in 7. caput 2. ad Corinthios, homilia 15. Itē: Quando honorauerimus eos qui ipsis ministrāt, simul gloria pertingit in commune Ecclesiarū. in 2. Corinth. 8. homilia 18. Itē: Minister Ecclesiæ honore afficiend⁹, quia (inquit) pro te orat, quia spirituali dono quod per baptismū est, tibi ministrat, inuisit te, adhortatur & admonet, medijs noctibus si uocaueris uenit. in 5. cap. ad Thessalonicenses, homilia 10. Adfert & illas rationes, quare sacerdotes magna reuerētia colendi sint. 1. Quia assecuti sunt gratiam Spiritus sancti. 2. Magna dignitas est sacerdotū, quia Christus ad illos inquit: Quorumcunq; remiseritis peccata, eis remissa sunt. 3. Quia Paul⁹ dixit, Obedite præpositis uestris, & subiacete eis, ut maximum habeatis honorem. 4. Propter pericula & labores quos sustinent. Sacerdos enim si uitam suam disposuerit, tuam autem non diligenter curauerit, cum impijs in gehennam detrudetur: & nōnunquam non ꝓprijs actionibus, sed nostris damnatur, nisi omnia quę ad se spectant, efficiat. 5. Iudæis inquit Christus: Super cathedram Mosi sedebunt scribæ & pharisæi, omnia quæcunque dixerint uobis facite. Nunc non est dicendum, Super cathedram Mosi, sed Super cathedram Christi sederunt sacerdotes: eius enim acceperunt doctrinam. Deinde uult etiam, ne subditi suos sacerdotes iudicent, licet malè & uitiosè uiuant. idq́; sic probat: Videmus seculi principatus omnes subesse, & sæpe genere, uita & prudentia potioribus deteriores præponi. Nihilominus ob principis, qui eos præposuit, reuerentiam, nihil quales illi sint cogitant. Quòd si homo aliquem constituerit, tantus subit metus: si Deus quem constituit, despicimus, maledicimus, innumeris afficimus contumelijs: & cum fratres nostros prohibeamur iudicare, contra sacerdotes linguā acuimus? Qua'nā hæc digna excusatione? Hęc dico, nō quòd indignos ad sacerdotiū assumi probem: sed miserescens, & lachrymans. Non enim propterea à subditis, iudicandi sunt, etiam si malè & uitiosè uiuant. Tu aūt si tibi consules, nihil in his quæ illis cōmissa sunt offendes. Nam si asinū loqui fecit, & per uatē benedictiones spirituales largitus est, & in muto ore & lingua immunda Balaā propter offendentes Iudæos operatus est: multo magis ꝓpter nos fideles, etiāsi praui sint sacerdotes, Deus omnia per eos efficiet, & mittet Spiritum S. neq; enim pura mens propterea propriam puritatē amittit, sed gratia omnia operatur. Quicquid enim conatur sacerdos, solius Dei donum est: & ubi humanam exercet sapientiam, minor illius gratia apparet. Neque hoc dico, ut pigrius uiuamus: sed ne pigrè qui uobis præpositi sunt uiuentibus, uos his commissi, aliquando uobis mala comparetis. Pater & filius & spiritus sanct⁹ omnia facit: sacerdos & linguam & manus præbet. neq; enim iustum est, propter alius maliciam, ad salutem nostram accedentes offendi. Quibus omnibus consideratis, & Deum timeamus, & eius sacerdotes maiorem in modum ueneremur. homilia 85. in 3. caput Ioannis.

De difficultatibus in ministerio, Chrysostomus docet: Quantalibet, inquit, quisque animi uirtute polleat, cum tamen clauiū & Ecclesiæ gubernacula suscipit, insperatis fluctib. quatitur, & uarijs undiq; negocijs act⁹ penè submergitur. in 1. cap. ad Timotheū 2.

Pulchrè & copiosè explicat Chrysost. labores & pericula Episcoporum, & inter alia multa hęc sunt eius uerba: Nō arbitror inter sacerdotes multos esse q salui fiāt, sed multo plures q pereant. Deinde quod'nā illorū sit

officium

officiũ dicit: Non uides, inquit, quàm multas res oportet adesse Episcopo, ut sit appositus ad docendum, ut tolerans malorum, ut tenax sit atq; fidelis in doctrina sermonis? Quantæ hoc difficultatis? & q; alij peccant, illi imputatur. Item de electione dicit: Peccauit presbyter aut diaconus, horũ omniũ crimina redundant in caput eorũ (scilicet Episcoporũ) qui hos elegerunt. Postremò reprehendit quorundã Episcoporũ uitia, uidelicet socordiã, ambitionẽ, & q; sacerdotia nõ aliter quàm ꝓphanos magistratus affectant, nimirũ ut glorificẽtur & honorẽtur apud homines, ꝓdantur apud Deũ: Quis nostrũm, inquit, tantã ꝑstat solicitudinẽ ꝓ ouib. Christi, quantam prẽstitit Iacob erga greges Laban? Quis potest recensere toleratũ noctis gelu? Ne uerò mihi dixeris peruigilatas noctes, tã tamq; curã exhibitam. Totũ itaq; contrariũ est. Primates ac præfecti non tanto potiuntur honore, quanto qui præest Ecclesiæ. Si ingrediatur in aulam regiam, quis prior? Si apud matronas, si in ædibus uersetur magnatum, nullus alius illi præfertur honore: perierunt õmnia, corruptaq; sunt. Item: Quid refert si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaq; machinaris? Pecunia tua sit tecum in perditionẽ, ad illum dictum est Actorum 8. Et his dicetur: Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari donum Dei Homilia 3. in acta Apostolorum.

Etiam per indignos Deum esse efficacem, Chrysostomus docet: Gratia Dei per indignos operatur, non propter ipsos, sed propter eos quibus opitulandum est. in 5. caput ad Thessalonicenses, homilia 11.

¶ De uictu dando ministris uerbi, ait Chrysostomus: Oportet doctoribus necessarium uictum affatim ministrari, ne deficiant, neq; soluantur: neq; minimis occupati, magnis seipsos atq; alios priuent, ut spiritualia operentur, nullam secularium habentes rationem. Huiusmodi Leuitæ erant, qui nullam secularium rerũ habebant curam, quemadmodum Laici. ipsis quippe Leuitarum cura erat permissa, & lege illis constituti fuerant reditus, decimæ, aurum, primitiæ, uota, & alia plurima. uerùm illis lege ista meritò permittebãtur, præsentia tantũ & terrena quę rentibus. Ego Ecclesiæ præsules audenter dixerim, nil præter uictum & uestitum habere oportere, ne ad ista trahãtur desiderio. in 5. cap. 1. ad Timotheum, homilia 15.

¶ De fine ministerij etiam sæpe docent. Chrysostomus adhortatur illos qui prædia & uillas habent, ubi extruant Ecclesiam uel templũ, educent magistrũ, diaconum & sacerdotalẽ ordinem, & dotẽ illis ascribant. Id confirmat ab utili: Ad pacem agricolarũ hoc utile. uenerabilis erit presbyter, & ad securitatem agri conducet. Item: Preces, inquit, illic perpetuæ propter te, laudes & sy naxes propter te, oblatio per singulos dies Dominicos. Itẽ: Cogita quòd usq; ad Christi aduentũ mercedem habiturus es, qui alare Dei excitaturus es. Item: Non est illic (scilicet in Ecclesia) lasciuia, sed abacta est: nõ est ebrietas ac uoluptas, sed elimina ta est: nõ est uana gloria, sed extincta est: plus illic fulget beneuolẽtię, ꝓpter simplicitatẽ. Itẽ: Quanta res est abire & ingredi in domũ Dei, & uidere q; ipse illam extruxerit, & quiescere in uilla securũ, & habere deambulationẽ seruientẽ corpori, & matutinis uespertinisq; hymnis esse præsentẽ, ac simul prædi tem sacerdotẽ, simul conuersantem benedictione frui, & alios uidere illuc uenientes? hoc fuerit in murũ ac securitatem agri. Itẽ: Villa quę habet Ecclesiã, paradiso cõparatur: nõ est illic clamor, nõ est turbatio, nõ ua rij inimici, neq; sectæ: omnes licet uidere amicos, & participes eorundem dogmatum. Itẽ: Presbyter te facilè curabit, alius eris in agro per illũ, & illis prẽsidebit, & erit custos. Itẽ: Illi qui domus in quib. frumentũ reponant, extruunt, & ubi animarũ fructus colligere oporteat minimè curant, cogũtur multis stadijs ire, & magnas ꝓfectiones facere, ut in Ecclesiã abeãt. Tibi aũt cõtinget quotidã ex uicinis habitare, & habere curatores. Itẽ: Presbyterũ fortasis uocabis, & mensæ participẽ facies: inde maxima erunt bona. Erit tũc uilla ab omni suspicione libera, nullus homicidij, nullus furti accusabit, neq; aliquid suspicabitur. Itẽ: Habent & aliã cõsolationem, siue morbus, siue mors accidat. Itẽ: Nõ simpliciter, neq; fortuitò etiã amicitiæ eorũ fiunt, qui illuc eunt, & congregantes erunt multo alijs cœtibus suauiores: nõ solùm aũt cõgregationes, sed & illi qui præsunt, per presbyterum sunt magis reuerẽdi. Itẽ: Quia Ecclesia est prẽsidiũ cõtra diabolũ. Cũ alacritate igitur opus aggrediatur, & manus prius extendãtur in precibus, & tunc abeãt ad opus, unde corporis robur & multa agricolatio. Sed decet aliquis, Vnde sumptus? Faciam paruã domũ prò templo: quę sequetur te faciet porticum: qui post illum, aliam adijciet, & sic tibi imputabitur totum. Igitur initium facito: fundamentum iacito: imò mutuùm adhortamini, ut certetis in hac re. Affirmat etiam ibidem, melius esse opes insumere in ædificia templorũ, quàm in pauperes. hom. 18. in 8. cap. actorũ Apost.

Theod. ait: Eos quib. sunt Ecclesiarũ credita gubernacula, hãc regulã oportet attẽdere. Corporalẽ enim eorũ q; peccãt subuẽtione non ꝓhibuit diuinus Apostolus, eos aũt spirituali libertate priuauit: sed uult utriusq; ab eis

ab eis curam geri. in 3. cap. 2. ad Thes. Ité: Quemadmodũ sacerdos leprã discernit, ita peccatorum animæ iudicẽ ipsum esse oportet. quæstione 15. in Leuiticum.

Isychius ait: Loco Christi sacerdotes & doctores sunt in Ecclesijs. lib. 5. Commentariorum in libros Regum.

Eucherius ait: Prophetæ atq; Apostoli, omnesq; doctores, qui dũ uerbũ prædicationis bonis mentibus faciunt, ad unamquam quæ animam unigenito filio cõiungendam, quasi prouisores fiunt: itẽ, in his quæ de Domino loquũtur, in semetipsis uirtutum diuitias ostendunt, ut tanto citius ad sequendum Deum pertrahant, quanto auditoribus suis in semetipsis monstrãt quæ narrant. Et iterũ: Prædicatores sacri eloquij fluenta cõsiderant, atq; ex ipsis colligunt, quę uel quibus prædicationis suæ uerba cõmittant, & ex quibus auditoribus fiduciã certitudinis assumant. lib. 2. in Geneseos caput 40. Itẽ: Et emisit Euangelistas pennis uirtutũ recta itinera transuolantes, nõ suis, sed eius à quo missi sunt, ut alijs essent odor uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem. libro 2. Commentariorum in libros Regum, cap. 10. Et: Prædicatores qui sublimem atque honorabilem in Ecclesia Dei locũ tenent, infirmiores quosque ac fragiles suis prædicationibus ab infimorum appetitu sustollunt, atq; ad cœlestia desideranda ac speranda suspensis persistant, adiuuant. libro 3. Commentariorum in libros Regum, cap. 9.

Pœnã comitari negligentiam ministrorũ uerbi Dei, Chrysostomus monet. Paulus inquit: Mundus sum ego, ab hoc tempore adgentes ibo. Igitur & nos rei sum⁹ sanguinis eorum qui nobis concrediti sunt, negligentes illos. homilia 39. in acta Apostolorum.

Non esse cuiuis prẽstigiatori credendum, docet Theodoret⁹ inquiens: Non attendẽdum est signis, quando is qui edit illa, pietati contraria docet. Quæstione 12. in Deuter.

De scriptis hominũ quid sentiendum sit, Augustin⁹ exponit, de uidendo Deo, ad Paulinã cap. 16: Neq; enim mihi sic credis, quẽadmodũ Ambrosio, de cuius libris tanta illa testimonia posui. Aut si ambob⁹ nobis ęqua lance putas esse credendum, nunquid ullo modo Euangelio comparabis, aut scripta nostra Scripturis Canonicis coæquabis? ꝓpterea ò si rectè dijudicando sapis, longè nos infrà uides ab illa autoritate distare, & me qui libet credas, utrumq; illi excellentiæ nequaquam comparas.

DE MIRACVLIS.

Miraculum definit Augustinus his uerbis, de utilitate credendi ad Honoratum cap. 16: Miraculum uoco, quicquid arduum aut insolitum supra spem uel facultatem mirantis apparet.

Quotuplicia sint miracula, Augustinus exponit, de utilitate credendi, ad Honoratũ cap. 16. Sed rursus hæc in duo diuiduntur. Quædam enim sunt, quæ solam faciunt admirationẽ: quædam uerò magnã etiam gratiam, beneuolentiamq; conciliant. Nam si quis uolantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat cõmodi prẽter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis aũt graui & desperato morbo affectus, mox ut iussum fuerit conualescat, admirationem sanitatis suæ, sanantis etiã charitate superabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in uero homine, quantũ sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mũdati leprosi, incessus claudis, cæcis uisus, surdis audit⁹ est redditus. Homines illius tẽporis aquã in uinum cõuersam, saturata quinq; millia quinque panibus, trãsita pedib. maria, mortuos resurgentes uiderũt. Ita quædã corpori manifestiori beneficio, quædã uerò menti occultiore signo, & omnia hominibus maiestatis testimonio cõsulebant: sic in se tunc animas errãtes mortaliũ, diuina cõmouebat autoritas. Cur (inquis) ista modò non fiunt? Quia nõ mouerẽt, nisi mira essent. At si solita essent, mira nõ essent. Nã diei & noctis uices, & cõstantissimũ ordinem rerũ cœlestiũ, annorũ quadrifariã conuersionẽ, decedẽtes redeuntesq; frondes arboribus, infinitã uim seminũ, pulchritudinẽ lucis, colorũ, sonorũ, odorũ, saporumq; uarietates, da qui primũ uideat atq; sentiat, cũ quo tamẽ loqui possim⁹, hebescit, obruiturq; miraculis. Nos uerò hæc omnia nõ cognoscendi facilitate (quid enim causis istis obscurius?) sed certè sentiendi assiduitate cõtemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissimè, ut his multitudine credentium congregata atq; ꝓpagata, in ipsos mores utilis conuerteretur autoritas.

De maximis miraculis Augustinus ait in Euangeliũ Ioan. tractatu 17: Mirum non esse debet, à Deo factũ miraculum. Mirum enim esset, si homo fecisset. Magis gaudere quàm mirari debemus, quia Domin⁹ noster & Saluator IESVS Christ⁹ homo factus est, quàm quòd diuina inter homines Deus fecit. Plus est enim ad salutẽ nostrã quòd factus ꝓpter homines, quàm q̃ fecit inter homines: & pl⁹ est q̃ uitia sanauit animarũ nostrarũ, quàm quod sanauit lãguores corporũ moriturorũ.

Quare fiant miracula, Chrysostomus monet inquiens: Signa quædam fiunt ut alliciantur alij, quædam uerò pro credentium consolatione. Homilia uigesimaprima in nonum caput actorum Apostolorum. Augustinus lib. 10 de ciuitate Dei, cap. 10:

Multa

Multa fiebant in ueteri Teſtamento miracula, quæ omnia commemorare nimis longũ eſt, ad commendandum unius Dei cultum, & multorum falſorum q́ue prohibendum. Fiebant autem ſimplici fide, atque fiducia pietatis, nõ incantationibus & carminibus nefariæ curioſitatis arte compoſitis, quam uel Magiam, uel de ſtabiliore nomine Goëtiam, uel honorabiliore Theurgian uocant. Ibidem capite 12: Porrò autem quæcunque miracula ſiue per angelos, ſiue quocũq; modo ita diuinitùs fiunt, ut Dei unius, in quo ſolo beata uita eſt, cultum religionem q́; cõmendent, ea uerè ab eis, uel per eos qui nos ſecundum ueritatem pietatem q́; diligunt, fieri, ipſo Deo in illis operãte, credendũ eſt.

Cur hodie non fiant, aut qualia fiant miracula, Chryſoſtomus in epiſtola 1. ad Corin. cap. 2. homilia 6. ſoluit quæſtionem, cur, cùm tempore diſcipulorum facta ſint ſigna, ſuo tempore non fiant, hac ratione: Quia quanto certiores & magis neceſſariæ res ſint, tanto fidem eſſe minorem, ſeu (ut mox ſubijcit) quanto certius demonſtretur argumentum, tantum fidei præmio detrahi: idcirco ſigna in præſentia non fieri. Poſtea concedit tamen, ſuo quoque tempore ſigna fieri, licet non talia: uidelicet prophetias innumeras, & innumeris de rebus, orbis terrarum conuerſionem, barbarorum philoſophiam, ferorum morum mutationẽ, pietatis propagationem.

Auguſtinus de uerbis Domini ſecundum Matthæum, Sermone 18: Poſt paruum enim tempus, poſteaquam ab oculis mortalibus receſſit Chriſtus, ut firmaretur fides in cordibus, qui cunq; crediderunt, non uidentes crediderũt, & magnũ meritum habuit fides eorum: cui fidei comparandæ, cor tantum admouerunt pium, non & palpantẽ manũ. Hæc ergo fecit Dominus, ut inuitaret ad fidem. Hæc fides nunc feruet in Eccleſia toto orbe diffuſa. Et nunc maiores ſanitates operatur, propter quas non eſt dedignatus tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior eſt corpore, ſic & melior ſalus animi quàm ſalus corporis. Modò caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcum aperit oculos ſermone Domini. Modò nõ reſurgit mortale cadauer, reſurgit anima quæ mortua iacebat uiuo, nõ cadauere. Modò aures corporis ſurdæ non aperiũtur: ſed quàm multi habẽt aures clauſas cordis, quæ tamẽ uerbo Dei penetrante pateſcũt, ut credant, qui non credebãt: & bene uiuant, qui malè uiuebant: & obediant, qui nõ obediebant: & dicimus, Ille credidit, ac miramur cũ audimus de ijs quos aliquando duros nouerамus. Cur ergo nũc miraris credentem, innocentẽ, Deo ſeruientẽ, niſi quia conſpicis uidentem, quem noueras cæcum? conſpicis uiuentẽ, quem noueras mortuum? conſpicis audientem, quem noueras ſurdum? Nam uidete aliter mortuos, de quibus mortuis dicebat Dominus cuidã, ideo tardanti, ne Dominum ſequeretur, quia ſepelire patrem uolebat: Sine (inquit) mortuos ſepelire mortuos ſuos. De uera religione cap. 25: Cum enim Eccleſia catholica per totum orbem diffuſa atq; fundata ſit, nec miracula illa in noſtra tẽpora durare permiſſa ſint, ne animus ſemper uiſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorũ nouitate flagrauit. Nec iam nobis dubium eſſe debet, ijs eſſe credendũ, qui cum ea prædicent quæ pauci aſſequuntur, ſe tamen ſequendos, populis perſuadere potuerũt. Libro 22. cap. 8: Cur (inquiunt) nunc miracula, quę dicuntur facta eſſe, nõ fiunt? Poſſem quidem dicere, neceſſaria fuiſſe, priuſquã crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quiſquis adhuc pdigia, ut credat, inquirit, magnũ eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit.

Diſcrimina uerorum & falſorum miraculorum recitat Auguſtinus libro 21 Sententiarum, ſententia 4: Sed hoc intereſt, quòd cũ Sancti talia faciant, in nomine Domini Dei omniũ rerum, de ſublimioribus apparatibus iubetur inferiori creaturæ: cum autem mali homines magicis artibus operantur ſimilia, in manus ſuas dantur, cum exaudiũtur à dæmonibus. Digni enim ſunt qui tali exaudi tione decipãtur, ut pœna illis fiat hoc quod uidentur impetrare beneficium, cum eis exhibent quaſi priuatim aereę poteſtates quędam miracula, ut eos habeant ſubiugatos, permiſſu tamen diuinæ prouidentiæ, ut pro meritis animarum ſua cuiq; tribuantur.

De diabolicis miraculis ſcribit Auguſtinus, de ciuitate Dei libro 8. cap. 16: Atomnia miracula Magorum, quos rectè ſentit eſſe damnãdos, doctrinis fiunt & operibus dæmonũ: quos uiderit cur cẽſeat honorandos eſſe, neceſſarios eos afferens perferendis ad Deos noſtris precibus, quorum debemus operа deuitare, ſi ad Deum uerum preces noſtras uolumus peruenire.

Incantatores & diuinos non eſſe conſulendos, Auguſtinus docet ſermone 241: Ego me apud Deum abſoluo, dum iterum atque iterũ admoneo pariter & conteſtor ut nullus ex uobis carragos uel diuinos ſortilegos requirat, nec de qualibet eos aut cauſa aut infirmitate interroget. Nullus ſibi præcantatores adhibeat: quia quicunq; fecerit hoc malum, ſtatim peribit baptiſmi ſacramentũ, & continuò paganus & ſacrilegus efficitur: & niſi grandi eleemoſyna, & dura & prolixa pœnitentia ſubuenerit, ſtatim inæternũ pe-

ribit.

ribit. Similiter & auguria obseruare nolite, nec in itinere positi aliquas auiculas cantãtes attẽdite, nec ex illarũ cãtu diabolicas diuinationes annũciare præsumite. Nullus ex uobis obseruet qua die de domo exeat, qua die iterũ reuertatur: quia oẽs dies Deus fecit. sicut Scriptura dicit: Et factus est primus dies, & secũdus dies, & tertius similiter, & quartus, & quintus, & sextus, & sabbatum. Et illud: Fecit Deus omnia bona ualde. Illas uerò non solùm sacrilegas, sed etiam ridiculosas sternutationes considerare & obseruare nolite: sed quoties uobis in quacunque parte fuerit necessitas properandi, signate uos in nomine IESV Christi, & symbolum uel orationem Dominicam fideliter dicentes, securi de Dei adiutorio iter agite. De rectitudine Catholicæ cõuersationis: Ante omnia illud annũcio atq; obtestor, ut nullus paganorum sacrilegas consuetudines obseruet, non carcarios, non diuinos, nõ sacrilegos, non præcantatores, nec pro ulla causa aut infirmitate eos consulere & interrogare præsumatis. Qui hoc malum facit, perdit baptismi sacramentum. Similiter auguria uel sternutationes obseruare nolite: nec in itinere positi, aliquas auiculas cantantes attendatis: sed siue iter, siue quodcunque opus arripiatis, signate uos in nomine Christi, & symbolũ & orationem Dominicam cum fide & deuotione dicite, & nihil uobis poterit nocere inimicus. Nullus obseruet qua die domũ exeat, uel qua reuertatur: quia omnes creauit Dominus. Nullus ad inchoandum opus diem uel lunam attendat. Nullus in Calendis Ianuarij nefanda & ridiculosa, uetulas aut cerulos, aut iocticos faciat: neq; mensas super noctem componat, nec syrenas aut bibitiones exerceat superfluas. Nullus in pyras credat, neque in cantum sedeat: quia opera diabolica sunt. Nullus in festiuitate beati Iohannis, aut sanctorum solennitatibus solstitia, aut uállationes, uel salutationes, aut cantica diabolica exerceat. Nullus nomina dæmonum, aut Neptunum, aut Dianam, aut Herculem, aut Mineruam, aut Genistum, aut cætera huiusmodi inepta credere aut inuocare præsumat. Nullus diem Iouis absque solennitatibus sanctis, nec in Maio, nec in ullo tẽpore in ocio obseruet: nec turmarum, uel murorum, uel aliquam diem omnino, nisi tantum diem Dominicam. Nullus ad fana, uel ad petras, uel ad fontes, uel ad arbores, aut ad ocellos, uel per trina luminaria uotum faciat, uel totũ reddere præsumat. Nullus ad colla hominis uel alicuius animalis legumina dependere præsumat. & si à clericis fiat & dicatur quòd res sancta sit, & in diuina lectione cõtineatur, non esset dignus nomine clericorum, sed hæreticorum: quia non est in eis re medium Christi, sed uenenum diaboli. Nullus præsumat lustrationes facere, nec herbas incantare, neque pecora per cauam arborẽ, uel terrãm transilire foratam, quia per hoc diabolo uidẽtur consecrare. Nulla mulier præsumat succinos dependere: nec in tela, siue in tinctura, siue in quolibet opere Mineruam uel cæteras infaustas personas nominare: sed in omni tempore Christi gratiam adesse, & in uirtute nominis eius toto corde confidere. Nullus quando luna obscuratur, uociferare præsumat: quia certis temporibus Deo iubente obscuratur. Nec per lunam nouam timeat aliquid operis arripere: quia Deus ad hoc lunam fecit, ut tempora designet, & noctium tenebras temperet, non ut alicuius corpus custodiat aut dementem hominem faciat: sicut stulti putant, qui à dæmonibus uexatos, à luna pati putant. Nullus dominos Solem aut Lunam uocet, neq; per eos iuret: quia creatura Dei sunt, & necessitatibus hominum iussu Dei inseruiunt. Nemo sibi proponat Fortunam aut Genistum, quòd nascentia dicitur: quia Deus uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, atq; in sapiẽtia omnia dispensat, sicut disposuit ante mundi cõstitutionem. Propterea quoties aliqua infirmitas occurrit alicui, non quærãtur præcãtatores, nõ diuini, nõ sortilegi, nõ carcarij: neq; per fontes, aut arbores, aut biuia, phylacteria exerceantur: sed qui ægrotat, in sola misericordia Dei confidat. De diuinatione dæmonum cap. 5: Primùm sciendum est, quoniam de diuinatione dæmonum quæstio est, illos ea plerunq; prænunciare, quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpe potestatem & morbos immittere, & ipsum aerem uitando morbidum reddere, & peruersis atq; amatoribus terrenorũ commodorũ malefacta suadere: & de quorum moribus certi sunt, quòd sint eis talia suadentibus consensuri: suadent autem miris & inuisibilibus modis, per illam subtilitatem suorum corporum, corpora hominũ non sentientium penetrando, seseq; cogitationibus eorum per quędam imaginaria ui sa miscendo, siue uigilantium siue dormientium. Aliquãdo autem non quæ ipsi faciũt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quę signa in hominum sensus uenire non possunt, antè prædicunt.

DE TRADITIONIBVS *humanis, seu ceremonijs.*

VBi dehortatur suos auditores Chrysostomus, ut fugiant Iudæorũ impiũ ieiunium, cum non fiat ex mandato Dei, subiungit: Etenim quod fit, iuxta Dei uoluntã-

tē, quāuis uideatur improbū esse, tamē omnino Deo gratū est, & acceptū. Cōtrà, quod fit præter Dei uoluntatē, ac secus quàm ille uult fieri, quáquā existimatur acceptū Deo, tamē est omniū pessimū & iniquissimum. Hoc probat exēplis sacræ Scripturæ Chrysostomus, in Oratione prima cōtra Iudęos.

Theodoretus ita scribit: A uino & ab esu carniū, & ab alijs eiusmodi abstinentiam, nō similiter ac hæretici amplectitur. Illi enim ab ijs tāquā abominādis abstinēdū esse censent. Ecclesia aūt nihil horū decernit: neque enim eorū prohibet participationē. & ideo alij quidē permissis à lege bonis & uoluptatib. securè fruūtur, alij uerò ab eis abstinent: nullus aūt qui rectè sapit & sentit, cōdemnat eū qui comedit. Nā abstinētia & esus participatio, sunt in mētis potestate. Porrò aūt uita monastica nō est ex necessitate, sed libera animi uolūtate susceptа. Et hoc ex Apostolicis legib. didicimus: Qui comedit, inqt, non comedentē nōspernat: & qui nō comedit, comedentē nō iudicet. Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum.

Sedulius inquit: Omnia mūda, his uidelicet qui in Christo credunt, & sciunt omnem creaturā bonā esse, & nihil abijciendū quod cum gratiarum actione percipitur. in 2. caput ad Titum.

Itē Primasius: Iudæi diē inter diē nō poterant iudicare: quia de ieiunio lex nō est posita, sed quomodo potest unusquisque, aut uult. Qui aūt plus ieiunat, mercedē maiorē habet. in decimumquartum caput ad Romanos. Item: Ipsis quasi infirmis iubetur olera manducare, quæ indifferenter comeduntur ab omnibus, qui firmiores erant in fide: hoc est, qui ex gentib. crediderant, omnes carnes & omnes dies æquales esse credebant. istis dicitur, ut nihil æstiment commune per ipsum, nisi ei qui commune crediderit. in 14. caput ad Romanos.

Theodulus inquit: Nihil natura commune est, uerùm ex uoluntate utentis fit commune. Vnde & illi soli est commune, non omnibus. in 14. caput ad Romanos. Item: Verisimile erat, eos qui quotidie ieiunabāt eos condemnare qui non continuò ieiunabant, ac corpus suum inedia castigarent. Vel quòd rectè facit ieiunans semper, uel quòd bene non ieiunans semper. Qui sic affectus est, ut in singulos dies ieiunet, Domino sic affectus est: & qui affectus est ut in singulos dies inedia sese non castiget, propter Dominum sic affectus est. Quicquid autem propter Dominum fit, bonum est. ibidem.

Marcus heremita inquit: Qui pro peccatis nostris mortuus est secūdum Scripturas, etiam fideliter & probè ipsis seruientibus libertatem largitur gratuitò.

¶ Regulæ quædam de Cęremonijs traduntur ab antiquis Scriptoribus. Augustinus ad inquisitiones Ianuarij libro primo, capite undecimo scribit: Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos uiuitur societate seruandum est. Credo te aliquando exme audisse, sed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me consecuta, inuenit Ecclesiam subbato non ieiunantem. Cœperat perturbari, & fluctuare quid ageret. Tunc ego talia non curabam, sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ uirum Ambrosium. Respondit, se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret: quia si melius nosset, id potius obseruaret, Cumque ego putassem nulla reddita ratione, autoritate sola sua nos uoluisse admonere, ne sabbato ieiunaremus: subsecutus est, & ait mihi: Cum Romam uenio, ieiuno sabbato: cum hic sum, non ieiuno. Sic & tu, ad quam fortè Ecclesiam ueneris, eius morem serua, si cuiquam non uis esse scandalo, nec quenquam tibi. Hoc cum matri annunciassem, libenter amplexa est. Item ad eundem, epistola 109. capite octauo: Quæ non sunt contra fidem, neq; contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem uitæ melioris, ubicunque institui uidemus, uel institura cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Ad Casulanum: In ijs rebus de quibus nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum, pro lege tenenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt. Ad Ianuarium epistola centesima decima nona: Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in Concilijs episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine uniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter uariantur, ita ut uix aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis hominēs secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem, quàm pauciſsimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam uoluit, seruilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum: qui etiamsi tempus libertatis non agnouerint, legalibus

galibus tamẽ sarcinis, nõ humanis præsumptionibus subijciuntur. Sed Ecclesia Dei interim multam paleam, multaq; zizania constituta, multa tolerat: & tamen quæ sunt contra fidem uel bonam uitam, non approbat, nec tacet, nec facit.

Dominica die quid agẽdum, Augustinus indicat, de rectitudine Catholicæ conuersationis, capite 100: Omni die Dominico ad Ecclesiam uenite, & non causas & rixas, uel ociosas fabulas agatis: sed lectiones diuinas cũ silentio auscultate, & pro Ecclesiæ pace, & pro peccatis uestris orate. Qui enim in Ecclesijs fabulari nõ timet, pro se & alijs reddi turus est rationẽ, dum nec ipse uerbũ Dei audit, nec alios audire permittit.

Antiquã, eamq; malã consuetudinem nõ excusare, Augustinus docet Quæstionũ ueteris & noui Testamẽti, quęstione 114: Quia quod anterius est, inquiunt, falsum esse non potest, quasi antiquitas & uetus consuetudo præiudicet ueritati. Possent enim homicidæ, aut molles, aut adulteri, uel cæteri criminosi per hoc illicita sua defendere, quia antiqua sunt, & ab ipso mundi initio cœpta: cum hinc magis intelligere debeant errorem suum, quia quod reprehensibile & turpe est, malè cœptum probatur: quod autem honestum & sanctum est, dignè colitur, nec posse turpe & reprehensibile ante factum, esse honestum & irreprehensibile. Item libro secundo de unico baptismo: Veritate manifestata consuetudo cedat ueritati. Plane quis dubitet ueritati manifestæ consuetudinem cedere? Ibidem: Nemo consuetudinem rationi & ueritati præponat, quia consuetudinem ratio & ueritas semper excludit. De baptismate paruulorum: Qui contempta ueritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est & malignus, quibus ueritas reuelatur: aut circa Deum ingratus est, inspiratione cuius Ecclesia eius instruitur. Nam Dominus in Euangelio: Ego sum, inquit, ueritas. non dixit, Ego sum consuetudo. Itaq; ueritate manifestata, cedat consuetudo ueritati.

DE CONIVGIO.

NOn esse contra pietatem uiuere in matrimonio, docet Chrysostomus: Licet, inquit, & ei qui in matrimonio est, celebrem esse, & generosum. Ecce & illi in matrimonio erant, & uehementer illuxerunt, tametsi exercitium ipsorum splendidum nõ esset, &c. in decimumsextum caput ad Romanos. Item testatur esse rem preciosam & honestam. nam inquit: Nuptiæ res precio sa & nobis & externis uidetur. in quartum caput prioris ad Corinthios, homilia duodecima. Item: Nuptiæ res honesta est, & quæ genus nostrum continet, & multorum bonorum causa est. Item Hom. 20. in Matthæum: Primus gradus castitatis est sincera uirginitas: secundus autem, fidele coniugiũ. Ergo species secunda uirginitatis est, matrimonij casta dilectio. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 29: Bonum ergo coniugij non est feruor concupiscentiæ, sed quidam licitus & honestus illo feruore utendi modus, propagandæ proli, non explendæ libidini accõmodatus: uolũtas ista, nõ uoluptas illa nuptialis est. Itẽ, de bono coniugali cap. 3: Bonũ ergo coniugij, quod etiã Dominus in Euangelio cõfirmauit, non solùm quia prohibuit dimittere uxorẽ, nisi ex causa fornicationis, sed etiam quia uenit (inuitatus) ad nuptias: cur sit bonũ, meritò quæritur. Quod mihi nõ uidetur propter solã filiorũ procreationẽ, sed propter ipsam etiã naturalẽ in diuerso sexu societatẽ. Alioqui nõ iã diceretur cõiugiũ in senib. præsertim si uel amisissent filios, uel minimè genuissent. Nũc uerò in bono, licet annoso cõiugio, etsi emarcuit ardor ætatis inter masculũ & fœminã, uiget tamẽ ordo charitatis inter maritũ & uxorẽ: quia quãto meliores sunt, tãto maturius à cõmixtione carnis suæ pari cõsensu se cõtinere cœperũt, non ut necessitatis esset postea nõ posse quod uellẽt, sed ut laudis esset primùm noluisse q, posset.

Coniugiũ esse cõcessum, Isychius etiã docet: Si nõ ualet uirginitatẽ quispiã cõsequi, in casto aũt cõiugio cõuersetur, ueniã percipit à Domino, qui dixit, Nõ oẽs capiũt uerbũ: quãdo de uirginitate Apostolis exponebat. Sed tamẽ inter eos qui saluãtur, necessariò ordinãtur. lib. 1. Com. in 3. cap. Leuitici. Eucherius inquit: Illa benedictio nuptiarũ primorũ hominũ, ut crescerẽt & multiplicarẽtur, & implerẽt terrã, quãuis & in delinquẽtib. mãserit, tñ antequã delinquerẽt data est: ut cognosceretur procreatio filiorũ ad gloriã cõnubij, non ad pœnã pertinere peccati. Lib. 1. in Genes. cap. 18. Iunilius ait: Porrò de homine facto hoc necessariò iterare curauit, dicẽs: Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terrã. Ne quis honorabili cõnubio inesse peccatũ, thorũq; fœditati ac fornicationi putaret cõparandũ. in Genesin. Item: Si benedictione Dei crescit & multiplicatur genus humanũ, ecquãta sint maledictione digni, qui prohibẽt nubere, & dispositionẽ cœlestis decreti quasi à diabolo compertam condemnant? Non ergo damnandæ sunt nuptiæ: quas ad propagationem generis humani, terramq; replendam, supernę gratia benedictionis instituit. Sed magis honoranda, maioreq; est digna benedictione uirginitas, &c. In Genesin.

Vnde sint nuptiæ & coniugium, docet Augustinus in euangelium Ioannis, tracta-

tu 9: Quòd Dominus inuitatus uenerit ad nuptias, etiá excepta mystica significatione, confirmare uoluit, quòd ipse fecit nuptias. Futuri enim erat de quib. dixit Apostol⁹, ꝓhibẽtes nubere, & dicẽtes quòd malũ essent nuptię, & quòd diabol⁹ eas feciſſet. cùm idẽ Dominus dicat in Euãgelio, interrogatus utrũ liceat homini dimittere uxorẽ ſuam ex qualibet cauſa: Nõ licere, excepta cauſa fornicationis. In qua reſpõſione, ſi meminiſtis, hoc ait: Quod Deus coiũxit, homo nõ ſeparet. Et qui bene eruditi ſunt in fide catholica, nouerunt quòd Deus fecerit nuptias: & ſicut coniunctio à Deo, ita diuortium à diabolo ſit. Item, de bono coniugali, capite primo: Prima itaq; naturalis humanę ſocietatis copula uir & uxor eſt. Quos nec ipſos ſingulos condidit Deus, & tanquam alienigenas iunxit, ſed alteram ex altero creauit, ſignans etiam uim coniunctionis in latere, unde illa detracta formata eſt. Lateribus enim ſibi iunguntur, qui pariter ambulant, & pariter quò ambulant intuentur. Conſequens eſt connexio ſocietatis in filijs, qui unus honeſtus fructus eſt, non coniunctionis maris & fœminæ, ſed concubitus. Poterat enim eſſe in utroque ſexu, etiam ſine tali commixtione, alterius regentis, alterius obſequentis amicabilis quædam & germana coniunctio.

Cyrillus: Chriſtus profectus ad nuptias, non conuiuij gratia, ſed potius miraculi. Deinde ut natiuitatis noſtræ principium, quantum ad carnem attinet, ſanctificaret. Item: Quomodo igitur aliter hæc depellenda maledictio erat, ne cõdemnata nuptiarum ſanctimonia uideretur, quàm Saluatoris præſentia? qui quum ſit uerum gaudium, priſcũ nuptiarum mœrorem præſentia ſua depulit. lib. 2. Com. in Ioan. cap. 22.

Theodoretus inquit: Operæ precium autem exiſtimo matrimonij quoq; leges perſequi, & eorum qui illud acculant audaciã refellere. Sufficit autem uel ſexus differẽtia, ad oſtendendam cauſam opificij. Eius enim gratia formauit mulierem uniuerſorum effector. Quamobrem eam etiam adiutricem uocauit: Faciamus, inquit, Adæ aduitorium ſecundũ ipſum. Non ſolùm formauit, ſed etiã uiro cõiunxit, ut uult lex, quæ nũc in uſu ciuili uerſatur: & ad uirũ deduxit, & ipſe fuit paranymphus & pronubus. ipſe ueluti quoddam donum matrimonio hanc benedictionem obtulit, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete terram: & dominamini ipſi. In Epitome diuinorum decretorum.

Philaſtrius ait: Legitimum ius coniugij à Deo promulgatũ laudatur quotidie, ac benedicitur conſuetè. in Catalogo hæreſ.

Fauſtus ait: Non damno nuptias, Ordinatio nuptialis ex benedictione cœpit, generatio corruptionis ex tranſgreſsione cœpit. Interim nuptiarum munus adhuc in paradiſo à creatore conceſſum, & earum uſus extra paradiſum ſumpſit exordium, &c. lib. 1. de libero arbitrio, cap. 2.

Ab honeſtis nuptijs omnia turpia & obſcœna (qualia ſunt cantiones, tibiæ, choreæ, ebrietates, uerba laſciua) tollenda eſſe, cẽſet Chryſoſtomus in primam Corinth. capite quarto, Homilia duodecima: & in quintum caput ad Epheſios.

De uero mulierum ornatu, docet Chryſoſtomus in decimum caput Ioannis, Homilia ſexageſima: Nempe quòd ornatus earum non ſint margaritæ, aut precioſæ ueſtes, ſed modeſtia, beneuolentia, pudicitia, hilaritas, & ſimilia.

De fine nuptiarum, Chryſoſtomus ſic ſcribit: Nuptiæ myſterium ſunt & typus rei magnæ. Eccleſiæ typus ſunt nuptiæ, & Chriſti: ideo non ſcorta inducenda ſunt. In Græcorum myſterijs ſaltationes ſint: in noſtris uerò ſilentium, decorũ, pudor & modeſtia. Magnũ celebratur myſteriũ. Quomodo myſteriũ eſt? Conueniunt duo, & faciunt unũ. & illud fuſius exponit. Vocat ſequente pagina coniugium, donum Dei, & radicem noſtræ generationis. Poſtea explicat, quomodo ſit myſterium Eccleſiæ. Item, quòd ſint etiam nuptiæ typus aduentus Chriſti. Item: Enimuerò non eſt uulgaris res, coniugium bene ſe habens: ſicuti am his qui illo non ut oportet utuntur, innumerorum malorum ſit materia. Nam ſicut mulier adiutrix eſt, ita ſæpe & inſidiatrix ſit. Et ſicut portus eſt coniugium, ita & ſæpè naufragium parit, non iuxta ſuam naturam, ſed iuxta ſententiam eorum qui illo malè utuntur. Etenim qui iuxta congruas leges illud obſeruat, domum & uxorem ſuam, ut malorum omnium quæ uel in foro, uel alicubi obueniunt, conſolatricem ac liberatricem reperit. Qui autem temerè & uulgaritet hanc rem aggreditur, etiamſi multa in foro & alibi tranquillitate fruatur, ingreſſus in domum, ſcopulos & petras uidebit. In dictum Pauli primæ Corinthiorũ ſeptimo: Mulier alligata eſt legi. Item: Mulieres, quàm uiros, prudentiores eſſe oportet, quæ curæ familiari ut plurimùm incumbunt. Vir in medio foro & iudicijs, tanquam quibuſdam fluctibus, uerſatur: mulier uerò tanquam in quodam philoſophiæ gymnaſio domi ſedens, & mentem in ſe colligens, & orationibus & lectionibus & alijs bonis operibus uacare poteſt: & more eremos habitantium, quiſe perturbet, habet neminem: domi ſedet, ubi ſemper

semper potest in tranquillitate uiuere. Si quando domo exeundum est, nullam etiam perturbationis habet materiam. Domi potest uirtuti incumbere, & uirum perturbatũ lenire, admonereq́; superfluas eius & molliores cogitationes abscindere, & ita dimittere, ut quascunq; molestias è foro domum tulerit, deponat: & quæ domi bona didicerit, secum in forum afferat. Nihil enim potentius muliere bona, ad instituendum & informandum uirum quodcunque uoluerit: neque tam leniter amicos, neque magistros, neque principes patietur, ut coniugem admonentem atq; consulentem. habet enim uoluptatem quandam admonitio uxoria, cum plurimùm amet, cui consulit. Multos possum afferre uiros asperos & immites, per uxorem mites redditos, & mansuetos. ipsa enim mensa, lecto, filiorum cõmunicatione, dicendis, tacendis, ingressu, exitu, & alijs pluribus cum marito communicans, & ut corpus capiti coniuncta, si prudens erit & diligens, omnes uincet, & coniugis superabit diligentiam. Ex quibus omnibus apparet, Chrysostomum magnifecisse, & rectè de coniugio sensisse. Homilia 60. in decimum caput Ioannis. Augustinus de Ecclesiasticis dogmatib. cap. 63: Bonæ sunt nuptiæ, sed causa filiorum, & compescendæ fornicationis obtentu. Item, de bono coniugali cap. 31: Habent etiam id bonum coniugia, quòd carnalis uel iuuenilis incontinentia, etiamsi uitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio coniugalis. Deinde quia reprimitur & quodammodo uerecundius æstuat concupiscentia carnis, quàm temperat parentalis affectus. Intercedit enim quædam grauitas feruidæ uoluptatis, quũ in ea quòd sibi uir & mulier adhærescunt, pater & mater esse meditantur. Itẽ, De sancta uirginitate, cap. 12: Habeant coniugia bonum suum, nõ quia filios procreãt: sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialiter procreant: & procreatos pariter, salubriter, instanter educant: quia thori fidem inuicem seruant, quia sacramentum connubij non uiolant. Item libro decimotertio de ciuitate Dei, cap. 22: Nos nullo modo dubitamus, secundum benedictionem Dei crescere & multiplicari, & implere terram, donum esse nuptiarum: quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum & fœminam, qui sexus euidens utique in carne est. Huic quippe operi Dei etiam benedictio ipsa subiuncta est. Item, libro secundo contra Pelagium & Celestinum, de peccato originali, capite trigesimoquarto: Bonum sunt nuptiæ in omnibus quę sunt propriè nuptiarum. Hæc autem sunt tria: generandi ordinatio, fides pudicitæ, connubij sacramentum. Propter ordinationẽ generãdi scriptũ est: Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familiàs esse. Propter fidem pudicitiæ: Vxor non habet potestatem sui corporis, sed uir: similiter & uir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Propter connubij sacramentum: Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Isychius inquit: Mulier grandem, antequam transgrederetur creatorem suum, dignitatem accepit, ut adiutrix uiri nominaretur. In 18. cap. Leuitici. Item: Vult & nuptiarum desiderium offerri Deo, ut prolis causa, non fornicationis proueniat, & honorabile sit coniugium, & torus immaculatus. lib. 1. Com. in tertium caput Leuitici.

Iunilius inquit: Porrò de homine facto hoc necessariò iterare curauit, dicens: Benedixitq́; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Ne quis honorabili connubio inesse peccatum, thorumq́; fœditati ac fornicationi putaret esse comparandum. in Genesin. Et: Si autem benedictione Dei crescit & multiplicatur genus humanum, ecquanta sint maledictione digni, qui prohibent nubere, & dispositionem cœlestis decreti quasi à diabolo compertã damnant? Non ergo dãnandæ sunt nuptiæ, quæ ad propagationem generis humani, terrãq́; replendam supernæ gratia benedictionis instituit. in Genesin.

Nuptias damnantes alacriter impugnat Augustinus: ut de hæresibus ad Quod uultdeum cap. 25: Taciani, à Taciano quodam, qui & Encratitæ appellati sunt, nuptias dãnant, atq; omnino pares eas fornicationib. alijsq́; corruptionib. faciunt, nec recipiunt in suorum numerum coniugio utentem, siue marem, siue fœminam: nõ uescuntur carnibus, easq́; omnes abominantur: prolationes quasdam fabulosas seculorum etiam ipsi faciunt, saluti hominis primi contradicunt. Item, de Ecclesiasticis dogmatibus capite 67: Malas dicere nuptias, uel fornicationi comparandas, aut stupro, cibos quoq; credere malos, uel malitias causare percipientibus, non est Christianorum, sed propriè Hierarchitarum & Manichæorum.

Sacerdotum coniugia fuisse in usu, Victor testatur, qui inquit: Mulier quædam cum periculo in exilium pergens orthodoxa, dicit se filiam esse quondam Zurinanæ ciuitatis episcopi. in Vandalica historia, lib. 2.

Chrysostomus libellum repudij damnat: Ne mihi, inquit, leges ab exteris cõditas legas, præcipientes dari libellũ repudij, & diuelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus, in die illa qua uenturus est: sed

secundum suas, ut ipse statuit. Etiam externæ leges non simpliciter, nec absolutè hoc posuerunt. nam & ipsæ puniunt factum : & hinc liquet, quod peccatum ualde ægrè tulerint. Vnde eam quæ autor fuerit repudij, nudam & spoliatam facultatibus eijciunt, ut unde fuerit dissolutionis occasio, etiam facultatum sit iactura. Nunc puniunt, & idcirco hoc facientes, non commendabant. Postea subijcit obiectionem : Tamen Moses uigesimoquarto Deuteronomij permisit dare libellum repudij, quam ita diluit: Moses, inquit, non simpliciter hanc legem tulit, sed coactus fuit sese attemperare eorum quibus legem dabat infirmitati. Nam quoniam ad cædes prompti erant, & domus cognato replebant sanguine, & neque suis, neque alienis parcebant, ne intus occiderent uxores quæ ingratæ erant, præcepit foris mittendas, quo grauius malum, nempe homicidiorum facilitas tolleretur, etcætera. Dicit postea, legem Christi in coniugio seruandam, prima ad Corinthios septimo descriptam, antiquiorem esse, quàm illa sit de libello repudij : & in tantum, quantum Adam ipso Mose. Postea commemorat textum Deuteronomij, in quo dicit esse, Scribet libellum repudij : quod est, annunciantis factum, & non propriam legem introducentis, Non scribat, quod imperantis & iubentis est. Sic Mosen consona cum Christo locutum. in primæ Corinthiorum septimum. Homilia tamen uigesima in Matthæum ait: Sicut crudelis est, & iniquus, qui castam dimittit: sic fatuus est, & iniustus, qui retinet meretricem. nam patronus turpitudinis eius est, qui crimen celat uxoris. De diuortijs sic scribit Augustinus ad Hilarium epistola octuagesimanona: Nam & in his quæ dimittenda mandauit, etiam uxor commemorata est, quam nullis legibus humanis licet uendere: Christi autem legibus nec dimittere, excepta causa fornicationis. Item, de sermone Domini in monte, libro primo : Quisquis fornicationis causa uult abijcere uxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus. quod similiter etiam de fœmina dixerim. Quod autem dicit, Quisquis solutam à uiro duxerit, mœchatur : quæri potest, utrùm quomodo mœchatur ille qui ducit, sic & illa quam ducit? Iubetur enim & illa manere innupta, aut uiro reconciliari. Sed si discesserit, inquit, à uiro, maneat innupta, Multum autem interest, utrùm dimittat, an dimittatur. Si enim ipsa uirum dimiserit, & alteri nupserit, uidetur cupiditate mutandi coniugij uirum priorem reliquisse: quæ sine dubio adulterina cogitatio est. Si autem dimittatur à uiro cum quo esse cupiebat, mœchatur quidem qui eam duxerit, secundum Domini sententiam: sed utrùm & ipsa tali crimine teneatur, incertum est. Quamuis multo minus inueniri possit, quomodo, quùm uir & mulier pari consensu sibi misceantur, unus eorum mœchus sit, & non sit alter. Hucaccedit, quia si mœchatur ille ducendo eam quæ soluta est à uiro, quanquam non dimiserit, sed dimissa sit, ipsa eum facit mœchari, quod nihilominus Dominus uetat. Ex quo colligitur, siue dimissa fuerit, siue dimiserit, oportere illam manere innuptam, aut uiro reconciliari. Rursum quæritur, utrum si uxoris permissu, siue sterilis, siue quę concubitum pati non uult, adhibuerit sibi alteram uir, non alienam, neq; à uiro seiunctam, possit esse sine crimine fornicationis?

Secundas nuptias non improbat Chrysostomus. Clarè enim inquit: Quid dicent, qui secundis nuptijs iunguntur? Non quòd illas condemnem, hoc dico: absit. nam & Apostolus illas concesit. in caput quintum ad Ephesios, Sermone uigesimo.

Reprehendit Chrysostomus consuetudinem uirginum cohabitantium cum uiris, & tamen uirginitatem profitentium: & hortatur eas, ut potius nubant, quàm ita uiris cohabitent. Nam illas nuptias, inquit, neque Deus condemnat, neque homines reprehendunt. Honesta enim res est, neminem offendens, neminem lædens. Virginitas autem illa cum uiris plus quàm stuprum ipsum, &c. In sermone, quòd regulares fœminæ uiris cohabitent.

De uirginitate Isychius inquit: Non super uirtutem discipulis ingeramus, sed quæ eis sunt possibilia : id est, uirginitatem ei cui possibilis est, illi uidelicet de quo ait Paulus : Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, etcætera. Coniugium ei, qui non capit uirginitatis uerbum. libro septimo Commentariorum in uigesimumquintum caput Leuitici, Et: Virtutes Deus secundum possibilitatem exigit. propter quod de uirginitate sanciens, Non omnes capiunt, inquit. Sed & de non possidendo docens, Si uis (inquit) perfectus esse: in mandato dixit. libro septimo Comment. in uigesimumquintum caput Leuitici.

DE MAGISTRATV.

MAgistratus esse à Deo, Augustinus docet ad Valentinũ, epistola quadragesimaoctaua. Non est tamen potestas nisi à Deo, &c. Siue enim potestas ueritati fauens ali-

aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus: siue inimica in aliquem sæuiat, laudem habet ex illa qui uictor fuerit coronatus. Item libro quinto de ciuitate Dei, capite trigesimotertio: Deus igitur ille felicitatis autor & dator, quia solus est uerus Deus, ipse dat regna terrena & bonis & malis. Neque hoc temerè & quasi fortuitu, quia Deus est: non fortuna, sed pro rerum ordine ac tempore occulto nobis, notissimo sibi, cum tamen ordini temporum non subditus seruit, sed eum ipse tanquam Dominus regit, moderatorque disponit, felicitatem uerò non dat nisi bonis. Hanc enim possunt habere & non habere seruientes, possunt & nō habere & habere regnantes. Et cap. 21: Non tribuamus dandi regni atq; imperij potestatē, nisi Deo uero, qui dat felicitatē in regno cœlorum non nisi solis pijs. Regnum uero terrenum & pijs & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet. Qui Mario, ipse Caio Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, uel patri uel filio, suauissimis imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse apostatæ Iuliano. Hæc unus Deus, unus & uerus regit & gubernat, ut placet: etsi occultis causis, nunquid iniustis?

Theodoretus ait: Ipse communis ordinis curam gerens, effecit ut hi quidem imperarent, illi uerò parérent, ueluti quoddam frenū ijs quise iniustè gerūt, magistratuū timorem incutiens. Porrò aūt sciendum est, quòd & magistratum gerere, eique parére, à diuina prouidentia pendēre, statuit diuinus Apostolus, non autem ut hic uel ille sit magistratus. in decimumtertium caput epistolæ ad Romanos.

Salonius: Nunquid Christus omnibus tyrannis impijs & principibus dat regnum & imperium? non utique. ueruntamen ipso permittente, impij reges & principes suscipiunt regnum uel imperia, iuxta illud Iob: Permittit regnare hypocritam propter peccata populi, &c. In explicatione Salomonis.

Virtutes ueras Magistratuum ita describit Augustinus, libro quinto de ciuitate Dei, capite uigesimoquarto: Sed felices eos dicimus, si iustè imperant: si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt: si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestati eius famulam faciunt: si Deum timent, diligunt & colunt: si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes: si tardius uindicant, faciliè ignoscunt: si eandem uindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odijs exerunt: si eandem ueniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si quod asperè coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant: si luxuria tanto eis est castigatior, quanto possit esse liberior: si malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Etsi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis, humilitatis & miserationis & orationis sacrificium Deo suo uero immolare non negligunt. tales Christianos imperatores dicimus esse felices, interim spe, postea reipsa futuros, cum id quod exposcimus aduenerit.

Leo de Magistratus officio sic inquit: Ad imperialem pertinet potestatem, ut perturbatores Ecclesiæ, pacis & Reipublicæ, quæ Christianis principibus meritò gloriatur, inimici solicitius comprimantur. epistola octuagesimasecunda ad Iulianum Coensem episcopum. Et addit: Imperialis est potestatis, tumultus publicos ac seditiones sacrilegas seuerius coercere.

Honorificè & Cyrillus de Magistratibus scribit, tomo tertio, De recta fide: Vos enim estis & summarum dignitatum fontes, & supra omnem eminentiam, humanæque felicitatis principium ac origo. Et uestræ quidem maiestatis clementissimis nutibus, quicquid regni solij substratum est, ut uitam legitimam & admirabilem agat, gubernatur. at qui iugum non ferunt, facilè à uestro robore uicti, cadunt. Atque adeò, si uel regis scutum radiet, illi repulsa sua obscuritate pereunt, & ab insipientiæ suæ sensu recedentes, flexis genibus misericordiam quærunt. Eapropter & militum uestrorum multitudo, & militaris disciplinæ perita, & uincere semper solita, mundum subiecit. Vos estis eorum qui uel ad Orientem uel Occidentem habitant, cantus & lyra, & omnis celebritatis argumentum. Vos, qui Austrum & ulteriorem Aquilonis regionem inhabitant, gratulatorijs uocibus celebrare non cessant. Tam pij & præclari uestri imperij summum præsidium est Dominus noster IESVS Christus. nam per illum reges regnant, & potentes scribunt iusticiam, sicut scriptum est: estque illi potentissima uoluntas, & solus nutus, boni omnis impletio. Distribuit autem promptè diligentibus se, omnia quæ laudabilia & admirabilia ac eximia. Ad hæc

quæ dixi demonstranda, sufficiũt uel ea quę uestræ Maiestati donata sunt, & adhuc danda, ut credimus.

Theodulus ait: Ne sese deteriores uilioresq; Christi serui arbitrẽtur, si potestatibus subijciantur, ostendit quòd necessarium sit obtemperare, & non reluctari, neq; inobedientem esse quempiam magistratui. Qui enim istuc attentauerit, Deo resistit, qui condidit instituitq; magistratus. Eam autem ob rem dixit, Dei eam esse ministram ad bonũ: quandoquidem ministret ac inseruiat Dei uoluntati, cùm bonos laudibus euehens, tũ malos puniens. hinc te ad bonum etiam impellit. Non igitur princeps aut magistratus metus tibi causa est, sed scelerata tua uita. in 13. cap. ad Romanos.

Sumptibus esse iuuandos magistratus, Chrysostomus monet. Verùm propterea, inquit, ab antiquis temporibus communi omnium sententia principes à nobis sustentari debere uisum est, ob id, quòd sua ipsorum negligentes, communes res curant: uniuersumq; suum ocium ad ea impendunt, quib. non solùm ipsi, sed & quæ nostra sunt, saluantur. in 13. cap. ad Romanos, Sermone uigesimotertio.

Tria, inquit Augustinus, ad Magistratum pertinere, libro de 12. abusionum gradibus, gradu sexto: Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorem scilicet, ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur dominus, & metuatur, ordinatio illius minimè stare poterit. Per beneficia ergo & affabilitatem procuret ut diligatur: & per iustas uindictas, non propriæ iniuriæ, sed legis Dei, studeat ut metuatur.

Synesius uult regem debere esse prudentem, non tantum potentem: quia potentia non sufficit ad fœlicitatem, inquit, neque Deus in robore posuit beatitudinem, sed oportet adesse, imò prius esse prudentiam. Synesius de regno. Item: Rex bene bonis imperet, & ipse sit uirtutis certator & præses. ἀρετῆς ἀγωνιστὴς καὶ ἀγωνοθέτης. de regno. Item: Ipse rex sit dux ad pietatem omnium rerum, tam minorum quàm maiorum, initium à Deo petens. Sic omnibus rebus iucundius est spectaculum, rex in publico manus tollens & adorans communẽ & sui ipsius & populi regem. Synesius de regno. Itẽ: Ex regno exterminãda est superbia & luxus seu magnificentia. de regno. Item: Signum regni, beneficentiam esse ponimus. Reges sint largitores bonorum, benigni, cognomina Dei in memoriam reuocantes. Postea sequitur: Quia is qui suppeditat bona, nunquam laborabit seu indigebit, hoc faciẽs. Sit similis soli, radios suos plantis & animalibus donãti. Non enim ipsi difficile est collustrare omnia, cũ habeat in sua substantia lumen, & sit fons luminis. de regno.

De legis rigore mitigando, scribit Augustinus in libro Quæstionum ueteris & noui Testamenti, cap. 15: Nimia iusticia incurrit peccatum, temperata uerò iusticia facit perfectos. Non enim sine malitia est, qui multũ est iustus: quia peccantibus ad singula si respondeas, non deerit ubi pecces. deniq; Dei temperata iusticia est. Peccantibus enim aliquando ignoscit, aliquando irascitur, aliquando reddit nõ quantum digni sunt: sufficit enim eos, ut sint qui proficiant. Lex enim, quia seipsa molliri non potest, mitiganda est, ut possit prodesse sub se agentib. Hic ergo iustus non est nimium, qui Dei imitator est.

De necessitate & utilitate Magistratus, inquit Chrysostomus: Innumera bona ciuitatibus per magistratus proueniunt: quæ si sustuleris, omnia simul pessum ibunt, ita ut neque urbes, neque agri, neque domus, neque forum, aut aliquid aliud, consistere queant, sed omnia simul subuertantur, potentioribus imbecilliores impunè deuorantibus. in decimumtertium caput ad Romanos, Sermone uigesimotertio. Augustinus de 12 abusionũ gradibus, gradu 6: Quoniam in iusticia regis exaltatur solium, & in ueritate regis solidantur gubernacula populorum. Iusticia uerò regis est, neminem iniustè per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter uirum & proximum suum iudicare, aduenis & pupillis & uiduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & peierantes uiuere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super regni negocia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere: magorum & hariolorum, pythonissarumq; superstitionibus non intendere, iracundiam suam differre, patriã fortiter & iustè contra aduersarios defendere, per omnia in Deo cõfidere, prosperitatibus non eleuare animum, cuncta aduersa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas non gustare cibũ. Væ enim terræ cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Hæc regni prosperitati in præsenti faciunt, & regem ad cœlestia regna meliora perducunt. Qui uerò regnum secundum hanc legem non dispensat, multas nimirum aduersitates imperij tolerat. Idcirco enim pax populorum sæpe rumpitur, & offendicula de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & seruitia populorum

pulorum impediuntur: multi & uarij dolores prosperitatem regni inficiunt, charorum & liberorum mortes tristiciam conferunt, hostium incursus prouincias undique uastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestates aeris & hemisphæria turbata terrarum fœcunditatem & maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus segetes & arborum flores & pampinos quosque exurit. Super omnia uerò regis iniusticia, non solùm præsentis imperij faciem offuscat, sed etiam filios suos & nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat. Propter iniquitatem enim Salomonis, regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum suorum disperst. Et propter iusticiam Dauid regis, lucernam de semine eius semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum iusticia regis seculo ualet, intuentibus perspicuè patet. Est enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræq; fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorũ, & sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat rex, quòd sicut in throno hominũ primus cõstitutus est: sic & in pœnis, si iusticiã non fecerit, primatũ habiturus est. Omnes namq; quoscunq; peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo implacabili in illa futura pœna habebit. Ad Macedoniũ epist. 54: Nec ideo sanè fructa instituta sunt, potestates regis, uis glatij cognitoris, unguleę carnificis, arma militis, disciplina dominationis, seueritas etiã boni patris. Habent ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. Hæc cùm timentur, & coercentur mali, & quietius inter malos uiuunt boni: nõ quia boni pronunciãdi sunt, qui talia metuendo non peccant.

Synesius ait: Vt bona ciuitatis & telluris seruentur, rex propugnat & deligit qui pugnare debent. de regno.

Magistratus debere idola tollere, Augusti nus monet contra literas Petiliani libro 2. cap. 92: Omnes enim homines seruire Deo debent, aliter cõmuni cõditione qua homines sunt, aliter diuersis donis: quòd ille aliud agit in reb. humanis, ille aliud. Non enim auferẽda idola de terra: quod tanto antè futurũ prædictũ est, posset quisquã iubere priuatus. Habent ergo reges, excepta generis humanisocietate, eo ipso quo reges sunt, unde sic Domino seruiant, quomodo non possent qui reges non sunt.

Magistratum debere in schismaticos animaduertere, Augustinus docet lib. 1. contra epistolam Parmeniani, cap. 6: Aut si nec hoc uolũt Donatistæ, cur in ueneficos uigorẽ legum exerceri iustè fateantur, in hæreticos autem atq; schismaticos, impias dissensiones nolũt fateri, cùm ijsdem iniquitatis fructibus autoritate Apostolica numerẽtur? An fortè nec talia potestates istæ humanæ constitutionis permittũtur curare? Propter quid ergo gladium portat, qui dictus est minister Dei, uindex in irã eis qui malè agũt. Ibidẽ: Vna generalis Imperatorũ lex, aduersus oẽs qui Christianos se dici uolũt, & ecclesię Catholicæ non cõmunicant, sed in suis separatim cõuenticulis cõgregantur, id continet, ut uel ordinator clerici, uel ipse ordinatus, denis libris auri mulctẽtur: locus uerò ipse, quo impia separatio congregatur, redigatur in fiscũ. Sunt & aliæ iussiones generales, quibus eis uel faciendi testamẽta, uel per donationes alicui conferendi facultas adimitur, uel ex donationibus aut testamẽtis aliquid capiendi. Item, in Euangelium Ioannis tractatu 2: Mirantur autem, quia commouẽtur potestates Christianę aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Si non ergo moueren tur, & quomodo redderent rationem de imperio suo, Deo? Et ego proponam decretũ omnibus tribubus & linguis in omni terra. Quale decretum? Quicunq; dixerit blasphemiam in Deũ Sidrac, Misac & Abdenago, interitu erunt, & domus eorum in perditionem. Ecce quomodo sæuit rex alienigena, ne blasphemetur Deus Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare: & nolunt ut sæuiãt reges Christiani, quia Christus exufflatur, à quo nõ tres pueri, sed orbis terrarũ cũ ipsis regibus à gehennarum igne liberatur.

Differentiam regis & tyranni tradit Synesius, ita scribens: Bene habet antiquus sermo, quòd multitudo subditorũ nõ facit regẽ, multo magis neq; tyrannũ: postquã nec multitudo ouiũ pastorẽ facit, multo minus coquum, qui eas tõdet, & ipse satiatus alijs cœnam uel prandiũ parat. Aequalib. terminis dico regẽ & tyrannum distare: quòd ad fortunã uerò, ambo similes. Imperat enim uterq; multis hominibus: sed qui subditis honesta ordinat, & uult laborare, & ut nihil illis sit flagitiosum uel noxium periclitari, ut in securitate uel libertate illi uiuãt, qui uigilat & in curis degit ut nocte dieq; sint securi, ille est pastor inter oues, & rex inter homines. Qui uerò fruiturimperio ad delicias, & potestatem in luxu consumit, putans oportere oẽs suas cupiditates expleri, unde lugẽt & plorant subditi: qui imperare multis lucrum ponit, &c. & ut summatim dicã, qui gregem non pinguefacit, sed qui uult à grege obœsus reddi: hunc uoco coquum ciborum, hunc quoque commonstro tyrannum. in libro περὶ βασιλείας, ad Imperatorem Arcadium.

Obedien

Obedientiam deberi magistratibus, Augustinus docet lib.3. confessionũ,cap.8:Generale quippe pactũ est societatis humanæ obedire regib.suis. Item in expositione quarundã propositionũ ex Epist. ad Rom. proposit.72. Quod autem ait Apostolus, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,non est enim potestas nisi à Deo: rectissimè admonet,ne quis ex eo quòd à Domino suo in libertatem uocatus est, factus Christianus, extollatur in superbia: & non arbitretur in huius uitæ itinere seruandum esse ordinem suum,ut potestatibus sublimioribus,quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, existimet nõ se esse subdendum. Cùm enim constemus ex anima & corpore, quamdiu in hac uita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium huius uitæ degendæ utamur: oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc uitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est,hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa uerò parte qua credimus Deo,& in regnum eius uocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini,idipsum in nobis euertere cupienti, quod Deus ad uitam æternam donare dignatus est.Si quis ergo putat,quoniam Christianus est, non sibi esse uectigal reddẽdum,aut tributum, aut non esse exhibendũ honorem debitum eis qui hæc curant potestatibus,in magno errore labitur.Sed modus iste seruãdus est,quẽ Deus ipse præscribit,ut reddamus Cęsari quę Cæsaris sunt,& Deo quæ Dei sunt.Quãquã enim ad illud regnum uocemur, ubi nulla erit potestas huiusmodi:in hoc tamen itinere dum agimus, donec perueniamus ad illud seculum, ubi fit euacuatio omnis principatus & potestatis,conditionem nostram pro ipso rerũ humanarum ordine toleremus, nihil simulatè facientes,& in eo ipso non tam hominibus quàm Deo qui hæc iubet obtemperantes. Item proposit.74: Quod autem ait, Ideoq; necessitate subditi estote: ad hoc ualet, ut intelligamus,quia necesse est propter hanc uitam subditos nos esse oportere, non resistentes si quid illi auferre uoluerint, in quo sibi potestas data est de temporalib. rebus: quæ quoniam transeunt, ideo & ista subiectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessarijs huic tẽpori constituenda est. Tamen quoniam dixit, Necessitate subditi estote, ne quis non integro animo & pura dilectione subditus fieret huiusmodi potestatibus,addidit dicens:Non solùm propter iram,sed etiam propter cõscientiam: id est, non solùm ad iram euadendam, quod potest etiam simulatè fieri,sed ut in tua conscientia certus sis, illius dilectione te facere, cui subditus fueris,iussu Domini tui, qui omnes uult saluos fieri,& in agnitionem ueritatis uenire. Et hoc enim cùm diceret Apostolus,de ipsis potestatibus aiebat. Hoc est quod seruis alio loco suadet: Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes. ut idipsum quòd subduntur Dominis suis,non eos oderint,aut fallacijs promereri desiderent.

Quando non obtemperandum sit magistratibus,Augustinus admonet de correctio ne Donatistarum capite 6: Quicunque ergo legibus Imperatorum quæ contra ueritatẽ Dei feruntur,obtemperare non uult,acquirit grande præmium.Quicunq; autem legibus Imperatorum quæ pro Dei ueritate feruntur,obtẽperare non uult, acquirit grande supplicium.Nam & temporibus Prophetarum,omnes reges qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euetterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur: & qui prohibuerunt,& euerterunt,super aliorum merita laudantur. Et rex Nabuchodonosor, cum seruus esset idolorum, constituit legem sacrilegam,ut simulachrũ adoraretur.Sed eius impiæ constitutioni qui obedire noluerunt, piè fideliterque fecerunt. Idẽ tamen rex diuino correctus miraculo, piam & laudabilem legem pro ueritate constituit, ut quicunque diceret blasphemiam in Deum uerum Sidrac, Misac & Abdenago, cum domo sua penitus interiret. Hanc legem si qui contempserunt, & id quod fuerat constitutum meritò perpessi sunt, debuerunt dicere quod Donatistæ & hæretici dicunt,se iustos esse, quia ex lege regis persecutionem patiebantur.quod utique dicerent,si ita insanirent, sicut isti insaniunt qui diuidunt membra Christi, exufflant sacramenta Christi,& de persecutione gloriantur,quia prohibentur ista facere legibus Imperatorum,quas constituerunt pro unitate Christi,& iactant fallaciter innocentiam suam:& quam non possunt à Domino accipere, ab hominibus quærunt martyrum gloriam. Item, de uerbis Domini secundum Matthæum, Sermone 6: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Qui enim resistit potestati,Dei ordinationi resistit. Sed qd si illud iubeat, quod non debeas facere? Hic sane cõtemne potestatem. Timendo potestatẽ, ipsos humanarum rerum gradus aduertite. Si aliquid iusserit curator,non ne faciẽdum est? Tamen si contrà Proconsul iubeat, non utique contemnis potestatem,sed eligis maiori seruire. Nec huic debet minor irasci, si maior prælata est. Rursum si aliquid ipse Procõsul iubeat, & aliud iubeat Imperator, nunquid

nunquid dubitatur in illo contemptu, illi esse seruiendum? Ergo si aliud Imperator, & aliud Deus, quid iudicatis? Solue tributum, esto mihi in obsequium. Rectè quidem, sed non in idolio: in idolio prohibet. Quis prohibet? Maior potestas. Da ueniam: tu carcerem, ille gehennam minatur.

Vnde mali magistratus, Augustinus monet, de natura boni aduersus Manichęos capite 32. Item, quia etiã potestas non est nisi à Deo, sicut scriptũ est loquente Sapiẽtia: Per me reges regnant, & tyranni per me tenent terram. Dicit & Apostolus: Non est potestas nisi à Deo. Dignè autem fieri, in lib. Iob scriptum est: Qui regnare facit, inquit, hypocritam hominem, propter peruersitatem populi. Et de populo Israel dicit Deus: Dedi eis regem in ira mea. Iniustum enim non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. De malis inquit Salonius: Principes manè comedunt, quãdo luxuriosam uitã ducunt: & idcirco uę terræ cuius principes manè comedũt: quia magis amant huius seculi uoluptates, & carnis delectatiões, quàm populi salutẽ: ideoq; luxuriosè uiuẽdo, peruertũt iudiciũ. In Eccles. Orandum esse pro magistratibus, Augustinus tradit de ciuitate Dei libro decimonono, capite uigesimosexto: Propter quod & Apostolus admonuit Ecclesiã, ut oraret pro regibus eius, atq; sublimibus, addẽs & dicens: Vt quietam & tranquillã uitam agamus, cum omni pietate & charitate. Et prophęta Hieremias, cùm populo ueteri uentura prænũciaret captiuitatẽ, & diuinitùs imperaret ut obedienter in Babyloniam irent, Deo suo etiã ista patientia seruientes, monuit & ipse ut oraretur pro illa, dicens: Quia in pace eius est pax nostra. utiq; interim tẽporalis pax, quæ bonis malisq; communis est.

De malitia, inquit Augustinus de uerbis Domini secundum Matthæum Sermone 19: Non enim militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est. Item lib. 6. Quęst. super Iosue, quæst. 10: Iusta autem bella definiri solent, quæ ulciscuntur iniurias, si qua gens uel ciuitas quæ bello petenda est, uel uindicare neglexerit, quod à suis improbè factũ est, uel reddere quod per iniurias ablatũ est: sed etiã hoc genus belli sine dubitatione iustũ est, quod Deus imperat, apud quẽ nõ est iniquitas, & nouit quid cuiq; fieri debeat. In quo bello ductor exercitus, uel ipse popul⁹, nõ ipse tã autor belli, quàm minister iudicandus est. Itẽ lib. 22 contra Faustũ, cap. 74: Aduersus uiolentiã resistentiũ sue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à nobis, quum in eo rerum humanarũ ordine inueniuntur, ubi eos uel iubere tale aliquid, uel in talibus obedire iustè ordo ipse constringit. Item, de ciuitate Dei lib. 1. cap. 1: Bona uerò quæ in eos ut uiuerẽt propter Christi honorẽ facta sunt, nõ imputãt Christo nostro, sed fato suo: cùm potius deberẽt, si quid rectè saperent, illa quæ ab hostib. aspera & dura perpessi sunt, illi diuinæ prouidentiæ tribuere, quæ solet corruptos hominũ mores bellis emendare atq; conterere: itẽq; uitam mortalium iustam atq; laudabilem, talibus afflictionibus exercere, probatamq; uel in meliora transferre, uel in his adhuc terris propter usus alios detinere.

DE CRVCE ET AFFLICTIONIBVS.

Afflictionibus.

THeodul⁹ inquit: θλίψεως afflictionis nõmine multa significantur: carceres, uincula, cathenæ, proscriptiones, idq; genus cætera. in 8 caput ad Romanos.

Quòd Ecclesia Christi sit subiecta cruci, tradit Prosper: Corp⁹ Christi, q, est Ecclesia, ita distributũ est, ut alia mẽbra eius pericula tribulationũ iã euaserint, alia ijsdẽ adhuc laboribus atterantur. Sed quia & præcedentiũ & subsequentiũ sanctorũ unus est liberator, una est omniũ exultatio: & illorum qui iam aduersa uicerunt, & horũ qui sperant se præsentib. periculis liberandos, & promissione Dei firmã dante constãtiã uno utũtur cantico, quia uno muniuntur auxilio, dicentes: Nisi quod Deus erat in nobis. In expositione Psalmi 123. Eucherius ait: Ecclesia sancta in exilio huius peregrinationis patienter aduersa quæq; tolerat, donec ad patriã quam expectat perueniat. In Comment. in librum Regum, lib. 3.

Gradus aliquot afflictionũ recẽset Chrysost. Serm. de fide & lege naturæ: Vita, fratres, multa difficultate plena est, & oportet omnino iustũ & iniustũ & piũ & impiũ affligi: sed magna est uarietas. Aliud enim est coripi ut domesticũ, aliud flagellari ut alienũ.

Vnde sint calamitates, Chrysost. monet: Nõ oẽs, inqt, morbi propter peccata, sed pleriq;. Siquidẽ & ex desidia, & nimio cibo, ebrietate, ocio nõnulli generãtur. Vnũ aũt ubiq; obseruandũ est, ut æquo animo, & cum gratiarũactione omnia pferamus. ueniũt & morbi propter peccata, ut magnos uiros podagra laborantes uidemus. ueniunt & probandæ patientiæ causa. ut Iob dicitur: Noli putare me aliter tractasse, quàm ut iustus appareas. Homilia trigesimaseptima in 5. caput Ioannis.

Saluianus inqt: Ne miremur nũc sanctos homines quędã aspera pati, cum uideamus, quòd iã tũc De⁹ per maximũ nephas primũ sanctorum sinit occidi. Quæ quidem quara tione patiatur, neq; humanæ imbecillitatis

est

est plena indagine cognoscere, neque nunc temporis disputare. Item: Probare satis est, omnia istiusmodi non negligentia aut incuria Dei fieri, sed cõsilio ac dispositione permitti. In primum librum de prouidentia Dei.

¶ De fine crucis inquit Chrysostomus: Vis illic (id est, in altera uita) peccatorum tuorum refrigerium inuenire? fer hic tribulationem propter Christum. nihil huic refrigerio par. Homilia 15. in 7 caput Actorum. Item: Tribulationes utilem faciunt animã, & ad omnia accommodam. Homilia 35, in acta Apostolorum.

Prosper inquit:

Quòd plerunq; mali in sanctos sæuire sinuntur,
Quodq; bonis praui sæpe nocere queunt:
Absq; Dei nutu non fit, qui corda suorum
His etiam bellis glorificanda probat.
Crescunt uirtutum palmæ, crescuntq; coronæ,
Mutantur mundi prælia pace Dei. Item:
Oppressis quoties iustis dominantur iniqui,
Non est puniti supplicium meriti:
Sed uirtus fidei sub tali examine crescit,
Nec seruile grauat libera corda iugum. Item:
Inter mundanæ mala conflictantia uitæ,
Sæpe quidem Domini corripitur populus.
Qui tempestatum uaria sub clade laborant,
Noscant se iusti ferre flagella Dei.
Atq; ipsum toto gemitu planctuq; precentur,
Vt, qua scit, miseris auxilietur ope.

Theodoretus ait: Medici cauterijs & incisionibus utuntur circa latentes humores, & morbum acerbiorem reddunt, educẽtes & amouentes malos humores, & latentes affectus manifestãt: sic & Deus uniuersim cogitationes improbas castigationibus reuelat. quæst. 12. in Exod. Item: Sicut medici multis præsentibus quæ sunt incurabilia amputant, non tam ut malè affectis succurrant (sciunt enim illorum morbum esse incurabilem) quàm ut doceant discipulos rationem medendi: ita Deus Pharaonem crudelissimo & ferino animo usum omnigenis supplicijs subiecit, planè docẽs omnes homines, quòd ipse creaturam regat, qui iustè tueatur iniuriam passos, & nocentes in iudicio puniat. quæst. 12. in Exod.

Isychius inquit: Non solùm in Christi doctrinis, sed & in respectu eius, patientiã in passionibus habemus, Paulo dicente ad Hebræos 12: Cogitate autem, qui talem sustinuit, &c. propter quod & Dauid ait Psal. 38: Et nunc quæ est patientia mea? Non ne Dominus, &c. lib. 2. Comment. in septimum caput Leuitici. Similis rubo est tentatio. & quemadmodum eorum qui in agone contendunt, corona in sudore & labore est: sic & corona bonæ uitæ, in tentationibus & tribulationibus cõsummatur. Vnde & Paulus dicebat: Omnes qui piè, &c. Manifestũ est autem, quia qui mundam iusticiam, & quæ placita est Deo, adeptus fuerit, hic & tẽtationes patitur, & tribulationes. Neque enim intelligibiles inimici quiescunt, nec tentationes iusto desunt: quia abominatio est peccatoribus pietas. Finem autem tentationum & tribulationum, Iacobus nobis capite 1. sufficienter exposuit: Beatus uir qui suffert tentationẽ. quia quum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam promisit Deus diligentibus se. lib. 2. in septimum caput Leuitici. Et: Tribulationes & tentationes mortificant in seculo hominem. Hnmiliant enim eum, & ualde in nihilum redactum ostendunt. Vas tamen ex eis bonum & utile fit patientia atque probatio, quę omni modo à Domino coronam consequitur. ait enim Iacobus cap. 1. Beatus uir qui suffert, &c. Ait & Paulus Rom. 5: Tribulatio patientiam operatur. lib. 4. Comment. in 13. caput Leuitici. Et: Mala Deus, non ut noceat, ingerit, sed ut ualde iuuet homine. Afflictus quippe humiliatur, humiliatus autem currit ad eum qui erigere potest, dicitq; cum Dauid, Bonum mihi, &c. Et festinat ad medicum, qui eum liberet à uulnere. libro quarto Comment. in decimum quartum caput Leuitici.

Philastrius ait: Etsi excitantur mali contra malos interdum, dimittente Domino hoc gignitur, ut malis mali consumantur. Boni enim sustinentes persecutionem, & iusticiam habentes apud Dominum, repensationem magnam futuri expectant præmij. Mali autem ideo à malis, non solùm bonis, interdum perimuntur, ut illorum iniquitas etiã in hoc seculo ex parte puniatur. In Catalogo hæresium. Item: In huiusmodi rebus (id est terræmotu) indignatio Dei, & potentia operatur, & suam commonet creaturam, conuersionis causa & utilitatis: quippe multorum precantium, & redeuntium ad Dominum saluatorem atq; creatorem. In Catal. hæres.

Primasius inquit: Ideo tentantur sancti, ut ipsi se agnoscant: ideo probati iustificantur, ut nos eorum uestigia subsequamur. in quartum caput ad Romanos. Et: Propterea nos liberamur, ut ipsa re confirmemini, non uos debere pertimescere passiones: siue ut hortemur patienter hæc ferre, quæ præsentem & futuram habent consolationem. in 1. caput 2. Corinth.

Thalassius ait: Anima affectionibus sordida, adeò obcæcata est, ut nisi secetur & uratur, credere renuat. Hecatontade secunda. Et: Eruditio per tentationes, uirga spiritalis est. Eum enim qui in superbia extollebatur humiliter sentire docet. Hecatontade 2.

Theo du-

Theodulus ita scribit: Nō solùm, inquit, ob tradita nobis bona, & obuentura nobis adhuc, gloriamur: uerùm ob contraria, & aduersitates etiam gloriamur. Ecquid ita? Quoniā ad patientiam nos adflictiones inungunt. Quod uerò patientiæ lucrum probatos (inquit) efficit, quæ porrò commoditas eius, quod quispiam probatus efficitur? Spē nobis præbet futurorū bonorū. Qui iam hęc sperauerit, nō pudefiet. At qui in hominē spē suā collocauerit, fortasse spe sua excidere poterit. Qui uerò in Deū sperat, nunquā à spe sua excidet. in cap. 5. ad Rom. Et: Qui in periculis sunt cōstituti, erudiūtur, ne quæ sibi uideātur commoda seligant, quòd Deus periculis ipsis utatur ad bonorum insidias & calamitates sustinentium probationem. cap. 8. ad Rom. Et: Excellenter uincimus. hoc est, per eos qui nobis insidiantur coronamur. Insidiatores enim & aduersarij nostri sunt nobis coronarum suppeditatores, si modò patienter iniuriam propter Christū feramus. cap. 8. ad Rom.

Salonius inquit: Sæpe Deus ideo flagellat sceleratos, ut eos occidat & sanet: id est, ut desinant esse quod non sunt. Est ergo tempus sanandi, cum Deus omnipotens eos quos occidit, id est aduersitatibus misericorditer afflixit, per occultā inspiratione cōpungit, & ad pœnitentiā puocat. in Eccles.

Marcus heremita ait: Per tribulationes & afflictiones bona parantur hominibus, de lege spirituali. Et: Omnis afflictio secundum Deum opus pietatis est. Si quidem uera charitas in aduersis probatur. de lege spirituali. Et: In doloribus non uoluntarijs misericordia Dei mirabili quadam ratione occulta est, tolerantem trahens ad pœnitentiam, & liberans ab æternis supplicijs. Itē: Qui ueritatis cognitionem cōsequutus est, adflictionibus non repugnat: neque enim ignorat, quòd in timorem Dei perducant hominem.

Eucherius inquit: Ab electis enim suis iniquitatum studet maculas temporali afflictione tergere, quas in perpetuum non uult uindicare. in Comment. in lib. Reg. libro 2. cap. 8. Itē: Sic itaq; electorum desideria, dū premūtur aduersitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur ut crescat: ut unde quasi extingui cernitur, inde roboretur. In eo nāq; ostendimus, quanta ad Deū cupiditate flagramus, si nō solùm ad eū per tranquilla & mollia, sed etiam per aspera & dura trāsimus. In Com. in lib. Reg. lib. 2. cap. 10. Itē: Malleus & securis & omne ferramentum non auditur: quia hic tundimur aduersitatibus, & disciplina ueritatis exercemur, ut illic locis iuxta meritum congruis disponamur, & castigatiōe cessante solo amoris glutino, quo ad inuicem copulemur, imò impleti spiritu perfundamur. Hic enim foris tundimur, ut illic sine reprehēsione inueniamur. In Com. in lib. Regum, lib. 3. Item: Sancti uiri, qui subleuāte spiritu ad summa rapiūtur, quàm diu in hac uita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquā tantum proficere ualeant, quantū uolunt: sed ne extollantur superbia, fit in eis quędam mensura uirtutum. In Com. in lib. Regum, lib. 4.

¶ Consolationes in cruce diligenter suggerunt patres. Chrysost. inquit: Turbaris, quia in paupertate es. ne turberis: turbatione enim dignum foret, si illic tribulādus esses. Hæc enim tribulatio refrigerij causa est. Illa tribulatio pœna, hæc disciplina & correctio. Certamē est in præsenti tēpore, unde & opus est pugillatione: bellū est, ac prælium. Nullus in bello quæret delicias, nullus pro diuitijs solicitus sit, pro uxore nullus curam gerat: sed unus unū solum uideat, ut inimicos uincat. Non tribulari malū, sed peccare malū est. Hom. 15. in 7 cap. act. Apost. Item: In afflictionib. ad Deū cōfugiamus. Nam & gemitum illorum (inquit Exodi 3.) audiui. Item: Magnū bonū est afflictio, secundū Dauidē, qui inquit: Bonum est mihi quia humiliasti me. Et Ecclesiastes: Melius est in domum luctus ingredi, quàm in domum risus. Homilia 16. in 7. cap. Actorū. Item: Magna consolatio est, aliquid propter Christum pati. Homilia 31. in Acta. Item de proditione Iudæ: Malū pati, malum non est: malum facere, malum est. Et ideo malorum sustentatio, cœlorū regnū nobis pollicetur: malorū aūt cōminatio, gehennam nobis minatur, & tormenta promittit.

Theodoret⁹ ait: Veluti quondā rubus ille quem uidit Moses, ardore ignis non est absumptus: ita nec Christianos impiorū bellis petitos, tela hostilia consumpserūt. Quin potius sicut lignatoribus syluam cædentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quàm sint rami qui inciduntur: ita tūc quoq; pijs compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam Euāgelicam accedebant: cruorque ille cæsorum corporum, irrigatio quædam erat nouis in Ecclesia emergentibus plantis. lib. 9. de legibus.

Theodulus inquit: Nemo deinceps de tē tationibus, quibus hic expositi sumus, conqueratur: nec dicant, Reges nobis aduersantur, & populi, ac duces: omnes enim dolum nectūt fidelibus. nam potest Deus hostium nostrorum technas occasionem facere coronarū. Nemo igitur cōtra nos. cap. 8. ad Rom.

Marcus heremita inquit: Præsentes tribulationes cum futuris bonis commuta, ita fiet ut nūquā agonis difficultas te emolliat.

de lege ſpirituali. Et: Tentationes ex improuiſo nobis contingentes, peculiariter laboris ſtudioſos nos erudiunt, atq; etiam inuitos ad pœnitentiam pertrahunt. Item: Patientia & precatione fugienda eſt tentatio. At ſi extra has te illi oppoſueris, uehementius te impugnabit.

DE SCANDALO.

DE ſcãdalis, recitat exemplũ Chryſoſt. hiſce uerbis: Dicã aliquid, quod unimeorũ familiariũ accidit. Irato aliquando Deo, cũ ille admodũ iuuenis eſſet, & in diaconorũ ordine miniſtraret, abeſſetq; p illud tẽpus epiſcopus, & nullus presbyterorũ curã haberet, ſed ſimpliciter faciebant ſimul multa millia in una nocte baptiſari, & ſimpliciter baptiſabãtur omnes nihil ſcientes. Quod ut ille intellexit, priuatim ſimul cẽtũ ac ducẽtos docebat, nihil aũt quàm quod ad ſacramẽta attinebat, ne ſic migraret nõ initiati. Hoc pleriq; putabãt illũ ex ambitione feciſſe. Verùm ille nõ attẽdebat ſic cẽſentes. Cæterùm nõ ultrà huic rei inuigilabat, ſed ſtatim ceſſabat. Quid igitur? Nũquid ille autor offendiculi? minimè, mea ſentẽtia. Nã ſiqdẽ nulla cauſa fuiſſet, meritò illũ reprehẽdiſſent, etiamſi iterum produxiſſet. Contẽnendum eſt propter aliorum offendiculum, ſi prohibeatur quod Deus approbat. Tunc aũt curandũ, quando non cogimur propter illum offendere Deum. Homilia 47. in acta Apoſtolorum.

De pœnis ſcandalorum, Chryſoſt. inquit: Igitur & tu quoque, ſi reliquis perditionis cauſa fueris grauiora patieris, quàm qui per te ſubuerſi ſunt. Neq; enim peccare tantum in ſe perditionis habet, quantum quòd reliqui ad peccandum inducũtur. in decimumquartum caput ad Romanos, Sermone uigeſimoquinto.

DE MORTE.

SPecies mortis recenſet Sedulius, inquiens: Quinq; ſunt ſpecies mortis. nã prima mors eſt, ſeparatio animæ à corpore. Secunda, ſeparatio animæ à Deo, quæ per peccatũ euenit. Tertia eſt, ſecundũ illud, quòd autor mortis ipſius diabolus, mors appellatur. Quarta mors, inferni lacus, qua præuaricatrices animæ detinẽtur. Dicitur uerò & illa mors laudabilis, qua peccato quiſq; moritur, & Chriſto conſepelitur. in ſextum caput ad Romanos.

Vnde ſit mors, docet Sedulius: Stimulus uel ſagitta mortis peccatum eſt, per quod animæ iugulantur. in 15. cap. ad Corinth.

Theodulus inquit: Mors principium ex Adã ducens, noſtri omnium peccatorũ cooperationẽ habuit, ut cõtra oẽs eſſet potens. quod tamen minimè potens futurum erat, ſi à cunctis ſordibus manſiſſent puri mortales. in caput quintum ad Romanos.

DE RESVRRECTIONE.

DIſputat prolixè Chryſoſt. contra eos qui reſurrectionẽ negarũt, & probat eã per ſimilitudines. in 4. cap. ad Theſſalonicenſes, Hom. 7. Itẽ, probat eſſe reſurrectionẽ & iudiciũ futurũ, hiſce rationib. Primò, Dæmones confitentur hæc, & tu cõfiteri erubeſcis. Veniſti, inquiũt, huc ut nos cruciares ante tẽpus? ibi futurũ cruciatũ dicunt, & iudiciũ, & examẽ, & ſuppliciũ futurũ intelligunt. Secundò, Chriſtus primogenitus dicitur ex mortuis. Quòd ſi reſurrectio non eſt, quomodo primogenitus eſſet mortuorum, cũ nemo poſt illũ reſurgeret? Tertiò, Quomodo Dei iuſticia ſeruaretur, tot malis in felicitate, tot bonis in miſeria uitã degẽtibus, ubi quiſq; ſecundũ merita remunerabitur? Nemo rectè uiuentiũ reſurrectioni diffidit, ſed quotidie precãtur ſanctã illã uocem referentes, Adueniat regnũ tuũ. Illi igitur reſurrectioni nõ credũt, qui ſceleſti inquinatã & impurã uitã uiuunt. Chryſoſt. Hom. 44. in 6 cap. Iohannis. Itẽ: Etenim ſemina, niſi prius moriantur & putreſcant & corrũpantur, nõ pariunt ariſtã. Sicut igitur, qui uidet ibi granum quod corrumpitur & diſſoluitur, non dubitat de reſurrectione, ſed certiſsimã demonſtrationem facit (nam ſi ita maneret, & non corrumperetur uel diſſolueretur, certũ quòd nunquam reſurgeret) ſic cogita de corpore tuo, cum uides corruptionem, tum potiſsimùm de reſurrectione philoſophare. Nã mors nihil aliud eſt, quàm plena corruptionis conſumptio. Neq; enim mors ſimpliciter corpus, ſed corruptionem corporis abſumit. Sermone primo de Reſurrectione.

Auguſtinus libro 20 de ciuitate Dei, capite uigeſimo: Reſurrectionem quippe mortuorum futurã eſſe in carne, quando Chriſtus uẽturus eſt iudicare uiuos & mortuos, oportet, ſi Chriſtiani eſſe uolumus, ut credamus. Sed non ideo de hac re inanis eſt fides noſtra, ſi quemadmodum futura ſit, perfectè comprehendere non ualemus.

Cyrillus inquit: Non modò enim ilicò fideles, ſcilicet animæ à corporib. nõ reuolãt, uerùm etiã reſurrectionis profeſsione ac fide immortaliter ſe uicturas cũ corporib. credunt. lib. 1. Commentariorũ in Iohannis caput decimumquartum. Item: Credimus igitur omnes fideles, tẽpus aliquando fore, in quo ſuſcitantis uocẽ omnes mortui audient. lib. 2. in 14. caput Iohannis. Itẽ: Vniuerſum humanum genus quod in mortem cecidit, ad uitam reuertetur: qui bona fecerũt, in reſurrectionem uitæ: qui mala, in reſurrectionem iudicij. lib. 4. cap. 12.

Theodoretus ait: Deus enim ſermo homo factus, mortis potentiam diſſoluit & perfregit.

perfregit. ea autem fracta & dissoluta, resurrectionem nobis pollicitus est. resurrectioni autem adiuncta est à corruptione ac interitu remotio ac immortalitas, incorruptionē autem assequentur etiam ea quæ uidentur. in epistolam ad Hebræos. Item: Considera naturam docentem te, & prædicantem resurrectionem. Nam agricola secat sulcos, & tanquam sepuchra quædam fodit, deinde semina in terram inijcit: & tanquam corpora sepulchro mādans, terrra obruit, & nihil amplius potest facere. Deus uerò aut cœlitùs aquam mittit, aut ex fontib. & fluuijs eam suppeditat, rigans hæc & humectans, postea feliciter omnia proueniunt. Sermone nono de prouidentia.

Isychius ait: Quicquid tertius inuenerit dies, ignis absumit. per diem tertium, futurum indicans seculum: in ipso quippe genus quæ mane prouenit. Isychius libro secundo Commentariorum in septimum caput Leuitici. Et: Saluatoris resurrectio memoriale est communis mortuorū resurrectionis, quę in uoce tubarum magnarum & terribilium efficitur, in iussu Dominico, in uoce archangeli, in tuba Dei, sicut Paulus docuit. libro sexto Commentariorum in 23 caput Leuitici. Item: Totius erit humani generis resurrectio. libro septimo Commentariorum in 25 caput Leuitici.

Primasius ait: Nam qui resurrectionem non credit, omnia nefanda committit. in 15 caput ad Corinthios.

Theodulus ait: Gratia aūt Dei, citra nostram cooperationē ad omnes accessit. atq; hoc indicat, quòd gratia resurrectionis non solùm in fideles efficax fuerit, ueluti eos qui fidē ad salutē cōtribuerint, attulerintq;: uerùm etiam in infideles, ut Iudęos & Gręcos. in caput 5. ad Romanos.

Sidonius ad papā Principiū: Et quia Domine Papa, modò uiuimus iūctis abiūctisq; regionibus, cōspectibusq; mutuis frui, dissociatæ situ habitationis inhibemur: orate, ut optabili religioso q; decessu uitæ præsentis angorib. atq; onere perfuncti, cū iudicij die sanctus effulserit, cum resurrectione agminibus uestris simulaturi, uel sub Gabaonitidæ seruitutis occasione iungamur.

Paulinus de obitu Celsi ait:

Ergo oculos mentis Christo referemus, & aures,
Vt mens peccato clausa, Deo pateat.
Nam quæ corporeis sua iam promissa reuelat
Visibus, & claris monstrat operta Deus:
Cuncta resurgendi faciem meditantur in omni
Corpore, & in terris germina, & astra polo.
Noctes atq; dies ortus obitusq; uicissim
Alternant, morior nocte, resurgo die.
Dormio corporeæ sopitus imagine mortis,
Excitor à somno, sicut ab interitu.
Quid fata, quid frondes nemorum, quid tēpora? nēpe
Legibus his obeunt omnia, uel redeunt.
Vere resurgentum cunctis noua rebus imago,
Post hyemis mortem uiuificata redit.
Quod semel est facturus homo, cui subdita mundi
Corpora, sub cœlo cuncta frequenter agunt.
Sed quærunt, quali reparetur mortuus omnis
Corpore, quo' ue modo fiat homo ex cinere?
Si non sufficiunt sacris signata prophetis,
Muta fidem clamant, credite conspicuis.
Cernite nulla suis emergere semina campis,
Ni prius intereant labe soluta putri.
Nuda seris, uestita legis: iacis arida grana,
Atq; eadem fructu multiplicata metis.
O peruersa fides, & diffidentia nobis,
Credere nos terris, & dubitare Deo.
Et certa nil terra fide spondere, nec ausa:
Nec potuit, quin & sæpe fefellit ager,
Vix commissa sibi reddens sata: nec tamen illi
Credere deceptus spem segetis dubito.
Nec piget incertis certum sudare laborem
Frugibus, & nudo credere nuda solo.
Quòd si terra potest corruptum reddere semen,
(Quod tamen æterni lege facit Domini)
Difficile omnipotentis opus fore creditur, ut nos
Ex nihilo factos ex aliquo reparet?
Nullus eram, & faciente Deo sum natus ut essem:
Iam nunc de proprio semine rursus ero.
Nam licet in tenuem redigantur & ossa fauillam,
Corporis integri semina puluis habet:
Cumq; etiam cineres uacuatis terra sepulchris,
Cognato immistos cespite sorbuerit:
Tum quoq; corporeis hominum uanescere usos
Luminibus, solidos continet omnipotens.
Inq; die magna, quæ nunc absumpta putamus
Corpora, cernemus surgere tota Deo,
Nulla cui natura perit: quia quicquid ubiq; est,
Omne creatoris clauditur in gremio.
Quos aqua fluminibus pelagoq; & piscibus haurit,
Quos uolucres, & quos diripuêre ferę:
Cunctos terra Deo debet. quia quos aqua mersit
Littore, uel fundo, strata recepit humus.
Quæ licet una, tamen non uno sumpta sepulchro,
Sparsa locis laceri funeris ossa tegit.
Et quia consumptus simul, & consumptor, in uno
Telluris gremio morte ferente cadunt:
Siue per egeriem, qua sese animalia purgant,
Reddunt digestis membra uorata cibis:
Humanum corpus transfunditur ex alieno
Corpore, nec perdit uim proprij generis.
Sed licet è membris in humum transmissa ferinis
Membra hominum uiuo semine salua manent:
Et moriente fera, cui fortè cadaueris esca
Humani fuerit, diuiditur ratio.
Namq; animal rationis homo est: ideoq; & in ipso
Rex alijs præstat corpore corporibus.
Inde licet possit mutis animalibus idem
Præda dari, tamen his sorte coire negat.

Sola resurgendi caro perceptura uigorem,
Quæ rationalis uas animæ fuerit:
Vt reducem terris animam compage refecta,
Iam non lapsuro tegmine suscipiat.
Et uelut hic omni mens & caro iungitur actu,
Sic & in æternam sint sociata diem.
Vt carpant socio gestorum præmia fructu,
Consortes meriti luce uel igne loci.
Propterea quamuis nos & spirantia cuncta
Vnam sortiti corpore materiem:
Non tamen in uacuum reuocamur morte soluti,
Exortes animæ carnis ab occiduo:
Sed clangente tuba, reddentibus undiq; terris
Nostra ex arcanis corpora seminibus,
Corpore, mente, anima, rursum in sua fœdera nexis,
Integri Dominum sistimur ante Deum.
Si dubitas cineres in corpora posse recogi,
Et fieri reduces in sua uasa animas:
Ezechiel tibi testis erit, cui prodita dudum
Tota resurgendi per Dominum facies:
Illic aspicies toto uiuescere campo
Arentes ueterum relliquias hominum:
Ossáq; porrectum latè dispersa per agrum,
Vltrò ad compages currere iussa suas.
Atq; medullatis penetralibus edere neruos,
Moxq; supernata ducere carne cutem.
Et dicto citius perfectis ordine membris,
Puluere de ueteri stare nouos homines.
Ac ne fortè, quòd est sacri manifesta prophetæ
Visio, sopitis omnia uana putes:
Maiorem super his & plenum suscipe testem,
Ipse Prophetarum nam loquitur Dominus:
Vita ego sum: qui me credet, nec morte peremptus
Consorti mecum luce beatus aget.
Deniq; quòd uerbo dixit, uirtute probauit,
Ipse suum reuocans ex Erebis hominem.
Tempore quãquam illo non tantũ in corpore Christus
Signa suo dederit, cum cruce uictor obit.
Namq; ut concussis patefecit tartara terris,
Et uinctum inferno carcere soluit Adam:
Fissa resurgentes ruperunt saxa sepulti,
Et nouus in sancta floruit urbe tholus.
Viderunt multi ueterum renouata piorum
Corpora descensu uiuificata Dei.
Tunc etiam refugo cæcatus lumine mundus,
Aeterna timuit nocte piare nefas.

¶ De efficiente causa resurrectionis ait Sedulius: Christus resurrexit, & omnes per illum resurgent. in 15 cap. ad Corinth. Et: Ex resurrectione IESV Christi, ideo non dicit: sed, ex resurrectione mortuorũ IESV Christi: quia resurrectio Christi generalẽ resurrectionẽ præbuit. in 1. cap. epistolæ ad Rom. Itẽ: Si uerò caput resurrexit, quomodo mẽbra non resurgent? in 15. cap. ad Corinth. Itẽ: Vt sciã uiã resurrectionis eius. quia ideo resurrexit, ut & nos, similiter resurgamus: qui aũt uerè cognoscit, satis agit omnino ne peccet. in 3. cap. ad Philippenses.

Primasius ait: Si caput resurrexit necesse est ut cætera quoq; membra sequãtur, quia primo in incorruptibilitate resurrexit. in decimumquintum caput ad Corinthios prioris epistolæ. Et: Sicut per Adam mors intrauit, quia ipse primus est mortuus: ita & per Christum resurrectio, quia ipse primus resurrexit. Sicut ille forma morientum, ita & forma iste resurgentium. ibidem. Et: Vt cognoscam perfectè beneficium & uim resurrectionis illius, quia ideo resurrexit, ut nos similiter resurgamus. in tertium cap. ad Philipphens. Itẽ: Qui caput resuscitauit, ipse & cætera membra resuscitare promisit. Tam celer erit eorum resurrectio, quàm nostra assumptio. in 4. caput ad Thessalonicenses.

Maximus ait: Et reuera, quis credẽs Deo posit de resurrectione dubitare, cum manifestum sit hanc solam Christo causam fuisse nascendi? in Homilia de diuersis.

Theodulus inquit: Omnia náq; operatur diuina Christus, per patrẽ & spiritũ paracletũ: quare & nostra corpora Christus excitabit. cap. 8. ad Romanos.

Eucherius inquit: Per fidẽ & mysteria nostri redẽptoris, de præsenti Ecclesiæ cõuersatione ad requiẽ animarũ post mortẽ ascendimus, rursumq; de requie animarũ, adueniente die iudicij, ad immortalitatẽ quoq; corporũ, quasi in tertium cœnaculũ sublimiore ꝑfectu penetrabimꝰ, ex quo & magna ambo rũ, corporis uidelicet & animæ beatitudine ppetua uiuamꝰ. in Com. in libros Reg. lib. 3.

Iunilius ait: Domini secundũ carnẽ resurrectio, & in cœlis habitatio, formæ nostræ resurrectionis, & futuræ iustis in cœlo habitationis indiciũ. Sicut dicit Apostolꝰ: Mortui enim estis, & uita nostra ascondita est cum Christo in Deo. lib. 2. cap. 17.

Paulinus inquit de obitu Celsi:

Credamus Christo, quod in ipso uidimus, ipsdem
Nos quibus occidimus, surgere corporibus.
Inde superfusa diuini ueste decoris,
Sumere mutatos angelicam speciem.

Quòd hominũ corpora sint resurrectura, docet Chrysost. Eadem, inquit, substãtia hominis in resurrectione, & nõ eadẽ est: eadẽ, quia substãtia eadẽ: nõ eadẽ, quia meliorã hæc, substãtia quidẽ eadẽ cõsistente, ornatu uerò maiore: & ut uno uerbo dicã, noua ea dẽ resurgẽte. siqdẽ hoc nisi fit, nihil resurrectione fuit opus, nisi præstãtius ꝙ accidit. rediret. in 15 cap. Corinth. Hom. 4. Item, fusius hunc locũ tractat, & ait, totũ resurrectorum, animã & corpus. Homo enim, ait, non est anima sola, sed corpus & anima. Si ergo anima sola resurget, dimidium animal resurget. & ita non integrum. Sed & de anima non propriè dicitur resurrectio. Resurrectio enim eius est quod cecidit, & quod dissolutum est: anima autem non dissoluitur, sed

corpus,

corpus, Sermone primo de resurrectione.

Refutat Augustinus eos qui negãt carnis resurrectionẽ, de agone Christiano, cap. 32: Nec eos audiamus, qui carnis resurrectionẽ futurã negant, & cõmemorãt quod Apostolus ait: Caro & sanguis regnũ Dei nõ possidebunt. non intelligentes, quod idem dicit Apostolus: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionẽ, & mortale hoc induere immortalitatẽ. Cũ enim hoc factũ fuerit, iã nõ erit caro & sanguis, sed cœleste corpus. Quod & Dominus promittit, cũ dicit: Neq; nubẽt, neq; uxores ducent, sed erunt æquales angelis Dei.

Corpora in resurrectione qualia sint futura, docet August. lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 22: Corpora ergo iustorũ quæ in resurrectione futura sunt, neq; ullo ligno indigebunt, quo fiat ut nullo morbo uel senectute inueterata moriãtur: neq; ullis alijs corporalibus alimẽtis, quib. esuriendi atq; sitiendi qualiscũq; molestia deuitetur: quoniã certo & omnimodo inuiolabili munere immortalitatis induẽtur, ut nõ nisi uelint, possibilitate, nõ necessitate uescãtur. Ibidẽ cap. 23: Absit tamẽ ut spiritus ea credamus futura, sed corpora carnis habitura substistentiã, sed nullã tarditatẽ, corruptionẽq; carnalẽ spiritu uiuificãte passura. Tuciã nõ terrenus, sed cœlestis homo erit: nõ quia corpus quod de terra factũ est, nõ ipsum erit: sed quia dono cœlesti iã tale erit, ut etiã cœlo incolẽdo, non amissa natura, sed mutata qualitate cõueniat. Itẽ lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 16: Resurgent itaq; oẽs, tã magni corpore, quàm uel erãt, uel futuri erãt iuuenili ętate: quãuis nihil oberit, etiamsi erit infantilis uel senilis corporis forma, ubi nec mentis nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Vnde si qs in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturũ unumquemq; contendit, nõ est cũ illo laborios cõtradictione pugnãdum. Ibidẽ cap. 20: Si cõtenditur, in ea quẽq; statura corporis resurrecturũ esse, in qua defunctus est, non pugnaciter resistendũ est, tantũ absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisq; corruptio, & si qd aliud illud non decet regnũ, in quo resurrectionis & promissionis filij æquales erũt angelis Dei, si nõ corpore, nõ ætate, certè felicitate. Item in Psal. 62: Talis ergo resurrectio carnis nobis promittitur, ut quãuis ipsa sit caro, quam modò portamus, quę resurrectura est: tamen nõ habeat corruptionẽ, quam modò habet. Itẽ, ad Laurentiũ in Enchiridio cap. 91: Resurgẽt igitur sanctorũ corpora sine ullo uitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas resurgendi, quanta felicitas erit, propter quod & spiritualia dicta sunt, cum proculdubio corpora sint futura, nõ spiritus, sed sicut nũc corpus animale dicitur, quod tamẽ corpus, nõ anima est: ita nunc spirituale corpus erit, corpus tamen, non spiritus erit.

Cyrillus ait: Multũ interest inter eos qui resurgent in gloria, & eos qui resurgẽt in ignominia. in lib. 9. cap. 20.

¶ Quomodo futura sit resurrectio, cõmemorat Chrysost. Qui, inquit, mortui sunt, exurgẽt primi, atq; ita simul fiet occurs⁹. Abel qui ante oẽs mortuus est, simul cum illis qui tũ uiuẽt, occurret. Itaq; quantũ ad hoc attinet, nihil amplius habebũt illi: sed qui corruptus fuerat, & tot annos in terra sepultus iacuit, cum ipsis tũ uiuentib. occurret, & simul reliqui oẽs. Et paulo pòst: Fiet resurrectio in puncto temporis, in momento oculi. Quod uerò dicit cõgregãdos esse, resurrecturos qdẽ ubiq; simpliciter dicit, cõgregãdos uerò ab angelis. Est itaq; resurrectio diuinæ quidẽ uirtutis opus, eo quòd Deus impositę telluri, ut discedat, mãdabit, & nullus ministrorũ hoc faciet: adductio uerò ministrorũ op⁹ erit. At si angeli colligẽt & discursabũt, quomodo isti rapientur? post descensum Domini rapientur, posteaquã cõgregati fuerint. fiet enim hoc simul, nemine sciente. Etenim quãdo uiderint terrã motã & turbulentam, puluerem cõfusum, undiq; ex æquo excitata corpora, nemine adhuc famulãte, sed iussione Dei terrã antea repletam euacuare uolente, tũc scient. Quemadmodũ enim dispẽsationẽ eius quæ secundũ carnem est, non præuiderant: ita & tunc. Quando igitur illa facta fuerint, tunc & uox audietur archangeli, angelis reliquis imperãtis & clamãtis. audiẽtur tũc & tubæ, imò tubarũ sonitus. in 4. cap. ad Thessalonicenses, homilia 8.

Theodoretus ait: Adeò citò & celeriter, & in momento temporis, oẽs qui mortui sunt resurgent, ut eos qui illo tempore adhuc superstites pręueniãt, & eãt obuiã Seruatori uniuersorũ. in cap. 4. prioris epistolę ad Thessalonicenses. Item: Sed nõ sine anima corpus resurrectionem, sed diuina uolũtate renouatum, & cõiugi cõiunctũ, uitam recipit. in 3. Dialogo.

Sedulius lib. 3. ait:

Ergo ubi clamantis Domini sonuit tuba dicens,
Lazare perge fòràs. magno concussa pauore
Tartara dissiliunt, Erebi patuêre recessus,
Et tremuit lethale chaos, mortisq; profundæ
Lex perit, atq; anima proprias repetente medullas,
Cernitur ante oculos uiuens astare cadauer.
Postq; sepulchralem tanquam recreatus honorem,
Ipsa sibi moriens, & posthumus extat, & hæres. Et:

Similes ei erimus, id est Deo: sed tantummodo filio, q solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus fuerit: & resurrexit, atq;

ad ſuprema prouexit.in 8 cap.ad Romanos.

Primaſius ait:In reſurrectione uĕturi ſunt electi, ſicut angeli Dei in cœlo, quo & iuſti fulgebũt ſicut ſol,in regno patris ſui.in 6.ca. ad Hebræos.Et:Nã & ij qui uiui fuierint inuĕti in aduĕtu Domini,hoc ingemiſcũt & laborant,ut non expolientur ab igne cũ peccatoribus, ſed cum iuſtis immortalitate ſuperindui mereantur.in 5.cap.2.Corinth.

Maximus inquit:Et erũt duo in lecto uno. hic iã reſurrectionis meritum demõſtratur, quòd ꝑ qualitate uiuĕdi ſit gratia reſurgendi.ac tãtã in ſingulis quib⁹q; reſurrectionis eſſe diſtantiã,ut duobus etiã pariter dormientibus,& una ſede quieſcẽtib.æqualis non poſsit eſſe aſſumptio.in Homil. 1.hyemali.

Theodul⁹: Cõmemorat poſtmodũ quàm ſit nobis celebris reſurrectio inquiẽs: Scientes quòd uetus noſter homo, id eſt uita cõdemnata ſimul crucifixa eſt Chriſto per baptiſma.Vnde etiã dicit, in eo deſtrui corpus peccati,hoc eſt mala opera, ſcelera, flagitia, mortem expectare. Hæc enim dicit corpus peccati.in caput 6.ad Romanos.

Eucherius ait:In hac quippe uita,ſuã terrã quiſq; circũfert, quam moriẽte homine recipit terra, cõſurgẽti utiq; redditura.in Cõment.in libros Regũ, lib 1.Itẽ: Illud corpus quod in reſurrectione credimus futurũ, immortale ſemel effectũ, mori ultrà non poterit.lib.1.in 12.cap.Geneſeos.

Paulinus de obitu Celſi ait:

Namq; reſurgemus,ſed non mutabimur omnes,
Hoc diſcrimen erit gentibus ante Deum.
Incorrupta prophanorum quoq; corpora ſurgent,
Ac tumulis longo pabula ſupplicio,
Vita erit his ſine fine mori,& mors uiuere pœnis,
Et durante ſuas paſcere carne cruces.
Ipſe ſuos proprio peccator corpore gignet
Carnifices,& erit uermibus eſca ſuis.
At quos cœleſti pietas euexerit actu,
Participata regent ſtemmata rege Deo.
Veſtitiq; ſuum diuino lumine corpus,
Conformes Chriſto ſemper agent Domino.

¶ Quòd Deo facilis ſit reſuſcitatio mortuorũ, Auguſt.in Euangeliũ Iohannis tractatu 23 exponit:Plus eſt,inquit,homines creare,quàm reſuſcitare.

Quòd oẽs reſurrecturi ſint, Auguſti.docet de Chriſtiana doctrina lib.1.cap.21: Hoc itaque fides habet,atq; ita rẽ ſe habere credendũ eſt,neq; animũ,neq; corpus humanũ omnino interitũ pati: ſed impios reſurgere ad pœnas inæſtimabiles, pios aũt ad uitã æternã. Itẽ ad Laurentiũ,Enchiridij cap.84: Reſurrecturã tamẽ carnẽ omnium quicũq; nati ſunt hominũ,atq; naſcentur, & mortui ſunt atq; morientur,nullo modo dubitare debet Chriſtianus.

Primaſius inquit; In plenitudine fidei, ut credamus reſurrectionẽ generalẽ futurã.quaſi diceret,quòd nõ debemus hæſitare, quòd quorũdã ſit reſurrectio, quorũdã uerò non: ſed uera fide debemus credere, omnes homines reſurrecturos,quoſdã ad gloriã,quoſdã uerò ad pœnã.in 10. cap. ad Hebræos. Et: Omnes reſurgem⁹,qui mortui inueniemur, Chriſto ueniente.in 15.caput ad Corinth.

Quando reſurrecturi, Theodulus docet, inquiens: Præſente nãq; uita,uel paululum prẽter labẽte,uicinius redditur reſurrectionis futuræ tempus.cap.13 ad Romanos.

¶ De fine reſurrectionis inquit Chryſoſt. Reſurrecturus es,& actionũ tuarum rationẽ redditurus, extremumq; ſupplicium ſubiturus.& horũ quidem nullam rationẽ habes: gulam uerò & ebrietatem curas?Paulo pòſt: Iudicium eſt, ſupplicium eſt,reſurrectio eſt, actorum noſtrorum diſcuſsio eſt.in 5.caput ad Theſſalonicenſes,homilia nona.

Sedulius ait:Sicut cum grano,fœcundioribile corpus in gloriæ reſurget augmento. in cum granis reſurget ariſta:ita & incorrupti- 15.caput ad Corinthios.

Primaſius inquit: Cũ omniũ reſurrectio, tunc erit finis mortis. in 15. caput prioris ad Corinthios.

Theodulus inquit: Omnes reſurgũt, ſed alij quidẽ ad uitam,alij uerò ad ſupplicium.in cap.8.ad Romanos.

Eucherius inquit: Eccleſia ſuo tẽpore reſurgẽs à morte,atq; ad cœlos in carne incorruptibili aſcẽdẽs, plenè ac perfectè dono Spi rit⁹ ſancti illuſtratur, quãdo iuxta ꝓmiſſum Apoſtoli erit Deus omnia in omnib.in Commentarijs in libros Regum,lib.3.

Chryſoſt.ſcribit in Paulũ 2. Timoth.2.Homilia 5, Hymeneũ & Philetũ dixiſſe reſurrectionẽ eſſe factam. Cõtra hos aũt ita inquit Chryſoſt.in eiuſdẽ loci explicatione: Si iam reſurrectio facta eſt, nõ modò hoc afficimur detrimẽto, quòd magna illa priuamur gloria: uerùm & iudicij met⁹ excluditur.Quippe ſi reſurrectio facta eſt,meritorũ quoq; retributio tollitur.Graues itaq; iuſti preſſuras doloresq; tolerarunt. At id ita falſum eſt, ut cõtrà penitùs hac etiã in uita & boni ſpe ſua nutriãtur, & æternæ felicitatis ꝓcipiant guſtũ,ſereno ſemꝑ animo trãquilloq; pſeuerãtes: & mali cõſcientiæ ſuæ flagellis exagitati, q; ſemper paſſuri ſunt, hic iã incipiãt pati.

Opinionẽ de infantib.exponit Auguſt.lib. 22.de ciuitate Dei,cap.14: Quid ergo de infantib.dicturi ſumus, niſi qa nõ in ea reſurrecturi ſunt corporis exiguitate, qua mortui: ſed quod eis tardius acceſſurũ erat tẽpore, hoc ſunt illo Dei opere miro atq; celerrimo recepturi.in ſententia qppe Domini, ubi ait, Capillus capitis ueſtri nõ peribit:dictũ eſt, non defuturũ eſſe quod fuit. nõ aũt negatũ eſt,

est,affuturũ esse q̃ defuit. Defuit aũt infanti mortuo perfecta quãtitas sui corporis. Perfecto quippe infanti deest utique perfectio magnitudinis corporalis,quæ cũ accesserit, iam statura longior esse non possit.

De statura hominũ lib.22.de ciuitate Dei, cap.15.scribit Augustinus. Si utiq; Christus in ea mẽsura corporis in qua mortuus est resurrexit,nefas est dicere, cum resurrectionis omniũ tẽpus aduenerit, accessurã corpori eius eam magnitudinẽ quam nõ habuit,quando in ea discipulis,in qua illis erat notus,apparuit,ut lõgissimis fieri possit æqualis. Si aũt dixerimus ad Domini corporis modũ etiam quorũcunq; maiora corpora redigenda, pernec capillũ periturũ esse promiserit. Restat ergo,ut suã recipiat quisq; mensurã, quã uel habuit in iuuẽtute,etiãsi senex est mortuus: uel fuerat habiturus, si antè est defunctus. Atq; illud q̃ commemorauit Apostolus de mẽsura ætatis plenitudinis Christi, aut propter aliud intelligamus dictũ esse:id est, ut illi capiti in populis Christianis accedente omnium perfectione membrorum, ætatis eius mensura cõpleatur.aut si hoc de resurrectione corporum dictũ est, sic accipiamus dictum,ut nec ultra nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ea ætate & robore usq; ad quam Christum hic peruenisse cognouimus. Circa triginta quippe annos diffinierunt esse etiam seculi huius doctissimi homines,iuuẽtutem.Quæ cum fuerit spacio proprio terminata,inde iã hominẽ in detrimẽta uergere grauioris ac senilis ætatis.& ideo non esse dictũ, in mẽsura corporis,uel in mensurã staturæ:sed,in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

De abortibus & monstrosis hanc opinionem profert Augustinus,ad Laurẽtium Enchiridij cap.85: Vnde primò occurrit de abortiuis fœtib.quæstio, qui iam quidẽ nati sunt in uteris matrũ,sed nondum ita ut iam possint renasci.Si enim resurrecturos eos diximus,de ijs qui iam formati sunt, tolerari potest utcunque quod dicitur. Informes uerò abortus quis non procliuius perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etsi affirmare non audeat, id acturam resurrectionem, ut quicquid formæ defuit impleatur? Atque ita non desit perfectio, quæ accessura erat tempore: quemadmodum nõ erunt uitia,quæ accesserunt tempore: ut neque in eo quod aptum & congruum dies allaturi fuerant,natura fraudetur:neque in eo quod aduersum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur, sed integretur quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat uitiatum. Ibidem, capite 87: Neque enim & monstra quæ nascuntur & uiuunt,quamlibet citò moriantur,aut resurrectura negabuntur: aut ita uitiata resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta emendataq̃ natura. Absit enim ut illum bimembrem, qui nuper natus est in Oriente,de quo & fratres fidelissimi, qui eum uiderunt,retulerunt.& sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter scriptum reliquit: absit inquam, ut unum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum fuerat si gemini nascerentur,resurrecturos existimemus.

DE EXTREMO IVDICIO.

Diem extremũ,propter iniustos,Chrysostomus etiam hyemem appellat,ad Colossenses cap.1.

Esse futurum iudicium, docet Augustinus libro uigesimo de ciuitate Dei, cap.30: Nullus igitur uel negat,uel dubitat, per IESVM Christum tale, quale istis sacris literis prænunciatur,futurum esse nouissimum iudicium,nisi qui eisdem literis nescio qua incredula animositate seu cæcitate nõ credit, quæ iam ueritatem suam orbi demonstrauêre terratum.In illo utiq; iudicio, uel circa illud iudicium,has res didicimus esse uenturas & futuras:Heliã Thesbitem, fidẽ Iudæorum,Antichristum persecuturũ, Christũ iudicaturum,mortuorum resurrectionem,bonorum malorumq̃; diremptionem, mundi conflagrationẽ, eiusdemq̃; renouationem. Quæ omnia quidem uentura esse credendũ est:sed quibus modis & quo ordine ueniãt, magis tũc docebit rerum experientia, quàm nunc ualet consequi ad perfectum hominũ intelligentia.Existimo tamen eo quo à me cõmemorata sunt ordine esse uentura.

Eucherius ait:Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clybanus fumans, & lampas ignis trãsiens inter diuisiones illas.Significat,iã in fine seculi per ignem iudicandos esse carnales. Sicut enim afflictio ciuitatis Dei,qualis antea nũquã fuit, quæ sub Antichristo futura speratur, significatur tenebroso timore Abrahæ circa solis occasum, id est ꝑpinquãte iã fine seculi: sic ad solis occasum, id est ad ipsum iã finẽ,significatur isto igne dies iudicij,dirimẽs carnales per ignem saluãdos, & in igne dãnandos.lib.2.in Geneseos cap.20.

Christũ rediturũ esse cũ maiestate ad iudicandũ,testatur Chrysostomus,inquiens:Dominus uẽturus est in nubibus,ignis ante faciem eius ardebit,& circa ipsum tẽpestas uehemẽs, fluui⁹ igneus ante ipsum uoluetur, uermis non moriẽs, ignis inextinguibilis, tenebræ exteriores,stridor dentium. in 5 caput 1.ad Thessalonicenses,Homilia nona.

Theodoretus ait: Tũc Deus quidẽ de cœ-

lo aduenit,præcedunt aũt populi angelorũ, & tradentur igni inextinguibili qui fuerint impietatis tenebris circũdati. in 2. ad Theſſalonicenſes. Item: Nos iudicẽ nobis eum expectamus, qui & nos fecit, optimè cõſciũ naturæ illius quam ipſe effinxit: neque eius facta ſolùm dictaq; callentem,ſed ipſos quoque internæ cogitationis motus. Iudicabit autem nos, huius noſtræ humanitatis ueſtẽ indutus.ſuæ namq; diuinitatis natura oculis cerni non poteſt.Hinc & ſeipſum hominis filiũ ſæpe appellat: quia uidelicet ij qui iudicabuntur, noſtram hanc naturam in eo uidebunt.libro 11.de iudicio.

Sedulius inquit:Pater neminẽ iudicat,ſed omne iudiciũ dedit filio.in 2.cap.ad Rom.

Primaſius ait: Qui enim iudicandus primus uenit occultus,iudicaturus ueniet manifeſtus.in Apocalypſin lib.1.

Thalaſsius ait: Chriſtꝰ uiuẽtiũ & mortuorum eſt iudex, ac iuſtus uniuſcuiuſq; operis retributor.Hecatontade prima.

Theodulus ait:Hic quidem,in mundo nimirum,non eſt iudicium ſecundum ueritatem:multi namq; rei euadunt. & pleriq; inſontes cõdemnantur.Illic aũt,apud Deum, eſt ſecundũ ueritatem.Porrò iſtuc Dei iudicium neq; iniuſtum innocẽtem reddit,neq; iuſtum morti adiudicat,cõdemnat'ue; quãdo ad iudicium quiſquam conſtitutus fuerit.in caput 2.ad Romanos.

Eucherius inquit: Aſcendit enim in cœlũ Dominus Chriſtus, & inde uenturus eſt ad uiuos & mortuos iudicandos.in Commentarijs in libros Regum,lib.1.

Iudex erit Chriſtus,ut ſcribit Auguſtinus in Euangelium Iohannis,tractatu 21:Hominibus in iudicio non apparebit niſi filius: pater occultus erit,filius manifeſtus. In quo erit filius manifeſtus? In forma qua aſcendit. Nam in forma Dei cum patre occultus eſt, in forma ſerui hominibus manifeſtus. Non ergo pater iudicat quenquam, ſed in manifeſto omne iudicium dedit filio.

Eucherius ait: Præſens mundus qui per metas temporum uoluitur,in ſua extremitate à Domino eſt iudicandus. in Commentarijs in libros Regum,libro 3.

Paulinus ait, Ieſum eſſe filium Dei, & iudicem uiuorum & mortuorum. in epiſtola prima ad Victricium.

De forma iſtius iudicij ſic ſcribit Chryſoſt.Collectis itaq; diligenter his omnibus, cogitationem rurſus ad ea quæ ſuprà ſunt tranſuerte: diéq; terribilẽ iſtũ, in quo Chriſtus aduenier,cogita. Tũc etenim nõ uidebis mulorũ paria,nihil auro conſpicuũ,nullos dracones,nulla ſcuta: ſed multo horrore ac ſtupore plena erunt omnia, tantũq; terroris incutient, ut & ipſæ incorporeę uirtutes cõſternãtur.Virtutes enim,inquit,cœlorũ mouebũtur.Tunc ſcilicet apertũ erit uniuerſum cœlũ,teſtudinũq; illarũ portæ patebũt.Deſcẽdet aũt unigenitus ille filius Dei, nõ uiginti aut cẽtũ comitatus ſatellitibꝰ,ſed innumeris myriadibus angelorum,Cherubim, Seraphim,aliarumq; uirtutum.in 8. cap.ad Rom.Serm.14. Itẽ: Timeamus náq; iudicij ſeueritatẽ,& pœnam gehennæ. Non ergo demus locum diaboló: ſed reſiſtamus ei. Paulo pòſt:Feſtinemus ergo effugere æternã pœnã. Nec enim propter nos pœna facta eſt, ut in ipſam mittamur, ſed ut liberemur ex ipſa. Talem enim habemus Deum, amatorẽ generis humani, miſericordem atque clementẽ, qui nos ad ſe cõuerſos de gehenna liberat. Homilia de cruce Dominica. Item concione ſecunda de Lazaro: Non enim illic opus erit teſtibus, neque accuſatoribus,neq; probationibus,neq; ſignis:uerùm ipſæ per ſe res tales,quales eas geſsimꝰ, ante oculos noſtros apparebunt.

Leo inquit:Veniet in maieſtatis ſuæ gloria Dominus,ſicut ipſe prædixit: aderitque cum eo radians in ſplendoribus ſuis innumerabilis angelicarum multitudo legionũ. Congregabuntur ante thronũ potẽtiæ eius, omniũ gentiũ populi: & quicquid hominũ uniuerſis ſeculis totoq; orbe terrarũ progenitum eſt, in conſpectu iudicantis aſtabit. Separabuntur ab iniuſtis iuſti,à nocentibus innocentes:& cum præparatum ſibi regnũ, recenſitis miſericordiæ operibus, filij pietatis acceperint,exprobrabitur duricia ſterilitatis iniuſtis. & nihil habẽtes ſiniſtri cõmutatis iniuſtis. & nihil habẽtes ſiniſtri cõmutatis iniuſtis. & nihil habẽtes ſiniſtri cõmut

etiam in hac uita quosdam palàm punit flagitiosè uiuentes, & uicissim alios religionis studiosos non mediocriter collaudat. Quapropter diuinus Apostolus quosdã iræ uasa, nonnullos uasa misericordiæ nominauit, quia per illos declaratur Deus, nẽpe dũ iustè punit tanquã Dominus: per hos aũt, dũ uirtutis studiosos omnimoda cura & prouidẽtia prosequitur. quæst. 12. in Exodum.

Theodulus inquit: Siquidẽ in illo iudicio nõ indigemus exteriorib. uel accusatoribus, uel bonũ nobis testimoniũ dicentib. suæ enim cuiusq; cogitationes & conscientia uel accusabit, uel defendet. in 2. ca. ad Rom. Itẽ: Sic enim ante thronũ Christi iudiciariũ oẽs sistemur, & ipse à nobis, non lex ipsa rationẽ exiget. in cap. 14. ad Romanos.

Salonius ait: Sapiens ad hoc laborat, ut in die iudicij ad dexterã Domini, id est in sorte iustorũ stare mereatur, & cum ipsis in ęterna beatitudine gloriari. Stulti in die iudicij à sinistris, id est in sorte reproborũ ponẽtur, & cum eis in æternũ pumientur. in Ecclesiastẽ. Et: Tempus flendi est præsens uita, tempus ridendi uita futura. ibidẽ. Itẽ: Per austrum requies paradiso designatur. Si homo bene uiuendo locũ sibi præparauerit ad austrum, post mortẽ in requie paradisi & gloria regni cœlestis permanebit in æternũ. ibidẽ. Item: Sapiens in die iudicij ad regni cœlestis eleuabitur gloriam, stultus uerò demergetur in æternæ damnationis tormenta. ibidem.

Faustus inquit: Dabitur immortalitas, sed iã in æternũ iustificato, quando id quod collatũ fuerit perire nõ possit. Dabitur hoc, sed in tẽpore beatitudinis, ubi iam peccatũ nec uincere sit necesse, nec scire: ubi ad peccandũ nõ uolũtas, nõ possibilitas erit: ubi sanctè, integrè, piè uiuere nõ erit diligentia, nõ industria, sed natura. libro 2. de libero arbitrio, capite decimo.

Christus cõspicietur ut homo. August. in Euãgeliũ Iohannis tractatu 21: Ecce uidebitur forma hominis Christi in iudicio à pijs & impijs, à iustis & ab iniustis, à fidelibus & infidelibus, à gaudentibus & plangentibus, à confisis & confusis.

Sedulius ait: Duæ cogitationes in hominẽ se accusabunt inuicem, bona & mala. Bona accusabit malã, quia cõtradixit ueritati. in 2. cap. ad Rom. Et: Vnumquéq; enim in iudicio illa lex sine dubio arguet, secundum quam uixit. in 13 caput ad Rom.

Salianus ait: Nec arbitrandum est in die iudicij illos tantũ à Dei filio denegãdos, qui martyrio Christũ negauerunt: sed per omnia opera, sermones, cogitationes, Christus uel negatus negat, uel cõfessus confitetur. in 1. cap. ad Titum.

Maximus inquit: Viui autem iudicandi referuntur, ac mortui, ut omnium hominum esse apud Deum cura credatur. Homilia de diuersis.

Primasius ait: Conscientiæ nostrę cogitationes erunt in die iudicij ante oculos nostros, tanquã historiæ agnoscendæ. in 2. cap. ad Rom. Itẽ: Aduentus Dei & uiuos inueniet, & mortuos suscitabit. in 14. ca. ad Rom.

¶ Quos iudicaturus sit Christus, Augustinus exponit, de fide & symbolo capite octauo: Credimus etiam Christum uenturũ cõuenientissimo tempore, & iudicaturum uiuos & mortuos.

Isychius ait: Ab omni corruptione mundum est futuri seculi iudicium. lib. 2 Commentariorum in 6. caput Leuitici.

¶ Opinionem de Elia redituro ante iudicij diem, recitat Augustinus libro 20 de ciuitate Dei, cap. 29. Per hũc Heliã magnũ mirabiléq; prophetã, exposita sibi lege, ultimo tẽpore ante iudiciũ Iudęos in Christũ uerum, id est in Christũ nostrũ esse credituros, celeberrimũ est in sermonib. cordib⁹q; fideliũ. Ipse quippe ante aduentũ iudicis saluatoris nõ immeritò speratur esse uenturus, qui etiã nunc uiuere non immeritò creditur. Curru nãq; igneo raptus est de reb. humanis, quod euidentissimè sancta Scriptura testatur. Cũ uenerit ergo exponẽdo legem spiritualiter, quã nunc Iudæi carnaliter sapiunt, cõuertet cor patris ad filiũ, id est: cor patrum ad filios.

¶ De tẽpore sic scriptũ reliquit Prosper: Finis diluuij 601. anno Noę terminatus, finem mũdi significat, post sex ætates seculi, & brue Antichristi spaciũ. de promissionibus & prædictionibus Dei, cap. 7.

De fine inquit Prosper: Aduẽtus filij Dei, sicut bonis lęticiã infert, ita malis exitiũ. de promissionibus & prædictionibus, cap. 17.

Theodoretus ita ait: Sed in die aduentus Domini erit acris & uehemẽs examinatio: & eos quidẽ qui rectè uixerunt tanquã aurũ & argẽtũ reddet ignis splẽdidiores: eos aũt qui iniquitatẽ fecerũt, instar ligni & fœni & stipulę cõburet. Doctor aũt qui quę oportet docuerit, non luet pœnas, sed salute dignus habebitur. in cap. tertium 1. ad Corinth.

Sedulius, in elegia de mirabilib. diuinis:

Aduenit Dominus dare digna pijs, mala prauis:
Credite iam miseri, aduenit Dominus.
Visio Christe tui tormentum & pœna malorum est.

Salonius inquit: Dies iudicij & regnũ Dei cõparatur æstati, quia tũc omnia nostræ tristiciæ nubila transibũt, & uitæ illius dies æterni solis claritate fulgebit. in explicatione Prouerbiorum Salomonis.

Theodulus ait: Si quẽadmodũ opus fuerit instructi inueniemur, salutaris nobis iudicij dies illa illucescet: sin minus, pernicio-sa nobis erit. in caput 13. ad Romanos.

DE INFERNO.

CHryſoſtomus in 16. cap. ad Romanos, Sermone 31. exponit ubi ſit infernus, cum ait: Vbi, inquies, & in quo loco, erit ipſa gehenna? Vt quid iſtud curas? Quæſtio ſiquidem eſt, ut oſtendatur quòd ſit, nõ ubi recondita ſit, & in quo loco. Nonnulli quidem fabulantes dicunt, quòd in ualle Ioſaphat: quod de bello quodã præterito dictũ eſt, ad gehennam trahentes. Scriptura uerò hoc non dicit. Sed in quo loco, inquis, erit? Alicubi, quantũ ego puto, extra omnẽ hunc mundum. Item: Quæret aliquis, ubi nam gentium, aut quibus in terris hanc gehennã ſitam dixeris? Verùm quid illud tibi eſt curæ? Cum enim utrum ſit gehenna quęratur, de loco ſitu ue nondũ eſt aliquid inquirendum: quãuis pleriq; pro certo nõ diffitẽtur, eſſe hanc in Ioſaphat ualle conſtitutã, quod in certamine quodam & bello apud ueteres illos quondam in gehenna uallis Ioſaphat geſto narratur, quod ſacræ literæ nuſquã affirmant. At ſi de ſitu & loco quęſieris, reſpõdebo, dicãq;, extra terrarum orbem hunc aliquò eſſe poſitum. Non ergo erit, quo fuerit hæc loco ſita, quin magis quo pacto euitari poſsit, quærẽdũ. in Serm. de præmijs Sanct.

Auguſtinus in Speculo peccatoris capite ſeptimo: Tunc & horribilia patebunt loca pœnarum, chaos & caligo tenebrarum, horror miſerię & tribulationis, tremor & timor anguſtiæ & confuſionis, dolor horrendæ uiſionis, tremor tremendæ manſionis, locus ſtentium, ubi ſtridor dentium, ubi morſus uermium, ubi clamor dolentium, ubi luctus gementium, ubi eſt uox clamantium peccatorum, & dicentium, Vę uę nobis filijs Euę.

Theodoretus ait: Ergo in hac uita quidẽ, uita effugit mortem, ut quæ ſit immortalis: in illa aũt, uita dabit pœnas, nõ morte quidẽ ſubiens, ſed in uita punita. in dialogo tertio Impatibili.

Sedulius inquit: Quarta mors nominatur inferni lacus, quo præuaricatrices animę detinentur. in 6. caput ad Rom. Et Primaſius: De reſurrectione & prẽmio & gehenna non ſit dubitatio. in 11. cap. ad Rom.

Theodulus inquit: Moriemini morte immortali, in gehenna. cap. 8. Rom.

¶ Quomodo Scriptura inferos accipiat, Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad literam, cap. 33: Proinde, ut dixi, nondũ inueni, & adhuc quæro, nec mihi occurrit inferos alicubi in bono poſuiſſe Scripturã, dũtaxat Canonicã.

¶ Infernꝰ quid ſit, Auguſtinus exponit de cognitione ueræ uitæ, cap. 40: Infernus eſt incorporeus, ſubſtãtia ſpiritualis corpori ſimilis: cuiꝰ pœna tãto eſt intolerabilior, quãto ſpiritus corpore eſt ſubtilior. Omne enim corpus uetuſtate deficit, diuturnitate diſſolutũ interibit. Vnde ſi infernalis ignis eſt corporeus, reſtat ut corporalib. inſtrumẽtis nutriatur, & ſequitur, ut illis cõſumptis ipſe intereat. Sed cõſtat ignẽ gehennæ nõ deficere: ergo ſpiritualis eſt. ſi aũt eſt corporeus, ſed indeficiens creatus eſt, neceſſe eſt ut animæ & ſpiritus qualecunque corpus induant, in quo ignem corporeum ſentiant.

Duas tantũ eſſe habitationes, unã in igne æterno, alterã in regno æterno, diſertè ſcribit Auguſtinus de uerbis Apoſtoli, Serm. 18.

Primaſius ait: In inferiores partes terræ: ergo ſub terra eſt infernꝰ. in 4. cap. ad Epheſ.

¶ De pœnis in inferno, inquit Chryſoſt. Nam regno quidẽ Dei oẽs pariter (loquitur de peccantib. ſine pœnitentia) excidemus. in gehenna uerò non eaſdẽ pœnas dabimus oẽs, ſed hic quidẽ maiorẽ, iſte uerò mitiorẽ. Si nãq; per contẽptũ hic multa, tu uerò modica peccaueritis, pariter è regno Dei excidetis. Si aũt nõ pariter, ſed hic plꝰ, tu minus, in gehenna differentiã ſentietis. in 2. cap. ad Epheſios, Sermone 4.

Auguſtinus lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 19: Dubitandũ non eſt, ipſas pœnas quib. cruciabũtur qui regnũ Dei nõ poſſidebunt, pro diuerſitate criminũ eſſe diuerſas, & alias alijs acriores: ut in ipſo igne æternõ, pro diſparibus ponderibus peccatorum ſint diſparia tormenta pœnarũ. Neq; enim fruſtra ipſe Dominus dicit: Tolerabilius erit Sodomis, quàm uobis, in die iudicij. Ad Iulianũ epiſt. 211: Verè enim diabolo præparata eſt gehenna, & omnib. operib. hominũ, ſi faciamus opera Diaboli. Væ ijs quib. præparatur dolor uermiũ, ardor flammæ, ſitis ſine extinctu, fletus & ſtridor dentiũ, oculorũ lachrimæ, tenebræ exteriores ſine luce, pœna in exterminabilis, ubi nõ eſt ullus honor ſine ue agnitio proximi, ſed continuus dolor & gemitus: ubi mors optatur, & nõ dabitur: ubi nõ eſt honor ſenioris & regis, nec Dominus ſuper ſeruũ, nec mater diligit filiũ aut filiã, nec filius honorat patrẽ: ubi omne malũ, & omnis indignatio & fœtor & amaritudo abũdat. Item, de triplici habitaculo cap. 1: Lacus inferni plenus eſt tenebrarũ, diſcordię, odij, ſtulticiæ, miſeriæ, turpitudinis, maritudinis, offenſionis, doloris, aduſtionis, ſitis, famis, ignis inextinguibilis, triſticiæ, uindictę perennis, & omnis ineffabilis malũ, quod nec dici nec cogitari poteſt. Ciues cœli ſunt iuſti homines, & angeli, quorum rex eſt Deus omnipotẽs. At contrà ciues infernũ ſunt impij homines & dęmones, quorũ princeps eſt diabolus. Satiat iuſtos uiſio ſanctorũ hominũ & angelorũ, & ſuper omnia ipſius Dei. Cruciat impios & peccatores uiſio hominũ dãnatorũ, & dęmonũ, & ſuper omnia ipſiꝰ diaboli. Nihil in regno Dei deſi-

deratur

deratur, quod non inueniatur: at in inferno nihil inuenitur quod desideratur.

Cyrillus: Supplicijs cruciabuntur in credoli, quod omni morte tristius est, in solo sensu dolorum animã in corpore retenturi. lib.2. Comment. in Iohannem.

Prosper inquit: Fletus & stridor dentiũ acerrimos eorũ dolores ostendunt, qui supplicio æternæ mortis addicti, nõ uidẽdi sensum habituri sunt, sed dolẽdi. Quorũ continuus gemitus, cruciatus æternꝰ, dolor summus, pœnalis sensus, torquẽt animas, nec ex torquẽt: puniũt corpora dãnata, nec finiunt. Quos ideo sibi deputatos ignis extinguibilis nõ extinguit, ut permanente sentiendi uita, pœna permaneat, & ad dolendũ magis quàm ad uiuendum æternis cõpedibus cõpeditas habeat, quas in flammis uiuacibus immortalitas secundæ mortis occîdat. libro 3. de uita contemplatiua, cap. 12.

Philastrius ait: Qui credidit in patrẽ, antequam Christus ueniret in carnẽ, trãsijt de iudicio impiorũ. in cõparatione aũt peccatorũ atq; impiorũ diuersitas est pœnarũ atque plagarũ: nõ plena amborũ est absolutio, sed dijudicationis iusticia, & secundũ peccatum condigna repensio, illis etiã qui sub Noæ ab aqua absorpti fuerant, ut Scriptura docuit. in Catalogo hæresium.

Salonius inquit: Per Aquilonẽ designatur inferni suppliciũ. Qui malè uiuẽdo sibi locũ præparauerit ad Boreã, inferni pœnas luet in secula seculorum. in Ecclesiasten.

Eucherius ait: In pœna inferorũ pecatores ex his quæ peccauerũt, æterna dãnatione puniuntur. in Com. in libros Reg. lib. 4.

Synesius inquit: Anima cum sit immortalis, immortales dat pœnas, quãdo peccauerit peccata penitus imbuta & ineluibilia. epistola 44.

¶ De igne inferni sic scribit Augustinus, Serm. 81. de tẽpore: Propterea enim ignis æternꝰ inextinguibilis dicitur, nõ solùm quia ipse nõ extinguitur, sed quia nec eos, quos susceperit, extinguet aut perimet. Scriptura enim dicit, Quia & peccatores induẽt incorruptionẽ: scilicet nõ ad honorẽ uitæ, sed ad diuturnitatẽ supplicij profuturã. Huius aũt pœnæ & ignis illius potentiã nulla uox exponere, nullus poterit sermo explanare.

Itẽ, quomodo spiritus possit aduri, lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 10: Cur itaq; non dicamus, quãuis miris, tamẽ ueris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna ignis corporalis affligi, si spiritus hominũ, etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerũt inclusi corpora lib. membris, & tunc poterũt corporum suorũ uinculis insolubiliter alligari? Isychius ait: In gehenna maximè locus & fors dęmonũ est, quod manifestat Dominus dicẽs: Discedite à me maledicti in ignẽ. lib. 5 Comment. in 18. caput Leuitici.

Non esse in inferno relaxationẽ sperãdã, docet Leo: In inferno, inquit, nulla est correptio, nec datur remediũ satisfactionis. Sermone 5. de epiphania.

DE PVRGATORIO.

ETsi Augustinus nõ docet esse purgatoriũ, tamẽ multa cõtra eã opinionẽ quæ postea exorta est, asserit. ut ad Macedonium epist. 54: Morũ porrò corrigendorũ nullus alius quàm in hac uita locus. Nã post hanc, quisq; id habebit q, in hac sibimet cõqsierit. Ideo cõpellimur humani generis charitate, interuenire ꝓ reis, ne istã uitã sic finiãt ꝓ supplicium, ut ea finita non possint finire suppliciũ. Item Serm. 66: In hac uita tantũ pœnitẽtiæ patet libertas, post mortẽ nulla correctionis est licẽtia. Itẽ lib. 2. quæst. Euangeliorũ, cap. 38: Quod aũt apud Lucã Abraham diuiti dicit, ad ea loca in quib. torquẽtur impij, iustos etiãsi uelint nõ posse trãsire: quid aliud significat, nisi post hãc uitã ita receptis in carcere, ut inde non exeãt donec reddant nouissimũ quadrantẽ, per incõmutabilitatẽ diuinæ sententię nullũ auxiliũ misericordię posse præberi à iustis, etiãsi uelint illud præbere? Quod admonet scilicet, ut in hac uita homines subueniãt quib. possint.

Sic Theodoretus ait: Qui in hac uita uirtutis remunerationẽ nõ fuerit adeptus, illã in altera uita certò consequetur. quæstione 45. in Genesin.

Chrysost. Hom. 75 super Matthęum: Quare obsecro, quousq; nobis tẽpus cõceditur, rectè uiuamus. Nam quemadmodũ nihil ex illa cognitione tunc illic lucrabuntur, sic nihil ex illa pœnitentia nos consequemur. Nã neq; gubernator, postquam nauis submersa est, neq; medicus, postquam ægrotus obijt, quicq̃ prodesse potest: sed oẽs, antequam res in exitũ ueniat, studere ac uigilare oportet, ne in mortẽ aut naufragiũ deueniãt. nam postea nihil amplius prodesse possunt. Itẽ homilia de diuite, super 16 cap. Lucæ: In inferno aũt quis cõfitebitur tibi? Frustra agis pœnitẽtiã in loco, ubi nõ est pœnitentiæ locus. Tormenta te cogunt agere pœnitẽtiam, nõ mẽtis affectus. Ibidẽ: Miserere mei. Sanctus quidẽ Abrahã est, sanctꝰ & beatus est, & oẽs in istius sinum ire festinamus: uerùm quicunque in inferno est, & in regno cœlorum est, nescio an ualeat misereri. Creator creaturæ miseretur suæ. Vnus uenit medicus, qui sanaret mortuos. nã alij sanare nõ potuerũt.

DE VITA AETERNA.

BOna uitæ æternæ his uerbis describit Chrysostomus: Reuera enim illa est requies, ubi fugit dolor, tristicia, gemit⁹: ubi neq; solicitudines, neq; agones, nequo timoꝰ

timor obstupescere faciens & commouens animam, sed solus Dei timor est uoluptate plenus. in 4. caput ad Hebręos, Hom. 6.

Quis sit daturus uitam æternam, exponit Maximus: Quanta nos accuratione æterni regis nostri IESV Christi natalem susci pere debemus, qui pro deuotione nostra non no bis temporalem largietur gloriam, sed æter nam: nec terreni honoris administrationem dabit, quæ successore finitur, sed cœlestis im perij dignitatem, quæ non habet successo rem. Qualis autem remuneratio nostra sit futura, dicit propheta. Maximus in Homilia hyemali, in uigilijs natalis Domini.

Alios alio glorioſiores in uita æterna futuros esse, Chrysostomus docet: Haud ęquè idem beatis omnibus in Dei regno honos habebitur. Siquidem neque Christi discipulos inter se pares omnes fuisse constat. Sermone de præmijs sanctorum. Ita in tertia concione de Lazaro inquit: Et quemadmodum si à duobus peccatoribus unus hic puniatur, alter non puniatur, beatior est ille punitus, eo qui punitus non est: sic sanè inter duos iustos, si alter hic plus, alter minus pertulerit afflictionũ, beatior erit ille qui plus sustinuerit, quando unicuique iuxta opera reddet sua. Quid igitur? nõ est quispiam, inquies, qui & hic & illic requie fruatur? Istud impossibile est, ô homo, atq; ex eorum numero quæ frustra speres.

De bonis æternæ uitæ sic scribit Augustinus, quæstionum super Genesin, 114: Nimirum ergo nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promissionem, ubi sic uidebitur Deus, quomodo non est antea patribus uisus, ubi non erit nomen uetus: quia nihil remanebit uel in ipso corpore uetustatis, & Dei uisio summum erit præmium. Item de spiritu & litera ad Marcellinum, capite 33: Hæc est, inquit, uita ęterna, ut cognoscãt te unum uerum Deum, & quem misisti IESVM Christum: illa cognitione, illa uisione, illa contemplatione satiabitur in bonis animæ desiderium. Item de uera innocentia, cap. 37: Aeternæ ciuitatis æterna sunt gaudia, & stantium dierum perpetuitas infinita, nec uariabitur, nec labetur: quia incommutabili pace potientur, quorum erit omnium bonum, etiam quæ fiunt singulorum. Item de sancta uirginitate, cap. 26: Omnes communiter habebunt, sicuti est ipsa uita ęterna, ipsum regnum cœlorum: ubi erunt omnes quos Deus prædestinauit, uocauit, iustificauit, & glorificauit. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hic est ille denarius, merces omnium. Stella tamen ab stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diuersa sanctorum. Sed quia ipsa uita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est. Quia uerò in ipsa uita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multę sunt mansiones apud patrem. Ac per hoc in denario quidem non impari, non uiuèt alius alio prolixius: in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius. Item libro 22. de ciuitate Dei, cap. 29: Ad eos angelos iam cœpimus pertinere, cũ quibus nobis erit sancta atque dulcissima, de qua iam tot libros scripsimus, Dei ciuitas ipsa communis. Sic sunt ergo angeli nostri, qui sunt angeli Dei, quemadmodum Christus Dei, Christus est noster. Item libro 22. cap. 29: Præmium itaque fidei nobis uisio ista seruatur, de qua & Iohannes apostolus loquens: Cum apparuerit (inquit) similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Facies autem Dei, manifestatio eius intelligenda est: non aliquod tale membrorum, quale non habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus. Quapropter cum ex me quæritur, quid acturi sint sancti in illo corpore spirituali? non dico quod uideo, sed dico quod credo, secundum illud quod in Psalmo lego: Credidi, propter quod locutus sum. Dico itaque, quòd uisuri sint Deum in ipso corpore: sed utrum per ipsum sicut per corpus nunc uidemus solem, lunam, stellas, mare ac terram, & quæ sunt in ea, non parua quæstio est. Durum est enim dicere, quòd sancti talia corpora tunc habebunt, ut non possint oculos claudere atque aperire cum uelint. Durius autem, quòd ibi Deum, quisquis oculos clauserit, non uidebit. Si enim propheta Helisæus puerum suũ Giezi absens corpore uidit accipiętem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, qué propheta memoratus à lepræ deformitate mũdauerat, quod seruus nequam Domino suo non uidente latenter se fecisse putauerat: quanto magis in illo corpore spirituali uidebunt sancti omnia, non solùm si oculos claudant, uerumetiam unde sunt corpere absentes?

De uita æterna Prosper ita docet: De cõmutatione sanctorũ, in quam sancti omnis ætas & uterq; sexus cum hac gloria ad tricennalem (in qua Christ⁹ Dominus passus) transeunt cum ipso rege suo, quem impij nõ uidebunt. Prosper de promissionib. & prædictionibus, de gloria sanctorum, capite secundo. Item capite tertio: In haç ciuitate non erit nox, nec lumen lucernæ opus erit, non luctus neque mors, neque clamor, sed nec odor ullus: quia propria abierunt, & hius patriæ gloriam impij non uidebunt. Item capite quinto: Quomodo alij pro cõfessione martyrij, alij pro integritate uirginali;

nali, alij pro continentia uiduali, alij pro pudicitia coniugali diuersis honoribus sine incap. 8: Quemadmodũ sancti uideant Deum trinitatem, patrem in filio, filium in patre, spiritum sanctum & in patre & in filio, impij non uidebunt. Item loquens de uita ęterna, ait: In qua humana natura ita reparanda est, & ab omni prorsus infirmitate sananda, ut nec peccata ei ulla remaneant, nec peccata iam ualeãt: cuius hoc erit totũ præmium, ut uitæ contẽplatiuæ semel compos effecta, inexplebiliter autorẽ beatitudinis suæ conspiciat, de illo gaudeat, de illo quod sperauit obtineat, & in eo ad quod sanctè uiuẽdo peruenerit, sine fine permaneat. de uita contemplatiua. Item: Futura uita creditur beata sempiterna, & sempiternè beata, ubi est certa securitas, & secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, felix æternitas, æterna felicitas, ubi est amor perfectus, nullus timor, dies æternus, alacer motus, & unus omniũ spiritus de cõtemplatione Dei sui, ac de suâ cum illo permansione securus: ubi ipsa ciuitas quæ est angelorum sanctorum, & hominum cõgregatio beata, meritis fulgentibus micat, & æterna salus exuberat, ueritas regnat: ubi nec fallit quisquam, nec fallitur: unde nullus eijcitur, quò nullꝰ miser admittitur. de uita contemplatiua lib. 1. cap. 2. Item cap. 3: Ideo aũt beata incorruptione & immortalitate iustorum corpora donabuntur, ut & ipsi in gloria, & in ipsis gloria æternа permaneat. Item: In futura uita, peruenientes ad speciem, iam non erit quod uelut proficiendo ulterius ambulemus: sed ipsam speciem ad quam per fidem spiritualiter ambulando peruenimus, insatiabili delecta tione uidebimus. de uita contemplatiua lib. 6. Item: Si Deus qui in hac uita sine alicuius elemẽti assumptione nec potuit uideri, nec potest, in futura uita uidendus est: ibi est contemplationis diuinæ speranda perfectio, ubi erit omnium bonorum plenitudo. de uita contemplatiua cap. 7. Item cap. 9: Ibi omnium beatorũ beatitudo perfecta erit, ubi humana natura sui gloriam conditoris & suam perfectè beatificata uisura est, atq; ei sine ullo defectu suę beatitudinis adhærebit. Item: Ibi erit omnium fidelium Catholicorum salus plena, corruptibilitas nulla, & immortalitas beata: ibi erit prudentiæ ac scientiæ perfectio uera, rerum omniũ cognitio tota, quãdo scientia ad perfectum fuerit partis euacuatione perducta. libro 3. cap. 30. Itẽ: In illa aũt uita beata, ad quam consumpta omni corruptibilitate ac mortalitate perueniunt, quicunq; ibi futuri sunt, ubi nec fletus ullus potest esse, nec gemitus, habebunt omnes sancti amorem perfectum, timorem nullum, & gaudiũ sempiternum: ibi eis erit uoluntas recta, cupiditas nulla: quoniam fruendo cœlestibus bonis, ad quæ peruenire cupiebant, nihil eis deerit, quod ulterius concupiscant. de uita contemplatiua cap. 32. Item libro Epigrammatum:

Semper erunt, quod sunt, æternæ gaudia uitæ:
Gaudenti quoniam causa erit ipse Deus.
Nec uarios pariet motus diuersa uoluntas,
Vnum erit in cunctis lumen, & unus amor.
Inq; bonis summis posita experientia fœlix,
Nec uolet augeri, nec metuet minui.

Theodoretus sic scribit: Post mortuorum resurrectionem, quæ futura est. Tunc enim et creatura liberatur ab interitu ac corruptione quæ ei imminet, & hominũ natura immortalitatem induit. in 6 caput ad Galatas. Item: In futura autem uita, à corruptione & interitu alienũ ac immortale corpus effectũ, nõ potest amplius sordes peccati suscipere. in epistolam ad Colossenses cap. 2.

Corpora nostra in cœlo futura esse, Augustinus de fide & symbolo cap. 6. tradit: Solet autem quosdam offendere, uel impios gentiles, uel hæreticos, quòd credamus assumptum terrenum corpus in cœlum. At gentiles, plurimiq; philosophorũ, argumentis nobiscum agere solent, ut dicant, terrenum aliquid in cœlo esse non posse. Nostras enim scripturas non nouerunt, nec sciunt quomodo dictũ sit: Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Non enim ita dictum est, quasi corpus uertatur in spiritum, & spiritus fiat: quia & nunc corpus nostrũ quod animale dicitur, non in animam uersum est, & anima factum: sed spirituale corpus intelligitur, quia ita cooptandũ est, ut cœlesti habitationi cõueniat, omni fragilitate ac labe terrena in cœlestem puritatem & stabilitatẽ mutata atq; conuersa. Hæc est immutatio, de qua iterum dicit Apostolus: Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur. Quam immutationem non in deterius, sed in melius fieri, docet idem, cum dicit: Et nos immutabimur.

De uita æterna hæc prodit Isychius: Participalis quædam apud nos est Theologia, in cœlis quippe eius est plenitudo. libro 2. Comment. in 10 cap. Leuit. Et: In futuro sæculo carnem præputij circũcidimus, tunc quippe non solùm peccaturi, sed nec comessuri, aut bibituri, aut nupturi sumus. Erimus autem sine dubio, sicut ait Dominus, ex corruptibilibus incorruptibiles, sicut angeli, & mũdi modis omnibus ex immundis efficimur. Seminatur igitur, ait Paulus, in corruptione, &c. libro 3. Comment. in 12. caput Leuitici. Et: Docere Iudæos de intelligibili requie, & fine mundi uolens, quia illo tempore impossibile est cibũ con-

quirere, uel operari, nec circa corporale aliquid occupare, talia eis dicere Moſen præcepit: Sabbata hodie Domino, non inuenietis illud in agro. Nõ Sabbatum, ſed ſabbata: quia intelligibilis requies non ab uno quodam, ſed ab omnibus carnalibus uacationẽ alterationemq; poſsidet. lib. 6. Comment. in 19. caput Leuitici.

Philaſtrius de hæreſibus, pagina 90. ait: Homines ſecundum fidem ac laborem eorũ atq; diuerſa certamina in regno cœleſti mercedem cõgruã ſunt adepturi, dicente Domino: Multæ manſiones ſunt apud patrẽ meũ. Et paulo pòſt: Vt ergo rationis eſt, conuenit cognoſcere, quòd alij in regnum, alij in paradiſum, alij in uitam atq; remiſsionem peccatorũ in futuro erũt deputandi, quod non negatur currentibus ac uolentibus nunc ut oportet: diſsimulantibus aũt, & non rectè currentib⁹, à Domino hęc nõ erunt cõferenda.

Primaſius inquit: Poſt reſurrectionem aũt nõ carnaliter uiuitur, nec peccatur. in 5. cap. ad Rom. Et: Omnibus credentibus gloria futura promittitur. in 12. cap. ad Rom. Itẽ: In prẽſenti tria, in futura ſola charitas Dei & angelorũ, & omnium ſanctorũ: tria ſcilicet, fides, ſpes, charitas. in 13. cap. ad Corinthios. Itẽ: Hic quidem animale corpus, quia non ſemper Spiritum ſanctũ habemus, tunc uerò ſemp erit in nobis. in 15. cap. ad Corin.

Theodulus ait: Pulchrè dicit, Pax. iſtic enim nemo per inuidentiam pugnabit cum eo qui honore eſt affectus, glorificatus ue. in 2. caput ad Romanos. Et: Si, inquiens, mortui ſumus cum Chriſto, quemadmodũ obimus diem per baptiſma, credimus quòd & ſimul uiuemus cum eo, beatam illam reuera ſenioq; carentẽ uitam poſt reſurrectionem nobis obuenturam. in 6. cap. ad Rom. Et: Hæredes mundi iuſtos fore adſeuerat, quoniã impijs è medio ſublatis, ſupplicioq; traditis in die iudicij, uniuerſum deinceps mundum poſsidebunt iuſti innouatum, ipſorumq; erunt tam cœleſtia quàm terreſtria bona. in cap. 4. ad Romanos. Itẽ: Viuetis uitam illam cœleſtem ac ſempiternam. in octauum caput ad Romanos. Item: Dixiſtinos Deo eſſe, quam ergo aliam adoptionem expectamus? Subdit, liberationẽ corporis: hoc eſt, incorruptibilitatem. tum enim ſtabilis erit adoptio, effectusq; eius eueniẽt. Nũc enim neq; gloria eſt cõſpicua. Expectamus etiam ut liberemur à caſu & ruina in peccatum, ad quod per donatam uitam propellimur. in 8. caput ad Romanos.

Eucherius inquit: In illa Eccleſia quæ poſt huius ſeculi labores & certamina, ad æterna præmia meruit introduci, nemo aliquid coinquinatũ faciet, uel abominationẽ & mendaciũ. in Cõmentarijs in libros Regum lib. 3. cap. 9. Et: Per præſentes fideliũ labores, poſt acceptam in futuro requiem animarũ, plena totius Eccleſiæ felicitas in reſurrectionis gloria cõplebitur. in Commẽt. in libros Regũ, lib. 3. Et: In uita æterna tanta Dei præſentis gratia munimur, ut nec uelimus ultrà peccare, nec poſsimus, neque ullo mortis, ſiue doloris, ſiue tentãtis aduerſarij metu afficiamur. ibidẽ. Item: Quia nimirũ ita nos in illa patria diuinæ præſentia claritatis adimplet, ut nihil aliud uiſus noſter, nihil auditus, nihil olfactus, nihil guſtꝰ, nihil tactus dulce habeat, niſi diligere Dominum Deũ noſtrũ ex toto corde, tota anima, tota uirtute, & proximũ tãquam nos ipſos. ibidẽ. Item: In ſuperna patria & angelorũ nobis uiſio atq; allocutio, & ipſa Dei prẽſentia reuelabitur, iuxta hæc quæ ueritas ipſa diligentibus ſe pollicetur, dicens: Qui autẽ diligit me, &c. Eucherius in Comment. in libros Regũ, lib. 3. Itẽ: In regno cœleſti angeli ſancti, in imagine ſui conditoris, ad quã facti ſunt, ſemper manẽt. Et electi homines, imaginem eius quam peccando amiſerant recipiũt. Scimus enim, inquit, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus. Et paulo antè inquit: Donario fruuntur uitæ æternæ, habentes in ſe ſui conditoris imaginẽ, ſeruata in perpetuum ſanctitate & iuſticia & ueritate, quæ prima conditione perceperunt. in Cõmentarijs in libros Regum, libro tertio. Item: Diſparilitas uoluntatum ſiue cogitationum, in ſuperna patria nulla eſt, ubi una omnes eademq; præſentis uiſione & gloria illuſtrantur. ibidem. Item: In futura uita, ubi Dominum & proximos in luce internæ beatitudinis uidebimus, eadem utiq; gemina dilectione, abſq; ullo prorſus labore, imò in magna multitudine diuinæ dulcedinis perfruemur. ibidem. Item: In ęterna uita, noſtra natura in æternũ diuinæ uiſioni iungitur. ibidem. Item: Abſit ergo ut dicamus, illos ſanctos in illa uita Deum clauſis oculis non uiſuros, quem ſpiritu ſemper uidebunt. Sed utrum uidebunt, & per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quæſtio eſt. Si enim tantum poterũt in corpore ſpirituali, eo modo utiq; etiam ipſi oculi ſpirituales, quantum poſſunt illi quales nunc habemus, proculdubio per eos Deus uideri non poterit. Longè itaq; alterius erũt potentię, ſi per eos uidebitur incorporea illa natura, quæ nõ continetur loco, ſed ubiq; tota eſt. in Cõment. in lib. Regum, lib. 4.

Timotheus ait: Vita quoq; hæc ipſa temporaria nõ niſi ſpe alitur ac ſuſtinetur. Timotheus epiſcopus ad Eccleſiam catholicam.

Ioannes Caſsianus ait: Exercitia monaſtica in uita futura ceſſabunt, cum corruptibile hoc induerit incorruptionẽ: corpusq; illud,

illud, quod nunc animale est, surrexerit spiri tuale: & cœperit caro non esse iam talis, ut aduersus spiritũ concupiscat. Ioannes Cassianus collatione 1. patris Moysi, cap. 10.

Iunilius ait: Adam ita immortalis factus est, ut posset non mori, si non peccaret: si autem peccaret, moreretur. Ita uerò immortales erunt filij resurrectionis, cum erunt æquales angelis Dei, ut nec mori ultrà, nec peccare possint. Ideoq; caro nostra post resurrectionem nulla eget refectione ciborũ, quia nulla ei suppetit à fame uel lassitudine, uel alia qualibet infirmitate defectio. in Cõmentarijs in Genesin.

Paulinus inquit: Tunc reuelanda nobis, cum specie uidebimus, quæ nunc per fidem prouidemus. Itaque hic seminamus, & ibi metemus: hic spargimus, & ibi congregamus: hic uiuimus, & ibi cõuersamur: hic accingimur, & ibi militamus: hic pugnamus, & ibi uincimus: uel si istic uincim⁹, ibi coronamur. Ita quod istic manu struimus, illic fide condimus. in epistola 12 ad Seuerum. Item in 8. natali Felicis:

Omnes, quisq; suo, radiabunt lumine sancti,
Dissimili fulgore pares, nec iudice Christo
Alter in alterius meriti dispendia crescent:
Christus erit cunctis regnum, lux, uita, corona.
Cernite distinctos actus, sed honore iugatos,
Testamentorum ueterisq; nouiq; magistros,
In quibus una dedit geminas sapientia leges.
Atq; ita uirtutes uarias par gloria pensat.
Non Petrus inrupit uirgã mare, sed neq; Moses
Aequoris inceßit liquido: tamen unus utrisq;
Fulget honos, unus quoniam fuit autor utriq;.

DE STATV POST HANC uitam.

ANimas nõ reuerti in hunc mundum, Chrysostomus docet concione 2. de Lazaro: Quid igitur est, inquit, quòd dæmones dicunt, Monachi illius sum anima? Sanè propter hoc ipsum non credo, quia dæmones dicunt: decipiunt enim auditores. Quapropter & Paulus ipsis, tametsi uera dicentibus, imposuit silentiũ, ne ex ueris nacti occasionẽ, pòst admiscerẽt mendacia, fideq; sibi conciliarent. Ibidẽ & hoc percõmodè dicitur: Sana dogmata, salutifera q;, non à dæmonibus, sed ex diuina Scriptura licet exactè discere.

Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam, capite 32: Si autem quæritur, cum anima de corpore exierit, utrum ad aliqua loca corporalia feratur, an ad incorporalia corporalib. similia: an uerò nec ad ipsa, sed ad illud quòd & corporibus & similitudinibus corporum est excellentius: citò quidem respondeꝛim, ad corporalia loca eam uel nõ ferri nisi cum aliquo corpore, uel non localiter ferri. Iam utrum habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, ostendat qui potest. ego aũt non puto: spiritualem enim arbitror esse, nõ corporalem. Ad spiritualia uerò pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia, similia corporibus. Neq; enim uideo cur habeat anima similitudinem corporis sui, cum iacente sine sensu ipso corpore, nondum tamen penitus mortuo, uidet talia, qualia multi ex illa subductione uiuis redditi narrauerunt: & non habeat, cum perfecta morte penitus de corpore exierit. Aut ergo ad illa fertur pœnalia, aut ad alia itidem similia corporalibus, nec tamen pœnarum, sed quietis atq; gaudiorũ. Neq; enim rectè dici potest, uel illas falsas esse pœnas, uel illam falsam requiem atque læticiam. Tunc enim hæc falsa sunt, quando per opinationis errorem alia pro alijs putantur. Est ergo prorsus inferorum substantia: sed eam spiritualem arbitror esse, non corporalem. Item, diuersas esse custodias animarum, in Euãgelium Ioannis tractatu 49: Sicut ergo diuersæ custodiæ agentiũ in officio, sic & diuersæ custodiæ mortuorũ, & diuersa merita resurgentiũ. Receptus est pauper, recept⁹ est & diues: sed ille in sinu Abrahę: ille ubi sitiret, & guttã non inueniret. Habẽt ergo omnes animæ, ut ex hac occasione instruã charitatẽ uestrã: habẽt omnes animę, cũ de seculo exierint, diuersas receptiones suas: habent gaudiũ boni, & mali tormenta.

Cyrillus inquit: Nos autẽ dicimus, nullas corruptionis reliquias, nullum signum, nulla consequentia uel antecedentia post resurrectionem in hominibus futura. ex 1. Corinth. 15. probat, libro 12. cap. 58. in Ioãnem. Item, in resurrectione mutationem carnis fieri à corruptione ad incorruptionem, dicit libro 5. ad Thessal. caput 4. Item: Sicut nos per resurrectionem suam resurreximus, & per ascẽsum suũ in cœlos renouata nobis ascendendi uia est: sic quando glorificari & sanctificari dicitur, nos in ipso omnia hæc accepimus. lib. 10. ad Thessalonicenses 2.

¶ Animæ post mortẽ quomodo habeant, Augustinus scribit libro 13. de ciuitate Dei, capite 8: In requie enim sunt animę piorum à corpore separatę, impiorum aũt pœnas luunt, donec istarum ad æternam uitam, illarũ uerò ad æternam mortem, quæ secunda dicitur, corpora reuiuiscant. Item, nescire mortuos quid hic agatur: de Spiritu & anima cap. 29: Ibi siquidem sunt spiritus defunctorum, ubi non uident neque audiunt quæ aguntur aut eueniunt in ista uita hominibus. ita tamen est eis cura de uiuis, quanquam quid agant omnino nesciant: quemadmodum cura est nobis de mortuis, quamuis quid agant utique nesciamus. Nesciunt quidem mortui quid hic agatur.

Eucherius ait: Anima quę seculo moritur

ut Deo uiuat, gemina uitæ requie ſuſcipitur: id eſt, actione boni operis, & contemplatione diuinitatis. lib. 2. in Geneſeos caput 39. Item: Ibi ergo ſunt ſpiritus defunctorum, ubi non uident quæcunque aguntur aut eueniunt in iſta uita hominum. in Commentarijs in libros Regum, libro 4.

DE PHILOSOPHIA.

PHiloſophos in maximis rebus diſſentire, Chryſoſtomus ſcribit inquiens: Cum omiſſa uia quam eis præcipit Deus, ut ſcilicet per eorum quæ uidentur pulchritudinem cõditorem ſuum cognoſcerent, mẽtis cogitationiſq; habenas laxantes, in impietatis pelagus infirmi ſe immerſerunt: & quamprimũ malorũ ſuperaddiderunt profunditatẽ, cum dicerent nihil ex nihilo fieri, ſed ex materia increata. Vnde innumeræ hęreſes pullularunt, & in rebus quidem abſurdiſsimis delati ſunt. In quibus autem ſanũ aliquid imaginati ſunt, quamuis tanquã in umbra & ſomnijs id intuerentur, inuicẽ diſſenſerunt, ut utrinq; irriderentur. in 2. caput 1. ad Corinthios, homilia ſeptima. Item: Ariſtoteles aduerſus Platonem, & in Platonem inſurrexerunt Stoici, atq; alijs alij hoſtiliter adeò aduerſati ſunt, ut non ſolùm nõ oporteat illos ſapientiæ nomine admirari, ſed magis auerſari & deteſtari, eo quòd per eã ipſam ſtulti facti ſunt. Et paulo pòſt: Philoſophi Aegyptios præceptores habuerunt, &c. in 1. caput ad Romanos, ſermone 4. Item: Quemadmodum ſepulchra extrinſecꝰ ornata, ſi exteriorem illã faciem amoueris, cadauerũ ſanie, & exeſorum oſsium plena reperiuntur: itidem in philoſophorum opinionibus detecta uerborum ſuperficie & ornatu, multa inania abſurdaq; deprehẽderis, maximè ubi de anima philoſophantur, nũc honore, nunc contumelia, nullo modo modeſtia ue adhibita eam afficientes. Hoc diabolicum certè eſt, nulla ex parte mediocritatem ſeruare, ſed in alterutrum extremorũ allectos animos ad errorem trahere, cum nunc ad diuinam ſubſtantiam, neque modo neq; pietate ſeruata eam efferat: nunc in ſues & in aſinos, & abiectora quoq; animantia turpiter inducat. homilia prima in Euangelium Ioannis. Item: Gentilium ſapientia uerba ſunt duntaxat, & fabulę, neque ullam habent ſapientiam. gloriæ namque cauſa omnia faciunt. homilia 62. in 11. caput Ioannis. Itẽ: Semper per philoſophos hoc egit diabolus, ut oſtenderet noſtrũ genus nihil à brutis differre. Ibi multa dicit de Platone, & eius legibus. homilia 4. in acta Apoſtolorũ.

Salonius ait: Nõnunquam ſecularis prudentia inimica Deo eſt: & carnalis ſapientia, quamuis eloquentiæ floribus exornetur, nullum tamen in ſe ſpiritualem, nullum perpetuæ beatitudinis fructum cõtinet. in Eccleſiaſten.

Eucherius inquit: Philoſophia mundi neque in omnibus legi Dei contraria eſt, neq; in omnibus conſona. libro 2. in Geneſeos caput 51. Et: In præceptis philoſophię uel adumbrata uirtus, uel falſa ſapientia continetur. Vnde licet dicere, philoſophiæ alios nomen uſurpaſſe, nos uitam. Etenim qualia ab his dari poſſunt pręcepta uiuendi? Cauſam neſciunt: ignorantes enim Deum, & ſtatim ab exordio iuſticiæ declinantes, conſequenti in cætera feruntur errore. Sic ſit poſtea, ut ſtudiorum talium finis ſit uanitas. in epiſtola paræneticа.

Syneſius inquit: Etenim ſi non philoſophiam dicerem ſufficere ad erigendas ciuitates, redargueret me Cyrene: multo itaque accuratius ſita, quàm Ponticæ ciuitates. Verùm dicere poſſem, philoſophiam & Rhetorica & quauis arte ac ſcientia, ut quæ omnibus præſtet, magis reddere ſui ſtudioſum, & priuato & domui ciuitatiq; utiliorẽ. At non per ſe ſufficit, ut bonũ aliquod hominib. faciat. Sic enim res habet, optime Pylęmenes, honeſta ſtudia potẽtiæ quædã ſunt, facultatesq; animi: & ſolùm ipſum quod in uſu eſt, poteſt adferre utilitatem. epiſtola 103.

Paulinus ait: Quia uidelicet in hoc omnis ars philoſophorum laborat, ut adſertione fictorum lucem ueritatis obſcuret, & inaniũ contentionũ laqueis ſolicitatas à uero mentes implicet, & ingenij fraude decipiat, & furco ſermonis inducat. in epiſt. 1. ad Amandũ.

De erroribus philoſophorum ſic inquit Chryſoſtomus: In Corintho multi philoſophi erant, qui cum per cætera diſſecti interſe undiq; eſſent, in hoc planè uelut uno ore conſpirabant, reſurrectionem non eſſe. in 16 caput 1. ad Corinthios, homilia 39.

DE ASTROLOGIA ET *Geneſibus.*

VEhementer impugnat & taxat aſtrologiã Auguſtinus lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 1: Illi uerò poſitionem ſtellarum, quodammodo decernentium qualis quiſq; ſit, & quid ei proueniat boni, quid ue mali accidat, ex Dei uoluntate ſuſpendunt: ſi ealdẽ ſtellas putant habere hanc poteſtatem, traditã ſibi à ſumma illius poteſtate, ut uolentes iſta diſcernant, magno cœlo faciunt iniuriam: in cuius uelut clariſsimo ſenatu, ac ſplendidiſsima curia, opinãtur ſcelera facienda decerni, qualia ſi aliqua terrena ciuitas decreuiſſet, genere humano decernẽtẽ fuerat euertẽda. Quale deinde iudiciũ de hominũ factis Deo relinquitur, quib. cœleſtis neceſsitas adhibetur, cũ Dñs ille ſit & ſiderũ & hominũ? Aut ſi nõ dicũt ſtellas, accepta quidẽ poteſtate à ſummo Deo, arbitrio ſuo iſta decer-

decernere, sed in talib. necessitatibus ingerendis, illius omninò iussa complere: ita ne de ipso Deo sentiendum est, quod indignissimũ uisum est de stellarũ uoluntate sentire? Quòd si dicũtur stellæ significare potius ista quàm facere, ut quasi locutio quædã sit illa positio, prædicens futura, non agens (non enim mediocriter doctorum hominum fuit ista sententia) non quidem ita solent loqui Mathematici, ut (uerbi gratia) dicant, Mars ita positus homicidam significat, sed homicidam non facit. Ibidem cap.7: Iam illud quis ferat, quòd in eligendis diebus noua quædam suis actibus fata moliuntur? Non erat uidelicet ille ita natus, ut haberet admirabilem filium, sed ita potius ut cõtemptibi lem gigneret: & ideo uir doctus elegit horã, qua misceretur uxori. Fecit ergo fatũ quod non habebat, sed ex ipsius fato cœpit esse fatale, quod in eius natiuitate non fuerat. O' stulticiam singularem. Eligitur dies ut ducatur uxor: credo propterea, quia potest in diẽ non bonum, nisi eligatur, incurri, & infeliciter duci. Vbi est ergo, quod nascenti iam sidera decreuerunt? An potest homo, quod ei iam constitutum est, diei electione mutare: & quod ipse in eligendo die constituerit, nõ poterit ab alia potestate mutari? Deinde si soli homines, nõ autem omnia quæ sub cœlo sunt, cõstellationibus subiacent: cur alios eligunt dies accommodatos ponendis uitibus uel arboribus uel segetibus, alios dies pecoribus uel domandis, uel admittendis maribus, quibus equarum uel boum fœtentur armenta, & cætera huiusmodi? Si autem propterea ualent ad has res dies electi, quia terrenis omnibus corporibus, siue animantibus siue non animantibus, secundũ diuersitates temporalium momentorum & siderum positio dominatur: considerent quàm innumeralia sub uno temporis puncto uel nascantur uel oriantur, uel inchoentur, & tã diuersos exitus habeant, ut istas obseruationes cuiuis puero ridendas esse persuadeant. Quis est enim tam excors, ut audeat dicere, omnes arbores, omnes herbas, omnes bestias, serpentes, aues, pisces, uermiculos, momenta nascendi singillatim habere diuersa? Solent tamen homines ad tentandam peritiam Mathematicorũ, afferre ad eos cõstellationes mutorum animalium, quorũ ortus propter hanc explorationem domi suæ diligenter obseruant: eosq; Mathematicos præferunt cæteris, qui constellationibus his inspectis dicunt nõ esse hominẽ natũ, sed pec'. Audent etiam dicere quale pecus, utrum aptum lanificio, an uectationi, an aratro, an custodiæ domus. Nam & ad canina fata tentantur, & cum magnis admirantium clamoribus ista respondent. Sic desipiunt homines, ut existimẽt, cum homo nascitur, & cæteros rerũ ortus ita inhiberi, ut cum illo sub eadem cœli plaga nec musca nascatur. Nam si hãc admiserint, procedit ratiocinatio, quæ gradatim accessib. modicis eos à muscis ad camelos elephantosq; perducat. Nec illud uolunt aduertere, quòd electo ad seminandum agrum die, tam multa grana in terra simul ueniunt, simul germinant, & exorta segete simul herbescunt, pubescunt, flauescũt: & tamen inde spicas cæteris coæuas, atque (ut ita dixerim) congerminales, alias rubigo interimit, alias aues depopulantur, alias homines auellunt. Quomodo istis alias cõstellationes fuisse dicturi sunt, quas tam diuersos exitus habere conspiciunt? An eos pœnitebit his rebus dies eligere, easque ad cœleste negabunt pertinere decretum, & solos sideribus subdent homines, quibus solis in terra Deus dedit liberas uoluntates? His omnibus consideratis, non immeritò creditur, cũ Astrologi mirabiliter multa uera respondeant, & occulto instinctu fieri spirituũ non bonorum, quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus, atq; firmare, non horoscopi notati & inspecti aliqua arte, quæ nulla est. Item lib.2. de doctrina Christiana, cap.21: Neq; illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui Genethliaci propter natalium dierum considerationes, nunc autem uulgò Mathematici uocantur. Nam & ipsi quamuis ueram stellarũ positionem, cum quisq; nascitur, cõsectentur, & aliquando etiam perueștigent: tamẽ quod inde conantur uel actiones nostras uel actionum euenta prædicere, nimis errant, & uendunt imperitis hominibus miserabilem seruitutem. Nam quisq; liber cum ad huiusmodi Mathematicum ingressus fuerit, dat pecuniã ut seruus inde exeat, aut Martis aut Veneris, uel potius omnium siderum, quibus illi qui primò errauerunt, erroremq; posteris propinauerunt, uel bestiarum propter similitudinem, uel hominum, ad ipsos homines honorandos, imposuerũt uocabula. Sed quomodolibet uocẽtur ab hominibus planetæ, sunt tamẽ sidera quę Deus instituit & ordinauit ut uoluit: & est certus motus illorum, quo tempora distinguuntur atque uariantur: quem motum notare, cum quisq; nascitur, quomodo se habeat, facile est per eorum inuentas cõscriptasq; regulas. quod sancta Scriptura cõdemnat, dicens: Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare seculum, quomodo eius Dominum non facilius inuenerunt? Ibidem cap.22: Sed ex ea notatione uelle nascentiũ mores, actus, euenta prædicere, magnus error & magna dementia est. Et apud eos quidem qui talia

dediſcendo didicerunt, ſine ulla dubitatione refellitur hæc ſuperſtitio. Cõſtellationes enim, quas uocant, notatio eſt ſiderum, quo modo ſe habeãt cum ille naſceretur, de quo iſti miſeri à miſerioribus conſuluntur. Quare iſtæ quoq; opiniones quibuſdam rerum ſignis humana præſumptione inſtitutis, ad eadem illa quaſi quædam cum dæmonibus pacta & conuenta referendæ ſunt. Ibidem cap. 23: Hinc enim fit, ut occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudẽdi & decipiendi pro meritis uoluntatum ſuarum, illudentibus eos atq; decipientibus preuaricatoribus angelis, quibus iſta pars mundi infima ſecundum pulcherrimum ordinem rerum, diuinę ꝓuidentiæ lege ſubiecta eſt. Quibus illuſionibus & deceptionibus euenit, ut iſtis ſuperſtitioſis & pernicioſis diuinationũ generib⁹, multa præterita & futura dicãtur, nec aliter accidant quàm dicuntur, multaq; obſeruantibus ſecundũ obſeruationes ſuas eueniant, quibus implicati curioſiores fiant, & ſeſe magis magisq́ue inſerant multiplicibus laqueis ꝓnicioſiſsimi erroris. Hoc genus fornicationis animę, ſalubriter diuina Scriptura non tacuit. neq; ab ea ſic deterruit animã, ut propterea talia negaret eſſe ſectãda, quia falſa dicuntur à profeſſoribꝰ. eorũ: ſed, etiãſi dixerint uobis (inquit) & ita euenerit, ne credatis eis. Nõ enim quia imago Samuelis mortui, Sauli regi uera prænunciauit, propterea talia ſacrilegia, quibus imago illa præſentanea eſt, minus execranda ſunt: aut quia in actibus Apoſtolorum uentriloqua fœmina uerum teſtimonium perhibuit Apoſtolis Domini, ideo Paulus apoſtolus pepercit illi ſpiritui, ac non potius fœminam illius dęmonij correptione atq; excluſione mundauit. Omnes igitur artes huiuſmodi uel nugatoriæ uel noxiæ ſuperſtitionis, ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacto infidelis & doloſæ amicitiæ, cõſtituta, penitus ſunt repudianda & fugienda Chriſtiano: non quòd idolum ſit aliquid, ut ait Apoſtolus: ſed quia quæ immolant, dæmonijs immolant, & non Deo, nolo aũt uos ſocios fieri dæmoniorum. In omnibus ergo iſtis doctrinis, ſocietas dæmonũ formidãda atq; euitanda eſt, qui nihil cum principe ſuo diabolo, niſi reditum noſtrum claudere atq; obſerare conantur. Sicut aũt de ſtellis, quas condidit & ordinauit Deus, humanæ & deceptoriæ coniecturæ ab hominibus inſtitutæ ſunt: ſic etiam de quibuſdã naſcentibus, uel quomodolibet diuinæ prouidentiæ adminiſtratione exiſtẽtibus rebus, multi multa humanis ſuſpicionibus, quaſi regulariter cõiectata literis mandauerũt, ſi fortè inſolitè acciderint: ueluti ſi mula pariat, aut fulmine aliquid percutiatur. Itẽ lib. 2. de Geneſi ad literã, cap. 17: De fatis aũt ſiderũ qualeslibet eorum anguſtias, & quaſi de matheſi documentorũ experimentũ, quæ illi apoteleſmata uocant, omnino à noſtræ fidei ſanitate reſpuamus. Talib. enim diſputationibus etiã orandi cauſas nobis auferre conantur, & impia peruerſitate in malis factis quæ rectiſſimè reprehenduntur, ingerunt ad cauſandũ potius Deũ autorẽ ſiderum, quàm hominũ ſcelera. Sed quòd animę noſtrę non ſunt naturà corporibus, nec quidẽ cœleſtibus ſubditę, audiãt & philoſophos ſuos. Quia uerò terrenis corporibus illa corpora ſuperiora, non ad ea quæ ipſi tractant potentiora ſunt, ut hinc aliquando cognoſcãt: quia cũ multa corpora diuerſorũ generũ, uel animantium, uel herbarũ & arbuſtorũ, uno ſimul puncto temporis ſeminentur, unoq; puncto tẽporis innumerabiliter multa naſcantur, non tamẽ diuerſis, ſed etiã ijſdẽ terrarũ locis, tãtæ ſunt uarietates in ꝓgreſſibus, in actib. & paſſionibus eorũ, ut uerè iſti, ſicut dicitur, perdant ſidera, ſi iſta conſiderent. Quid aũt inſulſius & hebetius, quàm cũ iſtis reb. cõuincuntur, dicere, ad ſolos homines ſubijciendos fatalẽ ſtellarũ pertinere rationẽ: in quibus tamen etiã ipſi de geminis conuincũtur, quorũ diuerſè uiuentiũ, diuerſè feliciũ uel infeliciũ, diuerſeq; morientiũ, eaſdẽ plerunq; cõſtellationes accipiũt? Quia etſi interfuit aliquid cum de utero funderetur, in nõnullis tamen tantũ intereſt, quantum ab iſtis cõprehendi computatione nõ poſſet. Manus ſequentis Iacob, dum naſcerentur, inuenta eſt pedem præcedẽtis fratris tenens: uſqueadeò ſic nati ſunt, quaſi unus infans in duplũ prolixior naſci uideretur. Horũ certè conſtellationes, quas appellãt, nullo modo diſpares eſſe potuerunt. Quid ergo uanius, quàm ut illas cõſtellationes intuens Mathematicus, ad eundem horoſcopũ, & ad eandẽ lunã, diceret tu-num eorũ à matre dilectũ, alterũ nõ dilectũ? ſi enim aliud diceret, falſum profectò diceret. Si aũt hoc diceret, uerũ quidem, ſed non ſecundũ ſuorum librorum ineptas cantiunculas diceret. Quòd ſi huic hiſtoriæ, quia de noſtris profertur, nolunt credere, nunquid & naturã rerum delere poſſunt? Cum ergo ſe minimè falli dicant, ſi horam conceptionis inuenerint: ſaltẽ ſicut homines, non dedignentur conceptum conſiderare geminorum. Ideoq; fatendũ eſt, quando ab iſtis uera dicuntur, inſtinctu quodam occultiſsimo dici, quem neſcientes humanæ mentes patiuntur. quod cum ad decipiẽdos homines fit, ſpirituum ſeductorũ operatio eſt, quibus quædam uera de temporalibus rebus noſſe permittitur: partim quia ſubtilioris ſenſus acumine, partim quia corporibus ſubtilio-

ibus nigent, partim experientia callidiore propter magnitudinẽ uitæ, longitudinemque: partim à sanctis angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occultissimæ iusticiæ sinceritate distribuit. Aliquando autem idem nephandi spititus, etiã quæ ipsi facturi sunt, uelut diuinando prædicant. Quapropter bono Christiano, siue Mathematici, siue quilibet impiè diuinantium, maximè dicentes uera, cauendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam decetem, quæstionũ ueteris & noui Testamenti, quæstione 115: Nihil tam cõtra Christianos, quàm si arti Matheseos adhibeant curam. hæc enim inimica dignoscitur legi Dei. Si enim nascuntur qui mali sint, & econtrà qui boni sint, frustra lex data dicitur: & non solùm hæc, sed & iniust⁹ habebitur legislator. Qui enim lege data cogit homines contra id quod nati sunt facere, sciens nõ posse mutare naturam, ad hoc utique legem uidetur dedisse, ut haberet occasionem, qua crudelitatẽ suam de nece hominis satiaret. Vt quid enim prohibet, quod scit auerti non posse? Aut quemadmodũ damnat hominem, qui non fecit quod facere non potuit? si autem iniustum uidetur, ut est (quia istud de Deo sentire nefarium est) recta & salutari ratione legem dedit, sciens posse hominem continere se ab eo quod prohibet lex. Ergo quia iustè legem dedit, non est utique iniquus cum uindicat. Itaque legi Dei fides commodanda est, quia iustè probatur data: ars Matheseos euitanda & fugienda est, hanc enim astutia & subtilitas inuenit diaboli. Quia enim apertè repugnare non audet auctori, tergiuersatione id agit, ut & Deo iniuriam faciat, & hominem legi inimicum constituens, morte mulctet secunda. Ibidem: Extinguitur incendium, si desit materia per quam urat. Illis autem eueniunt quæ à Mathematicis dicuntur, qui credunt futurum quod dicunt. Illud enim agitur subtilitate dæmoniorum, ut ea efficiant quæ antistites illorum dixerunt futura, ne falsi detecti crederentur. Circa eos uerò qui responsioni illorum non commodant fidem, non prævalet effectus eorum: quia nec ipsi tantum intenti sunt, ut satisfaciant eis qui illis non credunt: neque patitur Deus facere illos, per quod seducuntur fidentes de Deo, & non credentes diabolo. Omnia enim sic Deus instituit, ut secundum uniuscuiusque fidem eueniat, ut arbitrium liberum maneat uoluntatis. ac per hoc, qui Deo credit, ad auxilium eius confugiens, nihil ei prævalere poterit. certus est enim, in potestate eius esse quæ fecit: & non audet contra eum, quem uidet, Deum communem habere propitium. Ibidem: Qua autem ratione nati dicentur, qui Mathematicos urbe Roma prohibuerunt, quod ius seruatum non ignoratur? Et certè pagani fuerunt. Quomodo fato fiunt, quæ contra fatum sunt? sed si est fatum, non facit contra se. Ibidem: Mathematicorum enim fatis credentes, fidei semen exterminant, quod & creatori & iusticiæ eius testimonium perhibet. Opus enim opificem cognoscit, & æquo iure amoreque & facto testatur. Fugiendum omnibus modis ab hac arte monemus. Curiosi enim eius, inimici Dei sunt, & sine solicitudine nunquam sunt. Semper enim suspensi expectant, quod minimè certum sciunt. Nos autem Deum, qui de Deo omnia prospera credimus, & si qua aduersa extiterint, eius nutu comprimi suppliciter oramus, securi de eius protectione: nec tamen nescij, quia etsi quid aduersum bene nobis agentibus euenerit, toleratum proficiet ad coronam. Item, de rectitudine catholicæ conuersationis: Prorsus ergo recedendum est à cunctis huiuscemodi obseruantibus: Mathematici spernendi, auguria horrenda, somnia contemnenda. quoniam, sicut Scriptura testatur, uana sunt. Vnde per Mosen præcipitur: Non augurabimini, non obseruabitis (inquit) somnia, nec ad Magos declinabitis. Oportet ergo ut hæc tota mente obseruetis: & si quos cognoscitis uel occultè aliqua phylacteria exercere, expedit ut nec cibum cum eis sumatis, nec ullum consortium cum illis habeatis.

Cyrillus contra Iulianum libro decimo: Quid enim, etiamsi uocatus ad uidendas illas, ut in tempore & opportunè dicatur, & ipsum, Sic erit semen tuum? At optimus ille absque iudicio, uisionem ad confirmationem ueritatis facere dicit: sed opinor ostendisse uolens illas stellas currere ei, ut uerba euidentiorem fidem haberent, omnia firmante & roborante cœli sententia. Valde scilicet: nihil enim nos latet futurorum, qui currentia astra & calculum cœli omnia firmantem didicimus. Vides illos habentes erroris officinas, & mendaciorum fora? ij admirantur semper astrorum cursus, & pro minimis obolis interdum cœlestia loquuntur sacramenta. mulieres autem comprehendentes, & plebeiorum mentem demulgentes, extenuant marsupia, & suffurantes paruos quæstus, suæ frigidæ uaniloquentiæ mercedem lucrantur. Quamuis, secundũ q, dicit ueritatis impugnator, sententiam cœli omnia firmanté ex astrorũ motu didicerint: sed impostores & mendaces, & nihil uerum scientes decipiantur. Quis enim nouit mentem Domini? sicut

ſcriptum eſt. Factum autem ab ipſo dicimus aſtrorum chorum, non quòd ſanctorum prophetarum dignitatẽ habeat, uel aliud quiddam præterquàm ut luceant hominibus, & ſint in temporum ſigna: nam ita teſtatur ſacra Scriptura. Itaq; fruſtra diuinat & muſitat, Abraham uſum eſſe aſtrorum uaticinio. Non enim curſum aſtrorum, ſed multitudinem ei oſtenſam eſſe didicimus. Sic enim erit, inquit, ſemen tuum.

Theodoretus inquit: Quod dicitur, IN SIGNA, non intelligimus ſecundum opinionem quorundam ſtultorum. Siquidem uanam illam de cuiuſque natiuitate diſceptationem, nec Pythagoras, nec Socrates, nec Plato, nec Stoici receperunt. Quòd ſi qui in fabulis educati ſunt, huius fabulæ impietatẽ execrantur: quis diuinis ſermonibus credens hæc non modò impia, ſed ualde etiam fatua recipiat? quæſtione 15. in Geneſin.

DE MAGIA.

DE Magia ait Iſychius: Quicunq; omina & diuinationes, & purgationes, uel dies & tempora cuſtodiunt, multo magis autem magi & uenefici, abominabiles ſunt apud Dominum. libro 2. Comment. in 7. caput Leuitici. Et: Maxima diabolici erroris & fraudis ſpecies, uentriloquorum (id eſt magorũ) eſt exquiſitio. Vnde & Paulus puellam inueniens, ſpiritum habentem Pythonis, quamuis dęmonium magna de ipſo & Sila prædicaret, & diceret: Hi homines ſerui Dei, excelſi ſunt, &c. malum tamen ſpiritum increpans, effugauit. Peſsimum eſt etiam & uenefi cis adhærere: quia dęmonum inimicorum nobis, & peſtilentium nomina dicunt. Qui etſi ad breue tempus, ut in errorem mittant, uidẽtur operari aliquid, quod ad corporalẽ ſanitatem uile & paruum, quale etiam imperiti medici operari poſſunt: ueruntamen nec hoc ut boni, neq; ut bene uolentes hominibus operantur, ſed in ſeruitutem illos redigere, & à Deo ſeparare cupientes. libro 6. Commentariorum, in 19. cap. Leuitici. Et: Non qualecunq; peccatum eſſe declinare ad magos, ſiue (ut LXX.) uẽtriloquos, uel uenehcos, prædiximus: in utroq; enim à Deo receditur, ſiue ſenſibiles Pythonicos & uenefi cos, ſiue intelligibiles dicas, id eſt eos qui nomine Dei falſa prophetant deceptores, & adulatores: qui uenefi cis ſermonibus auditus multorũ corrumpunt, ut à ueritate quidem auditus auertãt, ad fabulas & errorem conuertuntur. libro 6. Commentariorum, in 20. cap. Leuit. Item: Pythonicum eſſe, uel diuinũ, ſiue (ut LXX.) incantatorem, nimiæ iniquitatis eſt. Qui enim talis eſt, & ipſe corruptus eſt, & alios ꝓculdubio in ſua iniquitate corrumpit. lib. 6. Commentariorum, in 20. caput Leuitici.

INCLINATIO DOCTRINAE, COMPLECTENS PECVliares & incommodas opiniones, ſtipulas & errores Doctorum huius ſeculi.

DE CHRISTO.

SIC loquitur libro ſeptimo cõfeſsionum, capite 43. Auguſtinus, ut uideatur Chriſto hoc officiũ Mediatoris tantum tribuere ſecundũ humanam naturam. nam ſic ait: In quantum enim homo, in tantum Mediator: in quantum aũt uerbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & ſimul cum Spiritu ſancto unus eſt Deus. Sed tamen aliter loquitur de ouibus, capite 12: Diuinitas ſine humanitate non eſt mediatrix, humanitas ſine diuinitate non eſt mediatrix: ſed inter diuinitatem ſolam, & humanitatem ſolam, mediatrix eſt humana diuinitas, & diuina humanitas Chriſti.

Opinio & hæc eſt, quod ſcribit Salonius: Domini IESV gloria fuit celare uerbum, id eſt, ſe eſſe Dei filium: quia Dominus in carne apparuit, magis ſe hominem quàm filiũ Dei confiteri uoluit, ut diabolus eum non cognoſceret, & ita paſsione ſua genus humanum redimeret. Quoniam ſi eum diabolus cognouiſſet Dei filium eſſe, nunquã crucifixiſſet. Salonius in Prouerbia.

DE SPIRITV SANCTO.

Opinionẽ habet Auguſtinus, quaſi Spiritus ſanctus non fuerit ſignum adoptionis, in ijs qui uixerunt ante Chriſtum. Nam in quæſtionibus ueteris & noui Teſtamenti, quæſtione 122. ſic inquit: Cum prophetis ergo & iuſtis uiris ſanctum fuiſſe ſpiritum, nõ eſt ambiguum: cum prophetis propter diſpenſationem, cum iuſtis uerò cauſa ſanctitatis. ſicut legitur de ſancto Simone: Quia Spiritus ſanctus, inquit, erat cum eo: non ut ſignum eſſet adoptionis in eo, ſed meritorũ eius gratia. Nam filij Dei credẽtes tunc eſſe cœperũt, quando manifeſtatus eſt filius Dei uicta morte, cunctæ creaturæ. Si autem in Adã uel in cæteris ſic dicatur fuiſſe Spiritus ſanctus, ſicut nunc eſt in fidelibus: quę noua dona dedit Deus, quum regnum filij ſui dedicauit in nobis? Et quomodo felix & beatum tempus præ cæteris dicitur Saluatoris aduentus, ſi ea præſtitit, quæ iam fuerunt præſtita? Et ubi eſt illud quod dicit Saluator ad diſcipulos: Multi, inquit, prophetæ & iuſti cupierunt uidere quę uidetis, & audire quæ auditis, & non audierunt? Qua ratione ergo poterit dici, quòd beatitudo temporis huius nihil amplius contulit doni, quàm ueteribus

ueteribus est collatum ? Quod quidem ad iniuriam proficit Saluatoris, ut nihil habuerit nouum, quod in ortu imperij sui susciperentibus se donaret.

DE CREATIONE.

Opinio est Iunilij, quod inquit: Non est opinandum pueriliter, quòd spiritus Creator, (de quo scriptum est, Quia Spiritus Dei repleuit orbem terrarum) positione loci his quæ erant creanda superferretur: sed intelligendū potius, quia diuina uirtute præcellebat creaturis. Iunilius in Genesin. Itē: Non elementa, ut quidā disputant, informiter inuicem mixta, sed terra ipsis, quibus & nunc est, finibus undiq; uersum circumscripta. Iunilius in Genesin. Itē: Non audiendi sunt, qui reprehendētes, Deum dicunt, tenebras antè creasse quàm lucē. Iunilius in Genesin.

¶ Eucherius ait: Qui uiuit in æternū, creauit omnia simul. Eucherius in Genesin cap. 1. Iunilius inquit: Post primū diem ostendi tur, ex nō existentibus facta sola hominis anima, in quo & hoc, ad ostendendū, quia cū alia aut ex nihilo, aut ex iā factis facta sunt, solus homo ex utroq; componitur. libro 2. cap. 2. Itē: Ante reatū hominis nihil noxiū terra protulit, & nullam herbā uenenatam, & nullam arborem sterilem: cum manifestè dictum sit, quòd omnis herba & uniuersa ligna data sint hominibus, & uolatilibus terrę, omnibusque animantibus in escam: patet, quia nec ipsæ aues raptu infirmorum alitum uiuebant, & nec lupus insidias explorabat ouilia circum, & nec serpenti puluis pabulis eius erat, sed uniuersa concorditer herbis uirentibus ac fructibus uescebantur arborum. Iunilius in Genesin.

DE ANGELIS BONIS.

Opinio est Theodoreti, Deum neminem allocutum esse per angelum, usq; ad tempora integerrimi Abrahæ. quęst. 2. in Genesin.

Peculiarem opinionē & hisce uerbis exprimit Isychius, inquiens: Sanctificatione nostra superna quoque creatura participata est: quæ sancta quidem fuit & antea, sed maiorem sanctificationem adepta est per carnē Dominicam, quam sumpsit ex nobis. lib. 2. Commentariorum in 8. caput Leuitici.

Faustus inquit: Vel ille credo localis est, qui ex eo in cœlo non est, ex quo eiectus è cœlo. Si corpus nō habet, in illa deiectione quid cecidit? Et si, ut ipse dicis, ardebit, ubi autem nisi in corpore sentiet illum ignem, qui paratus est diabolo & angelis eius? Hic ergo dudum primogenitus angelorum, nūc princeps factus est tenebrarum. in libello de creaturis.

Ioannes Cassianus inquit: Ante temporale principium mundi, secundum Genesin omnes illas potestates, cœlestesq; uirtutes Deum creasse, non dubium est. quas Apostolus ordine dinumerans, ita describit: Quia in Christo creata sunt omnia, siue quæ in cœlis, siue quę in terra sunt, uisibilia & inuisibilia, siue angeli, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Collatione 8. capite 7. Item: Hoc tamen nosse debemus, non omnes dæmones uniuersas inurere passiones, sed unicuique uitio certos spiritus incubare: & alios quidem immundicijs ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemijs. idem Collatione septima, cap. 17.

Quòd angeli preces offerant Deo, Augustinus ad Probam epistola 121. scribit inquiens: Aut fortè etiam innotescant angelis, qui sunt apud Deum, ut quodammodo eas offerant Deo, & de his consulant: & quod eo iubente complendū esse cognouerint, sicut oportere ibi cognouerint, hoc nobis uel euidenter uel latenter apportēt. Dixit enim angelus homini: Cum oraretis, ego obtuli orationē uestrā in conspectu claritatis Dei.

Angelos didicisse quædam ex Ioannis Baptistę concione, ait Chrysostomus: Nihil (inquit) nobis humanū, sed à Spiritus sancti profundis & abditis thesauris omnia ploquitur, quæ neque angeli, priusquam hic diceret, nouerūt. Nam & ipsi nobiscum per Ioannis uocem, & per nos didicerunt, quæ cognouimus: & quod nobiscum etiam beatus Paulus his uerbis significauit, ut innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Si igitur principatus & potestates, Cherubimq; & Seraphim hæc per Ecclesiam didicerunt: planè constat, ipsos angelos summa cum attentione eius sese auditores exhibere. Quippe idcirco non parum honoris consequimur, quòd nobiscum angeli discant quæ nesciunt. In prologo Commentarij sui in Ioannis Euangelium.

Etiam angelis crucem Christi profuisse, Sedulius ait, inquiens: Crux Christi non solùm nobis, sed & angelis profuit: & aperuit sacramentum, quod antea nesciebant. in tertio capite ad Ephesios.

Angelos non uidere Deum, hisce uerbis Chrysostomus narrat: Non modò prophetę non uiderunt id quod Deus est, sed neq; angeli, neque archangeli: sed si eos percontaberis, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantū referētes, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Si Cherubin & Seraphin sanctificationis laudem audies, plenū esse cœlū & terram gloria eius: si supernas uirtutes, tibi itē respondebunt: sibi unum opus esse, ut Deum laudēt. Quod autem dicitur Matthæi 18. Angeli eorum semper uident faciem patris mei qui in cœ-

in cœlis est: de cogitatione & imaginatione eorum perpetua de Deo, intelligendum est. Nam propter puram ipsorum, & nullo somno obnoxiam naturã, nihil aliud quàm Deũ semper mente agitãt. hom.14.in 1.cap.Ioan.

DE MALIS ANGELIS.

De malis angelis eam opinionem profert Maximus: Cum ergo uideret inimicus, Dei filium tanta per miracula procreatũ, uoluebat secum, ut arbitror, & admirans dicebat: Quis est iste, qui nesciente me hũc ingressus est mundum? Noui quidem quia de fœmina natus est, sed nescio unde cõceptus. Astat ecce mater, sed patrem inuestigare non possum. in homilia prima de ieiunio.

DE HOMINE.

Opinio Augustini est, animam non esse ex traduce, libro Quæstionum ueteris & noui Testamenti, quęstione 22: Inhonestũ puto, si dicantur animę cum corporibus generari, ut anima nascatur ex anima, quod nec animæ ipsi competit: aut si certè singulæ cœlestes potestates factæ sunt, & ex ipsis cæteræ natæ sunt, potest ex una Adæ anima credibile uideri cæteros nasci. Sed non conuenit: quia soli Deo hoc possibile fuit, ut simplex generaret, nec cæteris concederetur.

Item: Si Adam non peccasset, utrum necesse habuisset mori? Respõdet Augustinus: Si non peccasset, non erat expoliandus corpore, sed superuestiendus immortalitate & incorruptione, ut absorberetur mortale in uita: id est, ab animali in spiritale transiret. libro primo de peccatorum meritis & remissione, capite primo.

Synesius inquit: Ac mihi pręclarè dictum uidetur, Ludibriũ esse Dei hominem: cum semper ludat ille in rebus horum, & quasi aleatoriam faciat. libro secundo de Prouidẽtia. Item: Nullum est impedimentum animabus mutuò se cupientibus, quin arcanis congressibus conueniant, seq; mutuò complectantur. Synesius epistola 140. Item: Medicorũ ars, ut non moriatur homo, quãdo hoc naturæ est, nunquam prohibet: moram tamen aliquam adfert fato. Synesius epistola 73. Faustus disputat, Animam esse corpus, in libello de creaturis.

DE PECCATO ORIGINALI.

De peccato originali, quod ad Mariam attinet, Augustinus scribit: Excepta sancta uirgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere uolo quæstionẽ. Vnde enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit, ad uincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac párere meruit, quem constat nullũ habuisse peccatum? Hac ergo uirgine excepta, si omnes sanctas & sanctos congregare possemus, & interrogare utrũ essent sine peccato, sine dubio respõsuri essent: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, &c. in libro de natura & gratia, contra Pelagianos, capite trigesimosexto.

DE LIBERO ARBITRIO.

Sicut prioribus aliquot seculis doctrina de libero arbitrio deprauata est Philosophicis quibusdam cogitationibus: ita hoc etiã, non pauci doctores, synergiam uoluntatis humanę nondum renatæ in conuersione ad Deum asseruerunt. Etiamsi autem interdũ bene & sanè uidentur loqui, tamen tandem liberum arbitrium in rebus etiam spiritualibus in ipsa conuersione statuunt. Chrysostomus passim liberi arbitrij patronũ agit. In caput 2. ad Philippenses, sermone 8. inquit: Tu bono sis animo: Deus enim est qui operatur in uobis. Si ergo ipse inoperatur, oportet ut nos uoluntatem exhibeamus simul applaudentẽ, complectentem, & minimè effusam: si uerò uoluntatem in nobis ipse operatur, quomodo nos adhortaris? Etenim si ut uelimus ipse facit, frustra nobis dicis, Obedite: non enim obedimus. Frustra dicis, In timore ac tremore: nam totum Dei est. Non ad hoc dixi, Deum esse operantem in nobis, & ut uelitis & ut operemini: sed, ut solicitudinem uestram reuelarem. Si uolueris, tunc operabitur uoluntatem: & promptitudinem ipse nobis dat, & operandi efficaciam. Quando enim uoluerimus, uoluntatem nostram postea adauget: utpote, Volo boni quiddam operari, bonum istud ipse operatur, & per ipsum etiam uolũtatem. Aut ex multa pietate hoc dicit, ut & facit, quando rectè facta nostra dona esse Dei dicit. Quemadmodum igitur cum ea dona Dei dicit, non eijcit nos ex libero arbitrio, sed permittit in nobis liberum arbitrium: ita quando dicit, Operatur in uobis ut uelitis, non aufert à nobis arbitrij libertatem: sed ostendit, quòd à rectè faciẽdo multã, ut uelimus, promptitudinem accipiamus. ut enim ex opere nascitur opus, ita ex ocio trahitur ociũ. Quamuis paulo pòst commodiorem sententiam subijciat. Vult enim nos, inquit, iuxta uoluntatem suam uiuere. Si uerò uult: agit ergo nos ad hoc, imò ipse istud OMNINO operabitur. Et homilia nona in primum caput Ioannis inquit: Deus unumquemq; bonum esse uult, neminem tamen cogit. Suadet autem ut rectè faciamus, quicunque ipsi adsentiuntur, & allicit & trahit. Nullum enim seruorum Deus uult inuitum, nullum coactum: sed eos tantum, qui sponte sua ipsum optant, ipsum amplectũtur, & gratiam se ei seruitutis habere intelligunt. Deus aũt cum nullius indigeat, nostræ duntaxat salutis gratia omnia operatur, nosq; ipsos nostri arbitri

arbitrij & iuris esse liberè permittit. Idcirco cogit neminem, ad nostram tantummodo spectat utilitatem. Item: Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Ioannis sexto. Hoc, inquit Chrysosto mus, non tollit nostrum arbitrium, sed diuino egêre auxilio ostendit, & nõ inuitum, sed omni conatu uenire contendentẽ. Chrysostomus homilia 45. in 6. cap. Ioan. Item: In nostra potestate est, filios Dei fieri. Quippe nisi primùm ad eam accipiendam promptum animum exhibeamus, neque diuinũ ad nos munus accedit, neq; quicquã in nobis operatur. Vbiq; igitur non uiolentum, non coactum, sed uoluntarium penitus, & liberum nobis ostẽdit arbitrium. quod hoc in loco Ioãnes significauit, his uerbis: Quot quot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. in 9. homilia. Itẽ: Non ui & necessitate quadam Deus bonos facere cõsueuit, neq; electio eius uiolenta est, sed suasoria. Vt intelligas, inquit, non cogi uocationem, multos uocatos perire continget. Quãobrem constat, in nostro esse arbitrio, an salui uemur, an perdamur. Chrysostomus homilia 46. in 6. caput Ioannis. Item, de prodictione Iudę: Quoniam bona atq; mala in nostra Deus posuit potestate, electionis liberũ donauit arbitrium: & nos inuitos non retinet, sed uolentes amplectitur.

Augustinus, etsi uelis remisq; (quod dicitur) omnibus contendit, hominẽ nihil posse in spiritualibus cooperari, nisi prius uoluntas & facultas data atq; accẽsa sit: tamen interdum, & quidem rarius, incommodè loquitur. Vt libro primo ad Simplicianũ, quęstione secunda ait: Aliter Deus præstat ut uelimus, aliter præstat q uoluerimus. Vt uelimus enim, & suum esse uoluit, & nostrum: suum uocando, nostrum sequendo. Quod aũt uoluerimus, solus præstat: id est, posse bene agere, & semper beatè uiuere. Item in solutionibus Quæstionum, quæstione 1: Neq; enim uoluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur: sed ideo iuuatur, quia non tollitur. Quid enim Deo dicit, Adiutor meus esto? Confitetur se uelle implere quod iussit, sed ab eo qui iusserit adiutorium poscere, ut possit, &c. Item, de spiritu & litera capite 33: His ergo modis quando Deus agit cũ anima rationali, ut ei credat (neq; enim credere potest quolibet arbitrio, si nulla sit suasio uel uocatio cui credat) profectò & ipsum uelle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos. consentire autem uocationi Dei, uel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ uoluntatis est. Quæ res non solùm non infirmat quod dictum est: Quid enim habes quod non accepisti? uerumetiam confirmat. Accipere quippe & habere anima nõ potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo. ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est: accipere autem, & habere, utiq; accipientis & habentis est. Sed aliàs sese declarat cõmodius & rectius.

Cyrillus uerò nimium tribuit libero arbitrio. nam libro quarto, capite trigesimo in Ioannem inquit: Liberum enim homo animal est, & potest siue dexterum siue sinistrũ uelit iter (uirtutẽ dico, aut uitium) eligere. Item: Humana mens potestatem sortita est, quæ facienda uel non, & permissa est uoluntarijs impetibus ad quodlibet ire. Vnde optimo artifici etiam hoc gloriam affert. Voluntaria enim operandi facultate conueniebat rationalem creaturam insigniri, & electionis liberæ declarari fructum, in bonis operibus dexteritatem. Cyrillus libro tertio contra Iulianum. Item: Genus humanum factum est sui iuris, & liberum, & suæ uoluntatis, momento transiens ad potestatem: quantumq; uellet, faciẽdi siue bonum siue malum. Cyrillus libro octauo contra Iulianum. Quædam uerò dicta huius autoris, si de libero arbitrio ante lapsum intelligantur, nihil habent incommodi.

Sic & Theodoretus, qui ait: Homines cũ sint libero arbitrio prædíti, hi quidem Dei cultum præferunt, illi uerò contraria uia ingrediuntur, & finem uitæ suæ conuenientẽ assequuntur. in epistolam ad Romanos, cap. tertio. Item: Hoc dicis, te non uiuere sub lege, & te esse tui iuris, & in tua potestate, & habere liberum eligendi arbitrium. Sed non semper tibi conducit tua uti potestate. Quãdo enim turpe aliquid & inhonestum perpetraueris, libertate priuaberis, & peccati seruus efficieris. Theodoretus in epistolam priorem ad Corinthios, 2. cap. Itẽ: Cum humana natura arbitrij libertatem habeat, Qui crediderint, saluabuntur: qui uerò non crediderint, gehennæ sibi fiunt authores. Theodoretus quæstione 12 in Exodum.

Eôdem & Hsychius inclinat, dicens: Credere, & proponere bona, nostrum est, siue incipere ea: operibus aũt perficere, & ad finem perducere ea quæ cœpta sunt, hoc diuinæ est gratiæ. Propter quod dixit Paulus: Non uolentis, &c. libro 2. Commentariorũ in 7. caput Leuitici. Item: Duo ueram nobis procurant uirtutem: intentio nostra & diuinus nutus siue gratia. & subtegmẽ quidem innuit nostram intentionem, tamen autem Dei nutum. & rectè: quia tamen est in uestimento firmius, quomodo & Dei nutus siue gratia indisruptibilis in nobis atque incommutabilis perstat, sustinens subtegmen nostræ intentionis, ut perficiatur bonæ actionis uestimentũ. lib. 4. Cõm. in Leuit. 3.

Thalasius

Thalasius ait: Potestas tibi data est ad utrumuis declinandi. Sis ergo meliori subditus, & deteriorem tibi subijcito. Hecatontade 4. Theodolus inquit: Nam si conaris bonum operari quantum in te est, spiritus pariter tui curam geret: si uerò negligis, tu simul negligêris. cap. 8. ad Romanos. Et: Vnde igitur alij quidem uasa iræ, alij uerò uasa misericordiæ? à propria uidelicet deliberatione ac uoluntate. Theodolus capite nono ad Romanos.

Faustus inquit: Si Christum Deum & hominem credas, perinde est, ac si gratiam cũ labore coniungas, & ab adiutorio Dei conatum hominis non repellas. libro primo de libero arbitrio.

Marcus heremita: In nobis situm est, pro uirili bonum facere, aut non facere. lib. 2.

Ioannes Cassianus inquit: Manet in nobis liberum arbitrium, & in nobis stat nostræ correctionis industria, ut cogitationum qualitas emẽdetur, & uel sanctæ ac spirituales oriantur in nobis, uel terrenæ carnalesq; decrescant. Collatione prima, capite decimoseptimo. Et: Nos arbitrium hominis nolumus submouere, sed huic adiutorium & gratiam Dei per singulos dies ac momenta necessariam comprobare. idẽ Collatione tertia, capite uigesimosecundo.

DE LEGE.

Opinio est, quòd Sedulus inquit: Paulus ostendit aliud esse non custodire legem, aliud præuaricari legẽ. nam & Paulus ipse nõ semper legem custodit, nunquam tamen præuaricator est legis. Custodit ergo legem is, qui secundum literam custodit. Et is præuaricatur eam, qui spiritualem eius non tenet sensum. In epistolam ad Romanos, capite secundo.

De lege inquit Theodulus: Non eadem in nouo Testamento mandata, quæ ueteribus legis tempore iungebãtur: uerùm communia noua præcepta, sapientiamq; maiorẽ complexa, Christus nobis dedit, perinde ac dicat, ut inseruiamus à spiritu profectis mãdatis. Nam ueteribus iniunctum erat, non occidere: nobis, ne irasci quidem. illis porrò, nõ mœchari: nobis autem, ne uisu curiosos esse. capite septimo.

Eucherius ait: Obseruatione præceptorum ad uitam uenitur. In Cõmentarijs in libros Regum, libro tertio. Item: Illi qui in lege Domini immaculati ambulauerunt, & qui gratiam Euangelij perfectè susceperant, pariter æterna uita perfruuntur. In Cõmentarijs in libros Regum, libro tertio.

Nimium etiam Ioãnes Cassianus tribuit homini post lapsum, inquiens: Deus nos ita nasci præcipit, ut ab ipsis cunabulis gratia nobis legisq; suę noticia infunderetur. Collatione prima, capite decimoquinto.

Paulinus ait: Qui nec ea quæ debemus facere possumus, cum & supra debitum legis aliquod uoluntarium munus adijcere debeamus de affectu nostro. in epistola prima ad Victricium.

DE IVSTIFICATIONE.

Operibus in iustificatione & acceptatione hominis coram Deo, etiam nimium tribuunt huius seculi doctores pleriq;. Interdum quidem satis cõmodè loquuntur: interdum uerò quasi obliti sui, in opera toto impetu delabũtur. De pluribus uijs seu modis iustificationis, Chrysostomus inquit homilia sexta, in caput primum Ioannis: Primùm errata tua in Deum confiteare, ut iustificeris. Et iterum: Dixi, pronunciabo aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Neque enim parum nobis confert ad magnitudinẽ peccatorum imminuendam, frequens eorũ memoria & accusatio. Est & alia operosior, ut nemini qui nos offendit succenseamus, sed iniurias omnes magno & generoso animo obliuioni mandemus. Vis & tertiam? audi Danielem: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Accedit & alia, iugis scilicet oratio, et in deprecationibus ad Deum, cum puritate, perseuerantia, quæ nõ paruá nobis affert consolationem, & à peccatis nos abluit. Iemunium ad hæc cum proximi charitate, maiorem in modum diuinam in nos iram extinguit. Ignem namq; ardentem extinguit aqua, & eelemosynis purgantur peccata. Item: Amplectamur iusticiam, cuius legem nullo pacto transgrediamur. Quem enim ex præsenti uita fructũ reportabimus, nisi hinc uirtute prædíti migrauerimus? Quid illic amicitiæ, quid necessitudines, quid clarorũ uirorum gratia nobis proderit? Et quid ego cuiuspiam gratiam memoro? Si Noe, si Iob, si Daniel nobis pater esset, nihil conferrent, si proprijs meritis uacui reperiemur: sed sola animæ uirtute opus est. ipsa nos saluos facere, & sempiterno igni liberare sola potest. homilia quadragesimaoctaua, in septimum caput Ioannis. Item homilia quinta in primũ caput Matthæi inquit: Vnusquisq; nostrũm nulla in re alia spem suam, nisi posset Dei misericordiam in morum sanctitate cõstituat. Sic inquit in primũ caput ad Ephesios, sermone primo: Gratia neq; ex laboribus, sed ex dilectione est: imò neque ex dilectione solùm, sed ex nostra quoque uirtute. Nam si esset ex sola dilectione, oporteret omnes saluari. Rursus, si ex sola nostra uirtute esset, superfluus fuisset & Christi aduentus, & quæcunq; per illum dispensata sunt. Itaq;

traq; neq; ex sola dilectione, neq; ex sola nostra uirtute est, sed ex utrisque. Elegit enim nos, inquit: eligens uerò, nouit quid eligat. (in dilectione, inquit, prædestinãs nos:) sed neminem utiq; sua uirtus saluauit, dilectione Dei non existente.

In dicto ad Romanos tertio, Iustificati gratis, Augustinus nihil aliud uult intelligi in Gratis, nisi quia iustificationem opera non præcedunt: de spiritu & litera, capite 25.

Cyrillus etiam contendit, non solam fidẽ ad salutem sufficere, sed fidẽ & opera. Nam sic scribit libro decimo, capite decimo octauo in Ioannem: Quòd autem fides ad salutẽ non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit scribens: Tu credis, quia unus Deus est: dæmonia etiam credunt, & cohorrescunt. Si ergo fides sola sufficeret, multitudo dæmonum perire non posset. Quare oportet ad fidem opera charitatis accedere.

Leo inquit: Recta fide & bonis operibus peruenitur ad regnum Dei. Sermone tertio, de Epiphania.

Prosper ait: Nec opera sine fide, nec fides sola sine operibus iustificat. libro primo de uita contemplatiua, capite 19.

Eandem sententiam & Hychius habet. nam inquit: Christus factus est nobis propitiatio in sanguine suo, sicut à beato Paulo Romanis capite tertio scriptum est: Per quẽ in tantũ peccata remissa sunt, quatenus ipsi quoque remissionem mererentur, qui in eo peccauerunt. de ipsis quippe dixerat: Pater ignosce illis, nesciunt, &c. libro primo Cõmentariorum in caput 4. Leuitici. Item: Per hoc (scilicet quòd quis se offert ad contemplandũ Deum, & ad perscrutationẽ legis eius, totamq; mentem suam consecratur cœlesti conuersationi, à terrenis rebus plenissimè cohibens se) ei peccatorum remissio & iustificatio procuratur. libro 1. Commentariorum in 5. caput Leuitici.

Sedulius inquit: Iustificat Christus eos tantummodo, qui nouam uitam exemplo resurrectionis ipsius susceperunt, & uetusta iniustitiæ atq; iniquitatis indumenta uelut causam mortis abijciunt. in epistolam ad Romanos, capite 4. Item: Omnis iusticia fide & charitate constat, quam loricæ alibi comparauit. in 5. caput ad Philippenses.

Primasius inquit: Quæritur, utrum sola fides sufficiat Christiano: Fides sufficit, ut primo credentem & iustum efficiat, si deinceps in iustificatione permaneat: cæterũ sine operibus mortua est, sed fidei operibus, non legis. in 2 caput ad Galatas. Et: Non ergo sola ad uitam sufficit fides, ut lacinios a legis præcepta uno dilectionis capitulo concludantur. in 4. caput ad Galatas. Item: Magna quidẽ res & salutaris est fides, quoniam sine hac non est saluari alicui possibile: sicut scriptũ est, Sine fide impossibile est placere Deo. sed ad salutem nõ sufficit sola fides. necessarium est enim operari per dilectionem fidei. in caput 3. ad Hebræos.

Theodulus inquit: Si digna Dei mansuetudine peregeris: non enim fide tibi, inquit, sola opus est. capite 10 ad Romanos. Item: Qualis autẽ est iusticia? dixerit aliquis. aut quomodo à Deo est tradita? per fidem, inquit, IESV CHRISTI. Atq; ut ne nouũ quiddam audire uideãtur, si omnino eos seruari, æternumq; beari liceat, citra ullam ipsorum additionem, contributionem uel operationem: demonstrat, quòd ipsum credere sit cõtribuere. Animæ namq; fortitudine ipsum credere indiget. Hinc & ait, Per fidem: innuens, per eam uos etiam adijcere uel contribuere quicquam. capite 3 ad Romanos.

Fidem non rectè definit Saluianus, inquiens: Quid est igitur credulitas, aut fides? opinor hominem fideliter Christo credere, id est fidelẽ Deo esse: hoc est, fideliter Dei mandata seruare. in 3 libro de prouidentia Dei. Hæc sit hominis Christiani fides, fideliter Christi mãdata seruare. lib. 4. de Prouidẽtia.

DE BONIS OPERIBVS.

Nimium hæc ætas bonis hominum operibus adscripsit: idque ex deprauato articulo iustificationis emanat. Chrysostomus immodicus encomiastes est operum humanorum. Sic enim inquit: Nostris ipsorum operibus salutem cõsequi totis uiribus adnitamur, ne spe nostra frustrati, tum demum intelligamus, cum nulla nobis pœnitentiæ erit utilitas. homilia 20. in 2. caput Ioannis. Item: Sola animæ uirtute opus est: ipsa nos saluos facere, & sempiterno igni liberare sola poterit: ipsa nos ad cœlorum regnũ transmittet. homilia 48. in 7. caput Ioãnis. Itẽ: Nunquid satis est ad uitam æternam, in filiũ credere? Minimè. Non enim omnis, inquit, qui dicit mihi Domine domine, intrabit regnum cœlorum. Et peccatum in spiritũ uel solum est satis, quod in gehẽnam detrudat. Et quid de patre loquar? Nam si in patrem, filium, & spiritum sanctum rectè credideris, non autem rectè uixeris, nulla tibi ad salutẽ utilitas. Cum ergo dicit: Ipsa est uita ęterna, ut cognoscant te solum uerum Deum: nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus namq; nobis est & uitæ & morum puritate pollere. Et licet hoc in loco dicat, Qui credit in filium habet uitam æternam: nec bona tantum, sed suppliciorum quoq; formidinẽ proponit, quòd qui incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum: non tamen dicimus, satis esse solam fidem ad salutem. quod, quæ de uita sæpe in Euangelijs dicuntur, ostendunt. Cur

enim nõ dixit, Ipsa est uita æterna sola: neq; Qui credit in filiũ solum, habet uitã æternã? sed in utroq; uitã esse significauit. Nam nisi mores sequatur, sequetur supplicium. Hom. 30. in 3. caput Ioãnis: & Hom. 38. in 5. cap. Iohannis. Item: Alij uigilando, in nuda humo dormiendo, carnem assiduis laboribus macerando dolent peccata: tibi faciliori uia, nemini succensendo, idem cõsequi datur. Homilia 38. in 5. caput Iohãnnis. Item, eleemosynas & oblationes, peccatoribus defunctis aliquid conferre, asserit Chrysostomus Homilia 61. in 11. caput Iohannis. Item: Mundat animam primum lauacrũ, inde aliæ multæ & uariæ uiæ, quas benignissimus Deus nobis largitus est: quarum prima est eleemosyna. Eleemosynis enim & fide purgantur peccata: eleemosynis inquam, non exiniustè quæsitis: hæc enim non eleemosyna, sed crudelitas est, & inhumanitas. Quæ enim utilitas, si alium spolies, ut alium induas? A' misericordia incipiendum est, non ab immanitate. nam si alienum damus, nihil nobis emolumenti est. Homilia 72. in 14. caput Ioannis. Item Homilia prima in primum caput Geneseos ait, opera esse nobis fulcimentum multæ fiduciæ. Item: Vnusquisq; nostrũm nulla in re alia spem suã, nisi post Dei misericordiam in morum sanctitate constituat. in primum caput Matthæi Homilia 5. Item: Si peccator, & qui sępenumero Deum offendit, moritur, is deflẽdus est, uel potius minimè, tum nihil illi afferat utilitatis: sed ea facienda quæ ei aliquid conferre possint, eleemosynas, oblationes, &c. Homilia 41. in 11. caput Iohannis. Ita & ieiunium ait esse remedium animarum, ablutionem & curationem omnium peccatorum: homilia prima in Genesin.

Augustinus etiam nimium interdum operibus tribuit. Nam inquit: Dominus præuidens nos non perfectè in omnibus adhibituros uires, quędam salubria remedia cõtra reatum & uincula peccatorum etiã post baptismum dare ac ualere dignatus est, opera scilicet misericordiæ, cum ait: Dimittite, & dimittetur uobis: date, & dabitur uobis. libro secundo, de peccatorum meritis, capite tertio. Item capite quarto: Si desiderijs concupiscentiæ carnis illicita uoluntatis inclinatione consenserimus, ad hoc sanandum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, adhibentes remedium ex opere misericordiæ, in eo quod addimus, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Item, de peccatorum meritis libro, capite 15. recitat testimonia, quibus probat, mala opera condemnare, & bona uitam æternam mereri. ut 1. Corinth. 6. Nolite errare: neq; fornicatores, &c. Et Galatis 5: Manifesta sunt opera, &c. Matth. 19. Si uis uenire ad uitam, serua, &c. Matth. 25. Ite in ignem ętternum. non increpat, nec dicit quia in eum non credidérunt, sed quia bona opera non fecerunt. Item, eos ituros in æternam combustionem ueritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declarauit.

Leo Sermone 2. de collectis inquit: Hoc remedium infirmitati humanę diuinitùs esse donatum, ut si quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemosynis deleatur. Item: Eleemosynæ peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Et paulo pòst addit: Hæc uirtus omnes facit utiles esse uirtutes, quæ ipsam quoque fidem, ex qua iustus uiuit, & quæ sine operibus mortua nominatur, sui admixtione uiuificat. Quia sicut in fide est operum ratio, ita in operibus fidei fortitudo. Sermone 5. de collectis. Item: Ad regnũ Dei recta fide & bonis operibus peruenitur. Sermone 3. de Epiphania. Item: Charitas robur fidei, fides fortitudo est charitatis. Sermone 7. de quadragesima. Item: Nihil placidius est contra diaboli dolos, quàm benignitas misericordiæ, & largitas charitatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut uincitur. Sermone 2. de Ascensione Domini. Item: Oportet unumquemq; Christianum cõscientiæ suæ habere iudicium, nec conuerti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine uitæ suæ constituat, quem periculosè ignorantia humana concludit, ut ad paucarũ horarum spacium se reseruet incertum, & cũ possit pleniori satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo uix inueniat spacium uel confessio pœnitentiæ, uel reconciliatio sacerdotis. Leo epistola 91. ad Theodorum Foroiulienſem episcopũ. Item: Mediator Dei & hominũ, homo Christus IESVS, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus satisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorũ per ianuam reconciliationis admitterent. ibidem.

Prosper sic scribit: O' quàm breue compendiosumq; sacrificium, quod intrinsecus atq; extrinsecus, totum hominem mundat. Eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. eleemosyna munus bonum, & omnibus facientibus eam coram summo Deo. Hæc est quæ perpetuos ignes extinguit, hæc est quæ resistit peccatis, hæc est quæ Christum pascit esurientem in paupere, hæc uestit nudum, hæc uisitat infirmum, hæc peregrinum hospitio accipit, hæc quæ omnẽ angustiam carceris tollit, hæc omnem inopiam finit, hæc diuitibus confert remedia, hæc

hæc uitam æternam comparat, hæc fœnerat Deum, hæc continet regnum cœlorum, hæc est quæ discernit agnos ab hœdis, hæc est quæ ad dexteram collocat iudicis, hęc angelis sociat, hæc ex seruis filios Dei fieri præstat. de promissionibus & prædictionibus Dei, capite septimo. Item: Sacrificium ex adipibus uitulorum, patriarcharum & prophetarum, caprarum pinguium arietum, Apostolorum ducum gregis, pro peccato animæ meæ, ac mundatione totius hominis mei. in hoc libro & cõfessionem noui, & in ara contriti cordis immolaui holocausta, nõ fine incenso orationum omnium sanctorũ, quibus me ab omni peccato expiari posse confido. in Epilogo libri de promissionibus & prædictionibus Dei.

Saluianus de operib. sic scribit: Quia Christiani esse dicamur, quòd opitulari nobis in ter mala quę agimus nomen bonum possit, cum Spiritus sanctus nec fidem quidem dicat hominibus Christianis sine operibus bonis prodesse: ut utiq; multo plus est habere fidem quàm nomen, quia nomen est uocabulum hominis, fides autem fructus est mẽtis: & tamen hũc ipsum fidei fructum infructuosum Apostolus sine operibus bonis esse testatur. lib. 4. de prouidentia Dei.

Maximus ita ait: Ita igitur eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lauacrũ. in Homilia de diuersis.

Salonius inquit: Verè melior est frater idiota & simplex, qui operatur bona quę nouit, unde uitam æternam mereatur in cœlis. in explicatione parabolarum Salomonis. Et: Semen boni operis, ex quo nascitur fructus iustitiæ, & merces æternæ remunerationis. in Ecclesiasten. Et: Si homo bene uiuendo locũ sibi præparauerit ad austrũ, cum ceciderit, id est mortuus fuerit, in requie paradisi, & gloria regni cœlestis permanebit in æternùm. in Ecclesiasten.

Thalassius: Diligẽs animi cura, in malorũ sustinentia & humilitate consistit. Propter eas enim Deus peccata omnia cõdonat. Hecantontade 2. Item: Quo duis peccatum uoluptate cõmittitur, remittitur aũt per malorum sustinentiam & luctum. ibidem.

Theodulus: Patientia aũt est maxima uirtus. Nemini non item perspicuum est, quòd spes & fidem & patientiam generet. cap. 8. ad Romanos. Et: Non enim fides tantũ sufficit, sed operum etiam suus est usus & commoditas. cap. 2. ad Romanos. Et: Beatitudo summitas, adeoq; finis bonorum est. Videtur quadantenus alienum esse testimoniũ. Non enim est beatus, cui fides ad iusticiam sine operibus imputatur. nam mutuũ inter se respectum habent opera & fides. Quòd si beatus est is cui peccata per gratiam dimissa sunt: ter beatus erit, quẽ per gratiã iustificauit Deus. cap. 4. ad Romanos.

Marcus heremita inquit: Ex operibus & sermonibus & cogitatione est iustificatio: ex fide autem & gratia & pœnitentia, multi salutis thesauri proueniunt.

Eucherius ait: Operib. iusticiæ ad regnũ cœleste peruenitur. in Commentarijs in libros Regum, libro tertio. Et: Non nisi per fidem & opera iusticiæ nos ad superna gaudia uitæ peruenire possumus. ibidem. Itẽ: Ea fide in fonte uitæ lauamur, ut per opera iusticiæ ad uitam intrare mereamur. ibidẽ. Item: Quicunq; utriusq; Testamenti plenitudinem custodiunt, æternæ salutis pręmiũ consequuntur, ac per legis consummationem & Euangelij plenitudinem, ad uitæ æternę transeunt beatitudinem. Eucherius in Commentarijs in libros Regum, libro 4. Item: Nemo potest uenire ad arborem uitæ, nisi per has duas res, tolerantiã scilicet molestiarum, & plenitudinem scientiæ: id est, per charitatẽ Dei & proximi. Eucherius primo libro in Genesin. Item: In his qui flagrãt ingenti amore perspicuæ ueritatis, non est improbandum studium, sed ad ordinem reuocandum, ut à fide incipiãt, & bonis moribus nitantur peruenire quò tendunt. Eucherius lib. 3. in Genesin.

Paulinus sentit, peccata expiari externis quibusdã exercitijs. quod ex his uerbis patet: Recepi igitur & hunc ad peccata mea cumulum, ut fratri cupidissimo talis sarcinæ qua eius anima grauato corpore leuaretur, præstarem quam desiderabat iniuriam. Paulinus in epistola 12. ad Seuerum.

DE ORATIONE.

Martyres, sentit Chrysost. in suis templis esse prẽsentes, perinde ut angelos. Sermone de Ascensione Domini: Ideo, inquit, dilectissimi fratres hodie conuenimus ad loca beatorum, ad sanctorũ habitacula festinamus, ut conuentus noster, ipsorum quoq; præsentia clarior redderetur. non enim in hoc theatro martyres tantum præsunt, sed & angelorum instantia locus decoratur. Nam & angeli præsunt, & si martyres uidere desideres, si angelos cupis inspicere, aperi oculos fidei, & illud tibi theatrum facilè demonstratur.

Intercessionis sanctorũ pro nobis aliquoties facit Chrysostomus mentionem. nam Homil. prima in Genesin inquit: Illic est gratia, precibus & intercessione omnium qui Deo placuerunt. Item homilia 44. in Genesin: Quando enim quod ex nobis est simul afferimus, & accedit intercessio sanctorum, plurimùm nobis confert.

Augustinus in libro de cura pro mortuis,

capite 16. ait, ipsos orare pro mortuis.

Leo inquit: Sicut autem & nos experti sumus, & nostri probauêre maiores, credimus atque confidimus inter omnes, labores istius uitæ ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos: ut quantum proprijs peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur, per Dominum nostrum IESVM Christum. Sermone primo de natiuitate Petri & Pauli. Item: Quotiescunque, fratres charissimi, sanctorum martyrum solennia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos martyres imitando, accipere mereamur æterna. in Sermone de martyribus. Item de Laurentio inquit: Cuius oratione & patrocinio adiuuari nos sine cessatione confidimus. in Sermone de sancto Laurentio.

Theodoretus ait: Qui sumus imperfectiores, integerrimis & omni uirtute præditis utimur intercessoribus, quorum opera preces nostras offerimus. quæstione prima in Leuiticum.

Paulinus ait:

Obsequio celebrare per annua carmina sanctum
Fas mihi. Dicam igitur merita, & causas meritorum,
E quibus, obtinuit cœlestum præmia laudum,
Aeternosq; dies, & magni nomen honoris.

In 5 natali Felicis. Et:

Adsere Niceta prece quod precor, & simul omnes
Qui simul huc sancta pro relligione coistis,
Deuoti Domino & gratantes dicite mecum, &c.
Sed sanctis sine fine tuis deuota ferentes
Obsequia, exiguo magnos ueneramur honore:
Sperantes illis exoratoribus, ut tu
In nobis operum ponas perfecta tuorum
Culmina, & extructis habitator mentibus adsis.

Paulinus in 9 natali Felicis. Item:

Sed tamen & nobis poterit tua gratia longum
Viuere, si nostri sis memor ad Dominum.
Namq; in te parui meritis ingentibus æui
Tempore uita breuis, sed pietate potens.
Celse iuua fratrem socia pietate laborans,
Vt uestra nobis sit locus in requie.
Viuite participes, æternùm uiuite fratres,
Et lætos dignum par habitate locos.
Innocuisq; pares meritis peccata parentum
Infantes castis uincite suffragijs.
Quot tibi Celse annis, totidem illi uita diebus
Hausta: sed ille minor, qua prior est senior.
Nam minor est, in quo uixit minus: attamen idem
Qua prior abscessit, nunc ibi te senior.
Celse tuo cum fratre, tuis quibus addimur adsta:
Nam tua de patrio sanguine uena sumus.
Cum patre pneumatio, simul & cum matre fideli,
Dices Paulinum Therasiamq; tuos.
Vt precibus commune tuis miserante habeamus
Præsidium Christo nos quoq; Celse tui.
Sed tamen & nobis supereſt operam dare, qua te
Possimus simili simplicitate sequi.
Tum nostro socij possimus uiuere Celso,
Dulcis & æternum pignoris esse pares.

Paulinus de obitu Celsi.

Petro nimiũ tribuit Leo. nam primo Sermone inquit: Qui nunc plenius & potétius ea quæ sibi commissa sunt peragit. & omnes partes officiorum atq; curarum in ipso & cũ ipso per quem est glorificatus, exequitur. Si quid itaq; à nobis rectè agitur, rectéq; disponitur, si quid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, cuius in sede sua uiuit potestas, & excellit autoritas. Sermone 2. in anniuersario die adsumptionis ad Pontificatum. Item: Quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multiq; pastores, omnes tamen propriè regat Petrus. Etin eodem sermone: Ter dixit ei Dominus, Pasce oues meas. Quod nunc quoque proculdubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationib. suis, & pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur. Sermone 3. in anniuersario die Adsumptionis. Item: Sabbato apud beatissimum apostolum Petrum uigilias celebremus, qui & orationes, & ieiunia, & eleemosynas nostras precibus dignabitur adiuuare. Serm. 1. de ieiunio decimi mensis.

Idem facit Theodoretus. nam inquit: Animæ quidem triumphatorum martyrum, in cœlesti nunc patria uitam agunt, angelorum choros inter sitæ. Eorum uerò corpora non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed ciuitates, oppida, paganiq; conuentus, hæc inter se sortitò partiti sunt, laborantibusq; animis ac ægrotis corporibus salutares eos confiteri non cessant. Nihiloq; secius urbium custodes ac locorum præsides uenerantur: quorum precibus & interuentu apud Deum utentes, per eos demum diuina munera consequuntur. Sectis itaq; eorum corporibus, integra tamen uis & gratia perseuerat: tenuesq; ac tantillæ reliquiæ toti parem habent, nullasq; in partes martyrij dissectio uirtutũ. Gratia enim quæ pollens uigensq; persistit, petentibus donat distribuit, fidei supplicantium liberalitatem suam commensa, &c. Theodoretus lib. 8. de martyribus. Item: Tanta pietate quos ad mortem periclitatos uiderant, prisci homines uenerati sunt, hodieque mortales iunecti uenerantur, ut eorum loculos opinentur esse bonorum omnium fontes uberrimos. libro nono de legibus. Item: Martyres sunt uerè hominũ duces, principes, propugnatores, custodes, per quos à nobis infortunia auertuntur, procul q; arcentur quæ

à dæmonibus inferuntur mala. libro octauo de martyribus. Item: Nos pari modo eos qui illustri pietate uiguerunt, proque ea iugulati ac cæsi sunt, & auxiliares & medicos nominam⁹. at nõ dæmones tamẽ, absit à nobis, absit hic furor: sed amicos Dei, fideles-que seruos fuisse dicimus, dicendi libertate maxima usos, dum certissimum bonorum prouentum nobis prænunciarent. libro octauo.

Sedulius inquit: Non solùm fidei meritũ, sed etiam martyrij meritum præmium habeatis, dum uos tentari Deus patitur, ut uincatis. in primum caput ad Philippenses.

Maximus ait: Claues cœli lingua est Petri: quia singulorum merita censendo, Apostolus unicuiq; regnum cœlorum aut claudit, aut aperit. Non est ergo clauis ista mortalis artificis aptata manu, sed data est potestas à Christo iudicandi.

Et Theodulus inquit: Sancti intercessionem apud Deum contribuunt. in caput 15 ad Romanos. Et: Licet ipsi ob incredulitatem suã dilecti nõ sint, propter patres tamen adhuc diliguntur. unde & salutem sunt accepturi. in caput decimum ad Romanos.

¶ Sed hæc omnia obscurant meritũ Christi, Deo suum proprium honorem, quem iuxta Esaiam alteri non uult dare, eripiunt, ac creaturis uendicãt: & pugnant cum hoc præcepto, quo Christus iubet in suo nomine preces fieri. Iohan. 16.

DE TRADITIONIBVS humanis.

Monasticam uitam nimijs uehit laudibus Chrysostomus, passim in suis scriptis. Item homilia decima octaua in octauum caput actorum Apostolicorum ait: melius esse opes suas insumere in extruenda templa, quàm in pauperes.

DE VIRGINITATE.

Chrysostomus in homilia de 115. Psalmo, facit duplicem uirginitatem, necessitatis & propositi: & affirmat tantum uirginitatem propositi accipere præmia. Et homilia 18. super Genes. immodicè prædicat uirginitatẽ.

De ieiunio ait Philastrius: Per annũ quatuor ieiunia in Ecclesia celebrantur: In natali primum, deinde in Pascha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoste. Nam in natali Saluatoris Domini ieiunandum est, deinde in Paschæ quadragesima, atque in Ascẽsione itidem in cœlum, post Pascha die quadragesimo, inde usque ad Pentecosten diebus decem. Philastrius in Catalogo hæresium.

DE POENITENTIA.

Confessioni, ieiunijs, & alijs ritibus nimium uẽdicat Chrysostomus. Inquit enim: Ostendit Dominus, quibus possint officijs delicta purgari, confessione & deformitate cultus ueniam posse facilimè impetrare. homilia de lapsu primi hominis. Item, non facit mentionem fidei, quando de ratione ac forma pœnitẽtiæ differit. ut in 2. Corinth. 2. homilia tertia sic scribit: Dauid ea ratione pecccatum absterserit, uidelicet submissione, cordis cõtritione, animi compunctione, deniq; cauendo ne in eadẽ relaberetur: præterea, quòd iugi memor esset sui peccati, quòd grato animo ferebat quicquid incurrebat afflictionis, quòd parceret his à quibus molestia afficiebatur: quòd non solùm non ulciscceretur insidiantes, uerùm etiam hoc facere uolentes uetuerit. Mox idem dicit: Habebat enim cor contritum & humiliatum, quod maximè absterserit ipsius peccata. Nam hæc est confessio, hæc est pœnitentia. At si ieiunantes elati simus, non solùm nihil capimus utilitatis, uerùm etiam damno afficimur.

Isychius inquit: Carnes pœnitentiæ intelligimus, ieiunium, uigilias, cilicinum uestimentum, cum lachrymis orationem, eleemosynam. ex his enim consistit pœnitentia: quæ qui tangit, rectè sanctificabitur. libro 2. Commentariorum in 6 caput Leuitici. Item: Peractum peccatum, & per multum tẽpus manens, non aliter fas est corrigi, & liberare mentem, in qua dominatus est is qui malè nostra conquisiuit, nisi per perfectam pœnitentiam, in qua & ieiunium & oratio, & cilicium, & eleemosyna, & lachrymę peraguntur. per hæc ergo remissio nobis plena conquiritur. libro 7. Commentariorum in 25. caput Leuitici. Et: Duorum hic annorum remissionis uel iubilæi mentionem facit, baptisma apertè insinuans, & pœnitentiam. Vterq; enim annus remissionis est: quia perfectam remissionem, unus quidem per donũ gratiæ, alter propter eos qui uacant in oratione & ieiunijs, alijsq; operibus quę perficiunt pœnitentiam, possidet. lib. 7. Commentariorum in 27. caput Leuitici.

Maximus ait: Non reprehenditur ille, qui dudum corde deuio & lubricis gressibus à tramite elapsus salutis, redintegrare se Deo mœsta pœnitentiæ satisfactione conatur: ut legitur Psalmo, Cor contritum & humiliatum Deus non spernit. in die cinerum homilia. Et: Confessio pœnitentiam monstrat, pœnitentia satisfactionem sibi diuina pietate conciliat. in homilia diui Chrysost.

Iohannes Cassianus ait: Post illam generalem baptismi gratiam, & illud preciosissimum martyrij donum, quod sanguinis ablutione conquiritur, multi sunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationẽ criminum peruenitur. Non enim tantum simplici illo pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur,

titur, sed etiam per charitatis affectum peccatorũ moles obruitur. Similiter etiã ut per eleemosynarum fructum uulneribus nostris medela præstatur, ita & per lachrymarum profusionem conquiritur ablutio peccatorum: interdum etiam intercessione sanctorum impetratur uenia delictorum. Nonnunquam misericordiæ, ac fidei merito labes excoquitur uitiorum, per indulgentiam nihilominus & remissionem nostram, ad indulgentiam nostrorum facinorum peruenitur. collatione uigesima, cap. 8.

Eucherius inquit: Per panem subcinericium, quem sibi uerus Helias Dominus noster nationum Ecclesiam præcipit exhibere, quid aliud accipiendum est, nisi pœnitentium satisfactio? idipsum Psalmographo sub persona pœnitentis canẽte, cum dicit: Quia cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu temperabam. His enim satisfactionibus Dominus se pasci hortatur. Eucherius in Commentarijs in libros Regum, libro 4.

DE BAPTISMO.

Periculosè admodum Chrysostomus de efficacia baptismi uidetur loqui in 1. Corint. 15. homilia 40, ubi sic inquit: Solus Deus peccato liberare potest, quod in isto regenerationis lauacro facit: mentem gratia tangit, hinc radicale peccatum euellit. Itaque qui crimine regis beneficio absolutus est, inquinatum animum seruat, quem abluit baptisma, non item, sed solis radijs puriorem mentem habet, & qualis erat iam olim dum conderetur, imò hac illustriorem: dum eum spiritum sentit, qui uniuersam se inflãmat, sanctificationem intendit: & ut tu ferrum, aurumúe recoquendo purum nouumque facis, sic spiritus ille sanctus in baptismate, uelut in fornace recoquit ipsam, & peccatum consumẽdo quolibet auro purius splendentem reddit.

Est & hæc peculiaris opinio, quòd ægrotos non censet esse baptisandos: Præclara, inquit, & expetenda mysteria. At nullus animam agens capit lotionem. non enim illud est tempus mysteriorum, sed testamentorũ. Mysteriorum tempus est sanitas mentium, & puritas animarum. Etenim dic mihi, si quis ad istum affectus modum, nolit scribere testamentum: si uerò scripserit, etiam dat in posterum ansam rescindendi testamenti (siquidem propterea solent his uerbis præfari: Viuus, sanęq; & integræ mentis ordinaui de bonis meis) quî fiet, ut qui iam sui cõpos esse desijt, posset ad plenum initiari mysterijs? Etenim si de rebus ad hanc uitam corporalem pertinentibus statuere uolenti, non permitterent leges ciuiles ordinare, quoties testari uolens non admodum cõstat animo, præsertim si de suis ipsius facultatibus præscripturus sit: quomodo, qui de regno cœlorum docetur, deque bonis illis ineffabilibus poterit ad plenum omnia percipere, frequenter & à mortuum omnia percipere, frequenter & à mortuum bo factus attonitus? Quando uerò futurum est, ut illa uerba dicas Christo, Consepultus cum illo, cum iam sis mox abiturus? Nam factis & uerbis oportet declarare beneuolentiam. Tu uerò perinde facis, ac si quis tum postulet adscribi militiæ, cum iam bellum est soluendum: aut si athleta tum uestes exuat, cum iam surgere cœperint spectatores è theatro discesturi. Siquidem in hoc arma sumis, non ut protinus aufugias, sed ut acceptis illis ex aduersario trophæum referas. homilia prima in acta Apostolorum.

Augustinus in libro contra duas epistolas Pelagianorum, libro tertio, capite tertio, inquit de baptisatis: Salus hominis tanta esse poterit, ut peccare omnino non possit.

Prosper martyrium baptismo æquale, contra uerbum Dei, & magna iniuria baptismi facit. nam ait in libro Epigrammatum:

Et quicquid sacri fert mystica forma lauacri,
Id totum impleuit gloria martyrij.

De baptismo Iohannis Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, capite 49. nemine affirmat renatum in baptismate Iohannis. Non enim, inquit, renascebantur, qui baptismate Iohannis baptisabantur, à quo & ipse baptisatus: sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat, Parate uiã Domino, huic uni in quo solo nasci poterant, parabantur.

Et Cyrillus ita ait: Ego prępar ãdo aquã inquinatos peccatis lauo, ad initiũ pœnitẽtię, & hoc pacto his ab minorib. ad sublimiora uos præparabo. libro primo Commentarium in euangelium Ioannis, cap. 26.

Infantes aliena fide baptisari, Augustinus scribit, de libero arbitrio libro 3. cap. 23: Qua in re satis piè recteq; creditur prodesse parulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur. Et hoc cõmendat Ecclesiæ saluberrima autoritas, ut ex eo quisq; sentiat quid sibi prosit fides sua, quando in aliorũ quoq; beneficium, qui propriã nondũ habent, potest aliena cõmodari. Quid enim in filio uidue profuit fides sua, quam utiq; mortuus non habebat, cui tamen profuit matris ut re surgeret? Quanto ergo potius fides aliena potest consulere parulo, cui sua perfidia non potest imputari? Item libro 4. contra Donatistas de baptismo, capite 23: Parulli infantes baptisantur, qui certè nondum possunt corde credere ad iusticiam, & ore confiteri ad salutem: quod Latro potuit,

tuit. Quin etiam flendo, & uagiendo cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis uocibus obstrepunt? & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptisari.

Sermone de baptismo paruulorum contra Pelagianos, capite decimoquarto: Si baptisatis infantibus credentibus dicis Christum aliquid prodesse, bene dicis, mecum dicis: credunt & infantes. Vnde credunt? Fide parentum. Si fide parentrum purgantur, peccato parentum polluti sunt. Corpus mortis in primis parentibus generauit eos peccatores, spiritus uitæ in posterioribus parentibus regenerauit eos fideles. Tu das fidem non respondenti, & ego peccatum nihil agenti. Verùm hæc opinio Augustini pugnat cum uoce Christi: Talium est regnum cœlorum. Sed hoc tantum est credentium: Ergo & infantes credunt, seu habent propriam fidem. Abac. 2.

DE COENA DOMINI.

Chrysostomus transubstantiationem uidetur confirmare. nam ita scribit in sermone de Eucharistia: Num uides panem? num uinum? num sicut reliqui cibi in secessum eadunt? Absit. ne sic cogites. Quemadmodum enim, si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia. Propter quod & accedentes ne putetis, quòd accipiatis diuinum corpus ex homine (intelligit ministrum) sed ex ipsis Seraphim forcipe igné, quem scilicet Esaias uidit, uos accipere, etcætera.

Idem uidetur sapere, quod Theodoretus scribit: Sicut ergo symbola Domini corporis & sanguinis, alia quidem sunt ante inuocationem sacerdotis, sed post inuocationem mutantur, & alia fiunt: ita etiam corpus Domini post assumptionem mutatur in diuinam naturam. in dialogo secundo Inconfuso.

Isychius sæpe utitur in hac parte uocabulo Mysticè: ut, Sartaginem Domini crucem, utpote sortem, & nihil ab igne humanorum peccatorum læsam, accipi oportet: quæ etiam superimpositam Dominicam carnem, esibilem hominibus reddidit. Nisi enim superimposita fuisset cruci, nos corpus Christi nequaquã mysticè percepissemus. libro secundo Commentariorum in sextum caput Leuitici. Item: Ipse Dominus primùm in cœna mystica intelligibilem accepit sanguinem, ac deinde calicem Apostolis dedit. libro secundo in octauum caput Leuitici. Item, cœnam Domini uocat cœnam mystícam, ibidem: sed ibi de typis ueteris Testamenti differit, ideo formam loquendi (sicuti & alij patres) ueteris Testamenti retinet, non tamen penitus substantialia noui Testamenti adimens.

Incommodè etiam Eucherius de oblatione, imitatione ueteris Testamenti loquitur, inquiens: Christus non ex tribu Leui, sed ex tribu Iuda ortus est, ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit: utiq; propter mysterium sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, ut non secundum Aaron pecudum uictimas, sed oblationem panis & uini, id est corporis & sanguinis eius sacramentum in sacrificium offeramus. ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum. Eucherius libro secundo in Genesin.

DE CONIVGIO.

Chrysostomus non quidem improbat secundas nuptias, utpote quę etiam per leges permittãtur: sed tamẽ eò uidetur inclinare, ut neminem post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemq; pastoris assumi uelit. nam inquit: Qui defunctæ uxori beneuolentiam nullam seruasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ præceptor esse optimus poterit? Nostis enim profectò omnes, quòd etsi per leges secundæ nuptiæ permittãtur, multis tamen ea res accusationibus patet. Nullam ergo occasionem præbere subiectis præsulem uult. Tuetur autem se testimonio Pauli, quem idem uelle ait capite primo ad Titum: Si quis est sine crimine, unius uxoris uir, &c. Chrysostomus in primum caput ad Titum.

Augustinus etiam in sermone Domini in monte, libro primo, de coniugibus hanc opinionem, uerbo Dei non congruentem profert: Beatiora, inquit, sanè coniugia iudicanda sunt, quæ siue filijs procreandis, siue etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerint, quòd neque contra illud præceptum fit, quo Dominus dimitti cõiugem uetat. Nõ enim dimittit, qui cum ea nõ carnaliter, sed spiritualiter uiuit, & illud seruatur quod per Apostolum dicitur: Reliquũ est, ut qui habent uxores, quasi non habentes sint.

Apparet Augustinum in ea fuisse sententia, quòd uirgines sanctimonio dicatæ, plus fidelibus cõiugatis apud Deũ habeant meritorum. Nam quia Iouinianus contrariũ sensit, quòd nihil plus habeant meritorum, id in eo reprehẽdit. lib. 3. de peccatorũ meritis.

Victor inquit: Maturianus adolescentulus seruus cuiusdam Vandali, & Maxima eiusdẽ ancilla, matrimonio ab hero iuncti, abstinẽt à coniugali consuetudine, & ingrediuntur monasterium. libro primo.

Paulinus quoq; næuum habet de coniugio. Laudat enim Apri coniugem factã seruam,& conseruam eius, quod iuxta Apostoli præceptum ex consensu uiri abstineat ab opere nuptiali: in 3. epistola ad Aprum.

Opinio Augustini est, quòd innocenti nõ licitum sit aliam ducere, de bono coniugali cap. 7. his uerbis: Quomodo aũt uiro possit esse licentia ducendæ alterius, si adulteram reliquerit, cum mulieri non sit nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non uideo. Quæ si ita sunt, tantum ualet illud sociale uinculum coniugum, ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi soluatur. Posset enim homo dimittere sterilem uxorem, & ducere de qua filios habeat: & tamen non licet, & nostris quidem temporibus ac more Romano nec superducere, ut amplius habeat quàm unam uiuam: & utique relicta adultera, uel relicto adultero, possent plures nasci homines, si uel illa alteri nuberet, uel ille alteram duceret. Quod tamen si non licet, sicut diuina regula præscribere uidetur: quem non faciat intentum, quid sibi uelit tanta firmitas uinculi coniugalis? Idem etiam de uoto obstrictis sentit, libro primo de adulterinis coniugijs, capite uigesimoquarto.

DE CRVCE.

Nimium cruci piorum tribuit Chrysostomus: Magnum lucrum est, inquit, generose ferre afflictiones. Est enim solutio peccatorũ grauiter affligi: est philosophiæ schola, est uirtutis doctrina. Hom. quinquagesimaprima. Item, de cura pro mortuis capite decimosexto, inquit: Non ideo putandum est, uiuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam aliquibus sanãdis uel adiuuandis martyres adsunt: sed ideo potius intelligendum est, quòd per diuinam potentiam martyres uiuorum rebus interfunt, quoniam defuncti per naturam propriam uiuorum rebus interesse non possunt. Item libro decimotertio de ciuitate Dei, capite septimo: Nam quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur: tantum eis ualet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum: alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Et alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Hinc est quod scriptum est: Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Quid enim precioſius quàm mors, per quam fit, ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?

Victor ait: Quibus hæc supplicia sufficere poterant ad æternam mercedem, si catholici fuissent, & fidei suæ merito morata perferrent. de Arianis persecutionem patientibus, de Vandalica historia libro secundo.

DE ECCLESIA.

Cyrillus libro secundo, capite decimo in Iohannem, de Petro interpretatur, quòd in eo tanquam in petra lapidemque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.

DE LOCO ANImarum.

Chrysostomus inquit: Diuina mors Stephani facta est. nam hucusque permissum erat animabus in inferno esse. Homilia 18. in octauum caput actorum Apostolicorum. Item homilia 4. in Marcum: Ante enim aduentum Saluatoris, & Euangelij claritatem, antequã Christus aperiret paradisi ianuam cum latrone, oẽs sanctorũ animæ ad inferos deducebãtur. Deniq; dicit & Iacob: Lugens & gemẽs descendã ad inferos. Si Abraham ad inferos, quis nõ ad inferos? In lege Abrahã apud inferos, in Euãgelio latro in paradiso. Non detrahimus Abrahæ, in cuius sinu omnes cupimus cõquiescere: sed Christum præferimus Abrahæ, Euangelium legi præferimus. Legimus quòd post resurrectionẽ Christi, multi sanctorum apparuerunt in sancta ciuitate. Dominus noster atq; Saluator & in terra prædicauit, & apud inferos prædicauit. Ideo mortuus, ideo descendit ad inferos, ut animæ quæ sibi iunctæ fuerant, laxarentur. Item, ex Lucæ capite decimosexto, homilia de diuite: Simulque considerandum, quòd Abraham apud inferos erat: necdum enim Christus resurrexerat, qui in paradisum duceret, antequam Christus moreretur; nemo in paradisum conscenderat nisi latro. Romphæa illa flammea, & uertigo illa claudebat paradisum. Non poterat aliquis intrare in paradisum, quam Christus clauserat: latro primus cũ Christo intrauit. Magnitudo enim fidei, meruit magnitudinem præmiorum.

Augustinus quæstionum ueteris & noui Testamenti, quæstione 123: Ac per hoc in ueteribus sanctis non ita fuit Spiritus sanctus, sicut nunc est in fidelibus: quia exeuntes de hoc seculo, apud inferos erant. ait enim Deus: In nouissimis diebus effundam spiritum meum super omnem carnem, &c. Et Apostolus inter alia: Cum autem apparuerit, inquit, benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.

Defun-

Defunctos precibus aliorum subleuari, ait in Enchiridio ad Laurentium, capite decimo. Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, uel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum uiuerent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam uiuendi modus, nec tam bonus ut non requirat ista post mortem, nec tam malus ut ei non prosint ista post mortem. Item libro de cura pro mortuis, capite primo, idem affirmat. Et capite quinto inquit: Cum ergo fidelis mater filij defuncti corpus desiderauit in basilicam martyris poni, siquidem credidit eius animam meritis martyris adiuuari, hoc quod ita credidit, supplicatio quædam fuit: & hęc profuit, si quid profuit: & quod idem sepulchrum recurrit animo, & filium precibus magis magisque commendat, adiuuat defuncti spiritum, non mortui corporis locus, sed ex loci memoria uiuus matris affectus. Habet & hanc opinionem de mortuis Augustinus de Spiritu & anima, capite uigesimo nono: Nesciunt quidem mortui quid hic agatur: sed dum hic agitur, postea audire possunt ab eis qui hinc moriendo ad eos pergunt, non quidem omnino, sed quantū sinitur eis indicare, & eos oportet audire. Scire etiam possunt ab angelis, qui hic nobis præstò sunt, & animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam Dei reuelante cognoscere possunt quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos noscere. Quidam etiam ex mortuis ad uiuos rapi possunt, non per propriam naturam, sed per diuinam potentiam. Vtrum tamen ista fiant per eorum præsentiam, aut per angelos suscipientes eorum personam, affirmare non audeo. Deus enim omnipotens, qui est ubique præsens, per angelica ministeria usquequaque diffusa potest prębere ista hominibus solatia, quibus in huius uitæ miseria iudicat esse præbenda.

Purgatorium Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, capite sexagesimono, concedere uidetur: posse nimirum fieri post hanc uitam ignem purgatorium, per quem saluantur, qui hic taliter uixerant, etcætera.

DE IVRAMENTO.

Chrysostomus contendit, Iurare non esse licitum. idq; probare nititur ex uigesimotertio capit. Syracidis: Iuramento ne adsuefacias os tuum. homilia decima in quartum cap. Actorum Apostolorum. Et homilia nona in acta Apostolorum ait, se illos puniturum esse, qui iurant, & nolle eos ad cœnam Domini admittere.

Magicam habet superstitionem, quod inquit Paulinus ad Cytherium:

Et adiacentes pectori tangit suo
Epistolas Apostoli.
Hunc in pauore codicem, sed nesciens
Rebus relictis sumpserat,
Vel ille codex spiritu uiuens sacro
Non sentienti adhæserat.
Metire quæso, quis nisi Christus suo
Dedit hunc ministro præsulem?
Testatur iste, nec cogitatum sibi
Illo pericli tempore,
Vt implicatam sarcinis membranulam
Memuisset illinc tollere.
Quod si subisset in metu mentem suam,
Non & uacasset quærere.
Sed in suarum literarum corpore
Paulus magister adfuit,
Amansq; puro corde lectorem sui
De mortis abduxit manu:
Iterum eximendos è maris fundo uiros
Largitus est Paulo Deus.

DE LIBRIS CANONICIS.

AVgustinus Sermone 119. de tempore inquit: Si quis aliquas scripturas, pręter eas quas catholica Ecclesia recipit, in auctoritate habendas esse crediderit, uel fuerit ueneratus, anathema sit. Ad Hieronymum epistola 190: Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam. Ac si in eis offendero literis quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud quàm uel mendosum esse codicem, uel interpretem non assecutum esse quod dictum est, uel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo uerum putē, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi uel per illos autores Canonicos, uel probabili ratione, quod à uero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliud existimo. Prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros uelle, tanquam Prophetarum uel Apostolorum, de quorum scriptis dubitare nefarium est. Iunilius præclarè inquit: Scriptores diuinorū librorum cognoscimus tribus modis: aut ex titulis & proœmijs, ut Propheticos libros, & Apostoli epistolas: aut ex titulis tantum, nt Euangelistas: aut ex traditione ueterum, ut Moyses creditur scripsisse quinq; primos libros historię, cum nō dicat hoc titulis, nec ipse referat, Dixit Dominus ad me: sed quasi de alio, Dixit Dominus

nus ad Moysen. Similiter & Iesu Naue liber ab eo quo nuncupatur, traditur scriptus. Et primum librum Regum Samuel scripsisse perhibetur. Sciendum præterea, quòd quorundam librorum penitus ignorãtur authores: ut & Iudicũ, & Ruth, & Reg. 3. ultimi, & cætera similia. Quod ideoq; credendum est diuinitùs dispensatũ, ut alij quoq; diuini libri nõ authorum merito, sed sancti Spiritus gratia, tantum culmen authoritatis obtinuisse noscãtur. Iunilius libro primo, cap. 8: Diuinæ scripturæ quædam metris conscriptæ sunt, ut Psalmi, & historia Iob, & Ecclesiastes, & in Prophetis quædam: reliqua omnia simplici oratione constant. capite 9. Item ordo diuinorũ uoluminum est, quòd quædam noui Testamanti sunt, ut Euangelia quatuor, Apostolicæ epistolæ & Actus: quædã ueteris, ut reliqua omnia. lib. 1. ca. 10.

Libros Scripturæ sacrę recenset Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 8: Totꝰ autem canon scripturarum, in quo istam cõsiderationem uersandam dicimus, ijs libris continetur: Quinq; Moyseos, id est Genesi, Exodo, Leuitico, Numeri, Deuteronomio, & uno libro Iesu Naue, uno Iudicum, uno libello qui appellatur Ruth (qui magis ad Regnorum principia uidetur pertinere) deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenõn non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis, simulq; pergentibus. Hæc est historia, quæ sibimet annexa tempora cõtinet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neq; inter se cõnectuntur: sicut est Iob, & Tobias, & Hester, & Iudith, & Maccabęorum libri duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi uidentur ordinatam illam historiam, usq; ad Regnorum uel Paralipomenõn terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus Dauid, unus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Prouerbiorum, Cantica canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur: nam Iesus filius Sirach eos scripsisse, cõstantissimè perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati sunt: duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibimet, quoniam nunquam seiuncti sunt, pro uno habentur. Quorum Prophetarum nomina sunt hæc: Oseæ, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuk, Sophonias, Aggæꝰ, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum uoluminum, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. His quadragintaquatuor libris, ueteris Testamenti terminatur auctoritas. Noui autem, quatuor libris Euangelij secundum Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem: quatuordecim epistolis Pauli apostoli, & Petri duabus, tribus Ioannis, una Iudæ, & una Iacobi, Actibus apostolorũ libro uno, & Apocalypsis Ioannis libro uno.

Iunilius libros sacros ita distinguit. Primùm ait historiam diuinam contineri in sexptendecim: Geneseos 1. Exodi 1. Leuitici 1. Numerorum 1. Deuteromij 1. Iesu Naue 1. Iudicum 1. Ruth 1. Regum, secũdum nos 4. secundum Hebræos 2. Euangeliorum quatuor, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannẽ. Actuum Apostolorum 1. Item adiũgunt plures Paralipomenon 2. Iob 1. Esdræ 2. Iudith 1. Hester 1. Maccabæorum 2. Et libros prophe ticos: ut, Psalmorum 150 liber. Oseæ liber 1. Esaię liber 1: Iohel liber 1. Amos liber 1. Abdię liber 1. Ionæ liber 1. Micheæ liber 1. Naum liber 1. Sophoniæ liber 1. Abacuc lib. 1. Hieremiæ liber 1. Ezechiel liber 1. Daniel liber 1. Aggæi liber 1. Zachariæ liber 1. Malachiæ liber 1. Cæterùm de Ioannis Apocalypsi, apud Orientales admodum dubitatur. Prouerbiales ait duos esse, Prouerbia Salomonis, & Iesu filij Syrach liber: à quibusdã addi Sapientię librum, & Cantica canticorum.

De epistolis Pauli Theodoretus in Roma nos cap. 1. ita inquit: Quatuordecim quidẽ epistolas scripsit beatus Paulus. Quem autem habent in libris ordinem, eum minimè ab eo factum esse existimo. Sed quemadmodum sacros quidem Psalmos diuinus Dauid, suscepta sancti Spiritus operatione conscripsit, eos autem quidam alij posteà ut uoluerunt inter se continuarunt, & spiritalem quidem bonum odorem emittunt, sed temporis ordinẽ non habent: ita etiã has epistolas Apostolicas fuisse cõpositas inueniri potest. Quæ enim à diuinissimo Paulo ad Romanos scripta est epistola, primum quidem locum sortita est: ultima autem omnium, quæ ex Asia, & Macedonia, & Achaia missæ sunt, scripta est. Primam enim scriptam esse existimo, priorem ad Thessalonicenses. eam enim misit Athenis diuinus Apostolus, ut ad eos scribẽs docuit. In medio enim epistolæ sic dicit: Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis, & misimus Timotheum fratrem nostrum, & fidelem ministrum Dei & cooperatorẽ nostrum in Euangelio Christi, ad confirmandos uos, & exhortandos pro fide uestra. Rursus autem cum non multum temporis præterijsset, ijsdem scripsit secundam. Ab Actuum autem historia docemur, quòd diuinus Paulus relictis Athenis Corinthum uenit, illic autem plurimo tempore uersatus est. Post eas autem

autem scriptam esse existimo priorem ad Corinthios. Eam autem scripsit, cum Ephesi tunc temporis ageret. Et hoc ipse declarauit. dicit enim circa finem epistolæ: Permaneo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum & efficax, & aduersarij multi. Venit autem Ephesum, postquam prædicasset Macedonibus, & Athenienſibus, & Corinthijs: ut docet historia Actuum apostolico-rum. Secundam quoq; ad Corinthios, post eam scriptam esse existimo. Cum enim, ut ꝛ-pporis in Macedonia ageret, illinc misit. Et rat pollicitus, ad eos ueniret, & aliquantum hoc rursus in eadē epistola declarauit. Cum enim quas in Asia & in Troade subijsset affli ctiones narrasset, dicit in medio: Etenim cū nos uenissemus in Macedoniā, nullā quietē habuit caro nostra, sed omnē tribulationem passi sumus: Foris pugnę, intus timores. Sed qui cōsolatur humiles, cōsolatus est nos in aduētu Titi: non solùm aūt in pręsentia ipsius, sed etiā in cōsolatione qua cōsolatus est in uobis. Et rursus: Notā aūt uobis facimus fratres, gratiā Dei datam ecclesijs Macedoniæ. Et rursus: Ne cum uenerint mecum Macedones. Quintam scriptam esse existimo, priorem ad Timotheum, post procœmium enim dicit: Sicut rogaui te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam. Docet autem nos etiam Actuum historia, quòd quādo primùm uenit in Macedoniam, nondum quidem Ephesum uenerat. Prohibiti enim, inquit, fuerant à spiritu, loqui uerbum in Asia. Erat autem etiam unà cum eo Timotheus. nam hoc quoque apertè docet Actuum historia. Nam cum Iudæi ex Thessalonica Berrhœam uenissent, & multitudinem ad seditionem concitassent, diuinus quidem Apostolus Athenas nauigauit. Manserunt autem, inquit, Silas & Timotheus illic. Et rursus cum quæ Corinthi acta sunt scriptor narraret, & doceret quomodo diuinus Apostolus in synagoga in omni sabbato docuerit, & quòd Iudæis & Gręcis persuaserit, subiunxit: Postquam autem uenerūt ex Macedonia Silas & Timotheus, instabat uerbo Paulus, testificans Iudæis Christum Iesum. Clarum est ergo, quòd quando secundò ex Epheso uenit beatus Paulus in Macedoniā, tunc illic optimum Timotheum reliquit, ut eorum curam gereret, qui salutarem prædicationem susceperant. Post hanc, eam esse scriptam existimo quæ ad Titum missa est. Cum enim in ijs adhuc locis Paulus ageret, iussit Tito, ut ad se ueniret. Sic autem dicit: Cum misero ad te Artemā, uel Tychicū, festina ad me uenire Nicopolim: ibi enim statui hyemare. Dicunt autem, Nicopolim esse urbem Thraciæ, & esse Macedonię propinquam. Septimam misit ad Romanos. post eas enim omnes se hanc scripsisse docet. Sic autem dicit: Nunc igitur proficiscor in Hierusalem, ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctos qui sunt in Hierusalem. De his autem pecunijs dicit etiam in secunda ad Corinthios epistola: Ne quando uenero, tunc collectæ fiant. Quando autem uenero, quos per epistolas probaueritis, eos mittam ad deferendam gratiam uestram in Hierusalem. Quòd si dignum fuerit ut ego quoque proficiscar, mecum proficiscentur cum ijs pecunijs in Hierusalem. Soluens Mileto dicit Ephesiorum senioribus: Non amplius uidebitis faciem meam uos omnes, per quos transij prædicans regnum Dei. quod ita euenit. Mox enim Hierosolymis accusatus, quòd contra leges faceret, & illud maximū periculum perpessus, per tribunum quidem militum à Iudaicis manibus liberatus est: & appellatione usus sub Festo, Romam uenit. Quod autem Corinthi scripserit epistolam ad Romanos, ipse nos finis docet. Primùm enim Phœben commendat, dicens eam esse ministram Ecclesiæ quæ est Cenchreis. Cenchreæ autem sunt regionis Corinthiorum. Præterea autem hæc quoque dicit: Salutat uos Caius hospes meus, & totius Ecclesiæ. Hospitem autem eum appellat, qui hospitio excipit. Quod autem Corinthius erat Caius, ex priore ad Corinthios epistola facilè licet intelligere. ipsis enim sic scribit: Gratias ago Deo meo, quòd neminem uestrūm baptizaui, nisi Crispum & Caium. Vltima ergo omnium quæ ex Asia, & Macedonia & Achaia missæ sunt, scripta est ad Romanos epistola, & locum habet septimum, ut ex scriptis Apostolicis docuimus. alias enim Roma misit. Et primam quidem scriptā esse existimo ad Galatas. antequam enim in Macedonia peregrinaretur, peruasit Phrygiam, & Galatiæ regionem, prædicans Euangelium. Deinde cum aliquantum temporis in Macedonia, & Achaia, & etiam in Asia esset uersatus, profectus est quidem in Iudæam: illinc autem, post Ephesum, Romam uenit: & cum intellexisset, quòd quidam pietatis decreta confunderent, illis ex Scripturis petitam medicinam adhibuit. Et Philippensibus post eos Roma scripsit, & id finis declarat epistolæ: Salutant enim, inquit, uos qui sunt de domo Cæsaris. Iam uerò etiam Ephesijs & Colossensibus eodem scripsit tempore, utriusque epistolæ uno usus tabellario. Dicit enim in fine utriusque: Vt autem & uos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia uobis nota faciet Tychicus, chariſsimus frater, & fide-

& fidelis minister in Domino: quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa uos sunt, & consoletur corda uestra. In epistola autē ad Colossenses, Onesimi quoque meminit: Cum Onesimo enim, inquit, fideli & dilecto fratre, qui est ex uobis, omnia quæ hic agūtur nota facient uobis. Ante has itaque duas collocetur ea quæ scripta est ad Philemonem. In illa enim hortatur ut recipiatur Onesimus, ut qui in carcere ortū spiritalem cēperit. Hic autē eum etiam inter ministros collocat. Post hos autem ad Hebræos quoque scripsit, ut finis docet: Salutant, inquit, uos qui sunt ex Italia. Omnium autē ultimam scripsit secundam ad Timotheum. & hoc rursus ex eius scriptis facile sciri potest: Ego enim, inquit, iam delibor, & temp⁹ meæ resolutionis instat. Hinc quoque sciri potest, quòd ad Ephesios & Colossenses epistolas Roma misit: Tychicum enim, inquit, misi Ephesum. Hic est ergo ordo epistolarum, quod ad tempus quo scriptæ sunt attinet. Epistolam autem ad Romanos præposuerunt, ut quæ in se omnis generis doctrinam & accuratam copiosamque dogmatum pertractationem contineat. Quidam autem dicunt, ut urbem quæ uniuerso orbi præerat, & imperij sceptra tenebat, honoraret, eam quæ ad illos scripta est, epistolam primam collocasse. Mihi autem, quod prius dictum est, uidetur esse uerius. Sed aliarum quidem epistolarum argumenta, conueniēti, si Deo uisum fuerit, tempore scribemus, & unicuique præponemus. In præsentia autem epistolæ ad Romanos institutum ac scopum summatim dicemus.

Ad Romanos.

Sedulius asserit, epistolam ad Romanos ex maxima parte esse structā è ueteri Testamento: in 3. caput ad Romanos.

Ad Hebræos.

Sedulius asserit, epistolam ad Hebræos esse Pauli. & addit rationem, cur non addiderit nomen: quoniam apud Hebræorum Ecclesias destructor legis, falsa suspicione habebatur, uoluit tacito nomine de figuris legis, & ueritate Christi reddere rationem, ne odio nominis fronte prælati, utilitatem excluderet lectionis. in 1. caput epistolæ ad Romanos. Sic & Isychius libro primo Commentariorum in 2. caput Leuitici.

DE APOCRYPHIS.

AVgustinus libro 15 de ciuitate Dei, capite 23: Omittamus igitur earum scripturarum fabulas, quæ Apocryphæ nuncupantur, eo quòd earum occulta origo non claruit patribus, à quibus usq; ad nos auctoritas ueracium Scripturarum certissima & notissima successione peruenit. In ijs autē apocryphis etsi inuenitur aliqua ueritas, tamen propter multa falsa, nulla est Canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla diuina Enoch, illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in Epistola canonica Iudas apostolus dicat: sed non frustra nō sunt in eo canone Scripturarum, qui seruabatur in templo Hebræi populi, succedentiū diligentia sacerdotum. Cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt: nec utrum hæc essent quæ ille scripsisset, poterat inueniri, non talibus profecerentibus, quia ea seriem successionis reperirentur ritè seruasse.

Philastrius inquit: Scripturæ absconditæ, id est apocrypha, etsi legi debent morū causa à perfectis, non ab omnibus legi debent: qui non intelligentes, multa addiderunt, & tulerunt quæ uoluerunt hæretici. Philastrius in Catalogo hæreticorum. Hi libri, ut sunt Paralipomenon 2. Iob. 1. Esdræ 2. Iudith 1. Hester 1. Maccabæorum 2. non inter canonicas Scripturas currunt: quoniam apud Hebræos quoq; super hac differentia recipiebantur, sicut Hieronymus, cæteriq; testantur. Iunilius libro 1. capite 3.

De Apocalypsi.

Iunilius de Apocalypsi inquit: De Ioannis Apocalypsi, quòd sit liber propheticus, apud Orientales admodū dubitatur. Iunilius libro primo, capite 4. Prosper adscribit eum librum Ioanni apostolo, de promissionibus & prædictionibus capite 7. Idem facit Primasius in præfatione in Apocalypsin.

De Pastore.

De Pastore hanc ponit sententiam Sedulius: Puto autem quod Hermas iste sit scriptor libelli istius qui Pastor appellatur, quæ scriptura ualde mihi utilis uidetur, & ut puto, diuinitùs inspirata. Quod uerò nihil ei laudis adscripsit, illud declarat, post multa peccata ad pœnitentiam fuisse conuersum. Sedulius in 16 capite ad Romanos.

DE VERSIONIBVS.

PHilastri⁹ de uersionibus Græcis ita scribit: Sunt hęretici, qui sicuti Iudęi septuaginta duorum sanctorū, sapiētissimorumq; uirorum interpretationē respuentes, Aquilę cuiusdam, hominis unius Pontici, qui post annos multos interpretatus est, editionem suscipiunt. Qui cum quædam prætermisisse necessitate urgente tunc temporis cogerentur, dissonantia putantur dictasse. is ueluti plus à quibusdam, Iudęis maximè, intellexisse laudatur, cum de patre & filio, non sicut illi priores de lege, dictauerit. Septuaginta enim duo dixerunt: Aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Aquila autem: Aduersus Dominum, & aduersus unctum eius. Et iterū: Ecce uirgo in utero concipiet, & pariet filiū (Septuagintaduo dixerunt)

runt) & nomen eius Deus nobiscum. Aquila autem dixit: Ecce iuuencula concipiet, & pariet filium, & nomen eius Potens cum hominibus. Quæ quidem si pio sensu lectionis accepta fuerint, quo fortis & potens nemo nisi Christus Deus Dei sit filius, rectè intelligi: si autem de eo dubitat, abijciēda & sperneda est talis editio. Vnde Iudæi non Septuaginta duorum interpretationes habēt, qui de patre & filio & sancto spiritu bene sentientes, unam substantiam, diuinitatem, maiestatēq; enunciarunt: sed illius Aquilæ, qui non ita rectè sentit de filio Dei, sed quasi de Prophetæ nunciauerit. Vnde interpretationes eius in medio librorū nunquam ponuntur, sed dextræ læuęq; adsignantur. Et ut contraria, & non plena ueritatis, ita legūtur à plurimis. Septuaginta uerò duorū decreta atq; consulta, ea legens Ecclesia catholica semper habet, & detinet incunctanter: illius autem quasi superflua, ita æstimat esse & iudicat. Hæc etenim, id est Septuaginta-duorum interpretatio, sub Ptolemæo rege Aegyptiorum, post Alexandrum Macedonē est edita omnibus, populoq; Iudaico in Hierusalem data est, cum habitarent non multi Iudæi, uelut in subiectione iam positi regis Aegyptij: rogatiq; ab ipso Ptolemæo, ut interpretes mitteretur Alexandriā. Quò cum uenissent Septuaginta duo, sapientes ac prudentes uiri interpretes, secundum iussum regis Hebræam linguam Græco sermone interpretati, Gręcis literis ediderūt: sicuti & factum est. Cumq; suscepisset eos Ptolemęus rex Aegypti, tentare uolens si esset eorum diuina Scriptura, quam legebant Iudæi, seorsum quemq; iussit includi in cubiculū, nullumq; uidere alium, nisi solo excepto eo qui interpretem exciperet dictantem: omnibusq; accipiens postea interpretationem, quotidie cum consentientem in unum inueniret editionem omnium, iussit conscribi atque poni in templum, ut uenientibus de Achaia, de Græcia, atq; alijs prouincijs Philosophis, Poetis & Historiographis, cupientibus legendi copia non negaretur.

CAPVT V.

DE HAERESIBVS.

DE MARCIONIS HAERESI.

MARCIONIS hæresis in uicis aliquot circa Cyrum Persię urbem hoc seculo adhuc grassata est, quam Theodoretus monitu Iohannis Constantinopolitani episcopi, & autoritate Imperalium edictorum repressit: ut ipse narrat lib. 5. cap. 31. Apud Osroenos etiam ea pestis sæuijt, sed à Ioanne Chrysostomo depulsa est. Nicephorus lib. 13. cap. 3.

DE MONTANISTARVM *hæresi.*

AVgustini testimonio, in libro de Hæresibus ad Quoduultdeū, etiam Mōtanistæ seu Cataphryges, hoc tempore in Phrygiæ prouincię partibus durarunt, ac cœtus suos habuerunt. Quin & Romæ deprehensos Cataphrygas, atq; ad exilium damnatos ab Innocentio episcopo, liber Pontificalis indicat, ex quo narrationes de Romanis episcopis ferè descriptæ sunt in tomis Conciliorum.

DE NOVATIANORVM *hæresi.*

NOuatianorum hæresis, sicut multis seculis prodigiosa fœcunditate plurimis in locis creuit, ita hac maximè ętate pertinacissimè durauit nacta libertatem quandam atq; impunitatem ex eo, quòd nihil turbulenti mouentes, cœtus suos sedatè coegerunt, & apertè cum Ecclesia trinitatem ὁμοούσιον confessi sunt: quemadmodum Sozomenus tradidit libro octauo, capite primo. Fuerunt autē Niceæ, Honorij & Theodosij Imperatorum temporibus, Nouatiani: Ephesi item sub Arcadio, apud Ancyrā in Scythia, & Alexandriæ, sed frequenti maximè numero Constantinopoli & Romæ. Nouatianorum episcopi apud Niceam celebrantur hoc tempore, Alabius & Asclepiades, qui per annos quinquaginta Nouatianorum Ecclesijs ibidem præfuit. Apud Scythas Marcus, Alexandriæ Theopompus: Constantinopoli uerò celebres fuerūt Sisinius, Chrysanthus, (qui Nouatianorū Ecclesias mirum in modum auxit & tutatus est) Paulꝰ, Marcianus: Romæ Rusticula fuit Nouatianorum episcopus, sub Theodosio.

Ephesi contra Nouatianos pugnauit Ioānes Constantinopolitanus episcopus, qui multas ibi eorum ecclesias destruxit sub Arcadio. Apud Ancyram ecclesiā illis eripuit Leontius episcopus. Alexandriæ autem administrationem episcopatus sortitus Cyrillus, cum Nouatianis acriter congressus, ecclesias illis occlusit, sacris earum omnibus opibus direptis, ipsoque etiam Theopango episcopo spoliato. Romæ Innocentius Nouatianis se opposuit, & ecclesias illis abstulit, profligatis ipsis ex urbe: quemadmodū Socrates retulit. Extat forma eius, qua sint ad communionem recipiendi Nouatiani, in secunda Epistola decretali ad Victricium, in tomo primo Conciliorum. Post eum Celestinus Nouatianus ecclesias eripuit, quo tempore & frequentibus cœtibus intra urbē sese collegerant, & magnificè florebant, celebrem habentes episcopum quem diximus

Rusticolam: quem domi delitescere, & priuatum agere compulit. Hæc de Nouatianis huius seculi tradidit Socrates lib. sexto, cap. undecimo, & uigesimo secũdo: & lib. 7. cap. nono, 11. 12. 17. 25. & 46.

DE MANICHAEORVM *hæresi.*

CVius modi initijs & occasione orta fuerit hæresis turpissima Manichęorum, quousq; progressa sit posteaquã cœpit, tum quid & quantũ delirarũ opinionũ sparserit, suprà in tertia Centuria retulimus. Quibus nunc illa adijcimus, quæ uel temporis progressu ipsa sibi adiecit, uel Doctoribus huius seculi reprehensa & damnata sunt.

Hæc igitur in genere de uanissima hac hęresi, Augustinus lib. 2. de morib. Manichæorum, cap. 16: Nihil apud eos (inquit) certum, nihil constans, nihil rationabile, nihil inculpabile: sed omnia dubia, imò uerò sine dubitatione falsissima, omnia repugnantia, abominabilia, absurda.

HYPOTHESES.

De Scriptura.

Manichæi omnes ueteris instrumẽti Scripturas in nulla autoritate habent. Augustin⁹ lib. 2. de bono perseuerantiæ, cap. 11.

2.

Actus Apostolorum ab his conscriptos, Manichæi dixerunt, quos uerum scripsisse dubitari possit. Augustinus libro de utilitate credendi, cap. 3.

3.

Quicquid in Euangelio, uel epistolis Canonicis, pro hæresi sua facere uidetur, recipiunt. Quicquid autem contra eos facit, insertum à falsatoribus, impudenter mentiuntur. libro decimotertio contra Faustinũ, capite quinto: & libro uigesimo secundo, capite decimoquinto.

DE DEO.

1.

De Deo omnia corporaliter cogitarunt, substantiam diuinam dicentes esse corruptibilem. Idem in Psalmum centesimum quadragesimũ sextũ & octauũ. Item, Manichæi Deũ corruptibilẽ, corruptũ, cõmutabilem & commutatum, uiolabilem & uiolatum, indigẽtem, imbecillem, & miserum esse docent: quia animam dicunt esse partem Dei, de qua suprà dicta omnia confiteri coguntur. libro secundo de moribus Manichæorum, capite undecimo.

2.

Putant in tenebris fuisse Deum, antequã faceret lucem. Idem libro uigesimo secundo contra Faustum Manichæum, cap. 8.

3.

De multitudine Deorum.

Fingis Fauste multos Deos, interq; eos duodecim quosdam magnos Deos, ternos per quatuor tractus, quibus ille unus circũcingitur, quem maximum uocas regnantiũ regem, sceptrigerum, per ennem, floreis coronis cinctum, & facie rutilantem. Libro decimoquinto contra Faustum, capite quinto & sexto.

4.

Non est ingenitus Deus, quia & uos Christiani terminis eum alligatis, dicentes: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, quod Dei ipsius circa uos terminat potestatẽ. Cuius autẽ finita potestas est, & ipse non caret fine. Idem libro uigesimoquinto contra Faustum, capite 1. & 2.

5.

Felix Deum mutationi & passioni obnoxium facit, sic argumentans: Si Deo nihil nocere poterat, quare huc filium suum misit? Idem lib. 2. contra Felicem, cap. 9.

6.

Nostra professio, Fortunatus ait, ipsa est, quòd incorruptibilis sit Deus, quòd lucid', quòd inadibilis, intenibilis, impassibilis, æternam lucem & propriã habitet, & quòd nihil ex sese corruptibile proferat, nec tenebras, nec dæmones, nec Sathanam, nec aliquid aduersum in regno eius reperiri posse. Idem in disputatione contra Fortunatum Manichæum.

HYPOTHESIS *de Trinitate.*

Dicitis patrem in secreto quodam lumine habitare: filij autem in sole uirtutem, in luna sapientiam: Spiritum uerò sanctũ in aere. Libro 2. contra Faustum. cap. 7.

DE CHRISTO.

1.

Christũ phantasiã esse uolunt Manichæi. Augustlibro de quinq; hæresibus, cap. 7. Et quòd fallaciter passus & mortuus sit. libro 15. contra Faustum, cap. 10. & libro decimo sexto, capite undecimo. Quomodo & Faustus magiam fuisse sensit, quòd utero gestatus, editus, passus & mortuus esset. Idẽ libro 29 contra Faustum, cap. 1. & 2.

2.

Manichæus Dei filium non uult dicendũ esse hominis filium, propterea quòd maiestate diuina indignum uideatur, transire per sordes & squalores: libro eodem, cap. 6.

3.

Misit Deus filium suum factum ex mulie-re, inquit Paulus: Nõ igitur ex uirgine Christus natus est. Augustinus libro de fide, contra Manichæos, capite uigesimo secundo.

4.

Christus Mariam mulierem nominat, nõ matrem: Quid mihi tecum mulier? &c. libro eodem: capite uigesimoquinto: & tractatu octauo

octauo in secundum caput Ioannis.

5.

Christi passionem Manichæus dæmonibus tribuit, quia Dominum Christum negat habuisse carnem mortalem: libro eodẽ, cap. trigesimo secundo, & 33.

6.

Dicunt Manichæi Christum quotidie nasci, pati & mori: sed in cucurbitis, porris, portulaca, aliisq; eiusmodi rebus. libro eodem, capite trigesimo quarto.

7.

Dicunt Deum necessitate passum esse, & euadere aliter non potuisse, nisi partis suæ detrimentum pateretur. Libro eodem, cap. quadragesimonono.

8.

Manichæi credunt, quòd serpens iste in paradiso Christus fuerit: & Deũ nescio quẽ gentis tenebrarũ, præceptũ illud dedisse cõfingunt, inuidentẽ hominibus scientiã boni & mali. Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manichæos, capite 26.

9.

Natum Christũ Faustus non accipit, hanc causam subijciens: quia generatio Christi non pertinet ad Euangelium: tum quòd inter duos euangelistas Matthæum & Lucã, duos Christo diuersos patres tribuentes, sit dissensio: inter Marcum uerò & Iohannem consensus, qui nec Dauid inducant, nec Mariam: nec Ioseph. Rursus quòd nec ipse ore suo usquam fateatur, patrem se habere aut genus in terra: sed econtrà, se non esse dicat de hoc mundo, sed à patre processerit, de cœlo descenderit: nec sint sibi mater & fratres alij, nisi qui fecerint uoluntatem patris sui in cœlo. Item, quòd illi ipsi qui genealogias Christo adscribant, nec ab ipso audiuerint eum generationis ordinem, nec oculis natiuitatem eius uiderint. Denique, quia contrarium Apostolus scribat ad Corinthios. Nos neminem nouimus secundũ carnem: & si cognouimus secundũ carnem, nunc non nouimus. lib. 2. contra Faustum, cap. 1. & 2: lib. 3. cap. 1. 2 & 3: lib. 7. cap. 1. 2: & libro undecimo, capite primo.

10.

Primi hominis, quem uos fingitis, qui ad gentem tenebrarum debellandam, de lucis gente descendit, filium credi uultis Dominum IESVM Christum. Libro 2. contra Faustum, cap. 3. & quarto,

11.

Faustus sibi ipsi est contrarius. Primùm dicit, Christum esse maledictum à Mose, & ob hoc odit Mosen: atque ita uult ipsum Christum pependisse in ligno. Deinde negant Manichæi & Faustus, Christi corpus esse mortale, & posse uulnerari. Ita igitur sibi contraria dicit. Libro decimoquarto, capite secundo.

12.

Ait Faustus, ex uiribus Spiritus sancti & spiritali profusione terram quoque concipientem gignere patibilem Iesum, qui est uita ac salus hominum, omni suspensus ex ligno. Libro uigesimo contra Faustum, capite undecimo.

13.

Faustus negat Christum esse filium Dei, & filium Dauid. Item arguit non rectè IESVM qui ex Maria genitus est, filium appellari Dauidis, cum non sit ex Ioseph natus, nec uirginis origo ex hac tribu fuerit. Libro uigesimotertio contra Faustum, capitibus primo, tertio, quarto, quinto.

14.

Iesus si natus non est, quomodo mortuus est? Vel quomodo mortuus est Iesus, si homo non fuit? Libro uigesimosexto contra Faustum, capite primo.

15.

Si natus non est Iesus, nec passus est: si autem passus est, ergo & natus est. Si natus est ex fœmina Iesus, ergo & seminatus ex uiro est. Si uerò seminatus ex uiro non est, ergo nec natus ex fœmina est. Potuit autem, ut uos creditis, nasci non satus. Quare ergo nõ potuerit & pati, non partus? libro uigesimoseptimo contra Faustum, capitibus primo & secundo.

16.

Si non poterat mori, nisi natus esset: & ego respondeo, nec nasci poterat, nisi Deus non esset. Aut si potuit & Deus esse & nasci, quare non & nasci potuerit, & mori? libro uigesimooctauo contra Faustum, capite primo & secundo.

17.

Christum ante carnem prædestinatũ fuisse consilio & uirtute Dei, & secundum carnem factum esse ei ex semine Dauid, Manichæi semper negant. Augustinus in disputatione contra Fortunatum Manichæum: & libro aduersus Secundinum Manichæum, capite nono.

18.

Faustus dixit, Christũ natum ex fœmina turpiter, circumcisum Iudaicè, sacrificasse gentiliter, baptizatum humiliter, circumductum à diabolo per deserta, & tentatum miserrimè. libro trigesimosecundo contra Faustum, capite septimo.

19.

Docuerunt Christum esse solem, qui ortu & occasu suo perficit diem, uisibilis carneis oculis, non tantum hominibus, sed & pecoribus. Idem tractatu trigesimoquarto in Ioannem.

DE SPIRITV SANCTO.

Fauſtus contendit, Paracletum Manichęis demonſtraſſe, quid ex nouo Teſtamento credendum ipſis, quid reſpuendum eſſet: ſimili ratione, quemadmodum ex ueteri Teſtamento quid accipiendum ſit, Chriſtus monſtrarit. Item Paracletum ſe docuiſſe ait, quòd Euangelia ſcripta non ſint Apoſtolorum. libro trigeſimo ſecundo contra Fauſtum, capite decimo quinto, decimo octauo, & decimonono. Item: Spiritum ſanctum conſolatorem fidelium autoritate plenaria perſonaliter in ſe eſſe, perſuadere conatus eſt. Quamobrem & ſectatores eius non hominem ſequi ſe, ſed Spiritum ſanctum arbitrabantur. Auguſtinus libro quinto confeſſionum, capite quinto. Felix uerò, paracletum dixit eſſe Manichæum, quia docuerit de fabrica mundi, & de curſu ſolis & lunæ: quod nec Paulum nec cæteros Apoſtolos legatur feciſſe. Auguſtinus libro primo contra Felicem, cap. 10. & undecimo.

De Creatione.

1.

Mundum cum omnibus quę cõdita ſunt, non potuiſſe aliter facere Deum, dicunt, niſi magna & miſerabili neceſsitate: ac niſi in promptu adfuiſſet materia, quæ illum in operatione mundi adiuuerit, ut inde poſſet partem ſuam liberare. Auguſtinus libro de Fide contra Manichæos, capite quadrageſimo & quadrageſimo primo.

2.

Manichæus duas dicit eſſe naturas, bonam unam, malam alteram: bonam, quæ mundum fecerit: malam, de qua mundus factus ſit. Libro eodem, capite quadrageſimo nono. Ad eas naturas reſpexiſſe Chriſtũ, Felix ait, ſimilitudine de duabus arboribus, bona & mala, & de ſemine in agro, de agnis & hœdis. Auguſtinus libro ſecundo contra Felicem, capite primo & ſecundo.

3.

Terra ſicut Deus eſt ingenita, & Deo cœterna: quia ſicut Deus immutabilis eſt, ita & quicquid genuit ac fecit, immutabile eſt, ſibiq; æquale. Auguſtinus libro ſecundo cõtra Felicem Manichæum, cap. 19.

4.

Mundum fabricatum dicitis ex uirtute, quam motus rebellione gentis tenebrarum cum malo & gente aduerſaria commiſcuit, eumq; mundum uaſtationi gentis tenebrarum eſſe oppoſitum. Auguſtinus in diſputatione aduerſus Fortunatum Manichæum.

5.

Quia nihil inter ſe ſimilitudinis habent, tenebræ & lux, ueritas & mendaciũ, mors & uita, anima & corpus: conſtat ex ratione rerum duas eſſe in mundo ſubſtantias, quæ ſpeciebus & nominibus diuerſis conſtent, quarum una ſit corporis, altera uerò æternæ patris omnipotentis. Auguſtinus in diſputatione contra Fortunatum.

De Angelis.

Fingis deorum agmina, & innumerabiles regnicolas & angelorum cohortes, quæ omnia non condidiſſe dicis Deum, ſed de ſua ſubſtantia genuiſſe. Auguſtinus libro decimoquinto contra Fauſtũ, cap. 5.

De Homine.

1.

Carnis humanæ Manichęi principem tenebrarum autorem conſtituunt. Idem libro de fide contra Manichæos, cap. 40.

2.

Adam dicunt ſicà parentibus, abortiuis ſcilicet illis tenebrarum principibus genitũ, ut maximam partem lucis haberet in anima, exiguam uerò gentis aduerſæ: qui cum ſanctè uiueret propter exuperantem boni copiam, commotam tamen in eo fuiſſe aduerſam illam partem, ut ad concubitum incitaretur. Ita igitur lapſum eum peccaſſe, ſed uixiſſe poſtea ſanctiorem. Auguſtinus libro de moribus Manichæorum, cap. 19.

3.

Duplicem facit hominem Fauſtus, ueterem & nouum. Veterem ait non formari à Deo, ſecundum imaginem ſuam, ſed à generatoribus turpiter, & per libidinem. Seu, ueterem hominem non à Deo eſſe, nec ſecundum eum formari: nouum uerò hominem honeſtatis & ſanctimoniæ creari à Deo per Spiritum ſanctum. Nam & Apoſtolo, inquit, duo ſunt homines: quorum alterum quidem interdum exteriorem uocat, plerunque uerò terrenum, nonnunquam etiam uterem: alterum uerò interiorem & cœleſtem dicit, ac nouum. Sicut & natiuitatis noſtræ duo ſunt tempora: unum illud, quo nos irretitos carnalibus uinculis in lucem hanc natura produxit: alterum, cum ueritas nos ex errore conuerſos ad ſe regenerauit, initiatos ad fidem. Quod tempus ſecundæ natiuitatis in Euangelio Ieſus ſignificat: Niſi quis natus fuerit denuò, &c. Sicut modus quoque naſcendi duplex eſt: unus, ille furoris & intemperantiæ proprius, quo ſumus è generatoribus turpiter & per libidinem ſati: alter uerò, honeſtatis & ſanctimonię, quo in Chriſto Ieſu per ſanctum Spiritum erudimur ad fidem. Dicit & Paulus ad Epheſios: Vt deponatis ſecundum priorem conuerſationem, ueterem hominem qui corrumpitur. Et ad Coloſſenſes tertio: Expoliate uoterem Adamum cum actibus ſuis.

De Anima.

1.

Tales animas dicunt eſſe porcorum, quales

les sunt hominum. Augustinus libro de fide contra Manichæum, cap. 37.

2.

Duas animas in quolibet homine fingũt: unam, quæ naturaliter hoc ipsum sit quod Deus: alteram, de gente tenebrarum, quam Deus nec genuerit, nec fecerit, nec prætulerit, nec abiecerit: sed quæ suam uitam, suam terram, suos fœtus & animalia, suum denique habuerit regnum, ingenitumque principium, sed aduersus Deum aliquando rebellarit, &c. Augustinus libro de uera religione, capite nono: & libro de duabus animabus contra Manichæos, cap. 12.

3.

Anima nostra ex Deo est, & polluta est. Si enim polluta non est, cur pro ea Christus crucifixus est? Augustinus libro secundo contra Felicem Manichæum, capite decimoseptimo. Fortunatus animam naturaliter filiam esse Dei, & substantiam & portionem Dei dixit. Augustinus in disputatione contra Fortunatum.

De Peccato.

1.

Animas hominum uoluntariè peccare non posse, sed coactas à contraria & inimica nobis substantia, Manichæi asserunt. Libro de fide contra Manichæos, capite quinto. uel: Negant malum ex libero arbitrio ortum. Libro primo Retractationum, capite nono. Et in disputatione contra Fortunatum, & libro contra Secundinum Manichæum, capite duodecimo, decimooctauo, decimonono. Contrà tamen Secundinus dixit, naturam bonam uoluntate peccare. Libro contra Secundinum, capite decimooctauo.

2.

Vos substantiam quandam malum esse dicitis. libro contra Secundinum Manichęum, capite duodecimo. Et in argumento præmisso disputationi contra Fortunatum, ex libro Retractationum, ait Fortunatũ docuisse, naturam mali esse coæternam.

3.

Electos sese in hac uita esse dicũt. Si quis uerò obijciat illis, Quamobrem peccastis? respondent: Non nos, sed gens tenebrarum peccauit. Quicquid enim presis hic uisceribus gentis tenebrarum peccare dicimur, illa peccat. Augustinus in Psalmum centesimum quadragesimum.

De Coniugio.

Procreare liberos grauius peccatum dicunt, quàm concumbere: ideoque coniugalem consuetudinem, quæ sit generandi causa, detestantur, ne particulam Dei sui, fœcundo de moribus Manichæorum, capite decimooctauo: & libro decimoquinto cõtra Faustum, capite septimo: & libro uigesimonono, capite sexto.

De Resurrectione.

Manichæi, nunc esse resurrectionem tantummodo animarum, per prædicationem ueritatis dicunt: corporum autem, quam Apostoli prædicarunt, futuram negant. Augustinus libro quarto contra Faustum, capite secundo.

De statu post mortem.

Adserunt Manichæi, animas mortuorum malas, minus ue purgatas, aut in reuolutiones ire, aut in grauiores aliquas pœnas: bonas uerò, & in naues impoui, & in cœlo nauigantes transire hinc in phantasma terræ luminis, pro qua pugnando perierunt, atque ita nullas animas circa corporum suorum sepulchra detineri. Idem libro uigesimo contra Faustum, cap. 21.

DE SECTATORIBVS *Manetis.*

SEctatores & propagatores hæreseos Manetis Augustinus numerat, Adimantum, quem discipulum nominat Manichæi: Faustum, Felicem, Fortunatum, Secundinum: aduersus quos partim coràm disputando, partim scriptis editis dimicauit.

De ritibus & moribus Manichæorum.

Moribus & ritibus Manichæorum, quos in superiori Centuria commemorauimus, hæc etiam adijcimus, quæ illis Augustinus tribuit: Ad Solem, inquit, genua flectunt. libro secundo de moribus Manichæorum, capite octauo: & libro in Genesin contra Manichæos, capite tertio: & libro uigesimo contra Faustum, capite primo. Appellantur Agonistici, propterea quòd contra diabolũ certant: quod de seipsis fingunt. Idem in Psalmum centesimum trigesimũ secundum: Vsuras exercent, & publicè profitentur, satius esse, fœneratorem esse quàm agricolã: ideo quòd usurarius non conuellat membra Dei, quæ sint in arboribus, herbis, pomis & fructibus, qđ agricola faciat. Interrogati uerò, quamobrẽ ipsi cibis de frugib. & pomis paratis uescantur: respondent, se esse electos, & fide illuminatos, & per castitatem, orationem & Psalmos uitam inde purgare, & in cœlum remittere. Idem in Psalmum centesimum quadragesimum: & libro secundo de moribus Manichæorum, capite decimoquinto. Panem mendicanti Manichæus, nisi mendicus Manichæus sit, non porrigit: metuens, ne uitam quæ in pane sit, mendicus accipiat, & in carnem associet. Propter misericordiam tamen, seu inuidiã, potius nummos dandos censent. libro se-

cundo de moribus Manichæorum, cap. decimoquinto & decimosexto.

Iactant falsam abstinentiam & continentiam, qua se ad imperitos decipiendos ueris Christianis præferunt. Carne & uino abstinent, sed nō propter temperantiam: alijs enim utuntur cibis longè præstantioribus, & succis dulcissimis. Vinum autem putāt esse fel principum tenebrarum: quamuis ab uuis non sibi temperent. Carnem dicunt esse ster corum domum. Idem libro primo Retractationum, capite septimo: & libro secundo de moribus Manichæorum, capite decimotertio & decimosexto.

De numero igitur electorum pellunt hominem, qui fortè carnem ualetudinis causa & nulla cupiditate gustauerit. Si autem piperata tubera uoraciter edere concupierit, immodestiæ fortè reprehenditur, nō autem ut corruptor signaculi damnatur. Ita fit, ut in electis eorum esse non possit, qui proditus fuerit, non concupiscentiæ, sed necessitatis causa partem aliquam gallinæ gustasse. Idem libro 2. de moribus Manichæorū, capite 16.

Petulanti gestu & adhinnitu ad mulieres, omnium triuialiū impudicitiam impudentiamque superant, à qua nec in festis eorum uigilijs abstinent. Idem ibidem: & libro eodem, capite decimonono. Inuidi sunt, auari, epularum exquisitarum auidissimi, & in iurgijs frequētissimi, à scortationibus & stupris non sunt alieni. Idem libro eodem, capite decimonono. Hæc uerò de Fausto seorsim narrat Augustinus, in libris cōtra Faustum: Piscem non edit, gloriatur se omnia reliquisse propter Deum, arrogat sibi beatitudines Euangelicas: quod Augustinus confutat libro quinto cōtra Faustum, capite septimo & octauo. Præcepta nullius Tabulæ seruauit. Augustinus contra Faustum libro quinto, capitibus primo, septimo & octauo: libro decimoquinto, capite septimo: libro 16. capite 9.

CONFVTATIONES.

Manetis uanissimis delirijs qui se opposuerint suprà indicauimus. Nūc quot & quibus libris contra ea Augustinus decertarit, adijcimus. Extant autem pleriq; in tomo secundo, tertio & quarto librorum Augustini: ut, De moribus Ecclesiæ Catholicæ, & de moribus Manichæorum, libris duobus. De Genesi cōtra Manichæos, libris duobus. De utilitate credendi, libro uno. De duabus animabus contra Manichæos, libro uno. Contra Fortunatum quendam Manichæorum presbyterum, libro uno. Contra Adimantiū Manichæi discipulum, libro uno. Contra epistolam Manichæi, quam uocant Fundamentum, libro uno. Contra Faustum Manichæum, libris trigintatribus. Contra Felicē Manichæum, libris duobus. De natura boni aduersus Manichæos, libro uno. Contra Secundinum Manichæum, libro uno. De fide contra Manichæos, libro uno, qui solus continetur tomo undecimo.

CONFVTATIONES HYPOthesium de Scriptura.

RATIONES, QVAMOBREM uetus Testamentum & Mosen Faustus reijciat.

1. *Ratio.*

Quia Iudæis tantum promittit hæreditatem, ex quibus ego non sum. Deinde uetus Testamētum fastidio, propter beatam noui Testamenti promissionem. lib. 4. cap. 1.

2. *Ratio.*

Quomodo uetus Testamentum accipiā, cum eius non seruem præcepta, nec tu seruas? libro sexto, cap. 1.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Nostis quid interfuit inter præcepta uitæ agendæ, & præcepta uitæ significandæ? præcepta ueteris Testamenti fuerunt umbræ & figuræ noui, seu futurorum. lib. 6. capite 2. Et, Faustus ait: Audetis sacrificia ueteris Testamenti execrari, & idololatriam nominare.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Sacrificia ueteris Testamenti figuræ nostræ fuerunt, & omnia talia, multis & uarijs modis unum sacrificium, cuius memoriam celebramus, significarunt. Vnde isto reuelato, & suo tempore oblato, illa de agēdi celebritate sublata sunt, sed in significandi autoritate manserunt. libro sexto, cap. 5.

3. *Ratio Fausti.*

Testamentum uetus repudio, quia nouo præuentus sum, & quia nouo cum ueteri nō conuenit: iuxta dictum Christi, Pannum nouum nemo affuit uestimento ueteri. Et Paulus Galatas arguit, quòd ad circumcisionem relabentes, infirmis & egenis elementis seruire denuò uellent.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Veteris Testamenti autoritatem tenemus, non ad Iudaicæ seruitutis imitationem, sed ad Christianæ libertatis testificationem. Neq; enim mea, sed Apostoli uox est: Quia omnia hæc in figura contingebant illis, scripta autem sunt propter nos, &c. Galatas autem Paulus reuocat, non religiosæ Scripturam circumcisionis legentes, sed iam superstitiosè circumcidi uolentes. Vnde non pannum nouum uestimēto ueteri assuimus, sed erudimur in regno cœlorū, ad similitudinem illius patrisfamiliās, quem cōmemorat Dominus proferentem de thesauro suo noua & uetera.

Occasio

Occasio autem istius dicti, Nemo pannum nouum,&c. fuit, quòd adhuc discipuli Dominum carnaliter diligebant,&c. lib. 8. capitibus primo & secundo.

4. Ratio.

Criminando Faustus Mosen, ait, quòd humanorum nulli unquam, diuinorumque pepercerit.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Nos contrà scimus, Mosen omnia uerba diuina piè laudasse: & pro sui temporis congruentia, suæque dispensationis gratia, iustè humana rexisse. libro 14. cap. 9.

5. Ratio.

Faustus Mosen non accipit, tametsi fateatur eum aliquid de Christo scripsisse: quia Christus dicat, fures & latrones fuisse, omnes qui ante se uenerint. Quæ sententia primùm omnium feriat ipsum Mosen. lib. 16. capitibus primo & 2.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Fures & latrones ante se uenisse, Christus ita uult intelligi, quòd missi non fuerunt, sicut Moses & prophetæ: qui missi non ante ipsum, sed cum ipso uenerint. libro decimosexto, capite 12.

6. Ratio.

Respondet Augustinus: Deus ad Mosen loquitur: Suscitabo illis Prophetam de fratribus ipsorum, similem tibi. Hoc non pertinere ait Faustus ad Christum, quia non sit similis Moysi, quòd ille homo, hic Deus: ille peccator, hic sanctus: ille ex coitu natus, hic secundum nos ex uirgine, secundum uos uerò nec ex uirgine: ille offenso Deo occiditur in monte, hic patri perplacens, patitur propria uoluntate. libro decimosexto, capite octauo.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Quasi uerò cum simile aliquid dicitur, ex omni parte, atque ex omni modo simile intelligatur, &c. Nam quid tam longè distat à filio Dei, per quem facta sunt omnia, quàm pecus & lapis? Et tamen in Euangelio legitur: Ecce agnus Dei. Et in Apostolo: Petra autem erat Christus. Quæ nullo modo quisquam rectè diceret, si eorum aliquam similitudinem nullo modo ille susciperet. Quid ergo mirũ, si non est dedignatus Christus fieri similis ipsi Moysi, qui similis factus est ouis? &c. Confutat & confert omnes partes prolixius lib. 16. cap. decimoquinto.

7. Ratio.

Soletis hoc de Christo testimonium ex Mose adducere: Videbunt uitam suam pendentem, & non credent. quod ad Christum minimè pertinet, cum alibi dicat Moses: Male dictus omnis qui pendet in ligno. quod de Christo, si spiritum Dei Moses habuit, dicere maledicens non potuit. Si uerò de Christo dixit, spiritum Dei non habuit. libro decimosexto, cap. 5.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Hoc dicere nemo audebit, nisi qui negauerit aut Christum esse uitam, aut Iudæis uisum esse pendentem, aut eos illi non credidisse. Cum uerò ipse dicat, Ego sum uita, & eum pependisse cõstet ante oculos Iudæorum, ei non credentium: non uideo cur dubitare debeamus, id etiam de Christo scripsisse Mosen. lib. decimosexto, cap. uigesimosecundo.

8. Ratio.

Nec illud quidẽ uerisimile est, quod Christus ait: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi. quia dissimilis admodum traditio est, & longè altera Moseos & Christi: adeò ut si eorum alteri Iudæi crederent, alteri necessariò repugnarent. Recitat aliquot exempla dissimilitudinis, lib. 16. cap. 6.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Si non erat uerisimile, ut Iudæi Moysi & Christo pariter crederent: multo minus uerisimile est, ut orbis terrarum Moysi & Christo pariter credat. Cum uerò uideamus omnes gentes utriq; credere, & illius prophetiam cum Euãgelio huius conuenientem fide robustissima & celeberrima retinere, non ad aliquid imposibile gens una uocabatur, cum ei diceretur, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: potiusq; est miranda & uehementius arguenda duritia Iudæorum, qui hoc non fecerunt, quòd totum mundum feciſſe conspicimus. lib. 16. cap. 27.

9. Ratio.

Respõdet Augustᵘˢ. Si Christianᵘˢ es, inquiũt, (Christiani) crede dicẽti Christo, quia de se scripsit Moyses. Quod si nõ credis, Christianus non es. Inepta hęc, Faustus inquit, & imbecilla est ratio: meliusq; esset Christo simpliciter, quàm ei per Mosen credere.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Moses quicquid scripsit, ad Christũ referri potest, siue quòd eum figuris rerum uel gestarum uel dictarũ prænunciet, siue quod eius gratiam gloriãque cõmendet. Tu qui cõmentitiũ fallacẽq; Christum de Manichæi literis credidisti, ista Mosi non uis credere. lib. 16. cap. 8. 9.

10. Ratio

Dæmonibus Dei famulum (Mosen) comparasti, ut quales illi fuerunt, cum Christum confiterentur, talis & iste accipiatur.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Si aliquid in eius libris reperiri potuerit, quod prædicet Christũ, ille quidẽ nõ dedignatur opprobriũ Do-

mini sui. Si enim paterfamilias Beelzebub appellatus est, quanto magis domestici eius? Profectò sceleratiores estis, quàm illi qui Domino ita conuiciati sunt. illi enim non eum Christum esse credebant, & ideo fallacem putabant: uos autem doctrinam non putatis esse ueracem, nisi quæ Christum audet prædicare fallacem. libro decimosexto, capite nono.

11. Ratio

Omnia munda mundis, Paulus inquit: immundis autem & coinquinatis nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mēs & conscientia. Non dæmonijs igitur tantum exagitati fuerunt Moses & prophetæ, cum tantas de ciborum differentijs tulerūt leges: sed etiam immundi ipsi fuerunt, & coinquinati mente, &c.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Cum ait Apostol⁹, Omnia munda mundis, naturas ipsas intelligi uoluit, quas Deus bonas creauit: nō significationes, secundū quas Deus per Mosē ab immundis munda discreuit. Eos igitur qui iam tempore reuelationis noui Testamenti adhuc illas umbras futurorū ita custodiendas putarent, ut sine his gentes salutem quæ in Christo est percipere non posse contenderent, immundos dicit Apostolus, quòd carnaliter saperent: & infideles, quòd tempus gratiæ à legis tempore nō discernerent, &c. Libro trigesimoprimo, capitibus primo, secundo, tertio & quarto.

12. Ratio.

Dictum hoc, Non ueni soluere legem, sed implere, Faustus dubitat utrum sit Christi, quia Matthæus à Christo non audiuerit: Ioannes autem, qui ex eo in mōte cum Petro, Andrea & Iacobo audierit, non testetur, sed taceat, ut testis idoneus, loquente Matthæo teste non idoneo. libro decimoseptimo, capite primo.

Confutatio.

Respondet Augustinus: O mirabilem insaniam, de Christo aliquid narranti nolle credi Matthæo, & uelle credi Manichæo. Si Matthæus nō interfuit, cum hoc dixit Christus: nunquid Manichæus interfuit, aut iam uel natus fuit, cum Christus inter homines appareret? Et cur non ex ore Ioannis, condiscipuli sui, potuit uera Matthæus audire de Christo? Libro decimoseptimo, cap. 3.

13. Ratio.

Eas ergo sub legem, si eam Christus non soluit, sed adimpleuit: circumcidaris, recipias sabbatum, sacrificia, differentias ciborum: quæ tu sine dubio negabis susciplenda. lib. 18. cap. 2: lib. 19. cap. 6.

Confutatio.

Respondet Augustinus: Christiani ex lege & prophetis non faciunt, quib. significata sunt ista quæ faciūt. Illæ quippe erāt figuræ futurorū, quas rebus istis per Christū relatis & præsentatis auferri oportebat, ut eo quoq; ipso quod hæc allata sunt, lex & prophetæ implerentur. Lib. 18. cap. 4. Et libro 19. cap. 7: Quia difficile nobis fuit legē implere, ille per carnis sacrificiū sacerdos effectus, impetrat nobis indulgentiā: etiam hinc adimplēs legem, ut quod per nostram infirmitatem minus possumus, per illius perfectionē recuperetur, cuius capitis membra effecti sumus.

Contra secundam hypothesin Manichæorum.

De Scriptura Augustinus sic inquit: Nostrorum librorum autoritatem commendat & confirmat plurimorum gentium consensus, per successiones Apostolorum, episcoporum & conciliorum. Augustinus libro 13. contra Faustum, cap. 5.

CONFVTATIONES HYPOTHESIVM *de Deo.*

Opinionem qua duos deos, duoq; principia bonorum & malorum, unumque ex ijs Deum, alterum Hylen aut dæmonē Faustus Manichæus infelix finxit, occasione dicti Pauli, Deus seculi huius excæcauit mētes infidelium, Augustinus sic infringit: Hāc sententiam pleriq; nostrūm ita distinguunt, ut Deum uerum dicant excæcasse mētes infidelium. Potest enim talis operatio, qua excæcantur mentes infidelium, secundū quendam modum pertinere ad uerum Deū, qui id facit non malicia, sed iusticia, sicut alibi Paulus dicit: Nūquid iniquus est Deus, qui infert iram? libro uigesimoprimo cōtra Faustum, capitibus primo, secundo, & 4.

Contra tertiam, de multitudine Deorum, sic ait:

Hoc fingis Fauste, non ferens scilicet sanam doctrinam: Vnus Deus, uno Deo natus filius, & utriusq; Spiritus sanctus. Libro decimoquinto contra Faustum, capite quinto & sexto.

Contra quartam sic respondet Augustinus:

Vos nondum mundi à figmentis carnaliū corporaliumq; cogitationū, nihil aliud nouistis, quàm & corpus & animam & Deum per locorū spacia uel finita uel infinita diffēdere, cum corpus solū talia spacia occupet. Et: Ad illas quæstiones, quomodo sit Deus finitus, quem nullus capit locus: quomodo infinitus, quem totum filius nouit, &c. omnis cogitatio carnalis euanescit. Item: Quia propter hoc quod proponitis de Deo finito & infinito, melius tacendo finitis, donec à fine legis, qui est Christus, tam longè aberrare desinatis. Lib. 25. contra Faustū, cap. 1. &

Contra quintam in hunc modum Augustinus pugnat: Deo

Deo nocere nihil potest: sed filium suum misit, ut carne indutus peccatores saluaret, & ita ipsa carne pro nobis pateretur, quam ex nobis sumpsit. In sua autem natura nihil pati poterat, quia in principio erat uerbum. libro secundo contra Felicem, cap. 9.

CONFVTATIO HYPOTHESEOS *de Trinitate.*

Hypothesin de Trinitate Augustinus etiá refutat his uerbis: Lumen illud Trinitas inseparabilis, unus Deus est, cuius uos nullo corpore adiúcto per seipsam incorpoream, spiritualem, incommutabilemque substantiam etiam locis diuiditis. Nec tria solùm lo scilicet lumen inaccessibile, quod prorsus non intelligitis: filio duo, solem atque lunam: spiritui sancto rursus unum, id est aeris hunc omnem ambitum. A patre autem uerum fidem tenentibus, non separatur filius & spiritus sanctus. libro uigesimo contra Faustum, capite septimo. Et: Vestræ uanitati quid placuit in solẽ ponere uirtutem filij, & in luna sapientiam? Cum enim in ipso patre filius inseparabilis maneat, quomodo potest sapientia eius ab eius uirtute separari? Vt illa sit in sole, hæc in luna, cum per huiusmodi loca nisi corpora diuidi separarique non possint? libro eodem, capite octauo.

CONFVTATIONES HYPOTHESIVM de Christo.

Contra secundam.

Pugnat cum dictis Scripturæ, Rorate cœli desuper, &c. Ecce paruulus natus est, Ecce uirgo concipiet, &c. Sicut autem uirginitas Mariæ non est corrupta Christi natiuitate, ita nec diuina Maiestas commaculata est. Augustinus lib. quinto de hæresibus, capite sexto. Confutat idem prolixius in libro de fide contra Manichæos, capite 23 & uigesimoquarto.

Contra tertiam.

Quòd Christum non ex uirgine natum sed ex muliere asserunt, quia Paulus factum eum ex muliere dicat: faciunt ignorantia consuetudinis Hebraicæ, qua mulier pro uirgine ponitur. Idem libro de fide contra Manichæos, cap. 22.

Contra quartam.

Christus Mariam non matrem, sed mulierem nominans, exemplo suo docet, negã dos esse parentes terrenos propter Deum. Idem libro eodem, capite uigesimoquinto. Et tractatu octauo in secundum caput Ioannis: Non tantum dicitur in textu, Erat ibi Maria: sed additur, Mater Iesu. Euangelistæ igitur plus credendum est, quàm hæreticis.

Contra quintam.

Si phantasma fuit Christus, quid tenuerunt Iudæi? Quid erat quod in cruce pendebat? quid confixum erat clauis in ligno? quid est percussum lancea? unde sanguis & aqua profluxit? Et: Miseri, non ueremini ut dicatur uobis in iudicio: Ego eos liberaui, pro quibus passus sum? iste ille uos liberet, cui meas adscribitis passiones. Idem libro eodem, capite trigesimosecundo & trigesimotertio.

Contra sextam.

Maximè ridiculi estis, & uehementer cæci. Prius passionibus dæmonum, hic passionibus olerum homines liberari dicitis à peccatis. libro eodem, capite trigesimoquarto.

Contra septimam.

Quis ergo aliquando poterit de talibus necessitatib. liberari? aut quis erit qui protegat Deum non ualentem seipsum protegere? Aut quando me de hac necessitate captiuitatis poterit liberare, qui me in integris regnis custodire non potuit? Libro eodem, capite quadragesimonono.

Contra octauam, Serpentem in paradiso fuisse Christum.

Non attendunt Apostolum dicentem: Metuo ne sicut serpens Euam seduxit astucia sua, sic & sensus uestri corrumpantur. Libro secundo de Genesi contra Manichæos, capite uigesimosexto.

Contra nonam.

Quid ergo respondebis Apostolo dicenti: Memor esto, Christum Iesum surrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum? Porrò quid magni est, quod alium patrem habeat Ioseph secũdum Matthæum, alium secundum Lucam: & alium auum secundum istum, alium secundum illum? An non uidetis usitatissimum & facilimum esse, patrem cuiusquam non eum tantum dici, à quo genitus sit, sed etiam à quo fuerit adoptatus? Contra illud uerò, quod nusquam ore suo fateri Christum dicitis, patrem se habere aut genus in terra: opponimus, quòd sæpe hominis filium seipsum Christus nominat: & abundè testatur doctrina Apostolica, quòd secundum diuinitatem non habeat genus in terra, secundum carnem autem sit ex semine Dauid. In dicto deniq; suo ad Corinthios, Paulus suo more uitã nostrã futurã, quæ iam in ipso homine mediatore Christo capite nostro resurgente completa est ita certa spe meditatur, tãquã iam adsit, ac præsens teneatur, quæ utiq; uita non erit secundum carnem. Corruptionẽ enim mortalitatemq; carnis uult intelligi, quæ tunc nõ erit in nobis, sicut iam in Christo nõ est. Augustinus lib. 2. contra Faustum, cap. 1. & secundo: libro tertio, capitibus primo, secundo & tertio: libro septimo, cap. 1. & secundo: & libro 11. cap. 7.

Contra

Contra decimam.

Dominus & Saluator noſter IESVS Chriſtus, uerus & uerax Dei filius uerus ité & uerax filiꝰ hominis (quod utrũq; de ſe teſtatur ipſe) & de uero Deo diuinitatis æternitaté, & de uero homine carnis originẽ duxit, nec nouit Apoſtolica doctrina purũ hominẽ ueſtrum, &c. lib. 2. contra Fauſtum, cap. 3 & 4.

Contra undecimam.

Omnis fidelis intelligit, nõ eſſe contumeliam Chriſti, ex ore Moſi, cũ eum maledictũ dixit, nõ ex diuinitate maieſtatis ſuæ, ſed ex cõditione pœnæ noſtræ, ex qua in ligno ſuſpenſus eſt. Nec eſſe laudé Chriſti ex ore Manichæorũ, cum eum negant carnẽ habuiſſe mortalem: ſed ex prophetico illo dicto, laus intelligitur humilitatis. Crimen aũt eſt falſitatis, quod hæreticus obijcit: Si negas maledictum, nega mortuũ: ſi negas mortuum, non iam contra Moſen, ſed cõtra Apoſtolos dimicas. libro 14 contra Fauſtum, cap. 7.

Contra duodecimam.

O demens. Terrã putas de ſpiritu S. concipere potuiſſe Ieſum: Mariam aũt uirginẽ non potuiſſe? libro 20 contra Fauſtũ, cap. 12.

Contra decimamtertiam.

Fides Catholica, eademq; Apoſtolica, confitetur Dominũ noſtrum & Saluatorẽ IESVM Chriſtum & filiũ Dei eſſe ſecundũ diuinitatem, & filium Dauid ſecundum carnẽ. quod adeò probamus ex Euangelicis & Apoſtolicis literis, ut nemo poſsit contradicere. Libro 23 contra Fauſtum, capitibus 1. 3. 4. 5. 8. 9. & 10.

Contra decimamquartam.

Ego abs te requiro, quomodo mortuus non ſit Helias, quum fuerit homo? An huic mortali præter conditionem ſuam licuit ius immortalitatis inuadere: Chriſto non licuit immortali, de morte, ſi neceſſe fuit, aliquid uſurpare? libro 26 contra Fauſtum, cap. 1.

Contra decimamquintam.

Ieſus & naſci potuit non ſatus, & pati nõ partus: ſed unum horum coluit, alterum noluit. Naſci enim nõ ſatus uoluit, pati autem non partus noluit: quia partus eſt paſſus, quod ego in Euangelio ueritatis lego. libro 27 contra Fauſtum, cap. 1 & 2.

Contra decimamſextam.

Nemo tibi dicit, Nõ poterat mori niſi natus eſſet: ſed dicitur tibi, Natus eſt, quia hoc ſecundum Euangeliũ: & mortuus eſt, quia & hoc in ſancto Euangelio, non in hæretici alicuius libro legitur. Libro 28 contra Fauſtum, capitibus 1 & 2.

Confutatio eius, quòd magica & phantaſtica paſſione Chriſtum mortuum Fauſtus & Manichæi deliri ſomniant.

Nobis non dicitur Magia eſſe, ut qui natus nõ fuerit, moriatur. Hoc enim in Adam factum eſt, qui mortuus eſt, quanquam natus non fuerat. Et poterat quidé in uera eſſe carne, & uera morte nos redimere, non natus ex uirgine: ſed melius illud eſt quod fecit, ut etiã de uirgine naſceretur, & utrumq; ſexum, pro quo liberando mortuus eſt, dignaretur etiam commendare naſcendo, maſculino ſuo corpore ex fœmina procreato. Illud autem magicum magis eſt, quòd paſsionem mortemq; eius ſpecietenus factã, atq; fallaciter dicitis adumbratam. Libro 29. capite primo & ſecundo.

Contra decimamnonam.

Eiuſmodi cõmentum fides Eccleſiæ catholicæ improbat, & diabolicam eſſe doctrinam agnoſcit. Quomodo enim Chriſtus ſol ſit, cũ per eum ſol ſit factus: & lux ipſa, quæ hanc lucem fecit? Auguſtinus tractatu 34. in Iohannem.

CONFVTATIO HYPOTHESEOS *de Spiritu ſancto.*

Exercuit prophetias ſuas ſpiritus S. in utroq; Teſtaméto. Quomodo ergo quædam in eo damnare potuit? Deinde ex Scriptura probamus, ſpiritum S. inducere in omné ueritatem. Contrà quòd uos id agere uidemini, ut de medio Scripturarum auferatur authoritas, & ſuus cuiuſq; animus author ſit, quid in quaq; ſcriptura probet, quid improbet. Libro 23. cap. 15. 18. & 19.

Confutatio eius quod Felix dixit, Manichæum eſſe paracletum, quia docuerit de motu ſolis & lunæ.

In Euangelio non legitur, Dominum dixiſſe, Mitto uobis paracletũ, qui doceat uos de curſu ſolis & lunæ. Chriſtianos enim facere uolebat, nõ mathematicos. Lib. 1. cõtra Felicem Manichæum, cap. 10 & 11.

CONFVTATIONES HYPOTHESIUM *de Creatione.*

Contra primam.

Scriptura ait: Dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt. Ité: Qui uocat ea quę non ſunt. Libro de fide contra Manichæos, cap. 40. & ſequenti.

Contra ſecundam.

Non ſunt duæ naturæ, ſed eſt poteſtas liberi arbitrij. Auguſtinus lib. 2. contra Felicé, capite 2 & 3. Et tractatu 42. in Ioannem: Bona eſt omnis natura, ſed uitiata eſt hominis natura per uoluntatem malam. Quod fecit Deus, non poteſt eſſe malum, ſi ipſe homo non ſit ſibi malus.

Contra tertiam.

Nõ tibi conſtas, dicens aliàs, finé habere quæcunq; naſcũtur: aliàs, coęterna eſſe Deo quęcunq; generauit. Deinde diſtingui oportet inter gignere & facere. Æquale eſt Deo quidé quod genuit, ſcilicet filius. Quod autem fecit, id eſt de nihilo cõdidit, ut omnes creatu-

creaturas, non est ei æquale. Omnipotens enim Deus & de se potuit generare, & de nihilo facere, & ex eo quod iam fecerat forma re. De se filium æqualem sibi, de nihilo mundum & uniuersam creaturam, ex aliquo de terra hominē, quia omnipotens est. Quod ergo de seipso est, pollui nunquam potest, quomodo nec ipse. Quod autē ab illo factū est, non de illo, & pollui potest per liberum arbitrium, & mundari per ipsius misericordiam. Libro 2. contra Felicem, cap. 19.

Contra quartam.

Nefas est credere, Deum omnipotentem aliquam aduersam gentem timuisse, aut necessitatem esse passum, ut nos in ærumnas conijceret. In disputatione aduersus Fortunatum Manichæum.

Contra quintam.

Contraria ista nō sunt origine sua ex Deo, qui omnia bona fecit, & bene ordinauit: sed sunt secuta hominis lapsum. Idem, in eadē disputatione.

CONFVTATIONES HYPOthesium de Homine.

Contra primam.

Scriptum est: Nescitis quia corpora uestra mēbra sunt Christi, & tēpla Spiritus sancti? Libro de fide contra Manichæos, cap. 40.

Contra tertiam.

Paulus quidem interiorem hominem per spiritum mentis, exteriorem uerò in corpore atq; ista mortali uita uult intelligi: nō audixisse, alicubi in epistolis eius legitur, sed unum quem totum Deus fecerit, scilicet & id quod interius est, & id quod exterius. Eū uerò ad imaginem suam non fecit, nisi secundum id quod interius est, non solùm incorporeū, sed etiam rationale: quod pecoribus non est. Non itaq; unum hominem fecit ad imaginem suam, & alterum non: sed hoc utrumq;, interius & exterius, simul homo unus est. Hunc enim hominem ad imaginem suam fecit, secundum interius scilicet, quod & Faustus agnoscit: Cum renouatur, inquit, in agnitionem Dei secundum imaginem eius qui creauit eum. Hanc Apostolicam plānè agnosco sententiam, quam ipse alteram non agnoscit: Deus, inquit Paulus, posuit membra, singulum quodq; meum in corpore suo prout uoluit. Ecce Deus etiam exterioris hominis effector de Apostolo prædicatur. Libro 24. cap. 1. & 2.

CONFVTATIO HYPOthesēos de Anima.

Aliud est quod de se genuit Deus, quod hoc est quod ipse: aliud aūt qđ fecit Deus. Quod Deus genuit, æquale est patri: ut unigenitus filius, & uerbū eius. Quod uerò fecit Deus, nō est æquale conditū conditori. Anima ex his est quæ fecit Deus, nō illud quod de se genuit Deus. Verbū igitur quod de se genuit, pollui non potuit, nec potest, nec poterit: Anima uerò, contempta Dei lege, per peccatum est polluta: cuius misertus Deus, misit filium suum, ut eam mundaret. Lib. 2. contra Felicem, cap. 17.

Confutatio eius quod Fortunatus dixit, animam esse substantiam & portionem Dei.

Si anima substātia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substātia Dei uidetur, substantia Dei decipitur: quod dicere nefas est. Animā igitur sic nego substantiā esse Dei, ut negare possim illam esse Deum: sed tamen ex Deo autore, quia facta est ex Deo. Aliud est enim qui fecit, aliud qđ fecit. Qui fecit, corruptibilis esse omnino nō potest: quod autem fecit, omnino nō potest esse æquale illi qui fecit. Augustinus in disputatione contra Fortunatum.

CONFVTATIONES HYPOthesium de peccato.

Contra primam.

Paulus ait: Radix omniū malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, &c. Non igitur naturalis est in homine cupiditas, sed uoluntaria. Et Christus: Aut facite, inquit, arborem bonā, &c. Ergo in hominis est potestate. Denique Manichæi ipsi in suo Thesauro affirmant, animas eas etiā quę ad substantiam Dei pertineant, propria uoluntate peccare. Libro de fide contra Manichæum, cap. 5: & in disputatione contra Fortunatū Manichæum.

Contra secundam.

Nos contrà non substantiam, sed inclinationē, ab eo quod magis est, ad id quod minus est, malum esse dicimus. August. libro contra Secundinum Manichæum, cap. 12.

Confutatio hypothesēos de Coniugio.

Hęc doctrina nō Apostolorū, sed mendaciloquorum est. lib. 29 contra Faustū, cap. 6.

DE ILLIS QVI DE HAEresi Manichæorum conuersi sint.

Ab hac deniq; hæresi ad Ecclesiā redijsse & cōuersum esse Augustinus solùm Felicem narrat: cuius hanc recitat palinodiā, libro 2. contra eundem, cap. ultimo: Ego Felix, qui Manichęo credideram, nūc anathematizo eū, & doctrinā ipsius, & spiritū seductorē qui in illo fuit, qui dixit, Deū partē suā genti tenebrarū miscuisse, & eam tam turpiter liberare, ut uirtutes suas transfigurarit in fœminas contra masculina, & ipsos iterū in masculos contra fœminina dæmonia, ita ut postea reliquias ipsius suæ partis configat in æternū globo tenebrarū. Has omnes & cæteras blasphemias Manichæi anathematizo.

DE

DE SABELLIANORUM hæresi.

VIdentur tum Philastrius in Hæreseon catalogo, tum Augustinus in libro de quinque hæresibus, & in catalogo suo ad Quoduultdeũ, in libro item de agone Christiano, capite 14. narrationes suas de Sabellianis ita texere, ut suo adhuc hæresin eorũ durasse tẽpore non obscurè indicent: quam etiam refutant.

DE CONFVTATIONE Hypothesium Sabellij.

Confutatio eius, quòd Sabelliani negant realem pluralitatem personarum.

Quia nostra loquendi cõsuetudo iam obtinuit, ut hoc intelligatur cũ dicimus essentiam, quod intelligitur cũ dicimus substantiam, non audemus dicere unam essentiam, tres substantias: sed unam essentiã uel substantiam, tres autem personas. Quemadmodum multi Latini ista tractantes, & digni autoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non inuenirent, quo enunciarent uerbis, quod sine uerbis intelligebant. Reuera enim cum pater nõ sit filius, & filius non sit pater, & spiritus sanctus ille qui etiam donum Dei uocatur, nec pater sit nec filiꝰ, tres utiq; sunt. ideo pluraliter dictum est: Ego & pater unum sumus. Non enim dixit, unum est, quod Sabelliani dicunt: sed, Vnum sumus. Augustinus libro 5. de Trinitate, cap. 9. Et libro de quinq; hęresibus, cap. 7: Non est scriptũ, Ego & pater unus sum: sed, Ego & pater unum sumus. Et tractatu 36. in Euangelium Ioannis: Erubesce Sabelliane, audis filium, audis patrẽ. Pater pater est, Filius filius est. Non dixit: Ego sum pater, & ego ipse sum filius. Item in Psalm. 5. Pater non nisi pater, filius nõ nisi filius, spiritus sanctus nõ nisi spiritus sanctus. Quia cum dixisset Apostolus, Ex quo omnia, per quẽ omnia, in quo omnia: Trinitatẽ ipsam insinuasse creditur. non tamen subiecit, Ipsis gloria: sed, Ipsi.

Confutatio nugamenti Sabellianorum, patrem fuisse passum.

Sabelliani sic inquiunt: Pater, quia non incarnatus est, nec passus est, sed filius: & à filio incarnato nõ recesit pater, filius tamẽ portabat, pater autem cum filio erat.

Sed cum in cœlo pater fuerit, filius uerò in terra, Quomodo, inquiunt, pater cum filio erat?

Respõdet Augustinus: Nõ sic in cœlo Deꝰ est, ut non etiam sit in terra: sed quia nullo loco clauditur, & ubiq; est, cur nõ cum filio incarnato esse potuit? tractatu 34. in Ioannẽ.

DE HIERACITARVM hæresi.

DVrasse & Hieracitarum hæresin hoc adhuc seculo, uerisimile est. Queritur enim in Ancorato Epiphanius, se iam recẽs audire, præcipuos quosdam ex religiosis, (quos intelligere uidetur monachos) in Ægypto, Thebaide, atq; alijs regionibus similia Hieracitis sentire ac dicere, Resurrectionem carnis futuram, non huius quidem, sed alterius pro hac.

DE HAERESI TERTVLlianistarum.

PAulatim defecisse Tertullianistas suo seculo, Augustinus scribit ad Quoduultdeum. Reliquias tamẽ eorum nõnullas Carthagine postremò durasse: nec prius ibi prorsus defecisse, quàm ipse eò uenisset, quo tempore desierint omnes, aliquibus eorũ ad catholicos conuersis, quibus basilicam suam tradiderit.

HYPOTHESES.

De Deo.

Ipsum Deum, quemadmodum Tertullianus, contendunt esse corporeum. Augustinus de hæresibus ad Quoduultdeum.

De Anima.

Animã, sicut Tertullianus, immortalem quidem esse dicunt, sed tamen effigiatũ corpus. Animas item hominum pessimas, post mortem in dæmones uerti. Statum aũt animæ per traducem propagari. Idem ibidem.

De Coniugio.

Secundas nuptias, cõtra doctrinã Apostolicam, tanquã stupra damnant. Idem ibid.

DE ARIANORVM hæresi.

VT omnium nocentissima semper, ita fœcundissima his adhuc seculis Arriana fuit hæresis, cuius sectatores ubiq; locorum maximo durarunt numero. Theodoretus libro 5. cap. 30. Scythiam fuisse infectam Arianismo tradidit. & eiusdem libri cap. 35. de Iudæis eadẽ labe fœdatis Antiochiæ nõnulla indicauit. Africam repletã fuisse Arianis, in catholicos uiolenter furentibus, Prosper annotauit sub año Christi 489. quo tempore Orientis imperio Zeno præfuit. In ijsdem locis graues in catholicos mouerunt persecutiones Vandalorũ reges Ariani, Genserichus, Honorichus & Trasimundus, annis Christi 438, 485, & 494. secundum Marianum, & Hermannum Contractum. Disputauit & Augustinus certis libris contra episcopos Arianorum Maximinum & Felicianum.

Constantinopoli sub Ioannis episcopatu Arianos magna licentia & petulantia conuentus fecisse, Socrates scripsit libro sexto, capite octauo. Commemorat & episcopos Arianorum in eadem urbe, Socrates libro 7. cap. 6. Dorotheum, Barbam, Timotheum, Georgium. Sed & factionem suam ibidem habuisse Gainam Romani exercitus ducem, autor

autor idem retulit libro 6. capite 5: & Theodoretus libro 5. capite 32.

HYPOTHESES.

De Deo & Trinitate. 1.

Maximinus Arianorum episcopus, unum esse sensit Deum, quem Christus & Spiritus sanctus adorent, omnisq; creatura uenerentur & colat, non quòd copulatio uel permixtio filij cum patre, aut uel certè spiritus sanctus cum filio faciat unum Deum. Augustinus libro primo contra Maximinum.

De patre & filio. 2.

Idem dixit patrem & filium unũ esse, nõ unitate naturæ, sed uolũtatis. Augustinus libro secundo contra Maximinum.

Tertia.

Filiũ Dei inuisibilium creator, antequam formam serui acciperet, in forma Dei fuit uisibilis. Idem lib. 2. contra Maximinum.

Quarta, de Christo.

Filius Dei non degenerauit iam natus, sed degener natus est. Idem libro 3. contra Maximinum, capite primo.

Quinta.

Maximinus ridiculè dixit Mosen scripsisse in Genesi, quod à primo homine Adam, usq; ad incarnationem ipsam, filius semper uisus sit. Idem libro tertio contra Maximinum, capite uigesimo sexto.

Sexta.

Si in Christo, Felicianus inquit, penitus nihil diuinitas pertulit, secundũ hominem Christus alius fuit. Augustinus libro contra Felicianum Arianum, capite decimo.

Septima.

Christus natus ex uirgine, non est coæternus Deo patri. Idẽ libro eodem, cap. 11

Octaua.

Nescio quo modo natũ doceatis ex tempore, quem coæternum patri dicitis iam fuisse. Nasci enim motus ueluti quidam est rei non extantis, antequam nascatur, id agens beneficio natiuitatis ut sit. Quo colligitur, Christum, si erat, nasci non potuisse: si nasci potuit, non fuisse. Idem libro eodẽ, cap. 12.

Nona, de anima Christi.

Ita à maioribus nostris semper est traditũ, quòd corpus Christi ad uicem animæ communis ipsius filij Dei habitus animarit, nec accessione uitalis spiritus indigus fuerit, cui inhabitans fons uitæ potuit conferre quod uixit. Idem lib. eodem, cap. 13.

Decima, de Spiritu sancto.

Spiritus sanctus ideo degener intelligitur, quia in ordine tertius ponitur. Augustinus, in quæstionibus ueteris & noui Testamenti, quæstione 97.

Vndecima.

In nemine inhabitat Deus, quem non antea Spiritus sanctus sanctificauerit atq; purgauerit, ideoq; ad Mariam dictum est, Spiritus sanctus superueniet in te: utiq; ad sanctificandum & purgandum. Nec sumus nos templum Spiritus sancti, sed Dei. ideo dictum esse: Templũ Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in uobis. Quia purgat Spiritus sanctus templum Dei, non suũ: ut cùm ipse purgauerit, Deus intret inhabitaturus. Idẽ lib. primo & secundo contra Maximinũ.

HYPOTHESES ARIANORVM,

ex Augustini libro contra Sermonem Arianorum.

De Deo, Christo & Spiritu sancto.

Prima.

Dominum IESVM Christum fatentur quidem Deum, sed non uerum, neque cum patre unum Deum: duos nobis inducentes Deos diuersæ naturæ, alterum uerum, alterum non uerum. Augustinus libro contra sermonem Arianorum, capite primo.

Secunda.

Dicunt Christum uoluntate Dei & patris sui ante omnia secula constitutum. ibidem.

Tertia.

Dicunt Christum uoluntate & præcepto patris cœlestia & terrestria, uisibilia & inuisibilia corpora, & spiritus ex nullis existentibus, ut essent, sua uirtute fecisse. libro eodem, capite secundo.

Quarta.

Antequam facerer uniuersa, omnium futurorum Deus & Dominus, rex & creator erat constitutus, & omnium futurorum habens præscientiam, & in faciendo in omnibus expectans patris sui iussionem, ipse uoluntate & præcepto patris descendit de cœlo, & uenit in hunc mundum, sicut ipse ait: Non à me ipse ueni, sed ille me misit. libro eodem, capite tertio.

Quinta.

Dicunt etiam: Quia de omnibus spiritalibus & rationalibus gradibus, propter infirmitatem & fragilitatem corporis, paulo minus ab angelis inferior minoratus homo uidebatur, ne se uilem putaret, & de salute sua desperaret, Dominus IESVS honorans facturam suam, dignatus est humanam carnẽ suscipere, & ostendere quia non est homo uilis, sed preciosus. sicut scriptum est: Magnus homo, & preciosus uir. Et ideo solum hominem patri suo hæredem, sibi eum cohæredem facere dignatus est, ut quod minus acceperat in natura, plus haberet in honore. libro eodem, capite quinto.

Sexta.

Item dicunt: Cum uenit plenitudo temporis, misit Deus filiũ suum, natum ex muliere, ipse qui uoluntate patris carnem suscepit, ipse & uoluntate & præcepto ipsius in corpore conuersatus est. sicut ipse ait:

Descendi de cœlo, non ut faciam uoluntatē meam, sed uoluntatē eius qui me misit. Ipse & uoluntate patris triginta annorum baptizatus est, uoce & testimonio patris manifestatus. Voluntate & pręcepto patris Euangelium regni cœlorum prædicauit, sicut ipse ait: Et alijs ciuitatibus oportet me Euangelium prædicare, in hoc enim missus sum. Et ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, aut quid loquar. Et sic uoluntate & præcepto patris ad passionem & mortem properauit, sicut ipse ait: Pater, transeat à me calix iste: non tamen quod ego uolo, sed quod tu uis. Et Apostolo asserente, & dicente: Obediens, inquit, factus patri usque ad mortem, mortē autem crucis. Libro eodem. capite 6.

Septima.

Item sequuntur & dicunt: Is & in cruce pendens, uoluntate & præcepto patris carnem humanam, quam de sancta uirgine Maria suscepit, in manus hominum dereliquit, & diuinitatem suam in manus patris commendauit, dicens: Pater in manus tuas commendo spiritū meum. quia Maria morituram corpus peperit, Deus autem immortalis immortalem filium genuit: ergo mors Christi non diminutio est diuinitatis, sed depositio corporis. Sicuti enim generatio eius ex uirgine non fuit corruptio Deitatis ipsius, sed susceptio corporis: ita & in morte ipsius non fuit passio, & defectio Deitatis ipsius, sed separatio carnis ipsius. Sicuti enim, qui indumentum conscindit, inducto facit iniuriam: ita & qui carnem ipsius crucifixerunt, diuinitati ipsius contumeliam intulerunt. Libro eodem, capite nono.

Octaua.

Item dicunt: Is qui uoluntate & pręcepto patris totam dispensationem adimpleuit, uoluntate & præcepto patris corpus suum à mortuis suscitauit, & cum ipso corpore, ut pastor cum oue, & sacerdos cum oblatione, & rex cum purpura, & Deus cum templo, à patre assumptus est in gloriam. Libro eodem, capite decimo.

Nona.

Item dicunt: Is qui uoluntate patris descendit & ascendit, uoluntate & præcepto patris sedet ad dexteram eius, audiens patrem sic dicentem: Sede ad dexteram meā, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Is qui uoluntate & præcepto patris sedet ad dextram eius, is uoluntate & præcepto patris in consummationē seculi uenturus est, Apostolo uociferante & dicente: Et ipse, inquit, Dominus in iussu, in uoce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo. Is qui uoluntate & ptæcepto patris uenit, uoluntate & præcepto patris iudicaturus est totum mundum in æquitate, & redditurus singulis secundū fidem & opera sua. sicut ipse ait: Pater iudicat neminem, sed omne iudicium filio dedit. Item: Sicuti audio, iudico, & iudicium meum uerum est: quia non quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui me misit. Vnde & in iudicando patris præsentiam præponit, & suam diuinam dignitatem & potestatem secundam postponit dicens, Venite benedicti patris mei. Ergo iustus iudex est filius: iudicantis uerò honor & autoritas, patris imperiales leges: sicuti & Spiritus sancti officiosa aduocatio & consolatio unigeniti Dei, iusti iudicis est dignitas. cap. 11.

Decima.

Dicunt: Filius à patre est genitus, Spiritus sanctus per filium est factus. libro eodem, capite uigesimoprimo.

Vndecima.

Filius patrem prædicat, Spiritus sanctus filium annunciat. ibidem.

Duodecima.

Primum & pręcipuum opus est filij, genitoris gloriam reuelare: primum & præcipuum est opus Spiritus sancti, in animas hominum Christi dignitatem reuelare. Ibidem.

Decimatertia.

Filius testis est patris, spiritus testis est filij. Filius mittitur à patre Spiritus mittitur à filio. Ibidem.

Decimaquarta.

Filius minister est patris, spiritus sanctus minister est filij. Libro eodem, capite uigesimosecundo.

Decimaquinta.

Filius iubetur à patre, spiritus sanctus iubetur à filio. Ibidem.

Decimasexta.

Filius subditus est patri, spiritus sanctus subditus est filio. Ibidem.

Decimaseptima.

Filius, quæ iubet pater, hæc operatur: spiritus sanctus, quæ mandat filius, hæc loquitur. ibidem.

Decimaoctaua.

Filius adorat & honorat patrem, spiritus adorat & honorat filium. Libro eodem, capite uigesimotertio.

Decimanona.

Spiritus sanctus à se non loquitur, sed in omnibus Christi expectat pręceptum: Quia quæcunq; audierit, inquit Christus, loquitur. ibidem.

Vigesima.

Filius interpellat patrem, spiritus pro nobis postulat filium. libro eodem, capite uigesimoquinto.

Vigesimaprima.

Totius bonitatis, sapientię & uirtutis patris,

tris, uiua, uera, propria, & condigna imago est filius. Libro eodem, capite 26.

Vigesimasecunda.

Totius sapientiæ & uirtutis filij manifestatio est spiritus sanctus. ibidem.

Vigesimatertia.

Non est pars nec portio patris filius, sed proprius & dilectissimus, perfectus & plen⁹ unigenititus filius. Libro eodem, capite 27.

Vigesimaquarta.

Non est pars nec portio filij spiritus, sed primum & præcipuum opus unigeniti Dei, præ cæteris uniuersis. ibidem.

Vigesimaquinta.

Pater maior est filio suo, filius incõparabiliter maior & melior est spiritu S. Ibidem

Vigesimasexta.

Pater Deus & Dominus est filio suo, filius Deus & Dominus est spiritui sancto. libro eodem, capite 28.

Vigesimaseptima.

Pater immobiliter, inquiunt, & impassibiliter uolens filium genuit: filius sine labore & fatigatione, sola uirtute sua, spiritum fecit. ibidem.

Vigesimaoctaua.

Sicut nemo potest sine filio ad patrem transire, ita & nemo potest sine spiritu sancto filium in ueritate adorare. In spiritu sancto igitur adoratur filius. Libro eodem, capite trigesimo.

Vigesimanona.

Spiritus sancti opus & diligentia est, inquiunt, sanctificare, & sanctos custodire: & non solùm rationabilia, ut quidam putant, sed & irrationabilia plura sanctificare: & eos qui ceciderunt propter suam negligentiam, ad pristinum statum reuocare, ignorantes docere, obliuiscentes admonere, peccantes arguere, pigros hortari, de salute sua cogitare, & sollicitè agere, errantes ad uiam ueritatis deducere, infirmos curare, & fragilitatem corporis per alacritatem animæ cõtinere, & ad amorem pietatis & castitatis confirmare, & omnes illuminare, super omnia fidem & charitatem præbere singulis, ꝑ studio quoq; & diligentia, ꝑ simplicitate & sinceritate mentis, pro mensura fidei, & merito conuersationis, gratiam ad utilitatem diuidere, & unumquemq;, in quo opere & proposito fuerit habilis, in ipso ordinare. Libro eodem, capite 32.

Trigesima.

Alius est à filio spiritus sanctus, natura, ordine, gradu, effectu, dignitate, potestate, uirtute & operatione. libro eodẽ, capite 33.

Trigesimaprima.

Impossibile est, ut unus idemque sit pater & filius, generans & nascens, &c. libro eodem, capite trigesimoquarto.

Trigesimasecunda.

Deus sine principio præscius erat, se unigeniti Dei pueri sui patrem futurum. Libro eodem, capite trigesimoquinto.

Trigesimatertia.

Humilitatis, non ueritatis gratia, filius ali quando sic loquitur, ut se patri subijciat, eumque maiorem esse testetur. Libro eodem, capite trigesimosexto.

CONFVTATIONES.

¶ Has autem, & superiores erroneas assertiones refutauit Augustinus, in modum ut sequitur.

Confutatio Hypotheseos primæ de Deo.

Qui adhæret Deo, inquit Paulus, unus spiritus est. Quòd si ista adhæsio diuersarũ naturarum spiritus (quia alius hominis, alius Dei est) spiritum unum efficit, multo magis adhærens patri filius & spiritus sanct⁹ est unus Deus. Augustinus libro primo contra Maximiniũ: libro secundo, capite 10.

Contra quintam Hypothesin de Christo.

Hoc nusquam leges Mosen scripsisse. Nũquid enim liber Geneseos, ea quę gesta sunt ab Adam usque ad Christum, continet? aut nunquid ipse Moses, ad tempus usq; incarnationis Christi, uel uixit ipse, uel quæ gesta sunt scripsit? Idem libro tertio contra Maximinum, capite 26.

Contra sextam Hypothesin Feliciani de Christo.

Non sunt confundendæ naturæ in Christo. Sunt enim unitæ mirando modo, seruata cuiuslibet naturæ proprietate. Augustinus libro contra Felicianum Arianum.

Contra septimam.

Duæ sunt Christi natiuitates: una ab ęterno, altera in tempore. Secundum primam natiuitatem patri est coæternus, secundum alteram non dissimilis est genitor, cum nasceretur ex æterno perpetuus, sed idẽ Christus Dei & hominis filius fuit. Idẽ libro contra Felicianum, capite 11.

Contra octauam.

Nolite partu uirginis determinare originem Dei uerbi: nolite de uirgine genitum corpus coęternum dicere Deitati. quia mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS, prima natiuitate coæternus est patri, secunda particeps temporis nostri. Idem libro eodem, capite duodecimo.

Contra nonam, de Christi anima.

Christus totum hominem assumpsit, qui constat ex corpore & anima: ut totum hominem, qui totus peccauerat, saluaret. Libro eodem, capite decimotertio.

Contra decimam, de Spiritu sancto.

Propria quadam simplicitate Scriptura interdum hoc quod tertio loco ponendum est, primo ponit, & contrà. Sic prima ad

Corinthios duodecimo, Paulus inuerſo ordine à Spiritu ſancto incipit gratiarũ & myſteriorum cõmemorare operationem: ſubiungẽs ſecundo loco Dominũ Ieſum, & tertio Deum. Auguſtinus in quæſtionib. ueteris & noui Teſtamenti, quæſtione 97.

Contra undecimam, de eodem.

Apoſtolus eo dicto oſtendit, ipſum eſſe Deum, cuius nos dixerat templũ. quia non ait, Et ſpiritꝰ Dei ſanctificet & purget uos, ut Deus habitet in uobis. ſed ait: Spiritus Dei habitat in uobis. utiq; in templo ſuo Deus habitat. Nam quid eſt templum Dei, niſi habitaculum Dei? Neque uerò, niſi eſſet Deus, habitaret templum, &c. Idem lib. 3. cõtra Maximinum, capite 21.

CONFVTATIONES ALIquot hypotheſium Arianorum, quæ in Quarta Centuria poſitæ ſunt.

Confutatio eius, quòd inæqualem Ariani dixerunt Deo eſſe filium.

Chriſtus natus eſt æqualis patri, non factus, natus de ſubſtantia patris. Nec ſeipſum æqualem fecit, ſed talis à patre pronunciatus eſt. Auguſtinus tractatu decimoſeptimo in caput quintum Ioannis.

Confutatio eius, quòd uerbum, per quod omnia facta ſunt, etiam factum eſſe, Ariani contendunt.

Quia per uerbum Deus omnia fecit, quomodo fieri potuit uerbum? Si uerò factum eſt ipſum Dei uerbum, neceſſe eſt per aliud uerbum factum fuiſſe. Quod autem erit illud uerbum? Non dixit Euangeliſta, In principio fecit Deus uerbum: ſed, In principio erat uerbum. Idem tractatu primo in caput primum Ioannis.

Confutatio rationis Arianorum ex malè intellecto Chriſti dicto: Qui non poteſt à ſe facere quicquam, niſi quod uiderit patrem facientem, utique minor eſt, non æqualis.

Filius Dei opera tua à patre non didicit audiẽdo, ut diſcipulus à magiſtro: ſed Deus omnia fecit per uerbum, id eſt filium ſuum. Operatur igitur filius cum patre, non ut diſcipulus, ſed ut uerbũ coæternum, æqualis eſſentiæ & poteſtatis, per quod omnia facta ſunt & fiunt. Nullum opus fit à patre ſine filio, uel à filio ſine patre, quia omnia per ipſum. Idem tractatu decimo octauo in Ioannem. Et tractatu uigeſimoprimo in Ioannem: Non cogitare, inquit, hæc poſſumus, nedum dicere.

Confutatio rationis Arianorum, pater dedit filio uitam, Ergo eſt prior filio.

Non ſic dedit, quaſi antea fuerit filius ſine uita, atq; ut uiueret à patre acceperit: ſed habet uitã in ſemetipſo, ſicut dicitur, Dedit filio habere uitã in ſemetipſo. Idem tractatu decimonono in Ioannẽ: & lib. 3. contra Maximinum, cap. 14.

Confutatio rationis: Quia miſſus dicitur filius, certè minor eſt maiore qui mittit.

Miſsionem uideo, non ſeparationẽ: quẽadmodum ſol radium mittit, ſed non ſeparat. Pater qui miſit filium, nõ receſsit à filio. ſicut inquit Filius: Me ſolũ relinquitis, ſed ſolus non ſum, quia pater mecum eſt. Sic nõ receſsit à miſſo mittens, quia mittens & miſſus unum ſunt. Idem tractatu 21 in Ioãnem.

Confutatio eius quod dicunt Ariani, Pater maior eſt, filius minor.

Noli dicere, Pater aurũ eſt, filius argentũ: una enim eſt ſubſtantia, una diuinitas, una coæternitas, perfecta ęqualitas, diſſimilitudo nulla. Idem tractatu 36.

Confutatio rationis, Exinaniuit ſemetipſum, non igitur ſimilis eſt patri.

Forma ſerui aſſumpta, forma Dei nõ conſumpta eſt. Propter formã ſerui aſſumptam dixit: Pater maior me eſt. Propter formã Dei retentam dixit: Ego & pater unum ſumus. Idem tractatu 78. in Ioannem.

Confutatio hypotheſeos Arianorum, Filius operatione & poteſtate æqualis eſt patri, non æternitate.

Quare ergo dixit Ioannes: In principio erat uerbũ? & Spiritus ſanctus per Salomonẽ: Cum pararet cœlos, aderam illi, &c. Idem libro de quinq; hæreſibus, cap. 6.

Confutatio eius quod dicunt, Verbum poſterius eſt eo cuius eſt uerbum.

Contrà Eſaiam clamat: Ante me nõ eſt formatus Deus, & poſt me nõ erit. Et ſicut ſplẽdor ibi eſt, ubi ignis eſt: ſic ubi pater, ibi filius eſt. Idem ibidem.

Confutatio eius quod dicunt, Filius petit ſe à patre clarificari, igitur minor eſt, & claritatem per ſe non habet.

Dictũ integrũ ſic habet: Vt & filius tuus glorificet te. Sunt ergo æquales.

Confutatio eius quod inferiorem patre dixerunt filium Ariani, quia Paulus dixerit, Soli ſapienti Deo.

Filius æquè ſapiens cum patre, quia filius Deus eſt: & non eſt dictum à Paulo, ſoli ſapienti patri. Idem libro primo contra Maximinum: & libro ſecundo contra eundem, cap. 16: & lib. 3. contra eundem, cap. 16.

Confutatio eius quod Felicianus Arianus dixit ex auctoritate maiorum ſuorum, Creaturam eſſe filium Dei, ſed perfectam, quæ dominari poſſit omnibus creaturis.

Creaturæ definitio non cadit in Dei filium. Nam filius in eo quod eſt, & indifferentis naturæ ueritate prolatus eſt: quia ex eo

ex eo qui est, id est ex gignente, non dissimilis natus est. Et ideo inter filium & creaturam primùm ista discretio est: quia ille ex patre substantialiter gignitur: creatura uerò non ex substantia facientis, sed ex sola uoluntate ac potestate proficiscitur. Ista corruptibilis per naturam, nisi fuerit seruata per gratiam: ille incorruptibilis, qui nascendo incorruptibilem ex incorruptibili patre uidetur habere substantiam. Filius per omnia similis patri, dissimilis creaturæ, &c. Augustinus libro contra Felicianum, capite 7.

Confutatio eius quod Felicianus idem putauit, Gignentem scilicet priorem esse genito.

Omittamus in Deo corporalis intelligentiæ legem, ne operibus suis similem dicamus esse factorem. Sicut enim sine exemplo mater genuit autorem suum, ita ineffabiliter pater genuisse credendus est coæternum. De matre natus est, qui antè iam fuit: de patre qui aliquando non defuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat. Idē libro eodem, capite octauo.

Confutatio eius quod quærit Felicianus, Quomodo ad filium transeat dignitas patris, & ad patrem non recurrat humilitas prolis.

Non ita est: quia non ex filio patrem, sed ex patre filium certum est natum esse. Et propterea totū inter eos simile dicimus, quod pertinet ad communionem naturæ: illud proprium, quod per accidens uni noscitur euenisse personæ. Habet ergo nascendo totum filius cum patre, quòd pater est: sed nō de filio pater, quicquid specialiter ipse perpessus est. Idem libro eodem, capite nono.

Confutatio eius quod Felicianus dixit.

Non ausim credere, quòd Christus fons illæ uitæ, à quo habent uniuersa quod uiuūt, per triduum, quo in sepulchro iacuit, usque eò à naturæ suæ proprietate deciderit, ut (si dici fas est) sepultis sensibus omnem substantiæ uitalis naturam amitteret, & propter redemptionem humani generis nō patrem tantum, sed & omnia spiritalis gloriæ ornamenta desereret.

Sensit mortem diuinitas Christi participatione humani affectus, quem sponte susceperat: non perdidit naturæ suæ potentiam, per quam cuncta uiuificat. Sic in sepulchro carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero uirginis connascendo formauit. Et sic in utroq; & nasci & mori, nō coactus ab altero, sed sponte, Dominus uoluit: ut hoc eum constet pertulisse, quod fecerit. Ibidem libro eodem, capite decimoquarto: & capite decimo sexto: Mortem sensit Christi Deitas participatione morbi alieni, non proprietate uulneris sui.

CONFVTATIONES ARIANORUM ex libro Augustini contra sermonem Arianorum.

Confutatio hypotheseos primæ.

Pugnat contra illud quod scriptum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est. Quod de patre intelligi uolunt, pater non erit Dominus Deus noster. Si de filio, pater non erit Dominus Deus noster. Si de ambobus, profectò pater & filius, unus est Dominus Deus noster. Libro conta sermonem Arianorum, capite primo.

Contra secundam.

Si igitur ante omnia tempora fuit filius, sicut fuit (quia omnia per ipsum facta sunt) procul dubio coæternus est patri filius. Ibidem.

Contra tertiam.

Quærimus contrà, utrum et ipse à patre, ex nullis extantibus factus sit: hoc est, ex nihilo. Quod si dicere non audebunt, ergo Deus est de Deo, nō ex nihilo factus à Deo. Quæ res indicat unam & eandem patris filijq; naturam. capite 2.

Contra quartam.

Non intelligunt, ipsam iussionem patris, ut fierent omnia, non esse nisi uerbum patris, per quod facta sunt omnia. Misit quidem pater filium, sed cum quo uenit ipse: sicut ait Christus, Pater mecum est. capite tertio.

Contra quintam.

Videant, quod in Epistola ad Hebræos scriptum est de Christo, Minorasti eum paulo minus ab angelis, non ad diuersitatem & inæqualitatem naturæ patris & filij ualere: sed ad illud potius, quod in forma serui propter infirmitatem, in qua pati & mori potuit, minor etiam angelis factus est. capite quinto.

Contra sextam

Conantur eiusmodi testimonijs diuersas patris & filij adserere naturas: cum tamen nec si homo filius homini patri suo sit obediens, ideo amborum diuersa sit natura. capite sexto.

Contra septimam.

Ostendunt se negare, quod ad unitatem personæ Christi etiam humana pertineat anima, sed in Christo carnem & diuinitatem tantummodo confitentur, contra manifesta testimonia Scripturę: Tristis est anima mea. Et, Potestatem habeo ponendi animam: Non derelinques animam meam in inferno, &c. capite nono.

Contra octauam.

Quærendum est ab eis qui ista dicunt, Qualem ouem pastor reportauerit patri? Si enim caro sine anima est, quam reportauit: quid est ouis ista, nisi terra sine sensu?

quæ nec agere gratias potest, quia sine anima caro quid potest? capite decimo.

Contra nonam.

Respondeo quod suprà: Obedientiam nimirum nec in hominibus demonstrare diuersam, imparemque naturam. Accedit huc, quòd Christus non tantum Deus est, qua natura æqualis est patri: sed etiam homo, qua natura maior est pater, &c. capite undecimo.

Contra decimam.

Contrà Christus ipse dicit, spiritum sanctum à patre procedere: Quomodo igitur fit à filio spiritus sanctus? capite uigesimoprimo.

Contra undecimam, duodecimam & decimamtertiam.

Quasi uerò non annunciauerit filius spiritum sanctum esse uenturum: aut & pater non prædicauerit filium dicendo, Hic est filius meus dilectus, &c. Per quod non solùm patris gloriam filius, uerùm etiam filij gloriam reuelat pater: nec solùm filij spiritus sanctus, sed etiam filius manifestat sancti spiritus dignitatem. Et ideo sicut filius patri, ita & pater filio: & sicut spiritus sanctus filio, ita & filius spiritui sancto perhibet testimonium. A' patre autem & filio missus est spiritus sanctus, & à patre & spiritu missus est filius. ibidem.

Contra decimamquartam.

Si minor est spiritus sanctus, quia solius filij minister est, iuxta ipsorum uaniloquium: maiores utique erunt spiritu sancto Apostoli, qui sunt ministri totius Trinitatis. capite uigesimosecundo.

Contra decimamquintam & decimamsextam.

Nusquam hoc in Scripturis sanctis legitur, etiamsi obedientem legamus filium secundum formam serui, quia maior est pater: non secundum formam Dei, in qua unum sunt ipse & pater. Non autem alicubi dicit Scriptura, spiritum sanctum subditum filio.

Contra decimamseptimam.

Et quæ iubet pater, operatur filius propter formam serui: & quæ pater operatur, operatur & filius propter formam Dei. Non enim ait: Quæcunque iubet pater, hæc filius facit. sed ait: Quæcunque pater facit, hæc & filius facit similiter. Porrò si spiritum sanctum ideo hæc loqui dicunt, quæ mandat filius, quia scriptum est, De meo accipiet & annunciabit uobis: cur non & filius ea loquitur, quæ mandat spiritus sanctus? cum dicat Apostolus: Quæ Dei sunt nemo scit, nisi spiritus Dei. ibidem.

Contra decimamoctauam.

Filius adorat patrem propter formam serui, sed nullibi legitur spiritum adorare filiũ. capite uigesimotertio.

Contra decimamnonam.

Nusquam leguntur hæc uerba, Christi expectet præceptum: nec est dictum, Quæcunque à me audierit: sed, Quæcunque audierit loquetur. Estque additum: Omnia quæ habet pater, mea sunt. propterea dixi, De meo accipiet, &c. ibidem.

Contra uigesimam.

Ostendant ex sacris, quòd spiritus postulet filium. Etiamsi enim dictum sit, spiritum interpellare gemitibus inenarrabilibus: tamen non est dictum, Interpellat Christum aut filium. capite uigesimoquinto.

Contra uigesimamprimam.

Contrà, Apostolus eum ipsum esse dicit Dei uirtutem, & Dei sapientiam. non est ergo imago sapientiæ. Eo ipso igitur quòd imago patris est filius, uirtus eius & sapientia est. Imago autem plena atque perfecta, id est non de illo ex nihilo facta, sed de illo genita, nihil minus habet quàm ille cuius imago est. capite uigesimosexto.

Contra uigesimamsecundam.

Hoc de Scripturis sanctis omnino non intelligunt. Ibidem.

Contra uigesimamtertiam.

Nullus Catholicus dixit filium esse partem patris, aut partem filij esse spiritum sanctum, sed Trinitatem potius eiusdem esse naturæ, &c. capite uigesimoseptimo.

Contra uigesimamquartam.

Emendent Ariani uanas illas atque impias blasphemias: & fateantur in illa Trinitate nullam personam, præterquam quòd filius manens Deus homo factus est, esse creaturam, aut aliquid à Deo factum esse: sed totum, quicquid illud est, summum, uerum, immutabilem Deum. Ibidem.

Contra uigesimamquintam.

Maior est pater filio suo, non secundum id quidem quòd unigenitus uerbum eius est, sed secundum quod uerbum caro factum est. Absit deinde, ut quemadmodum blasphemant, incomparabiliter maior & melior sit filius spiritu sancto. Et quod insanissimum est credere, ut templum minoris sint membra maioris. ibidem.

Contra uigesimamsextam.

Quatenus in eo forma est serui, Deus eius est: & quia eum ante sæcula genuit, pater est. Filium autem Deum & dominũ esse spiritus sancti: num in somnis audierunt Scripturã sanctam sic locutam esse? cap. 28.

Contra uigesimamseptimam.

Quorsum prodest hoc dicere, de quo nulla sit quæstio? quòd scilicet sine ullo labore & fatigatione uel gignat pater, uel faciat filius. Ibidem.

Contra

Contra uigesimamoctauam.

Quasi uerò etiam ad filium sine patre quilquam possit uenire, cum ipse dicat, Nemo uenit ad me, &c. aut quasi ad spiritum sanctum sine patre & filio peruenire possemus, quia cum sua nobis conferunt gratia. Quid est enim aliud, Ad eos uenire, nisi eos habitantes in nobis habere? Quod deinde addunt, in spiritu sancto filium adorari: id non indicat differentiam naturarum. Quia si filius in ueritate sine spiritu sancto adorari non potest, spiritus etiam est ueritas. capite trigesimo.

Contra uigesimamnonam.

Absit, ut sine filio faciat. Quis enim sic erret à ueritate ut neget à Christo custodiri sanctos, lapsos restitui, peccantes argui? &c. Quomodo negabunt à Christo doceri sanctos, quibus idem dicit, Nolite uocari ab hominibus Rabbi, &c. De illuminatione uerò eius dictum est, Qui illuminat omnem hominem, &c. capite trigesimosecundo.

Contra trigesimam.

Tamen nec hominum diuersa natura est, quorum separabilia opera esse possunt. Ordo autem, gradus, affectus, qui inuenitur in creaturæ disparilitate & infirmitate, nullus est in illa coæterna & æquali & impassibili Trinitate. capite trigesimotertio.

Contra trigesimamprimam.

Hæc quidem contra Sabbellianos dicere possent. Nos autem patrem gignentem & filium genitum duas dicimus esse personas, sed non duas diuersasque naturas. Non ergo unus & idem est pater & filius, sed unum sunt pater & filius. capite trigesimoquarto.

Contra trigesimamsecundam.

Nunquam sanè, ut impietas ista delirat, pater præscius erat, se unigeniti Dei patrem futurum: quia nunquam non pater erat, habens filium coæternum, & generans sine tempore, per quem condidit tempora. Et sicut Deum se non præsciuit futurum, quod semper erat: sic nec patrem, quia cum filio semper erat: nec magno filio maior, nec bono melior, quia non patri tantum, sed uniuersæ Trinitati dictum est: Tu es Deus solus magnus, &c. capite trigesimoquinto.

Contra trigesimamtertiam.

Absit ut dicamus, humilitatis, non ueritatis gratia filium aliquando sic loqui, ut se patri subijciat, eumque maiorem esse testetur. Nouimus quippe, in filio formam seruj, non fictam simulatamque, sed ueram, propter quem scilicet humanum habitum, & propter quod ipse de patre, non pater de illo Deus est. cap. trigesimosexto:

DE MACEDONIANORUM *hæresi.*

DVrauit aliquot in locis adhuc etiam Macedonianæ hæreseos factio, sed ea passim fligata paulatim à catholicis & repressa est.

Sub Arcadij & Honorij imperio in Hellesponto fuerunt Macedoniani, maximè uerò in ciuitate Germa & Cyzico. Fuerunt & in Phrygia post Arcadij mortem, & in ciuitate Synada, ubi episcopum habuerunt Agapetum nomine, cui persecutionem importunam, atque ex auaricia magis quàm uero zelo, sicut & omnibus ibidem Macedonianis, intulit Theodosius Synadensis episcopus. cuius iniurias non ferens Agapetus, inito cum omni suo clero consilio, homousianam tandem fidem recepit, ac Theodosij episcopatu potitus est.

In Hellesponto Macedonianos afflixit Nestorius Constantinopolitanus episcopus, cuius opera etiam ecclesijs suis, quas Constantinopoli habuerant, electi sunt. Socrates libro septimo, capite tertio & 31.

DE APOLLINARISTARUM *hæresi.*

SVperfuisse suo seculo Apollinaristarum reliquias, Augustinus testatur in explanatione Psalmi uigesiminoni. Scribit & Liberatus, Breuiarij capite decimo: Monachos quosdam ex Armenia Apollinaris morbo corruptos, uenisse Constantinopolim, ac multos seduxisse. Eosdemque deinde circumijsse totius Orientis ciuitates & monasteria, studio ea disipandi, & confirmandi Apollinaris peruersa dogmata. Sed & Imperator Martianus in Epistola quadam contra hæreticos ad Palladium præfectum conqueritur, mirum in modum ciues Alexandrinos Apollinaris ueneno esse infectos. Quæ illi causa sit, & imposita necessitas, nouis edictis superiora contra Apollinaristas acuendi. Epistolæ eius exemplar in tomo primo Cõciliorum extat.

Meminit Apollinaristarum apud Antiochenses, Theodoretus libro quinto, capite trigesimooctauo: quorum factionem industria & diligentia Theodoti celebris episcopi Antiochensis repressam, & magna ex parte Ecclesiæ adiunctam scribit. quemadmodum & Theodorum episcopum Mopsuestiæ contra Apollinaris reliquias fortiter dimicasse, tradit idem libro eodem, capite quadragesimo.

Fundamentum Apollinaristarum, ex quo adstruere conati sunt, Solam carnem humanam Christum susceptisse.

Hoc dicto Ioann. 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, &c. Apollinaristæ

uerbum ita uolunt carni esse copulatũ atq; cõcretum, ut nulla ibi non solùm mens, sed nec anima humana interfit. Augustinus lib. 83. quæstionum, quæstione octogesima.

Hypothesis alia Apollinaristarum.

Sensit Apollinaris, animam nasci ex traduce, ex anima scilicet alia, sicut corpus ex corpore. Hieronymus in Epistola ad Marcellinum & Anapsychiam.

Confutatio hypotheseos Apollinaristarum, qua mẽtem humanam in Christo non fuisse dixerunt, sed animam tantum beluinam, aut sine intelligentia humana, uerbum uerò pro mente.

Respuit illos Catholica fides, qua confirmatum est, hominem illum, quem sapientia Dei suscepit, nihil minus quàm cæteros homines, peccato solo excepto, quantum ad integritatem naturæ pertinet. Augustinus in expositione Psalmi 29. Et in libro 83 quæstionum, quæstione octogesima: Appellatione, inquit, carnis totus homo significari solet: ut non alia sit locutio, Verbum caro factum est, quàm, Verbum homo factum est. Animam præterea Christum habuisse indicant affectiones illæ, quæ non possunt esse nisi in anima, quibus ab Euangelistis Christus scribitur minari, irasci, contristari, exhilarari, &c. Deniq; coniuncta illa animæ & corporis officia, ut esurire, dormire, fatigari. Et tractatu 23. in Ioannem: Quia expulsi sunt, inquit, ab Ecclesia isti hæretici, qui putabant non habere mentem rationalem corpus Christi, sed animam quasi beluinam. Accipe tu totum Christum, uerbum, mentem rationalem, & carnem: hoc totum enim Christus est.

DE QVARTODECIMANORUM hæresi.

QVartodecimanorum, pascha cum Iudæis celebrantium (quorum in Secundæ Centurię capite De schismatibus, suprà meminimus) crebra in historijs huius ætatis mentio fit. Durarunt enim in Lydia sub Arcadio, quemadmodum actiones concilij primi Ephesini ostendunt. Fuisse & Ioanni Cõstantinopolitano episcopo ijsdem temporibus certamina cum Quartodecimanis Ephesi, postea uerò Nestorio, qui Quartodecimanos duriter exercuit & afflixit per Asiam, Lydiam & Cariam sub Theodosio, Socrates tradidit libro 6. capite 11. & libro septimo, capite 29. Sed & Philastrius in hæreseôn catalogo autor est, eiusdem hęreseos sectatores suo fuisse tempore in Galatia, Syria, Phrygia & Hierosolymis.

MESSALIANITAE SEV Euchitæ.

EXtat inter acta synodi primæ Ephesinæ constitutio contra Messalianitas, qui & Euchitæ & Enthusiastæ sunt in Pamphilia, tomo primo Conciliorum. Originẽ autem, dogmata & ritus Messalianorum, in Quarta Centuria recensuimus.

ABELOITARVM SEV Abeloniorum hæresis.

NArrat Augustinus in Catalogo suo, rusticanam quandam hæresin Abeloitarũ, quo se nomine ab Abelo Adæ filio uocitarint, & in exigua quadam uilla agri Hipponensis continuernit, suo tempore defecisse, atq; ad Ecclesiam redijsse. Commemorat autem non dogmata aliqua, sed consuetudines ab hominum societate alienas, quas ex ipsius narratione & nos recensemus.

Non miscebantur, inquit, uxoribus, cum uxoribus tamen uiuere sectæ ipsius dogmate non liceret. Mares ergo & fœminas sine continentiæ professione simul habitantes, puerum & puellam sibi adoptabant, in eiusdem coniunctionis pacto, successores suos futuros morte præuentis, quibusque singulis alij surrogabantur, dum tamen duo duobus disparis sexus in illius domus societate succederent. Vtroliber quippe parente defuncto uno, remanenti usque ad eius quoque obitum filij seruiebant: post cuius mortem, etiam ipsi puerum & puellam similiter adoptabant: nec unquam eis defuit, unde adoptarent, generantib. circumquaq; uicinis, & filios suos inopes ad spem hæreditatis alienæ libenter dantibus. Augustinus in Catalogo hæreseôn ad Quoduultdeum.

ANTHROPOMORPHITAE

DVrasse hoc adhuc seculo Anthropomorphitarum, quos Audæanos in superiori Centuria ab autore diximus, hæresin, ex Socrate & Sozomeno clarum est. Cæterùm de occasione, autoribus, sectatoribus & confutatoribus, superius abundè dictum est. Extat confutatio eius in Augustini manuali, capite 13. his uerbis: Falluntur Anthropomorphitarum hæresis sectatores, qui dũ legunt, hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum, adserunt stulta temeritate speciem humanam te habere, cum illo in loco uel dicaris uel credaris mentem, non carnem ad imaginem creasse. Enimuerò nihil dignum de te humanus sermo loquitur: quin nec secundum qualitatem aut quantitatem, situm, uel habitum, seu motum, aliquid de te dignè dicitur.

NAZARENI.

QVos in superiori Centuria Patricianos & Symmachianos hæreticos diximus, etiam Nazarenos dictos, & hoc adhuc seculo durasse, Hieronymus & Augustinus testantur. De quibus Hieronymus in Epistola ad Augustinum hæc tradit: Vsque hodie, inquit, per totas Orientis synagogas inter-

inter Iudæos hæresis est, quæ dicitur Mineorum, & à Pharisæis nunc usq; dãnatur, quos uulgò Nazareos nuncupant: qui credunt in Christum filium Dei, natum de uirgine Maria: & eum dicũt esse, qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum uolũt & Iudæi esse, & Christiani, nec Iudæi sunt, nec Christiani. Augustinus libro primo cõtra Cresconium: Sunt quidam (inquit) hæretici, qui se Nazarenos uocant, à nonnullis autem Symmachiani appellantur, & circumcisionem habent Iudæorum, & baptisma Christianorum.

PRISCILIANISTAE.

QVo tempore, quibus autoribus Priscillianistarũ hæresis spargi cœperit, in superiori Centuria retulimus. Progressa autem ad hoc usq; seculum eadem hæresis, ad superiores impietates multa adiecit portenta, quæ ordine commemoramus.

HYPOTHESES.

Leo Romanus episcopus in epistola nonagesimatertia, omnes sordes ait & mõstra impietatis in hanc hæresin confluxisse: nec ante Priscilliani ætatẽ ullũ propemodũ notatum fuisse errorẽ, ex quo non quasi per contagiũ uenenũ aliquid hæc hæresis attraxerit.

De Scriptura.

Dicunt, quòd omne corpus Canonicarum scripturarum sub Patriarcharum nominibus accipiendum sit: quia illæ duodecim uirtutes, quæ regenerationem hominis interioris operantur, in horum uocabulis indicentur, sine qua scientia nullam animam aiunt posse assequi, ut in eam substãtiam de qua prodijt reformetur. Leo epistola nonagesimatertia, cap. 12.

De Deo.

Fingunt processiones quarundam uirtutũ ex Deo, quas habere cœperit, & quas essentia sua ipse præcesserit. Leo epistola nonagesimatertia, cap. 1. & 2.

De Christo.

1.

De corpore Domini sic tradiderunt: Quia cum usq; ad nos ueniens filius Dei post tot millia annorum, ociosus eò usq; non fuerit, sed prædicans remissionem angelis, potestatibus atq; uirtutibus superioribus, cum qualitatem formæ rerum quas uisitaret assumeret, usque ad palpabilitatem carnis assumptionis specie, crassius se hac passione & resurrectione determinans, rursus donec usque ad patrem ueniens ascendendo tenuisse: ita neq; depositũ usq; fuisse corpus, nec in corpore illo regnantem circumscribi Deũ. Orosius in Cõmentario ad Augustinũ.

2.

Adserunt ideo unigenitum dici filiũ Dei, quia solus sit natus ex uirgine. Leo epistola nonagesimatertia, capite tertio.

3.

Sacrilego sensu, sicut Manichæi, ita se Christum simulant confiteri, ut incarnationis & mortis & resurrectionis auferant ueritatem. Idem epistola eadem, cap. 17

De Creatione.

Mundum nouissimè ideo factum esse dicunt, ut in eo animæ purgentur, quæ antè peccarunt. Solem & lunam & stellas non elementaris esse fulgoris, sed rationales potestates: præbere autem seruitiũ corruptioni, propter eum qui subiecit in spe. Orosius in Commentario ad Augustinum.

Stellas dicunt habere rationalem spiritũ, & mundas nõ esse à peccato: sed ideo in cœlis esse, quia maiorem uel meliorem locum minor culpa promeruit. Delirium autem huiusmodi ex libro Hiob extruunt, in quo scriptum est: Quomodo erit homo iustus coram Domino? Vel quomodo se mundabit natus ex muliere, si lunæ præcipit & non lucet, nec stellæ sunt mundæ ante eum? &c. Augustinus libro ad Orosium de Priscillianistis, capite nono.

De Angelis.

Dixerunt angelorum principatum, potestatem animarum ac dæmonum, unum esse principium, unamq; substantiam & uel archangelo, uel animæ, uel dæmoni locum pro meritorum qualitate datum esse. Orosius in Commentario ad Augustinum.

De Diabolo.

Voluerunt etiã de diabolo asserere, quòd substantia scilicet in eo bona facta perire nõ possit: exustaque in totum malitia diaboli, aliquando saluandam esse substantiam. Idem ibidem.

Leo tamen in epistola nonagesimatertia, capite sexto, diuersum Priscillianistas de diabolo sentire scripsit: nimirum quòd nunquam fuerit bonus, nec naturæ eius opificium sit Dei, sed ex chao eum & tenebris emersisse: quia scilicet nullum sui habeat autorem, sed omnis mali ipse sit principium atq; substantia.

De Anima.

Superioribus de Anima delirijs, quòd post peccatum commissum, per aerias ac fidereas delapsa potestates, à malignis principibus capiatur, & pro eius arbitrio diuersis includatur corporibus, etiam hoc adiecerunt, natã eam scilicet à Deo de quodam prõptuario procedere, profiteriq; ante Deũ se pugnaturã, & instrui ordinationib. angelorũ. Orosi⁹ in Com. ad Augustinũ. Et illud: Anima nõ est dicẽda ex nihilo creata, quia uoluntate Dei facta est, quam non esse, non potest negari. Augustinus libro ad Orosium contra Priscillianistas.

De Homine, & humano corpore.

Plasmationem humanorum corporum dicunt esse figmentum diaboli, & semina conceptionum opera dæmonum in mulierum uteris figurari. Leo epistola nonagesimatertia, capite octauo.

Filios promissionis ex mulieribus quidem natos, sed ex spiritu sancto dicunt esse conceptos, ne illa soboles quæ de carnis semine nascitur, ad Dei conditionem pertinere uideatur. Idem epistola eadem, cap. 9.

De Prouidentia Dei.

Dicit Priscillianus, arte, non potentia Dei, omnia bona agi in mundo. Dicit enim esse uirginem quandam Lucem, quam Deus uolens dare pluuiam hominibus, principi humidorum ostendat: qui dum eam apprehendere cupiat, commotus consudet, & pluuiã faciat: destitutus autem ab ea, mugitu suo tonitrua concitet. Orosius commentario ad Augustinum.

De Coniugio.

Copulam coniugalem, sicut Manichæi, Priscillianistæ ideo detestantur, quia libertatem tollit turpitudinis, & pudori ac spei sobolis obsistit. Leo epistola nonagesimatertia, capite septimo.

De Resurrectione.

Resurrectionem credi nolunt, quia concreatio corporis non sit congruens animæ dignitati. Idem epistola eadẽ, capite 8. & 12.

De Inferis, seu pœnis impiorum.

Ignem in quo peccantes puniuntur, neque uerum esse ignem, neque æternum prędicauerunt, dicentes: dictum esse ignem propriè, conscientiæ punitionem: æternum autem, iuxta etymologiam Græcam, non esse perpetuum, latino etiam testimonio adiecto, quia dictum sit In æternum, & in seculum seculi, quod postpositum sit æterno. Ac sic omnes peccatorum animas post purgationem conscientiæ in uanitatem corporis Christi esse redituras. Orosius in Commentario ad Augustinum.

De Ritibus & ceremonijs.

Priscilliani ad ieiunandum diem Dominicum eligunt, utentes testimonio sumpto ex actibus Apostolorum: In una sabbati congregatis nobis ad frangendum panem, Paulus disputabat, exiturus alia die, &c. Augustinus epistola 86.

Natalem Christi, quam secundum susceptionem ueri hominis catholica Ecclesia ueneratur, non uerè isti honorant: sed honorare sese simulant, ieiunantes eodem die, sicut & die Dominico. Leo Epistola nonagesimatertia, capite quarto.

De Fato, seu Astrologia & Magia.

Fatalibus stellis, & animas hominum & corpora opinantur adstringi. per magicarum etiam artium profana secreta, & mathematicorum uana mendacia, religionis fidẽ, morumque rationem in potestate dæmonum & effectu siderum collocant. Idem Epistola eadem, capite undecimo.

Item:

Sub alijs potestatibus partes animæ, sub alijs corporis membra describunt, & qualitates interiorum præsulum in Patriarcharum nominibus statuunt, quibus è diuerso signa siderea, quorum uirtuti corpora subijciuntur, opponũt. Idem, in eodem cap. 12.

CONFVTATIONES.

His deliris opinionibus, inter alios doctores huius seculi strenuè sese opposuerũt Augustinus & Leo Romanus, ut ex sequentibus patet: imò totam illam hæresim synodus Toletana sub tempus Anastasij episcopi Romani damnauit, & explosit: ut constat ex actis eius Synodi, in 1. Conciliorum Tomo.

Confutatio Hypotheseos de Deo.

Hoc cum Arianis sentiunt, qui patrem filio priorem dixerunt. Sed sicut illos Catholica fides detestatur: ita & istos qui putant, unquam Deo, id quod eiusdem est essentię, defuisse. Leo epistola nonagesimatertia, capite secundo.

Confutatio Hypotheseos de Trinitate, de qua idem quod Sabellius, quemadmodum libro superiori dictum est, Priscillianus sensit.

Si ipse est filius qui & pater, crux Christi patris est passio, & quicquid in forma serui filius patri obediendo sustinuit, totum in se pater ipse suscepit. Quod catholicæ fidei sine ambiguitate contrarium est, quæ Trinitatem unitatis sic homousion confitetur, ut patrem & filium & spiritum sanctum sine confusione indiuisos, sine differentia credat æquales: quam unitatem in Trinitate non eadem persona, sed eadem impleret essentia. Leo eadem Epistola, capite primo.

Confutatio Hypotheseos secundæ de Christo.

Hoc uirus ex Paulo Samosateno & Photino hauserunt. Necesse est igitur nõ unum esse filium, sed alios quoque ex summo patre genitos, quorum hic unus sit natus ex fœmina: & ob id appelletur unigenitus, quia hanc nascendi conditionem alius filiorum Dei nemo susceperit. Quaqua uersum igitur se contulerint, in magnæ tenduntimpietatis abruptum. Si Christum Dominum uel ex matre uolunt habere principium, uel patris Dei unigenitum diffitentur, cum & de matre natus sit qui erat Deus Verbum, & de patre nemo sit genitus præter Verbum. Ibidem capite tertio.

Confutatio

Confutatio eius, Filios promissionis ex Spiritu sancto fuisse conceptos, &c.

Repugnat id Catholicæ fidei, quæ omnẽ hominem in corporis animæq; substantia à cõditore uniuersitatis formari atq; animari intra materna uiscera confitetur, manente quidem illo peccati mortalitatis que contagio, quod in prolem à primo parente transcurrit: sed regenerationis sacramento subueniente, per Spiritum sanctum promissionis filij renascuntur, non in utero carnis, sed in uirtute baptismatis. Vnde & Dauid, qui utique erat promissionis filius, dicit ad Deum: Manus tuæ fecerunt me, &c. Et ad Hieremiam Dominus ait: Priusquam te formarem in utero, noui te, & in uulua matris tuæ sanctificaui te. Ibidem capite nono.

Confutatio testimonij ex libro Hiob, Stellas esse rationales spiritus.

Non pro autoritate diuina istam sententiam recipiendam esse existimo. non enim eam ipse Iob protulit, sed unus ex eius amicis, qui dicti sunt consolatores. Sicut quæ in Euangelio dicta sunt, non omnia uera sunt: quia multa à Iudeis impia & falsa dicta sunt. Augustinus libro ad Orosium contra Priscillianistas, capite nono.

Confutatio eius, quòd de diaboli angelorumq; eius correctione, & in pristinum statum reparatione Priscillianus dixit.

Vltimæ sententiæ summi & ueracissimi iudicis ex nostra præsumptione addere nihil debemus. Ipse enim se similibus eorum dicturum esse prędixit: Ite in ignem æternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quo in loco æternum non pro diuturno accipitur. Multa deinde de significatione αἰωνίς addit, capite quinto.

Confutatio alterius hypotheseos de diabolo.

Contrà fides uera nostra catholica, omniũ creaturarũ siue spiritualiũ siue corporalium bonã confitetur substantiam, & mali nullam esse naturam: quia Deus qui uniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & diabolus bonus esset, si in eo quod factus est permaneret. Idem capite sexto.

Confutatio hypotheseos, Animam esse partem Dei, &c.

Magna hæc est & detestanda blasphemia. Sequitur enim, ut Dei natura captiuetur, decipiatur, fallatur, conturbetur, turpetur, damnetur atque crucietur. Augustinus libro contra mendacium ad Constantium, capite quinto. Et Libro contra Priscilliatas & Origenistas, capite primo: Anima, tametsi secundum quendam modum suum sit immortalis: tamen in deterius deficiendo, & in melius proficiendo mutabilis esse conuincitur, & per hoc non esse de Dei substantia dilucidissimè ostenditur.

Et Leo epistola nonagesimatertia, capite quinto: Hanc impietatem ex philosophorum quorundam & Manichæorum opinione manantem, catholica fides damnat, sciens nullam tam sublimem, tamque præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit. Quod enim de seipso est, hoc est quod ipse. Nec id aliud est quàm filius & Spiritus sanctus. Præter hanc autem summæ Trinitatis unam consubstantialem & sempiternam atque incommutabilem Deitatem, nihil omnium creaturarum est, quod non in exordio sui ex nihilo creatum sit.

Confutatio eius, Animam non esse dicendam ex nihilo creatam, &c.

Deus omnia fecit uoluntate, nihil inuitus. Nec tamen ea uoluntas nihil est, qua ab illo aliquid ex nihilo factum est. Cur ergo de Anima timent dicere, quod de alijs quibuslibet rebus non dubitent dicere? Aut si animam tantummodo uoluntate Dei perhibent factam, cætera eum non uoluntate fecisse contendunt, quid absurdius, quid insanius dici potest? capite secundo. Et tertio capite: Vsqueadeò in eo quòd ex nihilo fecit, uoluntas non nihil dicitur, ut ipsa præcipuè commendetur. Confutat ibidem prolixius.

Confutatio eius quod adserunt, Humanum corpus esse plasma diaboli.

Hæc falsitas sine dubio opus diaboli est, & talia prodigia opinionum figmenta sunt dæmonum, qui non in fœminarum uentribus formant homines, sed in hæreticorum cordibus tales fabricantur errores. Quod immanissimum uirus de Manichęæ impietatis fonte procedens, olim fides catholica deprehendit atque damnauit. Leo epistola nonagesimatertia, capite octauo.

Confutatio hypotheseos, substantiam carnis à spe resurrectionis alienam esse.

Ita omne Sacramentum incarnationis Christi resoluunt. quia indignum fuit integrum hominem susci pi, si indignum erat integrum liberari. Leo epistola nonagesimatertia, capite duodecimo.

Confutatio ritus de ieiunio diei Dominici.

Absit ut hoc ita accipiatur tanquam solerent Apostoli Dominico die solenniter ieiunare. Quia enim sabbati tunc appellatur dies, qui nunc Dominicus appellatur, quod in Euangelijs apertius inuenitur. Nam dies resurrectionis Domini, prima sabbati à Matthæo, à cæteris autem tribus una sabbati dicitur: quoniam constat eum esse, qui Dominicus postea appellatus est.

Aut

Aut ergo post peractum diem sabbati, noctis initio fuerant congregati, quę utiq; nox ad diem Dominicum, hoc est ad unam sabbati pertinebat: & ita eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in sacramẽto corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post sacramenta celebrata, rursus usq; ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multũ festinabat, lucescente, profecturus erat Dominico die. Aut certè, si in una sabbati non per noctem, sed per diem hora Dominici fuerant congregati, eo ipso quod dictum est, Paulus disputabat illis, exiturus alia die: expressa est causa producendi sermonis, quia fuerat exiturus, & eos sufficienter instruere cupiebat. Non ergo solenniter die Dominico ieiunabant: sed necessarius sermo, qui studij feruentissimi audiebatur ardore, reficiendi corporis causa interrumpendus esse non uisus est profecturo Apostolo, qui eos propter alios suos usquequaq; discursus, uel aliàs nunquam, uel rarissimè uisitabat: præsertim quia tunc ex illis terris, sicut consequentia docent, ita discessurus erat, ut iam non esset eos in carne uisurus. Ac per hoc magis ostenditur, Dominicis diebus solita illis non fuisse ieiunia: quia ne hoc crederetur, curauit scriptor libri causam producendi sermonis exponere, ut sciremus, si aliqua necessitas oriatur, urgentiori actioni non esse prandium præferendũ, quamuis ab istis auidissimè audientibus, & ipsum fontem cogitantibus profecturũ, atque ideo magna siti non aquę sed uerbi sine satietate quicquid influebat haurientibus, non tantum carnale prãdium, uerùm etiam cœna contempta est. Sed tunc, quamuis Dominico solita illis ieiunia non fuissent, non erat tamen Ecclesiæ tam insignis offensio, si aliqua tali necessitate, qualem apostolus Paulus habuit, die toto Dominico, usq; ad medium noctis, uel etiam usque ad diluculum reficere corpora non curarent. Nunc uerò posteaquam hæretici, maximè impijssimi, ieiunia diei Dominici, non aliqua necessitate occurrentia peragere, sed quasi sacra solennitate statuta dogmatizare cœperunt, & innotuerũt populis Christianis: profectò nec tali necessitate, qualem Apostolus habuit, existimo faciendum esse quod fecit, ne maius malum incurratur in scandalo, quàm bonum percipiatur ex uerbo, &c. Augustinus epistola 86.

Confutatio ritus ieiunandi die natali Domini.

Quod ideo faciunt, quia Christum Dominum in uera hominis natura natum esse nõ credunt, sed per quandam illusionem ostentatam uolunt, quasi non fuerit uera: sequentes dogma Cerdonis atq; Marcionis, & cognatis suis Manichęis per omnia concordãtes. Qui & ipsi Dominicum diem exigunt in mœrore ieiunij, utriq; ideo, ut à nostræ fidei unitate sint discordes: unde dignum est, ut inimici crucis Christi & resurrectionis, talẽ accipiant sententiam, qualem elegêre doctrinam. Leo epistola 93, capite 4.

Confutatio hypothesis de Astrologia.

Paganorum error est, sidera colentium. Verùm ista sectãtibus nullus in Ecclesia catholica locus est: quoniã qui se talibus persuasionibus dedit, à Christi corpore totus discessit. Leo epistola 93. capite 11.

Item:

Non audiunt Apostolum dicentem, Videte ne quis uos decipiat per philosophiã, &c. Et quid opus est in cor admittere, quod lex nõ docuit, quod prophetia non cecinit, quod Euangelij ueritas nõ prędicauit, quod Apostolica doctrina non tradidit? Idem epistola eadem, capite 12.

DE LIBRIS PRISCILLIANISTARUM.

Priscillianistarum.

Vtuntur Priscillianistę multis corruptissimis libris, quos tamẽ Canonicos & sub nomine libris, quos tamẽ Canonicos & sub nominibus Apostolorum inscribũt, digni qui igne concrementur. Legunt cum uenerationeque tractatus Dicticinij, quos secundũ Priscilliani dogma conscripsit. Leo epistola 93. capite 15. & 16.

PELAGIANA

hæresis.

Confutam ex Manichæorum delirijs, quemadmodum Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem testatur, hæresin suscit Pelagius cognomento Briton, anno Christi secundum Prosperi chronicon, 415: iuxta Marianum, 414: Honorij & Theodosij imperij anno quinto. Grassata autem est ea pestis in Oriente: Prosper de ingratis. & in Palęstina: Augustinus lib. 1. de bono perseuerantiæ, cap. 2. In Africa: ut patet ex scriptis Augustini. Constantinopoli, in Italia, in Sicilia, in Gallijs, in Britannijs: ut testatur Prosper de ingratis, & in epistola ad Augustinũ de reliquijs Pelagianę hæreseos: & Hilarius Arelatensis in epistola ad eundem.

HYPOTHESES.

De Christo.

Christum Dominũ Pelagiani dicunt nullam macula peccati fuisse respersum, quãtum ad eius infantiam attineat. Quia eius carnẽ ab omni peccati cõtagione purissimam, nõ excellentia propria & gratia singulari, sed communione naturæ, quæ omnibus ineſt infantibus, adseuerant. Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 2.

De Spiritu sancto.

Sanctum Spiritum, Pelagiani aiunt, mentes bonas in antiquis adiuuisse temporibus, dicente

dicente propheta ad Deum: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Augustinus ex epistola Pelagianorum, de laude creaturæ.

De creatione.

Rei malæ Deus autor esse non potest. Augustinus libro tertio contra Iulianum Pelagianum, capite octauo.

De hominis conditione.

Ipsum Adam dicunt, etiamsi non peccasset, fuisse corpore moriturum, non merito culpæ, sed conditione naturæ. Augustinus epistola centesima sexta. Quam hypothesin Prosper in libro promissionũ & prædictionum Dei, capite sexto, hoc modo extulit: Pelagiani contendunt, Deum hominem ante peccatum fecisse mortalem.

De anima.

De animæ origine mouent quæstionem, qua animæ Christi coæquare moliuntur omnes animas paruulorum, quas uolunt esse similiter nulla peccati macula aspersas. Augustinus libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum.

Alia.

Animam Pelagius negat esse ex traduce, quia nulla extent in Scriptura ea de re perspicua testimonia. Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis, cap. 10.

HYPOTHESES
de peccato.

1.

Pelagius primùm asseruit tantam naturæ sanitatem, ut per solum liberum arbitrium posset assequi regnum Dei. Prosper in epistola ad Ruffinum, & in libro de ingratis. Augustinus libro tertio de peccatorũ meritis, negat Pelagium sensisse, hominem sine peccato nasci. & lib. 2 Retractationum, capite 33 dicit Pelagium id quidem ex sua persona non posuisse, sed quasi ab alijs dictum: quod tamen postea hæreticus declaratus, animosè & pertinacissimè defenderit.

2.

Dicunt peccatum non propagatione, sed imitatione in alios homines transijsse: intelligentes dictũ Rom. 5. Per unũ hominẽ, &c. nõ de morte corporis, sed animę, quę in peccato sit. Augustinus de peccatorũ meritis, cap. 1. 2. 3. Item: Peccatum nomen est carens substantia. Quomodo ergo humanam debilitare, uel mutare potuit naturam? Augustinus, lib. eodem, cap. 19.

3.

Iulianus ait: Ideo non est peccatũ in paruulis, quia id sine uoluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Malum enim omne quod peccatum definitur, non in natura, sed in sola uoluntate consistit. Augustinus libro 3. contra Iulianum, capite quinto.

Item libro primo contra Iulianum, capite tertio: Trahi peccatum per naturam non potest, quia per opus Dei, opus diaboli transire nõ sinitur. Et: Euanuit peccatũ originale, quia non potest mala radix in bono Dei locari. De eadem hypothesi capite primo Concilij secundi Arausiaci sic: Pelagius per offensam præuaricationis Adæ, non totum secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum: sed anima libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium.

HYPOTHESES DE
libero arbitrio.

1.

Iulianus Pelagianus docuit, omnibus hominibus naturaliter inesse liberũ arbitrium. neque id per Adæ peccatum perire potuisse, quia dicat Dominus per prophetam: Si uolueritis, & audieritis me, bona terræ comederis. Item: Conuertimini, & conuertar ego ad uos. Augustinus lib. 1. cõtra duas epistolas Pelagianorũ, capite 13. & lib. 4. cap. 2. Et in libro de Gratia & libero arbitrio ad Valẽtinũ, cap. 5 & 16. Et Prosper in libro de ingratis.

2.

Pelagius dicit in libro de Libero arbitrio: Habemus posibilitarem utriusque partis à Deo insitam, uelut quandam (ut ita dicam) radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex uoluntate hominis diuersa gignat & pariat. & quæ possit ad proprij cultoris arbitrium uel nitere flore uirtutũ, uel sentibus horrere uitiorum. Augustinus libro de gratia contra Pelagium & Cœlestium, capite 18. Et Prosper de ingratis ait, eos dicere, tã propriũ esse uoluntati bona quàm mala uelle.

3.

Ita Dei gratiam ponunt Pelagiani, ut non per singula opera eius nitamur, & regamur auxilio: sed referunt ad liberum arbitrium, & ad præcepta legis, ponentes illud Esaiæ: Legem Deus in adiutorium posuit, ut in eo Deo referendæ sint gratiæ, quòd tales nos condiderit, qui nostro arbitrio posimus eligere bona, & uitare mala. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem.

4.

Consentiunt omnem hominem in Adam perijsse, nec inde quenquam posse proprio arbitrio liberari, sed id conueniens asserunt ueritati, uel congruum prædicationi, ut cũ prostratis, & nunquam suis uiribus surrecturis, annuncietur obtinendæ salutis occasio: & merito, quo uoluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum & totius sanctitatis suæ consequantur effectum. Hilarius Arelatensis in epistola ad Augustinum, de reliquijs Pelagianæ hæreseos.

5.

Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio ualeat excitare: quod quidem inesse naturæ, sic se dicere confitentur, ut hoc ipsum quod ignorāti ueritas prędicatur, ad beneficium prędentis gratiæ referendum sit. Hilarius Arelatensis in epistola ad Augustinum. Aiunt cognita doctrina hominem liberi arbitrij uiribus posse cursum perficere. Prosper de ingratis.

6.

Dicunt, per gratiam Dei, quam asserunt Catholici, nihil rel inqui libero arbitrio. Prosper in epistola ad Ruffinum. Item, per hāc doctrinam prorsus deleri liberum arbitriū. Prosper de ingratis.

7.

Asserunt, quòd liberum arbitrium possit obtemperare Deo uocanti.

8.

Dicunt, Si nihil tribuatur libero arbitrio in rebus spiritualibus, tolli studium & curam bene agendi. Prosper de ingratis.

HYPOTHESIS
de Lege.

Dei mandata Pelagiani facilia esse dixerunt, & possibilia. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem. Prosper scribit in libro de Ingratis aduersus Pelagianos, legem & gratiam eos confudisse, quemadmodum uetus etiam & nouum Testamentum. Verba eius sunt:

—Connectit & illud
Idē autor (Pelagius) *quòd lex ita sanctos miserit olim*
Cœlorum in regnum, sicut nunc gratia mittit. Et:
—Aliud non est uobiscum gratia, quàm lex,
Quamq; propheta monens, et quàm doctrina ministri.

HYPOTHESES
de Gratia.

1.

Pelagiani recentiores asserunt triplicem gratiam: nimirum gratiam creationis, qua Deus hominem, nullis præcedentibus meritis liberi arbitrij, utpote nondum extantis, prorsus gratis creat. Et de hac uolunt Paulum Rom. 11. loqui: Si gratis, non ex operibus, postquam gratia non est gratia: si uerò ex operibus, iam non est gratis, &c. Prosper in Epistola ad Augustinum, de reliquijs Pelagianæ hæreseos. Et gratiam prædicationis, qua nobis diuina eloquia prędicantur. Et hanc Faustum asserere, eiq; primas partes tribuere, Maxentius in epistola contra Hormisdam indicat: ac Augustinum fuisse in eadem opinione, quòd de tali gratia Paulus loquatur, ipse testatur libro primo De bono perseuerantiæ, & refert Maxentius ibidem.

Et gratiam regenerationis, qua renascimur in Christo, & ad hanc docent nos posse per naturalem facultatem peruenire, pertendo, quærendo, pulsando: ut ideo quis accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam saluantem gratiam initialis gratię ope meruerit peruenire. Prosper in epistola ad Augustinum, de reliquijs Pelagianæ hæresis.

2.

Dixerunt gratiam secundum merita hominum dari: Augustinus de bono perseuerantiæ, libro primo, capite decimoquarto. Prosper ad Ruffinum de reliquijs Pelagianę hæreseos, & libro de ingratis. Faustus nouæ prauitatis nouus apostolus, gratiam Dei secundum meritum fidei & laboris dari nititur edocere. Maxentius in epistola ad Hormisdam. Iulianus dixit, gratiam dari secundum merita bonæ uoluntatis. Augustinus libro primo contra Iulianum, capite decimoquarto. Quidam dixerunt, gratiam dari propter studium humanum præcedens. Prosper de ingratis: & Augustinus libro de gratia contra Celestium, capite uigesimotertio, & uigesimosexto.

Probant autem has assertiones testimonijs quibusdam Scripturæ, & exemplo Cornelij. Prosper in epistola ad Ruffinum: & Augustinus libro primo, capite septimo, de bono perseuerantiæ.

3.

Iulianus dixit, gratiam esse naturam. Augustinus libro quarto, capite decimotertio.

Illam gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non dicunt esse nisi in libero arbitrio, quod nullis præcedentib. suis meritis, ab illo accepit nostra natura, ad hoc ipso tantum adiuuante, per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, quæ sperare debeamus. Non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Augustinus in libro de Hæresibus ad Quoduultdeum: & in enarratione Psalmorum 105 & 107. & libro Retractationum cap. 9.15.23.42.

Faustus iuxta prophana commenta Pelagij naturaliter gratiā esse discernit. Maxentius contra epistolam Hormisdæ.

4.

Pelagius obiurgatus à fratribus, in conuentu quodam Palæstino, quòd nihil tribueret gratię, cessit ijs sic, ut nō præponeret gratiæ liberum arbitrium, sed per fidem adderet correctionem: dari scilicet ad hoc gratiam hominibus, ut quæ facere per liberum iuberentur arbitrium, facilius præstare possent. Augustinus in libro de hæresibus ad Quoduultdeum: & in enarratione Psalmorum 105. & 107. & libro Retractationū capitibus 9.15.23.42.

Dei

5.

Dei gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum, per IESVM Christum in ipsum, & qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atq; in regnũ ipsius transferamur, intantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia diuina mandata. Augustinus ibidem.

6.

Recentiores Pelagiani asserunt, non negari gratiã, si dicatur præcedere talis uoluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam ualeat: & illa testimonia, Sicut unicuiq; partitus est mensuram fidei, & similia, ad id uolunt ualere, ut adiuuetur qui cœperit uelle, non ut etiam donetur ut uelit. Hilarius Arelatensis in epistola ad Augustinum.

Hypotheses de synergia in conuersione hominis.

1.

Pelagiani recentiores in conuersione tres causas, nempe uerbum, uoluntatem, & auxilium Dei, concurrere asseruerunt. Prosper de ingratis:

Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite nobiscum: & formam hanc adscribitis illi,
Vt cunctos uocet illa quidem, inuitetq; nec ullum
Præteriens studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absoluere mundum:
Sed proprio quemq; arbitrio parêre uocanti,
Iudicioq; suo, mota se extendere mente
Ad lucem oblatum, quæ se non subtrahat ulli,
Sed cupidos recti iuuet, illustretq; uolentes.
Hinc adiutoris Domini bonitate magistra
Crescere uirtutum studia, ut quod quisq; petendum
Mandatis didicit, iugi sectetur amore.
Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Perstistendo queant finem, effectumq; petitum
Dante Deo, ingenijs qui nunquam desit honestis.

2

Humano labori Faustus adiungit gratiæ adiutorium, ut uidelicet gratia & labor humanus, cuius possibilitatem nõ per eandem gratiam, sed naturaliter inesse omnibus asserit, pariter sociati reliqua perficiant opera: & hoc pollicetur se defendere. Maxentius contra epistolam Hormisdæ.

3.

Pelagiani principium salutis in homine collocant, diuinæ uoluntati humanam præferunt, ut ideo quis adiuuetur, quia uoluit: non ideo, quia adiuuatur, uelit. Originaliter malum receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoare credũt. Prosper in epistola ad Augustinum, de reliquijs Pelagianæ hæreseos.

4.

Negantes synergiam carnalis uoluntatis in conuersione hominis, fatum Stoicum, & Manichæorum asserere deliria calumniantur. Prosper in epistola ad Ruffinum. Et Augustinus libro 2. de bono perseuerantiæ, capite undecimo.

5.

De Vitali Augustinus in epistola 107 sic inquit: Audio te dicere, ut rectè credamus in Deum, & Euangelio consentiamus, non esse donum Dei: sed hoc nobis esse à nobis, id est ex propria uoluntate, quam nobis in nostro corde nõ operatus est ipse. Et ad hoc cum audieris, quid est ergo quod ait Apostolus: Deus in nobis operatur & uelle? respondes, Per legem suam, per scripturas suas Deum operari ut uelimus, quas uel legimus, uel audiuimus: sed eis consentire, uel non consentire, ita nostrum est, ut si uelimus fiat. Si autem nolumus, nihil in nobis operationẽ Dei ualere faciamus. Operatur quippe ille (dicis) quantum in ipso est, ut uelimus, cum nobis nota fiunt eius eloquia: sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio eius nihil in nobis prosit, efficimus.

Hypotheses de Prædestinatione.

1.

Negant Dei constitutionẽ humanas præuenire uoluntates: & asserunt, Deum tantum illos prædestinasse, quos dignos futuros electione, & de hac uita bono fine excessuros præuiderit. Prosper in epistola ad Augustinum, de reliquijs Pelagianæ hæreseos.

2.

Electorũ numerum augeri & minui posse sentiunt. Prosper ibidem. Negant eligendorũ & reijciendorũ definitũ esse numerum. Hilarius in epistola ad Augustinum.

3.

Infantes, qui ante baptismũ moriuntur, aiunt tales perdi, talesq; saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ętatẽ, diuina scientia præuiderit.

4.

Asserunt, singulis nationibus eo demum tempore prædicari uerbum, quo Deus præsciuerit aliquos fore qui crederent. Hilarius Arelatensis in epistola ad Augustinum, de reliquijs Pelagianæ hæreseos.

5.

Quicquid libet donatum sit prædestinatis, id posse & amitti & retineri propria uoluntate contendunt. Hilarius Arelatensis in epistola ad Augustinum.

6.

Prædestinationis definitionem aiunt aduersam utilitati prædicationis. Augustinus libro secundo de bono perseuerantiæ, capite decimoquarto.

Hypotheſes de Iuſtificatione.

1.

Iulianus ſenſit, omnes Prophetas, Apoſtolos & ſanctos, tam ueteris quàm noui Teſtamenti, ſtudio & obſeruatione uirtutum iuſtificatos in uitam ęternam tranſijſſe. Auguſtinus libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite 21. & libro 4. cap. 2.

Fauſtus etiam aſſeruit in libro 2 de libero arbitrio, per naturalem uigorem abſque gratiæ adiutorio, multos non ſolùm ante aduentum Domini, ſed etiam ante legem literæ ſaluatos, atque ad plenam puritatem perfectamq; iuſticiam peruenisſe, filiosque Dei fieri meruiſſe. teſte Maxentio, contra epiſtolam Hormiſdæ.

2.

Si crediderís (Pelagiani inquiunt) ſaluus eris. unum horum exigitur, alterum offertur. quod exigitur, in hominis: quod offertur, in Dei eſt poteſtate. Auguſtinus libro 1 de bono perſeuerantiæ, cap. 11.

3.

Aſſeruerunt etiam, quemq; libertate ſua mereri, & ad ſalutem uenire poſſe. Proſper in libro de ingratis.

4.

Aſſerũt, Lege olim homines eſſe ſaluatos.

Hypotheſes de fide.

1.

Pelagiani naturam in tantum defendunt, quantum ratio non habet: & dicunt fidem ex natura eſſe. Primaſius in enarratione capitis quinti epiſtolæ ad Romanos. Teſtatur & Proſper in libro de ingratis, Pelagianos docuiſſe, fidem eſſe opus naturæ:

—*Cuiq; ad uerę capienda exordia uitæ*
Naturam affectum fidei conferre docetis.

Eandem ſententiam Maxentius, in reſponſione ad epiſtolam Hormiſdæ, tribuit Fauſto Galliæ epiſcopo, quòd dixerit fidem eſſe generale naturæ, & non ſpeciale opus: & quòd Enoh & Noe, & alijs pijs, fides cũ lege naturæ tradita ſit.

2.

Dixerunt nos ex nobis habere fidem, ſed incrementum eius eſſe ex Deo. Auguſtinus libro primo de bono perſeuerantiæ, capite 2. & Maxentius in reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ, eandem ſententiam Fauſto adſcribit.

3.

Sicut initium fidei, ita & perſeuerantiam uſque in finem, in noſtra conſtituunt poteſtate, & negant Dei dona eſſe. Auguſtinus libro 2. de bono perſeuerantiæ, capite 2. & 17.

Hypotheſis de Bonis operibus.

1.

Pelagiani aſſerunt, charitatẽ Dei & proximi, & reliquas uirtutes, non ex Deo, ſed ex hominibus eſſe: quia ethnici & infideles nonnunquam eas etiam habeant. Auguſtinus libro 4. contra Iulianum, capite 2. & decimo octauo, decimo nono.

Hypotheſes de Perfectione.

1.

Sẽtiũt Pelagiani, ſicut Manichęi, q electos ſuos dicũt omni carere peccato, nec ſi uelint poſſe peccare. Item ex Priſcilliani, quæ pars eſt Manichęi, ſomnijs temerè ſibi perfectionem & ſcientiam ſomniant. Item ex Origenis ramuſculo, qui exponẽs uerſum in Pſalmo, Vſque ad noctem erudierunt me renes mei: aſſerit Pelagius, uirum ſanctum, cum ad uirtutum uenerit ſummitatem, ne in nocte quidem ea pati quæ ſunt hominum, nec cogitatione aliqua uitiorum titillari.

Aſſerit Pelagius, poſſe hominem eſſe ſine peccato, ſi uelit. Hieronymus in dialogo aduerſus Pelagianos. Et dixi, inquit Pelagius, hominem abſque peccato eſſe poſſe, ſi uelit: non ut quidam calumniantur, abſque Dei gratia, quod etiam cogitare ſacrilegum eſt: ſed ſimpliciter poſſe, ſi uelit, ut ſubaudiatur cũ Dei gratia. Et ego hoc aſſero: Qui poteſt uno die abſtinere à peccato, poſſe & altero: qui duobus, poſſe & tribus: qui tribus, poſſe & triginta, atque hoc ordine poſſe & trecentis, & tribus milibus, & quandocunque uoluerit abſtinere. De hac hypotheſi, Auguſtinus ſic in epiſtola centeſima ſexta: In id, inquit, progrediuntur Pelagiani, ut dicant, uitam iuſtorum in hoc ſeculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, ut ſit omnino ſine macula & ruga.

2.

Cœleſtius dixit, hominem poſſe ſine peccato eſſe, quia peccatum poſsit uitari. Auguſtinus in libro de perfectione, quæſtione prima.

Hypotheſes de Amneſtia.

1.

Pelagiani recentiores ſenſerunt, doctrinam catholicorum de libero arbitrio & prædeſtinatione, etiamſi uera ſit, tamen non eſſe promendam, quia & pernicioſè non recipienda tradantur: & nullo periculo, quæ intelligi nequeant, conticeantur. Proſper in epiſtola ad Auguſtinum, de reliquijs Pelagianæ hæreſeos: & Hilarius in epiſtola ſua ad eundem.

2.

Senſerũt etiã, Pelagianos in reliquis rectè ſentientes, non eſſe excommunicandos.

Proſper de ingratis.

Hypotheſes

Hypotheſes de Baptiſmo.

Nolunt credere Pelagiani, in paruulis per Baptiſmum ſolui originale peccatum, quod in naſcentibus nullum eſſe omnino contendunt. Infantes igitur extra baptiſmũ habere uitam æternam, ac quàm primùm nati ſint illuminari. quia ſcriptũ ſit: Erat lux uera, illuminãs omnẽ hominẽ, &c. Auguſtinus libro primo de peccatorum meritis, capite uigeſimo: & libro de natura & gratia, capite decimonono: & libro primo de nuptijs & cõcupiſcentia. Iulianus de Baptiſmo hanc opinionem: In ſacramẽto Saluatoris baptizantur, ſed non ſaluantur: redimuntur, ſed non liberantur: ſeruantur, ſed non abluuntur: exorcizantur & exſufflantur, ſed à potestate diaboli non eruũtur. Auguſtinus libro tertio contra Iulianum, capite tertio. Itẽ, omnibus ætatibus eſſe baptiſmum neceſſarium, ſiquidem perfectè homines innouet. Libro primo contra duas Epiſtolas Pelagianorum, capite uigeſimo ſecundo: & libro quarto, capite ſecundo. Libro quarto contra epiſtolas Pelagianorum, capite uigeſimo ſecũdo, Pelagianos ſenſiſſe ait, paruulos ideo baptizãdos, ut ſacramento adoptionis honorentur, ſeu ut per regenerationẽ adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati: ideoq; omnibus ætatibus Baptiſmum eſſe neceſſarium.

De Cœna Dominí.

Paruuli ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti poſſunt in ſe habere uitã: quia hanc ſententiam, Panis quem ego dedero, caro mea eſt, pro mundi uita, &c. Chriſtus dixit ad diſcipulos ſolùm. Auguſtinus libro primo de peccatorum meritis, capite uigeſimo.

De Oratione.

Orationes Eccleſię pro fidelibus & infidelibus Pelagiani deſtruunt. Quia quæ precibus impetrari à Deo putantur, homines per ſeſe præſtare poſsint, quia gratiã Deus ſuam ſecundum merita diſtribuet. Quem errorem Pelagius, in epiſcopali iudicio Palæſtinæ damnationem metuens, reuocare compulſus eſt: ſed in poſterioribus ſuis ſcriptis tamen ſparſit. Auguſtinus in Catalogo hæreſium ad Quoduultdeum: & libro ſecundo de peccatorum meritis, capite quinto. Et: Pelagiani ideo ſanctos orare in oratione Dominica, Dimitte nobis debita noſtra, dixerunt, ut non pro ſeipſis hæc dicant, quia nõ eſt eis neceſſaria petitio: ſed pro alijs, qui ſunt in ſuo populo peccatores. atq; ideo nõ dicere unumquemque ſanctorum, Dimitte mihi debita mea: ſed, Dimitte nobis debita noſtra: ut hoc pro alijs potius, quàm pro ſe, iuſtus poſtulare uideatur. Item: Pelagiani hæc uerba, Dimitte nobis debita noſtra, humiliter, non ueraciter à ſanctis dici uolunt. Ex Epiſtola concilij Mileuitani, & capitulo eiuſdem octauo, tomo primo Conciliorum. Et: Illud, Ne nos inducas in tentationem, non ita intelligendum eſſe ſenſerunt, tanquam diuinum adiutorium poſcere debeamus, ne in peccatũ tentati decidamus: quoniam hoc in noſtra poſitum ſit poteſtate, & ad id implendum ſola ſufficiat hominis uoluntas.

De Coniugio & concupiſcentia.

Ipſa concupiſcentia generationis ex Deo eſt: Ergo originale peccatum non eſt. Fauſtus libro primo, capite ſecundo. Concupiſcentiam carnis Pelagiani laudant tanquam bonum naturale. Filios item ex coniugio ſuſceptos, naturaliter bonos eſſe dicunt. quia ſcriptum ſit in Apoſtolo, Relicto naturali uſu exarſerunt, &c. Auguſtinus libro primo de nuptijs & concupiſcentia: & libro ſecundo, capite decimonono & uigeſimo: & libro tertio contra Iulianum, capite uigeſimo primo. Cuius etiam hanc de coniugio fuiſſe ſententiam ait libro eodem, capite uigeſimo quarto: Si trahitur de nuptijs originale malum, cauſa mali eſt coniunctio nuptiarum. Item: Parentes qui conuentu ſuo cauſam fecêre peccato, iure damnabiles ſunt, quorum labore actum eſt, ut dominium in homines diabolus exerceret. Idẽ libro quarto Hypognoſticon: Si malum dicas libidinem, etiam nuptias damnari neceſſe fuerit.

Hypotheſis de poſſeſſione rerum corporalium.

Diuites baptizatos, Pelagius docet, niſi omnibus abrenuncient, regnum Dei ingredi non poſſe. Auguſtinus epiſtola octuageſimanona, & centeſima ſexta.

De ſocijs Pelagianiſmi.

Pelagij ſocios & ſectatores pręcipuos numerat Auguſtinus, Cœleſtium & Iulianum. Cœleſtio rurſum ſectatorem fuiſſe Annianũ quendam, diaconũ Celedenſem, qui uerbis comptioribus Cœleſtij hæreſin diuulgarit, Hieronymus teſtatur in epiſtola ad Alipiũ & Auguſtinum epiſcopos. Cæterùm Iulianum Campanum fuiſſe, & incontinenti deſiderio epiſcopatus Amiſi, Pelagij hæreſin ſectatũ eſſe, Iuo tradidit in Chronico. Proſper mira fallendi arte ſimulaſſe eum emendationem & pœnitentiam, & in communionem irrepere conatum fuiſſe, indicat anno Domini 442, Theodoſij anno decimoſexto: ſed à Sixto papa, & Leone diacono prohibitum. Proſper etiam Seuerianum quendam habet Pelagianum: & Agricolam eius filium, qui Pelagij hæreſin per eccleſias Britannorum diſſeminarit, indicat in Chronico ſuo, ſub anno Domini 432. Fauſtum etiam Regienſem in Gallijs epiſcopum, in

libris ſuis de libero arbitrio, Pelagij errorẽ aſſeruiſſe, notat Maxentius in reſponſione ad epiſtolã Hormiſdę. Ioannẽ etiam Caſsianũ in 13. collatione, cũ Chæremone Pelagij errorem propoſuiſſe, Proſper in libro de gratia Dei contra Caſsianũ, & Caſsiodorus ad fratres ſui monaſterij, & in Pſalmũ ſexageſimum nonum teſtantur. Sed utriq; ab alijs epiſcopis admoniti, ad mentem ſaniorem redijſſe uidentur. Ac in Gallijs, & maximè apud urbem Maſsilienſem multas ſanctitate & autoritate excellentes ſacerdotes cum Pelagio contra Auguſtinũ ſenſiſſe, Proſper & Hilarius Arelatenſis, uterq; in ſua epiſtola ad Auguſtinũ queruntur. Maxentius contra epiſtolam Hormiſdæ, quendam Africanum epiſcopum poſſeſſorem defenſoremq; librorum Fauſti, aſſerentis Pelagianorum opiniones, oſtendit eſſe.

CONFVTATIONES.

Refutauit Pelagij deliria, aliquot in locis Hieronymus. Proſper ab Attico etiam Conſtantinopolitano epiſcopo cõfutatam eam hæreſin indicat, in libro de ingratis contra Pelagianos. Idem & Romæ Cõſtantium quendam Pelagianis reſtitiſſe oſtẽdit, anno Chriſti quadringenteſimo uigeſimo. Sixtũ etiã, cuius modò meminimus, presbyterũ, cõtra Pelagianos ſcripſiſſe, Auguſtinus indicat in epiſtola 104. Paulinũ item quendam, cuius librum ſcriptum contra Pelagianos commendat Epiſtola centeſimaſexta. Ex epiſcopis uerò Romanis, Innocentium, Zoſimum & Celeſtinum oppoſuiſſe ſe Pelagianis, idẽ autor eſt libro primo de gratia Chriſti, capite ſecundo. Proſper ſub anno Domini 432. Bonfinius Decadis primæ libro quarto, & Beda in libro de temporum ratione, Celeſtinum per præcipua Gallorum lumina, Gnomanum epiſcopum Antiſidiorenſem, Lupum & Seuerum epiſcopum Treuirenſem, Pelagianorum hæreſin per Britannos extirpaſſe tradiderunt. Maxentius in reſponſione ad epiſtolam Hormiſdæ, etiam Pelagij errorem à Fauſto repetitum, refutauit. Idem feciſſe Fulgentium ſeptem libris, Iſidorus de illuſtribus uiris narrat.

Plurimum autem inter omnes in confutanda ea hęreſi ſtudij & laboris ſuſtinuit Auguſtinus, cum Alipio ſocio, quemadmodũ Hieronymus in epiſtola ad eoſdem oſtendit. Sunt autem hi ferè libri, quibus ex profeſſo Pelagianam inſaniam confutauit: Libri tres de libero arbitrio: Tres libri alij de peccatorũ meritis & remiſsione peccatorum, ac de Baptiſmo paruulorũ, ad Marcellinum: Liber de natura & gratia, cõtra Pelagianos: Liber de gratia noui Teſtamenti, ad Honoratum, contra Pelagianos; Libri duo contra Pelagium & Cœleſtium, de gratia Chriſti & peccato originali: Libri duo de nuptijs & concupiſcentia, ad Valerium: Libri quatuor contra duas Epiſtolas Pelagianorum: Libri ſex contra Iulianum: Liber unus de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, cum duabus epiſtolis confutationem Pelagianæ hæreſeos continentibus, ei libro præfixis: Libri ſex hypognoſticõn cõtra Pelagianos: Liber unus de perfectione iuſticię contra Cœleſtium Pelagianum: item Epiſtolæ aliquot, ut 105. 106. Proſper denique in libro de ingratis, contra Pelagianos, trecentos fuiſſe affirmat, qui cõtra eam hęreſin ſcripſerint. Et ipſe Proſper haud ſegnis oppugnator Pelagianarum corruptelarum, ſubinde alia atq; alia ſpecie fucatarum, fuit, ut patet ex eius monumentis.

Auguſtinus à quinq; concilijs Africanis proſcriptam fuiſſe hæreſin Pelagianorum ait, in Epiſtola quadrageſimaſeptima. Mileuitanum uerò concilium nominat Epiſtola nonageſimaſecunda, à quo Pelagium & Cœleſtium damnatos narrat. Eſt & ab epiſcopis ducẽtis ſeptem & decem ſynodi Carthaginẽſis ſextę, Pelagij damnata hæreſis, anno Chriſti 419: Honorij decimo, ſecundum Marianum Scotum. At iuxta Proſperũ, 420.

Confutatio hypotheſeos de Creatione.

Certè quorundam malorum Deus autor eſt, qui & per Eſaiam inquit, creare ſe mala: Eſaiæ quarto. Auguſtinus libro tertio contra Iulianum, capite octauo.

Confutatio hypotheſeos De hominis conditione.

Qui mortẽ non facit, nec lætatur in perditione uiuorum. Proſper in libro promiſſionum. Et: Hoc ipſum quod dicunt Pelagiani, hominem fuiſſe moriturum corpore, etiamſi non peccaſſet, pugnat cum Scriptura: ut Geneſ. 2. Quocunque die comederitis, morte moriemini. Rom. 6. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum. Si Adã non peccaſſet, in corpus fuerat ſpirituale mutandus, & in illam incorruptionem quæ ſanctis promittitur, ſine mortis periculo tranſiturus. Auguſtinus libro de peccatorum meritis, capitibus primo, ſecũdo & tertio. Fauſtus libro primo de libero arbitrio.

REFVTATIO HYPOTHESIVM

de Peccato.

Contra primam & 2.

Contra primam & ſecũdam pugnat Proſper in libro de ingratis: ac oſtendit, omnes homines peccato originis eſſe corruptos, & neminem poſſe ullo alio modo quàm per Chriſtum ſaluari.

Contra 2.

Si peccatum nõ propagatione, ſed imitatione, in alios homines tranſiſſet, Paulus eius principẽ

principẽ non Adam, ſed diabolum diceret: Per unum hominem intrauit, inquit, peccatum. Rom. 5. in quo omnes Peccauerunt. Quòd ſine ambiguitate dictum eſt, in Adam omnes peccaſſe, non in diabolo, licet illum omnes impij imitentur. Item, Peccatum etiam in paruulis reperitur: ergo non intrauit per imitationem. Auguſtinus libro de peccatorum meritis, & remiſsione peccatorum, capitibus decimo & undecimo.

Contra illud, peccatum eſſe nomen carens ſubſtantia, Dauid orat: Domine ſana animam meam, quia peccaui tibi. Nihil autem ſentitur, niſi quod eſt uulneratum. Ergo peccatũ eſt ſubſtantia. Item: Etiã non mãducare, nõ eſt ſubſtantia: & corpus tamẽ abſtinẽtia debilitatur, ſic & natura. Auguſtinus libro de natura & gratia, cap. 19. & 20.

Contra 3. confutatio ſententiæ, Paruulos naſci ſine contagio peccati.

Contrà Dauid, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum. Item, Paruuli moriuntur, ergo habent peccatum. Et Eccleſiaſtici 40: Graue iugum ſuper filios Adam à die exitus. Iob 14: Quis mundus erit à ſorde? Epheſ. 2: Eramus naturà filij iræ. Auguſtinus libro quinto Hypognoſticõn. Primaſius in expoſitione capitis quinti ad Rom. Vix ꝓ iuſto quis moritur. Hoc cõtra Pelagiũ ſentit, qui negat originale peccatũ: quòd ſi hominẽ nõ obligaſſet, mors Chriſti non fuiſſet neceſſaria.

Confutatio rationis Iuliani: Ideo in paruulis non eſſe peccatum, quia id ſine uoluntate, quæ in infantibus nulla ſit, eſſe non poſsit.

Hoc rectè dicitur propter proprium cuiuſque peccatum, nõ propter primi peccati originale contagium: quod ſi nullum eſſet, nulli profectò malo paruuli obſtricti eſſent, nec mali quicquã uel in corpore uel in animã paterentur: ſed quia peccati pœnas patiuntur, habent peccatum ratione originalis contagij. Probat id exemplum apud Lucam, de filio ab infantia ſua dæmonio grauiter uexato. Auguſtinus libro tertio contra Iulianum, capite quinto.

Confutatio rationis Iuliani: Non morietur filius in peccato patris, &c.

Hoc dictum promiſsio eſt noui Teſtamenti, & ſpiritualis hæreditatis, ad alterum ſeculum pertinentis. Quanquam & dictum contrariũ opponi poteſt, ut Exodi 20: Reddens peccata patrum in ſinu filiorũ eorum. Auguſtinus libro 6. cõtra Iulianũ, capite 12.

Confutatio alterius rationis Iuliani: Peccatum trahi per naturam non poteſt, quia per opus Dei, opus diaboli tranſire non ſinitur.

Si in opere Dei opus diaboli manere ſinitur, etiá per opus Dei tranſire ſinitur. Auguſtinus libro 1. contra Iulianũ, cap. tertio.

Confutatio ſententiæ Iuliani: Euanuit originale peccatum, quia non poteſt mala radix in eo quod bonum Dei eſt, locari.

Senſus hominis bonũ Dei eſt: & tamẽ locauit inimicus ille ſeminator radicẽ mali in eo, quãdo peccatũ homini ſerpẽtina fraude perſuaſit. Itẽ, auaricia omniũ malorũ radix nõ niſi in anima hominis eſt, quę donũ Dei eſt. Et Ambroſius inquit: Omnes homines ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in uitio eſt, Dauide dicẽte: Ecce in iniquitatib. conceptus ſum, &c. Auguſtinus ibidem.

Confutatio ſententiæ Iuliani: Malum non in natura, ſed in uoluntate conſiſtere.

Confutat uos Magiſter ueſter Pelagius, qui damnari timens, damnauit ipſe eos qui dicunt, infantes, etiamſi non baptizentur, habere uitam ęternã. Qui ergo negatis eſſe in paruulo peccatũ, quod baptiſmate diluatur: dicite, quo merito paruulus ęterna morte plectatur? Sed quid eſtis dicturi, niſi fortè Pelagio maledicatis? Auguſtinus libro tertio contra Iulianum, capite primo.

Reſponſio ad quæſtionem Iuliani: Vtrum infantes actione peccent, an natura.

Quaſi aliud quicquam actio mala faciat, niſi naturã ream. actiõe quippe qui reus eſt, homo eſt, homo autẽ natura eſt. Homines igitur ſicut peccati actiõe maiores, ita minores maiorũ contagione rei ſunt. Auguſtinus libro eodem, capite quinto.

Confutatio eius quod Iulianus dixit, Mala ex bonis non oriri: quia dicit Chriſtus, Arbor bona fructus malos non facit.

Arbor nõ ſignificat naturã, ſed uoluntatẽ, ſeu bonã ſeu malã, fructus aũt opera. Iam ſi quærantur ipſarũ arborũ, hoc eſt uoluntatũ origines, occurrẽt naturę quas Deus bonas condidit. Relinquitur igitur, mala ex bonis eſſe. Auguſtinus lib. 1. cõtra Iulianũ, cap. 3.

REFVTATIONES HYPOTHESIVM de libero arbitrio.

Contra primam hypotheſin, qua affirmant quemq; regi Libero arbitrio.

Hieronymus in cõmentario in Eſaiæ caput decimũ: Erubeſcãt noui prædicatores, qui aiunt unũquemq; ſuo arbitrio regi: cum hic ꝓpheta dicat, Non eſt hominis uia eius: & Dauid, A Domino greſſus eius dirigẽtur.

Auguſtinus ad Quoduultdeũ: Si hoc certũ eſſet, fruſtra Dominus dixiſſe uideretur, Sine me nihil poteſtis facere. Et in libro de natura & gratia, cap. ſecũdo: Si poſſet ſibi ſufficere natura hominis ad implendã legem, perficiendamq; iuſticiã, nõ opus eſſet prædicatione uerbi, ut ex auditu ſit fides.

Et in Psalmum 106: Si per naturam iusticia, Ergo Christus frustra mortuus est. Rursus in Psalmum centesimum septimũ: Quid ergo est quod ait Apostolus, Deus in nobis operatur & uelle & perficere?

Contra 2.

Prosper de ingratis sic respondet:

Procul insana impietas, artesq; malignas
Aufer, & autorem comitare excluſa Britannum:
Nos humiles tenuesq; ſumus, grex paruus, & altis
Inniti metuens, quia ſufficientia noſtra
Ex Chriſto eſt: ſi quid recti ſapimus, uolumusq;,
Illi debemus, qui uincula noſtra reſoluit.
Proq; malis bona reſtituit: non inueniendo
Quod meritò legeret, ſed donans quo legeretur,
Vt de perceptis prodiret cauſa merendi:
Deq; datis in danda gradus, induſtria creſcens
Scanderet, atq; bonum fieret Deus omnibus unum.

CONFVTATIO EIVS QVOD DIXERUNT Pelagiani: *Quòd oculis bene & malè uidemus, hoc noſtrum eſt: & quod bene & malè loquimur, noſtrum eſt.*

Contrà Psalmus ait: Auerte oculos meos, ne uideant uanitatẽ. Item: Hoc non docet ille qui bene loquitur: Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, &c. Augustinus libro de gratia contra Pelagiũ, capite decimoquinto.

Confutatio eius quod in libro ſuo Pelagius ſcripſit: Habere homines poteſtatem utriuſq; partis, bene & malè agendi.

Non intuens quid loquatur, unam eandemq; radicem cõstituit bonorũ & malorũ: cõtra Euangelicã ueritatem, Non potest arbor bona fructus malos facere: &, Radix omniũ malorũ est cupiditas. Augustinus libro eodem, capite decimooctauo.

Contra 3.

Prosper in epistola ad Ruffinũ: Et ut magis probaretur, liberũ arbitrium nihil posse sine gratia, cui dictum fuerat, Confirma fratres tuos: &, Rogate ne intretis in tẽtationẽ: quiq; respõdet, utiq; ex libero arbitrio, Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire: eidem prædicitur, quòd priusquam gallus cantet, ter Dominũ negaturus sit. Quod quid est aliud, quàm quòd in fide defecturus sit? Certè rogauerat pro eo Dominus, ne deficeret fides ipsius. nec utique frustra rogauerat, cuius una erat cum eo quẽ rogauerat operatio. Sed NE libero arbitrio uideretur STARE, qui de se magna promiserat, permittitur periclitari, ut conturbatũ ac deficientẽ ille respiciat, & reficiat, sine quo nemo cõsistit, nemo persistit.

Contra 4.

Augustinus lib. 2 de bono perseuerantiæ, cap. 13 sic inquit: Nos ergo uolumus, sed Deo in nobis operatur & uelle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari, pro bona sua uolũtate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere: hoc est piũ, hoc uerũ, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totũ Deo. Cogitãtes credimus, cogitãtes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus. Quod aũt attinet ad pietatis uiã, & uerũ Dei cultũ, nõ sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficiẽtia nostra ex Deo est.

Contra 5.

Prosper in epistola ad Ruffinũ: Etsi indifferenter omnibus hominibus iubẽtur prædicare doctores, & semẽ uerbi ubiq; differre: tamẽ neq; qui plãtat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementũ dat Deus. Vnde cũ Apostoli gẽtib. Euangeliũ prædicare cœpissent, de parte quadã eorũ qui audierãt, Scriptura cõmemorat dicens: Audiẽtes aũt gauisi sunt, & glorificabãt uerbũ Dei, & crediderunt quotquot erant pręordinati ad uitam æternam. Et alibi: Cum multę mulieres audirent Paulũ dicentem, quædam (inquit) mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Tyatirorum, colens Deum, audiuit: cuius Dominus aperuit cor, ut intenderet his quæ dicebãtur à Paulo. Et paulo pòst: Quid aũt mirũ, si inter ipsa Euãgelicę prędicationis exordia nõ poterant ire Apostoli, nisi quò eos spiritus Dei ire uoluisset, cũ uideam' pleraq; gentes modò primùm Christianę gratię fieri cępisse participes: alias aũt nullũ adhuc odorem boni istius attigisse? An dicendũ est, uoluntati Dei humanas obsistere uolũtates? & tam feros, tamq; intractabiles horũ hominum mores, ut Euangeliũ ideo nõ audiant, quia prędicationi impia corda non pateant? Et quis istis corda mutauit, nisi qui finxit figillatim corda eorum? Quis huius rigoris duriciem ad obediendi molliuit affectũ, nisi qui potens est de lapidibus Abrahæ filios excitare? Et quis dabit prædicantibus intrepidam illæsamq; constantiam, nisi ille qui ait Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propterea quòd ego sum tecũ: & nemo opponetur tibi, ut noceat tibi, quoniã populus est mihi multus in hac ciuitate? Puto aũt quòd nemo audeat dicere, ullã mundi gentem, ullam terræ prętermittendã esse regionem, in qua non sint Ecclesiæ tabernacula dilatanda, dicente Deo ad filiũ: Postula me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et iterum: Reminiscẽtur, & conuertentur ad Dominũ uniuersi fines terrę. Et adorabũt in cõspectu eius omnes patrię gentiũ. Dicẽte quoq; ipso Domino: Prędicabitur hoc Euangeliũ in uniuerso mũdo, in testimoniũ omnib. gẽtib', & tũc ueniet finis. Quæcũq; ergo gẽtes nondũ audiuerũt, audiẽt Euangeliũ, & credẽt quot quot ex ijs pręordinati sunt in uitã æternã.

Contra

Contra 6.

Prosper in epistola ad Ruffinũ sic inquit: Quamuis in paruulis baptismũ transeuntibus, manifestissimè nullũ opus, nullus q; appetitus eorũ uoluntatis existat, & plerosq; utentes quidẽ libero arbitrio, sed auersos à uero Deo, uitamq; in flagitijs exigentes, liberatrix regeneratio in ipso exhalandi spiritus fine sanctificet: tamen si eam filiorũ Dei partem, quę ad pietatis opera reseruatur, pio consideramus intuitu, non ne in eis nõ perẽptũ inueniemus liberũ arbitriũ, sed renatũ? Quod utiq; cum solũ esset, sibiq; permissũ, nõ nisi in suam pernicie mouebatur. Ipsum enim se excæcauerat, & ipsum se illumniare non poterat. Nunc autem idem arbitriũ conuersum est, non euersum. Et donatum est ei aliter uelle, aliter sapere, aliter agere, & in columitatem suam nõ in se, sed in medico collocare. Quia necdũ tam perfecta utitur sanitate, ut ea quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere, aut ab insalubrib. posit iam uiribus suis tẽperare. Proinde homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso lib. arbitrio factus est bonus: sed per se malus, per Deũ bonus.

Contra 7.

Prosper de ingratis prolixè hãc opinionẽ refutat, ostẽdens nõ sufficere uocationẽ, sed oportere Deum ipsum intus plantare, & incrementum dare.

Confutatio eius: Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine præstari.

Ideo iubet aliqua quæ non possumus, ut meminerimus, quę ab illo petere debeamus. libro eodem, capite decimosexto.

Contra 8.

Prosper de ingratis sic inquit:

Non autem hoc curam minui, studiumq; resolui
Virtutum, aut opus ingenij torpere putandum est,
Quòd bona sanctorum tua sunt. Et quicquid in illis
Aut sanum, aut ualidum est, de te uiget: ut uideatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, uoluntas.
Quę sine te quid agit? nisi quo procul exulet à te:
Præcipites semper calles, & deuia motu
Ingressura suo, nisi fessam tu bone & ægram
Suscipias, referas, foueas, tuearis, honestes.

Confutatio hypotheseos de lege, facilia esse Dei mandata.

Profer quis ea impleuerit, & cur Dauid in Psalmo canat: Qui fingis laborem in præcepto. Hieronymus ad Ctesiphontem.

DE GRATIA.

Refutatio Hypotheseos primæ.

Maxentius contra epistolam Hormisdæ: Quòd si sola prædicatio (sicut iste uult) gratia Dei credenda est, quæ per IESVM Christum facta est: ergo iã non Saluator, sed prædicator tantũmodo, idem Deus est & Dominus noster IESVS Christus (quod absit) credendus est. Sed hunc nefariũ eius sensum ita exprobrat & refutat beatus Augustinus. Deniq; mox post illã sententiã, cuius superius fecimus mentionẽ, sequitur & dicit: Nõ sic pius atq; humilis ille doctor sapiebat (Cyprianũ beatissimũ loquor) qui dicit, in nullo gloriãdũ, quãdo nostrũ nihil sit. Quod ut ostẽderet, adhibuit Apostolũ dicẽtẽ: Quid aũt habes quod non accepisti? si aũt accepisti, qd gloriaris quasi nõ acceperis? Quo præcipuo testimonio etiã ipse cõuict⁹ sum, cũ similiter errarẽ, putãs fidẽ, qua in Deũ credim⁹, nõ esse donũ Dei, sed à nobis esse, in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quib. tẽperantes & iustè & piè uiuam⁹ in hoc seculo. Neq; enim putabã Dei gratia pręueniri, ut per illã nobis daretur quod utiliter posceremus: nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconiũ ueritatis. Vt aũt prędicato nobis Euangelio cõsentiremus, nostrũ esse prius, & nobis ex nobis arbitrabar. Quẽ meũ errorẽ nõnulla mea opuscula indicant, ante meum episcopatum scripta.

Refutatio secundæ Hypotheseos de gratia.

Refutat illã opinionẽ Augustinus, libro primo de bono perseuerantię, capite 14 ex dicto Rom. 9. Quia neq; uolentis neq; cũrrentis, sed miserentis Dei sit. & lib. 2. cap. 8: Sed cur, inquit, gratia Dei, non secundũ merita hominũ datur? Respondeo: Quoniam Deus misericors est. Cur ergo, inq̃t, nõ omnibus? Et hic respõdeo: Quoniã De⁹ iudex iust⁹ est. Ac p̃ hoc gratis ab eo datur & gratia: & iusto eius in alijs iudicio demõstratur, q̃d eis q̃bus datur, cõferat gratia. Nõ itaq; simus ingrati, quòd secundũ placitũ uolũtatis snę in laudẽ glorię gratię suę tã multos liberat misericors De⁹, de tã debita perditione, ut si inde neminẽ liberaret, nõ esset iniustus. Ex uno q̃ppe omnes in cõdemnationẽ, non iniusticia iudicati sunt filij iræ, sed iusticia: qui ergo liberatur, debitũ agnoscat. Si in remittẽdo debitũ bonitas, in exigẽdo ęquitas intelligitur, nusquã esse apud Deum iniquitas inuenitur.

Prosper in epistola ad Ruffinũ, eandẽ opinionẽ refutat: Si gratia Dei secundũ merita hominũ tribuitur, atq; hoc modo gratia nõ sit gratia: qa si meritis redditur, & nõ ipsa est bonorũ creatrix, frustra gratia nominatur.

Refutat eandẽ opinionẽ in libro de ingratis prolixè, & inter cætera inquit:

Siue igitur meritum credens existere posse
Ante fidem, donas uirtutibus impietatis:
Siue illam uis esse tuam, non munere dantis
Sumptam, sed genitam de libertate uolendi,
Nullam habet in uobis saluatrix gratia sedem.

Idem in eodem libro, exẽplo de infantib. & geminis p̃bat, nõ propter humana studia, sed ex mera misericordia gratiam donari.

Maxẽti⁹ cõtra Hormisdã, refutat Fausti opinionẽ, q̃ gratia detur secũdũ merita fidei & laboris, ut cõtrariã Scripturę & Augustino.

Contra

Contra Iuliani opinionem, gratiam dari ſecundum merita bonæ uoluntatis: Auguſtinus inquit libro primo, capite decimoquarto: Apoſtolus non dixit, Miſericordiam cõſecutus ſum, quia fidelis eram: ſed, ut fidelis eſſem. Item capite ad temperantiã, Sicuti unicuiq; Deus partitus eſt menſurã fidei.

De teſtimonijs quæ Pelagiani pro ſuo errore proferunt, Proſper in epiſtola ad Ruffinum ſic inquit: Aſſerunt quidem hæc quibuſdam ſanctarum Scripturarum teſtimonijs, ſed non rationabiliter adſumptis. Ad defenſionem enim alicuius definitionis ea promenda ſunt, quæ alteri intellectui, à quo uidetur definitio diſſonare, non cedant, & eam regulam cui ſunt aptata, non deſerant.

De exemplo Cornelij, Auguſtinus libro primo de bono perſeuerantiæ, capite ſeptimo inquit: Quicquid igitur, & antequam in Chriſtum crederet, & cum crederet, & cum credidiſſet, bene operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne fortè quis extollatur. Et Proſper in epiſtola ad Ruffinum: Neq; intelligunt omnem illam prȩparationem Cornelij per Dei gratiam fuiſſe collatam. Si quidem cum S. Petrus per uiſionem omnis generis animalium de baptiſando Cornelio, ac perinde de omnibus gentibus doceretur, atque ille immundum & indiſcretum cibum Iudaica obſeruantia recuſaret, trina ad eum uox facta ſit, dicens: Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Quò ſatis apertè oſtenditur, omnia bona opera quæ in Cornelio præceſſerunt Dei gratiam, ad emundationem ipſius inchoaſſe: ut cui Dominus iam impertierat hoc donum, non dubitaret Apoſtolus conferre ſacramentum, ne nouæ, & necdum reuelatæ uocationis uacillaret exordium, niſi per ipſa indicia præcedentium ſtudiorum, Deum in adſumendis conſtaret operatum. Non enim omniũ eſt fides, nec omnes credũt Euãgelio: ſed qui credũt, Dei agũtur ſpiritu: qui non credunt, libero auertũtur arbitrio.

Refutatio 3 Hypotheſeos.

Iuliani opinionem Auguſtinus refutat libro quarto, capite decimotertio: Non hæc eſt gratia quam commendat Apoſtolus, per fidem IESV Chriſti. Hanc enim naturam cum impijs & infidelibus certum eſt nobis eſſe communem: gratiam uerò per fidem IESV Chriſti, eorum tantũmodo eſſe, quorum eſt ipſa fides: Apoſtolo dicente, Non omnium eſt fides.

Fauſti opinionem Maxentius contra epiſtolam Hormiſdæ, ut Scripturæ & Auguſtino contrariam, refutat.

Contra 5 Hypotheſin, qua negant gratiam.

Quòd gratiam excludunt Pelagiani, blaſphemia eſt. tollit enim orationem, & eſt contra Scripturã: Quid habes quod nõ accepiſti? Si aũt accepiſti, quid eſt quod gloriaris, quaſi non acceperis? Itẽ: Non eſt uolentis, neq; currẽtis, ſed miſerentis Dei. ſemper largitor Deus, ſemper donator eſt. Non mihi ſufficit quòd ſemel donauit, niſi ſemper donauerit. Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem.

DE SYNERGIA.

Refutatio hypotheſeos de tribus cauſis conuerſionis.

Proſper de ingratis, inter alia ſic reſpondet

At ſi dimota certandi nube, ſerenis
Quæ ſunt uera oculis mecum intuearẽ modeſtè,
Et uetera exemplis manifeſtis plena uidebis
Secula: & in noſtro cognoſces tempore multa,
Quæ doceant uirtute Dei conuerſa malorum
Corda, quibus recti nihil unquam inſederat, & quæ
Nullum iuſticiæ ſignum ſenſum'ue gerebant.
Namq; ut nunc ſæuas gentes, & barbara regna,
Ignoti prius, aut ſpreti noua gratia Chriſti
Attrahit, & terra templum ſibi condit in omni:
Sic prius immites populos, urbesq; rebelles,
Vincente obſtantes animos pietate ſubegit.
Non hic conſilio tantum, hortatuq; benigno
Suadens atq; docens, quaſi normam legis haberet
Gratia: ſed mutans intus mentem, atq; reformans,
Vasq; nouum ex fracto fingens, uirtute creandi.
Non iſtud monitus legis, non uerba prophetæ,
Non præſtata ſibi præſtat natura: ſed unus,
Quod fecit, reficit. percurrat Apoſtolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, inſtet,
Quaq; uiam uerbo reſeratam inuenerit intret:
Vt tamen his ſtudijs auditor promoueatur,
Non doctor, neq; diſcipulus, ſed gratia ſola
Efficit, inq; graues adolet plantaria fructus.

Refutatio opinionis Fauſti, de gratia, & conatus humani ſynergia.

Maxentius contra epiſtolam Hormiſdæ, huic aſſertioni, & Auguſtinus in primo libro ad Proſperum & Hilarium, ita contradicit, ut credas eum iam tunc non niſi contra ſcripta Fauſti reſpondere. Deniq; poſt aliquanta, quæ ibi de initio fidei, quod nobis niſi deſuper dari certiſsimis approbat documentis, exprobrans, hunc ſenſum infert, & dicit: Nolens ergo tam claris teſtimonijs repugnare, & tamen uolens à ſeipſo ſibi eſſe quod credit, quaſi cõponit homo cum Deo, ut partem ſibi fidei uendicet, atq; illi partem relinquat: & quod eſt elatius, primam ſibi, ſequentem dat illi: & in eo quod eſſe dicat amborum, primum ſe fecit, poſteriorem Deum.

Refutatio 3 Hypotheſeos.

Proſper in epiſtola ad Ruffinũ: Cõuerſio ergo noſtra ad Deũ, nõ eſt ex nobis, ſed ex Deo eſt. ſicut Apoſtol⁹ dicit: Gratia ſalui facti eſtis per fidẽ: & hoc nõ ex uobis, ſed Dei donũ eſt, & nõ ex operib⁹, ne quis glorietur. Agnoſcas ſe humana debilitas, & in primo homine uniuerſarũ generationũ damnata ſucceſsio, & cum

cum mortui uiuificantur, cum cæci illuminantur, cum impij iuſtificantur, confiteantur uitam & lumen & iuſticiam ſuam Ieſum Chriſtum. Et: Qui gloriatur, in Domino glorietur, non in ſe. Qui cum eſſet impius & cęcus, & mortuus, à liberatore ſuo gratis accepit & iuſticiam, & lumen, & uitam.

Contra 4. Hypotheſin.

Proſper in epiſtola ad Ruffinũ ſic inquit: Prorſus nihil apud nos tale audierunt, nihil tale legerunt: quia non fato quicquam geri, ſed omnia Dei iudicio nouimus ordinari. Nec ex duabus maſsis, duabus'ue naturis, ſed ex una maſſa, quæ eſt caro primi hominis, unam ſcimus omnium hominum creatam, creariq; naturam.

Contra 5. Hypotheſin.

Auguſtinus in epiſtola ad Vitalem ſic inquit: Hæc ſi dicis, orationibus noſtris contradicis. Negas apertè orãdum eſſe pro his quibus Euangelium prędicatur, ut credant, ſed tantum prædicandum. Damnas preces Eccleſię, reprehendis ritus orandi pro incredulis, ut ad fidem cõuertantur: pro catechumenis, ut deſiderio regenerationis implean tur. Condemnas Cypriani librum de oratione Dominica, in quo eapetẽda eſſe à Deo patre oſtendit, quæ tu dicis eſſe homini ab homine, hoc eſt à ſeipſo. Reprehendis & Apoſtolum qui dixit: Oramus ad Deum, ne quid mali faciatis. Pugnas & cum Scriptura, dicente: A Domino greſſus hominis diriguntur, & uiam eius uolet. Non dixit, Et uiam eius diſcet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid huiuſmodi, quod poſſes dicere à Domino quidem dari, ſed homini iam uolenti: ut ſi beneficium Dei, quo greſſus hominis dirigit, ut uiam eius diſcat, teneat, gradiatur, ſua homo uoluntate pręcedat, & hoc Dei donum præcedente uoluntate ſua mereatur. ſed ideo dixit, A Domino greſſus hominis diriguntur, & uiam eius uolet: ut intelligeremus, ipſam uoluntatem bonam, qua incipimus uelle credere (quoniam Dei uia quid eſt niſi fides recta?) illius eſſe donũ, qui greſſus noſtros propterea dirigit primitùs, ut uelimus. Non enim ait Scriptura, A Domino greſſus hominis diriguntur, quia uiam eius uoluit: ſed, Diriguntur, inquit, & ſed quia diriguntur, uolet. Et paulo pòſt: Præparatur uoluntas à Domino, & eius eſt qui operatur in nobis & uelle. Et multa huiuſmodi, quibus commendatur uera Dei gratia: hoc eſt, quæ non ſecundum merita noſtra datur, ſed dat merita ipſa, cum datur. Quia præuenit hominis uoluntatem bonã, nec eam cuiuſquam inuenit in corde, ſed facit, etc. Cõfutat etiã illam ipſam opinionẽ in eadem epiſtola, duodecim alijs rationibus.

REFVTATIO HYPOTHESIVM de Prędeſtinatione.

Refutatio 1. Hypotheſeos.

Auguſtinus libro primo de Bono perſeuerantiæ, capite decimoſexto, & decimoſeptimo: Vnde non ob aliud dicit, Non uos me elegiſtis, ſed ego uos elegi: niſi quia non elegerunt eum, ut eligeret eos: ſed ut eligerent eum, elegit eos. Quia miſericordia eius præuenit eos ſecundum gratiam, non ſecundum debitum. Elegit ergo eos de mundo, cum hic ageret in carne: ſed iam electos in ſeipſo, ante mundi conſtitutionem. Quod profectò ſi propterea dictum eſt, quia præſciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipſe credentes, cõtra iſtam præſcientiam loquitur filius, dicens: Nõ uos me elegiſtis, ſed ego uos elegi. cum hoc potius præſcierit Deus, quòd ipſi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem, ea prædeſtinatione, qua Deus ſua futura facta præſciuit: electi ſunt autem de mundo ea uocatione, qua Deus id quod prædeſtinauit, impleuit. Quos enim prædeſtinauit, ipſos & uocauit: illa ſcilicet uocatione ſecundum propoſitum. non ergo alios, ſed quos prędeſtinauit, ipſos & uocauit: nec alios, ſed quos ita uocauit, ipſos & iuſtificauit: nec alios, ſed quos prædeſtinauit, uocauit, iuſtificauit, ipſos & glorificauit, illo utiq; fine qui non habet finem. Elegit ergo Deus fideles, ſed ut ſint, nõ qui iam erãt.

Et capite decimonono: Audiant & ipſi in hoc teſtimonio, ubi dicit: Sorte cõſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui uniuerſa operatur. Ipſe ergo, ut credere incipiamus, operatur, qui uniuerſa operatur: uocationem quippe illam de qua dictum eſt, Sine pœnitentia ſunt dona & uocatio Dei, de qua dictum eſt, Non ex operibus, ſed ex uocante: cum poſſet dicere, Sed ex credẽte. & electionem quam ſignificauit Dominus, dicens: Non uos me elegiſtis, ſed ego uos elegi. Nec fides ipſa præcedit. non enim quia credimus, ſed ut credamus, elegit nos, ne priores eum elegiſſe dicamur: falſumq; ſit, quod abſit, Non uos me elegiſtis, ſed ego uos elegi. Nec quia credimus, ſed ut credamus, uocamur: atque illa uocatione quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur, & peragitur, ut credamus.

Et Proſper in epiſtola ad Ruffinũ, de reliquijs Pelagianę hęreſeos oſtendit, Deum electos facere dignos donorum. idq; probat teſtimonijs: Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in partẽ ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. Et idem ad Timotheũ: Con-

laborа,

labora, inquit, Euãgelio ſecundum uirtutẽ Dei, qui nos liberauit, & uocauit uocatione ſancta, nõ ſecundũ opera noſtra, ſed ſecundũ propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto IESV, ante tempora ſecularia. Et ad Titũ: Eramus, inquit, & nos aliquando inſipientes & increduli, errantes & ſeruientes deſiderijs & uoluptatibus uarijs, in malicia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri, nõ ex operibus iuſticiæ quæ fecimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.

Refutatio hypotheſeos 2.

Proſper in epiſtola ad Ruffinũ dicit: Hoc negare tam impium eſſe, quàm ipſi gratiæ contraire. Et aliquanto pòſt: Non enim alij uenient in conſortium hæreditatis Chriſti, quàm qui ante conſtitutionem mundi electi ſunt, & prædeſtinati atq; præſciti, ſecundum propoſitum eius qui omnia operatur ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ.

Refutatio 3. hypotheſeos.

Auguſtinus libro primo de bono perſeuerantiæ, cap. 12. & 13. reſpondet, infantes non baptizatos damnari propter peccatum originis: & non propterea quòd Deus præuiderit, eos non acturos pœnitentiã ſi uiuerent.

Et capite decimoquinto inquit: Scripſit librũ de mortalitate Cyprianus, multis ac pene omnib. qui Eccleſiaſticas literas amant, laudabiliter notum: in quo propterea dicit non ſolùm non eſſe fidelibus inutilem mortem, uerùm etiam utilem reperiri, quoniam peccandi periculis hominem ſubtrahit, & in non peccandi ſecuritatem conſtituit. Sed quid prodeſt, ſi etiam futura quæ commiſſa non ſunt, peccata puniuntur? Ait tamẽ ille copioſiſsimè atq; optimè, peccandi pericula nec deeſſe in iſta uita, nec ſupereſſe poſt iſtã.

Et paulò pòſt eleganter docet, Deum prę ſcire ea quæ futura ſunt, & non præſcire ea quæ non ſunt futura. Refutat eandem opinionem libro ſecundo, capite duodecimo.

Refutatio hypotheſeos 6.

Auguſtinus libro ſecundo de bono perſeuerantię, capite decimoquarto inquit: Sed aiunt prædeſtinationis definitionem utilitati prædicationis aduerſam: quaſi uerò aduerſata ſit Apoſtolo prædicanti. Non ne ille Doctor gentiũ in fide & ueritate prędeſtinationẽ toties cõmendauit, & uerbũ Dei prędicare nõ deſtitit? Nũquid quia dixit, Deus eſt qui operatur in uobis & uelle & operari pro bona uolũtate ſua, ideo nõ ipſe, & ut uelimꝰ quę Deo placeãt, & ut operemur, hortatꝰ eſt? Aut qui dixit: Qui in uobis bonum opus cœpit, perficiet uſq; in diẽ Chriſti IESV, ideo ut inciperẽt homines, & perſeuerarẽt uſq; in finem, ipſe nõ ſuaſit? Nempe ipſe Dominus hominibus præcepit ut crederent, atque ait: Creditis in Deum, & in me credite. nec tamẽ ideo falſa ſententia eſt, nec uana definitio, ubi ait, Nemo uenit ad me (id eſt, nemo credit in me) niſi fuerit ei datum à patre meo. Nec rurſus, quia uera eſt hæc definitio, ideo uana eſt illa pręceptio. Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correctioniq; quę omnia frequentat Scriptura diuina, exiſtimamus inutilem definitionem Prædeſtinationis, quam commendat eadem Scriptura diuina? Eadem libro eodem, capite 17. prolixius perſequitur.

REFVTATIO PRIMAE HYPOtheſeos de iuſtificatione.

Maxentius contra epiſtolam Hormiſdæ ſic reſpondet: Si ſecundum huius impium ſenſum, & Enoh omni fece terrena in tantũ purgari potuit per naturæ uigorem, ut nihil terrenum ſaperet, & Noe ad perfectam iuſticiam peruenire: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Si enim per naturæ uigorem carnalis ſapientia (quæ Deo inimica eſt) plenius expurgari potuit, & perfecta iuſticia adimpleri: quid neceſſe erat Deo, carne aſſumpta, pro humano genere mori? Sed nunquid Apoſtolus tacuit, unde Enoh & Noe Deo placere potuerunt, dicens: Fide Enoh tranſlatus eſt, ne uideret mortem, & non inuenie batur, quia tranſtulit illũ Deus? Ante tranſlationem enim teſtimonium habebat, placuiſſe Deo: & reliqua. Fide Noe reſponſo accepto, de his quę adhuc non uidebãtur, metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum: & iuſticiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.

Et Auguſtinus libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorũ: Saluati ſunt ſola fide in mediatorem. eorum enim uox eſt: Credidi, propter quod locutus ſum. Et, Vnus mediator Dei & hominum. Idem: Patres omnes in ueteri teſtamento ſaluati ſunt per beneficiũ mediatoris Chriſti, Paulo atteſtante: Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorũ. ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes uiuificabũtur. &, Abraham cõcupiuit uidere diem meum.

Refutatio 2. hypotheſeos.

Reſpondet Auguſtinus libro primo, capite undecimo, de bono perſeuerãtiæ: Cur nõ utrumq; Dei eſt, & quod iubet, & offertur? Rogatur enim ut det, quod iubet, Rogant credentes, ut ſibi augeatur fides: rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides, ut & in ſuis incrementis, & in ſuis initijs Dei donum ſit fides. ſic autem dicitur: Si crederis, ſaluus eris. quemadmodum dicitur Si: ſpiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Nã & hic ex duobus unum exigitur, alterum offertur: Si ſpiritu, inquit, facta carnis mortificaueritis,

ficaueritis, uiuetis. Vt ergo ſpiritu facta carnis mortificemus, exigitur: ut autem uiuamus, offertur. Num igitur placet, ut facta carnis mortificare, non donũ Dei eſſe dicam⁹: neq; id donum Dei eſſe fateamur, quoniam exigi audiuimus à nobis, prẽmio uitę ſi hoc fecerimus oblato? Ibidem: Ideo enim hęc ſtrantur, ut intelligatur, quòd & nos ea faci mus, & Deus fecit ut illa faciamus. ſicut per prophetam Ezechielem apertiſsimè dicit. Quid enim apertius, quàm ubi dicit, Ego faciam ut faciatis?

Refutatio 3 hypotheſeos: Ad obtinendam ſalutem, naturam hominis ſibi ſolam ſufficere.

Ego arbitror, quòd libertas arbitrij ſibi ſola ſufficere, ſine præſidio gratiæ non potuerit, etiam antequam priuilegiũ illius tranſgreſsio uiolaret: multo minus nunc, cum dictũ ſit, Sine me nihil poteſtis facere. Itẽ: Niſi Dominus ædificauerit domũ, &c. Fauſtus libro primo de Libero arbitrio.

Refutatio 5 hypotheſeos.

Propter hoc maximè deteſtatur uos Eccleſia Chriſtiana, cum ſcriptum ſit: Impoſsibile eſt placere Deo ſine fide. Auguſtinus libro quarto cõtra Iulianum, capite ſecundo.

CONFVTATIO DE FIDE.

Contra opinionem, quòd fides ſit ex nobis, Auguſtinus libro ſecundo de bono perſeuerantię, capite decimoſeptimo: Hic proculdubio contradicitur Apoſtolo dicenti, Quid habes quod non accepiſti? Contradicitur & martyri Cypriano, dicenti, in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. Eandem opinionem, quòd fides ſit opus naturæ, refutat Proſper in libro de ingratis, demonſtrando per eam aſſeri integritatem naturæ lapſæ, & euacuari crucem Chriſti. Item, fidei autorem & ducem eſſe Chriſtũ, & non naturam. Et Maxentius in reſponſione ad epiſtolam Hormiſdę, dicit eam opinionem non modò Auguſtino, ſed etiam Apoſtolo eſſe contrariam, qui dicit, fidem non eſſe omnium.

Contra tertiam hypotheſin, quòd perſeuerantia non donetur à Deo.

Auguſtinus libro ſecundo, capite ſecundo, de bono perſeuerantiæ ſic inquit: Cur perſeuerantia iſta poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? Et capite ſeptimo: Poſt lapſum hominis non niſi ad gratiam ſuam Deus uoluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque niſi ad gratiam ſuam uoluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Idem & Proſper ad Ruffinum.

Refutatio hypotheſeos de Bonis operibus.

Auguſtinus libro quarto contra Iulianũ, cap. 19. reſpondet: Non audiunt Apoſtolum dicentẽ: Scientia inflat, charitas autem ædificat. Quid eſt ineptius, quid amentius, & ab ipſa charitatis ſanctitate alienius, quàm confiteri ex Deo eſſe ſcientiam, quæ ſine charitate inflet: & ex nobis eſſe charitatẽ, quæ facit ut ſcientia inflare non poſsit?

Refutatio hypotheſeos de Perfectione.

Contrà 2.

Auguſtinus in libro de perfectione, Cœleſtij opiniones & rationes refutat, ut patet ex ſequentibus. Cœleſtius in prima quæſtione contendit, hominem ad perfectum iuſticiæ ſtatum poſſe peruenire, ſi uelit. Auguſtinus reſpondet: Peccatum poſſe uitari, ſi natura uitiata ſanetur gratia Dei, per IESVM Chriſtum.

2. Si peccatum eſt neceſsitas, peccatum non eſt: ſi uoluntatis, uitari poteſt. Reſpondet Auguſtinus idem, quod ad primã quæſtionem.

3. Quæritur quid ſit peccatum, Naturale an accidens. Si naturale, non eſt peccatũ: ſin accidens, uitari poteſt. Ergo ſine eo homo eſſe poteſt. Reſpondet Auguſtinus, non eſſe naturale, ſed uitiatæ naturæ: & parum eſſe ad non peccandum, uoluntatis arbitrium, denegata gratia.

4. Peccatum eſt actus, & non res: ergò peccatum uitari poteſt. Auguſtinus dat inſtantiam: Claudicatio etiam eſt actus, & non res: nec tamẽ quis claudicationem uitare poteſt, niſi habeat ſanatum pedem.

5. Homo debet ſine peccato eſſe: ergò poteſt. Reſpondet Auguſtinus, repetita ſuperiori ſimilitudine de claudicãte homine.

6. Præceptum eſt homini, ut ſit ſine peccato: ergo poteſt. Reſpondet Auguſtin⁹: Quia nõ poteſt, ideo iuſſus quęrit remediũ.

7. Deus uult hominẽ ſine peccato eſſe: ergò. Reſpondet Auguſtinus: Si nollet Deus hominem ſine peccato eſſe, nõ remitteret filium ſuum ſine peccato, qui ſanaret homines à peccatis. hoc fit in credentibus.

8. Deus uult hominem eſſe ſine peccato: ergo magnã impietatis blaſphemia eſt, dicere hominem poſſe eſſe cum peccato, quod Deus non uult: & negare poſſe eſſe ſine peccato, quod Deus uult. quaſi aliquem ad hoc Deus creauerit, ut poſsit eſſe quod nolit, & non poſsit eſſe quod uelit: & ut cõtrà ſuam magis, quàm ut ſecundum ſuam exiſteret uoluntatem. Reſpondet Auguſtinus: Iam ſuperius reſpõſum eſt, ſed addendũ uideo, Quòd ſpe ſalui facti ſumus.

9. Quòd Deus homini dedit, bonum eſt: Deus dedit homini libertatẽ arbitrij: ergo magis per libertatem arbitrij pronus eſt ad bonum quod eſt, poſſe eſſe ſine peccato:

quàm ad malũ, quòd est esse cũ peccato. Respõdet Augustinꝰ: Per arbitrij libertatẽ factũ ut esset homo cũ peccato: sed iã pœnalis uitio sitas subsecuta, ex libertate fecit necessitatẽ.

10. Deus hominem bonum fecit, & bona ei præcipit: ergo potest sine peccato esse. Respõdet Augustinus: Quia bonũ fecit, ideo ut sit bonus reficit, dũ uolentẽ, credentẽ, inuocantẽ liberat à malo, quod sibi ipse fecit.

11. Tam illud potest uitari quod prohibetur, quàm effici quod imperatur: Peccatum ꝓhibetur, ergo potest uitari. Quia frustra aliqd prohiberetur, aut iuberetur, qꝫ uel caueri uel impleri nõ posset. Respõdet Augustinꝰ: Non posse fieri, sine gratia adiuuãte diuina.

12. Quod nõ natura, sed uoluntate fit, potest mutari: Peccatũ fit uoluntate: ergo, &c. Quia perfacilè potest uolũtas uoluntate mutari. Respõdet Augustinus: Est lucta carnis & spiritus. hæc enim sibi inuicem aduersantur, ut non quæ uolumus fiant.

13. Homo alterius culpa peccat: ergo nõ propria: est igitur sine peccato. Respondet Augustinus, explicãdo quomodo intelligẽdum sit quod dicitur, esse culpam hominis, quod non possit esse sine peccato.

14. Si peccatũ uitari non posset, Deus iustus non imputaret: sed imputat: ergo. Respondet Augustinus: Non imputat his qui petunt, Dimitte nobis, &c.

Confutatio eius, hominem posse esse sine peccato, si uelit: & eius, Aliud est esse, aliud esse posse.

Si homo per se potest esse sine peccato, quid necessaria est Dei gratia? sin aũt sine illius gratia nihil potest facere, quid necesse fuit dicere, posse quod non potest? Et: Rogo quę ista est argumẽtatio, posse esse quod nũquã fuerit? posse fieri quod nullũ fecisse, testeris? id cuilibet tribuere, q an futurus sit ignores, & dare nescio cui, quod in Patriarchis & Prophetis & Apostolis fuisse nequeas ap,pbare. Hieronymꝰ in Epistola ad Ctesiphõtẽ.

Refutatio hypotheseos de Amnestia.

Augustinus in libro 2 de bono perseuerãtiæ, capite 16. respondet: Alia est ratio uerum dicendi, alia uerũ tacendi necessitas. causas uerum tacendi, longum est omnes quærere uel inserere: quarum tamẽ est & hæc una, ne peiores faciamus eos qui nõ intelligunt, dũ uolumus eos qui intelligunt facere doctiores: qui nobis aliquid tale tacentibus, doctiores quidem nõ fiunt, sed nec peiores fiunt. Cum aũt res uera ita se habet, ut fiat peior nobis eam dicentibus, ille qui capere nõ potest: nobis aũt tacentibus, ille qui potest quid putamus esse faciendum? Non ne potius est dicendũ uerum, ut qui potest capere capiat, quàm tacendũ ut nõ solùm id ambo nõ capiãt, uerùm etiã qui est intelligẽtior, ip se sit peior? Qui si audiret & caperet, p illũ etiã plures discerẽt? Quo enim est capaciorꝰ discat, eo magis est idoneus ut alios doceat.

Contra 2 hypothesin.

Prosper de ingratis sic inquit:

Iungere sed fœdus cum talibus, & uiolare
Sanctorum decreta patrum, regumq; piorum,
Scripta lege Dei leges contemnere, multum
Hostile est, nimiumq; audax & pernicioſum.

Confutatio hypotheseos de Baptismo.

Nemo Christianorũ æternam salutẽ consequitur, si non renascatur in Christo, quod fit per Baptismũ. Et: pro impijs Christus mortuus est. Quòd si infantes, qui impiè nihil cõmiserunt, nec originali impietate infecti sunt, pro ijs Christus non mortuus est. Et: Non ueni uocare iustos, sed peccatores: Ergo infantes, si non sunt peccatores, non sunt uocati. Item, Sine baptismo infantes non possunt admitti ad cœnam Domini, de qua dixit Christus: Nisi mãducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinẽ meũ, non habebitis uitã in uobis. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, capite uigesimo.

Confutatio sententiæ de cœna Domini, quòd absq; illa paruuli in se possint habere uitam.

Est uniuersale dictũ, ad omnes pertinens. nam & sic Christus ait: Panis quem ego dedero, caro mea est, pro mũdi uita. Ergo etiã pro paruulis, &c. Augustinus libro primo de peccatorum meritis, cap. 24.

Confutatio eius: In Baptismo si peccata remittuntur, homo postea sine peccato est.

Non tollitur in baptismo omnis infirmitas, sed renouatio incipit à remissiõe peccatorũ, & in altera demũ uita perfecti erimus. Augustinus lib. 2 de peccatorũ meritis, ca. 7.

Confutatio eius, quòd orationes Pelagiani destruunt.

Repugnat Scriptura in Psalmis, exemplis piorum orantiũ, Cõuerte nos DEVS, Docme iustificationes tuas. Et, Pharisæus apud Lucã, cõfitens se accepisse à Deo bene operã di facultatẽ, tamẽ improbatur. Quid fiet uobis, qui Deũ inuocare prohibetis? Augustinus lib. 2 de peccatorum meritis, cap. 5.

Confutatio eius: Sanctos non pro se, sed pro aliis orare, nec ueraciter quidem, Dimitte nobis debita nostra.

Repugnant Scripturæ. Iacobi 3: In multis offendimus omnes. Psal. 147: Non intres in iudiciũ. Eccles. 7: Non est homo qui non peccet. Et, Quis ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem: qui labijs suis sibi dicit remitti uelle, & corde dicat, quæ sibi dimittantur debita, se non habere? Ex capitulo octauo cõcilij Mileuitani, tomo primo Conciliorum.

Confutatio

Confutatio ſententiæ, Libidinem eſſe naturale bonum.

Libido non eſt naturale bonum in hominibus, ſed per peccatum primorum parentũ accidens malum atq; pudendũ, cuius autor non Deus, ſed diabolus eſt. Creati quidem abſque libidinis malo primi ſunt parentes, ſed poſt lapſum libidinis ſtimulus acceſsit: quamobrem & naturalia membra texerũt. Hinc Paulus: Caſtigo corpus, &c. Sẽtio aliã legem, &c. Iacob. 1: Vnuſquiſq; tentatur à cõ cupiſcentia ſua. & 1. Ioãnis 2: Concupiſcẽtia carnis nõ ex patre, ſed ex mũdo eſt: Auguſtinus libro quarto hypognoſticon. Fauſtus libro primo, capite ſecundo: De ſuperbia nata eſt incontinentia.

Confutatio ſententiæ, Filios ex coniugio ſuſceptos naturà bonos eſſe, quòd Apoſtolus dicat, Relicto naturali uſu, &c.

Apoſtolus non dixit, Vſum coniugalem, ſed naturalem.

Confutatio eius: In concupiſcentia modum ſeruans, bono bene utitur.

Cõtrà, Cõcupiſcentię carnalis qui modũ tenet, malo bene utitur: qui modum non tenet, malo malè utitur. Et: Quamobrem concupiſcentiã negas eſſe malũ, cum neceſſarium ei eſſe remediũ confitearis? Si agnoſcis remediũ, agnoſce & malũ. Auguſtinus lib. 3 contra Iulianum, cap. 21.

Confutatio ratiocinationis, Cauſam mali eſſe nuptias, ſi ex illis trahatur peccatum originale.

Idem & Deo ipſi obijci poterat. Sed ſicut creanti Deo nõ imputatur, quòd rationales creaturæ à bono deficiũt, ſed quòd bonum ſunt: ita parentibus gignentibus, & malo concupiſcentiæ utentibus non imputandũ eſt, quòd cum eo malo filij naſcuntur, ſed quod bonum eſt. Auguſtinus libro eodem, capite uigeſimoquarto.

Confutatio hypotheſeos, Diuitibus non renunciantibus negari regnum DEI.

Scriptura teſtatur, multos uenturos ab Oriẽte & Occidente, & cum Abrahã, Iſaac & Iacob recubituros in regno cœlorũ, qui tamen diuitias habuerunt non paruas. Item: Confitemur ex catholicæ Eccleſiæ ſententia, diuites baptizatos, etiãſi diuitijs ſuis nõ careant, & ſint tales quales ad Timotheũ Apoſtolus deſcribit dicens: Præcipe diuitibus huius mundi, non ſuperbè ſapere, neq; ſperare in incerto diuitiarum, &c. non poſſe eos regno Dei priuari. Auguſtinus Epiſtola octuageſimanona, & centeſimaſexta.

DE HAERESI ANAſtaſij.

OCcaſione, aũt cupiditate potius, certandi cõtra Leonem epiſcopum Romanum, quem Dei amantem Euagrius uocat, Anaſtaſius Neſtorij presbyter in eccleſia Conſtantinopolitana publicè eiuſmodi hęreſin euulgare auſus eſt, & defendere, ut diceret: Nemo Mariam deiperam uocet: fuit enim homo Maria. ex homine autẽ Deum naſci, eſt impoſsibile. Quam opinionem, ut impiam & blaſphemã, Leo coarguit. Socrates libro ſeptimo, capite trigeſimoſecundo: Euagrius libro primo, capite ſecundo.

DE HAERESI NEſtorij.

ANaſtaſij hæreticam opinionem & craſſius extulit, & blaſphemis magis additamentis auxit Neſtorius Conſtantinopolitanus epiſcopus, anno Chriſti (ſecundũ Marianũ) 429. Theodoſij Imperatoris quinto: iuxta Hermannũ Contractum, anno Chriſti 430. aut ſecundum Proſperum, 431.

Hypotheſis de Chriſto.

1.

Ignarus expoſitionum doctorum ueterũ, uenerandum & magnum (quemadmodum Cyrillus inquit in Apologetico) incarnationis Dominicę myſterium funditùs hoc modo euertit. Deitatẽ uerbi, ab aſſumpti hominis ſubſtantia ſeparauit. Leo Romanus epiſcopus ad Pulcheriam Auguſtam. In ſynodo Epheſina impudẽter blaſphemans, ſe bimeſtrem aut trimeſtrem factum Deum nequaquam nominare. Socrates libro ſeptimo, capite trigeſimoquarto: Euagrius libro primo, capite ſecundo.

2.

Contra Eccleſiæ doctrinam, de unitione duarum in Chriſto naturarum, duos finxit Chriſtos, Deum unum, hominem alterum: duas uidelicet naturas, duas arbitratus eſſe perſonas. Et: Chriſtum purum hominem Neſtorius tradidit, conceptũ atq; formatũ, & poſtea in Deum proiectũ: hoc eſt, hominem deificatum, & non uerbum carnem factum: & habitaſſe in nobis, quod Euangelium prędicat, & Eccleſia catholica cõfitetur: Liberatus in Breuiario, quod extat in Tomo primo Conciliorum. Quod poſterius tamen, Chriſtum nimirum nudum hominem eſſe, Neſtorium ſenſiſſe Socrates negat: ſed Deiperam θεοτόκον dicendam Mariam uirginem, negaſſe: ſed χριστοτόκον nominari uoluiſſe. libro ſeptimo, cap. 32. Vincentius Lirinenſis, aduerſus prophanas nouationes.

3.

Honorem diuinitatis Chriſto ſenſit eſſe collatum ex merito. Liberatus. Vel, Diuinitatem

uinitatẽ & gratiã, de qua Ioannis primo dicitur, datam esse ei post natiuitatẽ: & natũ à Deo assumptũ esse, non fuisse semper Deũ. Casianus. Vel, Christũ in duos filios Nestoriani diuidunt: audentq; dicere, Deũ uerbum sibi ex semine Dauidis hominẽ adiunxisse, eiq; gloriã & honorẽ & adoptionis dignitatẽ tribuisse: atq; ita eũ pręparasse, ut crucem sustineret, & moreretur, reuiuisceret, in cœlũ ascẽderet, & sederet ad dextrã patris, ut ab omnib. reb. procreatis adoraretur, ac Dei nomine honores perciperet. Cyrillus in interpretatione Symboli, indicante Euthymio, secundę Panopliæ partis titulo decimoquarto: & in Apologetico. Ipsum Dei uerbum in carnẽ uersum est, quam accepit ad ostentationẽ Deitatis suæ, ut habitu inueniretur ut homo, &c. Nestorius in refutatione lib. capitũ Cyrilli, tomo 1. Cõciliorum.

De Nestorij fundamentis.

Nititur dicto Pauli, quo alterũ uult intelligi passione Christũ, paulo minus quàm angelos minoratũ uidimus Iesum. Liberatus.

Si Trinitas est unius essentiæ, profectò Trinitas impassibilis permanet. Quòd si Trinitas & Deus uerbũ in Trinitate cõspicitur, impassibilis permanet, & DEVS uerbũ impassibilis cõprobatur. Quòd si Deus uerbũ impassibilis est, inuenietur alter Christ⁹ crucifix⁹, pręter impassibilẽ Deũ uerbũ. Vincẽti⁹ Lirinẽsis aduersus profanas nouatiões.

Idem & Cassianus lib. 7. de Incarnatione Domini: Omne quod nascitur, generanti similẽ cõprobatur. Si igitur homo est qui genuit, necessariò q ex eo nat⁹ est, homo est.

De Nestorij socijs.

Similia cũ Nestorio sensit bona pars episcoporũ Orientaliũ, qui in epistola quadã ad suos in Ephesо, pientissimũ eũ uocãt & sanctissimũ episcopum. Fuit ex illorũ numero Phrittclas quispiam, Heracleę episcopus. Cõsentientes habuit & Anastasiũ ac Photium presbyteros: Iacobũ etiã quendã, & Antonium, & Charisium presbyterum Philadelphiæ, ut patet ex primo tomo Conciliorũ.

Qui contra hæresin Nestorij pugnarint.

Primus Nestorij blasphemiæ se opposuit Eusebius Dorylæus episcopus, Rhetor adhuc: quemadmodũ Euagrius indicat libro primo, cap. nono. Reprehendit deinde per epistolam Nestoriũ, & monuit ut ab errore desisteret, Ioannes Antiochenus episcopus. Acerrimo uerò cum primis studio ei cõtradixit Cyrillus, blandè eum primùm per literas admonens, postea anathematismis damnans, qui in Tomo Cõciliorũ extãt. Papæ item, Celestinus, Leo & Gelasius, quinq; libris, quorũ unus reliquus in Hæreseologa extat. Synodi itẽ, Ephesina & Chalcedonensis. Et Imperator Theodosius, peculiari edicto, quòd sic habet: Sancimus, ut quĩ impiã Nestorij fidem sectantur, aut illicitæ illius doctrinæ adhærent, si Episcopi fuerint, uel clerici, Ecclesijs eijciantur: si Laici, anathemate damnẽtur. Euagrius libro primo, capite duodecimo. Zenon deniq; Imperator scholam Edessenam, quam Persicam uocabant, ut quæ Nestorij doctrinam traderet, subuertit: Theodoro Lectore autore, lib. 2.

CONFVTATIONES.

Veteres non dubitarunt Mariam dicere Deiperam. sic enim Eusebius libro tertio de uita Constantini: & Origenes in epistolam Pauli ad Romanos, quomodo Deipera dicatur, copiosè explicat. Socrates lib. 7. cap. 32: Theodoretus lib. 4. Compendij hæreticarum fabularum.

Ecclesia Catholica, & de Deo & de Saluatore nostro rectè sentiens, nec in Trinitatis mysterio, nec in Christi incarnatione blasphemat. Nam & unam diuinitatem in Trinitatis plenitudine, & Trinitatis æqualitatem in una atq; eadem maiestate ueneratur: & unum Christum IESVM, non duos, eundemq; Deum pariter atq; hominem confitetur: unam quidem in eo personam, sed duas substantias: quia mutabile nõ est uerbũ Dei, ut ipsum uerteretur in carnẽ unam personã, ne duos profitendo filios, quaternitatem uideatur colere, non trinitatem. Vincentius Lirinẽsis lib. aduersus profanas nouationes.

Scriptura docet Galat. 4: Vbi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suũ. dicit, filiũ suũ, non alienũ. Non enim unquã pater sine filio, nec filius sine patre. Casian⁹ lib. 4.

Euangelica autoritas ita uerbũ prædicat carnem factum, ut non duos Christos, nec duos filios: sed in uno Domino IESV Christo, & Dei & hominis nobis insinuet ueritatem, & utriusq; substantiæ, id est saluantis atq; saluatæ, nec proprietates posint cõfundi, nec personę geminari. Leo episcopus Rodi, nec personę geminari. Leo episcopus Romanus in epistola ad episcopos Galliarum, de damnatione hæreticorum.

Non ex hominibus Deus factus est Christus: sed cum Deus esset, uerbum factum est caro, id est homo. Et exinanisse dicitur seipsum, quod ante exinanitionẽ in natura propria, uti Deus, plenitudinem haberet. Neq; enim ex eo quod inane esset, plenum euasit. Exinaniuit semetipsum, ex diuina sublimitate, & immensa gloria. non aũt homo humilis & abiect⁹ existens, exaltatus & gloriã affectus est. serui formam suscipit, ut qui liber esset: nõ aũt ut seruus, ad libertatis gloriam ascẽdit. Cyrillus in expositione symboli.

Confutatio ratiocinationis Nestorij: Si Trinitas est unius essentiæ, &c.

Tela hæc est araneę, & propositiones impijssimę. Quoniã secundũ rationẽ Deitatis, sanctæ

ſancta Trinitas & unius eſſe eſſentiæ, & impaſsibilis perſeuerat. Nec enim dicẽtes filiũ paſſum, ratione Deitatis eum paſſum ſentimus: diuina ſiquidem natura nullam prorſus recipit paſsionem. Sed cõfitentes Deum uerbũ unum ex Trinitate incarnatum, triduimus intelligendi materiã ijs qui fideliter ſciſcitantur, cur incarnari dignatus eſt. Proclus Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Armenios.

Confutatio rationis, Ex paribus paria naſcuntur.

Vbi ſupra humanũ intellectũ, miraculũ, & ſupra naturã partus eſt, ibi qui naſcitur Deus eſt. Idem ibidem. Et Caſsianus libro primo: In natiuitate Dei nihil eſt quod proferas exẽpla naturæ, Deus eſt omnipotens.

Confutatio eius quod dixerunt Neſtoriani, Ieſus tanquam homo à deo uerbo habuit uim operandi, ac gloria unigeniti circundatus fuit, tanquam alter ab ipſo.

Communes ſunt Trinitatis efficaciæ, ac ſubſtantijs ſolis diſtinctionẽ habẽtes: quamorbem & unigeniti gloria interdũ patri adaptatur, interdum ſpiritui, interdum Chriſti potentiæ. Cyrillus in Apologetico.

Confutatio eius rationis: Si eſt Dei genitrix: ergo tanquam ex cœlo depoſitum, & non ex uirgine confiteri.

Si de cœlo, & non ex ipſa Maria corpus Domini factũ eſſe credamus, quomodo iam intelligitur Dei genitrix eſſe? Quẽ enim omnino peperit, niſi certum eſt, quòd quem peperit, ſecundum carnẽm Emanuel eſt? Eſaiæ ſeptimo: Ecce uirgo concipiet. Matthæi 1: Concipies in utero. Cyrillus in epiſtola ad Ioannem Antiochenum.

Qui poſt Neſtorium hæreſin eandem profeſsi ſint.

Poſt Neſtorium, hæreſin eius in linguis alijs propagare conati ſunt, ſub ſimplicitate tamen, & fucata cõfeſsione duarũ naturarũ in una perſona (quod, ut Neſtorius cõfiteretur, adduci nunquam potuerat) Theodorus Mopſueſtiæ epiſcopus, cũ alijs aliquot Neſtorij ſectatoribus: ſed quibus reſtiterunt Acaci⁹ Meletinẽſis & Rabula Edeſſæ ciuitatis epiſcopi, ſcribentes ad epiſcopos Armeniæ, ne libros Theodori, ut hæreticos & blaſphemiam Neſtoriani continentes, reciperent. Liberatus Breuiarij capite decimo.

DE EVTYCHETIS HAERESI, & *Dioſcori.*

SParſit hæreſin Eutyches, Cõſtantinopolitanus monachus, ſenex impudens, ut ẽũ Leo epiſcopus uocat, circa annũ Chriſti 450. Theodoſij principis anno uigeſimoquarto, ſecundũ Contractũ: aut iuxta Palmerium, anno Chriſti 449, Theodoſij 22. A' quo initio progreſſa ea hæreſis, ad annum uſq; imperij Marciani, qui ſynodũ magnã Chalcedonenſem coegit, tertium, per Paleſtinam omnem (quemadmodũ in epiſtolis ſuis Leo Romanus epiſcopus teſtatur) graſſata eſt.

HYPOTHESIS.

Partim ſtudio reſtaurandi impiam (quem admodũ Flauianus in epiſtola ſua, & Theodoretus in hæreticis fabulis, indicarunt) Valẽtini atq; Apollinaris ſectam, partim ſacrarum Scripturarũ ignorantia (ut epiſtola decima Leo ait) adſerere in ſumma conatus eſt, non eſſe hominem perfectũ Chriſtũ: quem ex duabus quidem ante iunctionẽ conſtitiſſe naturis, poſt eam uerò ex una tantũ, nugatus eſt, ita ut nec matri Mariæ, nec nobis carnem conſubſtantialem habuerit: ſed carnem factum uerbũ, per uirginẽ Mariam, ſed nulla inde humanæ aut carnis aut naturę parte aſſumpta. Carnem aũt illã cœlitùs deſcendiſſe dixit, in qua diuinitas ipſa Chriſti cruci affixa ſit, ac ſepulchro mandata reſurrexerit. Euagrius libro primo, capite nono: & libro ſecundo, capite quarto & decimoſexto: Flauianus in epiſtola, quæ inter eas quæ Leoni tribuũtur extat: Leo epiſtola decima, & quinquageſimaſecũda: Theodoretus libro quarto Compendij hęreticarum fabularum: narratio de ſynodo Chalcedonẽſi, tomo primo Conciliorum. Paulo perplexius hæreſin ſuam, cũ idem omnino cũ Eutyche profitere tur, extulit Dioſcorus Alexãdrinus, hoc modo: Ex duabus naturis ſuſcipio, duas non ſuſcipio: cogor & impudenter agere, de anima mihi ſermo eſt. Ex narratione de ſynodo Chalcedonenſi, tomo primo Conciliorum.

De ratione eius hypotheſeos.

In quæſtionibus ſuis Eutychianiſtæ diſputant ad hunc modũ: Si duæ ſunt in Chriſto naturæ, duæ erunt & hypoſtaſes. Neque enim natura ulla, ſine perſona: atq; ita duo prorſus erunt filij. Euthymius, Panoplię parte ſecunda.

DE SECTATORIBVS *Eutychetis.*

HAereſin eandem cum Eutyche profeſsi ſunt diuerſis temporibus, celebres aliquot doctores & epiſcopi, ut Dioſcorus Alexandrinus epiſcopus, Seuerus epiſcopus Antiochenus, ſub Imperatore Anaſtaſio, qui ſynodum Chalcedonẽſem publicè damnauit, & de una natura Chriſti poſt unionem librum ſcripſit, cui titulum fecit Philalethes. Euagrius lib. tertio, capite trigeſimotertio: & lib. quarto, capite quarto. Theodoſius itẽ quiſpiã, & Timotheus cognomẽto Ælurus, & Chryſaphius ſatelles. Euthymius in Panoplia. Acacius etiã Cõſtantinopolitanus epiſcopus, & Petrus Alexãdrinus, ſecundum Marianũ Scotum, ſub anno Chriſti 482.

Narratio de ſynodo Chalcedonẽſi, tomo primo Conciliorũ, hos etiam Eutychis ſectatores recitat: ut Barſimam archimandritam, Iuuenalem Hieroſolymitanũ epiſcopũ, Thalaſsium epiſcopũ Cæſareę Cappadocię, Euſebium Armeniæ, Euſtathiũ Berytanũ, Eulogiũ presbyterũ Edeſſenũ: ſed qui poſt ſynodum ſecundã Epheſinã, in qua Eutychis partes tutati fuerant, reſipuerũt, & ad interceſsionẽ ſynodi Chalcedonẽſis recepti ſunt. ac Euagrius recẽſet libro ſecundo, capite decimoſexto, Emanuelẽ itẽ presbyterũ & archimandritam, qui Dioſcori nomine ſubſcriptiones à monachis, per monaſteria extorſit: monachos etiam Ægyptios trecentos, cum epiſcopis Ægyptijs tredecim, quos omnes ſynodus Chalcedonenſis communione priuauit. Rurſus in ſynodo ſecũda Epheſina, Eutychis partes ſectati ſunt Illyricani epiſcopi: ſed qui errorem poſtea cõfeſsi, à ſynodo Chalcedonẽſi recepti ſunt. Vranius deniq;, epiſcopus Himerorũ. Cũ Dioſcoro uerò ſe ſub Anaſtaſio Imperatore, cũ admodũ pauci eſſent eius ſectatores, coniunxit Xeneas quidã, referente Euagrio libro tertio, capite trigeſimoprimo. Fit & Petri diaconi, ſocij Dioſcori, mentio poſt Timotheũ Aelurũ, in narratione de prauitate Dioſcori, tomo primo Conciliorum.

CONFVTATIONES.

Pugnatum contra Eutychis furores eſt à multis ſtrenuè, diſputationibus, ſcriptis, & ſynodis. Sed & leges contra eos tulerunt Imperatores. Diſputãdo ſe Eutychi oppoſuit in ſynodo Chalcedonẽſi Baſilius epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ. In monaſterio ſuo diſputarũt aduerſus eum, Theophilus & Mamas presbyteri, qui ad eum accerſendũ à ſynodo miſsi fuerant. Multis aũt epiſtolis eam inſaniam confutauit Leo Romanus epiſcopus, quas tamẽ tributas ab aliquibus fuiſſe Proſpero Aquitanico, Gẽnadi⁹ in Proſperi uita retulit. Extat eiuſdem Proſperi, in libro de Prouidentia Dei, carmen contra Eutychen. Confutarunt & Cyrillus & Maximus epiſcopi, quorum teſtimonia in Euthymij Panoplia habentur. Theodoritus etiam epiſcopus Cyri: quem, librũ de uera incarnatione Dominica contra Eutychen & Dioſcorũ ſcripſiſſe, Marianus oſtendit, anno Chriſti 463.

Acacium Conſtãtinopolitanũ epiſcopum & Petrum Alexandrinum, Eutychianos, dãnauerũt epiſcopi Romani Simplicius & Felix, annis Chriſti 482, & 486. Scripſit & Gelaſius pontifex libros aduerſus Eutychen & Neſtorium, quorum unus hodie extat, eodẽ Mariano teſte, anno Chriſti 496.

Scriptis deniq; Eutychen impugnarunt, Petrus Rauennas epiſcopus (cuius epiſtola ad Eutychen in præludijs actionum ſynodi Chalcedonẽſis extat, in tomo primo Conciliorum) Iſaac etiam, & Mochimus, Antiochenę eccleſiæ presbyteri, & Samuel Edeſſenus presbyter: quemadmodum Gennadius indicat, qui & ipſe Eutychianam hæreſin ſex libris impugnauit, anno Chriſti 444, ſub Marciano & Leone Imperatoribus.

Ex ſynodis Eutychis dogma impugnarunt, Conſtantinopolitana particularis, in qua à Flauiano Eutyches damnatus eſt: Epheſina, & Chalcedonenſis, quę Dioſcorum etiam damnauit. Extat & lex prolixa contra Eutychen & Dioſcorũ, Mariani Imperatoris, in epiſtola ad Palladium præfectum, tomo primo Conciliorum.

Confutatio eius, quòd Deum paſsibilem Eutyches finxit, & Chriſtum hominem falſum.

Id nec pietas, nec ratio recipit Sacramenti, ut aut in ſua natura paſsibilis fuerit Deitas, aut in ſuſceptione mẽtita fuerit ueritas. Leo epiſtola quinquageſimaſecunda.

Eandem opinionem Theodoretus lib. 4 Compendij hæreticarum fabularum, in hũc modum refutat: Vt autem inſignem illius inſaniam relinquamus, illud conſideremus, quòd nulla ad nos ex humanæ naturæ ſuſceptione redit utilitas, noſtręq; reſurrectionis nullũ pignus habemus. Neq; enim ſi Deus reſurrexit ex mortuis, omnino quoq; reſurget. Eſt enim maxima naturarum diuerſitas. Cur ergo diuinus Paulus, ex Chriſti reſurrectione noſtram futuram confirmat? & ad Corinthios ſcribens, clamat: Si autem Chriſtus prædicatur quòd à mortuis reſurrexit, quomodo dicunt quidam inter uos, quòd non eſt reſurrectio mortuorum? Si autem non eſt reſurrectio mortuorum, nec Chriſtus reſurrexit. Per id enim, quod credebatur oſtendit: cum eo autem quod non credebatur, etiam id quod credebatur contulit. Si enim (inquit) uerum eſt, Chriſtum reſurrexiſſe: uerum eſt ergo, nos quoq; reſurrecturos. Si autem hoc falſum eſt, & Chriſtum ergo reſurrexiſſe falſum eſt: nam illud etiam corpus. Et cum hæc ita pluribus ſyllogiſmis confirmaſſet, affirmatiuè deinceps ſubiunxit: Nunc autem Chriſtus à mortuis reſurrexit, primitiæ eorum qui dormierunt. Per primitias autem, aperte quoque maſſam oſtendit. Primitię enim eandẽ habent naturã cum illo cuius ſunt primitiæ. Docet autem etiam cauſam Oeconomiæ. Quoniam enim per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Deinde à naturis ad perſonas tranſit. Sicut enim in Adã omnes moriuntur, ita etiam in Chriſto omnes uiuificabuntur.

Confutatio

Confutatio Gelasij in libro contra Nestorium & Eutychen.

Propterea quod ex te nascitur sanctum, uocabitur filius Dei. Ex te nascitur, ait: ut proprietatem de matre sumendam nostræ conditionis exprimeret. His igitur euidenter ostensum est, illustres & magnifici filij, quid sperauerit Imperator, quid Romana sè quatur & colat ecclesia. Atq; igitur Christũ Dominum nostrum unum esse, ut sæpe dixi mus, sanctæ Trinitatis ex duabus naturis cognoscendum, hoc est, in deitate & humanitate perfectum, non antea existente carne, & postea unita uerbo, sed in ipso Deo uerbo initiũ ut esset accipiẽs (ideo enim uerò ex materno corpore caro sumpsit initiũ, salua proprietate uel ueritate utriusq; naturę, hoc est diuinitatis atq; humanitatis) Dei filiũ Dominum nostrum Iesum Christum catholicè confitemur, omni post hanc commutationis confusione submota. Neque enim naturas in eo aliter agnoscimus, nisi differẽtiam intelligentes & confitentes diuinitatis atq; humanitatis. Sed nec duas personas in Christo intelligimus, per id quod dicimus duas naturas, ut adunationis diuisionem facere uideamur, & sit (quod absit) quaternitas, nõ Trinitas, sicut Nestorius sentit insanus. Nec cõfundim⁹ easdẽ unitas naturas, cũ unã personam Christi confitemur, ut Eutyches impius credit. Tomum uerò papæ Leonis, omnesq; epistolas, nec non & quatuor synodos, Nicenam, Cõstantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonẽsem, sicut Romana hactenus suscepit & ueneratur ecclesia, sequimur, amplectimur, atq; seruamus. Hoc est enim nostræ fidei firmamentũ, hæc fidei nostræ firmissima petra.

Confutatio rationis Eutychianorum: Si duæ sunt in Christo naturæ, duæ erunt & hypostases, &c.

Respondemus: Hypostasim aut personã (ut in sancta Trinitate, & angelis, & hominibus) significare aut existentiam, ut in rebus quæ quoquo modo sunt, ad eas quæ non sunt, differentiam. Quamobrem hypostasim quæ personã significet, unam esse dicemus: duas uerò, quæ significent existentiam, etiã concedere, nullum esse periculum affirmamus, quo neutram in ipso naturam esse sine existentia demonstremus. Existentiæ enim hypostasin omnibus in rebus reperiemus, personæ uerò hypostasin non in omnibus. Quamobrem hypostasis Christi personam significans, utriusq; naturæ ipsius est hypostasis. Nam cùm simplex esset, est facta composita. Ac diuina quidem eius natura propriam habet hypostasim: humana uerò, neq; sine hypostasi est, neq; propriam habet hypostasim, sed in hypostasi diuina nimirum subsistit.

Falsò dualitatem accusant, tanquam prima diuisio sit, quæ statim post unitatem occurrat, cum potius duarũ unitatum sit coniunctio, & suam comprehendendi uim statim constituat. Numerus enim non est unitatum diuisio, sed potius cumulus: ut, qui in ea facultate præstant, definiuerunt. Quòd si dualitatis, in ea ex quibus constat, resolutionem diuidere coniunctionem dixerint, siue cogitatione, siue re ipsa id fiat, uerè fortasse loquentur. Dualitas uerò in se ipsa manens, non est sectio, neq; unitatum diuisio, sed potius ipsarum cõiunctio & copulatio. Quanquam natura numeri per se neq; diuidit, neque cõiungit, sed utrunq; suscipit pro ratione illius qui eo utitur. Neque enim bicubitale lignum secat numerus duorum cubitorum: sed quamuis dimensum sit, continuam tamen suam retinet quantitatem. Nec decẽ modij tritici diuisi sunt, propterea quòd dimensi sint. Sed & Dominus, cum duodecim esse diceret horas diei, non eius diuisit continuam quantitatẽ. Et cum Apostolus diceret, Multa membra, corpus autẽ unum, non idcirco membra dissecuit. Nec qui dixit, Omnia ossa mea: dicens, Domine Domine quis similis tibi? diuisit mẽbra sua. Quòd si illud Duodecim, & illud Multa, & illud Omnia, ut reliqua prætereamus, cum significent numerum, nullam tamen diuisionem efficiunt: quis duorum numero solĩ singulare munus hoc tribuat, ut diuidendĩ uim habeat, cum præsertim eum nos non in diuisione Christi naturarum adhibeamus, sed ut solam ipsarum differẽtiam claram significemus, & ostendamus eas sine mutatione & confusione, post ueram & indiuisibilẽ coniunctionem permanere? Nam & in corpore licet tres dimensiones dicamus, nõ tamen ipsum corpus in tres sectiones diuidimus. Quemadmodum igitur personarum trinitas non ipsarum diuisionem eas distrahentem in diuinitate parit (distinguuntur enim, sed sine distractione: & coniunguntur sine confusione. inter se enim commeant sine commixtione, seruatis singularum proprietatibus) sic & in Christo naturarum dualitas, non efficit ipsarum distractionem.

Duæ naturæ sunt unus Christus, & unus Christus est duæ naturæ. Idem igitur est dicere: Christus agit in duab. naturis, secundũ alteram naturarum: &, altera natura agit in Christo.

Et duab. è naturis Christũ, ut ex diuinitate & humanitate, tanquã ex partibus totũ dicimus. Et in duab. naturis, ut in diuinitate &

humanitate: & duas naturas, ut Deum & hominem. Et hoc est illud: Ea ex quibus, & in quibus, & quæ est.

Post duarum naturarũ in Christo coniunctionẽ, nõ oportet dicere diuisionẽ, sed differentiã. Differentia enim est ratio, qua inter se differunt subiecta: diuisio uerò est totius sectio, qua illa uicissim separantur.

Cũ anima à ꝓprio corpore separata esset, Diuinitas in utrisq; erat indiuisibilis, quę & corpus à corruptione perpetuò liberũ conseruabat, & animam inferis terribilẽ & mortis uim euertentem ostendebat. Neq; enim ab eo quod compositum est, id quod nõ est compositum, scinditur: sed contrà potius coniungit compositũ, & quæ separata sunt copulat, & in uitam reuocat.

DE ACEPHALORVM hæresi.

POst Eutychen & Dioscorũ, in synodo Chalcedonesi damnatos, cõiunxerunt se, qui uindices essent explosę doctrinę Eutychis, & synodo Chalcedonẽsi cõtradicerẽt. Acephalos eos dixerũt: quòd ꝙs eius factionis autor primus extitisset, ignoraretur, ut Marianus indicat. Inter præcipuos tamẽ eiꝰ sectę autores Euthymius Seuerum fuisse ait, episcopum Antiochenum: à quo Euagrius etiã libro tertio, cap. trigesimotertio, & lib. quarto, capite quarto, palàm & pertinaciter eã condemnatã fuisse scripsit. Adnumerat Euagrius lib. tertio, capite tertio, & Timotheũ Alexandrinũ, qui ab exilio à Basilisco reuocatus, autor ei fuit, ut literis encyclicis, quæ in synodo Chalcedonensi gesta essent, actomum Leonis anathemate feriret. Earum literarum exemplum apud Euagriũ extat. Idem Timotheus postea, cum Petro Gnaphæo socio, in factionẽ quingẽtos alios coniunxit, qui Leonis tomum & synodum Chalcedonensem ex professo damnarunt, anno Christi (iuxta Marianum) quadringentesimo sexagesimo, Leonis altero. De quorũ numero fuere forsan quos Nicephorus recitat lib. decimooctauo, capite quadragesimo quinto, & Monophysitas uocat: quẽadmodum & Euthymius, Gainus, Iacobus, Ioannes Grammaticus dictus φιλόπονος.

Negabant Acephali, ꝓrinde ut Eutyches & Dioscorus, proprietatẽ duarũ substantiarum in Christo, unam tantũ in eiusdem personа naturã prædicantes. Quos Anastasius monachus Sinaita, apud Euthymiũ, usos dicit falsa hac ratione: Athanasiũ scilicet ad Iouinianũ Imperatorẽ scripsisse, uerbũ factũ esse carnem, ut & caro fieret uerbũ. Et Gregorium theologum de carne Domini deificata dixisse: Facta est id quod eam iunxit, & (audacter ut loquar) simul Deus. Et Gregoriũ Nyssenum: Quemadmodũ si aceti gutta conijciatur in mare, nõ amplius aceti proprietates retinebit, sed immutabitur, & in aquarum maris proprietatibus cõmiscebitur: sic & sanctissimum illud corpus diuinitati cõmixtum, non est amplius in carnis proprietatibus. Euthymius in Panopliæ parte secunda, titulo decimoquinto.

Causæ, propter quas concilium Chalcedonense damnarint Acephali.

Prima. Chalcedonense concilium non suscipimus: quoniam qui illud celebrarunt, mutabiles fuerunt, & inconstantes. Etenim cum Byzantij Eutychen improbassent, eum Ephesi susceperunt, cum Dioscoro Flauianũ reijcientes. Et ijdem rursum Chalcedone Flauianum susceperunt, Dioscorum autem improbarunt.

Secunda. Quòd ab Anatolio, qui synodo ei interfuit, dictum sit, Dioscorum propter fidem non fuisse depositum. Cur ergo sit depositus?

Tertia. Quòd ab eo concilio hæretici sint susceptι, nẽpe Theodoretus & Ibas. Euthymius ex Leontio Byzantio.

Qui aduersus Acephalos pugnarint.

Cõtra Acephalos pugnarũt Eulogius patra Alexãdrinus, & Anastasiꝰ Sinaita, ac decreta Chalcedonensis synodi & tomos Leonis defenderunt: ut Euthymius indicat.

Confutatio rationis: Verbum factum esse carnem, ut & caro fieret uerbum.

Respondemus. Primùm nõ cõstat, an hęc uerba sint Athanasij: cum multis in locis dicat, nullo prorsus modo fieri, ut caro in uerbi naturam cõuertatur. Deinde ex alijs eius scriptis piam ipsius sententiam agnoscẽtes, & hęc Athanasij esse uerba cõcedemus. Verbum enim accepit pro Deo, quãdoquidem & Deus est uerbum. Non aliter ac si dixisset, Deum factũ esse carnem, ut caro fieret Deus, non natura, sed coniunctione in personа, & deificatione, ut ita dicã. Aiunt & Theologum Gregorium de carne Domini deificata dixisse: Facta est id quod eam iunxit, & (audacter ut loquar) simul Deus. Non dixit, facta est diuinitas, sed Deus: idq; non natura, sed deificatione. Idem enim rursum: Et hoc (inquit) deificatione, Deus. Itemq; in alia oratione: Licet, inquit, utrumque sit unum, non tamen natura, sed coniunctione. Nam & ferrum igni coniunctum, sæpe ignis dicitur: non tamen natura, sed inflammatione: non enim ferrum esse desitit. Aiunt & Gregorium Nyssæ pontificem dixisse: Quemadmodũ si aceti gutta conijciatur in mare

mare,non amplius aceti proprietates retinebit, sed immutabitur, & in aquarũ maris ꝓprietatib.cõmiscebitur: sic & sanctissimum illud corpus diuinitati cõmixtum, non est amplius in carnis proprietatib.Discant à nobis,sanctũ hunc nõ cõfusionem & cõmixtionem duarũ naturarũ docuisse, sed illud Domini corpus post resurrectio nẽnon amplius corrũpi, nec fluere,nec defatigari,nec indigere,nec mori:sed ab eo qđ ex materia constat,quod patibile & crassum est,atq; mortale,in id quod à materia remotum,quod impatibile & subtile est,atq; immortale, fuisse cõuersum: non tamen in id quod circũscriptione figuraq; careat, aut quod sub tactum aspectumq; non cadat,aut creatum nõ sit,& quæcunq; diuinitatis sunt propria. Alioqui quomodo à discipulis post resurrectionem perspectum fuisset ? aut quomodo dixisset ipse:Palpate & uidete,quia spiritus carnẽ & ossa nõ habet,sicut me uidetis habere? Quo modo Thomę clauorũ uestigia demonstrasset,& alia eiusmodi feciſſet, quo se uerã carnem & humanitatem,non aũt fictam carnis humanitatisq; speciem assumpsisse significaret? Porrò guttæ aceti & maris exemplum adhibuit D.hic Gregorius, qua abiectã humanæ naturę conditionẽ,& infinitã diuinitatis magnitudinẽ indicaret, diuinamq; esse redditam propter personæ cõiunctionem, & quantũ capere poterat,id ex personę uerbi cõiunctione percepisse, ut unicam duarũ naturarũ personam intelligeremus.Quantũ aũt capere non poterat,eius expertẽ permãsisse,ut duarũ naturarũ differẽtia seruaretur. Nã si duas Christi naturas non cognouisset, quomodo aduersus Eunomiũ scribẽs dixisset, alterã Christi naturã cruciatꝰ & uerbera pertulisse, alterã ab ęterno fuisse gloriosam?

Eiusdem.

Si Christus sola diuinitatis est,quòd humana natura à diuina fuerit absorpta,cur in cruce pendens nõ habuit speciẽ, nec decorem? Cur in sepulchro iacens, non habuit animã? cur ad inferos descendẽs,nõ habuit corpus? At sepulchrũ quidẽ ipsius solum corpus suscepit, inferi aũt solã animã? cũ nec corpus materiã abiecerit,nec qualitatem quę cerni tãgiq; posset:nec anima proprietates animę deposuerit,licet cum utrisq; diuinitas esset?

Eiusdem.

Si Christi natura sola, ut dicitis, diuinitas est, quomodo Christus, qui diuinitatis suæ natura ubiq; est, dixit ad discipulos:Lazarꝰ mortuus est, & gaudeo quòd non eram ibi? Quomodo & angelus de corpore ipsius,Surrexit(inquit)non est hic?

Eiusdem.

Propterea duas nõ dicimus, inquiunt, in Christo naturas, quoniã quæ confitemur in Christo,ea nobis omnia necessariũ est in tota Trinitate sancta cõfiteri. Quid?nõ confitemini in Christo carnis susceptionẽ & ortum,& quicquid de diuina ipsius humanitatis susceptione dicitur?Reliquũ igitur est,ut hæc in tota sancta Trinitate confiteamini.

Eiusdem.

Si quęramus ex ipsis, qua nãtura Christus uerba homini cõgruentia dixerit, ne naturã nominẽt id quod est humanũ in Christo, eò cõfugiunt ut dicant,humanitate,assumptione,eò quod cernebatur corpore, carne, & si quid est aliud eiusmodi. Tum si rursum quæramus,Cur ita cauetis dicere naturã,de eo quod assumptũ est?Respondent, ne duas in Christo naturas cõfitentes,duas personas dicere deprehendamur. Nulla enim est, inquiunt,natura sine persona. At illi qui duas in Christo naturas dicunt, Nestoriani sunt, cum Christũ unũ in duas personas diuidãt.

Confutatio causæ, Mutabiles fuisse & inconstantes eos qui synodum Chalcedoni frequentarint.

Respondemus:multos sæpe iustis de causis,ut ipsi putant,mutare sententiã. Ac licet decem aut uiginti, aut plures etiam ex sexcentis triginta cõsilium mutauerint, ut uos asseritis: non tamen idcirco sexcentorũ triginta uirorũ cõcilium est reijciendũ, & propter paucos tot hominũ suffragia repudianda.Quandoquidem & Ephesi unà cum Dioscoro consederunt:nec tamen propter illos concilium Ephesi celebratũ, cui Dioscorus præerat,reijcitis.

Confutatio alterius causæ: Anatolium in synodo dixisse,Dioscorum propter fidem non esse depositum.

Respondemus : eum propter fidem uerè non fuisse depositum. idcirco enim in concilio non adfuit,ne contra ipsum quęstio haberetur. Quòd si redijt,& quęstio habita est, & ipse ut hæreticus condemnatur : etenim erat.sed quoniam tertiò uocatus nõ adfuit, & eam condemnationis ipsius causam pronunciarunt, ideo non propter fidem fuisse condemnatum,dixit Anatolius.

Confutatio tertiæ causæ,Hæreticos à synodo Chalcedonensi fuisse receptos.

Respondemus: hos non prius fuisse susceptos,quàm Nestorium detestandum & execrabilem pronunciassent. Sed rursus obijciunt:Cur à Theodorito non postularint,ut sua aduersus Cyrillũ scripta condemnaret? Respondemus: Eos non debuisse hoc crimini uertere concilio, sed sancto Cyrillo, qui cum esset reconciliatus cum Orientalibus, & cum ipso Theodorito , non postulauit ut quæ contra se scripserat, condemnaret. Quamobrem quod sanctus Cyrillus non fecit,id à concilio non esse factum,ipsi,cõcilio crimini

crimini uertendũ non fuit. Quanquã quod ipſe non fecit, à concilio factũ eſt, cum ab eo poſtulauit ut Neſtoriũ deteſtaretur. Quòd ſi eos fuiſſe hæreticos cõceſſerimus, ne propter illos quidem conciliũ erit repudiandũ. Nam & Nicenũ cõcilium ſeptem hęreticos ſuſcepit, qui & antea fuerant, & poſtea permanſerunt Ariani. Nec tamen ob id uocatur Conciliũ centũ & undecim, ſed centũ & decem & octo epiſcoporũ appellatur. Siquidẽ & Iuuenalis Hieroſolymorũ epiſcopus, & alij idonei epiſcopi, qui in concilio Epheſino cum Dioſcoro inuenti ſunt, etiã Chalcedonenſi interfuerũt: nec tamen ob id conciliũ illud reijciũt, ſed uehemẽter probant & cõplectuntur. Euthymius ex Leontio Byzantio, Panopliæ parte ſecunda, titulo 17.

DE ARMENIORVM *hæreſi.*

POſt ſynodũ Chalcedonenſem Armenij, Ethanij cuiuſdã, & qui cũ ipſo erãt profanorũ ſacerdotũ ſuaſu, ſecedẽtes ab Eccleſia, Eutychis atq; Dioſcori Monophyſitarũ opinionẽ ſecuti, ipſam hæreſin impijs additionibus auxerunt.

Hypotheſis de Chriſto.

Suſceptam à Chriſto carnẽ, in diuinitatẽ dixerunt fuiſſe cõuerſam, rationẽ eiuſmodi affingentes: Sicut mellis aut aceti gutta, ſi in mare demergatur, amplius nõ cernitur, nec ſubſiſtit: ita & corpus Chriſti in diuinitatis pelago demerſum, non naturã amplius ſuã aut proprietatẽ cõſeruat. Vnã igitur eſſe naturam in Chriſto, quæ diuinitatis ſit, quam paſsibilẽ & mortalẽ dicere non ſunt ueriti: cum corpus Chriſti incorruptibile, impaſsibile & immortale fecerint. Ad euitandum etiã argumentũ aſſumptę carnis ex uirgine, callidè deleuerũt ex Euãgelicis libris, quod de paſsione Chriſti & ſudorib. ibi dicitur.

Hypotheſis de Euchariſtia.

Ex eadẽ peruerſitate, in cœna Domini panẽ carnis Chriſti negant eſſe corpus Chriſti, ſed diuinitatis corpus eſſe dicunt.

Confutatio.

Contrà, quòd non è cœlo, ſed ex puris caſtiſsimæ uirginis Mariæ Deigenitricis uiſceribus carnẽ Chriſtus aſſumpſerit, apertè docent Matthæus & Lucas: Inuẽta eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Et: Veniẽtes in domum, inuenerũt puerũ cum Maria matre eius. Et Lucas: Factũ eſt aũt cũ eſſent ibi, &c. Itẽ Dominus noſter ubiq; in Euãgelio ſe filium hominis nominat, propter ueram matrem ſuam. Et Apoſtolus inquit: Miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere.

DE RITIBVS ARmeniorum.

Feſtum annũciationis Chriſti, quod nos octauo Calendarũ Aprilis celebramꝰ, illi nonis Ianuarij celebrant: quo tẽpore ſimulatè atq; obſcurè tũ annunciationẽ, tum Chriſti ortũ & baptiſmum celebrare ſe fingunt.

Origenẽ partim reijciũt, partim ut magnũ doctorẽ in ſacrificijs ſuis recipiũt. Et cum ab orthodoxis reprehenduntur, & Origenem ipſum & Eutychen & Dioſcorum execrantur: ſed impias tamen eorum opiniones tuentur, doctrinæq; credunt.

Cultu Iudaico boues & agnos & oues ſacrificãt, & uictimarũ ſanguine limina inungũt. Quamobrẽ nec in Paſchatis celebritate corpus & ſanguinẽ Dominicũ ſumũt, ſed agnum, quem immolant more Iudaico, & aſſum igni comedunt.

Crucẽ, è quacunq; materia factam, uenerantur & adorant, poſteaquã eam tanquam hominẽ abluerint, & in eius medio clauum fixerint in Chriſti nomine: ut oſtendant unũ ſanctæ Trinitatis eſſe crucifixũ, id eſt diuinã eius naturam: & ſacrificij ſanguine ipſam inunxerint, cum tamen in fronte crucẽ manu deſignent, & in baptiſmo, & in ſacrificio, & alijs multis rebus.

Tres item ligneas cõſtituũt cruces, eas q; inter ſe cõiunctas Trinitatẽ ſanctam appellant, atq; hac itẽ ratione crucifixã fuiſſe Trinitatem confitentur.

Armeniorũ ut adulterina atq; impia finitatem confitentur.

Armeniorũ ut adulterina atq; impia finitatem confitentur.

Armeniorũ ut adulterina atq; impia fin

Secunda.

Animam, non ſpiritũ, ſed corpus eſſe contendit. Libro primo, capite quinto.

Tertia.

Auſus eſt dicere, Deum non nunc ſolùm, atq; in iſto tantummodo ſeculo, ſed per infinitum tempus ſine ceſſatione, atq; omnino ſemper animas naſcentibus dare, ſicut ſemper eſt ipſe qui dat. libro 1. cap. decimoſexto.

Quarta.

Animam dicit meritũ aliquod perdidiſſe per carnem, quod habuerit ante carnem.

Quinta.

Animam per carnem reparare habitudinem priſcam, & per eandem carnem renaſci per quam meruerat inquinari.

Sexta.

Quòd anima meruerit eſſe peccatrix, ante omne peccatum.

Septima.

Cur, inquiunt, Deus animam tam iniuſta animaduerſione mulctauit, ut in corpus eá relegare uoluerit: cuius conſortio peccatrix eſſe incipit, quæ peccatrix eſſe non potuit? Idem lib. 1. de Anima & eius origine.

Octaua.

Anima ſi peccatrix eſſe meruit, quæ peccatrix eſſe non potuit, tamen neq; in peccato reuera ſit: quia in Chriſto præfigurata, in peccato eſſe non debuit, ſicut eſſe nõ potuit.

Nona.

Animas à Deo non ex propagine fieri, ſed nouas ſingulis inſufflari. Cum ſcriptum ſit Eſa. 42: Qui dat flatum populo ſuo, & ſpiritum calcantibus terram.

Decima.

Anima nõ eſt ex traduce, ſed ex flatu Dei. Et: Nec ex traduce eſt anima, nec ex nihilo.

Vndecima.

Cum legit, homines eſſe ex Deo: non eos ſecundum corpus, ſed tantum ſecundũ animam & ſpiritum ex Deo eſſe contendit.

Duodecima.

Infantes, antequã baptizantur, morte prẽuentos, peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum.

Decimatertia.

Quos Dominus prædeſtinauit ad Baptiſmum, prædeſtinationi eius eripi poſſe: & antè defungi, quàm in eis fuerit, quod omnipotens prædeſtinauit, impletum.

Decimaquarta.

De infantibus, qui priuſquã renaſcãtur in Chriſto, excedãt ex hac uita, ſcriptũ eſſe: Raptus eſt, ne malicia mutaret intellectũ, &c.

Decimaquinta.

Aliquas mãſiones eſſe extra regnum Dei, earum quas Dominus eſſe dixit in domo patris ſui.

Decimaſexta.

Sacrificiũ Chriſtianorũ (id eſt, ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti) pro eis qui nõ baptizati de corpore exierint, offerendum.

Decimaſeptima.

Aliquos eorum qui ſine baptiſmo Chriſti ex hac uita emigrauerint, interim non ire in regnum, ſed in paradiſum: poſtea uerò in reſurrectione mortuorum, etiam ad regni cœlorum beatitudinem peruenire.

CONFVTATIONES.

Contra primam hypotheſin.

Abſit ut negemus, omnipotentem de nihilo flatum facere potuiſſe, quo fieret homo in animam uiuam. Item: Quod de ipſo eſt, neceſſe eſt ut eiuſdem naturæ ſit cuius ipſe eſt, & per hoc etiam immutabile ſit: Anima uerò mutabilis eſt: Ergo non eſt de ipſo. Auguſtin. lib. 1 de Anima & origine eius, cap. 4.

Contra ſecundam.

Sic nos uult ex duobus uel tribus conſtare corporibus, quia ex ſpiritu, anima & corpore conſtare nos dicit, & omnia hęc tria eſſe corpora aſſerit, quod plenum eſt abſurditatis. Libro primo, capite quinto.

Contra tertiam.

Eſt id contra fidem Chriſtianam. Cum enim mortui reſurrexerint, iam nemo naſcetur, atq; ideo tunc naſcentibus non dabit animas: ſed eas quas dat in illo ſeculo, cum corporibus iudicabit.

Contra quartam.

Noli credere. nondum enim natos Apoſtolus Rom. 9. nihil egiſſe dicit boni uel mali. Vnde enim anima potuit ante carnem habere meritum bonũ, ubi nihil egerat boni?

Contra quintam.

Cernis hominem, auſum ſuſcipere quod uires eius excedit, in tã immane præcipitiũ decidiſſe, ut diceret, inquinari animam meruiſſe p carnẽ: cũ dicere nullo modo poſsit, unde hoc meritũ traxerit ante carnẽ, &c. lib. 1. cap. 6. Et lib. 3. cap. 7: Prorſus uel bonũ uel malũ meritũ credere, habuiſſe animam ante carnem, catholicum non eſt.

Contra ſextam.

Malum meritum eſt, meruiſſe fieri peccatricem. Et utiq; tam malũ meritũ nullo modo habere potuit ante omne peccatum, præſertim priuſquã ueniret in carnẽ, quomodo meritum nec malum potuit habere, nec bonum. libro tertio, capite octauo.

Contra ſeptimam.

Si eas animas liberat à peccato, quas innocẽtes & mundas implicuit ipſe peccato, uulnꝰ ſanat quod intulit nobis, nõ quod inuenit in nobis. Auertat autem, dicis, & omnino abſit ut dicamus, quando lauacro regenerationis Deus mũdat animas paruulorũ, tũc eum mala ſua corrigere, quę illis ipſe fecit; cum eos nullum habentes peccatum,

pecca-

peccatrici carni, cuius originali peccato cõtaminarentur admiscuit. libro primo, cap. 7.

Contra octauam.

Si ab illo quæram, cur non in peccato remanserit: rectissimè respondebit, quòd eam Christi gratia liberauerit. Non ualet ostendere, quo merito anima sit facta peccatrix, quam dicere timuit antè omne suum peccatum meruisse fieri peccatricem. Quis tam immane suppliciũ meretur sine peccato, ut in aliena iniquitate cõceptus, antequam exeat de uisceribus matris, iam non sit sine peccato? De hac aũt pœna paruulorũ animas quæ regenerantur in Christo, nullis eorum præcedentibus meritis, gratuita liberat gratia: alioqui gratia non est gratia. libro primo, capite octauo.

Contra nonam.

Flatus ibi nõ significat animã uel Spiritũ, quo natura uiuit humana, sed Spiritum sanctum, &c. libro primo, cap. 14.

Contra decimam.

Vnũ oportet esse è duobus: Si ex traduce non est, ex nihilo est: ne ita sit ex Deo ut naturæ sit Dei, quod omnino sacrilegũ est credere. Sed potest nesciri sine periculo, utrum uel ex traduce sit anima, uel ex afflatu Dei. libro primo, capite decimoquinto.

Contra undecimam.

Si ex Deo non sunt corpora, falsum est quod scriptum est: Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Item: Sicut mulier ex uiro, ita & uir per mulierẽ, omnia aũt ex Deo. Eligat ergo iste unde sit dictũ: Si de corporibus, profectò & corpora ex Deo sunt. libro primo, capite decimoseptimo.

Contra duodecimam.

Hoc sentiens, in hæresin Pelagianã damnandus incurrit. Quanto melius teneret de animæ origine cunctationẽ meã, ne audeat affirmare quod nec humana ratione comprehendit, nec diuina autoritate defendit. libro primo, capite decimotertio.

Contra decimamtertiam.

Quasi uerò potestas contra potestatẽ Dei casibus detur, quibus irruentibus, quod ille prædestinauit, fieri non sinatur.

Contra decimamquartam.

Quasi uerò baptismate reparẽtur in peius, & fictione deciperentur, si post baptisma raperentur. Deinde hoc dictũ non de infantibus non baptizatis intelligendũ est, sed de omniũ sanctorum immaturis ętatibus, cum quibus malè actũ stulti arbitrantur, si de hac uita celeriter rapti fuerint. libro secundo, capite nono: & libro tertio, capite decimo.

Contra decimamquintam.

Est contra fidem catholicam dicere, in aliquibus mãsionibus, quas Dominus multas esse dixit in domo patris sui, mãsuros quosdam etiam non renatos ex aqua & spiritu: cũ regnũ Dei dicatur, ubi cũ illa fidelis familia eius beatè & sempiternè tota regnabit. Huc pertinet Christi dictũ: Nisi quis natus fuerit denuò, nõ potest uidere regnum Dei.

Contra decimamsextam.

Quid respõsurus est de tot milibus infantum, qui nascuntur ex impijs, nec in manus piorũ aliqua uel diuina uel humana miseratione perueniunt, & de ista uita in illa nerrima ętate sine lauacro regeneratiõis abscedunt? De his enim nũc loquimur, quorũ natiuitas apud impios, & ex impijs, nulla ratio potuerit inuenire præsidia. Quę quidẽ si adhiberi possent, pculdubio nõ baptizatis prodesse nõ possent. Sicut nec illa, quę de libro Machabęorũ cõmemorauit, sacrificia facta pro peccatorib. mortuis, eis aliquid profuissent, si circumcisi non fuissent.

Contra decimamseptimam.

Fatetur hæc ipse pugnare cum principali sententia, Nisi quis renat⁹ fuerit, &c. Cõsidera igitur, quisquis cuipiã præbes assensum aduersus autoritatem sententię principalis, quã sententiã merebitur principis. Nouellos hęreticos Pelagianos iustissimè conciliorũ catholicorũ & sedis Apostolicę dãnauit autoritas, eo quòd ausi fuerint nõ baptizatis paruulis dare quietis & salutis locũ, etiã prętereat regnũ cœlorũ. Et: Ne cuiquã, qui nõ renatus fuerit Christianę fidei lauacro, promitatur peccati originalis abolitio, clamat Apostolus: Per unius delictũ in omnes homines, ad condemnationem. Contra quã condemnationem Dominus, unum esse ostendens salutis auxiliũ: Qui crediderit, inquit, & baptisatus fuerit, &c.

HAERESIS ADVERSARII *legis & prophetarum: ex eodem.*

ADuersarium legis & prophetarũ uocat Augustinus, autorem libri fortè apud Carthaginem reperti, blasphemiarũ in Deũ, legem & prophetas plenissimi, ad quas respondere à fratribus compulsus sit. Putat aliquem fuisse de Marcionistarũ hæresi, aut ad illã certè pertinere colluuiem, in qua fuerũt Simõ mag⁹, Basilides, Carpocrates, Cerdõ, Apelles, qui oẽs impia senserint cõtra Deũ legis & prophetarum. Augustinus libro secundo contra aduersarium legis & prophetarum, capite ultimo.

HYPOTHESES. *de Deo.*

Detestatur Deum mundi fabricatorẽ, lib. primo, capite primo, cõtra aduersariũ legis & prophetarum. Ex dicto, In principio fecit Deus cœlum & terram: quærit, quo principio? eius in quo idem Deus esse cœpit, an ex eo quo illum uacuum esse teduit?

Secundò,

Secunda.

Adeò antea neſciuit De⁹, lux quid eſſet, ut modò eam primũ uidens, optimã iudicaret. Reprehendit hominis cõditionem, quia prohibuerit eum ſumere cibum dinoſcentiæ boni & mali.

Serpens inuenitur loco meliore quàm quem fecerat Deus.

Primò, Deus non præſciuit quod contigit. Deinde, implere non ualuit, quod malo opere cogitauit. Tertiò, ad maledictum ſe conuertit ſuperatus.

Reprehendit etiã, quòd Deus dicat pœnas impiorũ ſignificatas per uuã fellis, & botrũ amaritudinis, & furorẽ draconũ atq; aſpidũ collectas apud ſe, & ſignatas in theſauris ſuis, reddendas cum lapſus fuerit pes eorum.

Tertia.

Calumniatur hoc, quòd apud Eſaiã dixit Deus: Filios genui & exaltaui, ipſi autẽ me ſpreuerunt. & eoſdem paulo pòſt appellauerit ſemen peſsimum: tanquam ſe oſtendens generatorem malorum, cuius filij ſint ſemen peſsimum. libro primo, cap. 22.

CONFVTATIO HYPOTHESEOS
de Spiritu ſancto.

Vanitas, nõ ueritas hic loquitur. Domin⁹ enim Spiritu ſancto ſuos impleuit ꝓphetas: Rom. 1. Quod antè promiſerat ꝑ prophetas ſuos, in ſcripturis ſanctis, de filio ſuo, &c. Et: Si ſpiritus Dei ante aduentum Chriſti non fuit ſuper terram, uel ſi à prophetis Iſrael nõ eſt Chriſti prænunciatus aduentus, non habet is unde aſſerat miſſum. lib. 2. cap. 3.

CONFVTATIO HYPOTHESEON
de Creatione.

Contra primam.

Quaſi ſeipſo aliquid melius Deus fecerit mundum: aut ideo nõ debuerit hoc bonum fieri, quia non eſt æquale facienti. Imò uerò olim ex initio factum eſt, ex initio utiq; ſui, non Dei, cui nullum eſt initium. lib. 1. cap. 3.

Contra ſecundam.

Nimis de Deo malè ſentit. Ita enim erit ille nõ ſummũ, ſed infimũ bonum. Et omnia ſunt bona quæ Deus cõdidit, nec ipſa ſunt inter ſe æqualia: quia alia alijs ſunt meliora. Ergo multo minus ipſi Deo bona ſunt æqualia. lib. 1. cap. 3.

Contra tertiam.

Scriptũ eſt, In principio fecit Deus cœlũ & terrã, &c. Exillo ergo tenebræ eſſe cœperunt, ex quo cõfuſa moles cœli eſſe cœpit, ac terrę, antequã facta eſſet lux, qua illuminarẽtur. Nõ igitur ſemper fuerũt. ibidem, cap. 8.

Contra quartam.

¶ Ignoratis quẽadmodũ aqua in aereos uapores tenuata rareſcat, & nebuloſa caligine multũ occupet ſpacij: exiguũ uerò, ſi cõgregata denſetur: nec iam leuis uolitet, ſed grauis fluitet. Quid ergo mirum, ſi rara terram texerat, ſpiſſata nudauit? lib. 1. cap. 13.

CONFVTATIO HYPOTHEſeon de Lege.

Contra primam.

Nõ dixit legẽ aniles fabulas aut genealogias, ſed Iudæorũ ineptas præter Scripturas traditiones: ut illas de duab. primo homini creatis mulierib⁹, ex qb. genealogias & inutiliſsimas quæſtiones peperũt. lib. 2. cap. 1.

Contra ſecundam.

Nõ intelligens miniſtratorẽ mortis dictã eſſe legẽ, propter illud quod alibi dicitur ab Apoſtolo: Litera occidit. Itẽ, propter eos id eſſe dictũ, qui libero ſuo arbitrio legẽ ſuffice re arbitrabantur, & ſpiritu gratiæ non adiuti, rei præuaricationis ſub eiuſdẽ legis litera tenebantur. Vnde alibi dicit: Lex iram operatur. libro ſecundo, cap. 7.

CONFVTATIO HYPOTHESIVM
contra Abrahamum.

Contra primam.

Eſt id cõtra diuinã & Apoſtolicã uocem, quę dicit de Abrahã: In promiſsione Dei nõ hæſitauit. Rom. 4. lib. 2. cap. 4.

Contra ſecundam.

Non reperitur Abrahã ſe cõtaminaſſe aliquo adulterio: quoniã nõ lubrico libidinis amauit ancillam, ſed ab uxore accepit, &c.

Contra tertiam.

Factũ id eſt in exemplũ, ne cõtra Apoſtolum hæretici crimen eſſe iudicarent, poſt uxoris primæ mortẽ, ſecundã ducere. Item: De Abrahamo Scriptura noui Teſtamenti ubiq; reuerenter ſentit, & cum honore eum nominat. lib. 2. cap. 9.

CONFVTATIO HYPOTHESEON
aduerſus prophetas.

Contra primam.

Si nõ fuerũt prophetę ante Apoſtolos: qui igitur fuerũt, per quos Deus Euãgelium de filio ſuo antè promiſit? Lib. 2. cap. 3.

Contra ſecundam.

Ignorat dictũ id eſſe de quodã Epimenide, q̃ Cretẽſis fuit, in cui⁹ libris hoc inuenitur. Qui homo inter ꝓphetas Dei nõ inuenitur, nec ad illa eloquia Dei ꝑtinet, quę Iudæis dicit credita, qui non mẽtitur, &c. lib. 2. cap. 4.

Contra tertiam.

Veniſſe ſignificat hic, nõ eſſe miſſum. Prophetæ autem quos ille calumniatur, nõ uenerunt ſponte, ſed miſsi. Ibidem.

Contra quartam.

Abſit ut iſta de prophetis ſanctis, in quib. erat Moyſes & cæteri, Dominus dixerit: ſed dictũ eſt de his qui poſt Euangelium prædicatum, in eius nomine ſibi loqui uidentur, neſcientes quid loquantur. ibidem.

CONFVTATIO HYPOTHESIS
de Ioanne.

Hoc de seipso Christus dixit: quia nascẽdi tẽpore minor fuit Ioanne, maior aũt diuinitatis ęternitate. Siue igitur quilibet angelus cæteris minor Ioãne sit maior, siue hic Dominus intelligatur Ioãne præcursore suo ætate minor, maiestate maior: nihil per hoc cęteris prophetis derogatur. lib. 2. cap. 5.

Confutatio hypothesis contra Paulum.

Hoc totũ confinxit, ad effugiendum moles testimoniorũ, in Euangelicis & Apostolicis literis ueteribus positorũ. Et ut ibi attestantur Euangelio lex & prophetæ, hoc dicit: Apostolum non sapientibus & perfectis, sed Iudæis locutum fuisse quasi Iudæum. libro secundo, cap. 2.

Confutatio hypothesis de Iudæis impijs, & persecutoribus.

Verum est hoc, si de parentibus & liberis infidelib. intelligatur, imitatione scilicet sceleris, nõ generis propagatione: à quib. Prophetæ sancti & iusti, ab ipso Abel usq; ad Zachariã, persecutiones impijssimas pertulerũt. De patribus autem fidelibus dixit Christus, Deus non est Deus mortuorum, sed uiuorum. lib. 2. cap. 5.

Confutatio hypothesis de Resurrectione.

Laborat in re manifesta, legem nõ intelligens, in qua sanguis animã tantum significat: non aũt animam sanguinem esse dicit. Pauli uerò dictũ non facit quæstionẽ de Anima, sed de corporis resurrectione. Soluitur aũt duob. modis. aut enim carnis & sanguinis nomine, corruptionẽ carnis & sanguinis significauit, quæ in resurrectione non erit: aut carnem & sanguinem hominis ad omnes illecebras secularium uoluptatum, carni & sanguini deditas retulit, quibus regnũ Dei non possidetur. lib. 2. cap. 6.

Confutatio hypothesis de Antichristo.

Vnde potius conuincitur, illud Dei esse templũ, ubi hominẽ peccati, filiũ interitus, &c. Apostolus sessurũ esse prædixit. Deus enim uerus est, in cuius tẽplo falsus ille sessurus est. lib. 2. cap. ultimo.

HAERESIS PATERNIANORUM, seu Venusianorum.

MEminit huius hæreseos Augustinus in libris cõtra Iulianum. Sunt autem, qui à Paterno quodam autore denominatam esse existiment.

Hypotheses de Creatione hominis.

Errarunt in doctrina de hominis conditione. Secundum Manichæorum enim delirium, corpus hominis à lumbis usq; ad pedes, diabolum fecisse dixerunt: superiores uerò partes Deum, uelut supra basim quandam collocasse. addiderunt q;, nihil ab homine studij aliud requiri, quàm ut animam, quam in stomacho & capite habitare putarunt, mundam seruet. Pubem uerò, etiamsi

omnium flagitiorum sordibus polluatur, ad suam negarunt curam pertinere.

Confutatio.

Ego secundum Catholicam fidem, totum hominem, totam scilicet animam, totumq; corpus eius, Deo summo & uero tribuo creatori. Diabolum autem dico, humanam, uel aliquam eius non creasse, sed uitiasse naturam: contraq; ipsam diabolicam plagam, quæ Dei opitulatione sanãda est, donec ea penitus liberemur, nobis esse pugnandũ. Nec animã, qua corpus uiuit, uniuersum mũdũ, quãtũ in hac uita mũdus homo est, posse seruari, si concupiscentiæ carnis, ad flagitia perpetranda & quæq; immũda consenserit. Ecce igitur dãno & anathematizo ea, quæ Paternianos seu Venusianos sentire dixisti. Augustinus lib. 5 contra Iulianũ, cap. 5. & in Catalogo hæresium, ad Quoduultdeum.

DE HAERESI DONATISTARUM.

NOn durasse solùm, sed & creuisse (ut sunt errores fœcundi) non mediocriter Donatistarũ hæresin, de qua nonnulla in superiori diximus Centuria, ex Augustino apparet. Superioribus igitur, quæ his tẽporibus accesserunt, adiungemus.

Libero arbitrio.

Liberũ arbitriũ Donatistę, quemadmodũ Pelagiani, ex hoc affirmarunt fundamento, quia scriptũ sit: Fecit Deus hominẽ, & dimisit eum in manu arbitrij sui. Hoc Gaudẽtio episcopo Donatistæ tribuit Augustinus, lib. 2. contra Gaudentium, cap. 11.

De Fide & operibus.

Ticonius Donatista disputans de fide & operibus, opera nobis dixit à Deo dari merito fidei: fidẽ uerò ipsam sic esse à nobis, ut non sit à Deo. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 33.

Itẽ: Dat tibi Deus fidẽ, sed ita, ut eam habeas, per quam baptizaris. Itẽ: Bonis moribus uiuere nihil ꝑdest, quia quicquid iusto licet, potest implere & iniustus. August. li. 3. contra Cresconiũ Grammaticũ, cap. 4. & 9.

De Iustificatione.

Iustificandi uim penes se esse, Donatistæ iactant. iustificari enim ab ipsis, eum quem baptizarint. August. epistola 48. & 50.

De Ecclesia.

Hypothesib. errorũ & blasphemiarum de Ecclesia etiã hoc Gaudentius Donatista adiecit: Ecclesiã Catholicã esse figmentũ. Augustin. lib. 2. contra Gaudentium, cap. 25.

2.

Scriptũ est in Cãticis: Annũcia mihi quã dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie? Ergo in Africa Ecclesia est, quę in parte orbis meridiana sita est. Hoc unicũ ait esse testimo-

testimonium, quod pro se facere arbitrẽtur Donatistæ. August. in libro de correctione Donatistarum, cap. 14. & epistola 48.

3.

Dicunt etiam, suã Ecclesiam, ex qua se esse profitentur, sine macula esse, & ruga. Augustinus libro de correctione Donatistarũ, cap. 23. & epistola 50.

4.

Vos ipsi (Catholici) iustos nos esse cõfirmatis, quia nos quæritis. Quia si iniusti sumꝰ, cur nos quęritis? August. ibidẽ, & epist. 48. & 50. Item in expositione Psalmi 32.

5.

Parmenianus contra Catholicos allegauit quod scriptum est: Væ qui dicunt quod nequam est bonum, & quod bonum est nequam, qui ponũt lucẽ tenebras, &c. Et, Destum, iniustũ uerò iustũ, execrabilis est apud Deũ. August. lib. 1. cõtra Petilianũ, cap. 1. & 2.

6.

Non est, inquit Petilianus, pars tenebrarum cum luce, nec pars amaritudinis cũ melle: non est aurũ cum sordibus suis. Omnia enim preciosa purgantur: sic nec mali sunt cũ bonis in Ecclesia. Augustinus libro secundo contra Petilianum Donatistam, cap. 39.

7.

Parmenianus ex Esaia obijcit: Nunquid non uolet manus Domini saluos facere, &c. Sed delicta uestra distinguunt inter mediũ uestrum, & Dei: & propter peccata uestra auertit faciem à uobis, ut misereatur. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt, &c. Idem libro eodem, cap. 3.

8.

Ticonius quidam, cum Donatistis primũ constanter sensit: postea uerò lectione & meditatione Scripturarum eruditus, cõtra eosdem quidem acriter & copiosè disseruit, Ecclesiam eam esse, quæ per totum terrarũ orbem diffusa esset: sed non uidit, quod cõsequenter sibi uidendũ fuit, illos uidelicet in Africa Christianos ad Ecclesiã eam toto orbe diffusam pertinere. Augustinus libro tertio de doctrina Christiana, cap. 30.

9.

Quomodo, inquit Cresconius, communione uestra plenus sit orbis, ubi tam multæ sunt hæreses, quarum uobis nulla communicet? Augustinus libro tertio contra Cresconium Grammaticum, cap. 66.

10.

In paucis frequenter est ueritas, error uerò multorum est: quoniam pauci sunt qui saluantur. Idem ibidem.

Hypotheses de Clauibus.

In Ecclesia, Cresconius ait, corripiendi & conuincendi tantum sunt diuersa sentiẽtes, ibiq; unusquisq; doctor suorum tantum disputando & prædicando emendare debet errorẽ: sicut faciunt nostri, quia & Ezechiel, alijq; Prophetæ ad suos tantũ missi sunt. Augustinus lib. 1. contra Cresconium, cap. 10.

Hypotheses de Baptismo.

Quid de baptismo in Ecclesia Donati, itẽ de rebaptizatione Donatistæ senserint, superiori Centuria ostendimus. Cresconius hanc rationem baptismatis unius affinxit, quia scriptum sit: Vnus Deus, una fides, unũ baptisma, una incorrupta & uera Ecclesia: in qua qui non sunt, baptisma unum habere non possunt. Augustinus libro primo contra Cresconium, cap. 28,

CRESCONII EIVSDEM EX LIteris Petiliani *hypotheses, & rationes de Baptismo.*

In baptizatione conscientia sanctè dantis attẽditur. Cõscientia aũt dantis attẽditur nõ secũdũ eius sinceritatẽ, quæ in illa uideri nõ potest: sed secundũ famã atq; existimationẽ.

Ratio alia Cresconij.

Scriptũ est: Oleum peccatoris nõ impinguet caput meum. Nullum igitur peccatorẽ manifestum Deus uult baptizare.

Alia.

Quid hoc præcepto dici iniquius potest, quàm ut purificet alium maculosus, abluat sordidus, emundet immundus, det infidelis fidem, criminosus faciat innocentem?

Alia.

Vos inter fidelẽ & pfidũ nihil discernitis.

Alia.

Si datum à quocunq; & quomodocunq; baptisma rescindi non liceret, non post Ioannem Apostoli baptizarent.

Alia de rebaptizatione.

In actis Petrus unumquẽq; Iudæũ iubet baptizari in nomine Christi, quorũ maiores erant baptizati in mari rubro: priorẽ igitur baptismum rescindere licet. Augustinus libro secundo contra Cresconium, cap. 17. 18. 19. 20. 23: & lib. 3. cap. 5. 7. 10: & lib. 4. capite duodecimo, & uigesimotertio.

HYPOTHESES DE MARTYRIO, *seu persecutione.*

Nostram fidem, quam Dominus Christus Apostolis dereliquit, solæ nobis istæ persecutiones gratissimã reddũt: Felices, inquit, eritis cũ uos persecuti fuerint homines, &c.

Hypothesis alia.

Vobis uidetur, inuitos ad ueritatem non esse cogendos.

Hypothesis de martyrio.

Si persecutio conquiescat, unde martyrũ numerus adimpleretur? Ioanne dicente: Vidi animas occisorum sub ara Dei, &c. Et dictum est eis, ut requiescerent ad breue tempus, donec impleretur numerus fratrũ eorum,

rum, qui inciperent interfici, ſicut & ipſi.

Hypotheſis alia de Perſecutione.

An iſta perſecutio eſt, quæ tot milia innocentũ martyrũ artauit ad mortẽ? Chriſtiani enim ſecundũ Euãgelium ſpiritu prompti, ſed carne infirmi, in ſacrilego contaminatione animarum reperto compendio, animas ſuas rapuerunt.

Hypotheſis alia de Martyrio.

Per Salomonem Spiritus ſanctus dicit: Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt.

Hypotheſis de Magiſtratu.

Dedit, inquit Creſconius, Deus homini liberum arbitriũ: Magiſtratus igitur non eſt, in improbos animaduertere. Auguſt. lib. 3. contra Creſconium Grammaticũ, cap. 51.

Hypotheſis de neceſſitate Schiſmatis.

Propter malos ſchiſma neceſſariò faciendum eſt, quia ſcriptum eſt: In legalibus patrum ueſtrorum ne ambulaueritis. Auguſtinus libro 3. contra Creſconium, capite 38.

Hypotheſis de Eloquentia.

Eloquentiam Creſconius uituperauit, occaſione dicti: Ex multa eloquentia nõ effugies peccatum. Item exempli, quòd hęretici eloquentia ſua plurimùm nocuerint. Auguſtinus libro 1. contra Creſconium, cap. 3.

DE ASSECLIS DONATISTARVM.

Donati hęreſeos ſectatores ex ꝓfeſſo hos numerat, quemadmodũ & cõfutat Auguſt. Gaudẽtiũ, Parmenianũ, Ticoniũ, Creſconium, Petilianũ, Fulgentiũ, & Emeritũ. quorũ quid quiſq; ad hęreſin eã affinxerit, in hypotheſib. indicatũ eſt. Quis uerò quiſq; fuerit, infrà in ſpecialibus hęreticorũ oſtendetur.

CONFVTATIONES.

Confutauit hæreſin Donati, & ſingulos eius quos recenſuimus ſectatores, plurimis ſcriptis Auguſt. quæ ordine cõmemoram⁹.

Auguſtini contra Donatiſtas ſcripta.

Contra partem Donati, Pſalmus.

Libri 4. contra epiſtolam Parmeniani.

Libri ſeptem contra Donatiſtas.

Libri 3. contra libros Petiliani Donatiſtę.

Contra Creſconium Grammaticum Donatiſtam, libri quatuor.

De unico baptiſmo, contra Petilianum Donatiſtarum epiſcopum, liber unus.

Breuiculi collationum cum Donatiſtis, libri ſeu collationes tres.

Cõtra Donatiſtas poſt collationẽ, lib. 1.

De correctione Donatiſtarum ad Bonifacium, liber unus.

De geſtis cum Emerito Donatiſtarum epiſcopo, liber unus.

Contra Gaudentij Donatiſtarum epiſcopi epiſtolas, libri duo.

Cõtra Petiliani Donatiſtę epiſt. lib. unus.

Contra Fulgentiũ Donatiſtã, liber unus.

Interfuit & Synodis aliquot Africanis, contra Donatiſtas celebratis, Auguſtinus: ſicut illi ipſi libri quos indicauimus, teſtantur. Idemq; lib. 2. Retractationum, cap. 26. affirmat, Honorium Imperatorem leges certas contra Donatiſtas tuliſſe.

Confutatio hypotheſeos de libero arbitrio: & ſimilibus, Fecit Deus hominẽ, & dimiſit eũ, &c.

Confirmare conaris hoc dicto licentiã & impunitatẽ: atq; adeò è medio tollere leges, prohibentes audaciã nocendi, cõtra Scriptu ras: Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit, &c. Nec aliud dicitis, quàm nullã poteſtatẽ libero ueſtro debere obſtrepere arbitrio, quando iniuriam facitis Deo. Nondũ in uiuis eras, quãdo Moſes iniurias ſuas leniſsimè ptulit, Dei uerò ſeueriſsimè uindicauit. Datũ quidẽ homini eſt liberũ arbitriũ, ſed ut ſi eſſet malefaciẽs, fieret patiens. Deniq; illi primi homines cũ peccaſſent, morte dãnati ſunt. Auguſt. lib. 2. cõtra Gaudentiũ.

Confutatio hypotheſeos de Fide & operibus.

Non attẽdit Apoſtolũ dicentẽ: Pax fratribus, & charitas cũ fide à Deo patre, & Domino noſtro IESV Chriſto. Ticoniũ minus attentũ, minus q; ſolicitũ, ſine hoſte fugit ſilicet, etiam ipſam fidẽ datũ illius eſſe, qui eius menſurã unicuiq; partitur. qua ſententia di ctũ eſt Philip. 1: Vobis donatũ eſt ꝓ Chriſto, nõ ſolũ ut in eum credatis, uerùm etiã ut ꝓ ipſo patiamini. Vnde quis dubitat utrumq; eſſe Dei donũ, qui fideliter atq; intelligẽter audit utrumq; donatum? Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana, capite 33.

Alia confutatio hypotheſeos, de fide.

Ita igitur ſpem ꝓfectò ponis in homine, qui utrũ ſit iuſticiæ particeps neſcis. Et ſi nõ eſt, tum famã eius attẽdis: cum q; famã bonã de malo latente repereris, ad ſanctificationẽ tibi ſufficere credis. Si maledict⁹ ꝓnũciarur, q fidit in hominẽ: multo magis maledictus erit, q in famę falſitate ſpẽ ponit. lib. 3. cap. 9.

Confutatio hypotheſeos de Iuſtificatione.

Cõtrà Paulus: Credẽti (inquit) in eũ qui iuſtificat impiũ, deputatur fides eius ad iuſticiã: nõ, credẽti in Donatiſtã. Iuſtus enim & iuſtificans nõ eſt niſi Deus. Poteſt & de iſtis dici, q, de Iudęis Apoſtolus dixit: Ignorãtes Dei iuſticiã, & ſuã uolentes cõſtituere, iuſticiæ Dei nõ ſunt ſubiecti. Lib. eodem, cap. 23.

Confutatio hypotheſeos de Eccleſia.

Non eſt figmentũ Eccleſia, ſed ꝓmiſſum factumq; diuinũ eſt dictũ & impletũ. Ad Eccleſiã enim dicit Deus: Ego ſum Dominus qui facio te, Dñs aũt nomen ei: Et qui erui te, ipſe Deus Iſrael uniuerſę terrę uocabitur. Auguſt. contra Gaudentiũ lib. 2. cap. 25.

Confutatio eius quod dixerint Donatiſtæ, In Eccleſia pollui bonos contagione malorum, &c.

Poteſt probari diuerſum, ut & à catholicis reſponſum

responsum est, ab exemplis Prophetarũ, ipsius Christi & Apostolorum: item bonorum episcoporũ, ut Cypriani, qui manifestè præcepit ut pro unitate in Ecclesia mali toleren tur, nec propter ipsos Ecclesia relinquatur. Deniq; à iudicio etiam ipsorum Donatistarum, qui quosdam ipsorũ Maximiani schismate positos, negauerunt Maximiani contagione pollutos. Augustinus in Breuiculo collationum, Collatione tertiæ diei, quid quarto loco actum sit.

Confutatio eius quod asseruerunt, Ecclesiam esse in sola Africa.

Pugnat id cum omnium Scripturarũ diuinarum testimonijs. ut Genesis 22: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Genes. 28: Erit semen tuum sicut arena terræ, multiplicabitur supra mare, & in Africum & Aquilonem, & ad Orientem. Esaiæ undecimo: Erit in die illa radix Iesse, & exurget principium habens in nationes, & in eum gentes sperabunt. Psalmo secundo: Dabo tibi gentes. Psal. 21: Conuertentur ad Dominũ uniuersæ fines terræ. Psalmo 18: In omnem terram exiuit, &c. Psal. 49: A solis ortu, &c. Psal. 71: Dominabitur à mari usque ad mare, &c. Et libro contra epistolam Petiliani, capite 6. 7. 8. lib. de Correctione Donatistarum, cap. tertio. Idem in Annotationibus in Psalmũ 21. 30. 56. 85. 49. 101. 147.

Confutatio rationis Donatistarum, quòd pene ipsos sit Ecclesia.

Non respondetur Ecclesiæ quærẽti, quòd in meridie pascat: sed pertinent ea uerba ad ipsam quæstionem. Item: Etiamsi tanquã quærenti, ubi pasceret & ubi cubaret, de terreno loco responderetur in Meridie: non tamen Africã continuò accipere deberemus. Africa enim in parte quidẽ meridiana mundi est, sed ad Africum, non ad Austrum, ubi certè meridies est, &c. Libro eodem, cap. 14: & epistola 40. ad Vincentium Donatistam.

Confutatio eius, quòd Ecclesiam suam dixerunt esse sine macula.

Non in hac, sed in æterna uita, poterit dicere Ecclesia: Vbi est mors uictoria tua? &c. Aculeus aũt mortis est peccatũ. In hac enim uita corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam. Non ergo dicent Deo, quod Dominus nos orare iusserit, Dimitte nobis debita nostra. Itẽ: Si dixerimus (Ioanes inquit) quòd peccatũ non habemus, nos ipsos decipimus. Ibidem cap. eodem, & epistola 50.

Confutatio eius: Si iniusti sumus, quare nos quæritis?

Nos quærimus iniustos, ne permaneatis iniusti. Quærimus perditos, ut de inuentis gaudere possimus, dicentes: Mortuus erat frater, & reuixit: perierat, & inuentus est. Ibidem, & epistola 48 ad Vincentium Donatistam, & epistola 50. ad Bonifacium comitem, & in annotatione in Psalmum 32.

Confutatio eius quod dixerunt, Malos esse excludendos ab Ecclesia.

Nullis id potest probari exemplis Scripturę. In populo Iudaico cum multa scelera admitterent, idolis sacrificarent, prophetas occiderent: nemo tamen iustorum altare sibi separauit, nemo iustorũ ab unitate recessit. Dominus ipse Iudam tolerauit inter bonos, misit eum prædicare, non exclusit eum à cœna. Nobis ergo exemplum dedit, malos fratres tolerandi. Augustinus in Psalmo cõtra partem Donati tomo tertio. Donatistæ, Botrus & Celestinus. ibidem.

Confutatio fundamenti & allegationis Parmeniani contra Catholicos.

O' stultissimam cæcitatem. Quid enim tam bonum & tam iucundum, quàm fratres habitare in unum? Quid illi nequam dicũt, & amarum ponunt, qui se ab omnibus fratribus separarunt? Quòd si ueram paleam odissent, & ipsi palea non essent, non propter ea se à Dominico tritico per totum agrum, id est mundum seminato & crescente, seiungere debuissent, &c. Augustinus libro secũdo, contra epistolam Petiliani, capite 1.

Confutatio allegationis eiusdem, Qui indicat iustum iniustum, &c.

Cur non ista execratio potius in illos cadit, qui uniuersum orbem terrarũ Christianum damnare ausi sunt inauditum, in quo tam ingenti hominũ numero, sine ulla dubitatione fuerunt, & sunt ab eorum criminibus innocentes?

HYPOTHESES
de Christo.

1.

Summũ Deum ait, incomparabilẽ splendorem incomparabilis esse lucis: id est, Christum non esse mundi opificem. lib. 1. cap. 11.

2.

Non placet istis, ut Deus bonus excæcet mentes aliquorum. Libro primo, cap. 8.

3.

Fieri non potuit, ut à Iudæorũ prophetis Saluatoris nostri annunciaretur aduentus.

4.

Dicit alium esse pacis & charitatis patrẽ, alium belli & furoris autorem: illum uolens intelligi Christum, hũc autem legis & prophetarum Deum. Item, alium dicit esse incestus & adulteriorũ conscium, alium uerò pudicitiæ, castitatis & sanctimoniæ Dominum. Libro secundo, capite duodecimo.

5.

Laudans crebris sententijs Christũ, & accusans legis Deũ, alloquitur eum ad quem scribit hoc modo: Quare igitur frater, recedentes ab iniquitate præteriti erroris, intendamus

damus Christum uerum ac summũ Deum, non huius seculi principem & mundi factorem. Intendamus inquam illũ pium ac mitem, qui nos suæ cognationis ostendens, mundi lumen uocauit: nõ illum qui secundum scripturas Iudaicas terrenum nobis iudicium assignans, in terra nobis finem indixit: qui nos fratres appellans, uigilare ac diuina sapere persuasit: non illum, qui nec dignoscentiæ quidem sensum permisit. Libro secundo, capite undecimo.

HYPOTHESES DE *Spiritu sancto.*

Ante Saluatoris aduentum Spiritus sanctus ac diuinus non erat super terram.

HYPOTHESES *de Creatione.*

1.

Si mundus iste bonum aliquid est, cur nõ olim ex initio ab eo factum est, quod melius fuit? libro primo, cap. 3.

2.

Propterea bonum esse aliquid negat, quia æquale Deo non esse cognoscit.

3.

Tenebræ sine initio semper fuerunt, lux uerò initium ex tenebris sumpsit.

4.

Reprehendit tanquam non rectè dictũ sit, Congregentur aquæ in congregationẽ unã, & appareat arida: eo q; aquis omnia tegãtur.

HYPOTHESES *de Lege.*

1.

Existimat Apostolũ, prophanas & aniles fabulas & genealogias infinitas appellasse diuina eloquia legis ac prophetarum.

2.

Ex dicto, Quòd si ministratio mortis in literis formata, &c. nugatur, Mosen ministrauisse morti, id est mortis autori, maligno scilicet spiritui, mundi huius conditori, sicut ipse opinatur: ideoq; malam fuisse legem, quæ data sit per Mosen.

HYPOTHESES CONTRA *Abrahamum.*

1.

Ausus est dicere, Abraham Deo suo ꝓmittenti sibi prolem nõ credidisse. Lib. 2. cap. 4.

2.

Patri gentium Abraham crimen fornicationis obijciunt.

3.

Abrahæ etiam usque ad decrepitam senectutem fornicationis obijcit crimen: quia post mortem Saræ alteram duxit.

HYPOTHESES ADVERSUS *Prophetas.*

1.

Putat ante Apostolos nõ fuisse prophetas.

2.

Dictum Apostoli, Tit. 1. Dixit quidam ex ipsis, &c. Cretenses sunt mendaces, &c. putat esse dictum de Prophetis Iudæorum.

3.

Dictum Christi, Omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & lattones: de prophetis intelligendum esse putat.

4.

Ad propheras etiã illud torquet, Domine non'ne in nomine tuo dæmonia eiecimus? non'ne prophetauimus, &c. Tunc dicam illis, Recedite à me, &c.

ALIA DE IOANNE.

Ioannes non pertinet ad regnum cælorũ, quia Christ⁹ inquit: Qui minor est in regno cælorum, maior est illo. Multo igitur minus ad regnũ cælorum cæteri pertinent prophetæ, quia nõ surrexit maior Ioanne Baptista.

Hypothesis contra Paulum.

Ait Apostolum pro qualitatib. ingeniorũ in quinq; psonis locutũ, ideo quòd dicat Apostolus: Omnib. me seruũ subieci, ut plures lucrifaceré, & factus sum Iudæis Iudæus, his qui sub lege táquã qui sub lege, his qui sine lege erãt, tanquã qui sine lege, infirmis factꝰ sum infirmꝰ. Et: Sapiẽtiã loquimur inter perfectos, ut perfectiorũ uideatur quinta persona.

Alia, de Iudæis impijs & persecutoribus.

Dicit neminem ante Christum morte prẽuẽtum ad Dominum pertinuisse: quia dicat Dominus, Patres uestri manna manducauerunt, & mortui sunt.

Hypothesis de Resurrectione.

Moses omnẽ spem futuræ resurrectionis in hominibus extinxit, quia mortalem esse animam pronunciauit, eo quòd sanguinem eam dixit. Et Paulus, carnem & sanguinem dixit regnum Dei non possidere.

Hypothesis de Antichristo.

Quod de Antichristi aduentu, & elationes impia dixit Apostolus, id ipsum ad Deum prophetarum uult referri.

CONFVTATIONES.

Contra primam hypothesin de Deo.

Nec Deus esse cœpit, nec eum uocationis suæ tẽduit, qui neq; aliquando non fuit, nec cessando torpuit, nec operando laborauit, nec sine cœlo sedis indiguit, nec facto cœlo sedẽ tanquã finitis erroribus peregrinus inuenit. Potens est enim beatissimè manere in seipso. Principiũ aũt rebus cõditis attribuit, quę cœperunt, & Deo nõ fuerunt coęternę.

Contra secundam.

Ignorat thesauros hic appellatos occultas dispositiones Dei, qui disponit reddere unicuiq; secundũ opera eius. Libro 1. cap. 17.

Contra tertiam.

Nescit ob hoc eos dici semen potissimũ: quoniã gratię Dei, qua eius filij facti fuerãt, peccan-

peccando degeneres extiterunt, &c. cap.22.

CONFVTATIO HYPOthesium de Christo.

Contra primam.

Confutat eam dicto, Mundus per ipsum factus est. Augustinus lib.1. contra aduersarium legis & prophetarum, capite 11.

Contra secundam.

Non attendunt ad dictum Christi Ioan.9: In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant: & qui uident, cæci fiant. Psal. Misericordiam & iudicium cantabo tibi. Illuminat ergo misericordia, excęcat iudicio, utiq; æquissimo, licet occultissimo. Libro primo, capite octauo.

Contra tertiam.

Cur fieri non potuit, cum Apostolus dicat: Erudita illis fuisse eloquia Dei?

Contra quartam.

Illum, diabolũ intelligat: Prophetarũ aũt Deum nouerit non minus castitatis & sanctimoniæ dominũ esse, quàm Christũ, quia Deus Apostolorũ, idem ipse & Prophetarũ, priorũ illis tempore, sed fide sociorum. Ipse est Deus in utroq; testamento, iusti actus & piarum orationum, &c. lib.2.cap.12.

CONFVTATIO ALIA HYPOthescon de Ecclesia.

Christ⁹ qui de se ipso uerissimè dixit, Ego sum uia, ueritas & uita, seruis de colligendis zizanijs quærẽtibus, respõdet: Sinite utraq; crescere usq; ad messem. Donatus aũt dicit, zizania quidem creuisse, frumenta uerò esse diminuta. Eligant isti, cui credant.

Christus, id est ueritas dicit: Ager est mundus. Donatus autem dicit, agrum Dei in sola Africa mansisse. Eligant, cui credant.

Christus dicit: In tempore messis dicam messoribus, Colligite primùm zizania, &c. & exponit dicens: Messis est finis seculi. Donatus aũt dicit, per præcisionem partis suæ ante messem, à frumentis zizania separari.

Christus dicit: Messores sunt angeli. Donatus aũt dicit, se atq; collegas suos hoc fecisse ante messem, q̃ ille dixit angelos facturos in messe. Christo ergo credant dicenti, quòd per totũ mundũ & filij regni crescant, & filij maligni: nõ Donato dicenti, quòd per mundũ filij maligni tantummodo creuerũt, filij autem boni usque ad solam Africam diminuti sunt. libro eodem, capite 2.

Confutatio obiectionis Parmeniani, Nunquid non uolet manus Domini? &c.

Isti qui hæc Catholicis obijciunt, cur non sese respiciunt, quorum cateruæ gregũ furiorũ huc atq; illuc armato ferro ac fustibus uolitarit, &c. Et: Ipsi uerè sanguinem non solùm corporaliter per furias circumcellionum, sed etiam spiritualiter fundauit, qui orbem terrarũ si possunt rebaptizare conãtur.

Confutatio obiectionis Petiliani, Non est pars tenebrarum contra lucem, &c. Sic nec mali cum bonis in Ecclesia.

Attendis zizania per mundum, & triticũ nõ attendis, cum per totum utraq; iussa sint crescere. Attendis semẽ maligni, quòd tẽpore messis separabitur: & non attendis semẽ Abrahæ, in quo benedicũtur omnes gentes.

Quasi uerò uos iam sitis massa purgata, & mel sincerũ, & aurum purum, ac non potius ipsa species dealbati parietis, &c. li.2.cap.39.

Confutatio rationis de rebaptizatione: Si post Ioannem baptizatum est, ergo & post hæreticum.

Eadem hoc dicitur consequentia, qua illud: Si post Ioannem baptizatũ est, qui uinum penitus nõ bibebat, quanto post ebrio sum iustius est baptizandũ? Si baptizauit Apostolus, non utiq; Ioannis baptismum habentibus, iterum Ioannis baptismum dedit. Sed Christi baptismum nõ habentes baptizari iusit in Christo, ac per hoc neutrum destruxit, sed utrunque distinxit. Ibidem.

Et diuersa est ratio in baptismo Ioãnis & Apostolorũ. Non enim iam ita rebaptizantur post baptismum cuiuslibet sancti, sicut post baptismum Ioannis: de quo quicquid legitur uel asseritur, ab hac causa penitus est alienum. libro 3. capite 10: & libro quarto, capite uicesimotertio.

Confutatio rationis, licere baptismum priorem rescindere, quia Petrus in Actis iusserit eos baptizari, quorum maiores in mari rubro fuerant baptizati.

Si propterea Mosi baptismum habebant, quia ex illis propagati sunt, quos in Mose baptizatos dicit Apostolus: aude etiã dicere, omnes qui nascũtur ex fidelibus Christianis, Christianum habere baptismum: quod quanta cum uanitate dicatur, uides? Ibidẽ.

Confutatio eius quod Cresconius dixit: Apud Donatistas, qui baptismum ipsi habeant, esse baptizandum.

Nõ negamus esse apud Donatistas baptismũ, sed salutarẽ baptismũ apud eos esse negamus. Nec sequitur, quia apud Donatistas baptismus sit, ei qui habere uelit, in societate Donatistarũ quærendum esse. Nec omnia bona & utilia, omnibus habentibus sunt utilia, sed tantũ bene utentibus: August. lib.1. contra Cresconium, cap.21.22.& 23.

Itẽ: Non potest probari aliquo Scripturæ testimonio, aliquem qui ab hæreticis uenerit, denuò fuisse baptizatũ. Hoc enim quod Apostoli iusserunt quosdã post Ioan. baptismũ in Christo baptizari, aliã habet rationẽ: Ioan. enim nõ fuit hęretic⁹. lib. eodẽ, cap.33.

Confutatio rationis Cresconij: Vnus Deus, una fides, unum baptisma, &c.

Inuenimus eundem Deum extra Ecclesiã ab ignorantibus coli, & unam fidem, qua creditur Christum esse filium Dei. Sic inuenimus eundem baptismum ab eis qui sunt extra Ecclesiam. Nec sequitur, quia sunt extra Ecclesiam, propterea baptismũ quem habent, si rectè obseruent, nõ esse baptismũ. libro eodem, cap. uicesimooctauo.

Confutatio hypotheseon Cresconij, de Baptismo: ex literis Petiliani.

Quòd si lateat dantis conscientia, & sit fortasse maculosa, quomodo potuerit abluere? Si bona mali hominis fama abluit, cur ergo dicitis, Conscientia attenditur?

Confutatio eius quod dixit Cresconius, Iudam baptizasse sicut Apostolum.

Cum Iudas apostolus baptizaret, malus existens, nõ eius attendebatur conscientia: sed Deus & Christus, in quem credebatur. De' igitur abluit, nõ homo, iuxta illud: Christus dilexit Ecclesiã, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret. lib. 2. contra Cresconiũ, cap. 17. 8. 9. & uicesimo: & lib. 4. cap. 12.

Confutatio allegationis Cresconij, Nullum manifestum peccatorum posse baptizare: quia scriptum sit, Deum peccatoris, &c.

Dictũ illud loquitur de quibusuis peccatoribus absolutè, non de manifestis tantum. Esse aũt apud uos occultos peccatores, negare non potestis. Deinde dictum nõ de baptismo, sed de adulatione loqtur. Sic enim habet tota sententia: Emendabit me iustus in misericordia, & arguet me: Oleũ aũt peccatoris non impinguabit caput meũ: id est, nõ blandietur mihi fallaciter. lib. 2. cap. 53. Et: Christus mundat Ecclesiã, nõ maculosus aut sordidus minister. Deinde & contra uos hoc ipsum urgeri potest, quia ministrũ occultè iniquũ baptizare permittitis. lib. 3. cap. 5.

Confutatio eius quod Cresconius obiecit, Catholicos inter fidelem & perfidum nihil discernere.

Falsum hoc est. Nos enim humana discernimus merita, nõ sacramenta diuina, quę & tu cogeris fateri nobis uobisq; esse eadem. lib. 3. contra Cresconium, cap. 7.

Confutatio hypotheseos Cresconij, de Clauibus.

Christus non Iudæos tantum arguit, sed & Pharisæos, Saducęos, & Samaritanos, ipsumq; diabolum arguit: idq; exemplum imitandum nobis proposuit. Augustinus libro tertio contra Cresconium, cap. 11.

Confutatio hypotheseon de Martyrio.

Rectè ista dicerentur à uobis, quærentib. Martyrum gloriam, si haberetis martyrum causam. Nõ enim felices, ait Dominus, qui mala ista patiuntur: sed qui propter filiũ hominis Christũ patiuntur: uos aũt nõ propter ipsum patimini, sed contra ipsum patimini: quippe ideo, quia nõ creditis & toleratis iniquitatem, ne credatis. lib. 2. cõtra Gaudentiũ, ca. 12.

Confutatio hypotheseos de Magistratu.

Cur ergo nõ in homicidijs, stupris, & quibuscunq; alijs facinorib. & flagitijs, libero te arbitrio dimittendũ esse proclamas? Quæ tamẽ omnia iustis legib. cõprimi utilissimũ ac saluberrimũ est. Dedit quidẽ Deus hominiliberam uoluntatem, sed nec bonam infructuosam, nec malam esse uoluit impunitam. libro tertio, cap. 51.

Confutatio hypotheseos de Schismate.

Dictũ id est Iudæis, ne mala facta patrũ imitarentur, nõ ut à populo Dei scinderẽtur. Dauidi, Samueli, & alijs inter cõemptores legis, Dei mãdata seruare licuit. lib. 3. cap. 38.

Confutatio rationis, Cyprianum esse autorem diuisionis Donatistarum.

Esto in Ecclesia, quam constat tenuisse & prædicasse Cyprianũ: & tũc aude, uelut autorẽ sententiæ tuæ, nominare Cyprianum. Deinde sacrę Scripturæ autoritas præferenda est literis Cypriani. Qui tamẽ, quãdiu de hac re aliter sapuit, quàm ueritas diligẽtius cõsiderata patefecit, donec ei Deus id quoq; reuelaret ineffabili laude charitatis unitatẽ pacẽq; Catholicã etiã cũ collegis suis, à quibus aliter sapit, non reliquit. lib. 2. cap. 31.

Item: Literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero: & q in eis diuinarũ Scripturarũ autoritati cõgruit, cum laude eius accipio: quod aũt nõ congruit, cum pace eius respuo. lib. 3. cap. 32.

Confutatio uituperationis eloquentiæ.

Non est scriptũ, Ex multa eloquentia, sed ex multiloquio: quod superflua est loeutio, & uicium loquendi amore contractũ. Eloquentia uerò, facultas est dicẽdi, cõgruenter explicans quæ rectè sentias. Hæretici uerò, si fuerunt eloquentes, non fuerunt rectè sentientes: nec fuit eloquentia dicendi facultas conuersa, ad tuendas falsas sententias. lib. 1. contra Cresconium, cap. 3.

EX DONATISTIS, VTRVM *aliqui ad Ecclesiam redierint.*

Conuersos esse nonnullos ex Donatistis ad Catholicos, adactos partim Imperatorũ edictis, partim rectius à Catholicis atque ab ipso Augustino admonitos, indicat August. lib. 3. de Correctione Donatistarum, cap. decimo, 17. & 19. Petilianum certè oppressum ui ueritatis, & oblitũ quasi eorũ quæ prius dixerat, cõcessisse tandẽ in eã sententiã, Christũ esse originẽ & radicẽ regeneratorũ, atq; Ecclesiæ caput, nõ quẽq; hominẽ dispẽsatorem administratorẽq; baptismatis, affirmat libro tertio contra Petilianum, cap. 52.

CAPVT

CAPVT VI.

DE CEREMONIIS ET *ritibus Ecclesiæ.*

DE PVBLICIS CONgressibus.

HABVERVNT Christiani hoc etiam seculo suos quosdam honestos & publicos cõgressus, & loca quædam peculiaria, in quib. conuenerunt, sicut ex huius temporis scriptoribus est manifestum. Eos autem cõuentus nominat Chrysostomus sanctorum communionem & cõgregationem, in Sermone de Eucharistia. Homilia uerò prima in primum caput Iob, Ecclesiæ appellationem ei congregationi tribuere uidetur: Nemo, inquit, in Ecclesia super domo & familia cogitet, sed domi Ecclesiam & diuinas res animo cõplectatur.

Loca uerò ipsa congressuum, sicut iam prioribus seculis loquendi usus obtinuit, ita hoc quoq; tempore promiscuè appellarunt, nunc basilicas, nunc oratoria. Sed & Martyriorum appellatio mansit. Visitatissimum autem fuit, nomen Ecclesiæ etiã pro ipso templo usurpare. nam ita loquitur Eucherius: Ecclesiam instructam esse eo in loco, ubi olim Abraham angelos hospitio suscepit. libro secundo in Genesin, capite decimosexto. Hunc loquendi usum imitatur etiam Saluianus, sed quasi corrigens dicit: Itaq; ecclesias, uel potius templa, & Dei mitoris reuerentiæ quidem habent, &c. quarto libro de prouidentia Dei.

Sidonius itidem dicit, Ecclesiam suo tempore Lugduni extructam, cui ipse carmẽ foris trochaicum inscripserit: epistola ad Hesperium. Ita etiã ad Auitũ scribẽs ait: Posuisti culmina preciosa, Ecclesiã Auerni municipioli. Heinricus de Erphordia memorat, Patricium Hybernensiũ episcopum fundasse Ecclesias trecentas sexagintaquinq;.

Ab ea loquendi forma nec Augustinus abhorret. nam in libro de ciuitate Dei: Quotidie, inquit, Ecclesiam ingredientes, memoriã gloriosissimi martyris Stephani frequẽtabant. lib. 22. cap. 8. Est & basilicæ mentio apud eundẽ crebra, sed ex multis eius testimonijs hoc unum in præsentia sufficiat. epistola 50: Episcopũ (inquit) Vagiensem basilicam obtinuisse, quam Donatistæ inuaserant. Templorũ quoq; non infrequens est apud eum appellatio: uerùm nõ necesse est huc testimonia multa coaceruare. Libro eodem, capite decimo, de ciuitate Dei: Nos martyribus nostris, inquit, nõ tẽpla ut dijs, sed memorias ut hominibus mortuis, quorũ apud Deũ uiuunt spiritus, fabricamus: ubi etiam memoriæ uocabulum positum est pro ipso martyrio. Eodem modo loquitur capite octauo: in uilla Victoriana esse martyrum Mediolanensium Geruasij & Protasij memoriam. Rursum ibidem, ad Martyrũ memorias ægros portatos dicit. Item: Viginti martyrum memoria apud nos est celeberrima. Eodem libro, octauo capite, nominat orationum locum, ubi Christiani ad ea quæ Dei sunt peragenda, conuenerint.

Chrysostomus uocat ædem simpliciter, & doctrinæ sedem, Homilia prima in primũ caput Iohannis: Ideo doctrinæ sedem ingredimur, ut ab omni penitus sorde abluamur. Et profectò ædes hæc spiritualis est medicina. Item, sanctam domum, & orationis domum: homilia nona in 3. cap. Actorum.

Quanquam autem hac ratione sine discrimine loquuntur scriptores: uidetur tamen aliquod eorum locorum fuisse discrimen. Basilicæ enim capaciora & magnificentiora illa templa fuerunt. Martyria certè aliquãdo intra ipsa tẽpla peculiarem aliquẽ & distinctum fuisse locum, ex Augustino liquet, libro de ciuitate Dei uicesimosecũdo, capite octauo: ubi manifestè habetur, Stephani martyrium, in alio templo tantum cancellis à reliqua parte distinctum fuisse locũ. Euphemiæ martyris templum Chalcedone Bithyniorum ita fuit structum, ut tres distinctæ domus seu structuræ essent: sicuti ex Euagrio est uidere cap. 3. lib. 2: & Nicephoro lib. 15. capite secundo.

Tales autem publicorũ conuentuum domos passim non tantũ intra, sed etiam extra urbes habuerunt: fortasis ea in re imitati gentiles, qui fana suorum Deorum uarijs in locis disposuerunt. Tali igitur ratione cœperunt paulatim superstitiosæ templorum in locis non necessarijs extructiones. Sic ante urbẽ Antiochiæ, templũ Babylæ martyris etiam hac tempestate durauit, ut testatur Nicephorus decimoquarto libro, capite 43.

Ante muros Carthaginis duo ampla fuisse templa Cypriani, unũ eo in loco ubi interfectus est, alterum ubi corpus eius sepultum, quę utraq; Gensericus Vandalus Christianis abstulit: patet ex Victoris narratione de persecutione Vandalica, libri primi.

Nilámoni monacho, ante ciuitatẽ Ægypti quæ Geras dicta est, atq; adeò in ipsum locũ ubi domiciliũ suũ habuit, oratoriũ extruexerũt ciues Gerenses: Sozomenus lib. 8. cap. 19. Imperatorem Leonem duo templa ante urbem Cõstantinopolitanam extruxisse, scribit Nicephorus lib. 15. cap. 24. & 25.

Porrò addit hic autor, uestẽ Mariæ ex Palęstina eò perlatã. Verùm ea inter uanitates eas reponimus, quibus non rarò hic autor delectatur. istæ enim superstitiones ignotæ sunt sanis Ecclesiæ doctoribus.

Apud

Apud Augustodunum Galliæ, Euphronius basilicam cōstruxit extra murum Symphoriano martyri: sicut Iuo in Chronico scribit, in Leone.

Florentię fuit templum ante muros, prope urbis portas, S. Laurentij. Antoninus titulo 10. cap. 12. Seuerus quoque pater, natione Indus, destructo idolorum delubro, ubi error gentilis centum deos religiosè coluerat, ecclesiam martyris Stephani pro foribus Viennę parauit, ut Adon Viennensis ęta te sexta testatur. ac uidentur etiam reliqua templa extra urbes, ubi non habitauit frequentia hominum, eadem prorsus ratione, ut dictum, originem sumpsisse, subinde uergente religione ad deteriora.

Iam uerò & templorum denominationes fuerunt uarię, uel à personis in Ecclesia illustribus, uel ab historia & euentu aliquo sumptæ. Ita ante Hierosolymā, ubi Stephanus lapidibus est oppressus, Eudocia templū extruxit, cui nomen Stephani datum est.

Creuit enim paulatim immodica sanctorum ueneratio, eamq; rē imitatio Ethnicismi adiuuit. Fuit etiā alia à Resurrectione Domini dicta. Euagrius libro 2. capite 5.

Apud Camagenos Armeniæ, templum hoc tēpore habuit Basiliscus, qui martyr decesserat Nicomedię sub Maximino persecutore. Idem libro 13. capite 37. In metropoli Isaurorum Seleucia, ædificauit templum Imperator Zeno Ibeclę protomartyri, quòd ei Imperij recuperationem uaticinans pollicita fuerat, planè Ethnico more. Euagrius libro 3. capite octauo.

Ephesi fuit templum, nomen referens Ioannis Euangelistæ. Nicephorus libro 14. capite 58.

Chalcedonenses ædem habebant sacram Euphemiæ martyri. Nicephorus libro 13. capite 5. Item capite 3. libro 15. Alexandriæ Ægypti templum fuit à Cæsare appellatum. Euagrius libro 2. capite 8. Et Ioannis Baptistæ templum ibi fuit: libro tertio, capite duodecimo.

Carthagini hoc tempore erat templum, cui nomē Restituti, & Fausti, & Varij: ut testatur Victor in Vandalica ꝑsecutione lib. 2.

Ad eundem planè modum & in Europa, magna fuit in appellationibus templorum diuersitas. Constantinopoli in suburbio nauali Chalcedonis ædes fuit maxima, cui ἀποστολεῖον, id est Apostolium nomen fuit. Nicephorus libro 13. capite decimoquinto. Fuit & Thyrsi martyris templum ibidē, extra urbem: à quodam Cæsario constructum. Sozomenus libro nono, capite secundo. Extruxit quædam templa Constantinopoli Pulcheria, posterioris Theodosij soror, quib. uaria nomina imposita sunt: ut Marię uirginis, sancti Sepulchri, Stephani, Laurentij, Agnetis: & uarias nugas ibi reseruatas tradit Nicephorus, de quibus patres huius seculi non faciunt mentionem.

Fuit & aliud ibidem, Sapientię uerbi Dei. Nicephorus libro tredecimo, capite decimooctauo: & libro decimoquarto, capite secundo, & capite uicesimoquarto. Item templum sanctę Pacis: libro decimoquarto, capite quadragesimotertio: & libro decimoquinto, capite uicesimoprimo. Planè sicut Ethnici Romæ & alijs in locis sua superstitiosa fana nominarūt: ut magis appareat, κακοζηλίᾳ structuras templorum auctas esse. Anastasiæ quoque templum ibi fuit, ut scribit Nicephorus capite uicesimosecundo libri decimiquinti.

Florentiæ fuit templum Saluatoris nomine. Antoninus titulo 10. cap. duodecimo.

Apud Turonum Gallię, supra corp⁹ Martini, successor eius paruam cellulam initiò extruxerat. Pòst uerò magnā basilicam Perpetuus ibi ędificauit, ut narrat Iuo in Leone Magno. Idem scribit Sidonius libro quarto, epistola ad Licontium: Basilicam Martini nouatam à Perpetuo episcopo, capaciorem multo redditam.

Clodoueus rex Francorum extruxit Parisijs templum apostolis Petro & Paulo: ut refert Hincmarinus in uita Remigij. Ibidem fit mentio templorū aliquot in urbe Remis, basilicæ Nicasij, quæ habeat forinsecus gradus ex petris stratos, quibus impresserit uestigia Remigij, Ioannis Baptistæ, & Timothei, & Apollinaris, & Christophori. Fuit & Landuni ecclesia Mariæ. Arimini Stephano, & Rauennæ Martino basilicas, & Spoleti ædes amplissimas magno sumptu ædificatas à Theodorico Ostrogotorum rege, Blondus narrat libro tertio, decade prima. Habuit & in urbe Metensium Oratorium Stephanus protomartyr, idq́ue etiam hoc tempore: quod inde est manifestum, quòd Gregorius Turonensis illud solum illæsum mansisse ait, tota reliqua urbe ab Hunis incensa: libro 2. capite 6.

Meminerunt huius temporis scriptores etiam dedicationum quarundam: quales tamen illæ fuerint, non satis liquet. Augustinus Deo omnipotenti parietes consecratos, habet libro tertio contra Cresconium, capite quinquagesimosexto. Commemorat Prosper, Aquitaneos propè Carthaginē conuenisse, magnam sacerdotum multitudinem festo Paschæ, ad consecrandum templum Deo cœlesti: ubi se quoque unà adfuisse adfirmat. additq́ue, in templi frontispicio conscriptum fuisse grandioribus æneis literis, AVRELIVS PONTIFEX DEDICAVIT in tertia parte de promissione & prædesti-

prædestinatione Dei, promissione uicesima octaua. Sidonius scribit ad Elaphium, se cum plurimis alijs ad dedicationem uenturum: atque ibidem obiter baptisterij consecrationis mentionem facit. Sic & Euodius commemorat, factam dedicationem basilicæ Apostolorum, quæ Nouariæ fuisse uideri potest inde, quòd Nouariensi episcopo Honorato missam scribit Dictionem, in ea dedicatione.

¶ In dedicationibus fuit etiam usitatissimũ, addere donaria magnifica: id ꝙ patebit inferius ex historia Ecclesiæ Romanæ.

¶ Eiusmodi uerò loca publica habuerunt pij, in quibus ad preces, & audiendum uerbum publicè congressi sunt: neque tamen ita superstitiosè illis alligati fuerunt, quin casu aliquo interueniente, interdum relictis illis publicis, in priuato aliquo loco conuenerint. Sic Victor in persecutione Vandalica recitat, quòd in Africa piorum cœtus, tum Ecclesijs tum ministris propter uastationes bellicas exutus, ubicunque locorum potuerit, res sacras tractarit. libro primo. Et libro tertio narrat, propter Arianorum furores, quosdam ueræ pietati coniunctos in priuatis domibus congressos esse. Constantinopoli, cum propter Chrysostomi damnationem Ecclesia scissa esset, pars quæ ipsum sequebatur, recessit à publicis cõgressuum locis, & peculiares priuatim conuentus habuit: ac primùm quidem in quodam publico lauacro, quod Constantinianum dictum est, ferias Paschales egerunt, magna frequentia & ministrorum aliorum, idque in urbe. Inde uerò pulsi extra urbem, in quo dam loco, ubi olim ludi publici exhiberi solebant, conuenêre. Verùm etiam inde eiecti, uarijs in locis congressus instituerunt: ut authores sunt, Socrates libro sexto, capite decimooctauo: item Sozomenus libro octauo, capite uicesimoprimo. Paulo pòst sub Arsacio Chrysostomi successore, quidam in extremis ciuitatis recessibus & porticibus ad tractandum uerbi ministerium rursum coibant, uerùm magna ui prohibiti sunt: ut testatur Sozomenus libro eodem, capite uicesimotertio.

Templa autem ipsa picturis, uasis aureis, & alijs rebus etiam immodicè ornare atque locupletare studuerunt, proculdubio aut superstitione, aut praua imitatione Ethnicorum. Augustinus certè, conquerens de hominum superstitionibus, disertè dicit, quosdam ad picturas suo tempore adorasse: libro de moribus Ecclesiæ primo, capite tricesimoquarto. In ecclesia Constantinopolitana uidetur imago fuisse argentei præsepis. ita enim inquit Chrysostomus: O si mihi liceret uidere illud præsepe, in quo Dominus iacuit. Nam nos Christiani quasi pro honore tulimus luteum, & posuimus argenteum. Et paulo pòst: Non condemno eos qui honoris causa fecerunt: neque enim illos condemno, qui in templo fecerunt uasa aurea. in homilia de natiuitate Domini, tomo secundo. Ibidem fuisse imaginem Mariæ uirginis, ab apostolo Luca depictam, cui templum struxerit Pulcheria, autor est Nicephorus libro decimoquarto, capite secundo. Sed fabulam resipit, ut pleraque alia.

Meminit & Antoninus cuiusdam erectæ statuæ marmoreæ, in cuius summitate crux ex eadem materia posita fuerit: titulo decimo, capite duodecimo. Hierosolyma Theodosius posterior auream crucem misit, ponendam in loco Caluariæ: si Nicephoro libro decimoquarto, capite 9. creditur.

Habuerunt & altaria quædam. nam est eorum ualde frequens mentio apud Augustinum, libro de ciuitate Dei uicesimo, capite nono: & uicesimosecundo, capite octauo, & aliàs sæpe. Epistola quinquagesima meminit altaris, quod ex ligno fabricatum fuisse uidetur. Et Chrysostomus in decimum caput primæ ad Corinthios, Homilia uicesimasexta super Matthæum, dicit: Sacerdotem altari assistentem precari pro præsentibus & absentibus, &c. Altaris mentionem habet etiam Eucherius in quartum librum Regum: & Saluianus libro de prouidentia Dei tertio, item sexto.

Meminerunt scriptores crebrò mensæ cuiusdam in templo positæ, quam Sacram uocant. Sic Eutropius, summus cubicularius, ob quoddam facinus in Imperatorem admissum ex aula profugus, ad sacram mensam in templo supplex iacet: ut Sozomenus libro octauo, capite septimo scribit. Facit sacræ mensæ mentionem etiam libro nono, capite secundo. Eodem modo Basilicus supplex, coronam Imperij sacræ mensæ imponit. Nicephorus libro decimosexto, capite octauo. Porrò sacram mensam ex auro gemmisque preciosissimis artificiosissimè adornatam, ex uoto pro uirginitate sua, ecclesiæ Constantinopolitanæ dedicasse ex praua superstitione, Pulcheriam posterioris Theodosij Imperatoris sororem, recitat Sozomenus libro nono, capite primo.

Habuerunt Ecclesiæ ministri suos etiam quosdam in templo locos, præsertim uerò pastores seu episcopi, quem quidem locum indifferenter episcopalem sedem uel thronum appellant. Ita Iohannes Chrysostomus à priori exilio reuocatus, & in ecclesiam inductus, in Episcopalem cathedram uel sedẽ etiam inuitus collocatus scribitur. Acacius Constantinopolitanus pastor, sub

Basilisco

Basiliſco thronum ſiue ſedem epiſcopalem pullis ueſtibus in ſignum luctus contegit. Theodorus Collector libro primo: Nicephorus libro decimoſexto, capite octauo. Meminit & Proſper cathedræ, quæ in conſecratione templi cuiuſdam ſit poſita, in tertia parte de promiſsione & prædeſtinatione Dei, promiſsione triceſimaoctaua. Auguſtinus de ciuitate Dei libro uiceſimoſecundo, capite octauo, facit mentionem & exedræ, quæ gradus habuerit, unde ipſe de ſupremo populum ſuum ſit allocutus.

Sæpe fit mentio baptiſterij: ut in Nicephoro libro decimotertio, capite uiceſimo. Idem libro decimoſexto, capite octauo, memorat Baſiliſcum Imperij inuaſorem, ad baptiſterium ſupplicem confugiſſe. Meminit ambonis in templo Socrates libro ſexto, capite quinto: quem eundem Sozomenus ſuggeſtum lectorum nominat, capite quinto libri octaui, & libri noni capite 2.

Fuit uſus lucernarum, tum propter nocturnos conuentus, tum etiam praua imitatione Iudaiſmi: ut ſunt homines naturà ad ceremonias ualde procliues. Eudociam Imperatoris Theodoſij iunioris coniugem, ex muliebri ſuperſtitione, ad lucernarum rationem Hieroſolymis contuliſſe olei ſextarios decies mille, literis prodit Nicephorus libro 14. capite 50.

In ipſis quoque templis mulieres ſeparatum à uiris locum habuiſſe, Chryſoſtomus uidetur indicare. Oportet quidem (inquit) interiore parte à mulieribus diſſeparari. Verùm quoniam non uultis neceſſarium eſſe, patres noſtri putauerunt ſaltem his ligneis parietibus uos diſſeparare. Homilia ſuper Matthæum ſeptuageſimaquarta. Sed paulo pòſt dicit, eos parietes ab initio non fuiſſe, quemadmodum à ſenioribus acceperit.

Tempora conuentuum uaria habuêre Conſtantinopoli, & hauddubiè in uicinis alijs quoque Eccleſijs: certum eſt tamen, unum totius hebdomadis diem fuiſſe conſtitutum, in quo ad audiendas conciones promiſcua multitudo ſemel conueniret. Ita enim inquit Chryſoſtomus: At dum per hebdomadam ſemel uocamus uos, & ignaui eſtis, & alij quidem non aduenitis, alij autem præſentes ſine lucro abitis: quid non faceretis, ſi continuò hoc faceremus? homilia quadrageſimaquinta in Acta Apoſtolorum. Idem animaduerti poteſt ex Homilia quinta ſuper Matthæum, tomo ſecundo. Auguſtinus de ciuitate Dei libro uiceſimoſecundo, capite octauo ſcribit, aliquando ipſo Dominico die Paſchatos mane frequentem adfuiſſe populum. Idem, ad ueſpertinos hymnos & orationes, etiam mulieres conueniſſe, narrat ibidem. Iſychius de Hieroſolymorum, cuius ipſe presbyter fuit, eccleſia ſcribit: Nos Apoſtolorum ſequentes traditionem, Dominicam diem diuinis conuentibus ſequeſtramus. libro ſecundo Cõmentariorũ in nonum caput Leuitici. Per quædam Syriæ & Ægypti loca homines cõueniſſe in Eccleſiam die Sabbati, & quidem nocte poſt cœnam, narrat Primaſius, in undecimum caput ad Corinthios primæ.

Chryſoſtomus ad æmulationem Arianorum, inſtituit nocturnos Conſtantinopoli congreſſus: ut Socrates libro ſexto, capite octauo refert. Et Nicephorus libro decimo, capite octauo ſcribit, ad lucernas Reſurrectionis feſtum celebraſſe Iohannitas. Quæ de re ſic ait Sozomenus: Ea ſacra nocte, qua feſtum annuum ad memoriam Dominicæ reſurrectionis celebratur, Eccleſia expellitur, qui Chryſoſtomo adhærebant. Sozomenus libro 8. capite 21.

Carthagine ſub feſtum Paſchatos, ut uideri poteſt, nocte conuenit populus in baſilica Fauſti, & canit hymnos nocturnos ob ſedalica perſecutione libro ſecundo.

In illis porrò conuentibus pios ceciniſſe Deo laudes, & feciſſe preces ad Deum, item factas lectiones diuinarum Scripturarum, additas quoq; interpretationes earundem, item cœnam Dominicam celebratam, ex Auguſtini de ciuitate Dei libro uiceſimoſecundo, capite octauo patet. Sic & præclarè inquit Iſychius libro ſeptimo in caput Leuitici uigeſimumquartum: Sancta eſt oratio, ſancta diuinæ Scripturæ lectio, & interpretationis auditio: ſancta ſunt, ut breuiter dicam, omnia quæ in Eccleſijs Dei ſecundum legem eius dicuntur & aguntur.

Populari & uulgo nota lingua iſta omnia facta eſſe, nõ obſcurè conijcitur ex Auguſtino. Nam ſcribit, ſacerdotem ab altari populum ad orandum Deum hortari, & ipſum-met clara uoce orare, & populum Amen reſpondere. Epiſtola centeſimaſeptima. Victor in Vandalica perſecutione narrat, Carthagine nocturnos hymnos in Eccleſia Fauſti populum ceciniſſe, idq; proculdubio uernacula & populo non ignota lingua, aliàs enim quomodo populus caneret? Symbolum in quauis Synaxi decantandum, nominatim narrat Theodorus Lector Collectaneorum libro ſecundo, inſtitutum à Petro Gnaphæo Antiochenæ eccleſiæ, per uim potius quàm legitimè uocato gubernatore. Pſalmos modulatos eſſe Chriſtianos, ſi quãdo cõuenerunt, de Gallicanis quoq; Eccleſijs hiſtoria Martini teſtatur, quam exhibuit Paulinus Petri libro 2. Porrò pater ex Auguſtino, ut dictum, Eccleſiæ congreſsibus uſitatũ fuiſſe, legi aliquam Scripturæ partẽ, quæ

quæ mox ab aliquo exposita est. Expositiones uerò etiam exceptæ, & literis traditæ sunt: sicuti de seipso scribit libro primo Retractationum, capite uicesimotertio. Idem patet ex Socrate, qui libro sexto, capite quarto scribit, Chrysostomi sermones ab ore diligentis exceptos à notarijs. Item Sozomenus libro octauo, capite uicesimoseptimo, de Constantinopolitano episcopo Attico narrat, ipsius conciones Ecclesiasticas fuisse eiusmodi, ut non quidem prorsus omnis eruditionis fuerint expertes, sed tamen neutiquam dignos habitos qui exciperentur.

Eadem ratione & quæ in doctorũ disputationibus & collationibus proferebantur, excipi solebant: id quod patet ex Augustini libro de Ordine primo, capitibus decimo & undecimo. Fuit etiam usitatum, ut fratres, uel etiam iuniores à senioribus quædã modeste quærerent, si qua minus caperent uel assequerentur: libro primo Retractationum, capite uicesimosexto Augustinus.

¶ Historias martyrum interdum populo recitarunt: ut licet uidere ex Augustino libro de ciuitate Dei uicesimosecundo, capite octauo. Soliti sunt etiam ministri populo benedicere, sicut Augustinus epistola nonagesima significat.

Chrysostomus inquit: In ecclesijs pacem, in precationibus, in supplicationibus, in prefationibus, & semel atq; iterum ac tertiò & sæpe eandem, qui Ecclesiæ præest, impertit dicens: Pax uobis. Et paulo pòst: Ac non dicit Ecclesiæ præsul Pax uobis simpliciter, sed PAX OMNIBVS. Item: Mox atque præsul Ecclesiæ ingreditur, dicit, Pax omnibus. Quando concionatur, quando benedicit, quando salutem optare iubet, quando sacrificium absoluitur, & interea rursus, Gratia uobis & pax. in 1. cap. ad Colossenses.

Eadem in ecclesijs Europæ, & Orientalibus ferè in usu fuere. Nam Chrysostomus homilia decimaoctaua in 8. cap. Actorum, ubi adhortatur ad extruenda tẽpla, diligenter admonet simul de fine: nempe ut in illis fiant preces, laudes, synaxes, oblatio per singulos Dominicos dies, eruditiãtur initiandi, matutini uespertiniq; hymni cantentur. Dicit insuper, sacerdotem accedere in templo ad Deum, & pro ecclesia orare quotidie ad Dominum. Ibidem lecta esse Prophetica & Apostolica scripta, idem testatur homilia decimanona in nonum caput Actorum, ubi dicit, lectorem incipere prophetiam. Et cum ibidem adijciat, ministrum alta uoce stantem clamare, ATTENDAMVS: non est profectò uerisimile, in peregrina lingua eas lectiones fuisse institutas.

Pauli Epistolas per singulas hebdomadas sæpenumero lectas, præsertim quando martyrum memoriæ sunt celebratæ, idem diserte testatur in Argumento epistolæ ad Rom.

Historiam passionis Dominicæ quotannis recitatam publicè, ex his Chrysostomi uerbis apparet: Nam ne gentiles dicãt præclara nos atq; insignia Christi facta prędicare, opprobria uerò & passionem celare, sanctissimi spiritus gratia ita dispensatum est, ut in solennitate maxima, cum omnes unà uiri atq; mulieres adesse possint iuxta diem Paschæ, omnia hæc perlegantur. homilia 88. super Matthæum tomo secundo.

In concionibus plausus quidam excitati sunt, quod & reprehendit & abolere cupit Chrysostomus, dum in hunc modum suos auditores alloquitur: Et sæpius cogitaui ponere legem plausus prohibentem, & suadentem ut cum silentio & cõuenienti decentia audiatur. Sed sustinete oro, & credite mihi, & si placet hanc nunc legem firmabimus, ne quid auditor plaudat, quamdiu nos loquimur. homilia 30. in acta Apostolorum.

Et ex suggestu quidem, seu ambone (nam utriusque fit mentio) factas tum conciones tum lectiones, patet ex Socrate libro sexto, capite quinto: & Sozomeno libro octauo, capite quinto.

Publicas conciones secutæ sunt publicæ preces, ut testatur Chrysostomus de sua Ecclesia: Sed ne tempus incassum teramus, finem faciamus dicendi aduersus eos, ad orandumq; more nostro ueniamus. homilia quarta & tertia de incomprehensibili Dei natura. Eadem homilia tertia reprehendit, quòd statim finitis concionibus templo sese præripiant.

Concionem secuta est cœna Dominica. nam ideo eam in illo loco reprehensionem instituit Chrysostomus, ut illos cõmoneat, quo deinceps maiori frequentia ei quoque actioni intersint. Nam quod in omni congregatione Ecclesiæ celebrarint Eucharistię mysteria, expressè narrat homilia uicesimasexta, in caput octauum Matthæi.

Psallendi rationem per Antiphona, id est choros sibi alternatim succinentes, primus Constantinopoli instituisse Chrysostomus legitur, æmulatione quadam Arianorũ, qui ad oratoria sua extra urbem procedentes, inter eundum ea modulandi ratione utebãtur, singulari quadã pietatis specie. Ne itaque simpliciores è saniore Ecclesia, illa hypocrisi abalienarẽtur, similia ipse quoq; instituit, & quidem maiori cum splendore & magnificentia, additis ardentibus facibus, & argenteis quibusdam crucibus, nimirũ ut facilius res abiret in superstitionẽ. Melior enim fuisset usus argẽti & lucernarũ, quàm in istis pompis. De his reb. scribũt Socrates lib. 6. cap. 8: item Sozomenus lib. 8. cap. 8.

Litaniarum & supplicationum frequens usus fuit hoc tempore. Sic Imperator Theodosius iunior, cum tota Ecclesia supplicationem fecit pro serenitate. Et ipse quidem medius hymnis canendis prę̃iuit, priuati habitu incedens: ut testatur Nicephorus libro decimoquarto, capite tertio. Ita etiam, cum horrendo & diuturno terræmotu uniuersa Constantinopolitanorum ciuitas conquateretur, Theodosius & episcopus Proclus cum ciuibus extra urbem periculi uitandi gratia egressi, ardentes ad Deum pro liberatione preces fuderunt.

Fabulæ non est absimile, quod eodẽ tempore narrant hymnum, quem Trisagium appellant, diuinitùs esse reuelatũ. Cum enim νύξας ἐλέησον anxiè uociferarentur, ecce puer quidam in aere sublatus est: is rursum delapsus, dixit, quòd Litanijs sit hoc inserendũ, SANCTVS DEVS, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri. ratio, q̃a angeli coram Deo hoc hymno utantur. ac posteà Theodosius toti orbi terrarum præcepit, ne has uoces Ecclesiæ præterirent: sicut referunt, Paulus Diaconus libro decimoquarto in Theodosium: & Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimosexto. Sed apparet ista ex Esaia esse deprompta. & uoluit quidẽ etiam ex suo cerebro aliquid ad communem precum formam adijcere: ideo talem narrationem finxerunt. Nam in alijs eius ætatis scriptoribus ista tam miraculosa non extant: ac uix uerisimile est, eos prętermissuros fuisse, si quid tale reuera accidisset. Ac singularem quidem urbis Constantinopoleos consuetudinem fuisse, ut ad certum locum in campum exirent, quando in publicis necessitatibus communiter preces faciebant, ex Theodoro Lectore uidere est: qui scribit, Martianum Imperatorem hortatum esse Anatolium episcopum, ut secundũ consuetudinem urbis illius episcoporum, à Tauro ad campum usque uectus supplicaret. libro primo. Instituit & Mamercus Viennensis pastor Rogationes siue Litanias, in frequenti terrarum motu: ut refert Sabellicus Enneade octaua, libro secundo. Sed de his rebus suo loco plura. Nondum tamen inuocationes defunctorum, & aliæ superstitiones Litanijs insertæ sunt: neque ad consecrationes, sed ad pericula & calamitates auertendas, Litaniæ adhibebantur.

Speculum Vincentij libro decimooctauo, capite tricesimotertio narrat, ex consuetudine Seuerum Colonienſem, summum pastorem, Dominicis diebus post matutinas preces loca sancta circuiuisse: Sed quo id ritu factum sit, incertum est. De alijs Ecclesijs, nihil de eiusmodi ritu legitur.

De habitu seu ornatu ministrorum Ecclesiæ, in actionibus Ecclesiæ publicis, pauca, ac propemodum nihil, tanquam de re non ualde necessaria, in fide dignis authoribus (quod quidem ad hoc seculum attinet) annotatum inuenimus.

Candidæ uestis meminit tantum obiter Chrysostomus, dum de sacraméti corporis ac sanguinis Dominici administratione disserit: Hæc est, inquit, dignitas uestra, hæc stabilitas, hæc corona, non quia tunicam insuti candidissimam per Ecclesiam ambulatis, &c. homilia octogesimatertia, in caput Matthæi uigesimumsextum. Pontificalibus indutos episcopos processisse in funus, dum corpus Zenobij Florentiæ ad cathedralem Ecclesiam adfertur, narrat Anthonius titulo decimo, capite duodecimo, paragrapho primo: fortè recentiori ritu uestiora pingens, ut est eiusmodi scriptoribus solenne.

Baptismum soliti sunt doctores Ecclesiæ interdum initiationem appellare. Sic Chrysostomus homilia prima in acta Apostolorum inquit: Quomodo creditis me discruciari animo, quoties aliquis nondum initiatus ex hac uita sublatus fuerit? Et paulò post: Quos æstus pectoris sentio, quoties adulios uideo sub extremum halitum festinantes ad initiationem?

Fuit autem administratio baptismi penes Ecclesiæ ministros. Patriciũ Hybernorum doctorem, commemorat Heinricus de Erphordia, septem reges, filios Almagith, & duodecies mille hominum baptisasse. Sacerdotem baptisasse scribit Chrysostomus, homilia de regressu suo ex Asia Constantinopolim. Remigius Remorum episcopus baptisauit Clodoueum Francorum regem, cum exercitus parte trium milium. Turonensis libro secundo, capite 31.

In templis autem utplurimùm baptismus administratus est: & erat quidem ad istum ritum certus in sacris ædibus locus destinatus, qui Baptisterium uocabatur. Socrates usurpat nomen Colymbethræ, capite quarto libri septimi, dum scribit, Iudæum quendam paralyticum unà cum lecto ad baptisterium deportatum, & è colymbethra baptisterij leuatum, sanum factũ. Baptisterij meminit etiam Augustinus libro 22. capite 8.

Quàm autem sacrosanctus fuerit baptisterij locus, testatur Euagrius libro secundo, capite octauo de Proterio Alexandrinorum episcopo scribens: Ipsum, quo necem essugeret, ad sacrosanctissimum baptisterium se recepisse. Quo in loco & barbaris, & cunctis ferocibus hominibus reuerentia quædam incutitur.

Ad baptismum usi sunt aqua, eamq; prius quodam ritu (licet ea de re mandatum Dei nullum

nullum haberent) consecrarunt. nam Victor in Vandalica persecutione narrat, quomodo Eugenius Carthaginensis ecclesiæ pastor in basilica Fausti, baptismi undis benedixerit: Pergit, inquiens, comitante officio clericorum ad fontẽ, ubi flexis genibus cum ingenti gemitu, pulsans singultibus cœlum, crispantem benedixit aquæ fontem. Vt autem superstitionem cognoscas, crucium uexillis uidẽtur ad eam actionem processisse, quarum ibi fit mentio: sicut semper externis ritibus homines ferè magis; quàm simplici institutione Dei delectantur. Benedictione autem peracta, mox candidati baptisati sunt: sicut ex eodem loco patet, libro secundo. Theodorus Lector in suis collectaneis libro secundo narrat, quòd quidam Petrus Gnapheus, Antiochenorum parochus, instituerit super aquas baptismi debere fieri inuocationẽ in Theophanijs uesperi: tametsi de eodem scribens Nicephorus, nullam inuocationis mentionem faciat, sed tantum de unda dicat in sacrum lauacrum eo tempore infundenda: libro decimoquinto, capite uicesimooctauo. Vt nimirum uideas pie & attente Lector, quomodo traditiones humanæ uarient.

Obseruata sunt autem certa tempora in baptizandis, præsertim adultoribus: ut festum Paschatos, & Epiphaniorum, seu Theophaniorũ. De Paschatis festo meminit Augustinus libro de ciuitate uicesimosecũdo, capite octauo. Nocte Epiphaniorum baptisatos esse multos Carthagini in basilica Fausti, refert Victor libro secundo in persecutione Vandalica. Pulchrè autem Chrysostomus scribit, non esse baptismum certo temporis alligandum: Ne quis, inquit, arbitretur intempestiuum esse, hisce de rebus sermonẽ haberi (de baptismo uidelicet) eo quòd nũc non est dies quadragesimus, &c. Et paulò post: Sed tempus opportunum expectas Quadragesimæ: qua gratia? Nunquid enim amplius habet illud tempus? Ipsi Apostoli nõ in Pascha donati sunt gratia, sed alio tempore. præterea cum baptisaretur tria millia & quinq; millia, non erat Paschæ tempus. Similiter quum baptisaretur Cornelius & Eunuchus, alijq; complures. homilia prima in Acta apostolorum. Sigiberti Chronicõ memorat, hoc seculo in quadam Italiæ Ecclesia (cuius tamen nomen non exprimit) consuetudinẽ fuisse, annuatim sabbato sancto Paschæ, & quidem certa hora, baptisma cõferre petentibus. Ex Augustino Epistola 118. ad Ianuariũ patet, moris etiam fuisse, ut baptisandi prius, & quidem certo die, qui hodie Cœnę Domini appellationem habet, lauacro aliquo mundarẽtur: cuius aliquam ibi reddit rationem.

Baptisati sunt porrò tum adulti, tum infantes. Ac adultorum quidem fuit ea conditio, ut prius in catecheseos partibus rectè & solidè instituerẽtur: unde ipsis nomen catechumenorũ fuit, cuius frequentissima est apud Ecclesiasticos mentio. Quomodo uerò sint tractati catechumeni, exponit Augustinus libro de fide & bonis operibus: Si aũt saluus petit spacium discendi quæ discenda sunt, quod aliud opportunius tempus reperiri potest, quo audiat quemadmodum fidelis fieri ac uiuere debeat, quàm illud, cum attentiore animo atq; ipsa religione suspenso, saluberrimè fidei sacramentum petitur? An usq; adeò dissimulamus à sensibus nostris, ut uel nos ipsos non recordemur, quàm fuerimus attenti atq; solliciti quid uobis præciperent, à quibus catechisabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus, atq; ob hoc competentes etiam uocaremur? uel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lauacrum regenerationis accurrũt, quales sint ipsis diebus quibus catechizantur, exorcizãtur, scrutãtur, quanta uigilantia conueniãt, quo studio ferueãt, qua cura pendeãt? quid agit aliud totum tempus quo catechumenorum locum & nomen tenent, nisi ut audiãt, quæ fides & qualis uita debeat esse Christiani: ut cum seipsos probauerint, tunc de mensa Domini manducent, & de calice bibant? Quod aũt fit per omne tempus quod in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomẽ Christi accedentes, catechumenorũ gradus accipiant: hoc fit multo diligentius & instãtius his diebus, quibus competentes uocantur, cum ad percipiendum baptismũ sua nomina iam dederunt. Et in Ioannẽ tractatu decimo & undecimo, catechumenos adhortatur, ut se præparent ad percipiendum baptisma. Atq; ibidem etiam dicit, signum crucis eos in fronte gerere. Libro de peccatorum meritis secundo, capite 26. recitat, quomodo manuum impositione per signũ Christi & orationem sanctificentur: & quòd acciant nescio quid, quod quamuis nõ sit corpus Christi, sit tamen sanctum. Imò ex Augustini de fide & bonis operibus lib. 6. cap. hoc patet: Baptisandos, posteaquam sua dederunt nomina, abstinẽtia, ieiunijs, exorcismisq; certo temporis interuallo purgatos esse: ac præterea neminem ante examinationem, non modò in doctrina, sed etiam uitæ ratione admissum. Qui publicis criminibus erant obnoxij, ut fornicatores, adulteri, notorij, & similes uitæ turpitudinẽ polluti, nullo modo, nisi uitæ emendationem seriò pollicити essent, recipiebantur. Qui pio & legitimo matrimonio iuncti fuerunt, solenni isto exercitiorum tempore à consuetudine conIugali abstinuerunt, quadam Iudaismi imi-

tatione. eodem libro, cap. 11: item 18. & 21. Meretrices uerò, histriones, lenones & gladiatores non admiserunt. idq; fieri docuerunt antiquo more Ecclesiæ, ueniente ex liquidissima illa ueritate: Quòd qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. libro de octo Dulcitij quæstionibus, capite 1.

De Iudæo paralytico baptisando in ecclesia Constantinopolitana scribit Socrates, eũ ante baptismum in doctrina fidei institutũ, & de spe in Christum edoctum: lib. 7. cap. 4. Et de altero quodã Iudæo narrat, quòd ipsi aliquot dierum ieiunium impositum sit: capite 17. eodem libro.

Eadem consuetudo institutionis & ieiuniorum in alijs quoq; Europæ ecclesijs seruata est. Nam Socrates de Burgundionibus ad Christum cõuersis tradit, eis in quadam Galliæ ciuitate, cum ab episcopo baptismã peterẽt, septem dierum ieiunium impositũ: & in fide institutos, octaua demum die baptismi undis ablutos. cap. 30 lib. 7.

Enumerat Augustinus quædam doctrinę fidei capita, ad quæ respõderint: quæ ut sint in promptu, adscribẽtur. Num ergo placet, ut hoc solùm homines respondeant: Credo filium Dei esse IESVM Christũ, & continuò baptizentur? Nihil de Spiritusancto, nihil de sancta Ecclesia, nihil de remissione peccatorum, nihil de resurrectione mortuorum, postremò de ipso IESV Christo nihil, nisi quòd filius Dei est? non de incarnatione eius ex uirgine, de passione, de morte crucis, de sepultura, de tertij diei resurrectione, de ascensione ac sede ad dextrã patris aliquid dicendum est catechizanti, ac profitendũ credẽti? Et paulo pòst: Si spado, cũ respondisset Actorum octauo, Credo filium Dei esse IESVM Christum, hoc ei sufficere uisum est, ut continuò baptisatus abscederet: cur non id sequimur, atq; auferimus cætera quæ necesse habemus, etiam cum ad baptizandum temporis urget angustia, exprimere interrogando, ut baptizandus ad cuncta respondeat, etiamsi ea memoriæ mandare non ualuit? Item eodem libro, cap. 11. inquit: Cur baptisandis uel symbolũ tradimus, reddendumque reposcimus? Non dissimilia etiam ex Chrysostomo colligi possunt, dũ ipse quoque in hunc modum scribit: Nam post arcana ista uerba, & metuenda, post horribiles canones dogmatum de cœlo transmissorũ, etiam hoc ad finem, cum baptisaturi sumus, adiungimus, dicereq; iubemus: Credo in mortuorum resurrectionem. & super hanc fidem baptisamus. in prioris ad Corinthios 15. cap. Faustus quoque Regiensis Galliæ episcop⁹ tradit, accedẽtis ad baptismũ uolũtatẽ inquiri: lib. 2. cap. 8. de libero arbitrio.

¶ Nunc de infantibus, Augustinus libro primo de origine animæ, cap. 5. ad Hieronymum ait: Si ei per sacramentum, quo etiã paruuli baptisantur, Christi gratia non subuenerit, &c. Item, quod refert Maxentius in confessione suæ fidei: Propterea & recentes ab utero paruulos, non tantum ut adoptionem mereantur filiorum, aut propter regnum cœlorum, &c. sed & in remissionem peccatorum eos credimus baptisari, ne peccatorum reorum in æternum. Eorũ autem fuit talis ratio, ut ab alijs offerrentur, cum ipsi per ætatẽ ultrò accedere non possent. Oblati autem sunt (ut Augustini uerba referantur) interdum ab ipsis parentibus ad baptismum, ab extraneis quibuslibet, seruuli à dominis, interdum mortuis parentibus, oblati sunt ab alijs. Aliquando expositos crudeliter à parentibus, sacræ uirgines collegerunt, & obtulerũt ad baptismum. epistola 23. Quemadmodum autẽ adulti ibi palàm confessionem edidêre, ita illi qui paruulos obtulêre, ipsorum nomine hoc præstiterunt. id quod ex eadem epistola patet: Quid est (inquit) aliud, quòd quando ad baptismum offeruntur, pro eis parẽtes tanquam fidei doctores respondent, & dicunt illos facere, quod illa ætas cogitare non potest? Et mox: Interrogamus enim eos à quibus offeruntur, & dicimus: Credit in Deum? respondẽt, Credit. & ad cætera sic respondent, ad singula quæ geruntur. Ac paulo pòst subiungitur, baptisatorẽ sub horam baptisandi interrogare quædam à parentibus, ad quæ ipsi pro paruulo fidenter respondeant.

Ad eundem ferè modum scribit & epistola 105: Eos uidelicet qui gestarunt infantulos, pro ipsis solitos fuisse renũciare satanæ, ubi & exorcizationis nominatim meminit. Renunciationis meminit etiã epistola 107. In Hypognostico contra Pelagianos lib. 5. distinctione 50. ista coniungit: Paruuli, inquit, propterea catechisantur, exufflantur & baptisantur, ut princeps huius mundi diabolus ex eis foràs mittatur.

Adhibitos interdum & susceptores seu patrinos, ex autoribus huiꝰ temporis liquet. Nam Victor in Vandalica persecutione, meminit cuiusdam Epidophori, Carthagine in ecclesia Fausti baptisati, quem Mirita uenerabilis diaconus de alueo fontis generatum susceperit. libro tertio.

De forma baptismi clarissimum extat testimonium in Theodulo, qui fuit Cœlosyrię pastor. is expressè scribit, fieri submersionem & intinctionem per nomen patris & filij & spiritus sancti: in 9. cap. epistolæ ad Romanos. In eadem enarratione, in 6. cap. uidetur significare trinam mersionẽ, sic scribens: Nam tres obitus & ortus, hoc est triplex illa tinctura, mortem & resurrectionẽ significat. Augu-

Augustinus libro quinto Hypognosticicontra Pelagianos, distinctione prima, uerborũ formam exprimit: Quisquis, inquit, in Christo tingitur, in nomine patris & filij & spiritus sancti, quod est plenitudo diuinitatis, in remissionem peccatorum salutis gratia baptisatur. Ita Isychius quoque dicit, baptisma agi in nomine patris, atq; ipsius unigeniti filij, & sancti spiritus. libro quarto in 14. caput Leuitici. Eucherius Lugdunensis dicit, aqua perfusos baptisantes: in Commentarijs in libros Regum.

Adultos quoq; depositis uestibus nudos baptisatos, indicat historia quam Nicephorus recitat lib. 13. cap. 19: Armis, inquit, baptisterium circumuallatum est, & mulieres eo tempore in ædibus sacris propter baptismũ uestibus depositis nudæ, præ timore grauis eiusmodi impressionis profugere.

De nominum impositione unum hoc ex Chrysostomo monemus, q̃ Chrysostomus reprehẽdit nouum morem, quo repudiatis nominibus sanctorum, talia imponerent liberis, quę aliquam longę uitę significationẽ haberent. in 4. caput ad Corinthios.

De signatione crucis, & alijs quibusdam ineptijs, (ut de superstitiose (si tamen sunt eius autoris) loquitur: Quod signum, inquit, nisi adhibeatur, siue in frontibus credentiũ, siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo quo chrismate unguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum rectè perficitur. Tractatu centesimo decimo octauo, in expositione decimi noni capitis Euangelij Ioannis.

Eucherius de manuum impositione dicit: Lauatur namq; in lutere hostia, cum quis fidelium aqua baptismi perfunditur: offertur uerò in holocaustum, cum per impositionẽ manus episcopi, donum Spiritus sancti accipit. libro tertio Commentariorum in libros Regum.

De unctione & communicatione autem post baptismum, meminit libro quarto eorundem Commentariorũ: In descensu fontis, inquit, originali peccato ac pristinis uitijs per baptismum, qui Christo crediderit, morietur. Vnde sublatus ad sacri altaris cœnaculum, per unctionem chrismatis, & inuocationem patris & filij & spiritus sancti, communionemq́; corporis & sanguinis Domini uiuificari manifestum est. Chrismatis meminit Faustus lib. primo de libero arbitrio, capite decimo quinto. ac de hæreticis (in Trinitatis tamen nomine baptisatis) cõuersis scribit, eos nõ egére baptismatis itera tione, sed tantum benedictione chrismatis eos indui debere. De Clodoueo Francorũ rege conuerso, & baptisato à Remigio, commemorat Gregorius Turonensis libro secundo, capite uigesimoprimo, quòd & ipse postea sacro chrismate sit delibutus. Hincmarus & alij recitant etiam miraculum, cum non esset ad manum pontifici Remensi sacrum oleum, quo Regem inungeret, cœlitùs nimirum columbam pixidem sacrati unguẽti attulisse, quo sit deinde rex unctus. Sed Turonensis, qui aliàs diligentissimè pompam baptisati regis describit, eius non meminit.

¶ De infantibus extant testimonia in Augustino, quod ipsis statim post baptismum etiam sacramentum corporis & sanguinis Dominici sit exhibitum. nam epistola centesima septima ita inquit: Vnde & ipsi, si in illa parua ætate moriũtur, scilicet infantes, utiq; secundum ea quæ per corpus gesserũt, id est quo in corpore fuerunt, & quando baptisati uel non baptisati sunt, quando carnem Christi manducauerunt uel non manducauerũt, quando & sanguinem biberunt uel non biberunt. Et libro quinto Hypognosticon contra Pelagianos: Quomodo, inquit, uita regni cœlorum prõmittitur paruulis, non renatis ex aqua & Spiritu sancto, non cibatis carne, atq; non potatis sanguine Christi, qui fusus est in remissionem peccatorum?

¶ Postremò de uestitu aliquid attingendum. Historia Vandalicę persecutionis testatur, linteamine quodam fuisse amictos, statim postquam è baptismi lauacro leuati fuerunt. Ita Mirita quidam, Carthaginensis ecclesiæ minister, dum esset cruciandus, exprobrat apostasiã suo carnifici, quem olim ipse de baptismate susceperat, ostentãdo crebra ea quibus illum texerat linteamina.

Eundem ritum Ariani obseruarunt, nimirum quòd linteamine cinxerint, quos baptisarunt. Chrysostomus sermone octauo de resurrectione narrat, Neophytos ultima Paschatis festiuitatis die habitum cõmutare.

Baptisatis, præsertim adultis, etiam munera & pecuniæ donatæ sunt. nam eiusmodi quædam de Iudæo quodam commemorat Socrates. Is namq; Christianam pietatem simulans, ut multum pecuniæ colligeret, sæpius atq; iterum iam apud hos, iam apud illos baptismatiterauerat. Ei etiam splendidam uestem Nouatianorum Constantinopoli parochus coemerat, quem baptisatus indueret. libro septimo, capite 17.

CASVS.

Hæreticos, (maximè in quorũ baptismo forma uerborum de tribus diuinitatis personis fuerat seruata) apostatas & schismaticos non esse rebaptizatos, scriptores huius temporis manifestè produnt. Nam Augustinus in dialogo Quæstionum ad Orosium, quæstione 59. sic scribit: Ecclesia hæreticos in nomine Trinitatis baptizatos, extra eccle siam non rebaptisat: sed si reuersi fuerint,

accipiunt uirtutem Spiritus ſancti: quem hi qui extra Eccleſiam baptizantur, nondum habent. De apoſtatis ſic refert: Apoſtatæ ſi redeant, non quaſi baptiſmum amiſerint, baptizantur: ſed quòd in ſe permanenti iniuriam fecerint humiliantur. libro ſecundo contra literas Petiliani, capite quadrageſimoſeptimo. Idem de hæreticis & ſchiſmaticis inquit: Ea quæ ſchiſmatici uel hæretici corruperunt, cum ad nos inde ueniunt, corrigimus: quæ uerò ſicut acceperunt, tenuerunt, agnoſcimus & probamus, ne commoti humanis uitijs, ultra inſcitiã faciamus ullam diuinis rebus iniuriam. libro primo cõtra Creſconium Grammaticum, capite triceſimo. Et libro ſecundo, capite duodecimo contra eundem: Ideo, inquit, uobis non uidentur mundari, cum ad nos à uobis tranſeunt, quia non denuò baptiſantur, quaſi ſolo baptiſmo (QVEM REPETI NON OPORTET, cum idem atque unus eſt) homines ab errore mundentur. Mundãtur & uerbo, mundantur & ſacrificio contriti cordis, &c. Libro de unico baptiſmo cõtra Petilianum, capite tertio. copioſè idem Auguſtinus docet. ac de Iudæis quidem cõmemorat, quomodo in doctrina Eccleſiæ, & præſertim articulo de Chriſto, diligenter ſint inſtituti.

Cæterùm non eodem loco & recepti & habiti ſunt, qui ad Eccleſiam acceſſerũt. Nã fuit alia ratio eorum qui nunquam in Eccleſia antè fuerunt, & alia eorum qui deficientes eam deſeruerunt. Sic enim ſcribit Auguſtinus libro ſecundo contra Creſconium, capite decimoſexto: Seductores fideliũ Chriſtianorum, uenientes ad Chriſtum ſeductis redeuntibus præponuntur, unde iſti & epiſcopi fieri poſſunt. Et pòſt: Hoc diſcernitur apud nos, quòd aliter recipiantur qui catholicam reliquerunt, aliter qui ad illam primitùs ueniunt. illos enim grauat amplius crimen deſertionis: hos autem non à ſe diruptum, ſed cognitum & retentum uinculum releuat unitatis. Et libro de unico baptiſmo contra Petilianum, capite duodecimo inquit: Nec ad clericatum admittuntur (loquitur de ijs qui Eccleſiam deſeruerunt) ſiue ab hæreticis rebaptizati ſint, ſiue apud illos clerici uel laici fuerint. Et qui hæc noſtrorum negligenter agunt, & eos fortè clericos in catholica faciunt, uel eſſe permittunt, quamuis à diligentioribus fraterno iure culpentur, tamen nec ipſi eis clericatum deferendum putant, niſi quos ab illis malis uel nouerunt emendatos eſſe, uel credunt.

De hæreticis non rebaptiſandis, meminit etiam Fauſtus Galliæ epiſcopus libro de libero arbitrio primo, capite decimoquinto: Cui autem, inquit, baptiſmum non profuiſſe poteris edocere: cum etiam hæretico in Trinitatis nomine regenerato, tantum per ſe uirtus ipſa myſterij conferat, ut ſi poſtmodùm ad Chriſti fidem tranſeat, baptiſmatis iteratione non egeat: ſed ita operante gratia ablutus iudicetur, ut tantum benedictionis chriſmatis induatur?

De infantibus, quorum de baptiſmo non certò conſtat, neque uel certi teſtes, uel etiam ipſi per ætatem rationem de baptiſmate accepto reddere poſſunt, conſtituit quinta Carthaginenſis ſynodus, ut ſine ullo ſcrupulo ſimpliciter baptiſentur. ſi quidẽ accidit, ut in iſta graui Aphricæ afflictione redempti à barbaris ſint infantes, quorum de baptiſmate dubitabatur. Extat de conſecratione diſtinctione quarta: Placuit de infantibus. item ſexto canone eiuſdem Concilij, quod extat ſub decretis Anaſtaſij primi Romani pontificis, in primo Conciliorum tomo. Item in Aphricano concilio, canone 39. ſub Bonifacio primo, ibidem.

¶ Iam & hoc adijciendum eſt, non modò ægrotos, uerùm nonnullos in extremis exiſtentes, ipſamq; iam animam agentes, baptiſmi undis ablutos eſſe. Nam ſic de catechumenis diſſerit Auguſtinus, inquiens: Catechumenis in huiꝰ uitæ ultimo cõſtitutis, ſi morbo uel caſu aliquo ſic oppreſsi ſint, ut quamuis adhuc uiuant, petere ſibi tamen baptiſmum, uel ad interrogata reſpondere non poſsint, profit eis quorum in fide Chriſtiana iam nota uoluntas eſt, ut eo modo baptiſentur, quo baptiſantur infantes, quorũ uoluntas nulla adhuc patuit. Et paulò pòſt: Incredibile eſt, nec in fine uitæ huius catechumenum baptiſari uelle. Verùm etiamſi uoluntas eius incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quàm uolenti negare. lib. primo de adulterinis coniugijs, ad Pollentium capite uiceſimoſexto. Et eodem libro, capite uiceſimooctauo, in eandem ferè ſententiam ſcribit: Ego non ſolùm alios catechumenos, uerùm etiam ipſos qui uiuentium coniugijs copulati retinent adulterina conſortia, cum ſaluos corpore in his permanentes non admittamus ad baptiſmum: tamen ſi deſperati & intra ſe pœnitentes iacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptiſandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lauacro regenerationis abluatur. Cõgruit cum Auguſtino Chryſoſtomus, de eiſdem caſibus & ipſe diſputans, nimirũ quoſdam ad extremum uſq; uitæ tempus, cum propè reddendus eſſet ſpiritus, baptiſma diſtuliſſe: & quoſdam etiam in nouiſsima demum expiratione ſuſcepiſſe: idque ideo feciſſe, ut interea temporis liceret indulgere peccatis. quod grauiſsimè reprehendit in ſeptimum caput epiſtolæ ad Hebræos. Item homilia prima in acta Apoſtolorum, ubi

ubi etiam amplius subijcit: uidelicet quòd etiã mortuis iam sit infusa aqua. Quod itidẽ reprehendit, dicitque nihil esse quàm sancta in terram proijcere.

Carthagini quædam de primarijs illius urbis matrona pietatis studiosissima, Innocentia nomine, in mamilla cancrũ habebat: cum à quodam medico suæ familiæ familiarissimo cognouisset, malum id esse huiusmodi, quod nullã prorsus curã admitteret, nec posset ullis unquam medicamentis curari, conuerterat se ad preces. Sub ipsum ergo Pascha tis tempus in somnis monita, ut in parte fœminarum obseruaret ad baptisteriũ, & quæcunque ex fœminis baptisatis prima ei occurrisset, signaret ei locum affectum signo crucis Christi. sicque fecit, & statim sanitas est secuta. Fides sit penes authorem. Augustinus libro de ciuitate Dei uicesimosecundo, capite octauo.

Iudæus quidam (ut refert Socrates) à multis iam annis lecto decubuerat paralyticus: & cum nullis non medicamentis attenteret, abieceratiam omnem spem curationis humanæ. Cæterùm uenit ei in mentem potentiæ baptismi Christianorum: qua re de Christianismo suscipiendo secum statuit. Dat ergo nomen apud primarium Constantinopoli ueræ Ecclesię ministrum, seque baptisari petit, spem fouens, ubi sacrum baptisma suscepisset, se & corpore melius habiturum. Nec fuit spes ipsius uana: post breuis namque temporis institutionem, unà cum lecto ad baptisterium allatus, ac in sacrum lauacrum demissus, & peracto ritu inde rursum leuatus, non modò animo, sed & corpore iam rectè habere cœpit, & restitutis membris integrè ualetudinem recuperauit. libro septimo, capite quarto.

Commemorat idem de quodam alio Iudæo, qui propter munera baptismum à Paulo Nouatianorum pastore Constantinopoli petebat. nam uase aqua repleto ad baptismi usum, semel atque iterum euanuit. Quo miraculo plures accurrentes, indicant Paulo, istum hominem prius quoque in eadem urbe ab Attico baptisatum. Sic miraculo doctus Iudæus patefactus est. libro septimo, capite decimoseptimo.

DE CLAVIBVS.

DE excommunicatione loquitur Isychius figuratè, eam ignem appellans pœnalem: & ab Ecclesia per ministros irrogari, in eos qui spiritum Dei blasphemant in Scripturis: id est, in falsos doctores, Scripturas adulterantes, & aliena docentes. Ac in specie pòst addit, qualis illa pœna fuerit: nempe quòd tum à ministerijs sint repulsi, tum etiam prorsum ex Ecclesiæ cœtu eiecti. in caput decimum Leuitici, libro secundo. Meminit huius nerui etiam Augustinus: Non quia illam primi populi commixtionem Moses patientissimè perferebat, ideo non in multos etiam gladio uindicauit. Et Phinees sacerdos, adulteros simul inuentos ferro ultore confixit. Quod utiq; degradationibus & excommunicationibus significatum est esse faciendum in hoc tempore, cum in Ecclesiæ disciplina uisibilis fuerat gladius cessaturus. libro de fide & operibus, capite secundo. Et libro tertio contra literas Petiliani, capite triceſimoseptimo: Ecclesiastica disciplina non negligitur à constantibus, diligentibus & prudentibus dispensatoribus Christi, ubi crimina ita manifestãtur, ut nulla possint probabili ratione defendi. Extant innumerabilia documenta in eis qui uel episcopi, uel alterius huiuscemodi gradus clerici fuerũt: & tunc degradati, uel pudore in alias terras abierunt.

Prosper libro secundo de uita Contemplatiua, capite septimo, de processu, fine & usu quodammodo excommunicationis commonefaciens, pulcherrima similitudine utitur hoc modo: Ecce autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confitori nolentibus undecunque claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, uelut igni quodam piæ increpationis urenda sunt, & curanda. Quòd si ne sic quidem, dum æquanimiter sustinentur, ac piè increpantur, medela profecerit in eis qui diu portati & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi: ne sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit, ita isti qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant.

Iohannes Chrysostomus cum uideret quosdam è collegio sui ministerij parũ piè sese gerere, nec post correptionem de emendatione cogitare, interdixit eis sacris: ut habet Theodoritus lib. 5. cap. uicesimooctauo. Sozomenus addit, nonnullos etiam prorsum eum Ecclesia eiecisse. libro octauo, capite quarto.

Innocentius Romanus episcopus excommunicauit tum ipsum Imperatorẽ Arcadium, eiusque coniugem: tum etiam Ecclesiasticos illos, quorum peruersis studijs & reproba condemnatione Chrysostomus eiectus fuerat. Libet autem ex Nicephori libro tredecimo, capite triceſimoquarto, totum locum adscribere. Vox sanguinis fratris mei Iohannis clamat ad Deũ

cõtra te, ô Imperator, ſicuti quondam Abel iuſti contra patricidam Cain: & is modis omnibus uindicabitur. Nec id modò admiſiſti, ſed etiam pacis tempore perſecutionẽ magnam aduerſus Deum & Eccleſiam eius concitaſti. Eieciſti è throno ſuo, re non iudicata, magnum totius orbis doctorem, & unà cũ eo CHRISTVM perſecutus es. Neque de illo ita queror (ſortem enim ſeu hæreditatem cum ſanctis Apoſtolis in Dei & Seruatoris noſtri IESV CHRISTI regno conſecutus eſt) quamuis intolerabilis iactura ea ſit: ſed affligor propterea, quòd primùm de animarum ueſtrarum ſalute, deinde de eis qui ſapientiſsima ſpirituali & diuina doctrina & inſtitutione eius orbati, fame uerbi Dei conficiuntur, ſum ſolicitus. Non enim eccleſia tantum Conſtantinopolitana mellitæ illius linguæ iacturam fecit: ſed & orbis ſub ſole totus ad orbitatem redactus eſt, uiro tam diuino amiſſo, perſuaſione unius mulieris, fabulam hanc & ſpectaculum exhibentis. Verùm excipiet illa & præſentem hic pœnam, & futurum ſempiternum ſupplicium, non poſt multos hoſce dies ei aduenies. Tametſi enim beatus Iohannes uitam reliquit, fide ſeruata, & fluctuantibus confirmatis: in æterna tamen ſecula ſempiternarum deliciarum & immortalis uitæ hæreditatem eſt conſequutus. Noua autem Dalila Eudoxia, quæ paulatim te erroris ſeu ſeductionis nouacula totondit, execrationem ex multorum ore ſibijpſi induxit, graue & quod geſtari nequeat peccatorum pondus colligans, atq; id prioribus peccatis ſuis ſuperaddens. Itaq; ego minimus, & peccator, cui thronus magni apoſtoli Petri creditus eſt, ſegrego & reijcio te & illam à perceptione immaculatorum myſteriorum Chriſti Dei noſtri: epiſcopum etiam omnem, aut clericum ordinis ſanctæ Dei Eccleſiæ, qui adminiſtrare aut exhibere ea uobis auſus fuerit, ab ea hora qua præſentes uinculi mei legeritis literas, dignitate ſua excidiſſe decerno. Quòd ſi, ut homines potentes, quenquam ad id ui adegeritis, & canones uobis à Seruatore per ſanctos Apoſtolos traditos tranſgreſsi fueritis: ſcitote, non paruum id uobis peccatum fore, in horrenda illa iudicij die, quum neminem huius uitæ honor & dignitas adiuuare poterint, arcana autem & abdita cordium ſub oculos omnium effundentur atque exhibebuntur. Arſacium, quem pro magno Ioanne in thronum epiſcopalem produxiſtis, etiam poſt obitum exautoramus, unà cum omnibus qui conſultò cum eo communicarunt epiſcopis: cuius etiam nomen ſacro epiſcoporum albo non inſcribatur. Indignus enim eo honore eſt, ut qui epiſcopatum quaſi adulterio polluerit: Omnis ſiquidem plantatio quæ à patre noſtro in cœlis plantata non eſt, eradicabitur. Ad Theophili abrogationem, addimus excommunicationẽ, anathematiſmum, & abſolutam à Chriſtianiſmo alienationem.

Neſtorius hæreticus ab Epheſina ſynodo dãnatus, ab epiſcopali functione amotus, & ex collegio Eccleſiaſticorum prorſum eiectus, inſuper & exilio eſt multatus: ſicut narrant Socrates libro ſeptimo, capite triceſimoquarto: Euagrius libro primo, capite quarto.

Eandem damnationis pœnam expertus eſt & Dioſcorus, amotus & ipſe loco miniſterij, & in exilium demum eiectus, quòd Eutychis patrocinium ſuſcepiſſet, quem & ipſum duæ ſynodi prouinciales Conſtantinopoli damnauerãt. Euagrius libro primo, cap. nono: item lib. 2. cap. 4.

Priuſquam autem ad executionem properaret Eccleſia, frequentes & ſerias adhibebat admonitiones, ut ſi quo modo fieri poſſet in uiam redirent, qui deliquerant. Ita Chryſoſtomus, non niſi prius ſedulò ac crebrò de emendatione commonefactos, ecclesia eiecit: ſicuti paulo ſuprà ex Theodoreto & Sozomeno diximus.

Imperator quoque Arcadius ab Innocentio, de iniuſta Chryſoſtomi cõdemnatione diligenter & plenè admonitus, & de cauſa denuò & ab integro in uniuerſali cõcilio decidenda ſollicitatus, cũ ueluti torpeſcẽs nihil moueretur, & miniſterij authoritate parcleſiæ, ab officio ſunt remoti, interdũ etiam prorſus Eccleſia eiecti, atq; ad exiliorũ locs deportati: idq; propterea, quia nouorũ dogmatũ uel inuentores, uel defenſores, uel alioqui inſignibus delictis obnoxij fuerunt, in quibus ſine pœnitentia cõtumaciter perſeuerarunt. Homines uerò politici, à publicis Chriſtianorum congreſsibus ſunt excluſi, & à ſacramentorũ perceptione prohibiti, donec reſipiſcerẽt: ſicuti in formula de Imperatore Arcadio exponitur.

Qui ob tetra facinora in legum pœnas incidiſſent, ac piorum interceſsionibus à magiſtratu & iudiciorum ſeueritate abſoluti fuiſſent, nihilo tamen minus à ſocietate altaris remoti ſunt tantiſper, dum & ipſi pœnitentiam coram Eccleſia egiſſent, uelut ex Auguſtini epiſtola quinquageſima quarta, huius rei expreſſum extat teſtimonium.

Extat cõcilij Toletani Canon, q ſancit, ut cũ ijs qui per excommunicationem ab Eccleſia ſunt ſeparati, nemo ullam conuerſationem habeat. Quòd ſi quis uel laicorũ, uel ex

ex clero fecerit, ipſe quoq; reijciatur. Can. undecimo, quæſtione tertia: Si quis laicus. Idem concilium ſimilia ſtatuit & de uirgine, ſi quæ cum ipſa tempore illo familiaritatem habuerint. 27. quæſtione prima, Deuotam peccantem non.

Recepti autem ſunt, non niſi de admiſsis peccatis ritè pœnitentiam agentes: idq; aliquo publico ritu, & certo teporis interuallo, prius exploratione facta. Vnde ijs peculiare nomen inditum, ut Pœnitentes dicerẽtur: quorum Auguſtinus & Chryſoſtomus ſæpe meminerunt. Nam hic in primum cap. epiſtolæ ad Epheſios, Sermone tertio diſertè hac de re ſcribit.

Apparet, agentes pœnitentiã corã Eccleſiæ cœtu proſtratos iacuiſſe. nam ſic refert de Theodoſio priore: Eccleſiaſtica coercitus disciplina, ſic egit pœnitentiã, ut Imperatoriã celſitudinem, pro illis populus orãs, magis fleret uidendo proſtratã. Proculdubio enim Auguſtini tẽpore adhuc eadem ratio obſeruata eſt. Eſt & hoc obſeruandũ in eadem hiſtoria, quòd pro pœnitentib. orarit populus. de ciuitate Dei lib. 5. cap. 26.

Porrò manuũ impoſitione pœnitentes abſoluti ſunt: ſicut ex narratione Victoris de perſecutione Vandalica lib. 2. apparet: Qui nobis, inquit, pœnitẽtiæ manus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorũ uinculis ſoluturi. Liquet hoc etiam ex Canone concilij Carthaginenſis quinto, qſtatuit: Presbyteris uel diaconis, ſi quando de aliqua graui culpa non uicti, à miniſterio remoti fuiſſent, manus non imponerentur, ut pœnitentibus, uel alijs ex fidelium numero laicis, diſtinctione quinquageſima: Confirmandũ eſt. Ad eundẽ modũ Fulgentius ſcribit: Illa ægrota, accepta manus impoſitione, pœnitentiã, ſecundũ morẽ quem habet Chriſtiana religio, peregiſſe dicitur. epiſtola prima de coniugio debito.

De rigida diſciplina erga receptos, Auguſt. ita ſcribit: Vt enim in Eccleſia cõſtitueretur, ne quiſquã poſt alicuius criminis pœnitentiã clericatũ accipiat, uel ad clericatũ redeat, uel in clericatu maneat, nõ deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factũ eſt diſciplinę. lib. de correctiõe Donatiſtarum, ad Bonifaciũ, cap. 26. Et paulo pòſt: Vt poſt actã de crimine dãnabili pœnitentiã, nemo ſit clericꝰ, &c.

Extat etiã Canon concilij Toletani, qui uetat, eos qui per pœnitentiã recepti ſunt, deinceps in cleri ordinẽ admittere, niſi neceſsitate cogente: & tũc lectoris ipſis aut oſtiarij locũ cõcedit. Si qui uerò antè diaconi fuiſſent, iam ſubdiaconi munꝰ adminiſtrẽt. diſtinctione quinquageſima: Placuit. Qui poſt ſemel actam pœnitentiam in priora aut grauiora peccata relapſi eſſent, penitus in perpetuum ab Eccleſia excludebantur, nec eis denuò per pœnitentiam redeundi locus relictus erat: non quòd propterea omnis ſpes ueniæ peccatorum etiam coram Deo omnino fuerit præciſa, ſed ut diſciplinæ rigore delinquẽdi licentia reprimeretur. Qua de re perſpicuè docet Auguſtinus epiſtola quinquageſimaquarta ad Macedonium: In tantum, inquiens, hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconliationem, uel ſimilia, uel grauiora committant: & tamen Deus facit ſuper tales etiã ſolẽ ſuũ oriri, &c. Et quamuis eis in Eccleſia locus humilimæ pœnitentiæ non concedatur: Deus tamẽ ſuper eos ſuæ pœnitentiæ non obliuiſcitur. Et rurſum: Quamuis ergo cautè ſalubriterq; prouiſum eſt, ut locus ille humilimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina uilis, minus utilis eſſet ægrotis: quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit. Meminit huius rigoris & Cyrillus Alexandriæ epiſcopus: In grauioribus enim criminibus ſemel tantum pœnitẽtiæ conceditur locus, inquiens. Iſta uerò cõmunia quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.

Poſtremò eò uſq; huius diſciplinæ ſeueritas proceſsit, ut nec mortuis pepercerit. Ita poſt obitum ſuum exautoratus eſt Arſacius, Chryſoſtomi in Eccleſia apud Conſtantinopolitanos ſucceſſor, cum omnibus qui conſultò cum eo communicaſſent. imò & nomen ipſius ex epiſcoporum albo expunctũ fuit: ut narrat Nicephorus libro tredecimo, cap. triceſimoquarto. Auguſtinus de Cæciliano Carthaginẽſi olim epiſcopo, ad eundem modum dicit, ſe ipſum quamuis mortuum excommunicaturum, ſi ea quæ à Donatiſtis ei fuiſſent obiecta, uera eſſe monſtrari poſſent. epiſtola ad Bonifacium, uirum militarem, quinquageſima.

CASVS.

Monachus quidam Imperatorem Theodoſium poſteriorem, inuerecundius interpellans de neſcio qua petitione, cum ſæpius eidem eſſet moleſtus, nec tamen quod cupiebat optatum ferret: magna Imperatori confidentia Eccleſiæ communione interdicit, atque diſcedit. Imperator reuerſus in regiam, cum iam appoſita menſa accumbendi tempus eſſet, ne guſtare quidem de epulis uoluit, niſi prius ab eo quo ligatus uidebatur, excõmunicationis uinculo exemptus eſſet. Mittit igitur ad Eccleſiæ paſtorem, petens ut eũdem ipſum qui ligaſſet, ſe etiam ſoluere iuberet. ille uerò Imperatori renunciat, iam antea ſe eſſe ſolutum: nec

ullo

ullo modo pro legitima excommunicatione admittendam, quam quilibet quacunq; temeritate & propria libidine sibi usurpare prę sumpsisset. Verùm Imperator eo responso minimè contentus, nequaquam acquiescere potuit, nisi per eum ipsum, à quo exclusus erat, Ecclesiæ communioni esset legitimè restitutus: id quod etiam factum est.

¶ In fine non prorsum alienum erit, si monuerimus, usurpari apud authores etiam huius Centuriæ, uocabulum Satisfactionis, & plerunq; cum pœnitentiæ nomine coniungi. Quod tamen pro re nulla alia accipere ipsi uidentur, quàm pro ipsa pœnitentia, & externa satisfactione coram Ecclesia. Ita est apud Cyrillum libro duodecimo in Leuiticum, ubi inquit: Si quis sibi conscius est, quòd habeat intra se mortale peccatum, neque id à se per pœnitentiam plenissimæ satisfactionis abiecit, &c. Ita & Eucherius: Postquam enim fidelis quis pristinis uitijs per pœnitentiæ satisfactionem sua mortificauerit membra, &c. libro quarto in libros Regum, numero quinto. Leo quoque Romanus episcopus in epistola ad Flauianum, meminit coniunctim, de Eutyche inquiens: Vel si ad satisfactionis pœnitudinem damnauerit. Ex Isychio tamen non obscurè apparet, peculiarem fuisse satisfactionis ritum. Sic autem scribit: Nunc dicit de eo qui multum peccauit. hic ergo si offerri Deo uult, stabit coram sacerdote, ut quantum uiderit eum posse, æstimet eum reddere, regulam ei uitæ imponens, quæ est secundum uirtutem: mensuramq; Philosophiæ indicens, quam eum probauerit posse portare. Verbi gratia, si locuples est, ut distribuat pecunias: si sanus est, ut ieiunijs & orationibus alijsq; laboribus bonis uacet: si autem & locuples est, & sanus, quæcunque diuitiæ & salus ei suggerunt, agere iubetur: si autem neutrum, in oratione flere: ut breuiter dicamus, quodcunque eum uiderit per corpus, aut per substantiam, aut per aliam ualetudinem aut facultatem posse peragere. libro septimo in uicesimumseptimum caput Leuitici, item in sequentibus.

RITVS COENAE *Dominicæ.*

ETsi episcopi, utpote præcipuæ in Ecclesia personæ, qui & doctrinam ueram tradiderunt, sacramenta à Christo instituta utplurimùm ipsi administrarunt: tamé & alij ministri Ecclesię inferiores, idem præstiterunt. sicut Augustinus libro uigesimosecundo de ciuitate Dei, capite decimo scribit, sacerdotes sacrificare. nam ita locuti sunt patres, imitantes uocabula ueteris Testamenti. Sic quæstione centesima prima ueteris & noui Testamenti dicit: in Alexandria & per totam Aegyptum, si desit episcopus, consecrare presbyterum.

Neq; uerò certo loco cœnam Domini alligarunt, quamuis in publicis conuentibus plerunq; ea usi sint. Isychius certè lib. 2. in octauum caput Leuitici omnino id requirit, ut in Ecclesia, hoc est congregationibus publicis sacramenta tractentur. fortè abusum taxauit, quòd præter necessitatem euidentem, clàm & in angulis parum rectè id fieret. Necessitate aũt cogente liberè quouis loco sese isto sacramento confirmarunt. Victor de persecutione Vãdalica narrat, pios propter Arianorũ sæuitiã in priuatis domibus & cõuentus habuisse, & sacramentis legitimè fuisse usos: libro tertio.

Vsi aũt sunt in distributione cœnę Dominicæ mensa quadã, quam quidé ipsi Dominicã appellant: aliàs etiã, phrasi ex ueteri Testamento petita, altare. Tractatu 26. expositionis in Euangeliũ Ioannis dicit Augustinus Sacramentũ corporis & sanguinis Christi in Dominica mẽsa præparari, & de mẽsa Dominica sumi. Eandé mẽsam ibidem etiã altare nominat, idq; aliquoties: Quàm multi, inq;, de altari accipiũt, & moriũtur? Mensam Domini nominat etiã epistola 59: In celebratione (inquit) sacramentorũ, priusquã illud ęne Domini mẽsa est, benedici incipit, &c. in Chrysost. similiter utrãq; habet appellationem, ut in Comment. in caput 11. prioris ad Corinth. Quo in loco inqt, nos Christi corpus nõ in præsepi ut magos, sed in altari uidere. Et paulo pòst: Ipsa nãq; mensa animę nostræ uis est. Itẽ in 1. cap. ad Ephesios, & alibi sæpius. Apparet ex Chrysostomo, ęam mensam non fuerit licitũ attingere, nõ modò nõ initiatis, sed nec initiatis quibuuis, imò nec omnib. sacerdotibus: Hom. 9. in 3. cap. Actorũ. id quod uel næuus est, uel cerè reprehensio eorum qui temerè sineq; uocatione cœnam uoluerunt dispensare. Nam ordo quidam in Ecclesia necessarius est.

Vasis mundis ad materias cœnæ administrandas usi sunt, ac mensam spongia lauerunt, non superstitione quadam, sed necessitate proculdubio: sicut ex Chrysostomo liquet, in 1. cap. ad Ephesios. Calicis appellatione utitur Chrysostomus, hom. 17. in 10. caput ad Hebræos. Habet & uocabulum crateris, in Serm. de Eucharistia in Encæniis. Prosper ait: A' quodam diacono suggestum est, ut calicem salutarẽ gutturi eius pontifex applicaret. cap. 6. de promissionibus & prędictionibus Dei dimidij temporis.

Veli quoq; fit mentio apud Chrysostomũ (in 1. cap. ad Ephesios, Serm. 3.) quando actione incipiẽte sublatũ est, ut omnia publicè & in conspectu omniũ agerentur: Quando (inquit) audis, Precemur pariter omnes, dum

dum uides sublata uela, tum cogita cœlũ ipsum sursum reserari, angelos q; descendere.

Tempore, quo usæ sunt cœna Domini, Ecclesiæ uariarunt. Augustinus tractatu uicesimosexto expositionis in Euangelium Ioannis scribit: Sacramentum corporis & sangui nis Christi alicubi quotidie, alicubi certis dierum interuallis, de Dominica mensa sumi. Ita etiam epistola centesima decimaoctaua ad Ianuarium inquit: Alibi nullum diem intermitti quo non offeratur, alibi sabbato tantum & Dominico, alibi tantum Dominico. item feria quinta ultimæ hebdomadis Quadragesimæ, in nonnullis Ecclesijs bis peragi cœnam Dominicam, mane & uesperi post cœnam: in nonnullis tantum uesperi. Et Prosper ait, Carthagini die Dominico illucescente oblatum matutinum sacrificium. cap. 6. de promissionibus & prædictionibus dimidij temporis.

De Orientalibus etiam Augustinus pronũciat, plurimos in illis partibus fuisse, qui cœnæ Dominicæ non quotidie cõmunicarint. lib. 2. de Sermone Domini in monte, in petitione quarta orationis Dominicæ, Panẽ nostrũ, &c. Imò semel tantũ in anno ad Dominicã mensam accessisse nonnullos, & quidẽ stato tẽpore aut Paschatos, aut Epiphaniorum, aut Quadragesimæ, Chrysost. testatur in 1. cap. ad Ephesios, Serm. 3. Hom. 17. in 10. caput epistolæ ad Ebræos, inquit: Non'ne per singulos dies offerimus? Offerimus qui dem, sed ad recordationẽ facientes mortis eius. Ac paulo pòst de communicantibus, quoties illi usi fuerint: Plurimi ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto anno, alij bis, alij sæpius. Eremitas semel tantum in anno, interdũ uix biennio sumpsisse hoc sacramentũ, ibidẽ expressè memorat. Postremò inqt: Hæc dicens, nõ ab una in anno perceptione uos uetо, sed uolo semper uos accedere. Sanctis hæc cõcessa sunt. Eodẽ modo adhortatione instituit in 1. cap. ad Ephesios, Serm. 3: Frustra, inquit, habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad altare: nemo est qui simul participer. Significat, ministros quidẽ promptos esse ad distributionẽ, uerùm paucos accedere. utitur enim usitata hyperbole, dicẽs Neminẽ accedere: cũ id pauci faciãt, raroq;.

De tẽpore, & alio loco Chrysostomus inquit: Nostis profectò qui initiati estis, id quod dicim⁹: siue sexta feria, siue sabbato, siue Dominica die, siue in celebritate martyrũ, eadem litatur hostia, idem sacrificium consumatur. Quotiescunq; enim mãducabitis panẽ hunc, & calicẽ bibetis, mortẽ Domini annunciabitis. in 10. cap. ad Ebræos, Serm. 17.

Communicaturi prius ieiunijs sese præparare solebant, ut testatur Chrysostomus: Tu aũt, inquit, priusquam arripias, ieiunas, ut aliquo modo dignus cõmunicatione uidearis. Cum aũt acceperis, & oporteret in continentia perseuerare, omnia perdis. in 11. caput prioris ad Corinthios, Hom. 27.

Non autem promiscuè quiuis ad communionem admissi sunt: ut Catechumenos, nõ initiatos, pœnitentes, & similes, excluserũt ad tempus. De catechumenis quidẽ ait Augustinus: Transeant per mare rubrum, id est baptisentur: & manducent manna, id est corpus & sanguinẽ Domini. tractatu 11. in expositione capitis tertij Euangelij Iohannis. Chrysostomi autem scripta probant, idem in Oriente obseruatum esse: & in primũ cap. Epistolæ ad Ephesios non modò à communione huius cœlestis mensæ prohibitos, sed etiam à tota actione exclusos quosdam, nominatim refert. Ac de catechumenis quidem sic narrat: Post acta mysteria accedere licet, ac uidere: præsentib. uerò mysterijs abito, nihil hic tibi quàm catechumeno plus licet. De pœnitentibus hoc modo: Præconẽ, inquit, audis stantem ac dicentẽ: Quotquot estis in pœnitentia cõstituti, abstinete. Itẽ: Si de pœnitentib. es, non debes participare. Addit aũt ueluti rationẽ: Quemadmodũ ad mensam accũbente hero, non licet ijs qui illum offenderũt, inter ministros adesse, sed è medio abigũtur: ita & hoc loco, dũ offertur oblatio. Ac rursus: Quẽadmodũ igitur nemini eorũ qui initiati non sunt, adesse licet: ita neq; initiatis, si sordidi fuerint. In 10. caput ad Ebręos, homilia 17. cõmemorat, quomodo diaconus in Ecclesia loco eminentiori, ut omnib. esset cõspicuus, cõstiterit, & sublatis in altũ manibus, uoceq; continua clamans, alios quidẽ uocarit, alios uerò prohibuerit accedere. Hom. 83. in caput Matthæi 26. monet grauiter ministros, ut quos manifesta improbitate teneri sciant, à sacra cõmunione arceant, nulla habita personę ratione, etiamsi sit dux, consul, aut etiam diademate ornatus. Et Isychius scribit, sacerdotẽ polluere mensam Domini, qui iniquitate pollutos nõ præcipit abstinere, sed indifferenter permittit terribilia illa & sancta contingere. lib. 6. in cap. 21. Leuitici. Et in cap. 22: Quando quis pœnitentiæ lachrymis ablutus fuerit, tunc sancta comedet, &c. Ibidem genera quædã interserit eorũ, qui ab ista cõmunione sint prohibiti: ut pagani & infideles, qui nõ rectè de sacramẽto senserũt, sed prophanè & carnaliter: item qui in ministerio ueluti mercenarij tantum, suum quærunt, sine omni pœnitentia.

Hæreticos non prius ad societatem communionis admissos, quàm legitimè hæresi abnegata, argumento est historiola quam recitat Sozomenus libro octauo, cap. duodecimo. Nam mulier quædã è Macedonia-

na hæ-

na hæresi ad catholicam Ecclesiam cõuersa, incircumspectè ad cõmunionem mysteriorum, priore hæresi nondũ abnegata, admissa erat: qua de causa Petrus archipresbyter accusatus est. Sed ipse respondet: illam se mulierẽ secundũ Ecclesię legem, & ipsius Theophili quoque uoluntatem, ad communionem admisisse. Narrat eandem historiam & Socrates libro sexto, capite nono.

Ammonium, & fratres dictos Lõgos, monachos, qui de iniurijs ab Alexãdrino Theophilo sibi factis Constantinopolim questũ uenerant, Chrysostomus ad cõmunes quidem in Ecclesia preces admisit: uerùm ad cõmunionem sacramentorum minimè, quod id ante causæ cognitionem fieri neutiquam liceret, ut refert Socrates loco paulo antè citato: & Sozomenus lib. 8. cap. 13.

Arsacio, eiusdemq; Ecclesiæ, cuius post iectum Chrysostomũ gubernationem adeptus fuerat Cõstantinopoli, cõmunicare noluerunt plurimi: in quibus & fœminæ erant, quarum uel præcipua fuit Olympias, quæ ne præfecti quidẽ minis uel mulctis cogi potuit. Sozomenus lib. 8. cap. 23. & 4.

Caládion, cui ecclesia Antiochena cõmẽdata erat, communicaturos damnare iubebat Timotheum Alexandrinum pastorem, & encyclicas Basilisci Imperatoris contra Chalcedonensem synodum literas. Euagri⁹ lib. 3. cap. 10. Econtrà uerò Timotheus iste, ad sacram synaxin accessuros Chalcedonensem synodum anathemate damnare iubebat. cap. sexto eiusdem libri, idem.

A' dæmonijs uexatos abstinuisse perpetuò à cõmunione Dominica in prouincijs Gallicanis, author est Iohannes Cassianus Collatione septima, cap. 29.

Quòd recens baptisatis, itẽ pueris quoq; sacra hęc Domini cœna sit exhibita, suprà de baptis. ex Augustino & Eucherio diximus.

Extat Canon cõcilij Toletani primi, distinctione trigesimaquarta. is ut in Conciliorũ tomo primo, sub decretis Anastasij papæ recitatur, arcet à cõmunione eos, qui simul cũ legitima uxore etiam concubinas alebant. Qui uerò absq; uxore concubinam tantum foueret, is non prohibebatur. Ministrorum Ecclesiæ uxorib. uiduis, si secundas nuptias fecissent, toto uitæ tempore singulari superstitione communio denegabatur, morientibus tantum exhibebatur. Canon decimusoctauus concilij Toletani 1.

Panis mentionẽ facit Iohannes Maxenti⁹ inquiens: Panis ille quem uniuersa Ecclesia in memoriam Dominicæ passionis participat, corpus eius est. in secundo dialogo contra Nestorianos, capite tredecimo. Panis fit apud Augustinum mentio, epistola ad Casulanum de ieiunio Sabbati octuagesima sexta: Eadem nocte fracturum panem, sicut frangitur in sacramento corporis Christi. Panis iuxtà & uini Chrysostomus, in sermone de Eucharistia in Encænijs: Num uides panem, num uinum? Vino tamen alicubi aquam admixtam fuisse, ex Augustino apparet, qui de aqua & sanguine Christi è latere effluente sic dicit: Aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lauacrum præstat, & potum. in expositione uicesimi capitis Euangelij Ioannis, tractatu cẽtesimo ac uicesimo. In libro de hæresibus ad Quoduultdeum, numero sexagesimoquarto scribit: Quosdã fuisse appellatos Aquarios, quòd aquam offerrent in poculo sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia. Similia etiam Chrysostomus habet homilia octuagesimaterria in uicesimumsextum cap. Matthæi. qui ipse etiam quosdam in sacris mysterijs aqua uti dicit, eosque propterea ut hæreticos reprehendit. Christum enim in institutione sacræ cœnæ non aqua, sed uino usum.

¶ Nunc ad ipsam actionem accedemus, de quibus Augustinus sic inquit: Precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud quod in Domini mensa est, benedici incipiat, orationes: cum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionẽ ferè omnis Ecclesia Dominica oratione cõcludit. Acrursum: Interpellationes aũt siue postulationes fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim Antistites uelut aduocati, susceptos suos permanus impositionem misericordissimè offerũt potestati. Quibus peractis, & participato tãto sacramento, gratiarum actio cuncta cõcludit. epistola 59. ad Paulinum.

De hoc ritu etiam Chrysost. docet Hom. 26. in 8. caput Matthæi: Idcirco enim altari assistens sacerdos, pro uniuerso orbe terrarum, pro absentibus, pro his qui ante nos fuerunt, pro his qui postea futuri sunt, sacrificio illo proposito, Deo nos gratias iubet offerre. Rursum homilia septuagesimasecunda in duodecimum caput Matthæi, de orationib. ad diuersos applicatis ita scribit: Et prima quæ in Eucharistia dicitur oratio, qua pro dæmoniacis deprecamur, misericordiæ suæ commemoratione plena est. Secunda, qua pro his oramus qui pœnitentiã agunt, misericordiam humiliter quæritant. Tertia etiam, quum nobis ipsis fundimus, uel infantes adducit, Deum ad misericordiã lachrymis inflectentes. Soliti sunt etiam ibi ꝑ benefactorib. suis preces dicere, sicut idẽ testatur inquiens: Parũ est, dic oro, in sanctis oblationib. nomẽ tuũ semper referri, & quotidie pro uilla ad Deũ preces fieri? Hom. 18. in octauum caput Actorum Apostolicorũ.

Forma

Formas quaſdam precum in uſum publicum traductas eſſe, apparet ex eodem Chryſoſtomo. ſic enim ſcribit: In ijſdem iterum horrendiſsimis myſterijs bene precatur ſacerdos populo, & bene precatur populus ſacerdoti. Nam CVM SPIRITV TVO, nihil aliud eſt quàm hoc, ea quæ ſunt Euchariſtiæ, id eſt gratiarum actionis, communia ſunt omnia. Neque enim ille ſolus gratias agit, ſed etiam omnis populus. Prius enim accepta illorũ uoce, deinde cõgregatis illis, ut dignè & iuſtè hoc fiat, incipit Euchariſtiam.

Sic porrò ſcribit de quibuſdam uicibus cantionum, ſiue interrogationum miniſtri & populi: Quid miraris, inquit, ſi cum ſacerdote populus loquitur? ubi ſanè & cum illis Cherubim & ſupernis poteſtatibus, communiter ſanctos hymnos perſonant?

Iam & huius particulæ SVRSVM CORDA, & HABEMVS AD DOMINVM, uerbo ad uerbũ meminit, in Serm. de Euchariſtia in Encœnijs: Quid facis homo? inquit. Non promiſiſti ſacerdoti, qui dixit, Surſum mentem & corda: & dixiſti, Habemus ad Dominum? Fuerunt autem nihil aliud, quàm piæ cohortationes ad preces & conſiderationes tantarum rerum.

Vtramq; autem Sacramenti partem pueris datam, etiam ex Chryſoſtomo patet: qui quidem diſertè affirmat, in huius Sacramẽti perceptione non eſſe potiores partes ſacerdotis quàm populi: ut in ueteri lege, ubi partem ſuam comedebat ſacerdos, partẽ populus, nec licebat populum participem fieri eorum quę erant ſacerdotis. nũc nõ ſic agi: uerùm omnibus ex æquo unum corpus & unum poculum proponi. Et memorabile eſt quod dicit: Omnes ex æquo dignos ut percipiant, nec quicquã omnino in ea re à ſacerdote differre ſubditũ, ut interpres reddidit. Hom. 18. in 8 cap. poſterioris ad Corinth.

Extat etiam Gelaſij Canon, qui decernit, aut prorſum abſtinendum à Sacramenti cõmunione, aut de integro ſeu utraque ſpecie participandum. Proſper ſcribit, puellæ cuiuſdã breuem particulã corporis Dominici tinctam à ſacerdote datam. Canone ſexto, De promiſsionibus & prædictionibus diuidij temporis.

In manus ipſorum, qui communicarunt, datas partes, aliquo modo animaduerti poteſt ex caſu illo, quem ſuo loco recitaturi ſumus: ubi mulier quædam ſimulans ſe ſumere quod datum erat, illud ipſum occultat, & panem communem (ut habet Nicephorus) ab ancilla domo allatum, pro ea ſumit. Idem propemodum colligi poteſt ex Canone decimoquarto concilij Toletani primi: Si quis aũt acceptam à ſacerdote euchariſtiã non ſumpſerit, uelut ſacrilegus propelletur.

Porrò Iſychius ſecundo libro in octauum caput Leuitici ſubindicat, ſi quid omnib. cõmunicatis reliquum fuit, incenſum & crematum eſſe.

¶ Peracta autem iam cœna, ſubſecuta eſt gratiarum actio, ſicut ſuprà attigimus: ac dederunt ſe quieti, qui communicauerunt, & ieiunio ſeu temperantiæ modicæ ſtuduerunt. quam quidem rem diligenter inculcat Chryſoſtomus, nõ tam legem ferens, quàm admonens, ne ebrietate aut luxuria deformetur ſacræ cœnę ſumptio. Hom. 27. in cap. 11. poſterioris ad Corinth.

Tandẽ etiam hoc addendũ uidetur, quòd in huius cœnæ celebratione martyrũ, & aliorum quoque defunctorum commemoratio facta ſit, tanquam in frequentioribus & publicis congreſsibus. Etſi aũt initiò tantùm fuerit recordatio quædam martyrum, ſeu teſtiũ inſigniũ ueritatis, & adhortatio ad ſimiles uirtutes: tamẽ paulatim acceſsit abuſus & falſa inuocatio, id quod etiã patet ex Auguſtino de Ciuitate lib. 20. cap. 9: itẽ lib. 22. capite 10. tractatu 84. Certè decimoquinto capite expoſitionis in Euangelium Iohannis inquit, Martyrum memorias celebrari, eosq; ad menſam Domini ſic commemorari, non quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis orent, ſed magis ut ipſi ꝓ illis orent. Non diſsimilia extãt in Chryſoſtomo, qui addit: eſſe ſanctionẽ Apoſtolicã, ut in celebratione myſteriorũ memoria fiat eorũ qui hinc diſceſſerũt, & hinc illis nõ parũ emoluméti accedere: fieri enim nõ poſſe, quin Deus placetur, uniuerſo populo eleuatis in cœlũ manibus: itẽ miniſtrorũ cœtu pro ipſis orante, tempore poſiti ſacrificij. Serm. 3. in 1. ad Philippenſes cap. Sic paulatim inuocatio mortuarũ creaturarũ inualuit, ſi tamen illorum pręſtantiũ uirorũ ſcripta non ſint falſata. Mortuorum quoq; epiſcoporũ mentionem factam, ex Socrate liquet, lib. 7. cap. 25. de Chryſoſtomo.

DE MISSA.

MIſſam celebraſſe in urbe Vaſatenſi, ab obſidione Hunorũ liberata, eius Eccleſiæ paſtorẽ, pro gratiarũ actione, refert Sigibert' in Chronico ſuo, ſub annũ quadringinteſimum & 53. uerùm ille conſuetudine ſui ſeculi perperàm recepta locutus eſt. Nã apud Auguſtinũ & Chryſoſt. uel alios huius ætatis ſcriptores, uocabulum Miſſæ non uſurpatur. nominant uerò Cœnã Dominicã, menſam Dominicam, Communionẽ, Synaxin, Sacrificium, Oblationẽ, Myſterium, celebrationem Sacramentorum, Euchariſtiã, Myſticam menſam. Chryſoſt. in Serm. de Euchariſtia. ibidem Myſtagogiam uertit Sozomeni interpres, libro octauo, capite uicesimo primo: Cœnam myſticam, epiſtola centeſima

tesima decimanona ad Ianuarium Augustinus: Horrendam & spiritualé mẽsam, Chrysostomus homilia 1. in Genesin. Apud Cassianum tamen legitur libro tertio de Canonico diurnarum orationum & Psalmorum modo, sexto capite: Illud quoque nosse debemus, nihil à senioribus nostris, qui hanc eandem matutinam solennitatem addi debere censuerunt, de antiqua Psalmorum cõsuetudine immutatum: sed eodem ordine Missam, quo prius in nocturnis conuentib. perpetuò celebratam. Capite sequenti uidetur eam uocem usurpare pro dimissione congregati cœtus, cum de eo qui non in tẽpore ad horas orationũ adest, scribat: illi non licere deinde ingredi in oratoriũ, sed stantẽ pro foribus congregationis missam præstolari debere. Ita cap. 8. bis pro fine soluti congressus, dũ inquit: Cõtenti somno, q nobis post uigiliarũ missam usq; ad lucis indulgetur aduentũ. Et rursum: Nisi post uigiliarum missam somni quantumcũq; gustauerit. Capite undecimo eiusdem libri, nõ obscura coniectura colligi potest, neutiquam pro actione cœnæ Dominicæ usum ipsum esse hac uoce. nam & peculiari nomine eum ritũ designat, nominando Collectã, uel cõmunionem Dominicam. Et missæ uocabulo utens, ipsum quasi aliud quiddã ac diuersum distinguit, ac pro horis seu orationibus illis Canonicis usurpat: inquiés, die Dominico unã tãtummodo missam ante prandiũ celebrari, in qua Psalmorũ atq; orationum seu lectionum pro ipsius Collectæ uel communionis Dominicæ reuerentia solennius aliquid ac propensius impendentes, in ipsa tertiã sextãq; pariter consummatã repetãt.

Quod ad Chrysost. attinet, in fine Operũ ipsius addita quidẽ est Missæ forma, quę ipsi tribuitur: uerùm cõfusio potius uariarũ rerũ uidetur, quàm apta & cõcinna rituum circa cœnã distributio: & à recẽtiore titul⁹ inscriptus est. qa Missę uocabulũ, ut dictũ, Chrysostomus ignorat. Prętera nimis crassa tautologia inuocatio Mariæ inseritur, & applicatur etiam Missa pro defunctis: id quod aliàs non est in eo patre cernere.

CASVS.

Mulier quædã Cõstantinopoli, ex Macedoniana factione, periculo repudij in gratiã mariti, doctrina Chrysostomi ab eadẽ hęresi cõuersi, simulabat se eandẽ cũ ipso opinionẽ amplecti. & ut eius rei fidẽ firmaret, ad eandem quoq; cũ ipso sacramentorũ cõmunionẽ accedit. Cum aũt pro more huic seculo usitato, partẽ accepisset, & iam priusquã sumeret, quasi oratura in terrã inclinaret, occultè eo quod acceperat retẽto, aliud q̃ddã domo allatũ (panẽ cõmunem fuisse, habet Nicephorus lib. 13. cap. 7.) famula, quam ad eam rem instruxerat, subministrante, cũ ori admouisset, ecce inter mandendũ in lapidẽ induruit. Mulier consternata, ac uerita ne qua grauior diuinitùs uindicta sequeretur simulationis, ad pastorẽ accedit, rem pãdit, lapidẽq; morsus uestigia & peregrinũ colorẽ seruantẽ ostendit, ueniãq; petit, seq; deinceps communem doctrinæ cum marito & reliqua Ecclesia consensum seruaturã pollicetur. Refert Sozomenus libro octauo, capite quinto: qui etiam lapidem hunc suo tempore testimonij loco ibidem inter Ecclesiæ donaria asseruari dicit.

DE ORATIONIS RITV.

Ad ea quæ suprà in narratione de congressibus diximus, & hoc ex Chrysostomo adijciendum putamus, quòd scribit, singulis diebus in Ecclesia fundi ad Dominum preces, & fieri obsecrationes pro toto mũdo, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt positi. Homilia sexta in cap. secundum prioris ad Timotheum. Ad matutinas & nocturnas quoq; orationes hortatur, Hom. 14. in octauum caput ad Hebrẽos, & homilia uicesima secunda in undecimum caput ad Hebræos. Matutinum sacrificium Dominico die illucescente oblatum Carthagini, Prosper refert de promissionib. & prædictionibus dimidij temporis, cap. 6.

Orationũ Canonicarũ manifestè meminit Sedulius, inquiens: Aut ergo dicendũ est eum semper orare, & non deficere, qui Canonicis orationibus quotidie iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, psalmodijs precibusq; consuetis Dominum laudare & rogare non desistit. in primum caput ad Romanos. Ex Cassiano uerò usus istarũ horarum magis patebit.

De loco docet Chrysostomus, Christianos ad certum aliquẽ locũ, ut olim Iudæos, minimè quidem esse alligatos, sed in omni loco esse orandum: interim tamen maximè in Ecclesia conuenire fideles orationis causa. homilia octaua in secundum caput prioris ad Timotheum. Ita homilia de cruce & latrone dicit quidem, omnem locũ uacare orationi: sed homilia tertia de incomprehensibili Dei natura, disputat, orationem quæ fit in Ecclesia, multo esse efficaciorem priuata ac domestica. Confutat etiam eos qui dormi quoq; se orare dicebant. Insuper reprehendit eos, qui uix rectè finitis concionib., statim è templo sese proripiant: horaturq; ut cõmunibus precibus omni studio & pietate interesse uelint, propter uim & maximã efficaciam precum, quæ in cœtu fiant. Cuius rei etiam exempla subijcit de obsessis. Sepulchrorum & picturarum adoratores reprehendit Augustinus libro primo, capite 34. de moribus Ecclesiæ.

Oratio

Orasse stãtes, & uersa facie ad Orientem, idem author est lib. secũdo de sermone Dominii in mõte. Flexis genibus in terram procumbentes, idq; pro more, se & alios orasse apud quendam decumbentem, idem commemorat libro de ciuitate Dei uicesimosecundo, capite octauo. Ex epistola eiusdem centesima decimanona ad Ianuarium, animaduerti potest, in nonnullis Ecclesijs moris fuisse, ut per Quinquagesimę dies, & omnibus Dominicis stantes orarent.

Eleuatis manibus preces fecerunt, sicut Maximus Taurinensis episcopus inquit: Eleuatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Homilia secunda, de cruce & sepultura Domini. Et Saluianus inquit: Cur ad cœlum manus quotidie tẽdimus? in libro de prouidentia Dei.

De orantium gestibus etiam Eucherius tradit: Non est (inquit) præscriptum, quomodo corpus constituatur ad orandum, dum animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut scriptũ est: Publicanus autem delongè stabat. Et flexis genibus, sicut in Actis Apostolorum legimus. Et sedentes: ut, Ecce Dauid & Helias. Nisi autem & iacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmo: Lauabo per singulas noctes lectum meum, &c. Secundo libro, capite quinquagesimooctauo Commẽtariorum in libros Regum.

Oraturos eleemosynas primùm erogasse uideri potest non sine quadam superstitionis suspicione, q. hoc fieri præcipiat Chrysostomus, monens, ut unusquisq; in suis ædibus, eoq; in loco ubi oraturus recedere soleat, arculam collocet pauperibus, in eãq; semper, priusquã ad orationẽ accedat, eleemosynã inferat, & sic demum preces suas faciat. Homilia 43. in sextum & decimum caput epistolæ ad Corinthios prioris. Item homilia sexta in secundum caput ad Timotheum, epistola priore, inquit: Infructuosam esse orationem absq; eleemosyna. & prolixè disputat, non esse absq; eleemosyna orationibus uacandum. Verùm cum pauperes potius accipiant, quàm largiantur eleemosynas, itaq; hæc traditio humana Ecclesiam obligare non potest.

Ex eadem quoq; homilia est manifestum, consuetudinis fuisse, ut loti orarẽt. unde inquit: Cumq; sordidis manibus orare nõ audeas. Et paulo pòst: Manus ipsas non finis impleri immundicia, sed eas primùm abluens, ita demum offers. Item: Sunt qui, cum per diem innumera admiserint scelera, uespere lauant, nimiumq; fidenter ac temerè ingrediuntur ecclesiam, manusque ad orationem extendunt, quasi sordes animi aquarum diluerint lauacro.

Priuatarum precum exemplum esse potest formula Augustini, quã singulis sermonibus atq; tractatibus Psalmorum subijcit.

Theodosiũ iuniorem crebrò orasse priuatim & publicè in Ecclesia, recensẽt Sozomenus, capite libri noni primo: idq; institutione sororis Pulcheriæ, eamq; ob causam Deum pro ipso bella confeciisse, hostesq; profligasse, author est Socrates libro septimo, capite quadragesimotertio. Nicephorus libro decimoquarto, capite septimo, hanc de eo historiam recitat: Cum in ipsis Circensibus ludis nunciata esset ei uictoria de seditioso tyranno Iohanne superato, ipse posthabito & intermisso spectaculo, adsumptoque uniuerso populo, in ædem precatoriam concesit, cum hymnis & carminibus gratias Deo acturus. Meminit & Socrates libro 7. cap. 23. Theodoretus lib. 5. cap. triceſimosexto: Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimotertio: narrant Theodosium ad reliquias Chrysostomi Cõstantinopolim allatas, sese inflexisse, & ueniam parentibus suis precatum: id quod superstitionem sapit. Quale & hoc est, quòd commemorant, Petrum Gnapheum, qui Antiochię regendæ Ecclesiæ haud sanè pio titulo præerat, instituisse, ut omnibus precibus Dei genetricis uirginis Mariæ nomen insereretur, inuocareturq;: id quod nouum est in hoc seculo, ac prioribus ætatibus ne auditum quidem, quia est contra sacrosanctam Scripturam, & exempla primitiuæ puriorisq; Ecclesiæ. Paulatim itaq; idololatria creuit. Meminit autem Theodorus Lector secundo libro Collectaneorum, item Nicephorus libro decimoquinto, cap. uicesimooctauo.

RITVS CIRCA ORdinationem.

DE eorum qui ad publica Ecclesiæ ministeria adhibentur uocatione, quinam & unde sint eligendi, docet Eucherius. scribit enim, nunc non de una stirpe Aaron solùm, sed de omni Ecclesia eligendos & quærendos ministros: & tales quidem, qui uel exemplo, uel doctrina domum Domini ædificare ualeant. & huiusmodi ubicunque reperti fuerint, sine ulla personarum acceptione mox ad docendi officium promouẽdos. capite quarto libri tertij Commentariorum in libros Regum.

Ac primò quidem, in electione ministrorum uerbi Dei concurrisse uoluntates & cõsensum non tantum collegij ministrorum, sed etiã populi ac magistratus, exempla quę hæc ætas suppeditat ostendent.

Antiochiæ populo ac tota ciuitate effusa, & occupata in spectaculis ad lucũ Daphnes, ordinatur interim, ipsis inscijs & incõsultis,

episcopus Porphyrius, ab uno & altero episcopo, quos ille sibi beneficijs deuinxerat: ac mox peracta ordinatione discedũt. Hæc cũ populo nunciarentur, adeò exarsit ira, ut omnib. relictis, magno cõcursu ad ædes episcopi properarit, ac flãma adhibita cum domo eũ cõcremare conati sint: sed urbis præfectus ab episcopo corruptus, ui & armata manu id fieri prohibet: ut Nicephorus libro tredecimo, cap. tricesimo refert.

Ita Alexandriæ Ægypti ius eligendi episcopũ etiã penes populũ fuisse, hoc est argumẽto, quòd (ut Socrates in sua Ecclesiastica historia lib. 7. cap. 7. commemorat) mortuo Theophilo, mota sit in populo seditio propter electionẽ successoris, alijs postulantib. quendam Timotheum, alijs Cyrillum. Et quanquam militaris ordinis dux plurimùm adiuuaret factionem Timothei, tamen alteram pattem, quæ Cyrillum expetebat, præualuisse, &c.

Interdum autem populus abusus est suo iure. Nam cum Dioscorus episcopus Alexandriæ in Chalcedonensi concilio legitimè damnatus esset, & communi concilij sententia Proterius quidam subrogatus, ingẽtem populus aduersus ipsum tumultum cõcitat, adeò ut nec magistratibus parcerẽt, & quosdam comprehensos cremarent: ut recitat Euagrius lib. secundo, cap. quinto. Etsi autem iste tumultus tãdem sit sedatus, & Proterius receptus: tamen post Imperatoris Martiani obitum ad ingenium redierũt, & ipsum quidem Proterium miserè ac sceleratè interemerunt, eiusq; in locum Timotheum Aelurum episcopum constituerunt, sine cleri Alexandrini consensu. quam ob rem episcopi per Ægyptum, & uniuersus Alexãdrinus clerus libellum supplicatorium Imperatori Leoni obtulerunt: ut idem Euagrius capite octauo eiusdem libri meminit: item Nicephorus libro decimoquinto, capite decimosexto.

Post obitum Aeluri, sua authoritate clerus sibijpsi episcopum elegit Petrum Mongum. Verùm ea re offensus Imperator Zenõ tam uehementer est, ut quosdam etiam supplicio affecerit. libro tertio, capite undecimo. Sequenti uerò capite disertè dicit, cũ Alexandrini ab Imperatore petijssent, ut sibi fieret potestas eligendi episcopum, quem ipsi uellẽt: constituisse Imperatorem Zenonem, ut quem clerus & plebs simul elegissent, is futurus esset episcopus.

In Ecclesijs Africæ interdum licitũ fuit, uiuo ac superstite adhuc pastore seu episcopo, alium quem ipse iudicaret idoneum fore, sibi successorem designare: ministrorum tamen reliquorum, & populi superiorumq; consensu. Sic cum Valerius Hipponensis episcopus, ingraueſcente ætate optaret sibi successorem dari Augustinum presbyterũ suum, doctrina, pietate & plurimis donis præstantem, significauit id primùm literis Numidiæ primati, sub cuius iurisdictione seu inspectatione Hipponensium ecclesia erat. Is uerò non modò probauit consilium Valerij, sed mox ipse adcurrit Hipponem. Congregato igitur cœtu uniuerso istius Ecclesiæ, Valerius consilium suum cunctis exposuit: Augustinum se cupere coadiutorem in ministerio uerbi diuini, ob senectutis incommoda, sibi adiungi. Cuius oratio quum magno omnium applausu excepta esset, Augustinus non tantum futurus eligitur Valerij successor, sed statim etiam episcopus creatur. Quanquam autem ne hoc fieret, supra modum pugnabat ipse, diceretq; in eo fieri præter morem Ecclesiæ: attamen cum illi contrà dicerent, non esse hoc inusitatum, idque exemplis & Africæ & transmarinarum quoque ecclesiarum confirmarent, passus est sibi persuaderi, & episcopatus curam suscepit: ut Possidonius scribit in uita Augustini, octauo capite.

Similiter fecit Seuerus Mileuitanæ ecclesiæ episcopus, licet ille quem designabat, post eius obitum primùm episcopatum susciperet. Vbi hoc quoque notandum est, quòd cum Seuerus eum quem uolebat sibi succedere, tantum apud clerum seu ministerij ordines designasset, non etiam apud populum, minimè hoc opus esse ratus: postea ipso defuncto, in successoris ordinatione nonnihil turbarum dederit, quas Augustinus composuit. Ac Augustinus sanè disertè ac expresè dicit, in eo minus quàm oportuit factum esse: nimirum quòd non etiam populi in successore designando requisita sit uoluntas. Epistola Augustini centesima decima.

Idem fecit etiam Augustinus annis iam grauior, & laboribus plurimis defatigatus, successorem sibi uiuus deligens: ut epistola eius uo. docet.

Similia iura de electionibus usurpata etiã in aliarum prouinciarum ecclesijs, historiæ testantur. nam eadẽ ratione Iohãnes Chrysostomus consensu cleri & populi Constantinopolitani, cui Imperator quoq; addidit consensum, designatus est episcopus: ut scribit Socrates lib. 6. cap. 2: & Sozomenus lib. 8. cap. 2. estq; Antiochia, ubi fuerat presbyter, Constantinopolim traductus.

In eadẽ urbe mortuo Attico, cum de electione uariarent sententię, euicerunt tandẽ, ac obtinuerunt populi sententię, ut Sisinnius substitueretur: ut refert Socrates li. 7. cap. 26. Chrysostomus expresè dicit, ecclesiarũ suffragiũ nõ parũ ornare eos qui ad spirituales princi-

principatus uenturi sunt. Ac paulo pòst allegat Apostolorum exemplum, quòd ipsi quoque, cum electuri essent septem Diaconos, communicarint consilium suum prius cum populo. Similiter & Matthiam elegisse præsentibus omnibus, tam uiris quàm mulieribus. Homilia decimaoctaua in octauum caput posterioris ad Corinthios. Cæterùm propter factiones & pericula, summa urgente necessitate, interdum qui Imperio fungebantur, aliquos uocabant. Sic mortuo Sisinnio, Nestorius quidam Antiochia accersitur. Socrates libro septimo, capite uicesimonono: & Nicephorus libro decimoquarto, capite tricesimoprimo. Nestorio autem propter hæresin reiecto, iterum propter electionē disceptatio oborta est: quam Imperator sua autoritate cōpescuit, alium, quem nominabat, non impium recipi iubens. Socrates libro septimo, capite tricesimoquinto: Nicephorus libro decimoquarto, capite tricesimoseptimo. Hoc etiam defuncto, ne rursum propter electionē perturbaretur Ecclesia, Imperator Theodosius mandat, Proclum quendam, probatæ tum fidei, ordinari. Socrates libro septimo, capite quadragesimo: & Nicephorus in prædictis locis.

Non autem temerè ac sine exploratione admissi sunt ulli ad ministerium Ecclesiæ. Nam Isychius prolixè in caput uigesimumprimum & uigesimumsecundum Leuitici ostendit, qui non sint ad ministerium Ecclesiæ admittendi: libro sexto. Et Ephesij grauiter incusantur, quòd mortuo Chrysostomo, eos quos ab ipso acceperant doctores, Ecclesia exegerant, subrogatis alijs profanis & impuris hominibus, nulla exploratione præmissa. Nicephorus libro decimotertio, capite uicesimonono, &c.

Ordinatio publicè præsente populo facta est, ad quā ex uicinis doctoribus aliqui conuenerunt: maximè uerò, quando episcopo functio demandabatur: sicut ex historia Augustini patet, quam attigimus: item libro 3. contra Cresconium, capite 52.

Ad ordinationem Ioannis Chrysostomi, Arcadius Imperator Synodum conuocauit, ut eo celebrior esset ea muneris impositio: ac Theophilus Alexādrinus ritum peregit, præsentibus cæteris. Socrates lib. 6. cap. 2: Sozomenus libro 8. capite secundo.

De Carthaginensi episcopo Augustinus dicit, fuisse consuetudinem, ut episcopo ecclesiæ Carthaginensis, non Numidiæ, sed quinquiores episcopi, ordinationis ritus & iura conferrent. in collatione tertij diei, Quid quinto loco actum.

Alexandrini episcopi ordinationibus episcopi Aegyptiacæ diœceseos interesse soliti sunt: ut testatur Euagrius libro secundo, capite octauo. Eamq; ob causam, quòd nullus horum interfuisset, Timothei Aeluri ordinatio, ueluti illegitima, uehementer reprehenditur. Meminit & Nicephorus libro 15. capite decimoseptimo.

In templis autem publicè ordinationum ritus peractus est. Sic Hierosolymis in Ecclesia Resurrectionis ordinatum à sua factione Anastasium quendam, narrat Euagrius libro secundo, capite quinto.

De Aeluro Alexandrino idem cōmemorat, quòd in Ecclesia magna, quæ de Cæsare nomen habuit, ordinationis ritum acceperit, eodem libro, capite 8.

Maximianum Bagacensem episcopū ad altare ordinatum, refert Augustinus libro 3. contra Cresconium, capite 21. & 22.

Præcipuum in hoc ritu fuit, quòd manus ordinandis ab episcopis impositæ sunt: id quod de Maximiniano idem scribit.

Apud Sozomenum Theophilus Alexandrinus episcopus persuadet Nilamoni, ut sibi sacerdotij manum imponi patiatur. capite decimonono, libro octauo.

Chrysostomus homilia decimaoctaua in octauum caput posterioris ad Corinthios significat, super eos qui ad Ecclesiæ ministeria ordinabātur, factas ab Ecclesia publicas preces, dum scribit: Ordinaturum uocare illorum preces.

Porrò ordinati sunt ad diuersa in Ecclesia officia.

Cassianum diaconum renunciatum Constantinopoli à Chrysostomo, autor est Adon Viennensis ætate sexta. Creauit & Epiphanius diaconum in templo Constantinopolitano, quamuis eam ob rem iustè fuerit reprehensus. Socrates libro 6. capite 12.

Ex diacono fieri presbyterum, ex August. patet, quæst. 101. ueteris & noui Testamēti.

In Tarso Ciliciæ presbyter ordinatur Antemius, ex familia Imperatorum Constantinopolitarum: ut scribit Euagrius lib. 3. cap. 26. Addita est etiam quædam rasura, nescimus quali de causa.

Martinus episcopus Turonensis ordinauit episcopum Maurilium Andegauensem. Antoninus titulo 10. cap. 13. paragrapho 1.

De patricio Hybernorum episcopo refert Henricus de Erphordia, quòd trecentos sexagintaquinq; episcopos ordinarit, presbyteros uerò consecrarit mille, &c.

Ex decretis Conciliorū, quæ in hāc Centuriam incidunt, hoc etiam satis est manifestum: nō cuius libet ordinis aut generis homines ad Ecclesiæ ministeria receptos esse. nam quosdam ob infamiæ notas repulsos. Extat enim Canon quintus Carthaginensis concilij, qui uetat rebaptisatos unquam ad

ministerij gradus promouere. distinctione 50: Confirmandum est. Extat alius Toletani concilij primi, qui pœnitentes arcet à ministerij dignitate, nisi aliqua necessitate cogente, atq; ibi eis inferiores tantum gradus permittit. distinctione 50: Placuit.

Etsi autem non tantum prioribus seculis, sed etiam hoc, aliquãdiu Ecclesiarum ministris licuit esse maritis: tamen nescimus qua pietatis superstitione, ea consuetudo paulatim aboleri cœpit. Nam in concilio Toletano sancitur, ut sub diacono alteram uxorem ducere non liceat: si uerò id fecerit, inter ostiarios uel lectores collocandũ esse. Quòd si tertiam duxerit, biennio integro pœnitentiam eum agere, & postea reconciliatũ inter laicos consistere oportere. Canon quartus istius Concilij in primo tomo, sub decretis Anastasij papæ. Habuisse tamen etiam uxores, ex iam dicto etiam canone intelligi potest, & ex eo qui extat in decret. 33. quæst. 2. Placuit ut si quorumcunque, in quo permittitur clericis, ut ob delicta uxores proprias grauissimè etiam, præter tamẽ necem, punire possint. Item ex decimooctauo canone Toletani concilij primi manifestũ est, episcopos, presbyteros & diaconos fuisse etiam hoc tempore maritos. Canon eiusdem concilij Toletani, si quis post baptismũ, &c. distinctione 51. concedit quidem ut milites Christiani in cleri ordinem recipiantur: sed ad diaconorum officia ascendere minimè permittit.

CASVS.

In oppido Geris, quinquaginta à Pelusio stadijs, post obitum pastoris sui, legerant ciues quendã Nilãmonem, quòd esset uir bonus, uirtutibus præstans, & in monastica uita percelebris. Degebat autem haud longè ab oppido illo, casæ paruæ inclusus. is uerò uehementer recusabat. Accidit autem ut Alexandrinus episcopus Constantinopoli reuertens, eò appelleret. is cum omnino Nilammoni persuadere conaretur, ut manuũ impositione ministerij administrationem susciperet: simulat tandẽ Nilammon se uocationi obtemperaturum, ac inquit ad Theophilum: Age pater, quandoquidem ita tibi uidetur, faciam cras quod placuerit: hodie tantũ meũ me agere, propriasq; res disponere sine. postridie itaque, ut conuenerat, adest Theophlus. tum Nilammon: Quin prius ad Deũ preces faciamus. quod cũ Theophilus approbaret, inter ipsas preces Nilammon spiritum efflans moritur. Cum itaque longius iusto tempus extraheretur, aperto ostio mortuũ reperiunt. Sozomenus lib. 8. cap. 19. Dubius sanè casus est, fortè à Deo punitus est, quòd adeò difficilem se ad præstandam suam operam Ecclesiæ, præpostero priuati ocij studio præbuit. Fuit etiam monastica eius uita, superstitio potius quàm religio: siquidem tale uitæ genus non sanxit Christus, sed potius prohibuit disertis uerbis Matthæi 24.

EXORCISATIO OBSESSORUM.

DE exorcisatione inquit Augustinus libro de ciuitate Dei 10. cap. 22. uera pietate homines Dei aeream potestatem inimicã, contrariamq; pietati, exorcisando eijcere, non placando.

In templis autem utplurimùm factas exorcisationes, & exercitatas ministerio eorũ quibus Ecclesiasticæ functiones erant commendatæ, quibus cum & uniuersus Ecclesiæ cœtus suas preces coniunxit, apparet ex Augustino, libro de ciuitate 8. in fine capitis 26. Nam inquit, in multis locis ad martyrũ memorias (intelligit in templis) dæmones torqueri, confiteri, & de possessis hominũ corporibus eijci. Et Chrysostomus de incomprehensibili Dei natura, homilia tertia testatur, obsessos in templum adductos à diacono tempore publici congressus, cum cœna Dominica peragi solebat, iussosq; caput inclinare, & sic pro ipsis orasse populum. Homines, inquit, dæmone agitati, tanquã uinculis quibusdã retenti adducerentur, ut populo uniuersaq; ciuitate præsente, communes pro his fierent supplicationes, ut omnes iugi concordia Dominum communem orarent pro his, & quòd misereretur, magno clamore contenderent.

Recitat Prosper Aquitanicus, in locũ publici cõgressus ad altare, dũ cœnę Dominicę instituta actio celebraretur, adductã puellã, & plebẽ pro ea ad Dominũ orasse, ac de cœna participem factã quoq;, & sic liberatam.

In uita Remigij, quæ Hincmaro autori ascribitur, narratur, quòd Benedictus quidã, celebris uitæ sanctimonia, dæmonem à puella eijcere tentarit ieiunijs & orationibus, sed non potuerit. exorcismis tamen ualidis & frequentibus ad respondendũ coegerit: sed eundem spiritum tamen postea Remigium tantum uerbi imperio expulisse.

CASVS.

Refert Augustinus, quòd uir quidam tribunitius Hesperius, in Fusalensi territorio Africæ fundum habuerit, qui fuit infestatus à malignis spiritibus, ita ut animalia & seruos grauiter afflixerint. Domestica igitur hac calamitate coactus, accesserit dominũ fundi ad Ecclesię ministros, rogauitq; ut aliquis ibi preces facere dignaretur. Abijt igitur q; dam eò, orauitq; ardenter & seriò, imò etiã ibi cœnã Domini distribuit: & protinus illa cacodæmonum uexatio cessauit. libro de ciuitate 22. capite 8.

Alius.

Alius.

Commemorat Prosper Aquitanicus, de prædictionibus & promissionibus libro 6. quòd suo tempore Carthagini puella quędã Christiana, cum in balneis quoddã Veneris simulachrũ minus pudicè intuita esset, seq; eidem assimulasset, mox à diabolo sit obsessa: qui gutturis meatus occuparit, ut circiter dies septuaginta, noctes q; totidé fermè, nec cibũ nec potũ traijcere potuerit. Parẽtes, cũ nullã leuationẽ animaduerterent, puellam ad Ecclesiæ ministrum adducunt, eiq; rem ut acta erat, bona fide exponunt. Vnum hoc puella confessa addidit: Noctis medio uideri sibi auem quandam adesse, & nescio quid ori ingerere. Tandem in templum deducitur, fiunt preces: & cum ei cœna Domini porrigeretur, quam ægrè accepit, cacodęmone nimirum reluctante, liberata est.

RITVS CIRCA *ieiunia.*

EX scriptoribus huius seculi animaduertere licet, quando de ieiunio in speciẽ loquuntur, eos hoc uelle, quòd interdum prorsus non pransi sunt. Id uerò ex Augustini ad Casulanum presbyterum epistola octogesimasexta clarum est. Nunquid ergo, inquit, cæteri Apostoli prandere Christianos, contra Petrum, docuerunt in uniuerso orbe terrarum? Sicut itaque inter se uixerunt concorditer Petrus & discipuli eius, sic inter se concorditer uiuant sabbato ieiunantes, quos plantauit Petrus: & sabbato prandentes, quos plantauerunt discipuli eius. Item: Sic ab omnibus ieiunatur, ut etiam illi sabbati ieiunium deuotissimè celebrent, qui cæteris per totum annum sabbatis prandent. Item in fine prorsus dicit: Vnam Ecclesiam sæpe habere alios sabbato prandentes, alios ieiunantes. Chrysostomus inquit: Ecce hodie totam iunij diem exegimus, & mensam in uespere apponemus. Homilia quarta ad populũ Antiochenum, in fine.

In Ecclesijs Orientis nũquam sabbato ieiunarunt, uno totius anni excepto, quod est pridie feriarũ Paschatis. Contrariũ obseruarunt ecclesiæ Occidentis, quæ singulis septimanæ sabbatis ieiuniũ celebrarunt. De hac diuersitate loquitur Augustinus: Vellẽ me, ait, doceret benigna sinceritas tua, utrũ simulatè quisquam sanctus Orientalis, cum Romam uenerit, ieiunet sabbato, excepto illo die Paschalis uigiliæ? Quod si malum esse dixerimus, non solùm Romanam ecclesiã, sed etiam multa ei uicina loca, & aliquanto remotiora damnabimus, ubi mos idem tenetur & manet. Si autem nõ ieiunare sabbato malum putauerimus, tot ecclesias Oriẽtis, & multo maiorem orbis Christiani partem, quanam temeritate criminabimur? Epistola decimanona ad Hieronymum. Rursum in ea ipsa ad Casulanum epistola, cuius paulo antè meminimus, quam ex professo de ieiunio sabbati scripsit, prolixè de eadem contraria consuetudine differit: ac eius diuersitatis rationem habere narrat, quòd populi Orientis, propter requiẽ Christi in sepulchro significandam laxarint ieiunium: alij, ut Romana, & nonnullæ Occidentis ecclesiæ, propter humilitatem mortis Domini ieiunare uoluerint. Ac ab initio quidem istius epistolæ apertè ostendit, Romanæ tantum, & paucis admodum Occidentalibus Ecclesijs fuisse hoc peculiare, ut sabbati ieiunium obseruarint. De eodem sabbati ieiunio in Africanis ecclesijs, sub finem prorsus istius epistolæ inquit: Vnam ecclesiam, & unius regionis ecclesias habere, qui sabbato ieiunẽt, & q nõ ieiunẽt.

Per illud quinquaginta dierum interuallum, quod est à Paschatis festiuitate ad Pentecostes ferias, non fuisse usitatum obseruare ieiunium, expressè dicit: idque quodammodo commune fuisse uniuersis Ecclesijs, uideri potest in illa ipsa ad Casulanum epistola. Item per diuersa loca diebus solennibus martyrum, & festis quibusq; pranderi, seu non ieiunari, ibidem affirmat. In monasterijs quoq; per hosce dies non seruata ieiunia, præsertim per Ægyptum, ubi tamen grauissimis sese abstinentijs macerant, Cassianus habet libro secundo, capite decimooctauo, de Canonibus nocturnarum orationum & psalmorum modo: item libro tertio, capite nono.

Quarta, item sexta feria, in Ecclesijs obseruata ieiunia, ibidem tradit. & ad finem eius Epistolæ, istius obseruationis rationem reddit. Cyrillus quoq; Alexandrinus doctor inquit: Habemus quartam & sextam septimanæ diem, quibus solenniter ieiunamus: in fine libri decimi in Leuiticum.

DE QVADRAGESIMA.

INualuerunt tamen paulatim opiniones de traditionibus humanis. Nam ieiuniorum Quadragesimæ non tantum obiter mẽtionem facit Augustinus, sed etiam autoritatem habere asserit tum in ueteribus libris ex ieiunio Moysi & Helię, tum in Euãgelio ex ieiunio Christi: cum tamen maxima sit differentia inter nostra & illorum ieiunia. epistola decimanona ad Ianuarium. Vbi hoc addit, in nulla parte anni congruẽtius Quadragesimæ obseruationem constitui posse, quàm ea quæ propinqua est Dominicæ passioni. Quia significari in ea, hanc uitam esse laboriosam, cui opus sit cõtinentia. Meminit quoque quæstione 169. super Genesin, libro primo. item libro secundo de consensu

ſenſu Euangeliſtarum, capite quarto: ité tractatu decimoſeptimo in quintum caput Iohannis. Et capite ſanè tertio libri trigeſimi contra Fauſtum Manichæum expreſsè ait, per orbem terrarum quotannis omni cum ſtudio celebrari in conuentu catholico quadrageſimam.

Cyrillus quoq; de quadrageſima ſcribit, eos dies ieiunijs conſecratos eſſe. decimo libro in Leuiticum.

Chryſoſtomus obiter tantum ieiunij in quadrageſima pluribus in locis meminit: integram uerò de eo conſcripſit homiliam ante homilias in Geneſin præmiſſas: nominatq; ſubinde ſanctam quadrageſimam, in homilia ſexta in primum caput Geneſeos. Et ex homilia undecima in ſecundum cap. Geneſeos animaduertitur, duos qualibet hebdomada fuiſſe dies, liberos & exemptos ab illa ieiuniorum afflictione, quos ille dies Remiſsionis nominat: & Dominum eam quietem largitum eſſe ideo, ut illa ieiuniorum continuatione quaſi defatigati reſpirare ualeant, & alacriores ad inſtitutum redire. Homilia tricesima in decimum caput Geneſeos, quadrageſimæ fine m onſtituit hebdomaden magnam.

Maximus Taurinenſis epiſcopus, de quadrageſimæ ieiunio plures homilias conſcripſit. In Homilia in die Cinerum inquit, nonnullis conſuetudinem eſſe, ut aduenientes quadrageſimæ dies deuotiore ieiunio præueniant. Homilia tertia dicit: Quid prodeſt obſeruatione quadraginta dierum ieiunandi nos tempora cuſtodire, & legem non tenere ieiunij? Rurſum, homilia quarta: Et ideo fratres, Dominici certaminis uictoriæque exemplum ſequentes, & diabolicas præcauentes inſidias, horum quadraginta dierum acceptabile Deo noſtro ieiunium celebremus.

In ieiunijs, à quibuſdam cibis temperarunt, ut carnibus, uino. Item nonnullis terræ fructibus abſtinuiſſe, ex Auguſtino clarum eſt: ex capitibus tertio & quarto libri tricesimi contra Fauſtum Manichęum. ac quinto capite, paucos quoſdam ſemper hoc facere affirmat. Certis uerò diebus ſeu temporibus, ut per quadrageſimam, omnes eam præſtare temperantiam.

Chryſoſtomus de ſuæ Eccleſiæ hominibus ſcribit, eos inter ſe ciborum abſtinentia inuicem æmulari, & contentiones inſtituere. Et hos quidem duos integros dies tranſigere ieiunos: hos uerò non uini tantum & olei, ſed & omnis ferculi uſum à ſua menſa reijcientes, pane & aqua utentes duntaxat, quadrageſimam omnem expedire. ad finem homiliæ quartæ ad populũ Antiochenum. Ac rurſum ex homilia ſexta ad eundem populum, non ita obſcurè animaduerti poteſt, fuiſſe quaſi communem legem, non guſtare uinum ieiunij tempore: item non quibuslibet ueſci licitum fuiſſe. A uino & carne ieiunare Eccleſiam, diſertè dicit Sermone primo de ieiunio. Ita nimirũ ſuperſtitio in traditionibus humanis ſine omni uerbo Dei, imò contrà, irrepſit.

Ex Proſpero quoq; animaduerti poteſt, temperaſſe quoſdam ſibi à cibis delicatioribus, in ieiunijs: item uino, carnibus, & ſimilibus. quoſdam uerò ab eſu quadrupedũ abſtinuiſſe quidem, interim tamen phaſianis, uel alijs auibus precioſis, aut etiam piſcibus uſos: quorum ieiunia ipſe reprehendit, ut qui nõ reſecent corporis ſui delectationes, ſed mutent: nec pro abſtinentia, ſed pro ſtomachi nauſeantis teneritudine communes illas ac uiles carnes abijciant, quo poſsint alijs ſuauioribus, magisque delicatis & precioſis, uoluptates ſuas explere. Ita uino quoque temperare quoſdam, ſic tamẽ ut alijs uoluptatum poculis illud diſpendium uini pulchrè compenſent. Quod ipſum quoque reprehendit libro ſecundo, capitibus uicesimoſecundo & tertio, de Vita contemplatiua.

Hactenus de publicis Eccleſiarum ieiunijs. nunc etiam de priuatorum abſtinẽtijs aliquid adiungemus. Creſcere per totum orbem indies quaſdam obſeruationes peculiaris abſtinentiæ, ac in Oriente maximè & Ægypto inualeſcere, tradit Auguſtinus libro primo, capite tricesimoprimo de moribus Eccleſiæ. ac nominatim dicit, eſſe quoſdam, qui ſolo pane per certa temporum interualla ſibi allato, & aqua contenti, uiuant in deſertiſsimis terris, remotiſsimi ab omnium hominum conſpectu.

Eodem quo diximus libro Auguſtinus, capite tricesimotertio, recitat Mediolani & Romæ quędam ſuo tempore fuiſſe collegia & uirorum & mulierũ, quę exercuerint ieiunia penè incredibilia. Nonnullos enim totũ triduum & amplius ſæpiſsimè ſine cibo & potu peregiſſe, eosque etiam carnibus & uino abſtinuiſſe.

In epiſtola octogeſimaſexta narrat, in monaſterijs multos quinquies in hebdomade ieiunare in tota uita. Similia commemorat etiam Euagrius libro primo, capite uigeſimoprimo, de monachis Palæſtinæ. Item Caſsianus libro tertio, capite nono, de Canonicorum diurna oratione & pſalmorum modo. Arduum quoddam & ſublime continentiæ genus conſuetum fuiſſe per Ægyptum, narrat libro quarto, capite de inſtitutis renunciantium.

Zenon Imperator in electione epiſcopi Conſtantinopolitani, edicit quadraginta dierum

dierum ieiunium. Nicephorus lib. 16. cap. 18. Viennæ Galliæ, tempore terræmotus & incendij, ieiunia indixisse Mamercum eius Ecclesiæ episcopum, refert Sidonius epistola ad eundem, quæ est prima libri septimi.

Qui de sacra Domini mensa communicabant, ante & post sumptionem sacræ cœnæ ieiunijs & abstinentijs sese exercebant: sicut in sectione de Cœna, ex Chrysostomo in 11. prioris ad Corinthios annotauimus.

De fine ieiuniorum, pauca subiungemus. Augustinus de cœnobitis scribit, eos à carnibus, uino & alijs rebus abstinere tantũ, quãtum pro domandis libidinib. sufficiat: cap. 31. lib. de moribus ecclesiæ Catholicæ 1. itẽ cap. 33. eiusdẽ libri de eisdẽ collegijs uirorũ & mulierũ, de quib. paulo antè meminim', cõmemorat: ipsorũ abstinentias fuisse instituas, & mensas, lege & ratione charitatis: neq; quẽquã coactũ, ut hoc uel illo cibo aut potu nõ uteretur: sed fuisse liberũ, ut quisq; ualetudinis rationem haberet: neq; ullum ad ea quæ recusaret, aut ferre non posset, adactum: nec propterea à cæteris condemnatum, si quæ illi, ipse non obseruaret. Itaque non reijciendis generibus ciborũ, quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilasse omnium industriam: atq; ideo multos inter eos esse, qui eos ipsos cibos accipiãt ægroti, à quibus salui & incolumes temperarint.

Chrysostomus etiam de ieiunio ueluti de sobrietate loquitur, inquiens: Ieiunium nõ hoc solùm est, sed etiam abstinere à delicijs ieiunij species est. eatenus ego imperarim solùm, Ne ieiunate, sed absistite à delicijs. Alimenta quæramus, non corruptionẽ: alimenta quæramus, non morborum fomites. homilia 27. actorum Apost. cap. 12.

Cyrillus libro septimo contra Iulianum scribit, quanquam nullus apud eosdem cibus fuerit reiectus, abstinuisse tamen à nonnullis, ut mentis ad deteriora propensionẽ remorarẽtur, & carnis lasciuiã compescerẽt.

Prosper de fine ieiuniorum scribit: Membra sua quæ sunt super terram mortificant, quando insolens corpus ieiuniorum contiquando intra necessanuatione castigant: rium modum suum temperant appetitum: quando non solùm se à delicatioribus cibis moderata districtione suspendũt, sed etiam in ipsis communibus nihil carni suæ pro desiderio, seu pro sustentandæ uitæ necessitate permittunt. capite 22. libro itidem secundo de uita Contemplationum.

DE FESTIS.

HAbuit & hoc tempore Ecclesia Christi suos dies festos. Nam diem Dominicum esse obseruatum, apparet ex Augustini epistola uigesimatertia. Chrysostomus homilia secunda in primum caput Iob. ait: Vos à ciuilibus negocijs non abducimus. Atqui è septem his diebus unum ad communis omnium Domini cultum seruitiumque collocandum meritò arbitramur. Colonię quoque diem Dominicum festum fuisse, licet colligere ex speculo Vincentij libro decimooctauo, capite tricesimotertio. Ac Dominicum quidem diem esse solennẽ, quia in eo Saluator uelut sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuerit: ait Maximus Taurinensis episcopus homilia tertia de festo Pentecostes.

Idem Maximus duarum Dominicarum habet homilias, quę titulum gerunt De aduentu Domini: item tertiam. In uigilijs natalis Dominici.

Natalem Christi celebrari solitum ab ecclesijs Constantinopolitanis & uicinis, testis est Sozomenus libro 8. capite 20.

Chrysostomus, Christi iuxta carnem natiuitatem omnium reliquorũ festorũ metro polim esse dicit: in oratione de Philogonio.

In Ecclesijs Galliæ natalem Christi fuisse quoque solennem, ex homilijs Maximi Taurinensis patet: in quibus ad piè meditandum suos hortatur, quæ humano generi ex natiuitate ista Christi contigerunt beneficia.

Circumcisionis Domini titulum inscriptũ habet homilia Maximi Taurinẽsis: sed quia sequitur mox, Siue de calendis Ianuarij, uideri potest prior illa à recentioribus addita. Nam circumcisionis mentio nulla per totam homiliam fit: duntaxat autem à ludis bacchantium ethnico more, Christianos seriò dehortatur: & morem ut prorsum hominibus, nedum Christianis indignum, grauiter reprehendit & insectatur.

Ephiphaniorum seu Theophaniorum diẽ fuisse festiuũ, ex eadem oratione Chrysostomi de Philogonia est manifestũ. dicit enim, illustrationem Dei originem ducere à natiuitate Christi. Nisi enim secundum carnem natus esset Christus, nequaquam baptisatus esset. Theophaniorũ meminit etiam Theodorus Lector, Collectaneorum lib. 2. Apud Victorẽ in Vandalica persecutione, eius quoque mentio fit, lib. 2. Et in hoc festo baptismum conferri solitum catechumenis, suprà de Baptismo dictum est. In Ægypto Ecclesiæ Epiphaniorum diem esse definierũt, uel Dominici baptismi, uel secundum carnem natiuitatis. Idcoq; non ut in occiduis prouincijs diuersis diebus, sed uno & eodem utramque solennitatem peregerunt, ut apparet ex Casiani libro Collationum, decima collatione, capite secundo.

Maximus Taurinensis homiliam habet cũ inscriptione, In die cinerũ, inter homilias hyemales:

hyemales: sed qualis ea fuerit obseruatio, non explicat.

Dominicæ in ramis palmarum titulum nudum habet quædam Maximi Taurinensis homilia, in qua tantum illud ex Psalmo 21. Deus Deus meus respice in me, tractat: festi non meminit. Vnde & ea inscriptio nõ immeritò, ut recẽtior, suspecta haberi possit.

Dominicæ passionis memoriam quotannis celebratam refert Augustinus, epistola centesima octaua ad Ianuarium.

Hebdomadæ magnæ mentio est apud Chrysostomum, homilia tricesima in decimum Geneseos caput: quã ieiunijs, uigilijs, pernoctationibus sacris & eleemosynis decorandam, monet suos. Eam autem hebdomaden intelligendam apparet, quæ Paschatos festum proximè præcesserit: quia scribit ad finem quadragesimæ uentũ, cum in magnam hanc hebdomadam peruenerint. Quã quidem ideo quoque Magnam dicit, quòd magna quædã & ineffabilia bona in ea pijs contigerint. In illa enim solutum esse bellũ diutinum, extinctam esse mortem, maledictionem interemptam, diaboli tyrannidem dissolutam, uasa ipsius direpta, Deum hominibus reconciliatum, cœlum penetrabile factum, &c. Pedum lotionem aliqua externa actione repræsentatam publicè, ex Augustini Epistola 119. ad Ianuarium, satis clarè colligitur, in aliquibus saltem Ecclesijs. In aliquibus uerò minimè eam fuisse usitatam obseruationem, idem expresè dicit.

Vigiliæ Paschalis solam mentionem facit Epistola 19. Augustini. meminit earundem & Gregorius Turonensis lib. 2. capite 6.

Paschatos dies in gloriosæ Christi Resurrectionis memoriam, passim in Ecclesijs obseruatus est. Augustinus enim Epistola 118. ad Ianuariũ, anniuersaria solennitate resurrectionem Domini celebrari ait. Isychius de Hierosolymorũ (cuius ipse minister fuit) Ecclesia inquit: Non oportet eos qui Pascha Euangelicum celebrant, quòd nobis Ecclesia tradidit, legale Pascha peragere: in caput 22. Leuitici, libro sexto. Porrò ex Augustini libro de ciuitate 22. capite 8. tres solennitatis dies animaduerti possunt. Nam scribit de seipso, quemadmodũ Dominico paschæ die tertio ad populum in templo è superiori loco exedræ locutus sit.

De tempore quo sit celebrandũ Pascha, sic tradit idem scriptor: Vnde & nos numerũ Lunę custodim⁹, ut à quartadecima, quę nobis secundum legem prima est, rationem Paschæ obseruemus. Omnia enim plena Deus instituit, ideoq; à quartadecima usq; ad 21. his septem diebus pascha nobis celebrare concessum est, ut de his septem aliqui dies àpara sceue usq; ad resurrectionem Domini concludantur: ut neq; tertiadecima in passione sit, neq; quartadecima in resurrectione, aut quintadecima. Nam ante uigesimã primam secundum nos lunam, passio Christi fit, & resurrectio eius. Et paulo pòst dicit, resurrectionẽ Domini primo die inchoati mundi, qui dies Dominicus dicitur, factam esse: quæst. octogesimaquarta, Quæstionum ueteris & noui Testamenti. Inedem planè sententiam de Paschate etiam Iunilius differit, definiens Dominicũ diem illum, qui sit proximus post 14. lunam, esse congruum celebrãdo paschati: in Cõment. super Genesin, de duobus luminaribus magnis primi capitis.

Extat etiã Canon quintus Carthaginensis concilij, qui præcipit diem Paschæ formatarum subscriptione omnibus esse significandum: de consec. dist. 3. Placuit ut dies uenerabilis, &c. Item in primo tomo Conciliorum, sub Anastasio primo Papa.

Chrysostomus in illa superius allẽgata de Philogonio oratione, ubi à Christi natiuitate in carnem, originem ducit omnium reliquorum festorũ, inter reliqua etiam Paschatis meminit, inquiens: Nisi enim secundum carnem natus esset, nequaquam fuisset crucifixus. nam hoc est festum Paschæ, eius festi sępius passim mentionem facit, & extant aliquot eius sermones de Resurrectione. Sermone 8. inquit, eo die quo Paschalis solennitas concludi solita fuit, neophytos commutasse habitũ, quem candidũ eò usq; gesta ri usitatũ fuisse apparet. Cæterùm Chrysostomus Paschatos diem per antonomasiam simpliciter diem Dominicum appellat, homilia trigesima in Genesin, & aliàs sæpe.

Sigiberti fabulam, quomodo miraculosè cuidã Italiæ oppido sit monstratum tempus quo pascha esset celebrandũ, omittimus: liquet easdẽ nugas Pascasin⁹ etiã qspiã referat.

Apparet & Neophytorum quoddã fuisse festũ, ab ipso statim Paschatos die. ita enim Augustin. epistola 119. ad Ianuariũ scribit, sic octo dies Neophytorum distingui à cęteris, ut octau⁹ primo concinat. Et modò antè dixímus ex Chrysostomo, neophytos habitũ commutasse ultimo die Paschatos.

Porrò quemadmodũ ante Pascha Quadragesimam cum afflictione corporis, ut suprà dictum, sic post Pascha Quinquagesimam cum multa lætitia egerunt etiam hoc tempore Christiani, ita quidem, ut prorsum non ieiunarent: imò etiam in congressibus, in hymnis & canticis clausula Alleluia uterẽtur, ut refert Augustinus tractatu 17. in 5. cap. Expositionũ Euangelij Ioan. itẽ Epistola 86. ad Casulanum, item Epistola 119.

Hos etiã 50 dies expresè festiuitatẽ Sanctorum dierũ nominat, & dies esse remissionis ac

nis ac indulgentiæ ait Chryſoſt. monetque præterea ſuos auditores, ut ita eam feſtiuitatem agant, ne relaxatione corporũ puritas corrumpatur animorum: abſtineant ab omni luxu, ebrietate, laſciuia: & dent operam ſobriæ remiſſioni, ac ſanctæ ſinceritati: idque deberi non modò utilitati & ſaluti ipſorum, ſed etiam ipſi feſtiuitati ac tempori. in ſermone octauo de Reſurrectione.

Maximus in homilia tertia de Pentecoſte ait, curriculum hoc quinquaginta dierũ totum inſtar Dominicæ celebrari: & omnes iſtos dies uelut Dominicos deputari.

Supplicationũ dies (quas Eccleſiaſtici ſcriptores uulgò Rogationũ, ſiue etiã Litanias uocãt) primũ hoc ſeculo inſtituti ſunt in Gallijs Viennę, à Mamerco eiº loci epiſcopo, in periculo terræmotuũ, incẽdij, & paſſim errã tium ferarũ, hominesq; infeſtantiũ. q, etiam cõmemorat Alcimus Auitus eccleſiæ Viennenſis epiſcopus, in peculiari homilia, quam de huius feſti inſtitutione, uſu & peculiaribus habuit. Ternis autem diebus ante Aſcenſionẽ celebratas, & inde in omnẽ Galliã eũ ſupplicãdi ritũ eſſe deriuatum, idẽ diſertè recitat. Sidonius etiã de occaſione, autore & origine huius ceremoniæ, eadẽ planè cũ Auito cõmemorat in epiſtola 7. ad Mamercum: item libro 5. epiſtola ad Aprum

Pentecoſtes celebrandę tempus Iſychius accuratè deſcribit libro 6. in 23. caput Leuit. Quia huius Pentecoſtes neq; tempus, neq; numerus à populo Iudæorum cuſtoditi ſufficienter in ſuperioribus oſtenſum eſt: à nobis autẽ cum cõtemplatione & litera cuſtodiri. Planius ergo legislator intentionem ſuã demonſtrare uolens, ab altero die ſabbati numerari præcepit 50 dies, Dominicũ dicit. Hic enim em procul dubiò uolens intelligi. eſt altera dies ſabbati: in hac enim reſurrectio facta eſt, qua hebdomadę numerantur ſeptem uſq; ad alterũ diem expletionis hebdomadis. Dominica rurſus die, Pentecoſtes celebramus feſtiuitatem, in qua ſancti Spiritus aduentum meruimus.

Præterea Pentecoſtes feſtũ nunquam alio quàm Dominico die obſeruari, narrat Auguſtinus quæſt. 95. ueteris & noui Teſtamenti. In Chryſoſt. extat oratio de feſto Pẽtecoſtes.

Ad Pentecoſtes diem, Epheſum ſynodus celebranda contra Neſtorium indicta fuit, ab Imperatore Theodoſio poſteriore: ut Euagrius libro primo, capite tertio refert.

Maximus aliquot de hoc feſto homilias ediderat. Eucherius Lugdunenſis meminit Pentecoſtes lib. 3. cap. 5. in Geneſin.

De feſto Cypriani in Africis eccleſijs obſeruato, teſtimonium Auguſtini in libro de gratia noui Teſtimenti, capite 5. extat. Sic nimirum multitudo feſtorum accreuit.

Celebratas memorias Stephani, Laurentij, & Agnetis 27 die Septembris Conſtantinopoli, ſcribit Theodorus Lector in Collectaneis lib. 2. Cõſtantinopoli publicũ feſtũ indictum eſt, & ſolennis pompa à Pulcheria Imperatrice, in translatione 40. martyrum ſub Licinio Sebaſte Armenię interfectorũ.

Maximus homilias habet de natiuitate Ioannis, de Stephano, de Agneta, &c.

Diem translationis reliquiarũ Ignatij fuiſſe feſtum, autor eſt Euagrius lib. 1. cap. 16.

Vrſulæ ſolennitatem celebrari undecimo Calendarũ Nouembris, refert Bergomẽſis.

Sidonius Auernorũ epiſcopus mentionẽ facit cuiuſdam ſolennitatis Lucanæ, cuius gratia & ipſe, & magna hominũ utriuſq; ſexus multitudo conuenerint ad ſepulchrũ. Iuſtinus epiſtola ad Eriphium, libro 5.

Poſtremò de uſu iſtorũ feſtorũ inquit Auguſtinus: Deo, beneficiorũ eiº, ſolẽnitatibus, feſtis & dieb. ſtatutis dicamus, ſacramusque memoriã, ne uolumine tẽporũ ingrata ſubrepat obliuio. lib. de ciuitate Dei 10. capite 4. Chryſoſt. quoq; ſermone de reſurrectiõe octauo, piè monet, Feſtos dies agẽdos: & reprẽdit eos qui per abuſum feſtiuitates conferebant ad luxũ, gulę & uentris uoluptates.

Nec dubiũ eſt, hoc tẽpore nondũ tam horrendas idolomanias & cultus ſtatuarũ, imaginũ, & alia inualuiſſe, ſicut ſequentib. ſeculis eſt factitatũ. Sed tamen cœperunt illi ſuperſtitioſi cultus plus ſatis hoc ſeculo.

RITVS CIRCA NVPTIAS.

ETiam hoc ſeculo nuptias ſolenni more celebratas eſſe, ex ſequẽtibus patebit. Nam miniſtros Eccleſiæ publico ritu nouos cõiuges coniunxiſſe, ex Nicephoro lib. 14. cap. 55. apparet: ubi Syneſius dicit, Deum & leges, & ſacrã Theophili manũ, uxorẽ ſibi deſſe. Sponſalia ſeu nuptiales cõtractus ſecundũ politicas leges factas eſſe, ex Chryſoſtomi hom. 74. in Matth. tomo 2 conſtat. nã is aſtutiã ea in re adhibitã reprehẽdit. Stipulationes enim, inquit, nuptiarũ maiore aſtutia cõponunt, quàm eas quæ in uendẽdo & emendo cõfici ſolẽt. Nuptialia etiã cõuiuia celebrata eſſe, & ad ea inuitatos uenerabiles uiros & matronas, & uirgines, mũdiori etiã ueſtitu cõuiuas cõparuiſſe, Chryſoſt. in 4. ca. ad Coloſſ. indicat. Ad eos etiã exhilarãdos cymbala, tibias, cãtica & ſaltationes eſſe exhibita & uſurpata, idẽ Chryſoſt. teſtatur homilia 42. in acta Apoſtolorum.

Nuptialium lampadũ meminit Iſychius libro 4. Commentariorum in Leuiticum.

Subrepſerũt aũt aliqui abuſº: quales ſunt, quòd multiplicarunt menſas, q, etiam ſcorta ad nuptias inuitarũt: & q, maiorem de dote quàm de probitate ſponſæ curam geſſerunt: & cum infidelibus matrimonium contra-

xerunt.

xerunt. Sed eos Chrysostomus reprehendit.

RITVS CIRCA SEpulturas.

PIorum cadauera honorificè sepelierunt. & diuites quidem, qui nimis magnos fecerũt in ea re sumptus, reprehẽdit Augustinus de ciuitate Dei lib. 1. cap. duodecimo. id quod etiam Chrysostomus facit.

In luctu quosdã peculiares gestus adhibuerunt: & expressè dicit Chrysost. cruentasse eos brachia, scidisse capillos, laniasse genas, brachia nudasse, & nigris se uestibus obuelasse. quòd ipsum etiam ualde reprehendit: ac dicit, se quidem non prohibere mortuos lugere, sed impudẽter lugere, nec lachrimare super defunctum, id improbandũ esse: homilia sexagesimaprima, in undecimum cap. Iohannis: item in Exhortatione morali, Sermone tertio in primum ad Philippẽses cap.

Eum quoque morem, quòd aliquæ mulieres lugentes cõduxerint, quæ ratio haud dubiè ab Ethnicis sumpta est, acerbè reprehendit: & grauiter minatur, se eiusmodi ab Ecclesia prohibiturum: in secundum ad Hebræos caput, Homilia quarta.

Lampades ardentes in funerum ceremonijs adhibere, moris fuit: item hymnos decantare. nam Chrysostomus inquit: Dic mihi, quid uolunt sibi istæ splendidæ lampades? quid hymni? & paulo pòst: Cogita quid psallas in illo tempore. Reuertere, inquis, anima in requiem tuã, quia Deus benefecit tibi. Item: Non timebo mala, quia tu mecũ es, &c. in secundum ad Hebræos caput, Homilia quarta.

Homilia quoq; sexagesima prima inquit, honorem mortuo non esse fletum, non eiulatum: sed hymnos & psalmos, & optimam uitam. Atq; ibidem etiam disertè inquit: Perditus, si in funere uniuersam habuerit ciuitatem, nihil lucrabitur.

Certa quoque loca habuisse, in quibus terræ defunctorum corpora sint cõdita, idq; utplurimùm extra urbes, constat. nam ita scribit Chrysostomus: omnem ciuitatem, omne castellum ante ingressum habere sepulchra. Sermone de fide & lege. Prosper Aquitanicus episcopus, extra urbẽ elatus & sepultus est, in templo beati Apollinaris: in uita ipsius. Ita & Armenium, Iustini in episcopatu Lucanico successorem, extra urbem elatum iam mortuũ, refert Gregorius Turonicus libro secundo, cap. 1.

Cœmiteriorum meminit Augustinus epistola sexagesimaquarta. Est & apud Euagriũ nox cœmiterij, lib. 1. cap. 16.

Magnam uerò fuisse curam & religionem sepulchrorum, ex Sidonio patet. qui scribit, seipsum, cum aliquando interueniisset, prohibuisse quosdã homines prophanos, sumpto de ipsis supplicio, quia proaui tumulum uiolassent: Epistola ad Secundum, lib. 3.

Magnifica sepultura extructa, ex homilia Chrysostomi septuagesimanona, in decimũ septimum caput Iohannis animaduertitur.

Et de sanctorũ martyrum sepulchris meminit in libro contra gentiles, ubi de Babyla martyre.

Ad sepulchra adorasse plurimos, item super mortuos luxuriosè bibisse, imò etiam ipsis cadaueribus exhibitas epulas, easq; uoracitates & ebrietates pro religione insuper habitas, disertè Augustinus, & ualde reprehendit, libro de moribus Ecclesiæ primo, capite tricesimoquarto.

Inualuit hoc etiam tempore illa superstitio, quod pro defunctis preces fecerunt, & eleemosynas distribuerunt: sicut patet ex Chrysostomo homilia sexagesima prima in undecimum Iohãnis, & in primum ad Philippenses, Sermone tertio.

Vsitatum porrò fuit defunctorum & martyrum celebrare memorias: ut ex Augustino apparet. libro enim de ciuitate Dei octauo, capite uigesimoseptimo inquit: Martyribus non constitui templa, sacerdotia, sacra & sacrificia: sed honorari tãtùm eorũ memorias ut sanctorum hominũ Dei, qui usq; ad mortem suorum corporum pro ueritate certarunt, ut innotesceret uera religio, falsis religionibus uictis, atq; conuictis. Ad eundem planè modum loquitur & libro uigesimosecundo, capite decimo. Atque ex utroque loco hoc est perspicuum, ad martyrum memorias cœnam quoq; Dominicam administratam. ac suo loco & ordine ipsorum nomina martyrum recitata: non tamen ipsos martyres inuocatos: id quod disertè negat. Hoc quoque ex priore loco clarùm est, allatas à Christianis ad martyrum loca epulas: quas ubi appositas fuisse, orarint, & rursum abstulerint, ut uel ipsi uescerẽtur, uel etiam indigentibus inde aliquid largirentur. idq; ideo fecisse, quòd martyrum meritis eos cibos quasi sanctificari, uana quadam superstitione crediderint. Hunc tamen ritum sibi non probatum esse, uideri potest inde, quòd eos qui in Christiana pietate melius instituti fuêre, hoc ipsum minimè fecisse scribat: sed nec ubiq; locorum eam consuetudinem fuisse receptam.

De abolẽda cõsuetudine epulãdi in cœmiterijs, cõsilia cũ Aurelio episcopo Augustinus cõfert. Et eiusmodi cõsuetudiné in maxima Italiæ parte aut fuisse nunquam, & omnib. penè transmarinis Ecclesijs, aut iam piorum doctorum studio & opera abrogatã narrat.

Oblationes pro dormientium spiritibus in memorijs factæ, tantùm fuerunt distributiones eleemosynarum in pauperes: ut pa-

ter

tet ex Augustini epistola sexagesimaquarta.

Idem Chrysostomus significat in Oratione de Martyribus.

Pauli apostoli epistolas lectas, quando ad martyrum memorias agendas cõuenissent, Chrysostomus autor est, in argumento Epistolæ ad Romanos.

Superstitio, ut solet fieri, etiam ita excreuit, ut passim in agris & uijs aras ueluti memorias martyrũ extruxerint: quam quidem rem necesse fuit seriò reprehẽdere, ut liquet ex canone concilij Carthaginensis quinto, qui extat de cons. distin. 1. Placuit ut altaria. In quo mandatur euersio eiusmodi memoriæ recipiãtur, nisi planè constet, aut corpus, aut certas ibi conditas reliquias, aut etiam alicuius martyrij aut habitationis certa haberi origo possit. In Conciliorum Tomis, sub Anastasio Romano Põtifice. Huic Canoni statim alius subiungitur: quòd nimirum Synodo placuerit, petendum ab Imperatore, ut passim reliquiæ non solùm in simulachris, sed in quibuscunq; locis, uel lucis, uel arboribus, omnibus modis deleantur.

DE RELIQVIIS ET *translationibus.*

SIcuti priori seculo cœperat consuetudo transferendi Sanctorũ reliquias: ita hoc quoq; non modò mãsit, sed ad superstitionẽ usq; aucta est. accessit etiã honos, ipsis habitus: qui tametsi non impius tam crassè initiò fuisse uideri potest, tamẽ successu temporis paulatim magis magisq; (ut fieri solet) in superstitiosum cultum excreuit.

Cryptam Michaelis archangeli in Gargano monte inuentam sub Zenone Imperatore, narrat Iuonis Chronicon: cum quo & Sigiberti Chronicon congruit.

Zachariam prophetam à Ioa rege Iudææ occisum, reperit casu quidam agricola circa Eleutheropolim Palæstinæ: idq; in Theodosio iuniore recitat Nicephorus, talium nugarum plenus, libro decimoquarto, cap. 8.

Barnabæ apostoli reliquiæ inuentæ sunt in Cypro, sub arbore ceratea, habentes sub pectore Euangelium Matthæi, manu ipsius Barnabæ scriptum: quod Imperator Zenon in palatio sub alia corona condit, ut commemorat Theodorus Lector libro secundo Collectaneorum. Habent quidam, Euangeliũ illud Hebraicis fuisse conscriptum characteribus, idq; manu ipsius Matthæi.

Beda de ratione temporum in Theodosio narrat, à coniuge Theodosij Eudoxia, Stephani reliquias, Constantinopolim Hierosolymis remeante ũnà translatas, & in basilica sancti Laurentij positas esse. Cum Beda autem conuenit aliqua ex parte Theodorus Lector, in fine libri secundi Collectaneorum. qui cum Stephani simul & Laurentij, etiam Agnetis reliquias Cõstantinopoli depositas in martyrio sancti Laurẽtij, refert: idq; factum sub Imperio Theodosij Iunioris, die Septembris uigesimoseptimo. idem tradit Vincentij Speculum libro decimonono, capite sexto.

Addendum & hoc est. In Africa pluribus in locis reliquias Stephani fuisse, ex Augusti ni de ciuitate Dei libro uigesimosecundo, capite octauo patet.

Sub Imperatore Arcadio, & patriarcha Attico, è Iudæa Constantinopolim allatas reliquias Samuelis prophetæ, & in prophetico loco, duodecimo Calend. Iulij collectas, Theodorus Lector libro secũdo scribit. Sub Zenone Alexandriam delatas, refert Sabellicus enumeratione octaua, libro secũdo: cui & Platina concinit.

Heliseum, qui & leprosum sanauit, & leprosum fecit, in Pauli leprosi monasterium translatum Alexandriam, Heinrici de Erphordia scripta produnt. meminit & Vrspergensis.

Saracenis Aegyptum incursantibus, Marci corpus ab Alexandria Venetias translatũ est: ut Antoninus est author titulo undecimo, capite secundo, § secundo. meminit & Sigebertus.

Sub Arcadio & Honorio, Abacij & Micheę prophetarum corpora reuelata esse, Beda De ratione temporum asserit.

De translatione Iohannis Chrysostomi quædam commemorat Nicephorus, quæ tamen superstitionem redolent. Missis enim ab Imperatore legatis, tumulum primum sese prorsus immobilem præstitisse, donec per literas martyri supplicatus sit Imperator, ut se inde abduci pateretur: id quod postea sit factum. Ibi uerò præter alia, quæ superstitiosa sine dubio sunt, & hoc refertur esse factũ: quòd cadauer in thronum collocatum, aperto ore benedixerit populo. libro decimoquarto, capite quadragesimotertio. Translationis meminit etiam Socrates, sed non illius benedictionis, libro septimo, cap. quadragesimoquinto: idq; uigesimaseptima die Ianuarij. Item Theodoretus lib. quinto, capite trigesimosexto.

Ab eodem Imperatore & Flauiani corpus Epheso translatum est Constantinopolim: ut Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimonono tradit.

Zenone petente Antiochiam, delatę sunt à Philippis Macedoniæ, reliquiæ Eustathij, ubi ipse in exilio mortuus fuerat: quæ & ipsæ maximo cũ honore sunt exceptę. Theodorus Lector in Collectaneis, ab initio libri secundi.

Cõstantinopoli extra muros, in quodam

occulto ſubterraneo oratorio, quadraginta martyres ad Sebaſten Armeniæ ſub Licinio paſsi, Thyrſi martyris apparitione (ſi credere fas eſt) reperiuntur: qui in thecam incluſi, iuxta Thyrſim collocati ſunt, cultu peculiari addito. Huic inuentioni ſe quoq; interfuiſſe ſcribit Sozomenus, libro nono, capite ſecundo. Sic ſcilicet malus ſpiritus impoſuit deditis ſuperſtitioſis cultibus. Quaſi uerò iſti martyres non potuiſſent cubare eodem modo in occulto, quo in iſta theca, cũ abuſu nominis diuini.

Sic & Ignatij reliquiæ iam Antiochiam ſunt illatæ, & in templum quod ipſi ſtructum erat reconditæ, addito feſto in eius honorem, ſub Theodoſio poſteriore: ut Euagrius lib. primo, capite decimoſexto narrat: & Nicephorus cap. quadrageſimoquarto libri decimiquarti.

Florentiæ Zenobius epiſcopus, poſt quinquenniũ à ſuo obitu, ab eccleſia Laurentiana, ſita ante portas, ubi tumulatus fuerat, transfertur ad templũ cathedrale, quod erat in urbe Saluatori ſacrum. Caput quoq; à reliquo trunco auulſum (ô parricidas, ô crudeles latrones in mortuum) & argento opertũ, populis ſpectandum propoſitum eſt, circiter annum quadringenteſimum uigeſimumnonũ, die Ianuarij uigeſimaſexta. Antoninus titulo decimo, capite duodecimo, § primo.

Auguſtinus de reliquijs Stephani ſcribit, ſuperſtitioſum & magnum concurſum multitudinis ad eas in Africam uſque factũ, dementatis populis quibuſdam illuſionibus, quæ pro miraculis habitæ ſunt: libro de ciuitate uigeſimoſecundo, capite octauo. Reliquiarum Stephani, mentionem habet etiam Proſper Aquitanicus, de promiſsionibus & prædictionibus Dei capite ſexto.

Auguſtinus etiam lib. de ciuitate Dei primo, capite uigeſimoſexto ſcribit, celeberrima ueneratione frequẽtari martyria quarundam fœminarum, quę perſecutionis tempore ſeſe ipſas in flumen quoddã præcipitauerant, quò pudicitię ſuę inſectatores effugerent. Verùm etiam ipſe doctor dubitat, numnam hoc rectè factum ſit.

Caput Iohannis baptiſtæ Hieroſolymis à monachis inuentum, ac in urbem Phœnicię Emiſſam non translatum modò, ſed & honore cultũ, Beda de ratione temporũ narrat, ſub Marciano & Valentiniano Imperatore. Facit & Sigiberti Chronicõ eius mentionẽ.

Sic & caput Vrſulæ Bergomũ non translatum tantùm, ſed & ipſum in ueneratione habitum, idque in Auguſtini collegio, aſsignauit Supplementum Chronicorũ Iacobi Philippi, in Marciano Imperatore.

Reliquias Euphemiæ martyris Chalcedone Bithyniorum, in proprio delubro conditas, edere miracula, teſtantur hiſtoriæ: ut Euagrius libro ſecundo, capite tertio: item Nicephorus libro decimoquinto, capite tertio & quinto.

Ex hiſce apparet, hoc tempore defunctorum culturam inualuiſſe, & illuſiones quaſdam ac faſcinationes diabolicas (ut fit) acceſsiſſe.

MONACHORVM ritus.

FVit hoc ſeculũ fœcundiſsimũ eo genere hominum, quod monaſticen profiteretur: adeò, ut nullus penè terrarum angulus fuerit, in quo non eiuſmodi utriuſque ſexus collegia fuerint: ut ſequentia teſtabũtur. idque partim ex obſcuratione doctrinæ de Iuſtificatione & ueris cultibus Dei, tum etiam ex praua æmulatione Eſſenorum. Verùm iſta omnia contra uerbum Chriſti, Fruſtra me colunt mandatis hominũ: Matthæi decimoquinto. item Matthæi 24. de cellis & deſertis locis religionis ergò uitandis.

Per Palæſtinam, Meſopotamiam, Cappadociam, ac totũ Orientẽ fuiſſe monaſteria, eſt ex Caſsiano maximè perſpicuum, libro tertio de Canon. diurnarum orationum & pſalm. modo, cap. tertio: & decimonono, libro quarto. Hieroſolymis certè multa ſacra monaſteria, item lauras, id eſt anguſtas monachorum cellas, ſcholasque diuinas (Euagrius phrontiſteria & lauras eam extruxiſſe ſcribit libro primo, capite uigeſimoprimo) excitaſſe Eudociam Imperatoris Theodoſij coniugem, Nicephorus refert libro decimoquarto, capite quinto. Zonaras quoque tomo tertio, eandẽ multa monaſterijs Hieroſolymitanis impendiſſe memorat. Geraris in Palęſtina monaſtico cõtubernio præfuiſſe quendam Zachariam, Nicephorus memenit libro decimoquarto, capite octauo.

Euthymius monachus excelluiſſe in Palęſtina, atq; ibidem ingens conſtruxiſſe monaſterium, ſcribitur à Nicephoro libro decimoquarto, capite quinquageſimoſecundo.

Apud Scythas, Thraces, Indos, Perſas, plures q; reliquos barbaros, eſſe monachorum cateruas, & uirginũ choros, Chryſoſtomus conſtanter adfirmat ſermone tredecimo, in explicatione octaui capitis ad Romanos.

Euagrius cuiuſdam monaſterij quod Euprepij dicatur, mentionem facit, idq; haud longius duobus ſtadijs à Theophili (ea eſt Antiochia, ut ex lib. 4. cap. 6 eiuſdem liquet) poſitum ſcribit, in quo poſt condemnationem aliquandiu uixerit Neſtorius. libro primo, capite ſeptimo.

De Monaſterijs per Ægyptum & Thebaida, teſtatur Caſsianus, qui plurima de ipſorũ inſtitutis tradit libro primo, à capite quarto per aliquot ſequẽtia: itẽ libro ſecundo, capite quarto

te quarto de canon.noctur. orat. & psal. nominatim in Thebaide apud Tabennesiotas fuisse refert cœnobiũ, in quo amplius quinque millibus fratrum, sub unius abbatis rigida gubernatione, summa cum obedientiæ laude uixerint.libro quarto de institutis renunciantium, capite primo.

Plurima certè fuisse monasteria per Aegyptum, & præcipuè circa Alexandriam in Scethi quodam loco: item in monte Nitria, argumento esse possunt ea quæ commemorat Socrates libro sexto, capite septimo. ubi magna monachorũ multitudo, aduersus Theophilum Alexandrinorum episcopum conflictura, confluit: quos ille insidiosè in suas partes pertractos, in ipsorum fratres monachos dictos Longos armat, eorumque in supradictis locis monasteria occupat & uastat: ut Nicephorus expresè scribit libro tredecimo, capite decimo. In Peluso monte quendam Isidorum præfuisse monachis, refert Nicephorus lib. decimoquarto, capite quinquagesimotertio. Chrysostomus inquit: Non ita uarijs astrorum choris cœlum refulgere, ut Aegyptus innumeris monachorum ac uirginum distinguatur ac illustretur habitaculis. homilia octaua in caput Matthæi 2.

De reliqua Africa testis est Augustinus, qui in Psalmi centesimi tertij explicatione, diuites hortatur, ut facultates, agros, uillas, hortos seruis Dei erogare, & ecclesias ac monasteria ædificare uelint. Imò epistola undecima, monachis seipsum accensere non pœnitet, cum inquit: Ego in paruo tuguriolo cum monachis meis, id est comprecatoribus meis, de magnis aliquid statuere non audeo. In libro de Ecclesiæ moribus primo, capite tricesimoprimo, ex professo dicit, esse cœtus numerosos tum uirorum tum mulierum, qui simul congregati communẽ uitam agant, quorum & uitæ ac morum ipse institutа recenset.

Prosper Aquitanicus meminit monasterij puellarum, quod Carthagini fuisse uidetur: capite sexto de promissionibus & prædictionibus Dei.

Historia Victoris de persecutione Vandalica in Africa, diserte commemorat, quòd sint multa monasteria uirginum & puellarum incensa, & miserè uastata ab illis truculentis hominibus: libro primo & sequenti. bus. ac exprimit etiam nomẽ cuiusdam monasterij, quod Tabracenum appellat, eodem primo libro.

Nec Europa monasterijs caruit. Thracia certè, uel Chrysostomi testimonio clara est, cum & in ea regione & monachorum catheruas & uirginum choros esse scribat: in explicatione octaui ad Romanos capitis, in sermone tertio & decimo.

Soror Imperatoris Theodosij posterioris Pulcheria, multa monastica contubernia extruxisse scribitur, in primo capite libri noni Sozomeni: item libro decimoquarto, capite secundo Nicephori.

Monasterij Olympiadis Constantinopoli crebra est mentio apud Nicephorum libro tredecimo, capite uigesimoquarto: exustum & restitutum narratur capite uigesimoquarto eiusdem libri. In exilium autem abitura, illud Marinæ cognatæ relinquit. Ibidem etiam Sergia quædam, eius monasterij præses uocatur. Constantinopoli quoq; fuisse collegium quoddam monachorum qui Insomnes dicti sunt, Nicephorus capite uigesimotertio libri decimiquinti tradit.

Massiliæ in Gallijs duo monasteria condidisse Casianũ, & multos utriusq; sexus monachos cõgregasse, Gennadius in Catalogo autor est. Martinum duobus milibus ab urbe Turono monasterium instituisse octoginta fratrũ, narrat Paulinus Petri, in ipsius historia libro secundo.

Meminit monasterij in Italia Pineti Ruffinus Aquileiensis, in epistola ad Paulinũ Nolanum: quæ prefixa est benedictionibus undecim Patriarcharum.

¶ Non autem unum fuisse monachorum genus, facilè animaduertet, qui uel parum historias Ecclesię degustarit. De Palęstinę monachis scribens, quatuor genera enumerat Euagrius. unum eorũ qui gregatim unà uiuant, nihil certi possidentes rerum terrenarum, nõ modò auri, sed nec aliarum rerũ: omnia habentes ita cõmunia, ut qua ueste hic usus sit heri, eadem hodie alius utatur. mensam itidem illis appositam communẽ ex oleribus & leguminibus, nec non & preces cõmunes ad Deum fecisse: ac biduano, triduano quoq;, imò quinq; & amplius dierum ieiunio & laboribus usq; adeò se attriuisse, ut sine sepulchris mortui sint habiti in terra. Alterum genus ab his diuersum est, ex ijs nimirũ qui se solos paruis casis incluserunt, quæ & latitudine & longitudine fuerunt tali, ut neq; erigere sese prorsum, neq; etiam cubare commodè potuerint. Ex his nõnulli etiam sub dio cum feris uersati sunt, nonnulli cauernis & latebris usi. Tertium genus, præter formam humanam nihil habet: tantum autem quæ natura tecta esse uoluit tegunt, cæterà nudi, in solitudinibus uagantur, uiri pariter & mulieres, nec ullam corporis curam gerunt, algoris & æstus iuxtà tolerantes, radiculis & herbis uescentes: unde & Armenta dictos, autor prædictus scribit. neq; id abs re: nam & humanam naturam eos exuere, & in feras degenerare, usque adeò, ut & ipso aspectu sint horridi: &

cæteris hominibus quoq; uisis, ocyus in pedes sese conijciant, quorum pernicitate aut elabantur, si quis insectatur, aut aliqui locis inaccessis sese abdant. Quarti deniq; sunt, qui Circulatores sese nuncupant, quòd gesticulationibus quibusdam insaniam simulẽt, atq; hoc modo inanem se gloriam conculcare arbitrantur. Qui posteaquam tam diu ad uirtutem sunt assuefacti, eius ut habitum consecuti uideantur, ita quidem ut ab omnibus sese continere possint, nec ullis affectionibus moueantur, redeunt ad seculum, & in medijs hominum turbis uersantur, uiri iuxtà ac mulieres, cibum capientes uel in caupona, uel etiã in lupanari, si ita res ferat, nullam loci rationem habentes, neq; quenquam hominum reuerentes. Balneis frequenter utuntur uiris mixtæ mulieres, quarum tamen nec aspectu, nec tactu, nec complexu mouentur, ut naturæ quasi uim facere uideantur. Hæc & alia plurima, fidem omnem excedẽtia, de hoc quarto genere recensẽt Euagrius libro primo, capite uigesimo primo. Prolixè quoq;, ut alia, de his narrat Nicephorus, qui & peculiaria nomina eis attribuit. Primos enim Cœnobitas nominat, secundum genus Eremitas: tertios βοσκοὺς, id est pabulatores: postremos ἀπαθεῖς, id est non dolentes. libro decimoquarto, capite quinquagesimo.

Monachorũ Ægypti aliquot etiam genera recitat Pyamon abbas, apud Cassianum collatione decimaoctaua, capite quarto: utpote Cœnobitarum, qui in cœtu simul unà degentes, unius senioris iudicio gubernantur, cuius generis maximus numerus monachorum per uniuersum Ægyptum moratur. Alterum genus ponit Anachoretas, id est Secessores, qui prius in cœnobijs instituti, in secreta solitudinum loca secesserint: cuius professionis se quoq; participẽ dicit. ac horum autores primos scribit fuisse uel Paulum quendam abbatem, uel Antonium: capite sexto, & capite trigesimosexto libri quinti, de spiritu Gastrimar. Tertium genus nominat Sarabaitas, quos Ægyptiacæ linguæ phrasi sic appellatos refert, quòd semetipsos à cœnobiorum congregationibus separarint, & res suas singillatim ac necessitates proprias curarint, bini uel terni in cellulis sub nullius abbatis aut prępositi gubernatione, quò liberum esset quiduis pro arbitrio agendi, & euagandi quò animi libido ferret. Et tantum studium his esse cumulandi multas diuitias. His subiungit quartũ genus, quod suo tempore, aut non ita multo longè antè emerserit: qui cũ nõ sint ueri anachoritæ, ijs tamen adnumerari uelint, quòd & ipsi singulis cellis singuli delectentur: quod tamen reprehendit capite octauo.

De uestitu eorum.

Monachi uestem eiusmodi esse debere docet Cassianus, ut corpus cõtegat tantum, & nuditatis uerecundiam operiat, & frigoris iniuriam arceat, non quę uanitatis & elationis seminaria foueat. libro primo, capite 3.

Monachũ accinctis lumbis iugiter oportere incedere, ut militẽ Christi, qui semper ad bellum sit paratus, exemplis Heliæ, Heliśei, Petri, Iohánis & Pauli, idem satis temerè asserit libro primo, capite secundo.

Ægyptiorum monachos, scribit idem, die bus ac noctib. indesinenter uti cucullis peruis, quę caput contegentes, ad cernicem & humeros demissæ sint. libro primo, capite quinto.

Colobijs lineis indutos eosdem narrat, quæ ad cubitorum ima tantum pertigerint, nec manicas habuerint, sed nudas manus circumtulerint: capite quinto.

Rebrachitoria quoq; nominat, quæ dicit græcè appellari ἀναλάβας, Latinè Succincto ria seu Redimicula: eaq; fuisse uesticulas duplices, laneo plexas subtegmine: quæ per summa ceruicis descendentia, & à lateribus colli diuisa, utrarumq; alarum sinus ambierint, quibus hinc inde succincti uestimenti amplitudinẽ ad corpus cõstrinxerint, ut ita ad omne opus magis expediti essent. cap. 6.

Vsos & angustis pallijs, quibus collum pariter & humeros texerint: idq; Mautoremappellasse, idem author est capite septimo.

Gestarunt & peras, quas & pelles capri nas & meloten appellat: similiter & baculũ quæ symbola esse uoluerunt affectuum, & carnis petulantiæ mortificandæ. capite octauo & nono.

Calceamentorum usum ipsis fuisse nullum, idem commemorat: in quo Euangelicum interdictum obseruare uideri uolebant. Si quando tantum uel corporis infirmitas, uel matutinus hyemis rigor, uel meridiani ęstus feruor cogebant, caligis tantum pedes muniebant. capite decimo. In alijs autem prouincijs, pro situ & ratione locorum, & recepto usu, uarias uestes in usu fuisse, ex capite undecimo eiusdem primi libri Cassiani, de habitu monachorum, apparet.

De ratione œconomiæ & uictus.

Oeconomos in plerisq; monasterijs fuisse, quibus earum rerum quæ ad uictum pertinent, dispensatio & cura commissa fuerit, ex capite decimooctauo & uigesimo patet, libro quarto de Institutione.

Habuerunt & peculiares ex fratribus ministros, quorum opera in quotidianis obsequijs sibi præstandis usi sint, maximè in monasterijs Mesopotamiæ, Palęstinæ & Cappadociæ. & quidem singulis septimanis peruices sibi in officia successerunt: neq; id etiam sino

sine ceremonia. Nam ubi per totam hebdomadam magno studio & diligentia, ac certatim sua obierunt munia, sub Dominici diei cœnam, totius septimanæ ministerium concludebant lotione pedum, quam exhibebant ordine uniuersis fratribus, in unum congregatis ad concinendos psalmos, quos ad quietem iam se composituri de more dicebant. Ac sequenti die, quam secundam Sabbati autor nominat, post matutinos hymnos, uasa & cuncta utensilia sibi in ministerio succedentibus tradebant, magna cura & solicitudine consignata. capite nono & decimo eiusdem libri.

Apud Aegyptios uerò non fuit istorum hebdomadariorum ministrorum usus: sed illi diuersa ratione uni ac certo alicui, fratrum iudicio probato, uel peni uel culinæ curam commiserunt, ita quidem, ut quàm diu per uires & ætatem posset, ea administraret fide & diligentia qua posset maxima. cap. uigesimosecundo eiusdem libri.

Victus cum fuerit apud diuersos ratio diuersissima, hoc in genere dici potest, maximum ipsis usum præbuisse legumina, olera, & siccum panem: ut ex capite quinto libri quinti de Spiritu gastrimargiæ intelligi potest. De Aegyptijs singillatim meminit, eos non magnâ curâ parâdis cibis & coctionib. impendisse, sed plurimũ usos xetrophagijs, & homophagijs. Et uoluptati fuisse, secta sin gulis mensibus porrorum folia, labsania, salsum, oliuas, pisciculos minutos salitos, quos etiam peculiari nomine Menominia uocarint. capite uigesimosecundo libri quarti. Ac commemorat sanè etiam undecimo capite eiusdem libri, quoddam cibi genus, quod maximarum deliciarum loco alicubi sit acceptum, si quando fratribus in refectione fuit appositum, uidelicet herbam quam Lapsanum uocant, sale conditam, & aqua diluitam.

Maxima & crebra ieiunia exercuisse eos qui Monasticen professi sunt, suprà de Ieiunijs est dictum. Apud Aegyptios, maximè Tabennensiotas, si quãdo ad sumendum cibum unà accubuit magna fratrum multitudo, tantum præstitêre silentium, ut præter decuriæ, seu (ut ipse loquitur) Decaniç pręfectum, nullus ne quidem mutire auderet. Qui tamen etiam ipse sonitu potius quàm uoce indicat, si quid est uel mensæ apponendum, uel inde remouendum. Vescentibusq; cuculla supra oculorum palpebras demissa fuit, ne scilicet liber patêret prospect⁹ ad curiosius intuenda alia, quàm quæ suis in mensis essent apposita. capite decimoseptimo libri eiusdem.

Diebus sabbati, & Dominicis item ferijs prandium pariter & cœnam fratribus exhibitam, cæteris diebus non item, ex cõtextu duodecimi capitis colligitur. Item cœnam illorum dierum tantum simplici oratione, nullo psalmo dicto, & auspicatâ & finitam. Solenniora uerò prandia & canonicam ieiuniorum refectionem, & præcessisse & subsecutos certi generis Psalmos, quos ille Consuetudinarios uocat, ex eodem capite planum est.

Extra mensam, siue antè uel pòst, non licitum fuit quicquam cibi penitus degustare. Et hoc quidem usqueadeò seuerè obseruatum est, ut etiam per medios hortos & pomaria incedentibus, non fuerit permissum, non modò ex arboribus eorum quæ ultrò se offerrẽt, quicquam decerpere: sed neq; eorum quæ passim strata humi iacêrent, pedibus etiam interdum calcanda tollere, & ori admouere. libro quarto, capite decimooctauo, de institutione renunciantium: item libro quinto, capite uigesimo, de spiritu gastrimargiæ.

Habuerunt autem solennes ac quotidianos suos cõgressus, quos Synaxes uocarũt, quibus ad canendos aliquot Psalmos & faciendas preces conuenerunt: idq; statutis temporum horis. nam tertiam, sextam, & nonã obseruarunt. libro secũdo, cap. 2. de Canone diurnarum orationum & psalmorum modo. Et capite nono ac duodecimo, & sępe aliàs, orationum Canonicarum, imò & Horarum appellationes eis attribuit.

Noctu autẽ ut plurimùm monachos conueniisse, ex eodem secundo secundi libri capite planum est, uocatiq; sunt hi Nocturni congressus, Quotidianæ uigiliæ. capite decimoseptimo eiusdem libri.

Nocturnas uigilias secutæ sunt matutinæ orationes, post non ita longum interuallũ. Easq; suo primùm tempore institutas, diserte scribit libro tertio, cap. 4. Quibus finitis, non licuit ad somnum reuerti: capite quinto, libro eodem. Ac uigilias ea nocte quæ illucescit in Sabbati diem, agere, fuisse uniuersale per totum Orientem, capite nono differit.

Hinc demum illæ diurnorum officiorum horæ suo ordine successerant: tertia, sexta, nona, quibus ad orationes & cantilenas cõgressi sunt. libro tertio, cap. 3. Vespertinas quoquẽ preces usitatas fuisse, tum ex præcedenti, tum ex hoc tertio capite apparet. Præterea in ijs locis, ubi hæc horarum distinctio fuit usitata, tamen dieb⁹ Dominicis, neglectis illis horis, semel tantum, idq; ante prandium, conuenerunt ad communionem Dominicam: quem congressum author, sicut sæpe aliàs, Missam uocat. capite undecimo, libro tertio.

Psalmorum autem canendorum, & faciendarum

endarum precum, non eadem ubiq; fuit ratio. Alibi namq; plures, alibi pauciores decantati sunt Psalmi: sicuti capite secundo secundi libri expressè tradit Cassianus de canone nocturnarum orationum & psalmorũ modo. Per Ægyptum & Thebaidem duodenarium Psalmorũ numerũ tam in uespertinis quàm in nocturnis congressibus religiosissimè obseruatum esse ait. Quibus lecti ones binç, ueteris Testamenti una, & noui altera, subiectæ sunt. Sabbati uerò & Dominico die, utramq; ex nouo Testamẽto, unam ex Apostolo, uel Apostolorum actibus, alteram ex Euangelijs recitatam: atqueid etiam per totam Quinquagesimam seruatũ scribit, capite quarto, quinto & sexto eiusdem libri.

In Palęstinæ, Mesopotamię, ac totius Orientis monasterijs, trinis tantum Psalmis absoluisse horas suas quotidie, memorat libro tertio, capite tertio. In fine nocturnarum uigiliarum semper fuisse decantatum Psalmum 148, Laudate Dominũ de cœlis: & alios sequẽtes. In matutinis uerò Psalmũ quinquagesimum, sexagesimum secundum, & octogesimum nonum.

In uniuersis Italiæ Ecclesijs, finitis matutinalibus hymnis, quinquagesimũ semper Psalmũ cani speciatim, recenset capite sexto, libro tertio.

Illud quoq; moris fuisse uidetur, ut unus aliquis ex cœtu in medium progressus, stans Psalmũ clarius cecinerit: cæteris suis in sedilibus sedentibus, & animaduertentib. magno cum silentio & animorum attentione. capite duodecimo, libro secundo. Ipsæ quoque orationes fuerũt breuiores, sed crebriores, & subinde repetitæ.

Finito aliquo Psalmo, alicubi statim, alicubi non ita citò in genua ad orandum procidisse, capite septimo recitat. Interdũ stantes quoq; & manibus expansis orasse. ibidem. Rursum uno cantante, in Psalmi clausula cæteros omnes cũ clamore succinuisse, idq; stantes: Gloria patri & filio, &c. Verùm in Oriente hoc non obseruatum: sed cum silentio omniũ, Psalmo finito successisse orationem. Eam uerò Trinitatis glorificationẽ antiphona terminari usitatum fuisse. cap. 8.

A uespera Sabbati usque ad uesperam sequentem, item per totos Quinquagesimæ dies, genua per Ægyptum non curuarunt. capite decimooctauo.

Si quis fratrum in diurnis orationum cõgressibus primo Psalmo cœpto ac finito, in nocturnis uerò conuentibus secundo cœpto ac absoluto, non interueniisset, non fuit deinceps ei integrũ ingredi oratorium: sed ante fores fuit ei conuentus dimissio expectanda. Et cunctis ingredientibus, submissa in terram pœnitentia, tarditatis ac negligentiæ culpa deprecanda. Idem Cassianus autor est, capite septimo, libro tertio.

Finitis orationib. Canonicis & congressu, illicò in suas cellulas receperũt sese, quas aut singuli, aut interdum etiam bini simul unà tenuerunt: nec uel paulisper subsistere, & cum altero sermonem conferre licuit, nisi euocato quoq; progredi fas fuit. capite duodecimo, & quinto, ac decimo secundi libri, de Canone nocturnarum orationum, &c.

In ipsis aũt cellulis interdiu suas manuũ operationes & artificia exercuisse, colligi potest ex capite duodecimo, decimoquarto: item ex quinto libri secundi. Et capite secundo libri tertij de Canone diurnarum orationum, & Psalmorum modo.

Per Ægyptum monachi ad labores & manuum suarum operaita adacti sunt, ut non tantum peregrè aduenientes fratres commodè excipere potuerint, uerùm etiam per loca Libyæ, quæ sterilitate & annonæ penuria laborant, imò etiam ijs qui per ciuitates in carcerum squaloribus contabescerent, alendis plurimum alimoniæ mittentes contulerint. capite uigesimosecundo: Cassianus libro decimo de spiritu acidiæ.

De institutis ipsorum.

Cœnobiorum tollegijs unum aliquem electum præfuisse, penes quem summa rerũ gubernatio fuerit, ex Cassiano est manifestissimum. nam Abbatum nomine eos designat: ac capite quidem tertio libri secundi de Canone nocturnarum orationum & psalmorum modo, de ipsius electione scribit. In Ægypto & Thebaide neminem eligi, fratrum congregationi præficiendum, nisi qui ipse prius obediẽdo didicisset, quid obtemperaturis imperari oporteret: & seniorum institutis ipse assecutus esset, quæ iunioribus tradi deberent. Contrà uerò per alias prouincias prius Abbates fieri, quàm discipuli fuerint.

In monasteria recipiendi prius explorabatur animus, & desiderium religionis studio ardens, in tolerandis item iniurijs perseuerãtia, hoc modo. Ad dies decem, & eo amplius, præ foribus excubare cogebatur, & omnium prætereuntiũ fratrum opprobrijs & iniurijs erat expositus. Quibus perferendis ubi satis experimenti de se præbuisse uisus est, tum inquisitum est, ne quid de pristinis suis facultatibus uel nummulis etiam reliquũ esset apud ipsum. neq; enim pecunias quenquam inferre passi sunt, etiam quę monasterij usibus profuturæ fuissent. capite tertio & quarto libri quarti de institutis renunciantium.

Receptus, proprijs uestibus exutus est, & Abbatis manib. monasterij habitu indutus: idq; in communi fratrum conuentu. Exu-

uiæ autem ipsius, œconomo consignatæ sunt cõmisſę ad tempus, quo rursum multis interea explorationibus ipsius probaretur constantia. Quam si animaduerterunt futuram firmam & perseuerantem, eas alicui indigenti donarũt. Sin uerò quocunq; modo aliquid persenserunt, ex quo ipsum minus constantem futurum iudicarunt, spoliato ordinis uestitu, propria ei uestimenta reddiderunt, & monasterio eiecerunt. capite quinto & sexto eiusdem libri.

Satis autem iam probati, non tamen statim uniuerso collegio associebantur: sed per integri anni spacium, sub cuiusdam senioris disciplina, non ita longè à uestibulo monasterij, peregrinorum & aduenarum curam gerere eos oportebat. Hinc reliquo cœtui aggregãdi, alij ex senioribus, cui institutio decem iuniorum commendata erat, committuntur instituendi & ipsi. capite septimo.

Primùm autem assuescunt magno studio ad reprimendas proprias animorum uoluntates, & omnis generis concupiscentias domandas. capite octauo.

Quoscunq; etiam animi motus & subitas cogitationes nõ celare, sed seniori patefacere, neq; de eisdem sibi ipsis sumere iudicium cogebãtur: sed quodcũq; senior ille pronũciarit, illud solum uel bonum, uel perniciosum crẽdere. capite nono.

Assuefacti autem tantam obedientiã præstant, ut modo cellam quacunq; de causa nõ egrediãtur, sed ne quidem ad necessitatem naturæ secedere absq; præpositi uenia uelint. Imperata quoq; tanta animorum promptitudine expedire cupiunt, ut impossibilia sæpius, & quæ ipsorum uires superent, tamen aggredi non recusent, quo animum obediendi paratum declarẽt. capite decimo. Extrecitat eius rei quædam exempla à capite uigesimoquarto, per aliquot sequentia: ex quibus unum est de abbate Iohanne, qui in exploratione positus, iussus à suo abbate per integrum annum, aridum uirgultum terræ infossum rigauit singulis diebus bis, aqua per duo miliaria allata. Alterum est: quòd Mucius quidã, & ipse postea Abbas factus, ad mandatum sui Abbatis, proprium filium in flumen abijcere non detrectauit, uel minima interposita mora, ignarus prorsum, fiquibus esse excipiendum. capite uigesimo liolum, ne quid detrimenti acciperet, ab alisseptimo libri memorati. Vide quæso candide lector, fascinationẽ & superstitionem admirandam: etiam ad cędes parati fuerunt isti religiosi homines. ô astorgos latrones.

De monachis per Aegyptũ & Thebaida porrò commemorat, eos habuisse omnia communia. De suis uerò inquit, fuisse apud ipsos studium habendi annullos quoq;, in digitis gestatos. Armaria item & cistas habuisse, in quibus peculia recõdiderint. quæ ipse, ut suæ professioni indignissima, grauiter reprehendit decimoquinto capite.

Habuerunt & corrigendorum delictorũ disciplinam, quam publicam pœnitentiam subinde nominat Cassianus. Ea fuit eiusmodi, ut qui deliquisset, in synaxi seu publico omnium fratrum cõgressu in terram prostratus, tamdiu ueniam demissè peteret, quamdiu solennitas orationum esset finita. quam quidem impetrabat, ubi Abbatis iudicio de terra surgere iussus fuisset. Ea autem emendatione tantũ leuiora delicta expiabantur. qualia sunt, si quid per negligentiam fuisset uel fractum uel perditum, si non in tempore ad conuentus accessisset, si durius aut contumacius etiam respondisset, si in Psalmorũ modulationib. titubasset: si mandata item statuta officia minus diligenter expedijsset, si dimisso cõgressu nõ rectà ad cellulã redijsset, si cum alio prẽter suum cõtubernalẽ confabulatus fuisset, si cum suspenso ab oratione orasset: si cum parentibus uel amicis, hominibus politicis, absq; Senioris permissu collocutus fuisset: si deniq; literas sine Abbatis autoritate uel dedisset, uel accepisset, &c. Nam grandiora illa & magis atrocia, ut sunt conuicia, manifesti contemptus, contradictiones tumidæ, nimis dissolutus & effrenis incessus, cum mulierib. familiaritas, iræ, rixæ, simultates & iurgia, auariciæ contagium, rerum minus necessariarum affectatio & possessio, postremò & extraordinaria & furtiua cibi refectio plagis uel eiectione ex sodalito puniebant. capite decimosexto. Vides'ne hypocrisin, lector pie, ubi externa & leuiora peccata magis, quàm superstitio, incredulitas, idololatria, puniuntur?

¶ De monachis obiter quædam commemorat etiam Augustinus, libro de moribus Catholicæ ecclesię primo, capite trigesimoprimo: ac ponit eorum duas sectas, Eremitarum & Cœnobitarum. ac de Cœnobitarum institutis ista recenset.

Contemptis atque desertis huius mundi illecebris, in communem uitam castissimã, sanctissimamq; simul eos ætatem egisse.

Vixisse in orationibus, lectionibus & disputationibus modestos, uerecundos, pacatos, uitam concordissimã & intentissimam in Deum, & propterea ei gratissimam.

Neminem ipsorum quicquam possedisse propriũ, nec tamẽ cuiquã fuisse onerosum.

Operatos manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri nõ possit. Suũ aũt illud op° tradidisse suis decanis.

Decanos autem fuisse, qui denis fuerint præpositi. Idq; ideo, ne cęterorum aliquem sui corporis cura tangeret, neq; in cibo, neq;

in uestimento, neque si quid aliud opus est uel quotidianæ necessitati, uel etiam mutatæ ualetudini, ut assolet. Ac illos decanos magna cũ sollicitudine omnia disposuisse, & ut prętò essent effecisse, quęcũq; uita hęc propter corporis imbecillitatem postularet. Rursum decanos illos ista à cæteris sibi tradita opera, ipsos quoq; reddidisse uni, qui uniuerso cœtui præfuerit, quem uocarint Patrem.

Patres autem eos non solùm sanctissimis morib. uiros, sed etiam diuina doctrina excellentissimos, & omnibus rebus excelsos, nulla superbia consuluisse his quos filios uocarint, magna sua in iubendo autoritate, magna in obtemperando uoluntate. Egisse autem sub uno patre interdum terna ut minimùm hominum milia, & amplius. Audiuisse autem eum incredibili studio & summo silentio, & non absq; significatione modesta affecti ex sermone animi.

Hinc corpus refectione curatum, quantum saluti & sobrietatis sat fuerit.

Abstinuisse non solùm à carnib. & uino, pro sufficientia domandarũ libidinum: sed ab omnibus quæ uentris & gutturis prouocarent appetitum.

Quicquid necessario uictui redundauit, (plurimum autem redundauit) tum ex operibus manuum, tum ex epularum restrictione, magna cura egentibus distribuisse: ita quidem, ut onerarias etiam naues in ea loca miserint, quæ inopes incoluerint.

¶ Similia, imò ferè in multis magis superstitiosa, de monachis commemorat Chrysostomus.

Ac primùm quidem, monachorum omnium statuit principem Iohannem Baptistam, satis quidem temerè, & contra rei ueritatem. homilia prima in Euangelium Marci.

Rursum homilia sexagesimanona in uigesimumprimum caput Matthæi, in nimiam propemodum eorum cõmendationem excurrit. ait enim, in montibus ac conuallibus habitare, ac cęlibes ipsos uitam angelicam agere, & cum Deo liberè colloqui.

Animã esse sine omni ægritudine & passione: corpus uerò, quale Adam ante peccatũ. idq́; contra doctrinã de peccato originis.

Ante solis exortum surgere, & constituto choro hymnos decantare, gratias agere pro beneficijs proprijs & communibus.

Hymnis decantatis, orare flexis genibus talia, quę alijs ne in mentẽ quidem ueniant: nihil rerum præsentium, sed tantum ut ad tribunal, cum ad iudicandum uenerit Christus, consistere ualeant, petere.

Orationibus absolutis, exorto iam sole, ad opus se uertere, quò multis pauperibus fructus colligant.

Ita & homilia octaua in secundum caput Matthæi dicit, ipsos ieiunare, uigilare, non indulgere ocio diurno: noctes quidẽ sacris hymnis ac uigilijs, dies uerò orationibus, manuumq́; operibus exercere: proprijs corporis opera ad indigentiũ alimoniã uti, &c.

Homilia quoq; septuagesimatertia, in caput Matthæi uigesimumtertium, quædam eorum instituti enumerat. Ac primùm quidem miram eorum esse humilitatem: nec superbiæ modò locum, sed ne occasionibus quidem ullum relinqui. Non uideri ibi cædentem, neq; etiam læsum: non præcipientem, nec cui præcipiatur. unam esse mensam omnibus, & administrantibus, & his quib. administratur: easdem epulas, eadem indumenta, easdem domus, eundem uiuendi ordinem. meum, & tuum, eiectum inde esse omnino. magnum esse studium in contemnendo primatu: omnes uelle esse ministros, & hoc magna contentione agi. ideoq́; ab uno quoq; ipsorum sine discrimine aduenarum pedes lauari: neq; eos rationẽ habere, siue seruus, siue liberis sit qui aduenit. Ac attingit obiter certa quædam opera, quæ uidentur ipsis fuisse peculiaria: ut findere ligna, accendere ignem, coquere, aduenis ministrare, fodere, rigare, plantare, sportas & saccos texere.

Item ipsos cũ mancis libenter & pauperibus conuersari, & eiusmodi conuiuis ipsorũ mensas quotidie esse plenas: alium uulnera permulcere leprosi, alium cęcum ducere, alium portare eum qui crus fregit, &c.

Amictum ipsorum esse scribit, qualis Helię, Helisęi, Iohãnis, Apostolorũ. alijs namq; è camelorũ pilis confectas fuisse uestes, alijs caprarum: multis solùm coria, & quidem uetustate consumpta. homilia illa suprà posita, sexagesima nona. Quo in loco etiam prętecti ipsorum meminit, ac eundem Patrem dici, q & dux & caput sit semper orationis.

¶ Recitat quædã ceremonialia etiam, homilia decimaquarta in quintum caput prioris ad Timotheum.

Primùm dicit, monasteria uerè esse domus luctus, ubi sit cinis & cilicium, ubi solitudo, ubi nullus negociorum seculariũ strepitus, ubi terrenorum duricia lectulorum, &c.

Non fuisse fas dormire nudũ: et somnum fuisse leuissimũ, qui facilè excuti potuerit.

Ante lucem autem, ad galli cantum, à suo præsule excitatos.

Vbi excusso sopore surrexerint, adstitisse sacro choro instituto, protinusq́; expansis manibus sanctos concinuisse hymnos: et quidem propheticos, magno suauiq́; concentu, & canticis numerosis.

Vbi autem lux diei iam uicina esse cœpit, quieuisse illos pusillum.

Postea-

Posteaquam uerò illuxit, matutinis hymnis precibusq; peractis, ad sanctarum Scripturarum studia se cõuertisse. Quosdam etiam scribendis libris operam dedisse.

Habuisse unumquenq; proprium domicilium, in quo silentio perpetuo studuerit.

Diem in quatuor orationum synaxes distribuisse, tertiam, sextá, nonam, & uespertinam, quibus psalmodijs atq; laudibus Deũ honorarint.

Die ad uesperam inclinante cibum sumpsisse, ac mensæ instruendæ minimam fuisse curã: alios panẽ tantũ & sal, alios oleũ sumpsisse, plerosq; infirmiores olera & legumina. Inde ubi paululum sedissent, tempusque omne hymnis conclusissent, singulis thoris requieuisse ad quietem tantum, non etiam ad delicias factis.

Mortem non magni fecisse. Hinc migrantes hymnis prosecutos esse: eamq; rem non funeris elationem, sed pompam & præmissionem uocasse. Et ubi quisquam mortuus nunciatus fuisset, magnam omnium obortam exultationem.

Quòd si quis morbo correptus fuisset, nõ lamenta, non lachrymas, sed perpetuas fundas preces: non medicorum ibi operatas manus, sed fidem solam sæpius sanasse infirmũ. Ac infirmitates utplurimùm illis accidisse aut ex perpetuis uigilijs, aut cõtinuatis ieiunijs. Vnde rigore illo aliquantum relaxato, statim eos restitutos.

Fuisse autem & puellarum seu fœminei sexus collegia, siue monialium (ut uocant) monasteria, ex superioribus huius loci patet. De illarum institutis etiã nonnulla Augustinus capite tricesimoprimo, libri de Ecclesiæ catholicæ moribus primi recenset.

Habitaculis fœminas illas religiosas à uiris quàm longissimè esse remotas, pia tantũ charitate & uirtutis imitatione illis esse iunctas.

Ad eas nullum esse accessum, non modò iuuenibus, sed ne ipsis quidem grauissimis & probatissimis senibus, nisi ad uestibulum usque, necessaria quibus indigent, prębendi gratia.

Lanificio corpus exercere atque sustentare, uestesque ipsas fratribus tradere, atque ab his inuicem quod uictui opus est recipere.

Ex Chrysostomo perspicuè liquet, iam tum plurimum corruptionis in uirginitatis ac castitatis professionem inuasisse. id quod ipse mirandum in modum, ut longè maximum gentibus offendiculum, deplorat prolixo sermone, cui inscriptionem addidit: Quòd regulares fœminę uiris cohabitẽt, dicens, uno hoc prędelleti dono semper ethnicis excelluisse, & admirationi fuisse Christianos, uirginitatis nempe flore, qui apud gentes nunquã floruerit: cum nõ defuerint interim etiã apud ipsos, qui maximas opes contempserint, iram uicerint: uerùm ingenuè fassos esse, hanc unam uirtutẽ esse quiddam sublimius, quodq; supra naturã sit prosus. Nunc uerò apud illos quæ uirginitatis ordinem elegissent, nomen tantũ & appellationem rei superesse, negocium autem totum in corpore sublatum. Neq; enim haberi rationem uestitus, sermonis, silentij, compunctionis, & hoc genus rerũ ista professione dignarũ. Imò econtrà ipsos nugari, ridere intempestiuè, uiuere in delicijs magis quàm mulieres in fornice. Imò eadem eas facere, quæ istæ obscœnæ solent: pharmaca terere, letales succos miscere, eundemq; parare puluerem. Item dicit ipsas secũ uiros includere, sibi facere contubernales. Item, frequentes fieri cursus obstetricũ ad uirginum domos: O Iuno Lucina, fer opem. nam tuo ductu & auspicio, contra Christi uerba Matthęi 24. & primo Corinth. septimo, & 1. Timot. 4. istud genus uitæ instituitur.

Apparet etiam, uiros fouisse apud se sorores adoptinas, sub prætextu, quòd dicerent etiam absq; nuptijs & congressu, tamen aliquid uoluptatis habere mulieris cõuictum. Item aluisse concubinas. nam & contra istos grauiter & contentiosè disputat, Sermone hoc nomine peculiariter inscripto. Sic scilicet, cõtra institutionem Dei, potuit traditionibus humanis extingui carnis flamma.

DE EREMITIS.

ERemitas fuisse, ex superiorib. quæ Cassiano & Euagrio autorib. narrata sunt, perspicuũ est. Vocantur autem Anachoretæ, ut ex Cassiano dictũ est, apud quem & Eremorum frequens est mentio. Vixerunt aũt in solitudinibus, singuli singulis cellis. Et Orientis quidẽ ac Aegypti deserta præ multis alijs hoc tempore, maximè hoc hominũ genere referta fuisse, compertum est. Augustinus libro de moribus catholicæ Ecclesiæ primo, capite trigesimoprimo, expressè ait, eiusmodi hominũ genus maximè per Orientem & Aegyptum diffusum, qui secretissimi penitus ab omni hominũ conspectu, desertissimas terras incolant, & Dei colloquio perfruantur. De Aegypti solitudinibus Chrysostomus etiam loquitur, inquiens: Si quis nunc ad Aegypti solitudines ueniat, paradiso prorsus omnem illam uidebit eremũ digniorem, & innumerabiles angelorũ cœtus in corporibus fulgere mortalibus. homilia octaua in secundum caput Matthæi. idq; contra dictum Christi: Nolite exire, nolite credere, Matthæi uigesimoquarto.

Cassianus in præfatione decẽ collationũ scribit, ipsos in uastissima solitudine constitutos,

tutos atq; ab uniuerso mortalium cõsortio separatos, contemplationi uacare. ac figillatim describit quosdam eremos, quos peregrinando inuiserit. Ac capite primo collationis primæ, meminit eremi Scythiæ, in qua probatissimos monachorũ patres & omnẽ perfectionem morari dicit. Sunt autem hi, quibus cũ contulit in illo Scythiæ eremo, Moyses, Paphnutius, Daniel, Theodorus, Serenius, Isaac: quibus etiam Abbatum nomina tribuit.

In Palæstina, iuxta Thecnæ uicum, prophetæ Amos patriam, solitudinem fuisse uastissimã, ad Arabiam usq; & mare mortuũ, ubi Iordanis fluenta deficiant, et Sodomorum cineres uisantur, in qua summæ uitæ ac sanctitatis uiri monachi diutissimè commorati, repentè à palantibus Saracenorum latrunculis sint interempti, idem autor narrat capite primo, collatione sexta.

Hinc eremi in Ægypti Thebaide mentionem facit. Et sunt patrum nomina ista: Cheremõ, Nesteros, et Ioseph. Vbi et hoc obiter admiscet, Archebiũ quendam, qui ad annos triginta septem in Anachoretarum ordine uixerat, inde in Panephisum raptum ab Ecclesia ad episcopatum.

Postremò meminit eremi in ulterioribus Ægypti partibus, ad uicum Diolcos, capite primo, collatione decimaoctaua: item abbatis Pyamonis eremitæ, Pauli cœnobitæ: Iohannis eremitæ olim, tum uerò cœnobitæ: Pynnisij abbatis, Theonæ, Abrahæ.

Conuenerunt tamen ipsi quoq; eremitę interdum, præcipuè uerò sabbatis & Dominicis dieb°: id quod ex Cassiano patet, libro quinto de Gastrimargia, capite 26.

Similiter refert & de Paphnutio, habuisse eum cellam ab ecclesia quinq; milibus distantem, ad quã diebus Sabbatis & Dominicis studiosè nihilominus accesserit: neq; itineris difficultate sese domi continuerit, etiã in extrema senecta, & multis iam annis fessus, utpote nonagenarius. capite primo, collatione tertia.

Porrò fuit inter ipsos aliquis, cui Ecclesiæ gubernatio cõmissa fuit, quẽ etiã presbyterum utplurimùm nominarũt. nam Paphnutius, eius quę in eremo Scythię fuit congregationis presbyter uocatur. Antecessorem autem habuit Isidorum quendam, qui eiusdem Eremi presbyter appellatur. capite decimoquinto, collatione decimaoctaua.

Paphnutio successit abbas Iohãnes. nam is capite quadragesimo libri quinti de Gastrimar. in eadem eremo œconomus fuisse scribitur, & additur expressa ratio: eo quòd Ecclesiæ ministerium, seu (ut Cassianus loquitur) dispensationem à Paphnutio sibi creditam gubernarit. Ac de eodem hoc quoq; ipsum intelligendum uidetur, quod capite primo collationis uigesimęprimę refert, Iohannem sanctitatis merito Diaconiæ præsedisse. Vbi illud etiam notatu dignũ, ad eiusmodi ministerij gradum non quemlibet sua uoluntate aut ambitione aditũ habuisse, sed quem uniuersus seniorum cœtus ætatis prærogatiua, & fidei ac uirtutum testimonio excellentiorem censuisset, eum ab ipsis præfectum. Rursum hic successorem cæpit Heliam quendam, cui Theonas subrogatus scribitur, capite nono in eadem collatione. Ita capite secundo collationis decimæ, narrantur etiam alijs tribus pręesse Ecclesijs. unde manifestum est, in una & eadem eremo plures interdũ fuisse ecclesias: ut hic in Scythiæ eremo tres dissertè ponuntur.

Festos quosdam dies celebrare soliti sunt, ut diem Sabbati ac Dominicum, Paschatos & Natalicorum Christi: quib. etiam sacram Domini cœnam acceperũt. Ita etiam abbas Paphnutius die sabbati & Dominico ad ecclesiam quidem accessisse aliquando scribitur, non tamen ad percipiẽdam communionem sacram, sed tantum ad prosternendum se in limine, pro impetrãda uenia. capite decimoquinto collationis decimæoctauæ. Iohannes quoq; abbas narrat, se deprehendere ex repositis diurni dimensi panibus, hebdomadis finem & sacræ diei festiuitatem, & congregationis adesse solennitatem: capite quarto collationis decimęnonæ. Ita & de quodam Herone refert, quòd is usq; adeò solitudini & cellæ suæ fuerit affixus, ut nequidem Paschalis solẽnitas illinc eum auellere potuerit, ut ad reliquorum fratrũ conuentum in ecclesiã accessisset. Cassianus capite quinto, collatione secunda. Collatione decima, capite secũdo scribit Cassianus, quemadmodum epistola Alexandrini episcopi, quæ p̃ more Quadragesimę & Paschatos diem designare solebat, missa sit non modò ad uniuersam monachorum gentem, per totam Aegypti prouinciã, sed etiam ad eos qui in Scythiæ eremo uixerint perlata sit, idq; statim finito nauitatis Christi die. Vnde conijci potest, eremitas quoq; ea seruasse festa: ut testantur exempla, quorum meminit Cassianũs.

Immodicis ieiunijs & uigilijs usq; adeò se nonnulli afflixerunt, ut propriorũ sæpius facti sint homicidæ corporum (uide quid faciant traditiones humanæ, & superstitio, ut etiam homines fiant parricidæ proprij corporis, contra quintũ præceptum: item, Non tentabis Deum: item, Non est regnum Dei, esca, potus: item, Habe honorẽ corpori) Ita abbas Moyses, eremita solitudinis Scythiæ, apud Cassianum de seipso inquit, frequenter se edendi appetitum prorsum amisisse, ita

ita ut totò biduo aut triduo, ne quidem memoria cibi mentē ipsius interpellarit. Item somnum ab ipsius oculis plurib. diebus depulsum, adeò ut necesse habuerit precibus Domino supplicare, pro immittēdo uel eximi temporis somno. cap. decimoseptimo, collatione secunda.

Narrat Casianus de quodam sene eremita, cuius tamen nomen non exprimit, quòd is nunquam solus cibum sumpserit. ac propterea ad totos quinq; dies sæpius reficiēdi corporis moram extraxerit, dum uel die sabbati, uel Dominico, cum ad Ecclesiam accedendum fuit, occasio obtulerit aliquem fratrem peregrinum, quem secum adductum mensæ sodalem adhibuerit: atque idipsum quoq; non tam suæ necessitatis gratia fecisse illum, quàm hospiti pietatis officium exhibendi causa. capite uigesimosexto, libro quinto Gastrimarg.

Adijciemus adhuc duo exempla, ut quantum superstitio homines miseros fascinauerit, clarius uideas. Commemorat capite quadragesimo libri quinti, de spiritu Gastrimargiæ, Casianus: quomodo abbas Iohannes, fratrum in eremo Scythiæ presbyter, fila, quæ ab ecclesia ad octodecim milia passuum aberat, per duos pueros. Hi cū à recta uia declinassent, in eremi uastitatibus hinc inde errantes, decumbentis casam reperire nequeunt. tantis igitur itineris erroribus defatigati, & exhausti, animam potius exhalare quàm ficubus uesci maluerunt. Nam ficubus integris ipsi paulo pòst mortui reperti sunt. Item in eremo ultra Thebaidas, quam Antonius olim incoluerat, iter facturi duo fratres, in animum induxerant, se nihil cibi prorsus sumpturos, nisi quod Dominus per semetipsum exhibuisset. p deserta ergo errantes, & fame penè deficientes, quidam Mazices, ingenio aliàs crudeli mutato, ultrò panem fratribus offerunt. alter igitur eorū, ueluti à Deo oblatum accipiebat: alter uerò, quod ab hominibus offerretur, repudiabat, & ficinedia (& id quidem iure) confectus est. capite sexto, collatione secunda.

Moyses dicit expressè in sua collatione, horam nonam reficiendi corporis tempus esse perquàm commodum, & conueniens. capite uigesimosexto, collatione secunda: item cap. uigesimoquinto.

Duo paruuli ficci panes, pondere minus paulo unius libræ, appositi sunt, quos panes Casianus Paximacia subinde nominat: rectius forsan uocaturus Paxemadia, quod Græcis bis coctum panem significat: capite decimonono eiusdem collationis secundæ. Sic & capite uigesimosexto, duo paximacia canonica mensura refectionis sub horam nonam faciendæ esse dicuntur. item capite uigesimoquarto.

Certis manuum suarum operibus uictum sibi parasse, hæc Casiani uerba testantur: Et quotidiana corporis alimēta nostris maluimus sudorib. pręparare, quàm secura parentum præbitione fulciri. capite duodecimo, collatione uigesimaquarta.

DE NOVO MONACHATUS *instituto.*

SVb Theodosio posteriore nouū, & prioribus temporibus non modò non usitatum, sed ne auditum quidem Monastices genus inuentum est: nimirum in columnis uitam solitariam agendi. Eius mirabilis instituti inuentum, ad primum authorem referunt Simeonē, Euagrius libro primo, capite tredecimo: Nicephorus libro decimoquarto, capit. quinquagesimoprimo. Hic Simeones exuico Sisan oriundus, autore Theodoro Lectore lib. primo suorum Collectaneorum, in monastica iam antè institutus prope Antiochiam, super columna sibi bicubitale circumquaq; struxit domicilium. Quod cum esset non tantum quiddā insolens, sed & sine reliquorum consilio aut approbatione susceptum, mittunt illi communi consensu quosdam, qui ipsius consilium exquirerent, mandarentq; ipsorum uerbis ut descenderet, hac addita exploratione: Quòd si ad obsequendum ipsorum monitis futurus esset promptus & facilis, relinquerēt ipsum suo sibi arbitrio: haud dubiè enim ipsius consilium esse ex Deo. Sin uerò difficilē & pertinacem se esset exhibiturus, deturbarent illum ui & uiolentia. Legati ergo cum ad ipsum uenissent, & uix suorum mandata exposuissent, iam sublato altero pede ad descendēdum erat paratissimus. Quod illi ubi senserunt, arbitrati sunt eius obediendi promptissimum animum satis posse esse indicio, à Deo esse ipsius inuentum. Quare ipsi gratulati, & benę precati, cursum quē cœperat fæliciter ut persequeretur hortati sunt. Vixit in columnis minorib. annos septē. Deinde uerò in columna quadraginta cubitorū triginta annos uitam egit, &c.

Quanta huius fuerit admiratio, inde colligi potest. Cum Imperator Theodosius aliquando imperasset Antiochenis, ut synagogas ademptas Iudæis restitueret: ille missis ad Imperatorem literis, acriter ipsum obiurgauit, ut sua mandata non retractaret solùm, & Christianis Antiochiæ quæ ipsis uiderentur hac in re permitteret: sed etiam ipsum præfectum, cuius impulsu ea res instituta fuerat, dignitate priuaret.

Petiuit idem, huius de concilio Chalcedonensi consilium etiam: ad quem & sententiam suam perscripsit.

Post

Post mortem, corpus perlatum est Antiochiã, sub Leone Imperatore, & Martyrio eiꝰ Ecclesię episcopo, magna pompa: exercituũ quoq; duce cum parte copiarum eam deductionem prosequẽte, ne quà ex uicinis urbibus cadauer ipsum, quod certatim cupiebant, auferrent.

Fabulæ uel impostura sunt, quòd eo tempore quo ipsius memoria colitur, miraculosam stellam apparere ad fenestram istius columnæ discurrentem, imò & ipsius uiri faciem hinc inde uolitantem cerni dixerunt.

Habuit hic Simeon discipulũ Danielem, quĩ ex ipsius schola egressus, magistrumq; imitatus, ipse quoq; hoc nouũ monastices institutũ colnit: ut author est Nicephorus lib. decimoquinto, capite uigesimosecũdo.

Hæc eo cõsilio recensenda esse duximus, ut pij atque attenti lectores expendant, quo tempore post Christum, traditiones istę humanæ creuerint: & ut in eos errores, mirabili præstigiatoris diaboli astucia, etiam docti sint inducti: idq; eò accidit, quia doctrina articuli de Iustificatione per Christum, per illam opinionem de meritis hominum obscurari cœpit.

DE MORIBVS CHRIstianorum.

ETsi degenerare cœperũt paulisper Christianorum mores, à priorum seculorũ uirtutibus, posteaquam Romanis Imperatoribus ad Christianam fidem conuersis, pax ecclesiæ conciliata est, ut dicitur, In pace amaritudo mea amarissima: tamen non omne prorsum pietatis studium ubiq; extinctũ est. Nam apud Augustinũ capite de diuinat. dæmon. legitur, quòd multi Christiani, & quidem laici, ad ipsum doctorem conuenerint, & de doctrina cũ ipso cõtulerint. Similiter & ad audiendum Chrysostomum frequentes conueniisse, ex homilia secunda in primum caput Iohannis, est manifestum. Et magnum fuisse studium & diligentiam auditorum ipsius, in audiendis eius concionibus, ipsemet testatur homilia prima de incomprehensibili Dei natura. Et de Constantinopoli expressè dicit, non reperiri aliã urbem tam auidam spiritualium lectionũ: Homilia de proditione. Vbi & hoc adijcit, multos festinare ad celebrationem sacrorũ mysteriorum.

Sacris quoq; libris lectitandis quosdam priuatim aliquid operis posuisse, idq; sine discrimine ordinis aut sexus. ex eodẽ animaduertitur. Nam ad hoc præstandum diligenter omnes hortatur, dicens: Non oportebat omnino à cœtu Ecclesię recedentes, contrarijs huic studio negocijs implicari: sed domũ continuò reuertẽtes, sacros replicare libros, & coniugẽ pariter, liberosq; ad eorum quę dicta sunt collationẽ uocare: hisq; altiꝰ ac penitiùs insertis, tum demùm ad ea quæ huic uitę necessaria curãda procedere. homilia quinta super primum caput Matthæi.

Cõstitit & ministris ecclesiæ suus honos. Et enim inter reuerentiæ signa, peculiaria quædam enumerat Chrysostomus: ut sacerdotum manus osculari, tangere genua, supplicare ipsis ut pro se orent: item, baptisandos ad ipsorum ianuas deductos, &c. in homilia in locum Pauli, Salutate Priscam & Aquilam.

Cum Alexandrinus episcopus Theophilus ad synodum contra eundem coactam ingrederetur Constantinopolim, non est ipsi à clero uel quoquã processum obuiam, quod aliàs fieri solebat: ut narrat Nicephor' libro tredecimo. capite decimoquinto. A' priori exilio reuocatus Chrysostomꝰ, celebri pompa in urbem est reductus: sicut suo loco est annotatum.

Theodosius iunior cum sorore Pulcheria (ut Sozomenus capite primo libri noni cõmemorat) magno honore prosecuti sunt Ecclesiam & eius ministros. Ac de Eudocia Theodosij coniuge refert, quòd Hierosolymis ad Dei cultum multa contulerit: libro decimoquarto, capite quinquagesimo.

Olympias etiam quædam Cõstantinopolitana matrona, omnes suas facultates ad ministerij instaurationem impendit: libro octauo, capite uigesimoquarto.

Rex Clodoueus Francorum conuersus, donat ministerio Remensis ecclesię tantum agri, quantum ipso à meridie somnum capiente, antistes Remigius interea pedes circumeundo conficere potuit. narrat Hincmarus in ipsius uita. Ipsius exemplum imitati etiam & alij Franci conuersi, plurimùm ad ecclesiæ usum contulerunt: sicut ibidem narratur. Idem auream coronam gemmis ornatam Petro apostolo Romam misit, tempore Hormisdæ: eodem autore.

Non modò uitio uersum est, sed etiam à pijs doctoribus acriter reprehensum, si qui Christianum nomen professi, adhuc dediti fuerunt Mathematicis obseruationibus: ut genesibus, item auguriis, sortilegijs, uaticinijs, & dierum electionibus, ut patet ex Augustino Galat. 4. & ex Chrysostomo in primam ad Timoth. homilia tertia, & in capitis tertij homilia decima, & in primum caput ad Galatas.

Magna fuit & locorum, in quæ ad res diuinas faciendas congressi sunt, reuerentia. Nam in urbis Romæ direptione, barbaricæ illæ & omnis propemodũ humanitatis expertes gentes Gothi, & cæteræ, ad cædem aliàs natæ, tamen pepercerunt non tantum Christianis, sed etiam Ethnicis, & omnibus promi-

promiscuè qui ad Christianorũ templa confugissent: ut autor est Augustinus libro de ciuitate Dei, capitibus primo, secundo, tertio, & pluribus: item lib. 2. cap. 2.

Ethnicis spectaculis interesse minimè licuit, atq; ab illis seriò dehortatur suam Ecclesiam Chrysostomus homilia quadragesimaquinta in Acta Apostolorum: item homilia trigesimaprima in quartum caput Iohannis, ubi ea Sathanæ festa uocat. Saluianus similiter acerrimè reprehendit, qui ab istiusmodi theatralibus ludis non abstineant, inquiens: Spernitur Dei templum, ut concuratur ad theatrum: Ecclesia uacuatur, circus impletur. Christum in altario dimittimus, ut adulterantes uisu impurissimo oculos lu dicrorum turpium fornicatione pascamus. in lib. de prouidentia Dei, pag. 36. Ac paulo pòst enumerat uitia, quę in istiusmodi spectaculis contra Deum committantur.

Pios fratres suos, ob confessionem carceribus inclusos uisitasse, etiam cum uitæ suæ discrimine, neglectis regijs edictis, ex lustrica cõmemoratione Chrysostomi uidere est, in sermone de martyribus Inuentino & Maximo. Accesserunt & ad ægrotos, consolandi & orandi gratia. Ita Augustinus recitat, quòd ipse & alij pij ac honesti adierint quendam, cui sectio erat facienda, libro de ciuitate Dei 27. cap. 8.

Quantus fuerit zelus confitendæ doctrinæ ueritatis, uel sola Vandalica persequutio argumento esse potest, quæ illustria habet exempla omnium ordinum, sexus quoq; & ætatum, qui posthabitis maximis huius uitæ commodis, suas ediderunt confessiões, grauissimos corporũ perferentes cruciatus, ut suo loco dictum est. Constantinopolitana ecclesia cùm suo doctore Chrysostomo spoliata esset, publica secessione à persequutoribus eius, declarauit suam cõfessionem: nec maximis persecutionibus perpelli potuit, ut cum electi successoribus cõmunicaret. imò cũ uiderent propterea crescere persecutionem, spontaneũ sibi ipsis plurimi exilium indixerunt.

Fuit & iuramenti magna religio. Queritur enim Chrysostomus de nõnullorum sui seculi leuitate, & iuramenti metum propemodum conculcari dicit, cum etiam castigatus puer Deum ac Christũ iurare non uereatur. Homilia 11. in 1. ad Thessalonicenses.

Theodosij posterioris coniunx Eudocia proficiscitur Hierosolymam ex uoto, quo se astrinxerat. Nicephorus libro decimoquarto, capite uigesimotertio. Peregrinationis igitur superstitio etiam hoc tempore exorta est.

Signo quoq; crucis signare maximè fuit usitatũ, sicut ex Chrysostomo animaduertitur. homilia octaua in caput Matthæi uigesimumseptimum: item Dominica uigesimasecunda post Pentecostẽ, homilia uigesimaquarta.

Piè ac reuerenter habuerunt coniugia. Ita enim Chrysostomus monet, ut parẽtes suorum liberorũ curam agant: & iuuenes priusquam luxurijs implicẽtur, iuxta Dei legem nuptijs copulare studeant. homilia 59. in caput 35. Geneseos. Idem in sermone contra Iudæos, gentiles & hæreticos, de Euangelio quod refert de nuptijs in Cana, instruit coniugatos, inquiens: Nuptias, filios, militiam, negociationem, artificia, seruitutem, diuitias & paupertatem nemini obesse posse, quo minus pietatem Christianis dignam & propriam colere possit: idque exemplis eorum qui in singulis his uitæ generibus pij uixerunt, probat.

Ac certissimũ est, Christianos oportuisse honestæ uocationis labore uictum sibi quęrere: nec toleratos ignauos ac desides mendicando alijs esse molestos, nisi aduersæ ualetudinis ratio hoc postulasset. Nam in hanc sententiam loquitur Chrysostomus contra Gentiles: Qui ob propriam segniciem atque ignauiam esurire coguntur, eos non pascimus, quin potius suadendo hortamur, ut & sibi & cæteris opera sua uictum sufficiant. Qui uerò mutilo sunt corpore, ijs permittimus modò uictum necessarium ab ijs quib. facultates suppetunt mendicare. in lib. contra eosdem gentiles. Ita nec illi inter Christianos locum habuerunt, qui artes ludicras & præstigiosas exercuerũt: ut circulatores, & similes, qui acutas claues comederunt, & calceos deglutierunt: de quibus ibidem expressè scribit, eosdem damnari.

Tenuerunt etiam Christiani proprium. sic enim inquit Chrysostomus: Nõ accuso eos qui domos, agros, pecunias, mancipia habent: modò his bene utantur ad frugalitatẽ, & ut decet: hoc est, tanquam dominus, non tanquam seruus: ut ea possideat, non possideatur ab his: ut utatur, non abutatur. Homilia decimaoctaua in primum caput Iohannis.

Breuior quoq; uestis, & in lateribus aperta, hoc tempore ut magnum dedecus, & honestati seu pietati minimè conueniens, acriter in Christianis reprehensa est. ueluti ex Chrysostomo patet, homilia nona de laudibus diui Pauli. Laxior tamen uestis, ac dissoluta, nec cingulo astricta, etiã Christianis usitata fuisse uideri potest. quod tamen ipsum quoque quasi reprehendere uidetur idem in Homilia decima in caput tertium Matthęi his uerbis: Cur (inquis) etiam zonæ usus refertur? (de Iohãne Baptista loquitur) Mos iste apud antiquos uigebat, priusquam

in mollem istum ac fluidum habitum laberentur. Postremò uidetur apud magis pios fuisse moris, si quando ad sumendũ cibũ accubuerunt, & posita & sublata mensa suas dixisse preces. Nam hoc ipsum quòd quidã neglexerint, ut piaculũ acerbè arguit Chrysostomus, eosq; porcis comparat: homilia octogesimatertia in uigesimumsextum caput Matthæi.

DE VITIIS.

Etsi autem Christiani mores ac uitam mediocriter rexerunt, mansit tamẽ etiam inter Christianos aliquid ex contagio eorum gentilium, quibus cum plurimùm uersabantur. Nam Chrysostomus suum cœtũ, ob desidiã & negligentiã in audienda pietatis doctrina accusat: ac fore dicit, ut laudem studij auscultandi omnẽ amittant. Maximè uerò reprehendit, quòd uix finitis concionibus à templo sese proripiant: homilia tertia de incomprehensibili Dei natura, in Sermone de Eucharistia in Encænijs. Reprehendit & hoc, quòd nonnulli relicta sanctorũ congregatione, sub horam mysticæ mensæ in uaniloquentiæ conuenticulis occupentur: homilia decimanona in nonũ caput Actorũ Apostolorum. In ipsis quoq; cõgressibus parũ fuisse modestos, inde colligitur, quod inquit: Risu enim repleta est Ecclesia. Si ille & ille facetũ quid loquitur, risus cõfestim sedẽtes occupat: & qd̃ adhuc mirabilius est, in ipso tempore orationis nõ quiescũt multi à risu, ubiq; uagantur. in octauum ad Hebręos caput, homilia decimaquinta. Et cũprimis mulieres fuisse garrulas, uehementer queritur & reprehendit: in secundo prioris ad Timotheum capite, homilia nona.

Suspendisse iuxta lectos scripta Euãgelia, apparet ex Chrysostomo, qui isthuc ipsum reprehendens dicit: Siquidem Euangelium isthic suspensum nihil agit, nec tantillę quidẽ uirtutis est. homilia quadragesimatertia in primũ prioris ad Corinth. caput. Collo quoq; suspensa gestasse mulieres Euangelia, ex homilia septuagesimatertia in uigesimumsecundum caput Matthæi Chrysostomi uidere est.

Festis diebus utplurimũ indulsisse gulæ, uentri, luxuriæ, colligi potest ex Sermone Chrysostomi octauo de Resurrectione: ubi ista reprehendit, & è fratribus quosdam eadem facere queritur.

De Christianorum corruptis moribus loquitur etiam Augustinus, inquiens: Malorum Christianorũ mores, qui fuerunt antea pessimi, habuisse non uidentur hoc malum, ut alienas uxores ducerent uiri, aut alienis uiris fœminæ nuberent. in libro de fide & operibus, capite decimonono.

Chrysostomus ait uitam factã dissolutio-

rem, & omnis generis uitiorum inundationem, & quasi torrentem quẽdam uniuersis obicibus ruptis uehementi impetu, in animos mortalium effusum esse. Et quasi corrigens addit: Et quid me dicere est necesse, morum optimorum omnium peruersionẽ? libro tertio contra uituperatores uitę monasticę. Et homilia decima super illud Matthęi 6. Nolite esse sicut hypocritæ, &c. scribit, quosdam tantum nomine esse Christianos: cæterùm esse ambitiosos, auaros, qui mendacio nimium quærere non erubescant, impiè agant, calumniosè multa rapiant, uiduæ & pupillis non iudicent: qui personas peregrinas contemnant, nudos despiciant, pauperes non curent, comessationibus & potationibus fuisse deditos, Item peregrino odore fragrantes, uel potius fœtentes, ueluti theatrales fœminas sese ipsos eneruasse taxat homilia decima in 3. caput Matthæi. Itẽ euersa calcibus mensa quasi porcos, ubi comedissent, temulentos consurrexisse, nec Deo gratias egisse: homil. octogesimatertia in uigesimumsextum caput Matthæi. Ita & homilia quadragesimasexta in sextum caput Iohannis, item octogesimaprima in caput Ioannis decimumseptimum, acriter reprehendendo recenset quædã sui seculi uitia: Quosdam nimirũ alere canes, onagros, ursos, magnificè ædificare, splẽdidè se uestire, aurũ & gemmas colligere, usuris inhiare: in meretrices, parasitos, mimos & saltatores magnos sumptus facere: interim uerò proximum negligere, nec pietatis ei officia prę-stare. Iudices quidem nomẽ habere iudicũ, re autem latronum & homicidarum. Eadem est querela & Saluiani de suæ Ecclesiæ corruptis moribus: Quotumquẽq;, inquit, inuenies in Ecclesia, non aut ębriosum, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem, aut latronẽ, aut homicidã? Et quod omnibus potius est, propè hæc cuncta sine fine. libro de prouidentia Dei tertio & quarto.

Mulierum quoq; ornatum sumptuosum fuisse nimis, & Christianæ modestiæ parum conuenientem, imò fœdum, præsertim in nuptijs, licet æstimare ex Chrysostomo, homilia septuagesimaquarta in uigesimũsecundum caput Matthæi: item in secundum prioris ad Timotheum caput, homilia octaua: quibus in locis grauiter in eam mulierum immodestiam inuehitur. Sic & lasciuiores eas saltationes exercuisse constat in nuptijs, quos itidem arguit inquiẽs: Audiatis hæc uirgines, imò uerò etiam nuptæ, quæ in aliorum nuptijs saltare ac tripudiare, & communem fœminarum sexum deturpare non ueremini. In caput Matthæi decimũquartum homilia quadragesimanona.

RITVS

Ecclesiæ.

INstituimus nunc commemorationem rituum Romanorum, ut attendant lectores, quomodo ea Ecclesia prę cęteris omnibus in toto terrarum orbe ceremonias tradi tionesq; humanas auxerit.

Romanam igitur ecclesiam imagines habuisse, ex Platina constat. Scribit enim, Valentinianum supra confessionem Petri aueam Saluatoris imaginem gemmis distinctam collocasse. Ipsam quoque confessionem Petri ornasse argẽto, rogatu Sixti. Sic & Hilarium Pontificem, Iohannis Baptistæ confessionem ex argento feciſſe auream, item crucem, & plurima alia, narrat Damasus de Pontificibus. Statuit & Leo papa, præter alia, ut quicunque imagines sanctorum inhoneste tractaret, à communione piorum prohiberetur: ut narrat Nauclerus generatione decimaquinta, secundo Chronicorum.

Aras quoque habuerunt. nam constitutione Celestini, facturus rem sacram, psalmum Iudica me Deus, recitare debuit, priusquam ad aram accederet: authore Sabellico, tomo octauo libri primi. Et inter cætera donaria quæ obtulit Sixtus pontifici, in dedicatione templi sanctę Marię maioris, numerat Platina etiam altare argenteum purissimum.

Candelis quoque usi sunt. nam inter donaria quæ in dedicationibus templorum oblata sunt, recensentur & candelabra.

Ecclesiam semel consecratam, amplius non cõsecrandam, uoluit Innocentius pontifex: ut narrat Bergomensis in Arcadio. Ita Felix pontifex statuit, ut Ecclesiæ non nisi à pontificibus consecrentur. Nauclerus generatione decimasexta. Innocẽtius pontifex dedicauit basilicã Geruasij & Protasij martyrũ, ex testamento cuiusdã illustris fœminæ Vestiuæ: ut refert Beda in Arcadio, de ratione temporum. Basilicam Stephani protomartyris dedicauit Simplicius pontifex in Cœlio monte: item basilicam Andreę apostoli, non longè à templo sanctæ Mariæ maioris. Dedicauit idem & aliam sancti Stephani basilicam, apud sanctum Laurentium. Item basilicam Vinianæ martyris, ad palatium Lucianum. Platina. Basilicam sanctorum Nicandri & Eleutherij, uia Lauicana, dedicauit Gelasius. Item Ecclesiam Euphemiæ martyris, in ciuitate Tyburtina: & basilicam sanctæ Mariæ uia Laurentiana, in fundo Crispi, uigesimo ab urbe lapide. Platina. Sabinæ templum in Auentino dedicatũ est à Petro Illyrico quodam antistite: ut meminẽre Platina, Sabellicus, item Volaterranus libro uigesimosecundo.

In ipsis quoque dedicationibus usitatum erat, afferre donaria. nam Bonifacius pontifex cum feciſſet oratorium in cœmiterio sancti martyris Fœlicitatis & Syluani, ingentia donaria ex argento addidit, patinam, scyphum, calices, coronas, & similia, magno pondere: libro Pontificali, item Platina. Tulit etiam Celestinus in templum Iuliæ, quod ipse consecrauerat, dona ampliſsima: inter quæ recensentur præter alia, etiam canthari, & ceroſtrata ænea 24. magni ponderis, & argentea candelabra: ut à Platina, Sabellico tomo octauo libri primi exponitur. Sixtus obtulit in dedicatione templi Mariæ maioris, præter alia, etiam thymiamaterium, fundos quoque, & ceruum argenteum, fundentem aquam in fontem baptisterij. Platina.

Varias quoque denominationes templorum fuisse, ex ijs quæ iam recitauimus intelligitur.

Basilicæ Apostolorum Romæ meminit Augustinus de ciuitate Dei libro primo, capite primo: ac fuisse plurimas ibidem basilicas, ex eodem colligi potest, capite secundo, tertio & septimo. Vaticani templi mentionem habet capite quarto. Fuit basilica Crescentiana nomine, in regione secunda, uia Mamertini, quam fecit Anastasius pontifex: ex libro de Pontificibus. Fuit & Constantiana dicta, in qua electus est Eulalius pontifex: item alia sanctæ Iuliæ, in qua Bonifacius est electus. Damasus. Aedem uirginis ad Marcellum Libyæ prius, mox ad præsepium, Mauris postremò nomen adeptam, Xisti pontificis opus fuisse Romæ, præter Sabellicum, enumerat etiam Adon Viennensis ætate sexta, in Theodosio posteriore: & Patris olim delubrum fuisse. Habuit ibidem & euangelista Iohannes insignem Ecclesiam, principis Valentiniani impensis structam: qui idem in Arimino sancti Stephani ecclesiam struxit, sicuti narrat Agnellus: meminit & Blondus libro secundo, decade prima. Eidem fuit templum sacrum in quodam prædio pientissimæ mulieris Demetriæ, tertio ab urbe miliario, ab eadem structum, impulsore pontifice Leone. Sabellicus enumeratione octaua libri primi: item Platina. Cornelio episcopo basilicam struxit idem pontifex Leo, ijsdem autoribus. Habuit Romæ templum & Agnes, quod constituit Innocentius pontifex: ut refert liber Pontificum.

Templa quædam exculta à Valentiniano Imperatore, rogatu Sixti pontificis, & præsertim argenteum fastigium basilicæ Constantinianæ à barbaris sublatum, ab eodem restituta, cõmemorat Platina. Hi-

larius pontifex constrûxit tria oratoria in baptisterio Constantinopolitanæ basilicæ, distinxitq; precios lapidibus & auro, sacrauitque unum Dominicæ cruci, intulitque crucis lignum auro inclusum, & gemmis celatum: ex duobus reliquis hoc Iohanni Zachariæ, illud Euangelistæ positum, & muneribus magnificis exornata. Sabellicus enumeratione octaua lib. secundi, item Platina in Hilario. qui hoc præterea adijcit, etiam in Lateranensi baptisterio oratorium Stephano constructum.

In congressibus sacras recitatas lectiones, inde est manifestum, quòd Anastasius pontifex statuit, ut sacerdotes stantes cũ reuerentia, & inclinati, Euangelium recitarent. Sed & reliqui ex Christianis auditoribus, similiter etiam ipsi non sedentes, sed stantes auscultarent sacræ Euangelicæ lectioni, ut habetur in epistola eius Decretali ad Germaniæ & Burgundiæ episcopos, in primo Conciliorum tomo, in ipsius decretis. meminerunt etiam Nauclerus generatione decimaquarta, libro secundo: item Bergomensis in Arcadio. Eiusdem constitutione decantati sunt etiam Psalmi, ut suo loco explicatur. Hymni, Sanctus Sanctus Sanctus, cantandi, Celestinum primum authorem facit Vrspergensis.

Hebdomadas instituisse Simplicium, Platina recitat: uerùm quid illud fuerit, non satis explicat. nisi quòd addit, ut presbyteri tum ad Petri, tum ad Pauli, tum etiam ad Laurentij martyris templa uicissim manerent, propter pœnitentes, & baptismum requirentes.

Ambonis in templo, quem eundem & suggestum nominari scribit, meminit Platina in Sixto: & Porphyreticis lapidibus ornatum fuisse ab eodem, ac eum prębuisse usum quod ibi Euangelium & Epistolæ sint decantatata.

RITVS CIRCA BAptismum.

BAptisteria habuerunt certa, quia subinde eorum mentio fit.

Cogente necessitate, omni tẽpore baptisma conferre licuit, institutione Leonis papæ: unde Bergomensis in Theodosio iuniore, coniectura duci potest, extra casum necessitatis certis temporibus baptisare constituisse.

Patrinos quoque adhibitos singulos tantum in baptismo, idem ibidem narrat.

Baptisatos insuper & consignatos esse, item chrismate unctos, liquet ex canone Innocentij primi de cons. distinctione quarta: Presbyteris.

Item in Conciliorum tomo, in ipsius ad Decentium Eugubinum epistola, ostenditur manifestum discrimen inter consignationem & unctionem. Erat enim consignatio, unctio frontis, quæ solis episcopis licita erat: cum reliqua unctio cum chrismate, etiam sacerdotibus concederetur.

RITVS CIRCA *Claues.*

EXcõmunicationem exercuisse Romana ecclesiam, exempla testãtur. Plantina in Felice pontifice, narrat eum habita de more synodo, à communione deiecisse Messenum & Vitalem episcopos, ut præuaricatores & Simoniacos. Ac Messeno quidẽ, quòd suũ errorẽ fassus fuisset, pœnitendiq; spacium petijsset, tempus agendæ pœnitentiæ designatum fuisse. Et posteaquam eius iam cognita fuisset pœnitentia, ut qui libello etiam satisfecerat, seseque purgauerat, à Gelasio pontifice suæ Ecclesiæ restitutum, dicit in Gelasio.

Ad eundem modum ille ipse Gelasius, cum intellexisset Petri & Acacij episcoporum seditionibus multa flagitia & parricidia in ecclesijs Græciæ committi, misit eò qui hos si non statim pœnitentiam agerent, in perpetuum damnarent: præter morem primitiuæ Ecclesiæ, cuius consuetudo habebat, ut paulo diutius expectaret, si forte ad pietatem tandem aliquando redirent, qui deliquerant: ut refertur ibidem. Idem Platina addit: Esse quosdam qui scribant, hunc Gelasium excommunicasse etiam Imperatorem Anastasium, Zenonis successorem, eo quòd hęreticis & Acacio fauisset. Scribit amplius, hunc Gelasium excommunicasse & Vandalos unà cum suo rege, quòd Ariana hæresi infecti, rectè in doctrina pietatis institutos cruciatibus & supplicijs persequerentur.

Qui publicè pœnitentiam egissent, in ministrorũ Ecclesiæ ordinem, seu cleri (ut ipsi loquuntur) non recipiebantur, constitutione Innocentij Romani põtificis: ut recitat Bergomensis in Arcadio Imperatore.

Quintam feriam ante Pascha consuetum fuisse tempus, quo plerumque pœnitentes recepti sint: nec quenquam receptum, nisi iuxta delictorum pondus à sacerdote æstimatum plenè satisfecisset: patet ex canone Innocentij, de cons. distinctione tertia: De pœnitentibus uerò. Si quis tamen in morbum periculosum incidisset, mitigatio adhibebatur, ita ut etiam ante pascha reciperetur.

RITVS CIRCA *Cœnam.*

EVchariſtiæ Sacramentum non debere administrari à diacono, si coràm sit episco-

episcopus uel presbyter, Sozimum pontificem censuisse, Bergomēsis autor est, in Honorio Imperatore. Infirmis quoque Christi corpus dare posse diaconū, absente presbytero, aliàs uerò minimè, Gelasius pōtifex constituit: ut habet Hermannus Gigas, & Flores temporum.

De festis diebus Bergomēsis scribit, Innocentium constituisse, ut singulis solennibus festis ante Sacramenti perceptionem, pax Christianis daretur: in Arcadio.

In ipsa uerò actione primùm ceremonias paucas & simplices receptas fuisse constat. Scribit enim Platina, ante Celestinum tantum Epistolam & Euangelium lecta, quibus finitis sacrificio finis fuerit impositus. Celestinum autem primum instituisse, ut psalmi Dauidici, & quidem per antiphonas (sicut moris est loqui) ante sacrificium canerentur. Huius quoque inuentum esse, idem narrat ex Martino Casina, ut in principio sacrificij diceretur Psalmus, Iudica me Deꝰ, & discerne causam meam, &c. Refert Sigiberti Chronicon & pleraque alia ex hoc Celestini instituto facta, quòd ex Psalmis sint excerpta cantica illa quæ usitata Ecclesiæ consuetudine uocantur Introitus, Graduália, Tractus, Offertoria ante sacrificium, item Communiones inter communicandum: & cœpisse hoc fieri sub annum quadringentesimū uigesimumsextū post Christum. Accesserunt autem paulatim plurima alia. nam Leonem pontificem constituisse, ut in actione cœnæ Dominicæ hæc uerba pronunciarentur, Hanc igitur oblationem, &c. usque, Placatus accipias: Bergomensis narrat, in Theodosio. meminit & Platina. Sigibertus etiam hanc clausulam ipsum addidisse tradit, idque in canone missæ: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. meminit & Sabellicus Enneade octaua, libro primo. Huius quoque institutum esse commemorat Nauclerus, quòd in Missa dicitur, Orate pro me fratres & sorores: item, Deo gratias, in fine. libro secundo, generatione decimaquinta. Sacro finitò, ab eo qui fecerat, populus fuit benedicendus: & trium puerorum quoque hymnus dicendus, idque ordinatione Gelasij: ut Hermannus Gigas & Flores temporū commemorant.

Missæ hic crebra fit mentio, nimirum quòd plerique ex pontificibus aliquam particulam ueluti pannum assuerint. Verùm quantum illis autoribus hic tribuendum sit, iudicium sit penes pium lectorem. Certè non immeritò suspecti plerique habentur, qui hac uoce utuntur: quòd in uetustioribus, & præsertim huius ætatis probatioribus scriptorib. non reperiatur. Recentiores autem historiographi, sui seculi consuetudinem in loquendo sunt imitati, Sigibertus & alij similes. Ita refert idem Sigibertus de Leone pontifice Romano, sub annum quadringentesimum quadragesimumprimum, quomodo ille solitus fuerit Missas celebrare super corporibus uel memorijs martyrum, si quando de ipsorum reliquijs communicare alijs uoluit.

RITVS CIRCA ORDINATIONEM.

ANastasius hominem transmarinum, id est ex Africa, uetuit in clerici ordines recipi, nisi Episcoporum scripta haberet testimonia. in libro Pontificum: & epistola ad episcopos Germaniæ & Dardaniæ in ipsius decretis, in primo tomo Conciliorum.

Ante trigesimum ætatis annum, neminem sacris sacerdotum ordinibus initiandum esse, Innocentij pontificis Romani constitutio est: Bergomense autore in Arcadio. Et Leo quidem eiusdem Ecclesiæ pontifex, neminem qui psalterij ignarus esset, ordinare uoluit: ut indicat Theodorus Lector libro primo Collectaneorum. Gelasius uerò ordinationes clericorum quater tantum in anno fieri uoluit, & quidem die sabbati, sicuti Volaterranus libro uigesimosecundo tradit. Hermannus Gigas addit, per aliquot dies præcessisse examina, quibus de doctrina, ætate & uita exploratio sit facta.

Qui Romanæ præesset ecclesiæ episcopum, non ordinasse aliquem metropolitanum, sed de proximo, Hostiensem nimirum: disertè dicit Augustinus in Breuiculo collationis cum Donatistis, collatione diei tertiæ, Quid quinto loco actum.

Romanos episcopos ueluti receptum & solennem morem obseruasse, ut in mense Decembri semper ordines (uti uocantur) conferrent: ex Platina, Bergomense, & alijs perspicuum est. Hoc quoque non est ambiguum, tres tantum gradus hoc seculo in ordinationibus in usu fuisse: diaconorum nimirum, presbyterorum, & demum episcoporum. non enim plurium meminêre scriptores, qui pontificum uitas aut ex professo exhibuerunt, aut interdum per occasionem tantum perstrinxerunt.

RITVS CIRCA IEIUNIA.

PRæter feriæ sextæ diem, etiam Sabbatho Romæ celebrata ieiunia sunt: excepto eo quod præcedit proximè Pascha. ut ex Augustino liquet epistola decimanona, & octogesimasexta.

FESTA.

Diem Dominicum feriandum, nec quicquam in eo operis faciendum, Leonem pontificem statuisse, scribit Theodorus Lector in Collectaneis libro primo: cui cõsentit Nicephorus libro decimoquinto, capite uigesimosecundo.

Solennitatem Dominicæ resurrectionis non incelebrem fuisse, uel inde uideri potest, quòd in Sabbato eius, cereus per parochias sacratus est, instituto Sozimi pontificis: ut refert Sabellicus Enneade septima, libro nono. meminit & Platina.

Festum ad uincula Petri hoc seculo primùm institutum, recitat Nauclerus generatione decimaquinta, uolumine secundo, tali occasione. Eudoxiam Imperatoris Theodosij posterioris coniugem Hierosolymis Romam reuersam, & attulisse secum catenam illam, qua sub Herode Petrus in carcere uinctus, sed tamen ab angelo liberatus fuerat: eamque iunctam alteri catenæ, qua idem Apostolus sub Nerone ligatus fuerat, factam unam. ad cuius contactum cum quidam Comes postea liberatus cacodæmone fuisset, institutam fuisse peculiarem celebritatem. Addit tamen, Hieronymum aliter scribere in epistola ad Eustochium. Et suprà quoque Centuria Quarta annotatum est, sub Syluestro, rogatu Constantini id factum. Vnde licet cernere, quàm nullo firmo fundamento innitantur eiusmodi constitutiunculæ, & quantum ipsis sit tribuendum. nam meris superstitionibus scatent.

Septuagesimæ quoque festum fuisse celebre, inde æstimari potest: Quia in eo Leonem pontificem mandasse intermissionem clausulæ Alleluia, item eius Hymni qui dicitur Gloria in excelsis Deo, narrat. distinctione secunda, capite Hi duo. de consecrat.

RITVS VISITANdi ægrotos.

OLeo consecrato inunctos infirmos, inde liquet, quòd Innocentius pontifex decreuit, oleo ab episcopo consecrato licere uti non solùm presbyteris, sed omnibus promiscuè Christianis, in suam suorumque necessitatem. Habetur in canone octauo ipsius epistolæ ad Decentium Eugubin. in ipsius decretis, primo tomo Conciliorum.

RITVS CIRCA SEpulturam.

COemiterij ad usum pileatum, seu paleatum (ut Bergomensis habet) mentionem facit Nauclerus, de Innocentio pontifice, generatione decimaquinta, uolumine secundo.

Cœmiterij Priscillæ extra urbem in uia Salaria, meminit Sabellicus Enneade octaua, libro primo. Ibidem fit mentio etiam Laurentiani conditorij, quòd fuerit in uia Tiburtina: Cryptam uocat Platina, in sexto.

Præbuerunt tamen & basilicæ locum sepeliendis quorundam pontificum corporibus: ut basilica Petri in Vaticano, basilica Pauli uia Hostensi. Bassum quendam sepultum in Ecclesia Petri manibus Sixti pontificis, refert Nauclerus generatione decimaquinta, uolumine secundo.

Ad sepulchra Apostolorum concursus factos, ex his Chrysostomi uerbis animaduerti potest, cum dicit: Nam qui ducebantur, qui contempti erant, & uncti, &c. ubi defuncti sunt, Regibus ipsis erant magis uenerabiles, etiam Romæ, quæ urbium est regalissima, relictis omnibus ad sepulchra piscatoris & pellionis currant, & reges & præsides & milites. In demonstratione, Quòd Christus sit Deus, aduersus gentiles.

Apostolorum sepulchris ex Rhodes ex Romano clero positos à Leone pontifice, eosq; cubicularios appellasse, narrat Sabellicus Enneade octaua, libro secundo, non ita longè ab initio.

DE MONACHATV.

ROmæ Monachorum fuisse collegia ex utroque sexu, hæc Augustini uerba testantur: Romæ etiam plura cognoui (scilicet sanctorum diuersoria) in quibus singuli grauitate atq; prudentia & diuina scientia pollentes cæteris secum habitantibus, præsunt Christiana charitate, sanctitate & libertate uiuentibus. Ac paulo pòst, de ipsorum institutis addit: Ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more, & Pauli apostoli autoritate, manibus suis se transigũt. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usque quaque usitatissimum: sed continuum triduum, uel amplius, sæpissimè sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in uiris tantum, sed etiá in fœminis: quibus item multis uiduis & uirginibus simul habitantibus, & lana ac tela uictum quæritantibus, præsunt singulę grauissimæ probatissimæq; non tantum instituendis componendisq; moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ ac paratæ. Atque inter hęc nemo urgetur in aspera, quæ ferre non potest: nulli quod recusatimponitur: nec ideo contemnitur à cæteris, quòd in eis imitandis se fatetur inualidam.

Meminę

Meminerunt enim, quãto opere Scripturis omnibus commendata sit Charitas. memi-nerunt, Omnia munda mundis: &, Nõ quod intrat in os uestrũ, uos coinquinat, sed quod exit. Itaque non reijciendis generibus cibo-rum, quasi pollutis, sed concupiscentiæ per-domandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis industria.

Moniales capitis quoddã uelamen, idq; sacratum gestasse, apparet ex constitutione Leonis pontificis, qua statuit, ne qua Mona cha illud uelamen acciperet, nisi comproba tum fuisset, eam annos quadraginta castè & integrè uixisse: ut narrat Sabellicus Ennea-de octaua, libro secũdo. Meminit & Platina, in eodem.

Limense monasterium ędificatum ab Hi-lario, refert Sabellicus Enneade octaua libri secundi: Platina in eius uita, in urbe extru-ctum, disertè adijcit.

CAPVT VII.

DE POLITIA ET GVBERNATIONE Ecclesiæ.

IN Ecclesiastico regimine pas-sim multos præstantes erudi-tione & pietate uiros hoc se-culo fuisse, cõstat ex cap. deci-mo. Nã ij penes quos erat po-testas ordinandi, & præficiendi Ecclesijs mi-nistros, in id summo studio incumbebãt, ut doctos, sinceros, & cõstates designarẽt. Qua etiam de re in cõcilijs huius seculi haud pau-ca sunt facta decreta, ut suo loco indicatur.

Verùm nec hoc ita accuratè fieri potuit, quin interdum etiam minus idonei ab epi-scopis & metropolitanis, siue ignauis, siue improbis, odio, amicitia, largitionibus, & a-lijs amicorum morbis ad Ecclesiæ guberna-cula sint collocati. Nam in Asia quosdã quę-stu & largitionibus, quosdam uerò gratia, cum essent ineptissimi, ad Ecclesiæ guber-nationem adhibitos esse, constat ex Sozo-meno 8. cap. 6: & Niceph. 13. cap. 29. Vnde synodus Chalcedonẽsis necesse habuit pro-hibere illam mũdi nationem Eccleſiastico-rum. Et scripsit Gennadius ea de re epistolam ad omnes metropolitanos in totum or-bem. Testatur etiam Augustinus, quosdã episcopos rebus secularibus occupari, & mi-nus studiosè operã sacris literis nauare, eoq; erroribus indulgere. in lib. Quæstionum ue-teris & noui Testa. quæst. 46. Idem queri-tur, multos fauore uulgi ad sacerdotia ueni-re, quæst. 64. ad Orosium: & illum qui pecu-nia episcopatus honorem acquirat, non ue-nire à Deo, indicat quæst. 65. ad eundem. Et in concilij Ephesini primi actis mentio fit presbyteri, & Zenonis chorepiscopi, lite-ras ignorantium, qui per alios subscriptionẽ curarant. Item in 2 Ephesina mentio fit Heliæ Adrianopolitani episcopi, & Caiumę Phœniciæ, ignorantium literarum. Et Maxi-mus in prologo ad Elpidium, queritur mul-tos esse, qui alios orationibus de fatigent: cęterùm qui re ipsa doceant, aut doceantur, admodum paucos reperiri.

Iuxta consuetudinem superiori seculo in-ductam, & insignem huius ætatis næuum, plerunque tantum uitam cœlibem agentes, ad presbyteria & episcopatus adhibiti sunt. Eius rei causas Augustinus 127. quæstione in uetus & nouum Testamentũ refert, cum ministri Ecclesiæ quotidie Christi uicem agant, oportere eos mundiores esse alijs, & à concubitu abstinere: non quòd malus sit, sed quia personæ non competat. Et Sido-nius in cõcione quam habuit ad plebem Bi-turgis lib. 7. epistola ad Perpetuum ait: Qui secundas nuptias transierunt, ex canone nõ requiruntur ad episcopatus. Et Leo in e-pistola ad episcopos per Campaniam, cap. 2. uiduarum maritos, & numerosa coniugia habentes ab Ecclesiasticis officijs iubet arce-ri. Idem epistola 84. cap. 4. subdiaconis coniugium denegandum docet. Et epistola 87. Mauritanos episcopos ob non seruatũ eum in eligendis ministris ritum obiurgat. In Toletani etiam concilij canone 1. cauetur de cœlibatu ministrorum Ecclesiæ. Idem decretum reperitur passim in epistolis Pon-tificum, ut Innocentij ad Victricium & Exu-perium Tolosanum: idem in epistola 22. ad episcopos Macedonios asserit, omnes e-piscopos qui per Orientem & Occidentem Ecclesias regant, ne ad ultimũ quidem Ec-clesiastici ordinis gradum, coniuges admit-tere. In Turonensis synodi cap. 2. Sacerdo-tes & Leuitę à procreatione liberorum non abstinẽtes, prohibẽtur ad altiora promoueri.

Quidam tamen etiam episcopi mariti fue-runt, & procreandis & bene educandis libe-ris operam dederunt. Nam Sidonius Auer-norum episcopus coniunx fuit, & filium ha-buit: lib. 4 epistola ad Felicem. Et Syne-sius in episcopatu suo uxorem retinuit, ut infrà in uita eius dicemus. Ac in Mauritania coniuges ad ministerium admissos, apparet ex epistola Leonis 87. Galliæ etiam epi-scopos non modò uirgines, sed etiam ui-duas habuisse uxores, apparet ex epist. 89. ubi Leo eam consuetudinem damnat. E-piscopos etiã & presbyteros Macedonicos uxores duxisse, apparet ex 22 epistola Inno-centij. Lectoribus & hostiarijs uxores re-liquerunt patres synodi Toletani, canone 3 & 4. & Vasensis.

Consuetudo etiam obtinuit, ut ex præ-fectis, & magistratum gerentibus, crearent

interdum episcopos. Sic Thalassius gentium Illyricarum præfectus, Cæsareæ Cappadociæ à Proclo episcopus ordinatur. Socrates 7. cap. 48. Cyrus præfectus Constantinopoli, in sacerdotũ ordinem est receptus. Niceph. lib. 14. cap. 46. Et in epistolis Sidonij plurima eius rei extant exempla. Sed Innocentius in epistola ad Victricium, id fieri uetat. Idem in epistola 24. ad synodum Toletanam facit.

DE GRADIBVS *personarum.*

MInistri Ecclesiæ cõmuni nomine Clerus appellabantur. Sozo. 8. cap. 26. ac erant pro Ecclesiarũ magnitudine aut angustia plures, aut pauciores. In Edessena ecclesia clerium plus minus fuisse nominum ducentorum, Ibas in Berytensi concilio ait.

Manserunt in usu ordines & gradus personarũ, quales in superiori seculo recensuimus. nam episcoporum, presbyterorum, diaconorum, lectorum, meminit Theodorus 5. cap. 30. Ariani episcopos suos Patriarchas appellabant. Victor lib. 2. Coepiscopi, hoc est, eius qui uiuo episcopo adiũgebatur, coadiutor seu collega in eadem ecclesia, meminit Augustinus: ac sibi à Valerio coepiscopatus sarcinam impositã esse, dicit epistola 34 & 36. Sed Leo in epistola 88 ad episcopos Germaniæ & Galliæ, abrogat coepiscopos.

Inter presbyteros & diaconos, ubi plures fuerunt, etiam ordinem quendam fuisse apparet ex eo, quòd Petr⁹ protopresbyter, seu archipresbyter Alexandriæ fuisse narratur apud Socratem 6 cap. 9. Sozo. 8. cap. 12. Et Timotheus archidiaconus, Socrat. 7. cap. 7. Protodiaconi Ephesini mentio est in epistola Ioãnis Comitis, in actis Ephesinę synodi. Et Crescentius subdiaconus, apud Antoninum titulo 10. cap. 12. & Victorem lib. 3. Meminit etiam subdiaconi Augustinus in epistola ad Quoduultdeum: & Paulinus Nolanus epistola 13. Et Leo subdiaconatum, quartum gradum à capite esse, dicit epistola 84. cap. 4. Condiaconum appellat Ruffinũ Augustinus, epistola 59.

Per hos gradus solebant fieri promotiones ad functiones Ecclesiasticas. unde Ioannes Chrysostomus Antiochiæ primùm lector, postea diaconus, & deinceps presbyter, postremò episcopus ordinatus est: Socr. 6. cap. 2. 3. Et Leo in epist. 87. cap. 1. & Zosimus in epistola ad Hesychiũ cap. 1 iubet monachos primùm fieri lectores, postea exorcistas, acoluthos, subdiaconos, diaconos, presbyteros, & postremò episcopos.

Cãtoris mẽtio fit apud Niceph. 14. cap. 46.

Magistri diuinorũ officiorum, in 4. actione Chalcedonensi.

Acoluthi appellatio est apud Augustinum epistola 62. Exorcistæ apud Paulinũ, in epistola 5. ad Amandum.

Zenobij canonici in ecclesia cathedrali mẽtio est apud Antoninũ tit. 10. cap. 12. sed ea phrasis autoribus huius seculi ignota est.

Oeconomi ecclesiæ meminit Theodorus lib. 1. Et Antoninus tit. 11. cap. 1. narrat, Leonẽ sanxisse, ut in qualibet ecclesia, quæ ab episcopo regatur, ex clero aliquis œconomus deligatur. Et Pergamium œconomiã templi sancti Ioannis Constantinopoli, consensu Acacij episcopi accepisse, testatus Euagrius libro 3. cap. 13.

Custodum cubiculariorum, qui ad sepulchra Apostolorum excubarint, in uitis ponitificũ nomen extat. Custodũ ecclesiæ mẽtio fit apud Niceph. lib. 14. cap. 35 & 37. Et ædituorũ, in epistola Gennadij cõtra Simoniã.

Monachos inferiore gradu quàm clericos habitos esse, apparet ex epistola 76 apud Augustinũ. nam meliores & probatiores monachos ad clericatus militiam solebant assumere. Et Leo in epistola 62 uetat, monachos & laicos, etiãsi scientiæ nomine glorientur, admitti ad officiũ docendi & concionandi.

Notariorũ, qui in synodis solebãt excipere dicta, & cõscribere Acta, mẽtio fit apud Niceph. li. 14. cap. 47 in actis cõciliorũ passim.

Diaconissarum Constantinopoli, mentio fit in historia Chrysostomi apud Palladium. Antoninus titulo 10 cap 9. & Niceph. lib. 13. cap 14. Pulcheriã creatã esse diaconissam, iussu Eudociæ, Niceph. autor est 14. cap. 47. Et Sedulius in cap. 16 ad Romanos dicit, in Orientalibus locis diaconissas in baptismo siue ministerio uerbi, mulierib. ministrare.

Episcoporũ officiũ erat docere, & cõtradicẽtes cõuincere, ut in sequẽtib. indicabitur. Itẽ presbyteros & diaconos eligere: Chrysost. hom. 3. in acta Apost. Item hom. 34 super Matt. cap. 10. prolixè episcoporũ officia commemorat, inquiẽs: Quid est ergo qđ posit plus erogare rector, quàm accipit, nisi illud quod est ꝓprij officij, in quo debet eniti ut credita eroget, accepta dispẽset, aperiat obscura, reuelet occulta, inuoluta pãdat, quæstiones in lucẽ deducat: insistat fortiter, perseueret instãter. Meminerit se speculatorẽ esse cũctorũ, ut omnib. pascuas salubres tribuat, agnis puri fõtis undas exhibeat, extermi net ab ouib. lupos, ab agnis nociuas bestias excludat, uulneratos curet, errãtes reuocet, ignaros instruat, erigat lapsos, generaliter omnes, specialiter singulos doceat, suæ uitę prouocet uniuersos exẽplo. Sit eius doctrina duplex, ut uerbis facta conueniant, actus doctrinæ respõdeant: in nullo sit minor, qui cũctis est potior: in charismatib. fulgeat, spẽ desc at officij: sit cum autoritate humilis, cũ humilitate sublimis. Nec ideo sit melior, qa maior

maior: sed ideo maior, qa melior. Multiplicet populos, & eos docēdo meliores faciat quàm accepit. sic fiet, ut dū hominib. feruēter insistit, Dominū sibi constituat debitorē.

Coēpiscoporū munus erat, absente episcopo altaria erigere, basilicas cōsecrare, in ecclesijs Gallicanis & Germanis. Leo epist. 88.

Presbyterorum munus erat, docere in ecclesijs. Posidonius de uita Augustini capite quinto. Non tantum in ciuitatibus, sed etiā in parochijs. Canon secūdus Vasensis. Et baptizare, sed sine mercede. Gelasius epistola ad Brutios, capite septimo. Præesse pauperibus: ut postea dicetur de bonis Ecclesiæ. Custodire bona Ecclesiastica. Nicephorus 14. cap. 47. Dispensationem bonorum Ecclesiasticorum, esse presbyterorum, Chrysostomus hom. 14. in 6 Actorum indicat. Idem hom. 86 super Matthæum: Oportet inde presbyteros nominari, unde Apostoli leges sanciebant, à nutritione uiduarum, ab eorum qui læd ebantur protectione, à diligenti erga peregrinos cura, à patrocinio eorum qui opprimuntur, ab delicet inopum, ab eorum qui lædebantur in orbos parentibus cura, à protegendis uiduis, à defendendis uirginibus. Hæc officia loco uillarum & domorum curæ presbyteris distribuere decet. Pœnitentes absoluebant, sed cum consilio episcopi: ut habet canon 10 Carthaginensis.

De differentia inter episcopos & presbyteros, Chrysostomus in tertio capite primę ad Timotheum: Inter episcopū atque presbyterum interest ferè nihil. quippe & presbyteris Ecclesiæ cura permissa est: & quæ de episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quàm presbyteri habere uidētur. Augustin. quæstione 101 ueteris & noui Testamenti. In Alexandria & per totam Ægyptum, si desit episcopus, consecrat presbyter. Item: Presbyter & diaconi & exorcistæ & lectoris agit officiū. Idē epistola 19 inquit: Secundū honorū uocabula quę iam Ecclesię usus obtinuit, episcopatus presbyterio maior est, in multis tamen rebus Augustin⁹ Hieronymo minor. Presbyteris non licebat sedere sub aspectu episcopi. Gelasius in epistola.

Diaconorum officium erat, in Ecclesijs hortari uoce clara populos ad attentionem cum sacra essent prælegenda. Chrysostomus hom. 19. in 9. Actorum. Item ad preces pro catechumenis: Chrysostomus in primū caput epistolę secundę ad Corinthios. Diaconos uicem sacerdotis gerere non posse, sed oportere alium sacerdotem eam supplere, Augustinus indicat lib. quæstionū ueteris & noui Testamenti, quæstione 46. Et Romanos diaconos inuerecundiæ insimulat, quòd uellent presbyteris haberi pares, propter urbis magnificentiam. libro quæstionum ueteris & noui Testamenti, quæstione 101. Nec licebat eis sedere in Ecclesia: ibidem. Portabant altare & uasa, & aquam in manus fundebant sacerdoti, per omnes Ecclesias, excepta Romana: ibidem. Diaconi, ęgrotāte presbytero, homilias sanctorum patrū recitabant: canone 2. Vasensi. Nec licebat eis baptizare sine episcopo aut presbytero, nisi extrema necessitate exigente: Gelas. in epistola, cap. 9. Archidiaconorum erat, inter alia episcopos & presbyteros monere de ritibus usitatis. Sic in concilio Toletano præcipitur archidiaconis, ut moneant episcopos & presbyteros de ritu utendi chrismate. Et ut clericos comam nutrientes, inuitos etiam tondeant. canon 20 Agathensis concilij.

Lectorum officium erat in Ecclesia, sacra legere uel ex Prophetarum aut Apostolorū scriptis. Chrysost. hom. 19. cap. 9 in Acta Apostolorum.

Claruerunt ex his etiam quidam donis miraculorum. nam Maruthas & Ablaathus episcopi Persarū, ex filio regis dęmonē expulerunt oratione & ieiunijs. Socrat. 7. cap. 8.

DE RATIONE GVBERnationis.

Singulis Ecclesijs præsidebant singuli episcopi, nisi quòd Alexandriæ duo esse cœperunt ab ordinatione Timothei: ut Liberatus in Breuiario cap. 16 indicat. Et in prouincijs Europæ, quosdā episcopos duas sub sese habuisse ecclesias ex antiqua cōsuetudine, apparet ex libello Euprepij, synodo Ephesinæ exhibito. Heracleæ enim episcopus, sub sese habebat Heracleam & Panion. Byzes uerò, sub se tenebat Byzen & Claudiopolin: Cœlensis, Cœlam & Calliopolim: Sabsadensis, Sabsadiam & Aphrodisiadem.

Illi uerò cum presbyteris & diaconis, quæ ad Ecclesiæ ædificationem faciebant, administrabant. Ac primùm ueram doctrinam de singulis capitibus, siue Scripturam sacrā enarrantes in concionibus, siue in formulis conceptis, tradebant. Idq; officium commune episcopis & presbyteris in alijs ecclesijs fuit, exceptis Africanis: in quib. conciones ad populū soli episcopi hactenus habebant. Verùm ea consuetudo infringi hoc seculo cœpit. Valerius enim Augustino presbytero id mun⁹ delegauit. Posidon. de uita August. cap. 5. Et Chrysostomum munus docendi sedulò obijsse, testatur Socrates 6. cap. 17. Et Atticum extemporè populariter concionatū esse, idē lib. 7. cap. 2. & 25 refert. Et Chrysostomus hom. 2. in 1. cap. Ioannis, grauissimè cohortatur suos auditores, ut non modò in templo attentè uerbum Dei audiant & di-

& discant, sed etiã domi uir cum uxore, pater cum filio conferant de doctrina, ac mandat, pueros ab incunabulis in uerbo Dei enutriri. Et Hom. 10 in idem caput monet, ut auditores prius Euangelicas lectiones domi legant, & repetant, & sensum disquirant, & quid clarũ, quid obscurum aut pugnans uideatur annotent, & sic ad conciones attentiores & paratiores accedant. Idem facit homilia 52 in 8 Iohannis. Et in tertio capite ad Colos. pręcipit, ut sibi comparent Biblia, pharmaca animæ, & præcipuè libros noui Testamenti.

In docendo autem eos obseruasse id pręceptum, ut initiò communiora traderent, & sic paulatim ad maiora discentes præpararent, monet Cyrillus libro secundo in Ioannem, capite nonagesimoquinto. Eucherius etiam in tertiũ librũ Regum, iubet docentes ad discentium captum sese accommodare, & non plura prædicare quàm ab auditoribus capi possint. Et Theodoretus libro primo de fide inquit: Nos accedentib. ad Christianam religionem, diuinarumq; rerum mysteria discere cupientibus, præ cæteris cunctis libris doctrinam fidei proponimus: cum uerò & imbuti fide, initiatiq; fuerint, aperimus, quarum rerum signa ænigmataq; præcesserint. Et Cyrillus censet, eos qui ad uoluptatem potius quàm ad utilitatem loquantur in concionando, adulari auditoribus. libro decimo in Iohãnem, capite uigesimosexto. Examinare etiam auditores solebant, ut patet ex Chrysostomo in secundũ caput ad Hebræos: & ex Cyrilli libro secundo, capite quadragesimoseptimo in Ioannem.

Hæreses, earumque autores refutabant tum in concionibus, (Chrysostomus sermone 8 de resurrectione) tum disputationibus coram Ecclesia. Sic Augustinus cum Maximino Ariano, Hippone, præsentibus clericis & laicis disputauit: libro primo contra Maximũ. Chrysostomus homilia quinta & sexta in Genesin, astrologos refutat. Et si qui occultè in cœtu serpebant, eos sibi indicari postulabant: ut facit Leo sermone tertio.

In errore pertinaces excommunicabant, Ecclesijs eijciebant: & suos monebant, ut eorum consortia uitarent. Chrysostomus prima oratione contra Iudæos, monet suos, ut Iudæorum consortia fugiant: & Augustinus in libro de fide & operibus, capite quinto: & Cyrillus libro nono, capite quadragesimo in Ioannẽ, hęreticos à consortio fratrum depelli iubet.

Econtrà pœnitentiã agentes absoluebãt, & ad sacra admittebant. Nam Augustinus lib. unico de baptismo, ca. 1. Iudæos, schisma ticos, & hæreticos, si agant pœnitentiam, recipi testatur. Contrarium egit Petrus protopresbyter Alexandrinus, qui mulierem Manichæam ad sacra mysteria admisit, cum eam ab hæresi nondum abduxisset. Socrat. libro 6. cap. 9.

In taxandis uitijs libertatem usurpabant & seueritatem necessariam. Exempla huius rei extant in uitis Doctorum, quas in cap. 10. describimus: maximè uerò in Ioannis Chrysostomi. ac solet is ferè in fine omnium Homeliarum uitia taxare, & ad bona opera hortari auditores. Hom. 3. in acta Apostolorũ, perstringit eos qui sacerdotium ob honorẽ potius, quàm ob curam gregis affectabant. Et homil. eadem episcopos reos peccatorũ facit, quæ presbyteri & diaconi cõmittant. Et homil. 9. in Acta, cap. 3. seueriter præcipit, ut iuramenta forensia corrigantur, & secus facientes ad se duci iubet.

Luxum in diebus festis grauiter reprehendit Chrysostomus 8. sermone de resurrectione, & homil. 26 in Matthæum. Inuehitur etiam in auariciam sacerdotum, homil. 13. in Marcum, tomo 2: Multæ cathedræ ustque hodie sunt, quæ uendunt columbas. Item: Nunc in multis locis domus Dei patris, fit domus negociationis. Et paulò post: Ego ipse qui loquor, & unusquisq; de nobis, siue presbyter, siue diaconus, siue episcopus, qui heri pauper, hodie diues est in domo Dei, non ne uobis uidetur feciſſe domum patris, domum negociationis? Idem homil. 7. in Matth. taxat mulierum magnificentiam, quæ mulis in templum ad conciones uehebantur. Et in 1. concione de Lazaro, grauiter obiurgat eos qui Calendis festum Sathanæ celebrarunt, & choreas duxerunt per ciuitatem, & in cauponis & popinis ebrietati uacauerunt. In 4. cap. ad Colos. nuptiarum abusum taxat. Et in 9. ad Hebræos, immodestiam & risum in templo arguit. Et in primo capite ad Titum, obseruationem ieiunij & sabbatorum cum gentilibus refutat. Prosper libro primo de uita contemplatiua, prolixè taxat deprauatos & corruptos mores & uitia Ecclesiasticorum.

Quemque ad opera suæ uocationis & pietatis cohortabantur. Chrysostomus regi & reginæ optima subiecisse dicitur, apud Theodor. 5. cap. 28. Et populum ad studium uirtutis adhortatus est Atticus: Socrat. 7. cap. 25. Et ut in qualibet uilla ecclesiæ cõstituantur, & alantur sacerdotes, qui doceant homines de salute, monet Chrysostom. homil. 18. in 8 cap. Actorũ. Idẽ ad eleemosynas hortatur, homil. 25. in acta Apostolorũ. Et ad orationem, homil. 26. Et ad celebrationẽ paschatis, homil. 47. in Acta: & in ser-

mone quinto de resurrectione. Et martyres non laudandos, sed imitandos propone bat Chrysostomus, in Sermone de Eucharistia. Idem ad pœnitentiam & confessionem hortatur, homilia 5. de incomprehensibili Dei natura, & 6. ad Hebræos. Et in 4. cap. ad Thessalon. hortatur parentes, ut iuuenes citò matrimonio subijciat.

Curam gerebant de moribus suorum clericorum. nam Posidonius de Augustini uita refert, eum clericos secum in una domo aluisse, & morum inspectorem fuisse: capite 25. Ioannes etiam Chrysostomus sacerdotes secundum leges uiuere iussit. Theodor. lib. 5. cap. 28.

In omnes cuiusque loci & ordinis homines facinorosos, & obstinatos, cẽsuram grauiorem exercebant: Socrat. 7. cap. 25. Chrysostomus duos diaconos, alterũ propter homicidium, alterum propter adulterium, ab Ecclesia separauit. Antoninus titulo 10. cap. 9. ex Palladio. Innocentius Romanus excommunicauit Arcadium Imperatorem, quòd consensit in depositionem & exilium Ioannis. Antoninus tit. 10. capite 9. ex Palladio. Et Chrysostomus homilia octaua in tertium caput Actorum inquit: Si quis noluerit hoc præceptum perficere, quemadmodum tuba quædam per uerbum denuncio, abstineat à liminibus illis Ecclesiasticis, siue Princeps sit, siue alius diademate cinctus. Et homil. 9. in tertium caput Actorum, minatur excõmunicationem iurantibus. Idem homilia undecima in quartum cap. Actorum facit. Et Augustinus libro 3. contra literas Petiliani, cap. 37: Ecclesiastica disciplina non negligitur à constantibus, diligentibus, & prudentib. dispẽsatorib⁹ Christi, ubi crimina ita manifestantur, ut nulla possint ꝓbabili ratione defendi. extant innumerabilia documenta in eis qui uel episcopi, uel alterius huiuscemodi gradus cleri fuerunt, & tunc degradati, uel pudore in alias terras abierunt.

Occultis tamen eos peperciſſe, Augustinus testatur in lib. 3. contra literas Petiliani, capite trigesimosexto.

Auditorum suorum cœtus alij aliter distinxerunt. Cathechumenorum meminit Chrysostomus homil. 17. in primum caput Ioannis. Achomil. 24. in tertium caput Ioannis, catechumenos à fidelib. discernit: & homilia prima in acta Apostolorũ, & in undecimum caput ad Hebræos. Idem recens baptizatos Neophytos appellat. in duodecimum cap. 1. ad Corinth. Et postea ibidem inquit: Sunt in Ecclesia mẽbra multa, diuersa: sublimiora quædam, quædam inferiora: sunt uirginum chori, sunt uiduarum collegia, sunt ex casto connubio fulgentes cœtus. Ipsi etiam mendici usum Ecclesiæ templorum foribus admoti pulcherrimum, & ornamentũ quoddam maximum præstant, ut sine his plenitudo Ecclesiæ perfecta esse non possit. Idem pœnitentium meminit in primum caput ad Ephesios, & Augustinus in libro de fide & operibus cap. 29. & Eucherius lib. 3. in Genes. Energumenon mentionem facit canon 14. Arausicensis.

Preces sacras ordinabant pro omnibus rebus necessarijs. Ioannes Chrysostomus preces nocturnas ad Arianos refutandos instituit: Socrat. 6. cap. 8. Idem homil. 3. & 4. de incõprehensibili Dei natura, ad preces publicas, ut quæ sint priuatis efficaciores, audi tores cohortatur. Idem facit in quintum caput 1. ad Timoth. Mamercus Viennẽsis litanias, seu rogationes publicas in suæ urbis incendio instituit: Sidon. lib. 7. epistola ad Mamercum, & epistola ad Aprugium. Ac ipsi sedulò pro Ecclesijs orabant: Chrysostomus homil. 43 in acta Apostolorum. Et Augustinus dicit, ministros Ecclesiæ quotidie necesse habere, orare pro populo. 127. quæst. in uetus & nouum Test. Et Sidonius in epistola ad Lupum. Et pro conuersione regum ac tyrannorum: August. lib. 3. contra Maxim. cap. 1. Nouũ est & superstitiosum, quòd pro mortuis cœperunt orare. Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 16.

Sacramẽta administrabant. August. quæst. 127 in nouũ & uetus Test. Sacerdos necesse habet quotidie aut offerre, aut tingere.

De usu sacramentorum fideliter instruebant suos, ac ut rectè & crebrò ijs uterentur hortabantur. Chrysost. in sermone de Eucharistia, & in oratione de Philogonio. Item in 1. ad Timotheum 1. negligentiam suorum in sacra cœna percipienda taxat. Et in admittendis ad communionem, debitam adhibebant prudentiam: ut monet Cyrillus lib. 2 in Ioannem, cap. 26.

Ordinabant ministros Ecclesijs. Gelasius epistola ad episcopos per Lucaniam, monet episcoporum esse, creare subdiaconos, acoluthos & presbyteros, &c.

Gesta cum hæreticis certo tempore populo perlegebant. Sic apud Carthaginem, Tagastem, Constantinam, Hipponem, & omnes diligentes Ecclesias, episcopi gesta cum Donatistis recitabant. Ac mandat Augustinus Deuterio Cæsariensi episcopo, ut singulis annis per dies ieiuniorum, gesta collationum cum Donatistis à capite usque in finem ex ordine prælegat. libro de gestis cum Emerito.

Temporũ rationem & festa Ecclesijs suis denunciabant. Sic Augustinus pascha & ieiuniũ indicat suis, quæstione cẽtesima uigesima, & cẽtesima uigesimaprima in uet⁹ & nouum

nouũ Teſtamentũ. Et Leo in 1. & 2. ſermone de ieiunio, indicit ieiunium & uigilias celebrandas. Idem facit ſermone de Quadrageſima.

Monaſteria ſeu ſcholas Eccleſiaſticas inſtituebant & regebant. Sic Euſtathius epiſcopus Sebaſtiæ, & abbas monachorum fuit, & ſcholam habuit, ex qua multi clari uiri prodierunt. Sozom. lib. 8. cap. 27. Et Auguſtinus regulas monachis præſcripſiſſe dicitur. Et monachi Adrumetini Auguſtinum conſuluerunt ſuper errore de libero arbitrio, ut patet ex argumento libri ad Valentinum de gratia & lib. arbitrio. Et Sidonius in epiſtola Voluſianum rogat, ut diſcipulos Abrahæ informet ſecundũ ſtatuta Lirinenſium, uel Grimnicenſium patrum.

Viſitabant ægrotos. Auguſt. lib. 22. cap. 8. & Poſidonius in uita Auguſtini. Et epiſtola Innocentij ad Decentium.

Conſolabantur calamitoſos & lugentes. Sic Paulinus Pammachium conſolatur, ob uxoris obitum. Et Syneſius epiſcopum quendam, ob damnatam Arij hæreſin ejectum, conſolatur epiſtola 128.

Bono exemplo Eccleſiæ præibant. Proſper lib. 1. de contemplatiua uita, capite 17. Idem præcipitur canone 1. Turonenſi. Et apud Eucherium in lib. 3 Regum, cap. 4.

Cauſas litigantium rogati cognoſcebant & dirimebant. Id Auguſtinum factitaſſe, refert Poſidoni' in uita Auguſtini, cap. 19. Ac ipſe Auguſtinus epiſtola 9. teſtatur, ſe alienis & ſecularibus negocijs circumſtari. Syneſius in epiſtola 57 inquit: Non condemno epiſcopos qui uerſantur in negocijs, ſed memetipſum ſciens uix ad alterutrum pertingere poſſe, admiror eos qui utraque poſſunt: mihi uires non ſunt ut poſsim duobus dominis ſeruire. Si qui uerò ſunt, qui rerum diuerſarum aggreſsione non læduntur, illi forſan poſſent ſimul & ſacerdotio fungi, & ciuitatibus præeſſe.

Legatione etiam interdum fungebantur. Sic Leo ad regem Hunorum ablegatus, Italiam à periculo liberauit. Liber Pontificalis.

Eccleſijs etiam ædificandis & ditandis operam dederunt, maximè Romani epiſcopi. Sabellicus Ennead. 8. lib. 1. Et Sixtum omnia ſua bona in ędificijs & ornamentis eccleſiarum inſumpſiſſe, teſtatur Platina in uita eius. Et Patientem Lugduni templum ſtruxiſſe, teſtatur Sidonius lib. 6. epiſtola ad eundem.

Conſecrabant eccleſias, ut patet ex Epiſtola 11. & 12. Paulini. Et baptiſteria: Sidonius in epiſtola ad Elaphium.

Vt in precedenti ſeculo fundamenta ſunt iacta: ita in hoc epiſcopi cœperunt occupare dominatum. Socrates lib. 7. cap. 7. & 13. Ex eo tempore quo Cyrillus Alexandriæ epiſcopus ordinatus eſt, poſt Theophilum, Alexandrinus epiſcopatus præter ordinem ſacerdotis principium conſecutus eſt exercendi rerum potentatus. Ac Romanum epiſcopatum iam olim ultra ſacerdotij limites, ad externam & nouam dominationem progreſſum eſſe, idem teſtatur lib. 7. cap. 11. Syneſius Ptolemaidis epiſcopus etiam prælium commiſit pro regione, pro ſacris, pro legibus, & poſſeſsionibus: epiſtola 108. 113. 122. 125. & 132.

Nouum eſt quod epiſcopi cœperunt hoc ſeculo reliquias ſanctorum nimis ſuperſtitioſè tractare: epiſtola 11 & 12 Paulini. Simile & illud eſt, quòd cœperunt cõficere chriſma: ut patet ex Toletano concilio, & epiſtola Gelaſij ad epiſcopos per Lucaniam, &c. cap. 8. Item uelare uirgines: ut patet ex canone Mileuitano 26. Item benedicere cæreum paſchalem: quod Zoſimus inuenit, ut patet ex libro Pontificali. Item altaria lapidea infuſo chriſmate ſacrare: ut habet canõ 26 Epaunenſis.

DE SYNODIS *priuatis.*

SYnodos priuatas appellamus illos congreſſus, in quibus epiſcopi cum ſuis collegis, ac etiam laicis quibuſdam, ſine conuocatione tamen ſacerdotum aliarum finitimarum Eccleſiarum, conueniebant, tracturi de rebus ad Eccleſiam pertinentibus. Huiuſmodi ſynodos celebratas eſſe, teſtantur ſequentia.

Solebant autem in huiuſmodi congreſsibus tractare de electione & uocatione miniſtrorum Eccleſiæ, cuius rei poteſtas erat ſimul penes clericos & laicos. Sic Siſinius à populo eligitur. Socrat. 7. cap. 26.

In his etiã examinabant dogmata, ſi quid uel nouum, uel à fide alienum à quoquam fuerat prolatum. Ac errorum aſſertores uel in uiam reducebant, uel damnabant & excommunicabant. Sic Neſtorium propter hæreſin clerici communi ſententiã damnarunt. Socrat. 7. cap. 34. Et Felix Meſſenum & Vitalem ob malè adminiſtratum legationis munus à communione deiecit. Platina. Et Cœleſtium Carthagini fratres propter diſputationem contra gratiam examinarunt, & ad epiſcopale iudicium perduxerunt. Auguſtinus 2. quæſtione Solutionum Hilarij. Idem cum Maximo coram clericis & laicis Hippone diſputauit, ut patet ex libris eius contra Maximum. Et Leo in tali ſynodo cum Manichæis contulit: ſermone quinto de ieiunio.

Si quid diſsidij inter epiſcopos & cleri-

cos ortum erat, in eiusmodi priuatis cõgressib. tractabatur. Sic Theophilus Petrũ protopresbyterum accusauit, de Manichæa ad mysteria sacra admissa. Socrat. 6. cap. 9: Sozom. 8. cap. 12. Et postea Isidorum, sibi pecuniam pauperum cedere nolentem: Sozomenus octauo, capite duodecimo: & Paladius in uita Chrysostomi, apud Antonium titulo decimo, capite nono.

Isthic communes etiam dictabant literas. Sic Ioannes Antiochię congregata Synodo, tres epistolas dictauit. Liberatus in Breuiario cap. 10.

In suspicionem adducti, uel criminationibus delati, sese purgabãt: ac probata innocẽtia, delatores damnabãtur. Canõ cõcilij Agathensis, & epistola Sixti tertij, cap. 1 & 2.

Causas ciuiles & lites ibi quoq; componebãt. Sic Siluanus episcopus Troianus, cũ clericos quęstum ex contentionibus eorum qui inter se litigabant, sectari cerneret, neminem unquam è clero iudicijs accommodauit: sed acceptis supplicantium libellis, obsecrabat aliquem ex fidelibus laicis, quem iusticiæ sciebat amantẽ, illiq; audiendi mutionem commisit, atq; ita litigantes à contentione abduxit. Socrat. 7. cap. 37. In Tanarici die Dominico causas dijudicẽt. Sed alijs diebus, exceptis negocijs criminalib⁹, permittitur eis iudicium. Et canone 10 cauetur, ne episcopus aut clericus pro iudicijs munera accipiat.

Leges & statuta ad gubernationem necessaria condebant. Sic Zosimus Romę statuit, ne clerici in publico potarẽt. Sabellicus Ennead. 7. lib. 9. Et Bonifacius interdixit, ne seruus, nexus, obæratus q; in clerum reciperiantur: & ne mulieres sacram pallã & thura attingerent. Sabellicus Ennead. 8. lib. 1. Et Vincentius ex Sigeberto, lib. 19. cap. 11. Et ne absens in iudicio accusetur, aut damnetur. 3. q. 9. cap. Decernimus. Item, ne quis sacerdos ordinetur ante 30 annos. 78. dist. cap. Si quis ante triginta annos. Anastasius statuit, ne peregrini, & maximè transmarini, in clerũ recipiantur, nisi quinq; episcoporũ chirographis. Naucler. 2. Gen. 14. Itẽ ne debiles uel manci, uel mutilati aliquo membro, clerici fiant. Iacob. Philip. in Chronico. Leo statuit, ut apud Eparchum prętorianum responderent clerici. Theodor. 1. Idem uetat, ne clericus suo aut alieno nomine fœnus exerceat. epistola ad episcopos Campaniæ, cap. 5. Sixtus nullum clericum in alterius parochia ordinari debere statuit. Philip. Iacob. in Chronico. Hilarius uetuit, ne clericus à laico inuestiturã accipiat. Naucler. Gen. 16. Et ne quis insçius literarum clericus ordinetur. 55. dist. cap. Pœnitentes. Et ne pontifices sibi successorem deligant. 8. q. 1. Pleriq;. Hęc consuetudo per totum orbem sparsa est. Iacob. Philip. in Chronico.

DE BONIS ECclesiæ.

Ecclesiæ habuerunt sua bona, quæ partim Imperatorum & reginarum largitione acquisierant. Sozom. lib. 8. cap. 1: et lib. 9. cap. 1. Pulcheria ditauit ecclesiam Cõstantinopoli: Nicephor. 14. cap. 2. Theodosius auream crucem, & pecuniam Hierosolymã misit. lib. eodem. cap. 9. Eudocia Theodosij coniunx, episcopalem domum Cõstantinopoli exornauit, & mille nũmũm annuatim attribuit. lib. eodem, cap. 5. Et ecclesijs Libyę Imperatores frumentũ dedisse, Ischyriõ testatur in epistola ad Leonẽ, quę extat in actis Chalcedonẽsibus. Partim episcoporũ liberalitate. Xystus enim ditauit ędem Virginis maiorem prædijs. Sabell. Ennead. 8. lib. 1. Et Simplicius scyphum aureum librarum quinq;, & cantharos argẽteos sedecim, singulos librarũ 12. Liber pontificalis, Partim per collectas, quas faciebant singulis diebus Dominicis. Socrat. 7. cap. 12: & Chrysostomus in explicatione dicti Pauli, Corinth. 16. Partim ex beneuolentia & donatione piorum. Socrat. lib. 7. cap. 21. Et Crescentiũ omnes facultates suas, & prædium Argianũ in Sicilia, ecclesię Romanę donasse, Sixtus in expurgatione cap. 1 affirmat. Edessenæ ecclesiæ calicem gemmatum oblatum esse, patet ex concilio Berythensi. Partim etiam multatione aliorum. nam Basso, qui Sixtum falsò accusauerat, in exilium pulso, prædia eius Ecclesiæ ascripta sunt. Platina in uita Sixti, & in epistola Sixti. Partim emptione. Chrysostomus homilia octuagesimasexta in Matthæum.

Erant autem ædes episcopales. Socrat. 6. cap. 14. Vasa aurea & argẽtea. Socrat. 7. cap. 21. Argentũ & aurũ. Victor lib. 1. in historia. Agri, domus, uehicula, equi, muli, uillæ, & multa similia. Chrysost. homil. 86 super Matthæum. Serui: ut patet ex Agathẽsi canone 7. Cirthensis ecclesia habuit duos aureos calices, & sex argenteos, capitulata argẽtea, & lucernam argenteã. Augustinus lib. 3 cõtra Crescon. cap. 29. Edessena ecclesia habuit calices gemmatos, redditus, cruces aureas & argenteas, prædia, syluas: ut patet ex concilio Berythensi.

Bonis ecclesiasticis præerant episcopi: ut colligitur ex Socrate lib. 7. capite uigesimoquinto. Sed eã consuetudinem grauiter reprehendit Chrysostomus homilia octuagesimasexta super Matthæum: ac queritur, episcopos in dispensatores, caupones,

procuratores, publicanos, & quæstores redactos esse.

Dispensatores uerò presbyteri erant: ut patet ex Sozomeni lib. octauo, capite duodecimo. Oeconomi Ecclesiæ meminit Theodorus libro primo. Et Ibas promittit in Chalcedonēsi synodo, se in posterum, secundum consuetudinem Antiochenæ ecclesiæ res curaturum per œconomos ex clero ordinatos. Et in uigesimosexto canone Chalcedonensi cauetur, ne episcopi facultates ecclesiasticas tractent, sed œconomis id onus imponant. Sed Gelasius econtrà epistola ad Siculos, iubet episcopum facultatum Ecclesiæ habere potestatem, ut pauperib. & peregrinis, & captiuis & clericis possit distribuere eleemosynas & stipendia.

Non autem licebat uel episcopis uel presbyteris res Ecclesię abalienare, siue per uenditionem, aut commutationem, aut legationem. Canone septimo, & quadragesimooctauo, & quadragesimonono, & quinquagesimoprimo Agathensis.

De bonis Ecclesiæ alebantur episcopi, & alij ministri. Chrysanthus duos panes singulis diebus Dominicis ex collectis accepit. Socrates septimo, capite duodecimo. Et Chrysost. in tertio capite 2 ad Thessalon. inquit: Eleemosyna illis datur, qui manuum suarum operatione & labore sibijpsis uictū sufficere nequeūt: aut illis qui alios docent, & toti ad doctrinæ sermonem dediti & occupati sunt. Et in actione undecima Chalcedon. Stephanus & Basian⁹ episcopi Ephesini ambo depositi, necessaria salaria ab Ecclesia acceperunt, annuatim solidos ducentos. Theodoretus tamen episcopus Cyri, stipendiū ab Ecclesia non accepit, sed gratis ei inseruijt: ut testatur ipse in epistola ad Leonē.

Viduæ, orphani, uirgines. Chrysostomus homi. 82 super Matthæum.

Item pauperes. nam Atticus non solùm prouidit pauperibus in sua parœcia, sed etiā Niceam egenis misit 300 aureos, ac Calliopium distribuere iussit ijs qui mendicare erubescant, & in doctrina uera consentiant. Socrat. 7. cap. 25. Et Canon 5. Vasensis, oblationes defunctorum præcipit maturius dari, ne pauperes alimonia defraudentur. Peristeria xenodochijs & alijs pauperibus Ægypti legauit pecuniam in testamento. acta Chalcedonens.

Solebant etiam ad redimendos captiuos bona Ecclesiæ conferri. nam Acacius Amidenus aurea & argentea uasa iubet uendi, & captiuos redimi. Socrat. septimo, capite uigesimoprimo: & Canon septimus Agathensis. In Berythano concilio Ibas accusatur, quòd Ecclesię pecuniam, quę ad redimendos captiuos erat collecta, contulerit in cognatorum suorum domos. Simplicius in epistola ad Florentium, iubet de redditibus Ecclesiæ, & oblatione fidelium, duas portiones Ecclesiasticis fabricis & pauperibus erogari, & unam episcopo dari, quartam uerò clericis distribui. Idem Gelasius in epistola ad episcopos per Lucaniam, Brutios, Siciliam, cap. 29. repetit.

Item ad Ecclesiarum ædificationes, aut instaurationes. Sozom. octauo, capite duodecimo.

DE BIBLIOthecis.

NOn caruerunt Ecclesiæ suis bibliothecis. Alexandrinæ bibliothecæ meminit August. 114 quæst. in uetus & nouum Testamentum. Bibliothecæ Hipponensis idem facit mentionem: ac in ea opusculum Hieronymi de Hæresibus non haberi, queritur libro de hæret. ad Quoduultdeum, capite octogesimooctauo. Constantinopoli in basilica Hilarij duplex bibliotheca fuit. Platina, & Sabellicus Ennead. octauę libro secundo. Et isthic in bibliotheca centum uiginti millia librorum reposita fuisse, & intestinum draconis longitudine pedum centum uiginti, cui aureis literis poëmata Homeri Ilias & Odyssea fuerint inscripta, Zonaras habet tomo decimotertio. Hilarius episcopus Romanus duas in baptisterio Lateranensi bibliothecas fecit, iuxta libros Pontificales. Gelasij libros contra Nestorium & Eutychen in bibliotheca Romana custodiri, testatur liber Pontificalis.

DE SCHOLIS.

ETiam hoc seculum celebres scholas passim habuit. nam Alexandriæ Hierax lumagister fuit. Socrates 7. cap. 13. Et Maximus ac Theodorus socij in schola Liburniana fuerunt. Sozom. octauo, capite secundo. In schola Magistrianorum Theodorus annos uigintiduos fuit: ut patet ex eius libello ad Leonem. In synodo Chalcedonensi coadiutorem habuit Seuerum, ut patet ex libello Athanasij in actis Chalcedonensib. Academiā Bononiæ à Theodosio institutā, quidam Chronici annotāt. Scholæ Auernorum meminit Sidonius.

Duplices autem uidentur fuisse Scholæ: Ethnicæ nimirum, cuiusmodi fuit in qua Libanius docuit Rhetoricam & artes dicendi, & philosophiam: & Ecclesiasticæ, seu monasteria, ubi Ioannes Carterium & Diodorum prœceptores habuit. Sozom. octauo, capite secundo: Niceph. decimotertio, capite secundo: Chrysostom. libro tertio contra uituperatores uitæ monasticæ.

In scholis triuialibus erant primi magistri, qui docebant colligere syllabas, & legere: & magistri grammatici, qui græca & latina

tina docebant, ac legebant Homerũ, & Virgilium, & alios autores, & exercebant puerros recitandis & mutandis uersibus, ac negligentes castigabant. ut patet ex Augustino libro primo Confessionum, capite decimotertio, decimoquarto, decimosexto, decimoseptimo, decimooctauo & decimonono.

Saluianus libro septimo, De prouidentia Dei, dicit in Carthaginensi urbe artium liberalium scholas, & philosophorum officinas, & tum linguarum, tum morum esse gymnasia.

In monasticis scholis Theologia tradebatur: ut patet ex Chrysostomi tertio libro contra uituperatores monastices.

In quibusdam locis, etiam in triualibus scholis sacra tradebantur. unde Iunilius de partibus diuinæ legis inquit: In Syrorum urbe Nisibi diuina lex per magistros publicos, sicut apud Africos Grãmatica & Rhetorica, ordine ac regulariter traditur. Idẽ dicit, Paulum Persam regulis quibusdam discipulos suos instruxisse, priusquã ad diuinarum Scripturarũ enucleationẽ accederet.

DE CONSOCIATIONE *Ecclesiarum in una aliqua prouincia.*

In usu mansit etiam hoc seculo, ille Ecclesiarum in singulis prouincijs ordo, quo aliæ ad metropolim, eiusque episcopum ita erant associatæ, ut in arduis & communibus causis neq; metropolitanus sine aliorũ consilio, neque alij sine eius consensu quidquam faceret. Diœceses autem appellari solebãt eiusmodi iurisdictiones Ecclesiasticæ, ut patet ex Augustini epistola ad Quodultdeum.

Metropoles autẽ, quarum mentio fit passim in historia huius tẽporis, maximè uerò in actis conciliorum Ephesini & Chalcedonensis, hæ ferè sunt:

METROPOLES ASIAE.

Hierosolyma.
Antiochia Syriæ.
Tyrus Phœniciæ.
Hierapolis primæ Syriæ.
Apamea secundæ Syriæ.
Cyrus.
Damascus.
Seleucia Isauriæ.
Amida in Mesopotamia.
Bostra in Arabia.
Tarsus.
Anazarba secundæ Ciliciæ.
Perga Pamphiliæ.
Sida Pamphiliæ.
Iconium Lycaoniæ.
Myrorum ciuitas in prouincia Lycia.
Aphrodisias Cariæ.
Ephesus.
Sardes Lydorum.
Laodicea Phrygię Pacatianæ, & Synnada, & Dorylæum.
Cyzicum.
Nicea. Nicephorus libro 14. capite 39.
Claudiopolis in Ponto.
Trapezus.
Chalcedon.
Nicomedia.
Ancyra Galatiæ.
Pessinus in Galatia.
Gangrena ciuitas Galatiæ secundæ.
Antiochia Pisidiæ.
Nicopolis Pisidiæ.
Tyana Cappadociæ secundæ.
Sebastia primæ Armeniæ.
Melitena Armeniæ.
Harum mentio fit in actis Chalcedonensis & Ephesini concilij.

METROPOLES IN *Insulis.*

Constantia in Cypro. nam Theodoretus libro secundo dicit, Cyprorum metropolim liberũ habere episcopatum, & non esse sub Antiocheno. Idem in actis Chalcedonensibus. Rhodus suam metropolim habet: in actis Chalcedonensibus. Gortyna in Creta, Londinum in Anglia: ut Balæus de scriptoribus Anglicis.

METROPOLES IN *Africa.*

Alexandria. Carthago.

Ciuitas Hipponensis: ut apparet ex uita Augustini apud Posidonium. Cæsarea. Calamẽsis ciuitas in Numidia: Augustinus, & Posidonius in uita eius.

METROPOLES IN *Europa.*

Corinthus appellatur metropolis apud Nicephorũ libro decimoquarto, capite trigesimonono: & in actis Chalcedonensibus & Ephesinis. Nicopolis Epiri: Leo in epistola octogesimaquarta. Larissa in Thessalia. Thessalonica.

Philippopolis. Heraclea.

Constantinopolis: licet Gelasius in epistola ad Dardanios neget eam inter iura metropolitana censeri. Nicopolis. Martianopolis. Roma. Lugdunum: Sidonius libro quarto: epistola ad Dumnulum.

Ebredunum: epistola Hilarij ad Leontiũ.

Aquitana ciuitas: Victor lib. 1.

Tarraconensium ciuitas: epistola Hilarij, inter acta Tarraconensia: & similes.

Porrò istæ metropoles, aliæ plures, aliæ pauciores sub sese habuerunt ecclesias. Theodoretus Cyri episcopus, in Commentarijs in epistolas Pauli testatur, se pastorem esse quingentarum ecclesiarum. Et Victor

libro primo indicat, metropolitanum Aquitanæ ciuitatis sub se habere Ecclesias cẽtum & uiginti. Illę uerò quę sedes appellari cęperunt, nimirum Hierosolyma, Antiochia, Alexandria, Ephesus, Cõstantinopolis, Thessalonica, Roma, plures Ecclesias non modò in sua, sed etiam in alijs prouincijs sibi subiecerunt: ut postea dicemus.

Cum autem Imperatores aliter atq; aliter prouincias diuiderent, accidebat interdum, ut duę metropoles in una prouincia fierent, sed non licebat eodem modo duos constituere episcopos metropolitanos: ut patet ex epistola decimaoctaua Innocentij ad Alexandrum Antiochenum. Sed antiquioris metropolis episcopus ius ordinandi retinebat, & alia priuilegia: alterius uerò recentioris episcopus sub eo erat, & honore tantum alijs prouinciæ episcopis præponebatur, ut patet ex decimatertia actione Chalcedonensi.

Interdum etiam honoris gratia priuilegia metropolis largiebantur Imperatores oppidis, quibus uolebant. Sic enim Martianus actione sexta Chalcedonensi inquit: Ad honorem martyris Euphemiæ, & uestræ pariter sanctitatis, Chalcedonensium ciuitatem, in qua sanctæ fidei concilium gestum est, metropolis priuilegia habere sancimus, nomine tantum hanc honorantes, salua uidelicet Nicomediensium ciuitati propria dignitate.

Hinc motæ sunt contentiones inter episcopos de diœcesibus, quas etiam schismata ab hæreticis excitata auxerunt. Nam schismate durante, Ecclesiæ quædam à metropolitanorum iurisdictione recesserunt: quæ postquam ab errore sunt liberatæ, ab alijs atque alijs occupari cœperunt. Vnde in concilijs ea de re decreta multa facta sunt. Africana synodus capite octogesimosexto statuit, ut episcopus qui ab hæresi diœcesin aliquam liberasset, ac triennio tenuisset, eam postea semper retineat, licet antea sub alterius fuisset potestate. Et Ephesina synodus sanxit, ne quis occupet alienam prouinciam, quæ nõ antiquitùs sub potestate ipsius, aut antecessorum eius fuerit.

Episcopos autem illos, qui propter metropolim, aliarum in eadem prouincia Ecclesiarum quasi inspectores erant, his appellationibus notant· Metropolitanus: Celestinus in epistola ad Galliæ episcopos, capite quarto. Papa: id enim commune nomen erat, ut ex Sydonij epistolis apparet. Protomystæ: Sidonius ad Eruagestum. Pœmenarchæ, id est primarij pastores: apud Nicephorum libro decimoquarto, capite trigesimonono. Lupum Trecassinum Sidonius appellat principem Gallicanorum

episcoporum: libro sexto epistola prima, & libro nono. In Africano tamen concilio cautum est, ne quis Princeps sacerdotum appelletur.

¶ Officium autem istorum erat, curare ut uera, pura & sincera doctrina in Ecclesijs sibi subiectis traderetur: & libros apocryphos, & falsatos codices prohibere. Leo epistola nonagesimatertia.

Et quæstiones difficiliores à fratribus propositas enucleare. Augustinus libro tertio de peccatorum meritis, capite sexto. Et à Constantino sermonem Donatistarum de baptismo acceptum, refutat Augustinus libro unico de baptismo, capite primo. Prosper etiam respondet ad Camilli & Theodori presbyteri dubia, ex Augustini libro de Prædestinatione collecta.

Cauere hęreses. nam catholici in Zertensi concilio Donatistas uicerunt: & communibus literis hortati sunt seductos, ut cederent ueritati. epistola præmissa libro Augustini contra Donatistas post collationem. Et Augustinus fratribus suis uolumen contra Petiliani epistolam transmisit, ut eos ab omni labe hæresium reuocaret, ac in fide confirmaret: ut patet ex præfatione libri contra Petiliani epistolam. Idem monet omnes Catholicos, ut errorem Pelagij & Cœlestij redarguant, eiąue uigilanter obsistant: libro secundo contra Pelagium & Cœlestium, de originali peccato, capite uigesimosecundo. Et Synesius presbyteros hortatur, ut pro Ecclesia contra Eunomianos hæreticos strenuè pugnent: epistola quinta. Et Leo episcopis omnibus per Italiam Manichæos uitare præcipit: epistola secunda. Idem epistola octogesimaquinta monet metropolitanum, ut curet hæreses damnari: & in epistola octogesimasexta idem postulat à Niceta Aquileiensi. Innocentius Laurentium Senensem, Bonosiacos hæreticos ex suo territorio iubet expellere, ne inficiant alios. Ad hæreticos compescendos etiam magistratum extimulabant. Sic Augustinus Cecilianum præsidem monet, ut suo edicto coherceat Donatistas. epistola sexagesima. Idem epistola sexagesimaprima inquit: Pertinet ad religiosos terræ, non solùm adulteria, uel homicidia, uel huiusmodi alia flagitia seu facinora, uerùm etiam sacrilegia seueritate congrua cohibere.

Excommunicatos indicare alijs suis collegis. Vnde Synesius per epistolam quinquagesimãoctauam, episcopis commemorat, cur & quomodo Andronicum excommunicarit.

Excommunicatos, si pœnitentiam agebant, absoluere, idque alijs indicare. nam Synesius Cyrillo à sacerdote quodam excommu-

communicato, reditum ad Ecclesiam concedit, epistola duodecima. Et canon Arausicensis iubet, ut excommunicato in gratiam recepto, episcopus literas per parochiam suam dirigat, ac ea de re alios reddat certiores: libro decretorum undecimo, capite septimo.

Ordinare episcopos. Sic Theophilus in Geris Nilamonem episcopum ordinare instituit, apud Nicephorum libro decimotertio, capite decimoseptimo. Patiens Lugdunensium metropolitanus, cum alijs episcopis prouinciæ suæ, ordinat in oppido Cabillionum pastorem, Sidonius lib. quarto, epistola ad Dumnulum. Et Megallius Calamensis episcopus, & primas Numidiæ, ordinauit Augustinum. Posidonius in uita Augustini: & Augustinus in Breuiculis collationum, quid tertio loco & die actum. Idem in epistola ad Agræcium indicat, se Biturum præsentibus prouincialibus collegis, sed etiam alijs quibusdam metropolitanis. Et Synesius epistola 67. indicat, Plebiscam & Hydracem dixisse, non oportere repudiari eum, quem Alexandrinus episcopus in sedem collocasset. Idem epistola septuagesimaoctaua, Theophilum orat, ut Antonium ab Olbiacis electum confirmare dignetur episcopum. Et Leo in epistola 84. capite sexto præcipit, ut prouinciales episcopi, de electo aliquo ad metropolitanum referant. Idem epistola 92. capite primo censet, non habendos esse episcopos, quos nec clerus elegerit, nec populus exquisierit, nec prouinciales episcopi consecrarint. Et Innocentius ad Victricium, sine metropolitani consensu nullum eligendum episcopum monet. Episcopi uerò non in ciuitate metropolitana ordinati, cogebantur intra duos menses metropolitano se repræsentare. Canon quintus Tarraconensis.

Nouum est, quòd Alexandrum Antiochenum Innocẽtius epistola decimaoctaua docet, ne ipse ut archiepiscopus patiatur metropolitanos ordinare sine suo permissu: ac tradit ei suum, quo usus est, artificium, quo paulatim id iuris præscribat. inquit enim: Longè positos literis datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu: uicinos autem si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire.

Conuocare synodum, ac in ea tractare de ordinatione & depositione episcoporum. nam apud Socratem libro septimo, capite trigesimo sexto ad synodum prouinciæ reijcitur controuersia de episcopo ordinato ad Ecclesiam aliquam, ad quã proficisci impeditus est. Et Ephesiorum episcopum secundum antiquam consuetudinem à synodo ordinari, Euagrius affirmat libro tertio, capite sexto. Et Leo in epistola quarta ad Episcopos per Siciliam, capite septimo, ad tertiũ Calendas Octobris ternos ex illis euocat ad Synodum prouincialem. Innocentius epistola decimaoctaua, Alexandro Antiocheno suadet, ut in synodo constituat de non admittendis Arianorum clericis ad sacerdotij honorem. Et Basilius Ephesinus episcopus prouinciale concilium conuocasse, ac in eo Basiani depositi innocentiam cognouisse, eumque restituisse, narratur in concilio Ephesino inter acta Chalcedonensia.

Bina per annum prouincialia episcoporum concilia celebrare. Leo epistola octogesimaquarta, capite septimo, & concilij Rhegiensis canon septimus. Et ad ea euocabant episcopos prouinciales per duos legatos episcopos: capite decimo. Ac episcopos non comparentes excommunicabant: Canon sextus Tarraconensis. Et Canon primus concilij Epaunensis præcipit, ne quis à metropolitano suo, ad synodum aut ordinationem uocatus, uenire recuset, aut sese excuset.

Visitare Ecclesias sibi subiectas. Augustinus libro primo contra literas Petiliani, & Posidonius in uita Augustini. Et Sidonius in epistola ad Firmum dicit, se peragrasse diœceses. Et in actis synodi Carthagiensis statuitur, ut singulæ prouinciæ tempore concilij uisitentur. & Canon octauus Tarraconensis præcipit, ut singulis annis episcopi diœcesin uisitent.

Interdum etiam alienas, sed rogatu aliorum, uisitabant. nam Sidonius in epistola ad Vectionem, se rogatu Germanici Cantillensem inspexisse ecclesiám dicit.

Exigebant rationem administrationis ab episcopis suæ diœceseos, si aliquando essent accusati. nam Classicianus apud Augustinum accusauerat Auxilium episcopum, quòd totam suam familiam excommunicasset, & filio suo baptismũ negasset. Scribebat igitur ea de re Augustinus ad Auxilium, ac postulabat ut redderet rationem ex Scriptura, quòd liceat ob peccatum patris totam familiam excommunicare, & quidem infantes nondum natos: aut si id nequeat ex Scriptura demonstrare, excommunicationem denunciet irritam. epistola septuagesimaquinta. Sic Innocentius Florentium Tiburtinensem episcopum reprehendit, ob parochiam Visi occupatam: eumque citat, ut de eo negocio causas exponat. epistola ad eundem. Sententiæ autem illius acquiescere nolentes, appellabant ad synodum:

dum: ut habet canon quintus Vasensis.

Absentium episcoporum defendebant Ecclesias: ut apparet ex epistola Leonis ad Anatolium, capite tertio. In Rhegiensi synodo, iubetur uicinæ Ecclesiæ episcopus tempore exequiarum curam gerere eius Ecclesiæ, cuius episcopus erat defunctus: & cauetur, ne sine literis metropolitani quisquam ad talem Ecclesiam accedat. capite sexto.

Curabant etiam, ne res Ecclesiæ abalienarentur: ut patet ex canone secundo concilij Carthaginensis quinti, & ex Agathensi canone septimo. Et canone duodecimo Epaunensi cauetur, ne episcopus sine metropolitani consensu res Ecclesiæ uendat.

In causis matrimonialibus etiam alijs episcopis, quid facto opus esset præscribebant. Vnde Innocentius Probum episcopum monet, ut illum cuius uxor ex captiuitate redierat, iubeat eam recipere, & quam ista absente duxerat repudiare: ut patet ex epistola ad eundem. In synodo Venetica canone secundo decreuerunt, ducentes alias uxores, relictis prioribus extra casum fornicationis & adulterij, excommunicandos esse. Gelasius in epistola ad episcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam, capite uigesimoquarto scribit, secundas nuptias secularibus esse concedendas, sed clericis non.

Iura metropolitana sedulò conseruare studebant. unde Eunomius Nicomediæ à Valentiniano & Martiano Imperatoribus suppliciter petit, ne priuilegia metropolis Nicomediæ, quæ secundum canones & consuetudinem obtineant, labefactari sinat per episcopum Nicenum, qui Basilinopolim sibi subijcere præsumpserat. in actione decimatertia Chalcedonensi.

Metropolitani ad Synodos uniuersales ire solebant: aut si impedirentur, alium episcopum ex suis mittere. Sic Vigilantius Lariss æ ægrotus, misit Constantinum Demetriadis, ut patet ex actis Chalcedonensibus: & Theodosius per Sacram Dioscoro Alexandrino præcipit, ut cum decem metropolitanis Ephesum ad synodum ueniat. Liberatus capite duodecimo.

Pro episcopis sub se constitutis subscribebant. Sic in Chalcedonensi Diogenes Cyzici pro absentibus episcopis, Alexandro Ocreæ ciuitatis, Gemello Melitopolis, Eristorgio Scepsiæ, Eutychiano Barensi, Acacio Proconnensi, Timotheo Germæ subscripsit. Et Theodorus Tarsi episcopus pro Salustio Coryzensi, Matroniano Pompeiopolis: Ibidem.

Preces suorum collegarum pro sese expetebant: ut patet ex epistolis undecima & decimatertia Synesij. Idem facit Sidonius passim in suis epistolis ad episcopos uicinos, & in epistola ad Lupum & Auitum.

Tempore famis per prouinciam ad subleuandos pauperes curabant frumenta. Exemplum est in Patiente Cabillionū episcopo, qui gratis frumenta distribuit per desolatas Gallias. Sidonius in epistola ad Patientem. Gelasium à fame Romam liberasse, liber Pontificalis narrat.

Faciebant decreta ad gubernationem pertinentia. Sic Leo statuit, ne clerici duarum ciuitatum ecclesijs pariter militent: & ut singulæ ecclesiæ ex clero œconomum habeant. Nec oratoria aut monasteria sine episcopi uicini autoritate ædificentur. Aptoninus titulo undecimo, capite primo.

Idem statuit, ut non nisi Paschali & Pentecostes die mysteria regenerationis celebrarentur. epistola octuagesima. Et ne quis episcopus maiorem sedem ambitus causa appetat: & ne quis sine consensu episcopi alienum clericum solicitet, aut teneat. epistola octuagesimaquarta, capite octauo & nono.

In canone decimooctauo Mileuitani concilij statuitur, ut in sua prouincia non communicantes, nec alibi communicent. Et ne unus episcopus sibi uendicet cognitionem, sed plures simul causas cognoscant. Concilium Africanum.

Metropolitanorum etiam erat, gubernare monasteria, eisq; abbates constituere. Sic Sidonius in epistola Volusianum rogat, ut Auxianum abbatem surroget, & tamen sibi superiorem inspectionem reseruet. Et Leo in epistola octuagesimasecunda ad Iulianum Coensem inquit: Autoritas est sacerdotalis, monachis prædicandi aliquam contra fidem licentiam non præbere, ne ea quæ ad sacerdotes pertinent, sibi audeant uendicare. Et Canone uigesimoseptimo Agathēsi cauetur, ne quis inconsulto episcopo nouum monasterium constituat. Et synodus Arelatensis, referente Gratiano, sanxit, ut monachorum disciplina & monasteria ad eum pertineant episcopum, in cuius territorio sunt sita. Et canon decimusnonus Epaunensis sanxit, ut abbas ob delictum ab episcopo correptus, si nolit obtemperare, ad metropolitani iudicium deducatur.

Basilicas dedicabant: unde Gelasius in epistola ad episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam, uetat sine Papæ consensu basilicas nouas dedicare. capite sexto, & uicesimoseptimo.

Imperatorum etiam decreta ad se missa promulgare solebant. Sic Petrus Alexandriæ Zenonis sententiam de coadunatione, in concione ad populum legit. Euagrius

grius libro tertio, capite decimotertio.

Solebant etiam iussu principum secularia negocia tractare. Sic Sidonius in epistola ad Græcum inquit: Vrbis committuntur negocia etiam principe absente. & in epistola ad Pragmatium rogat, ut cuiusdam matronæ causam agat.

Metropolitani in generali concilio depositi, contra episcopos Prouinciæ nihil amplius agere poterant, sed ab ijsdem & uicinis pro excommunicatis habebantur: ut patet ex epistola synodi Ephesinæ.

Nouum est, & superstitiosum, quòd synodus Toletana episcopis mandauit, ut chrisma conficiant, & per diœcesin ante Paschæ diem mittant. Canon uigesimus. Idem præcipit Canon tertius synodi Vasensis.

DE CONSOCIATIONE *plurium prouinciarum, seu uniuersali.*

SIcut autem in una prouincia plures Ecclesiæ regebantur à metropolitano, ita in diuersis prouincijs plures sæpe metropolitani ab uno aliquo archiepiscopo seu primate gubernabantur. Vnde Ioānes Chrysostomus Constantinopoleos episcopus, non eam modò Ecclesiam rexit, sed inspector fuit aliarum omnium in Thracia per sex, & in Asia per undecim, & in Ponto per totidem præfecturas diffusatum. Theodoretus libro quinto, capite uigesimooctauo. Et Honorius & Arcadius l. sexta, Codice de sacrosanctis Ecclesijs, etiam Illyrici prouincias eiadijciunt. Ac in Chalcedonensi synodo id ius Constantinopoleos confirmatum est, ut patet ex actis.

Appellabantur autem illi uel Archiepiscopi. sic enim Romanus uocatur apud Nicephorum libro decimoquinto, capite sexto. & Hierosolymitanus: libro decimoquinto, capite decimoquarto. & Ægyptius, in actione quarta Chalcedonensi. Vel Patriarchæ: Euagrius libro tertio, capite sexto. Sic Constantinopolitanus episcopus, Patriarcha uocatur apud Nicephorum libro decimotertio, capite uicesimoquarto & uicesimoquinto: & Antiocheni patriarchatus mentio fit apud Nicephorum libro decimoquarto, capite trigesimonono. Et Alexādrinus patriarcha dicitur apud Nicephorum libro decimoquinto, capite decimosexto. Ephesus etiam patriarchatus iura recepit: Nicephorus lib. decimosexto, capite quinto: Euagrius libro tertio, capite sexto. Megallius Calamensis episcopus primatum episcoporum Numidiæ habuit: Augustinus collatione tertij diei, quid tertio loco sit actum. Tigisitanus episcopus Primas appellatur apud Augustinum epistola sexagesimaoctaua, & canone tredecimo concilij Mileuitani. Patiens Cabillionum episcopus, & Mamercus, pontifices à Sidonio uocantur, in Epistola ad Aprum. Et Leo in epistola octuagesimaquarta, capite sexto, Thessalonicensem episcopum appellat pontificem. Olympius in secunda Ephesina synodo, Dioscorum uniuersalem archiepiscopum appellat. Et Ischyrion, Leonem uniuersalem archiepiscopū & patriarcham magnæ Romæ uocat, in epistola sua in actis Chalcedonensibus. Athanasius presbyter eundem appellat uniuersalem patriarcham, in epistola in actis Chalced.

Cæterùm illi archiepiscopi ita etiam erant coniuncti, ut Ecclesiæ ædificationem communiter promouerent, & consensum in sincera doctrina, & tranquillitatem ac pacem conseruarent, & hæreses, schismata & alias ἀταξίας corrigerent aut tollerent, ut in sequentibus demonstrabitur.

¶ Istius autem consociationis symbolum quoddam erant mutuæ scriptiones de ordinationibus suis: unde Paulinus epistola secunda ad Delphium dicit, Anastasium breuī post ordinationem suam epistolas plenas religionis & pietatis & pacis ad episcopos Campaniæ dedisse.

Item inscriptiones nominum defunctorum in Catalogum. Nam Occidentales non prius cum Orientalibus & Ægyptijs, Bosphori & Thraciæ episcopis in gratiam redierunt, quàm nomē Chrysostomi inter alios piè mortuos episcopos retulissent. Theodoretus quinto, capite trigesimoquarto: & epistola Innocentij ad Bonifacium.

¶ Se uerò inuicem appellabant Papas. Sic Hieronymus Augustinum uocat beatissimum papam, in epistola præmissa libro de Origine animæ: & Augustinus Alipium papam appellat, epistola decimaseptima.

Et coepiscopos: Augustinus libro primo contra epistolam Parmeniani, capite tertio. Optatum coepiscopum idem appellat, libro de correctione Donatistarū, capite quarto. Sic & Deuterium Cæsareensem, libro de gestis cum Emerito: & Claudium, in epistola præfixa libro contra Iulianum: & Paulinū, libro de cura pro mortuis, capite primo.

Compresbyteros. Sic Augustinus Orosium uocat, & Firmum: libro de cura pro mortuis, capite primo.

Collegas. Augustinus libro primo contra epistolam Parmeniani, capite tertio: & libro uigesimosecundo, capite octauo de ciuitate Dei.

Fratres. Sic Augustinus Hieronymū sanctum fratrem appellat: libro de origine, capite primo. Et Seuerum Mileuitanum, li-

bro uicesimoprimo, capite quadragesimoprimo de ciuitate Dei. Ac synodus Carthaginensis Innocentium Romanum tantum appellat papam & fratrem. epistola nonagesima apud Augustinũ. Et ipse Leo Romanus Theodoretum Cyri episcopũ, uocat fratrem dilectissimum.

¶ Ordo autem inter ipsos fuisse uidetur. nam in decimaquarta actione synodi Chalcedonensis constitutum est, ut Constantino politana sedes à ueteri Roma secundas, ab alijs autem thronis primas partes sustineret. Euagrius libro secũdo, capite decimosexto: & Nicephorus libro decimoquinto, capite septimo: & in actis eius Synodi. Leo autem in epistola quinquagesimatertia, Alexandriam secundi honoris sedem, & Antiochenam tertiam esse dicit. ac in epistola 62, priuilegia tertiæ sedis ei tribuit.

Molestè tulerunt Romani episcopi, Constantinopolim sibi coæquari, ut patet ex actione decimasexta Chalcedonensi. Et Gelasius in tomo anathematum, & epistola ad Dardaniæ episcopos, negat eam secundum canones inter sedes, aut metropolitanas numerari. Sed istas calumnias alij pij & sinceri episcopi nihili fecerunt.

In Africa etiam inter episcopos ordinem fuisse, apparet ex canone decimotertio Mileuitani concilij: ubi cauetur, ne posteriores anterioribus episcopis præferantur, & ne quid incõsultis primatibus fiat. Et in Carthaginensis concilij prœambulo, Valentinus primæ sedis Numidiæ episcopus dicitur: ac episcopo Carthaginensi ius conceditur, omnium episcoporum nomine, si opus sit, dictandi & subscribendi epistolas. cap. 48. Africanæ synodi.

Sed tamen sedulò cauerunt, ne illi primatum aliquem affectarent. unde statutum est in Carthaginensi synodo, ne primæ sedis episcopus princeps sacerdotum aut summus sacerdos appellaretur. Sic etiam in alijs prouincijs fortè fuit. nam certè Faustinus ecclesiæ Potentinæ primæ sedis prouinciæ Italię Piceni appellatur, in sexta Carthaginensi.

Officia autem archiepiscoporum erant, uigilare pro ędificatione Ecclesiarum sibi subiectarum: & communem omnium Ecclesiarum associationem, in consensu doctrinæ, & hæresium extirpatione, & Ecclesiasticę disciplinæ conseruatione promouere. unde hæc passim ab archiepiscopis illis siue separatim, siue coniunctim in historijs huius seculi factitata esse commemorantur.

Primùm tuebantur consensum in sana & sincera doctrina. Sic Augustinus libro secundo contra literas Petiliani, capite quinquagesimoprimo dicit, se Romanæ & Hierosolymitanæ ecclesiæ in catholica unitate connecti. Et Gallicani episcopi in epistola quinquagesimaprima ad Leonem testantur, se cum episcopo Romano pro ueritate paratos esse, animas etiam impendere. Ac de consensu in doctrina inter se & synodum Chalcedonensem, Leo testatur epistola sexagesimaprima & sexagesimasecunda.

In quæstionibus difficilioribus, aliorum consulebant ac corrogabant sententias. Sic Deogratias sex quæstiones à paganis sibi propositas, Augustino delegauit explicandas, ut patet ex epistola Augustini ad eundem. Idem fecit Marcellinus, ut patet ex Augustini libro primo de peccatorum meritis, capite primo: & libro tertio, capite primo. Et Honoratus Augustino quinque quæstiones proposuit: libro de gratia noui Testamenti, capite primo. Et Orosius 65 quæstiones Augustino proponit, ad quas ille respondet dialogo ad Orosium, de 65 quæstionibus. Et Hilarius Syracusanus consuluit Augustinũ de erroribus quibusdam, ut patet ex epistola eius. Et Hesychius petijt sibi locos Scripturæ de extremo iudicio explicari, epistolis 78. 79 & 80. Et Leo Romanus Rauẽnacensem consulit, epistola trigesimaseptima. Mauri consuluerunt Carthaginenses, quid faciendum sit de infantibus, quos à barbaris redimant, & nõ certò constat utrum baptizati sint, ut apparet ex canone sexto concilij quinti Carthaginensis. Sic Armeniæ episcopi Proclum cõsuluerunt de uolumine Theodori Mopsuesteni, an doctrina in eo tradita esset uera & pura: quibus Proclus remittit tomum de Trinitate. Liberatus capite decimo.

Si necessitas postulabat, communes corruptelarum & errorum confessiones & confutationes edebant, & subscribebant. Sic Eusebius Mediolanensis cum suis episcopis assertioni fidei, quam Leo ad Orientales mittebat, se subscripsisse indicat epistola quinquagesimasecunda inter Leonis. Et Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani & Bætici episcopi, regulas fidei fecerunt iussu Leonis, & ad Baleonium Gallitiales. Et Sabas, Paltos episcopus, in ciæ episcopum transmiserunt. Liber Pon- concilio Constantinopolitano inquit: Rogo uestram sanctitatem, hunc tomum & in Orientem dirigere, & liberare nos à blasphemijs: & si quis non subscripserit, sit nobis alienus. Et Proclus suum tomum contra Nestorianos ad Ioannem Antiochenum misit, & subscriptionem petijt: qua facta, ad Armenios eum transmisit. Liberatus in Breuiario, capite decimo.

Sententias suas contra hæreses sibi inuicem cõmunicabant. unde Augustinus petit ab Hilario Syracusano, ut sibi indicet, quid alij

alij sancti fratres cõtra Pelagianos differant. Solutione quatuor quæstionum ad eundẽ. Et Innocentius Africanis, & synodus Africana Zosimo sententias de Pelagij errore sibi inuicẽm miserunt. Augustinus libro secundo contra Pelagium & Cœlestium, capite octauo: & libro secundo contra epistolas Pelagij ad Bonifacium, capite quarto. Proclus in epistola ad Armenios refutat Nestorij dogma, & hortatur eos ut in uera doctrina patrum synodi Nicenæ, & Basilij ac Gregorij perseuerent. Et episcopi Galliæ epistola quinquagesimaprima inter Leonis suam confessionem de incarnatione filij Dei dunt, quam Leo ad Orientales misit: epistola quinquagesimasecunda.

In errores prolapsos scriptis suis erudiebant, & ut in uiam redirent hortabantur. Sic Leo Palæstinos episcopos instruit de uera sententia, & ut à partibus Nestorij & Eutychetis recedant monet: epistola octogesimatertia. Et Cyrillus epistola Nestorium ab errore reducere conatus est, quæ inter acta Chalcedonensis synodi extat. Et Faustus in epistola ad Petrum inquit: Audiui à multis coepiscopis, te à recta opinione deuiare, & hoc ubiq; circumstrepitur: propter quod necessarium putaui, quærere à te, si hæc ita se habeant. ostendere enim uisum est, nõ ita te sapere debere, ut Trisagio crucem adiungas, & passioni & morti impassibile submittas. Idem facit Pamphilus Abidarum episcopus, in epistola ad eundem: & Asclepias & Iustinianus in epistolis suis ad eundem.

Exhortabantur se inuicem, ut contra hæreticos scriberent. nam Quoduultdeus in epistola ad Augustinum, petijt sibi omnes hæreses describi. Et Optatus eum excitauit, ut contra Felicianum Arianum scriberet: libro primo contra eundem. Eutropius & Paulus eũ hortati sunt, ut definitiones Cœlestij refutaret. Augustinus in libro de perfectione iusticiæ. Et Bonifacius papa duas epistolas Pelagianorum Augustino misit, ut refutaret.

Solebãt etiam illi, si quid in ecclesijs passim peccari animaduerterent, communibus literis ad emendationem omnes cohortari. Sic Gennadius patriarcha Hierosolymitanus, ad omnes metropolitanos in totum orbem, & ad Romanum etiam episcopum, epistolam scripsit, contra Simoniam seu nundinationem, uenditionem & promotionem ad Ecclesiæ ministeria pro pecunia.

Hæreticos resipiscere nolentes communiter deponebant, & excommunicabant. Sic Felix Romanus episcopus, & Acacius Constantinopolitanus, & alij, Petrum Moggum Antiochenum deposuerunt: ut patet ex epistola Felicis.

Si quos excommunicassent, alijs indicabant per literas. Nam Gallos de damnatione Splẽdonij ad Africanos scripsisse, testatur Augustinus libro tertio contra literas Petiliani, capite trigesimoseptimo. Et Augustinus Deuterio indicat clerici cuiusdam remotionem, & ut eum caueat monet: epistola 74. Et Flauianus in epistola ad Leonem narrat, se ei indicasse de Eutychetis blasphemia & excommunicatione, ne quisquam per eum decipiatur. Anastasius etiam Germanię & Burgundiæ episcopos hortatur, ut uitent Manichæos Roma fugatos, & caueant ne eorum errore inficiantur alij. Et synodus Carthaginensis Innocentio per literas indicat Cœlestij & Pelagij excõmunicationem. Et synodus Ephesina Nestoriũ & triginta episcopos excõmunicatos narrat, in epistola. In alijs prouincijs excõmunicatos, ipsi quoque pro excommunicatis habebant, donec causa eorum cognita, & legitimè dijudicata fuisset. Sic Chrysostomus Isidorum & Petrum à Theophilo excommunicatos, hospitio quidem excepit, eosq; cum exposuissent causam ad precum communionem admisit, sed non ad cœnam Dominicam. Socrates libro sexto, capite 9: Sozomenus libro octauo, capite 13.

De ijs quoque qui ad Ecclesiam redierãt, se inuicem certiores reddebant. Vnde Augustinus in epistola ad Quoduultdeum, petit sibi indicari, quomodo in fide catholica sit Theodosius, per quem nonnulli Manichæi sint proditi.

Communi decreto damnatos etiam, non nisi communi concilio à damnatione absoluebãt: ut testatur ipse Simplicius episcopus Romanus, apud Liberatũ capite 18. ubi contra Acacium hanc consuetudinem allegat, qui absoluisset Petrum Moggum, non expectata concilij sententia.

Si quis uerò contrarium fecisset, eum alij quoq; auersabãtur. Hinc Ephiphanius, nec in una domo esse, nec orare cum Chrysostomo uoluit, propter Dioscorum receptum. Socrates libro sexto, cap. 14.

Schismata aut sanare, aut de sanatis ad alios referre studebãt. Augusti. lib. 1. cõtra Cresconiũ, cap. 4. dicit plurimos esse qui agãt, ut schisma inter catholicos & Donatistas finiatur, & finitũ esse innotescat alijs: ne quisquã in pernicioso errore persistens, de segnitia ministrorũ Dei in ultimo iudicio queratur. Idem de sanatione Pelagianorũ dicit, secunda quæstione ad Hilarium.

De sua ordinatione synodicas mittebãt literas: quod ubi negligebatur, suspiciones & turbas excitabat. Sic Acacius molestè tulit, cũ cognouisset Ioannẽ Alexãdrię episcopũ designatũ, synodicas literas ad se nõ direxisse: ac

ea de re apud Imperatorem Zenonẽ eum accusauit. Liberatus capite decimoseptimo.

Ordinationem autem archiepiscoporum solebant approbare alij. Sic Alexandrinus & Romanæ ditionis homines approbant uocationem & ordinationem Chrysostomi. Nicephorus libro decimotertio, capite secũdo. & Seuerianus, Acacius & Antiochus, Porphyrium Antiochiæ episcopum consecrant: apud eundem libro decimotertio, cap. trigesimo. Ægyptij solebant ordinationi episcopi Alexandrini interesse. Nicephorus libro decimoquinto, cap. decimoseptimo.

Ordinabãt metropolitanos. Sidonius ordinauit metropoliten Bituricensem, libro septimo. Sic Innocentius epistola decimaoctaua ad Alexandrum, iubet eum ordinare. Non tamẽ ubiq; id seruabatur. nam in Africa, non Numidię, sed propinquiores episcopi ordinabant Carthaginensem: & in Italia non Romanus episcop⁹, sed de proximo Hostiẽsis episcopus ordinabat. Augustinus collatione tertij diei, quid quinto loco actũ.

Nec licebat quenquam metropolitanum sine consensu primatis ordinari. Iacob. Philipp. in supplementis Chronicorum. Cum Biturgis in Gallia Aquitana mortuus esset episcopus, ciues accersebant Sidonium Auernorum episcopum: uerùm is sine cõsensu Agræcij metropolitani recusat ordinare. Tandem autem aliorum oratu istic creat episcopum. libro septimo, epistola ad Agræciũ. Et Leo epistola octuagesimaquarta, capite sexto præcipit, ut metropolitanus episcopus de electo, quem est ordinaturus episcopum, ad Thessalonicensem referat pontificem. Sic in Chalcedonensi actione 16. decernitur, ut metropolitani in Asia, Ponto & Thracia electi, referãtur ad archiepiscopũ Cõstantinopolitanũ, & ab ipso ordinentur.

Confirmabant etiam alios in suo episcopatu. Vnde episcopatũ Basiani Ephesij, Proclus Constantinopolitanus per literas synodicas firmasse dicitur: in undecima actione Chalcedonensi. Et Innocentius epistola 18. ad Alexandrum, iubet episcopis ordinatis à metropolitano manus imponere.

Si necessitas postulabat, mittebant ad Ecclesias in alijs prouincijs, & petebant ministros pro suis Ecclesijs. Sic Aurelius, cum tanta esset penuria clericorum, ut ne unum quidem diaconũ uel lectorem reperire posset, censuit legatos Romam ad Anastasium, & Mediolanum ad Veneriũ esse mittendos, qui eam necessitatem exponant, & petant homines ad ministerium Ecclesiæ idoneos: ut patet ex Carthaginensis concilij actis.

Nõ licebat in alterius metropolitani diœcesi propria autoritate, sine consensu episcopi eius loci, sacra tractare, aut ordinare. Eo enim nomine Epiphanius Cypri episcopus à Chrysostomo reprehenditur apud Socratẽ libro sexto, capite decimoquarto. Remigius in epistola ad Falconẽ accusat eundem, quòd inuaserit sibi iurisdictionem suam, & ordinarit contra Canones in loco sibi subiecto.

Alij siue episcopi siue metropolitani ad illos referebant, si quæ incidissent in Ecclesijs controuersiæ, ac petebant consilia. Sic Synesius Ptolemaidis episcopus ad Theophilum refert, de turbis in Ecclesia plebiscana, ac ut eis medeatur rogat: epistola 67. Eundem consulit, quid cum Alexãdro Cyrenẽsi apostata sit agendum: epistola 66. Sic episcopi Armenię ad Proclum Constantinopolitanũ queruntur de libellis hæreticis in sua prouincia sparsis, quibus ille remittit epistolam de filij Dei naturis contra Nestorium: ut patet ex eadem. Iulianus episcopus Coensis ad Leonem retulit de perturbato statu Ecclesię Constantinopolitanæ: ut patet ex Leonis epistola 56. In eadem Leo petit, ut Iulianus de Palæstinis & Ægyptijs monachis, & de Alexandrinæ ecclesiæ pace, si quid ueri & certi habeat, ad se scribat, & acta Chalcedonensis synodi colligat, & latinè uerti curet.

Cognoscebant causas inter clericos & episcopos, si ad eos appellassent, ut patet ex canone uigesimosecundo Mileuitano. Et in concilio Chalcedonensi Ibę Edesseno mandabatur, ut presbyteros suos non propria, sed archiepiscopi Domni Antiocheni autoritate corripiat.

Archiepiscopi potestatem habebant alijs mandandi, siue de excommunicatione, siue de absolutione. Sic Domn⁹ Antiochen⁹ Ibæ Edesseno scripsit, ut quos excommunicauerat, absolueret: ut patet ex cõcilio Berythẽsi.

Penes ipsos erat potestas conuocandi synodos, dirimendi controuersias, componendi dissidia: ut patet ex Hormisdæ epistola ad Remigium. Sic ad collationem cum Emerito conuenerunt Cæsaream in metropoli Deuterius, Alipius Tagastensis, Augustinus Hipponensis, Rusticus Carrennitanus, Palladius Tigabitanus, & alij episcopi. Augustinus libro de gestis cum Emerito. Leo epistola nonagesimatertia, capite decimoseptimo inquit: Habeatur inter uos episcopale concilium, ad eum locum qui omnibus opportunus sit: uicinarum prouinciarum conueniant sacerdotes, ut secundum ea quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine: an sint aliqui inter episcopos, qui huius hæreseos contagio polluantur, à cõmunione sine dubio separandi, si nefandissimã sectam per omniũ sensuũ prauitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandũ est, ut qui prædicãdæ fidei susceptæ

ſuſcepit officium, is contra Euangeliũ Chriſti, contra Apoſtolicam doctrinam, contra uniuerſalis Eccleſiæ ſymbolum audeat diputare. Et in Canone nono concilij Mileuitani ſtatutũ eſt, ut in publica cauſa totius Africę epiſcopi cõuocentur: in priuatis uerò cauſis tantũ ſpeciale uniuſcuiuſq; prouinciæ.

In illis autem ſynodis aut de ordinatione, aut depoſitione, aut reſtitutione miniſtrorum Eccleſiæ tractabant.

De ordinatione exemplũ eſt apud Theodoretum libro quinto, capite 27: & Socratem libro ſexto, capite ſecundo: ubi Theophilus Alexandrinus, & alij epiſcopi, Ioannem ordinant Conſtantinopoli. Et apud Sozomenum libro ſexto, capite 11. Ioannes Epheſi Heraclidem diaconum cõſtituit epiſcopum, & Serapionem Heraclię Thracum. Ibidem capite decimoquinto & decimoſeptimo. & Atticus Niceæ epiſcopũ ordinat. Sozomenus libro ſeptimo, capite uigeſimoquinto, & Philippopoli: idẽ libro ſeptimo, capite trigeſimoſeptimo. Siſinnius Proclum ordinat epiſcopum Cyzicenum. Socrates libro ſeptimo, capite 28. Et Troes mortuo epiſcopo ſuo, ad Atticum Conſtantinopolim ueniunt, & poſtulant ſibi alium. Socrates libro ſeptimo, capite trigeſimoſeptimo. Proclus ordinat Cęſareæ Cappadociæ Thalaſsium. Socrates libro ſeptimo, capite quadrageſimooctauo. Nec licebat tempore Attici quenquam ordinari epiſcopum, ſine eius ſententia. Socrates ibidem. Epiſcopi Ægyptiacę diœceſeos ex more ordinationi epiſcopi Alexãdrini intereſſe ſolebant. Euagrius libro ſecundo, capite 8. Ciuitates quæ nunquam proprios epiſcopos habuerant, in concilio prouinciæ cum conſenſu primatis, & eius ad cuius diœceſin Eccleſia pertinebat, cogebantur petere epiſcopum. cap. 65 Africani concilij.

De depoſitione Socrates lib. ſexto, capite 15. narrat, Ioannem in Aſia plures depoſuiſſe epiſcopos. Et ad Ioannem deponendum Eudoxia ſynodum congregauit. Socrates libro ſexto, cap. 15 & 18. Ioannes & ſocij eius cum non poſſent reddere rationẽ, quare Cyrillum & Memnonem depoſuiſſent, excludebantur à ſacra communione, & uniuerſa ſacerdotij autoritate. Euagrius libro primo, capite quinto. Et in Epheſina ſecunda ſynodo plures epiſcopi depoſiti ſunt. idem lib. 1. cap. 10.

De reſtitutione exemplum eſt apud Socratẽ libro ſexto, capite decimooctauo. ubi Chryſoſtomus reprehenditur, quòd cum ab officio eſſet remotus, proprio arbitrio, ſine ſententia ſynodali, epiſcopalẽ ſedẽ inuaſiſſet, licet à populo & clero ſuo & epiſcopis quibuſdam uicinis id facere coactus fuerat. Socrates libro 6. cap. 18: & Sozomenus libro 8, cap. 20.

Archiepiſcopi de ſynodis prouincialibus iudicabant. Leo epiſtola 84. capite ſeptimo. Et ut primati deferãtur negocia quæ metropolitanus explicare in cõcilio nõ poſsit, Bonifacius ordinaſſe dicitur apud Gratianum.

Si neceſsitas poſtulabat, plures archiepiſcopi ab Imperatorib. Oecumenicã ſynodũ cõuocari petebant. Sic Leo & multi alij epiſcopi Theodoſium & Valentinianum de ſynodo ſolicitarũt. Liberat⁹ cap. duodecimo.

Ad ſynodos, qui adeſſe non poterant, ſcribebant. Sic Leo ad ſynodũ Chalcedonẽſem epiſtola 47 ſcripſit, ac hortatur ut ſecundũ ſcripturas cuncta diſponant. Et in quinto Carthaginenſi concilio canon decimus pręcipit, ut ij qui impediantur ad ſynodum uenire, apud ſuum primatem rationem impedimenti exponant.

Aut mittebant legatos, aut alijs ſuam uicem delegabant. Sic ad Africanum concilĩ epiſcopi Byzantinæ prouinciæ, & Mauritaniæ Sitifenſis legatos miſerunt. idẽ Numidiæ & Tripolitanæ, & Mauritaniæ Cæſareenſis fecerunt: ut patet ex Actis. Cyrillus in prima Epheſina ſynodo uicẽ Celeſtini epiſcopi Romani egit, & Flauianus Philippẽſis locum Ruffi Theſſalonicenſis ſuppleuit. In ſecunda Epheſina Quintillus Macedonię epiſcopus, Anaſtaſij Theſſalonicenſis archiepiſcopi locũ ſuſtinuit. Et Meletius Lariſſæus Domni epiſcopi Apameæ. Helias Adrianopolitanus epiſcopus per Romanum Myrorum epiſcopum ſubſcripſit, in ſecundo concilio Epheſino. Euſebius & Conſtantinus presbyteri, Anaſtaſij epiſcopi Niceni partes in Chalcedonenſi tenuerunt: & Iulianus Coenſis, Leonis Romani uices obijt.

Solebat unus ex archiepiſcopis in ſynodis Oecumenicis præſidere. nam Cyrillus Epheſinæ præſedit. Euagrius libro primo, capite quarto.

A' ſynodo citabantur, ſiue de hæreſi, ſiue de alia re accuſati. Sic Eutyches in tertia actione ſynodi Cõſtantinopolitanæ ter citatur: & cum ſuo loco miſiſſet Abrahamum presbyterum, eiq; iniunxiſſet, ut pro ſe Nicenæ fidei & Epheſinæ ſubſcriberet, à patribus non eſt admiſſus.

In ſynodis, ne alij diutius detinerentur, ſolebant ternos iudices ex ſingulis prouincijs eligere, qui cauſas tractabant: ut patet ex Mileuitano canone 27.

Tractabant ibi etiam de componendis diſſenſionibus Eccleſiarum. Sic in Africano concilio capite 68. ſtatuitur de cohortando Innocentio Romano, ut cum Alexandrina Eccleſia pacem faciat. Clericis etiam

in ſyno-

in ſynodis licebat accuſare epiſcopos. Sic clerici & laici Dioſcurum accuſant in Chalcedonenſi ſynodo, & presbyteri Edeſſeni accuſarunt Ibam epiſcopum in libello ad Photium Tyri metropolitanum, & alios epiſcopos in actis Chalcedonenſibus.

Tractabatur etiam de iure metropolitanorum, ſed non ſine Imperatorum autoritate: ut patet ex actis Epheſinę ſynodi, & Chalcedonenſis. In ſynodo Epheſina uniuerſali, metropolitano Cypriorum ius ſuum reſtituitur ordinandi epiſcopos, quod Antiochenus eripere tentauerat: ut patet ex actis, in exemplari ſuggeſtionum de Cypri epiſcopis. Inter Maximum Antiochenum & Iuuenalem Hieroſolymorũ epiſcopos conuênit, ut hic habeat ſub ſeſe tres Palęſtinas, ille uerò duas Phœnicias & Arabiã: idq; firmatur ſcripto concilij Chalcedonenſis, actione ſeptima. Lis etiam illa inter Nicenum & Nicomedienſem epiſcopum ſic definitur, ut Nicomedienſis autoritatem metropolitanam inter eccleſias Bithyniæ habeat: Nicenus uerò tantum honorem, & ſit ſub Nicomedienſi. actione decimatertia Chalcedonenſi.

In Synodo non licebat alijs epiſcopis prętter & contra conſilium ſui archiepiſcopi ſententiam ferre. Sic enim Ægyptij epiſcopi in actione quarta Chalcedonẽſi detrectant dicere ſententias.

In Synodis malè geſta taxabant, & retractabãt. Sic Leo epiſtola uigeſimatertia dicit, nec iuſticiam, nec fidem in Epheſina ſynodo ſeruatam eſſe. & epiſtola 24. ab Imperatore petit, ut alia ſynodus conuocetur, in qua rectius cauſa tractetur eadẽ. Idem ad epiſcopos Conſtantinopolitanum & Theſſalonicenſem perſcribit, epiſtola 28 & 30.

Ex Synodis mittebant legatos, ad cõuertendos hæreticos & paganos. Sic Fortunatianus & Reſtitutus & Florentius legationẽ ſuſceperunt ab Africano concilio, ad hæreticos & paganos.

Acta in ſynodis ad alios ſolebant mittere, & poſtulare ſuffragia. Sic ea quę in Africanis concilijs acta ſunt, perſcripſerũt ad epiſcopũ Romanum, & ad uniuerſos totius orbis epiſcopos. Auguſtinus epiſtola quadrageſimaſeptima. Acta Chalcedonenſis ſynodi ad Leonem miſſa, & ab eodem approbata ſunt. epiſtola ſexageſimaprima.

De actis in ſynodis referebant ad alios. Sic Leo epiſtola 94 epiſcopis Galliarũ indicat, quid in ſynodo Orientali actum ſit.

Celebratis ſynodis ab Imperatoribus petebant executionem, ut apparet ex epiſtola Felicis ad Zenonem. In quinto Carthaginenſi concilio, canone 15, ab Imperatoribus petitur, ut reliquię non ſolũ in ſimulachris, ied in quibuſcunq; locis, uel lucis, uel aribus, omnino deleantur. Et canone decimoſexto Mileuitanæ ſynodi decernunt, ut pro cauſis Eccleſiarum executores, uel auocati, à Principe poſtulentur.

Archiepiſcopi uicini interdum ſolebant apud aliũ intercedere pro epiſcopo. Sic Cyrillus Alexandrinus, & Proclus, apud Domnum Antiochenum interceſſerunt pro Athanaſio Parẽnorum epiſcopo, à clericis ſuis malè tractato: & petierunt, ut cauſæ cognitionẽ, cũ procul abeſſet ab eius Eccleſia, delegaret alicui uicino metropolitano. quod ille fecit, & Panolbio Hierapoleos metropolitano id negocium commiſit: ut patet ex epiſtolis & actis ſynodi Antiochenæ, inſertis Chalcedonenſi actioni decimæquartæ.

Ab alijs falſò traductos defendebant. Sic Ioannes Antiochenus congregata ſynodo, tres epiſtolas pro Theodoro Mopſueſteno dictauit, & unam Theodoſio Imperatori, alteram Cyrillo Alexandrino, tertiam Proclo Conſtantinopolitano miſit, eumque laudauit. Liberatus capite decimo.

Ceremonias ſibi inuicem communicabant. Sic Sidonius Aruernorum epiſcopus petijt, ſibi rogationũ ritus à Mamerco Viennenſi inſtitutos mitti: libro 7. epiſtola ad Mamercum. Et in canone decimoquinto Veneticæ ſynodi decernitur, ut in ſingulis prouincijs ſimiles ceremoniæ obſeruentur.

Communicabant etiam ſibi inuicem de tempore Paſchatis. Leo enim Paſchaſino archiepiſcopo Cõſtantinopolitano iniunxit, ut de Paſchate ſibi ſcriberet, quod & facit: ut conſtat ex epiſtola eius inter Leonis 63. & 64. Idem epiſtola 95. epiſcopis Galliæ & Hiſpaniæ tẽpus Paſchatis indicit, & alijs intimari pręcipit, ſcilicet ad diẽ 8. calend. Maij. Idẽ facit Innocẽtius in epiſtola ad Aurelium. Et Cyrillus ad concilium Africanum ſcribit, ſe 17. calendas Maias Paſcha celebraturũ.

Solebant etiam ſeſe inuicem literis cõlolari. Sic Innocentius ad Chryſoſtomum in exilium abductum, literas per Cyriacũ deducit. Nicephorus libro 14. capite 32. Et Occidentales Sixtum cõſolati ſunt, & cauſas eius afflictionis ſibi exponi petierunt: ut patet ex eius epiſtola.

Communicabant etiam ſibi inuicem exemplaria canonum, & aliorum librorũ: ut patet ex ſexta Carthaginenſi, ubi Græca exemplaria canonũ Nicenorum, Conſtantinopoli, Alexandria, Antiochia afferuntur: ut patet ex actis, & literis Cyrilli & Attici. Sic cum Athanaſij epiſtola ad Epictetum corrupta, hæretici multos ſeducerent, Cyrillus Ioanni Antiocheno uetus exemplar miſit: in epiſtola ad eundem. Euoptius Cyrillo Theodoreti epiſtolam contra eius duodecim

cim capitula misit, & ut declararet petijt. Liberatus capite nono.

Item gratulabantur sibi mutuò. Sic Leo Iuuenali Hierosolymorum episcopo gratulatur reditum ad Episcopalem sedem: epistola septuagesimasecunda.

Munuscula sibi inuicem mittebant. Sic particulam crucis Dominicæ, & eulogias, Iuuenalis Leoni misit: epistola septuagesimasecunda.

Solebant etiam Imperatores inaugurare. nam Euphemius noluit Anastasium consecrare Imperatorem, priusquam iusiurandũ dedisset de fidei sinceritate, & de actorum synodi Chalcedonensis cõfirmatione & defensione. Euagrius lib. 3. capite 32: Nicephorus libro 16. capite 26.

Archiepiscopi etiam erant custodes matriculæ, & aliorum instrumentorum ad prouinciarũ uel dignitatem, uel priuilegia, uel statuta pertinentiũ. Sic in Africana synodo placuit omnibus, ut matricula & archiuus Numidiæ sit apud primam sedem, & in metropoli Cõstantina. Et Proclus in diptycha seu matriculam retulisse nomen Basiani episcopi Ephesini dicitur, in undecima actione Chalcedonensi.

DE OFFICIIS POLITICI *magistratus, in iuuanda & conseruanda gubernatione & disciplina Ecclesiastica.*

VT in superiori, ita etiam in hoc seculo, Imperatores Christiani Ecclesiæ ædificationem pro sui muneris ratione adiuuerunt.

Curabãt enim, ut idonei & salutares Ecclesijs præficerentur episcopi, & maximè ijs quæ iure metropoleos onus inspectionis aliarum uicinarum, & plurium prouinciarũ sustinebãt. Vnde cum Cõstantinopoli mortuus esset Nectarius, & Theophilus Alexandrinus quendam Isidorum minus idoneum surrogare tentaret, & clerus ac populus Ioannem Chrysostomum elegissent episcopũ, Antiocheni uerò eum dimittere recusarent, ac pro eo Imperatori supplicarent, Arcadius curauit eum accersi, & ab episcopis in synodum conuocatis ordinari. Theodoretus libro quinto, capite 27: Socrates libro sexto, capite secũdo: & Sozomenus libro 8. capite secundo. Et Theodosiũ sacerdotes & bonos uiros in precio habuisse, Sozomenus libro nono, capite primo testatur. Et Honorius in rescripto ad Bonifacium lege sancit, ne quis Romæ per ambitionem fiat episcopus: & si contentione partium duo eligãtur episcopi, uterq; ab eo munere remoueatur. Et Leo Imperator Cod. de episcopis & clericis, l. 30. inquit: Episcopus debet eligi effugiens, & non appetens: & proprijs meritis & uirtutibus, non pecunia interueniẽtibus: aliàs non electus, sed etiam eligens, à sacerdotio repelluntur, & infamia notantur.

Idololatrias abrogabãt & destruebãt. Regijs enim edictis clerici, monachi, & fabri instructi, Chrysostomo autore, sepulchrales lucos in Phœnicia destruxerunt. Theodoretus libro quinto, capite 29. Ac Augustinus in epistola quadragesimaoctaua indicat, Imperatores aduersus sacrificia paganorũ leges tulisse, & pœnam capitalem constituisse.

Ad professionem ueræ doctrinæ, in sacris literis & synodo Nicena traditæ, legibus omnes inuitabant: ut patet ex lege tertia Theodosij & Valentiniani, Cod. de summa Trinitate.

Profanas & scrupulosas disputationes de mysterijs diuinis prohibuit Marcianus, l. quinta. Cod. de summa Trinitate. Libros Mathematicorum, & improbatæ fidei episcopos cremare Honorius & Theodosi⁹ mãdant l. 11. Cod. de episcopali audientia.

Hęreticos, præsertim damnatos à synodis, & turbulentos, legibus & suo nerno cohercebant. Augustinus libro de correctione Donatistarum ad Bonifaciũ, capite decimoseptimo. Idem testatur epistola 48. Theodosius & Valẽtinianus l. tertia, Cod. de summa Trinitate, prohibent, ne quis Porphyrij, aut Nestorij, aliorum ue impiorum hominum peruersas opiniones sectetur, neue descriptas apud se habeat. Iidem l. 14. Cod. de episcopis & clericis, inquiunt: Quicunque residẽtibus sacerdotibus fuerit episcopali loco & nomine detrusus, si aliquid contra custodiam, uel contra quietem publicã moliri fuerit deprehensus, rursusq; petere sacerdotium, à quo uidetur expulsus, procul ab ea urbe quam conturbauerit, centum miliaribus uitam agat, nec nostra adeat secreta, nec impetrate rescripta speret: sed etiam impetratis careat, defensoribus etiam eorum nostram indignationem subituris.

Apostatas ab omnib. accusari posse, quia crimen eorum sit publicum, iudicant l. quarta Theodosius & Valẽtinanus, Cod. de apostatis. Leo epistola trigesimaoctaua Marciano Imperatori, & epistola trigesimanona Pulcheriæ gratias agit, quòd Nestorianam & Eutychianam hæresin defensione fidei destruxerint. Idem epistola quadragesimaquinta ad Pulcheriam inquit: De Eutychete totius scãdali & prauitatis autore, hoc clementia uestra præcipiat, ut ab eo loco qui Constantinopolitanæ urbi nimis uicinus est, longius transferatur, nec frequentioribus solatijs eorum quos ad impietatem suam traxit, utatur. Monasterio quoque ipsius, cui pernicioſè indigneque præsedit, ca-

tholicum abbatem iubete præponi, qui illam seruorum Dei congregationem, & à prauo dogmate liberare, & institutis ueritatis posſit imbuere: idem epistola septuagesima petit. Sic postea epistola sexagesima sexta petit, ut Licinia Eudocia Augusta hæreses in Palęstina inter monachos grassantes curet extirpari. Idem epistola septuagesima quinta Leonem Imperatorem hortatur, ut sedem Alexandrinam reformet: & clericos Constantinopolitanos cum hæreticis sentientes, non solùm ab ordine clericatus, sed etiam ab urbis habitatione pellat. Marcianus leges promulgat contra Apollinaristas & Eutychianos, in epistola ad Palladium, in actis Chalcedonensibus.

Colloquia & disputationes publicas cũ hæreticis sua autoritate promouebant, ut apparet ex Augustini libro de gestis cum Emerito. Imperatores enim in ea collatione interfuisse dicuntur.

Defendebãt pios doctores. nam Arcadius & Honorius in Ecclesias irruentes, & ministris iniuriam inferentes, capitali supplicio affici præceperunt, l. 10. Cod. de episcopis & clericis. Ibidem l. 22. iubent, in criminali causa episcopum ad iudicem, per calumniam trahentem, triginta pondo auri multari.

Iniustè ab hæreticis pulsos restituebant. nam Zeno Timotheum Alexandrinũ catholicum restituit in episcopatum, unde eiectus erat. Liberatus capite decimosexto.

Ecclesias dissidentes literis suis ad concordiam hortabantur. Sic Zeno Henoticon scripsit ad Alexandrinos. Liberatus capite decimooctauo.

Custodes etiam Ecclesiasticæ disciplinæ erant. nam Ecclesijs prœceperũt, ne clericos ab episcopis damnatos defenderent. Item ne histriones Christiani facti, ab alijs à Christianismo abducantur: ut patet ex Actis concilij Carthaginensis. Ne episcopi & presbyteri cogantur dicere testimonium in iudicio, l. 8. Cod. de clericis & episcopis. Conuenticula priuata hæreticorum prohibent, & suscipientes hæreticos puniunt l. decima quinta, Cod. de episcopis & clericis. Ibidem l. 17 uetant, ne clerici agãt aduocatos in causis secularibus, nisi in causis proprijs, aut pro collegio suo. Ibidem l. 19 edicunt, ne cum clericis habitẽt mulieres, eorum castitatem infamantes. Item, ne clerici aut monachi intercedãt pro damnatis ad suppliciũ. Cod. de episcopali audientia.

Synodos conuocabant, & uni alicui ex Episcopis demandabãt cognitionẽ causæ. Sic Theodosius & Marcianus in Ephesina, Eustathio Berytano episcopo id munus delegarunt. Euagrius libro secundo, capite quarto & ultimo. Et Theodosium iuniorem Dioscoro mandasse, ut in Ephesina secunda præsideret, testatur epistola eius in prima actione Chalcedonensi. Ephesinam synodũ Theodosius indixit, ut patet ex epistola Leonis duodecima. Et Martianus Augustus Chalcedonensem, ut patet ex epistola eiusdem quadragesimatertia. In canone decimonono Mileuitano tantũ admittitur, ut sacerdotes ab Imperatoribus episcopale iudicium & non forense seu ciuile petant. Agathensis synodus in exordio Deum pro Imperatore inuocat, ut pro officio conuocationis ei regnum augeat. Valentinianus & Marcianus in epistola ad religiosos episcopos hortantur Leonem, ut episcopos sub suo sacerdotio constitutos, sacrarum literarum peritos, secum ad Nicenam synodum adducat. Theodosius citauit Dioscorum ad synodum Ephesinam secundam. Liberatus capite duodecimo.

In synodis habebant suos iudices, qui de rebus externis sacerdotum unà sententiã ferebant. Sic in decimatertia actione Chalcedonẽsi iudices sententiã ferũt de priuilegijs metropolitanis Nicenæ & Nicomediensis ciuitatis. Et decimaquarta, de Athanasio à Sauiniano accusato, de iniusta pulsione ex Ecclesia. Et constat ex Actis omnium synodorum uniuersaliũ, loco Imperatorũ uiros politicos & præfectos interfuisse.

Pia decreta synodorũ exequebantur. nam Zenon Petrũ Gnaphæum à synodo dãnatũ eiecit. Euagrius libro tertio, capite octauo. Idem etiam Leo fecit.

Instabant etiã apud alios archiepiscopos, ut decreta uniuersalium synodorũ approbarent. Sic Leoni Imperator iniunxit, ut adeberet, ac se fidei regulam isthic definitã probare testaretur: epistola 60.

Decreta synodorum ueterum tuebantur. Vnde Leo Theodosiũ cõmendat, quòd non finat sacerdotes deuiare à concilio Niceno: epistola 33. Et septẽ episcopi Orientales in epistola ad reges grauiter petunt, ne finant ad fidẽ Nicenã aliquid adijci: ut patet ex Actis synodi Ephesinę. Et Theodosius iunior fidei Nicenę subscriptionẽ postulat ab episcopis in lege sua, quæ extat in actis Chalcedonẽsibus. Marcianus in epistola ad Palladiũ decernit, ut ea fides sit rata, quã in cõcilio Niceno patres tradiderunt.

Iuuabãt etiam ceremoniarũ Ecclesiasticarũ conformitatẽ. nam Leo 64. epistola petit à Marciano, ut se iuuet in cõstituendo, ut sem per uno die Pascha in tota Ecclesia celebretur. Idem epistola sequenti petit ab Eudocia Augusta.

Scelera etiam episcoporũ puniebãt, ut patet ex l. 14. Cod. de episcopis & clericis. nam

epiſcopum ab epiſcopatu ob delictum in rempublicam commiſſum, uetant reuocari ad epiſcopatum. Et clericos ob falſum teſtimonium puniendos Theodoſius ſanxit, l. 8. Cod. de epiſcopis & clericis.

Si quid contra epiſcopos habebant, in ſynodis eos accuſabant, & cẽſuram patrum exequebantur. Sic Eudoxia contra Chryſoſtomum conuocabat ſynodum bis: apud Socratem libro ſexto, capite decimoquinto & decimooctauo.

Templorum, monaſteriorum, xenodochiorum ædificationes & exornationes, collatione ſumptuum & redituum & priuilegiorum promouerũt. Id enim de Pulcheria & Theodoſio refert Sozomenus libro nono, capite primo. Et Eudoxiam Hieroſolymis phrontiſteria extruxiſſe, narrat Euagrius libro primo, cap. 21 & 22. & Zonaras tomo tertio. Nicephorus libro 14. cap. 5 narrat, Eudociam domicilium pauperũ, in quo quadringenti morbo caduco laborantes habitarent, ædificaſſe: & eccleſijs, noſocomijs, ſacris ædib⁹, monaſterijs & cœnobijs libras 20480 aureæ monetæ dedicaſſe, & in lucernarũ rationem 10000 ſextarios olei retuliſſe, & choris reſurrectionis memoriã colentib. annuũ prouentum 400 numiſmatum conſtituiſſe. Zeno Teclæ in Seleucia Iſauriæ templum ædificauit, & regijs donis exornauit. Euagrius libro tertio, capite octauo.

¶ Abuſi tamen interdũ ſunt Imperatores & eorũ cõſiliarij aulici ſua potẽtia, dũ bonos & rectè ſentientes afflixerunt, & hæreticos promouerunt. Sic ſtudio magnatum lex in palatio poſita eſt, ne orthodoxi extra eccleſiã, in qua tamẽ erat hęreticus, cõuenirent. Sozomenus cap. 24. libri octaui.

Et ius eligendi & pręficiendi Eccleſijs primarijs epiſcopos, ſibi ſolis rapuerũt. Sic Zenon uidetur feciſſe apud Euagrium libro tertio, capite undecimo, qui Moggum ſine ſua autoritate Alexandriæ epiſcopum factum, morte multauit: à quo Ioannes petit, ut liceat Alexandrinis, quem uelint, eligere epiſcopum. Euagrius libro eodem, capite duodecimo. Solebat idem in altari collocare chartam, & à Deo petere, ut nomen eius quem uellet epiſcopum inſcriberet. Nicephor⁹ libro decimoſexto, capite decimooctauo. Verùm id poſtea correxit, & ſanxit, pe nes clerũ ius eligẽdi eſſe debere. Nicephorus libro 16. cap. 11. Conſtantinopoli cum occaſione chartæ ab Imperatore in arã colloca te, per fraudem quiſpiam malus ad epiſcopatũ ueniſſet, eam quoque conſuetudinem mutauit, & ſacerdotibus ius eligendi reſtituit. Nicephorus libro 16. cap. 18.

Impœnitentes & excommunicatos abſolui & recipi iuſſerunt. Sic Zenonis iuſſu Proterius cum ſocijs ſuis à Petro eſt receptus. Euagrius libro tertio, capite decimotertio. & Acacius iuſſu Zenonis ſeſe in cõmunionem recepiſſe Petrum Moggum, indicat apud Liberatum capite decimooctauo.

Nec in eo ſatis bene egerunt, quòd priuilegijs quibuſdam clericos exemerunt legitimo magiſtratus iudicio. Ea enim res impunitatem delictis clericorũ attulit, & uitæ licentiam auxit. Talis eſt Lex uigeſimaquinta à Marciano lata, Cod. de epiſcopis & clericis: Quòd clerici Conſtantinopolitani nõ debeãt coram ullo alio iudice cõueniri, quàm coram patriarcha uel pręfecto. Etl. trigeſima ibidem, quòd extra ſuam prouinciam non debeant in ius uocari.

Item, quòd epiſcopis dederunt poteſtatem cognoſcendi & dijudicandi cauſas politicas, ut ſit leg. octaua, nona & decima, de epiſcopali audientia.

Superſtitioſe etiam egerunt, quòd pro reliquijs ſanctorum leges tulerunt. qualis eſt uigeſimaſexta Leonis, Cod. de epiſcopis & clericis: quòd iudicio epiſcopi debeant in Eccleſijs collocari, & nõ in loca publica uoluptatibus dedita apportari.

DE PRIMATV.

VT in ſuperioribus ſeculis Romani epiſcopi ſubinde plus autoritatis & poteſtatis ſuper alias Eccleſias ſibi arrogarunt, & paulatim pręſcripſerunt: ita hoc quoque, omnib⁹ cogitationibus, curis & fraudib⁹ ad dominatum ſuper Eccleſias omnes comparandum & ſtabiliendum incubuerunt.

Primùm enim, non ceſſarunt aſſerere ipſi, Romanam Eccleſiã eſſe omnium primam: ut patet ex epiſtolis pontificum, & maximè Geleſij, ad Fauſtũ, & nonaquęſtione tertia, cuncta per miſericordiam. Et Leonis ſermone tertio, in anniuerſario die aſſumptionis: & epiſtola octuageſimanona ad epiſcopos per Viennenſem prouinciam. Innocentius in epiſtola uigeſimaſecũda ad epiſcopos Macedoniæ, ſcriptionem eorum ad ſe interpretatur, ac ſi ea probent ſuum primatum, & agnoſcant eam caput Eccleſiæ. Creuit etiam ipſis diaconis Romanis animus, ut uellent ob urbis magnificentiam, ut quæ caput eſſet omnium ciuitatum, etiam honorabiliores, & presbyteris aliarum ciuitatum pares haberi. Auguſtinus quæſtione centeſima prima in uetus & nouum Teſtamentum.

Nec deerant paſsim adulatores, qui ſine permiſſu Romani epiſcopi aſſerebant, non licere cuiquam iudicis perſonam uſurpare. Euagrius libro ſecundo, capite decimoſexto. Et Victor libro ſecundo, Romanam eccleſiam caput omnium aliarum appellat. Acacius & Timotheus primi declararunt ſcriptis, ſedem Romanam omnium debere

primam esse: teste Platina in Simplicio. Sed postea Acacius sese Romanis episcopis opposuit, ac ab ijsdem est excommunicatus: ut patebit infrà ex uita eius. Turbium Asturicensem Leoni adulatum esse, ac eius agnouisse superioritatem, apparet ex epistola Leonis nonagesimatertia. Et synodus Vasensis canone quarto, nomẽ papæ Romani in ecclesijs suis recitari iussit: quę res postea quasi in ἀποβάσιν quandam degenerauit. Et Galla Placidia in epistola ad Pulcheriam, & ad Theodosiũ, & Valentinianus in epistola ad Theodosium, nimium Romano episcopo propter beatum Petrum, & urbis amplitudinem tribuunt: ac ex errore quodam affirmant, antiquitatem ei super omnes principatum sacerdotij cõtulisse. Tarraconenses episcopi in epistola ad Hilarium ineptè etiam assentantur ei, dum eius principatum non modò eminere, sed etiam metuendum esse nugantur.

Deinde ausi sunt falsatione canonum Nicenorum à concilijs postulare supremam iurisdictionem. Nam Zosimus misit ad concilium Carthaginense Faustinum episcopũ, & duos urbis Romæ presbyteros, ostensuros nihil usque publicè agi debere sine consensu Romanæ ecclesiæ. Platina in uita eius. Ac quomodo Innocentius, Zosimus & Bonifacius falsatis canonibus Nicenis supremam iurisdictionem in Africanas ecclesias extorquere patribus in ea synodo conati sint, constat ex actis eius concilij, quę suo in loco referuntur. In Chalcedonensi etiam actione decimasexta, cum Constantinopolitana ecclesia certant Romani legati de primatu Romanæ ecclesiæ, idque iussu Leonis.

Etsi autem illis malè cesserit id quod tentarant in sexto Carthaginensi concilio, tamen non deposuerunt studium & curam eius dignitatis: sed alia uia aggressi sunt, nimirum hac. Cum animaduertissent quosdam in eo concilio suæ parti fauere, quosdam autem aduersari, cœperunt illi figillatim expugnare eos qui sese opposuissent: & hanc ob causam Polychronium exagitarũt, subornando presbyteros qui eum accusarent, & postea Acacium Constantinopolitanum, ac tandem etiam Africanos: ut constat ex uitis pontificum quas infrà recensebimus, & ex synodis contra Polychronium celebratis.

Vsi sunt etiam multis alijs machinationibus, ad dominatum comparandum, & sensim confirmandum: ex quibus quasdam indicabimus.

Plerunque hęretici aut alij facinorosi excommunicati ab Ecclesijs, & damnati in synodis, ad Romanum episcopum confugerunt, patrocinium eius implorantes. Sic Pelagium librum ad Innocentium Romanum misisse, testatur Augustinus libro contra Pelagium & Cœlestiũ, de gratia Christi, capite trigesimo. Eutychen etiam libellum Leoni misisse, ac quęstum esse de iniusta damnatione, patet ex Leonis epistola septima ad Theodosium. Quamobrem & alij episcopi, ac interdum synodi necesse habuerunt, ad eos scribere apologias, & hoc modo paulatim ius appellationis, & cognoscendi causas ad sese traxerunt. Sic synodus Carthaginensis scripsit ad Zosimum: Augustinus libro secundo, capite septimo. Et Flauianus, cur Eutychen excommunicarit, Leoni rescribit: epistola inter Leonis nona. Et Proterius Alexandrinæ ecclesiæ episcopus in suspicionem de hæresi inductus, sese purgauit apud Leonem: epistola sexagesimaoctaua.

Si qui semel ipsorum consilio & autoritate, aut præsidio usi fuerant, uel in excommunicatione, uel in alijs rebus Ecclesiasticis, eos semper uolebant sibi ita addictos esse, ut nihil sine ijs agerent: unde cum Acacius Constantinopoleos Petrum Mogum Romani episcopi auxilio excommunicasset, & postea sine eius autoritate & consilio recepisset, adeò indignè id Romani episcopi tulerunt, ut Felix & Gelasius eum propterea anathemate ferirent: ut patet ex epistola Gelasij ad episcopos Dardaniæ ubi inter alia inquit: Cur Acacius, cum hæc geri uiderit, non sicut sub Basilisco iam fecerat, ad Apostolicam sedem referre curauit: ut si solus ipse non poterat, coniunctis consilijs atque tractatibus apud Imperatorem, quæ religioni competerent, allegaret? Item, cur tantopere cum ista gererentur, uel gerenda cognosceret, non ad sedem Apostolicam, à qua sibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre curauit Acacius? Item, sicut Acacius antè non prius damnauit Petrum, quàm referret & posceret ab Apostolica potestate damnandum: sic & in recipiendo modum seruare debuisset, ut priusquam se ei communione misceret, per sedem Apostolicam posceret examinari eum, & legitima ratione purgari, &c.

Postulabãt etiã ab alijs archiepiscopis, ut si quid incidisset quod deliberatione opus haberet, ad se referrẽt. Sic enim Leo ad Anatoliũ Cõstantinopolitanũ scribit: Si de aliquib. fuerit deliberãdum, celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractata qualitate causarum, nostra quid obseruari debeat solicitudo cõstituat. epistola quadragesimasexta. Idem epistola sexagesimasecunda postulat, ut Maximus Antiochenus archiepiscopus priui-

legia

legia tertiæ ſedis agnoſcat, & ad Apoſtolicam ſedem ſæpius de profectu Eccleſiarum, & quid agatur referat. Simplicius etiam Acacium Conſtantinopolitanum reprehendit, quòd nihil ad ſe de Alexandrina eccleſia ſcribat. epiſtola ad eundem.

Id etiam iuris ſibi arrogabant, ut ſi quid ab alijs epiſcopis minus rectè fieri cognouiſſent, eos arguerent, & quid faciendum præſcriberent, & leges de ceremonijs quibuſdã dictarent. Sic Leo Nicetam Aquileienſem reprehẽdit ob Pelagianos, ſine erroris damnatione ad cõmunionem receptos: epiſtola octuageſimaſexta. Et epiſcopos Africanos per Cæſariẽſem Mauritaniam reprehendit, ob perſonas illicitè ad epiſcopatũ admiſſas: epiſtola octuageſimaſeptima. Idem Germaniæ & Galliæ epiſcopos arguit, ob coepiſcoporũ ordine: epiſtola octogeſimaoctaua. Anaſtaſius epiſcopos Germaniæ & Burgundiæ iubet ordinare, ut ſtantes Euangeliũ audiant, & nõ ſedẽtes: in epiſtola ſua ad eoſdẽ. Innocentius epiſtola 22. Macedones arguit ob epiſcoporũ & eccleſiaſticorum coniugia. Et epiſtola 24. Hiſpanos, ob laicos & præfectos in clerum aſſumptos.

Sumebant etiam ſibi hoc poteſtatis, ut ſi quem archiepiſcopũ deprehẽderent fauere hæreticorũ parti, uicino alicui epiſcopo mãdarent, ut pro ueritate uigilaret: & ſi quid animaduerteret malè agi, tũ ad ſe, tũ ad Imperatores referret. Sic Leo Iulianum Coenſem epiſcopum monet, ut quoniam in epiſcopo Conſtantinopolitano catholicus uigor non ſit, ipſe caueat, ne hæreſis Neſtoriana & Eutychiana in aliqua parte uireſcat. & ſi neceſſe ſit, tum ad ſe, tum ad Imperatorem & Pulcheriam ſcribat: epiſtola 56.

Cũ Anatolius minus rectè de incarnatione filij Dei ſentire uiſus fuiſſet, ſtatim Leo ad Theodoſiũ ſcribit, & decreta dictitat, ut eum obſeruet, & concilium conuocet, & omnia Patrum decreta relegere curet, ac ad Romanum pontificem ſcripta dare, quibus apertè proteſtetur, ſe eum qui de incarnatione uerbi Dei aliud credat, aut aſſerat, quàm Catholicorũ & Romani epiſcopi profeſſio teneat, excommunicaturũ. & hoc modo pedetẽtim ſuperioritatem ſuper epiſcopum Cõſtantinopolitanum præſcripſit: epiſtola trigeſimatertia. Sic Proterius Alexandrinus literas de fide ſua ad Leonem miſiſſe dicitur: epiſtola ſexageſimaoctaua. Ac Leo epiſtola ſexageſimanona, Imperatori Marciano indicat, Proterium eſſe catholicũ.

Vſurpabant ſibi ius, priuilegia & inſignia alijs archiepiſcopis largiendi, ut eos paulatim ſuos faceret. Sic Celeſtinus Cyrillo Alexandrino, cui ſuas partes, uidelicet ut ſynodo Epheſinæ præſideret, delegauit, priuilegium dedit uſurpandi titulum Papæ, & mitram. Nicephorus libro decimoquarto, capite trigeſimoquarto. Vbi etiam hoc addit, famam eſſe, quòd ab eo tẽpore Alexandrinus epiſcopus appellari cœperit Iudex uniuerſi orbis. Sed quid huic famæ, cum teſtimonio antiquiorum careat, tribuendum ſit, iudicent lectores. Leo in epiſtola octogeſimanona petit ab epiſcopis Galliæ, ut ſine conſenſu Leontij in alijs prouincijs non conuocent concilia. Et Innocentius epiſtola decimaoctaua, Alexãdro Antiocheno Cyprios ſubijcere uidetur: qui tamen antea neminem conſulentes, epiſcopos ſibi ordinare conſueuerant.

Item, confirmandi alios in epiſcopatu. nam Leo Maximum Antiochenum confirmauit in epiſcopatu, cum in Epheſina ſynodo, cuius alia acta reſciſſa ſunt omnia, factus eſſet epiſcopus: actione ſeptima Chalcedonenſi. Ac eundem Proterio Alexandrino epiſcopo iura antiqua eius ſedis iuxta canones & priuilegia confirmaſſe, indicatur epiſtola ſexageſimaoctaua Leonis ad Iulianum, & ſexageſimanona ad Imperatorem Marcianum. Et Hormiſda Remigium inſpectorem facit eccleſiarum Galliæ, & dat ei poteſtatem cõuocãdi ſynodos, dirimendique controuerſias, & componendi diſſidia: ſed ita tamen, ut ad ſe acta referat, ut patet ex epiſtola eius ad Remigium. Leo epiſtola trigeſimatertia ad Theodoſium, poſtulat ut epiſcopum Cõſtantinopolitanum curet ad ſe mittere ſcriptum, in quo teſtetur ſe ueram amplecti doctrinam, & damnare omnes diſſentientes.

Vſurpabant ſibi poteſtatem mandandi alijs epiſcopis, ut quem ipſi uellent & proponerẽt, in diſſitis Eccleſijs epiſcopum ordinarent: aut quem ipſi nollent, deponerent. Sic Celeſtinus in epiſtola ad Cyrillũ Alexandrinum, & Ioannem Antiochenum, & Ruffum Theſſalonicenſem, mandat eis ut Proclum Conſtantinopoli deſignent epiſcopum. Socrates libro ſeptimo, capite quadrageſimo. Et Sixtus Hieroſolymam mittit Leonẽ, qui cõgregata ſynodo damnat & deponit Polychronium, quem tamen poſtea denuò reſtituit: ut patet ex epiſtola ad eundem, capite duodecimo.

Quoniam interdum à ſynodis damnati epiſcopi appellabant ad ſedem Romanam, quod Flauianus feciſſe in ſynodo Epheſina, apud Liberatũ capite duodecimo dicitur: paulatim ſibi inde ius conſtituerunt & poſtularunt, ut in epiſcoporum cauſis liceat ad ſeſe appellari: ut patet ex actis ſextę Carthaginenſis ſynodi, & epiſtola ad Bonifacium. Et Sixtus epiſtola tertia ad Orientales, capite quinto decernit, ut contra epiſcopum

scopum ad sedem Apostolicã appellantem, nihil aliud statuatur, quàm Romanus episcopus censuerit. Gelasius in epistola ad Faustũ Magistrum impudenter mentitur, in canonibus sancitum esse, ut appellationes totius Ecclesiæ ad examen Romanæ sedis deferantur, & ab ipsa nusquam appelletur.

Hinc sibi arrogabant potestatem citandi alios, ad dicendam coram sese causam. Sic Constãtinopolitanus Romam citatur apud Nicephorum libro decimosexto, capite decimosexto. Et Maximum citaturũ sese promittit Bonifacius, in epistola ad episcopos Galliæ, & præcepturum ut in synodo sacerdotum in Gallijs congregata compareat.

Legatos etiã mittendi, qui in remotis prouincijs cognoscerent hæreticorum errores, & corrigerent. Sic Leo Constantinopolim misit legatos, qui Eutychen ab errore reuocarẽt, ut patet ex eius epistola undecima ad Flauianum, cap. 6. Sic legatos misit ad Imperatorem, epistola 34. & Ephesum, ut adhibito Constantinopolitano antistite, eos qui à Dioscoro seducti erant, & pœnitentiam se acturos significarant, absoluerent: epistola quadragesimaquarta & quadragesimasexta. Sic epistola octuagesimaseptima, missis legatis in Africam, Donatum Nouatianũ iubet recipi, si de damnatione erroris libellum Romam mittat.

Sumebant sibi facultatem excõmunicandi alios archiepiscopos, & ecclesias. Sic Leo excõmunicauit Orientales, ut patet ex eius uita. Et Felix Acacium, propter Eutychianorum cõmunionem damnat, in epistola ad eundem. Gelasius damnauit Acacium & Petrum, missis literis in Orientem.

Et absoluendi eosdem. nam Gelasius in tomo anathematum, Petrum Alexandrinũ secundæ sedis antistitẽ negat absolui à quoquam posse, quàm ab episcopo primę sedis, scilicet Romano.

Ausi sunt etiam ab archiepiscopis postulare, ut si quid suo iudicio non possent determinare, ad sese referrent. Sic Leo epistola octuagesimaquarta, capite septimo, Thessalonicensi hanc legem dictitat: Bina per annum prouincialia concilia celebrentur: & si res difficilis emerserit, nec fuerit Thessalonicensis episcopi iudicio determinata, ad Romanum referatur antistitem. Et capite undecimo, uult etiam contentiones inter episcopos ad sese referri, cum actorum narratione. Innocentius in epistola ad Victricium Rotomagensem postulat, ut causæ clericorum quæ dirimi in prouincijs non possent, ad se referantur.

Item, ut sua contra hæreticos decreta amplectantur & obseruent. Sic Leo Nicetæ Aquileiensi mandat, ut congregata synodo prouinciali, omnes episcopos & presbyteros & clericos cogat dãnare apertè hæreses, earumq; autores: & approbare omnia decreta synodalia, quæ ad excisionem hæreseos, Apostolicæ sedis confirmarit autoritas, idque subscriptionibus suis testari: epistola octuagesimasexta.

Conati sunt eam sibi super archiepiscopos uendicare autoritatẽ, ut si quid illi agerent, ex autoritate Romani episcopi egisse uiderentur, quasi serui & mancipia eius essent. Sic Leo epistola octuagesimaquarta indicat, antistites Thessalonicenses semper uicem Apostolicæ sedis impleuisse. ac monet Anastasium, ut in longinquis prouincijs quodammodo præsentiam suæ uisitationis impendat, & nihil decernat nisi quod sibi probari agnoscat. Sic Gelasius in epistola ad Dardanos dicit, se curam Alexandrinæ ecclesiæ delegasse Acacio, ideoque eum debuisse ad ipsum referre omnia.

Ecclesias in errorem inductas, dum in gratiam recipiebant, sibi deuinciebant, ac subijciebant. Sic Innocentius cum Antiochena pacem facit, ut apparet ex eius epistola ad Bonifacium.

¶ Hæreticos pœnitentiã agentes, ad sese libellos mittere iubebant, in quibus errores damnarent. Sic Leo epistola octuagesimaseptima, capite tertio, Donatum Nouatianũ & Maximum, iubet eiusmodi ad se mittere libellos.

Etiam hoc eos reddebat superbiores, quòd synodi in alijs locis Romanorum episcoporum autoritatem & auxilium implorabant, in damnatione hæreticorum: ut patet ex epistola cõcilij Carthaginẽsis, & Mileuitani, quæ inter Augustini sunt nonagesima, nonagesimaprima, & nonagesimasecũda. Nã Innocentius in epistola illa nonagesimaprima ad Aureliũ & Carthaginenses episcopos, id quod illi rogauerãt, ut Apostolicã adhiberet autoritatem, sic accipit, quasi sibi tribuant primatum. & apertè mentitur, patres Nicenos non humana, sed diuina sententia decreuisse, ut quicquid in disiunctis prouincijs ageretur, non prius ducerent firmandum, nisi ad sedis Apostolicæ, scilicet Romanæ noticiam perueniret: ac eius autoritate, quæ fuerit iusta pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, uelut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederẽt, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent, quid præcipere, quos abluere, quos uelut in cœno inemendabili sordidatos mundis dignaretur corporibus unda uitaret. Idem facit in epistola nonagesimatertia ad episcopos Mileuitani concilij: Diligẽter ergo & congruẽ Apostolico consulitis honori, honori inquã illius,

illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam. Quî id etiam firmastis actione, nisi scientes, quòd per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent? Præsertim quotiens fidei ratio uêtilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris autorẽ, referre debere: uelut nũc retulit uestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesijs prodesse. Sic Flauianus in epistola ad Leonẽ, implorat eius auxilium contra Eutychen. Sic Africana synodus contra Donatistas, & alios hæreticos petit Anastasij consilium, & auxilium.

Generalia cõcilia indicendi potestatẽ sibi sumpserũt: ut patet ex epistola nonagesimatertia, cap. decimoseptimo Leonis: Dedimꝰ literas ad fratres & coepiscopos Tarraconẽses, Carthaginẽses, Lusitanos atq; Gallicos, eisq; cõciliũ synodi generalis indiximus.

¶ Ac synodos sine sua autoritate cõuocatas ut illegitimas reiecerũt: ut patet ex actis synodi Chalcedonensis, ubi Paschasinus uicarius episcopi Romani, eo nomine damnat Dioscorum, quòd sine autoritate sedis Apostolicæ synodum ausus fuerit facere. Et Cecropius Sebastopolis episcopus ibidẽ inquit: Secundũ cõciliũ Ephesinũ, Conciliũ diquit: Secundũ cõciliũ Ephesinũ, Conciliũ di
cere non debemus, quia neque Apostolica autoritate coactum est, neq; ritè peractum.

Ius præsidẽdi Synodis uniuersalib. sibi adscripserunt, idq; hac ratione, ut initiò ad eos quos præsides nouerant iussu Imperatorum fore, scriberent, ac rogarent ut suo loco præsiderent. Sic Celestinus Cyrillo Alexandrino, in Ephesina synodo præsidendi potestatem suo nomine concessisse uideri uoluit: Nicephorus libro decimoquarto, capite trigesimoquarto. Ac Leo postea Paschasinum Siciliæ episcopũ ut Chalcedonẽsi præsideret, misit: eique & alijs suis legatis iniunxit, ut personæ suæ dignitatẽ omnibus modis cõseruent: & eos qui splendore ciuitatum cõfisi contrarium agere tentent, sua constantia retundãt: ut patet ex actis Chalcedonẽsibus.

Per legatos suos in Synodis haud postremũ locum occupabant: ut patet ex epistola decima Leonis ad Flauianum, & in epistola duodecima ad Theodosiũ: in quibus indicat, se ad synodũ Ephesinã Iulianũ, Renatũ & Hilarium misisse.

In synodis perperam acta retractare cœperunt, Apostolicã iactitantes autoritatem: & quia id aliquoties bene cesit, postea ex eo sibi ius de synodis iudicandi arrogarunt, & decreta retractandi. Sic Leo synodũ Ephesinã secũdã reijcit, & aliã instituì petit, epistolis 24. 25. 28. 30. 31 & 32. unde Gelasius in epist. ad episcopos Dardaniæ asserit, Romanam sedem habere potestatẽ soluendi, quos synodi iniquè damnarũt: & sine synodo dãnandi, quos oporteat: idq; probat exemplis. Ioannem, inquit, Constantinopolitanũ synodus etiã catholicorũ præsulũ dãnauerat, quem simili modo sedes Apostolica etiam sola, quia nõ cõsensit, absoluit. Itẽ Flauianũ pontificẽ Græcorũ cõgregatione damnatũ, pari tenore, quoniã sola sedes Apostolica nõ cõsensit, absoluit potius, q̃ qui isthic receptus fuerat. Dioscorũ secũdę sedis præsulẽ sua autoritate dãnauit, & impiã synodũ non cõsentiendo submouit sola: & autoritate, ut synodus Chalcedonẽsis fieret, sola decreuit.

Ius exequẽdi decreta synodorũ sibi arrogabãt. unde Gelasius inquit in epist. ad episcopos Dardaniæ: Cõfidimus quòd nullus iã ueraciter Christianus ignoret uniuscuiusque synodi constitutũ, quod uniuersalis Ecclesię probauit assensus: nullã magis exequi sedẽ præ cęteris oportere, quàm primã, quæ & unãquamq; synodũ sua autoritate confirmat, & cõtinuata moderatione custodit pro suo principatu.

Inter alia hoc etiã eos in sublimitatẽ euexit, quòd Imperatores ipsis iniunxerũt, ut acta Synodorũ cõfirmarent. Sic Leo in epist. 60 ad Pulcheriã dicit, se libẽter iuxta Imperatoris uoluntatẽ ad omnes episcopos in synodo Chalcedonẽsi scriptitasse, & regulam fidei isthic definitam firmasse.

¶ Et quòd patres sæpe honoris ergò petebãt, ab ijs decreta cõfirmari. Sic Chalcedonensis synodus ad Leonẽ scribit: Rogamus, & tuis decretis nostrũ honora iudiciũ: & sicut nos cupidi in bonis adiecimus cõsonantiã, sic & summitas tua filijs quod decet adimpleat. Tarraconẽses etiã ab Hilario Romano petunt, ut ordinationem Irenæi confirmare dignetur. in epistola ad eundem.

Nicenorum canonum custodiam & defensionem sibi arrogabant, cum tamẽ nemo magis eos uiolaret quàm ipsi. Vnde passim, si quid contra canones fieri agnoscebãt, sese opponebant grauissimè. Sic in sexta Carthaginensi toties repetunt, canones obseruari debere. Et Hilarius in epistola ad Ascanium, & alios Tarraconẽses episcopos, negat sine consensu metropolitani posse cõsecrari antistitẽ: quia in Nicena synodo id sit firmatũ.

Ausi sunt etiam alios priuare suo iure, & sic per tyrannidem ad sese uicinarum Ecclesiarum potestatem trahere. Nam Simplicius minatur Ioãni Rauẽnatensi episcopo, quòd si denuò episcopum, aut presbyterum, aut diaconũ inuitũ ordinet, se ei ius ordinandi

erepturum. in epistola ad eundem. Idem in epistola ad Florentium, Equitium & Seuerum, Gaudentio Aufinienſi propter illicitã ordinationẽ totũ ius ordinationis eripit.

Non tamen potuerunt id, quò tendebãt, omnino Romani episcopi assequi. nam non omnes amplexi sunt illas glorioſas declamationes de Romanę ſedis excellẽtia, & iurisdictione ſeu imperio in alios. Inter quos fuerũt Acaciꝰ, Euphemianꝰ, Auguſtinꝰ, episcopi Africani, & multi alij, ut ſuo loco declaratur.

Titulis etiam communibus, in ſcriptis ad eos pleriq; uſi ſunt. Vnde Auguſtinus epiſtola 27. Anaſtaſium uocat Romanæ eccleſiæ episcopum: & Innocentium, epiſtola 47. Et patres ſynodi Africanæ, Anaſtaſium tantum conſacerdotem uocant. Et ſynodus Epheſina Celeſtinum archiepiſcopũ nominat, in epiſtola ad Philippum presbyterum. Eundem titulum Leoni tribuunt Imperatores Theodoſius & Marcianus, in epiſtolis.

Ac illi ipſi, qui initiò uiſi fuerant adulatione quadã primas partes Romanis episcopis deferre, poſtea cũ animaduerterẽt quòd dominatũ occupare ſtuderent, ſententiã mutarunt, & reipſa teſtati ſunt eos nihil præ alijs prærogatiuę ſeu eminẽtię iure habere. Inter hos fuit Acacius Conſtantinopoleos episcopus, qui primũ expetita Romani episcopi autoritate, Petrũ Moggũ excõmunicauit: ſed poſtea eundẽ pœnitentiã agentẽ, nõ conſulto illo recepit. ac cũ propterea ipſe à Felice eſſet excommunicatus, non modò id contempſit, ſed etiã uiciſsim Felicem excõmunicauit, & nomẽ eiꝰ ex catalogo episcoporũ erаſit, ut infrà in uita eius referetur, & conſtat ex epiſtola Gelaſij ad episcopos Dardaniæ.

Et nõ parũ diſplicuit alijs episcopis curioſitas Romanorũ, in alienis Eccleſijs multa reformantiũ. Sic cũ Cõſtantinopoli Leo multũ ex πολυπραγμοσύνη ambitioſè ſibi ſumeret poteſtatis, Anatoliꝰ eius loci episcopus adeò id indignè tulit, ut apertè id reprehenderet: ut colligitur ex Leonis 78 epiſtola. Sic etiam apparet ex epiſtola eiuſdẽ 89. ad episcopos Viennenſes, eos moleſtè tuliſſe dominiũ Romani episcopi. Prolixè enim ſcribit, & cõſuetudinẽ allegat, quòd cõſultus ſit ab innumeris ſacerdotib. eius prouinciæ: & pro diuerſa appellatione cauſarũ, aut retractata, aut confirmata fuiſſe iudicia: & queritur de Hilario quodam.

Nec defuerũt q episcoporũ & diaconorũ Romanorũ ſuperbiã taxarent: inter quos eſt Auguſtinus, qui quęſtione 101. in nouum & uetus Teſtamentum, uehementer improbat diaconorum Romanorum arrogantiã, qua uolebant pares eſſe presbyteris.

Cõſuetudo etiã obtinuit, ut Romanus episcopus non ordinaret omnes Italię episcopos, ſed Hoſtiẽſis. Auguſtinus in collatione tertij diei, quid quinto loco actum.

Appellationes ad Romanũ episcopũ non omnes admiſerũt. nã in Mileuitani cõcilij canone 22 cauetur, ne quis appellet ad trãſmarinos, pœna excõmunicationis. Et ſynodus Africana in epiſtola ad Bonifaciũ, prſus improbat appellationẽ ad Romanũ episcopũ.

Quamuis ex alijs prouincijs pleriq; in cõtrouerſijs ad Romanũ episcopum cõfugiebant, ac ille ꝓ ſua audacia, decreta dictabat pro ijs à quib. adorabatur: tamen non pauci fuerũt, q eiꝰ decreta ꝓrſus cõtempſerũt. inter quos eſt etiã episcopus Calagurę in Hiſpania, q Hilarij Romani episcopi inſtitura, prorſus deſpexiſſe dicitur, in epiſtola Tarraconenſium ad Hilarium.

Nec omnes excõmunicationes, quas Romani exercuerũt in alios procul remotos episcopos, ratas habuerũt aut approbarũt. nã multi inter episcopos Dardaniæ, Gelaſij excõmunicationem, qua in Acaciũ intẽpeſtiuè uſus erat, improbauerũt, ut illegitimã, propterea quòd non prius in ſynodo eſſet cauſa illa tractata: ut patet ex epiſtola Gelaſij ad episcopos Dardaniæ, in qua prolixè ſuũ primatũ cõmenticijs canonibus, & malis exemplis aſſerit. Euphemianus etiã propter eandem cauſam Gelaſio cõtradixit, & Acacium defendit: ut apparet ex Gelaſij epiſtola ad ipſum. Si Dardanorũ & Euphemiani epiſtolæ nõ eſſent ſuppreſſæ, ſed extarẽt hodie, egregia teſtimonia præberent, quid ſentirent de commenticio illo primatu Romanorum episcoporum.

Nec omnes Synodi uniuerſales ſua decreta iudicio Romani episcopi ſubiecerũt. nam Chalcedonẽſis in relatione ad Leonẽ dicit, ſe alia quędã ꝓpter Eccleſiaſticorũ ſtatuto rum firmitatẽ definiſſe, & maximè ut Conſtãtinopolitanus episcopꝰ ius haberet ordinandi metropolitanos ꝓuincię Aſianę, Põtiçę & Thracię, q illi nõ admodũ probabatur, Nec defuerũt alij, quos ob ambitũ de primatu arguere coacti ſunt. Cũ enim Anatoliꝰ ſibi Alexãdrinã & Antiochenã eccleſias ſubdere tẽtaſſet, Leo in epiſt. 53 ad eũ grauiſsimè ſcribit, ac indicat id eſſe cõtra canones Nicenos. Et licet Alexãdrina ſedes priuilegiũ ſecũdi honoris ꝓdiderit, & Antiochena ꝓprietatẽ tertię dignitatis amiſerit, & loca illa iuri eiꝰ ſint ſubdita: tñ nec iura primatuũ ꝓuincialiũ debere cõuelli, nec priuilegijs antiquitus inſtitutis metropolitanos antiſtites eſſe fraudãdos, & Alexãdrinę ac Antiochenæ eccleſię ſuas dignitates eſſe reliquẽdas, idẽ aſſerit in epiſt. ad Pulcheriã. Paulo pòſt eãdẽ Anatolij ambitionẽ taxat, ac exꝑſsè indicat, ſe oẽs episcoporũ cõſenſiones, quę fuerint cõtrarię regulis Nicenę ſynodi, caſſare. Sic Sixto

Sixto res fuit cum Polychronio Hierosolymorum episcopo, asserente Hierosolymam primam sedem, seque summum pontificem esse: ut patet ex synodo Romana, in qua Polychronium damnat.

Synodus Carthaginensis sexta fraudem in corruptione canonum Nicenorum detexit, & iugum pontificium ceruice suorum ad tempus remouit: ac Romanũ pontificem monuit, ne fumosum seculi typum (sic appellant primatum) in Ecclesiam Christi inducat, sed secundum Nicenos canones singulis prouincijs, ubi orta sunt, tractari: & non ea magis turbet, dum per appellationem ad sese Romam trahere conetur: ut patet ex actis sextæ Carthaginensis, quæ infrà cõmemorabimus. Hinc etiam æstimare licet, quàm uera dicat Gelasius in epist. ad Dardanos: Canones ad sedem Romanam de qualibet parte mundi appellare uoluerũt, ab illa autem nemo appellare permissus est. Illos canones cum debuissent proferre, falsatos adduxerunt, & confusi sunt: & tamen mentiri postea non erubuerunt. Et in Chalcedonensi actione decimasexta, cum Romani legati Constantinopolitano episcopo conarẽtur abrogare archiepiscopatum, quem habebant super Asiam, Thraciam, Pontum, & Orientis ecclesias, & sibi adscribere, opponunt sese patres, ac decernũt, archiepiscopũ debere ordinare metropolitas, in Asiana prouincia & Thraciæ diœcesibus: & figmento ducentes, quòd ipsi, & postea Gelasius asserebant, Constantinopolim iuxta canones nec inter sedes numerari, nec inter iura metropolitanorum censeri.

Nec licebat ijs sine Imperatorum cõsensu synodos cõuocare. id quod ex eo manifestũ est, quòd Leo in epistola ad Theodosium petit, ut sibi liceat intra Italiam conuocare synodũ, ad scandala Ecclesiæ sananda: quod sanè non fecisset, si potestatem integram habuisset. Imò epistola 23 ad Constantinopolitanos rogat, ut etiam ipsi apud Imperatorẽ de synodo soliciten. Idem 24 ad Theodosium postulat. Et epistola 33 ab eodẽ Theodosio petit, ut Anatolij doctrinam de incarnatione filij Dei agnoscat & uniuersale concilium in Italia fiat. Liberatus capite duodecimo narrat, Leonẽ, Valentinianũ & Eudoxiam, cũ multis episcoporũ, genibus prouolutis deprecatũ esse. Cum Marcianus indixisset Chalcedonẽse concilium, Leo petijt, ut id in opportunius tẽpus differret, donec episcopi, quibus ob hostium metũ non admodũ tutũ erat, possent conuenire: sed Imperator noluit suã mutare sententiam, ac Leo habuit necesse eam approbare. epistola 43. Ex his apparet, mendaciũ impudẽtissimũ esse, quòd Gelasius iactitat in epistola ad Dardanos, Romanã sedem solam decreuisse, ut synodus Chalcedonensis fieret.

Et fundamentũ illud, Tu es Petrus, quo Gelasius & alij utũtur, Felix Romanus episcopus ipse eneruat in epistola ad Zenonẽ Imperatorem: in qua, super confessionẽ Petri IESVM Ecclesiam ædificasse indicat.

Ac alij etiã doctores cõtra primatũ multa asseruerunt. Tale est quod Cyrillus lib. tertio in Ioãnis caput 20 dicit: Apostolis, & eorũ in Ecclesijs successoribus plenã potestatẽ cõcessam, uetera & noua Scripturę mãdata fidelibus apponendi. Plura testimonia suprà inter dogmatica sunt relata.

Obstiterunt etiã ijs Imperatorũ edicta, & leges. Nam Honorius & Theodosius l. sexta C. de sacro sanctis Ecclesijs, sanciunt, ut si qd dubietatis emergat in prouincijs Illyrici, cõuentui sacerdotali urbis Cõstãtinopolitanæ reseruetur. Quod nõ fecissent, si Romanę ecclesiæ iurisdictionẽ super omnes Ecclesias agnouissent.

Ac Imperatores adhuc suis legibus eos habuerũt aliquo modo subiectos. unde Bonifacius Honorio supplicat, ut lege sanciat, ne in urbe Roma per ambitũ ordinetur ãtistes: quod etiam fecit, ut patet ex rescripto Honorij ad Bonifacium.

DE EPISTOLIS DECRETALIBUS, *quæ Romanis episcopis adscribuntur.*

EPistolę q̃ episcopis Romanis huius seculi attribũtur, phrasi etiã sunt alienę à latinitate. Et quãuis Augustin⁹, Prosper, Saluianus, Sidonius, Sedulus, & alij Ecclesiastici doctores, nõ usque adeò purè locuti sunt (non enim uernacula illis fuit lingua latina, ut episcopis Romanis) tñ nõ est stylus eorũ tã horridus, ut in istis epist. unde nõ leue argumẽtũ sumitur, pleraſq; suppositicias esse. Quis enim illas elegãtias hoc seculo tribuat homini Romano? Quasi ad caput mittere charitatiue nõ dubitetis: Anastasius in epist. ad episcopos Germanię. Mihi de collatione docilitas accedit: Innocẽtius Exuperio Tolosano. Gaudere in Domino uestrã germanitatẽ cupimus: Innocẽtius in 10. epistola ad Aureliũ. Et, Saluto tuã in Christo germanitatẽ: idem epistola 15. A Deo iucũdati sumus: idẽ epist. 17. Duxit gratũ fore tuę dignationi, dignãter relegere: idẽ epistola 18. Has literas ad reddẽda trãsmisimus tuę unanimati: idẽ epist. 19. Ingessit mihi literas inopinãter: idẽ epist. 26. Indisciplinatas quæstiones uocare in mediũ: Celestinus epist. 1. Solatiari mihi in meis anxietatibus: Sixtus in epistola ad Oriẽtales. Ecclesię meæ cura cõstringit, ne causas eius apud aures Christianissimi Principis desim. Bonifacius ad Honorium.

Deinde

Deinde plenæ sunt ineptis Scripturæ sacræ accommodationibus, quales sunt: Mulierem uiduam clericus non ducat uxorem, quia scriptum est Leuitici uigesimoprimo, & Ezechielis quadragesimoquarto: Sacerdos uxorem uirginem accipiat, non uiduam, non eiectam. Non is qui secundam uxorem duxerit, clericus fiat: quia scriptum est, Vnius uxoris uirum. & iterum: Sacerdotes mei semel nubant. & alibi: Sacerdotes mei non nubant amplius. Sacerdotes & Leuitæ cum uxoribus suis non misceantur. Scriptum est enim: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum. Si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno uicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus (quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere:) quanto magis hi sacerdotes pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debeant, quibus uel sacerdotium uel ministerium sine successione est, nec præterit dies qua uel à sacrificijs diuinis, uel à baptismatis officio uacent? Nam si Paulus ad Corinthios scripsit, prima Corinthiorũ septimo: Abstinete uos ad tempus, &c. & hoc utique laicis præcepit: multo magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi iuge officium est, semper debebant ab huiusmodi consortio abstinere. Si inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui: quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepegerunt sacræ uirgines, solui sine uindicta non poterit? Nam si Paulus, quæ à proposito uiduitatis discesserant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidẽ irritam fecerunt: quanto potius uirgines, quæ prioris promissionis fidem minimè seruauerunt? Innocentius in epistola ad Victricium.

Non semel, sed aliquoties clamat Scriptura diuina: Transferri non oportere terminos à patribus constitutos. Ergo grauiter peccasti, quòd inuasisti parochiam Nomentanam, ad Vrsi diœcesin à maioribus pertinentem. Innocentius in epistola octaua ad Florentium Tiburtinensem episcopum. Quod tetigerit immundus, immundum erit. Ergo ab hæreticis ordinatus, manum imponere non poterit, seu non potest admitti. idem in epistola uigesimasecunda ad episcopos Macedoniæ, capite tertio. Quærendum est, si uxorem uirginem habuerint: quia scriptum est in ueteri Testamento, Vxorem uirginem accipiat sacerdos. & alibi: Sacerdotes mei semel nubant. Neq; qui duas uxores habuerit, quia Paulus apostolus ait, unius uxoris uirum. idem in epistola ad synodum Toletanam, cap. quinto. Nullus contra Apostolum tale aliquid sentiat, nec admittat, sed filiaster intelligat, unius uxoris uirũ siue ante baptisma esse nominatum, siue post baptismum. in eadem epistola, capite sexto.

Legimus, super magistrũ non esse discipulum: hoc est, non sibi debere quenquá ad iuriá doctorũ uẽdicare doctrinã. Celestinus in epistola ad episcopos Galliæ, capite 1.

Falsa etiam multa in ijs asseruntur. quale & illud est, quòd Innocentius in epistola ad Decentiũ affirmat, nullũ instituisse Ecclesias per Italiam, Gallias, Hispanias, Africá, Siciliam, & Insulas interiacentes, quàm Petrũ, & ab eo missos, & successores eius. Et inde colligit, Romanam ecclesiam esse caput omniũ aliarum. O conclusio firma, ex falso assumpto. Item, illud impudens mendaciũ est, quòd Innocẽtius in rescripto ad concilium Carthaginense, & postea Gelasius in epistolis ad episcopos Dardaniæ, & ad Euphemianum, canonibus esse constitutum asserunt, ut omnia ad sedem Romanam referãtur diudicanda & confirmanda, quęcũq; in alijs prouincijs controuertantur.

¶ Insignia mysterij iniquitatis, hoc est Antichristi, habent plurima: qualia sunt, distinctio clericorũ & laicorum propter sanctitatem. Gelasius in epistola ad episcopos per Lucaniam, capite quarto.

Primatus Romanæ ecclesiæ, de quo Innocẽtius in epistola 1. ad Decentiũ, & ad Victriciũ, & epistola decimaoctaua ad Alexandrum, & in rescripto ad conciliũ Carthaginẽse: & Zosimus in epistola ad Hesychiũ, & Gelasius in epistola ad episcopos Dardaniæ, & Euphemianum.

Idololatria & cultus sanctorũ Bonifacius in epistola ad Honoriũ, Petrum citat testem.

Obligatio cõscientiarũ ad traditiones humanas. Innocentius ad Victricium.

Contaminatio sacramentorum. Innocentius in epistola ad Decentium: ex chrismate facit sacramentum.

Prohibitio nuptiarum. in epistola Innocentij ad Victricium, & in epistola ad synodum Toletanam. Eadem in alijs passim repetitur.

Tempus etiam, quo scriptæ norantur, arguit pleraſque esse suppositicias. Ná Anastasij ad Germanos, & ad Nerianum: & Innocentij ad Decentium, & ad Aurelium, & ad synodum Mileuitanam, non parum discrepant ab exacta temporis ratione. Aliorum pleræque nullum habent tempus assignatum, ne fraus deprehendatur.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE SCHISMATIBVS sub Arcadio.

De dissensione Augustini ab Hieronymo, seu potius contentione inter utrunq;.

INTERCESSIT quędam inter Augustinum iuuenem, & Hieronymum senectute iam lassum (quemadmodum ex tertio proœmio in epistolam ad Galatas apparet) dissensio, ea occasione: quòd in Commentarijs suis in epistolam ad Galatas Hieronymus scripserat, & Petrum & Paulum pro ratione temporis simulatione usos. Quod ita uerò Augustinus accepe-rat, quasi sensisset Hieronymus, admittendá esse in literis diuinis interdũ mendacij suspicionem. Pugnat igitur uehementius contra eum, cũ quod de simulatione Hieronymus affirmauerat, ipse ad mendaciũ concedendũ in Scripturis sacris, cum nonnulla uiolentia detorqueat. Augustini uerba sunt:

Patrocinium mendacij susceptũ esse, uel abs te tali uiro, uel à quopiã, si alius ita scripsit, fateor, nõ mediocriter doleo, donec refellatur. Mihi enim uidetur exitiosissimè credi, aliquod in sanctis libris haberi mẽdaciũ: id est, eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est, atq; conscripta, aliquid in suis libris fuisse mẽtitos. Admisso enim semel in tantum autoritatis fastigiũ officioso aliquo mẽdacio, nulla illorũ librorũ particula remanebit, quę nõ ut cuiq; uidebitur uel ad mores difficilis, uel ad fidẽ incredibilis, eadẽ perniciosissima regula ad mentiendũ est igitur, ut ad cognitionẽ diuinarũ Scripturarũ talis homo accedat, qui de sanctis libris tam sanctè & ueraciter æstimet, ut nolit aliqua eorum parte delectari per officiosa mendacia: potiusque id quod non intelligit transeat, quàm cor suum præferat illi ueritati. Augustinus epistola prima ad Hieronymum. Idem rursus epistola secunda, ad eundem: In expositione epistolæ Pauli ad Galatas inuenimus aliquid, quod nos multum moueat. Si enim ad Scripturas sanctas admissa fuerint uelut officiosa mendacia, quid in eis remanebit autoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia profere tur, cuius pondere contentiosæ falsitatis subruatur improbitas? Statim enim ut proferetur illud quod probatum erit, honesto aliquo officio scriptorẽ fuisse mentitũ. Quare arripe, obsecro te, ingenuam & uerè Christianã cum charitate seueritatẽ, ad illud opus corrigendum atq; emendandum, & παλινῳδίαν (ut dicitur) cane.

HIERONYMI DISSENSIO.

Quæris, cur dixerim in Commentarijs epistolę ad Galatas, Paulũ id in Petro non potuisse reprehẽdere, quod ipse fecerat: nec in alio arguere simulationẽ, cuius ipse tenebatur reus. Et asseris, reprehensionẽ Apostolicam non fuisse dispensatoriã, sed uerã: & me nõ debere docere mendacium, sed uniuersa quæ scripta sunt, ita sonare ut scripta sunt. Ad quæ primùm respondeo, &c.

Monet primùm, se, quicquid eius senserit, sensisse fretũ autoritate Origenis & aliorum uetustorũ, quorũ sententiã secutus sit: idq; se indicasse in præfatione eorũ Commentariorũ, ex qua causam eam iudicare debuerit Augustinus. Patere me quæso (inquit) igitur errare cũ talibus: & cũ me erroris mei multos socios habere perspexeris, tu ueritatis tuę saltẽ unũ astipulatorẽ proferre debebis.

Secundò: Ostendimus, Petrum bene quidem sensisse de abolitione legis Mosaicæ, sed ad simulationem obseruandę eius compulsum. Videamus nunc, an Paulus ipse tale quiddam, quod in Petro reprehendit, commiserit. Certè Timotheum, filium mulieris Christianæ uiduæ, susceptum ex patre gentili, circumcidit, propter Iudæos. Idem, fratribus & multitudini obsecutus in Cenchris, caput totondit, nudipes incessit, obtulit sacrificia, &c. Simulasti ergo Paule Iudæum, ut Iudæos lucrifaceres. Et hãc ipsam simulationem Iacobus & cæteri te docuêre presbyteri.

Didicimus, quòd propter metum Iudęorum & Petrus & Paulus æqualiter finxerint se legis præcepta seruare. Qua igitur fronte, qua audacia Paulus in altero reprehendit, quod ipse commisit? Ego, imò alij ante me exposuerunt causam quam putauerant, non officiosum mendacium defendentes, sicut tu scribis, sed ostendentes honestam dispensationem, ut & Apostolorũ prudentiã demonstrarent, & blasphemantis Porphyrij impudentiam coercerent, qui Paulum & Petrum puerili dicit inter se pugnasse certamine: imò exarsisse Paulũ in inuidiã Petri, & ea scripsisse iactanter, quæ uel non fecerit: uel si fecerit, procaciter fecerit: id in odio reprehẽdens, quod ipse cõmiserit. Interpretati sunt illi, ut potuerunt.

Dissensio Hieronymi ab Augustino.

Totius sermonis tui hic sensus est, ut Petrus non errauerit, quòd his qui ex Iudæis crediderant, putauerit legẽ esse seruandam: sed in eo à recta linea deuiarit, quòd gentes coegerit Iudaizare: coegerit autem non docentis imperio, sed cõuersationis episcopo. Et Paulus non contraria sit locutus his quæ ipse gesserat: sed quare Petrus eos qui ex gẽtibus erant, Iudaizare compelleret? Hæc ergo summa

Decisio istius contentionis, Lutheri in Commentarijs in Epistolam ad Galatas, capite secundo.

go summa est quæstionis, immò sententiæ tuæ, ut post Euangelium Christi bene faciant Iudæi, credentes, si legis mandata custodiant: hoc est, si sacrificia offerant quæ obtulit Paulus, si filios circumcidant, si sabbatum seruent: ut Paulus in Timotheo, & omnes obseruauêre Iudęi. Sic hoc certum est, in Cerinthi & Hebionis hæresim delabimur, qui credentes in Christo propter hoc solum à patribus anathematizati sunt, quòd legis cerémonias Christi Euangelio miscuerunt: & sic noua confessi sunt, ut uetera non amitterét. Non eiusdem igitur criminis est, in explanatione Scripturarum, maiorũ sententias ponere, & hæresim sceleratissimam rursum in Ecclesiam introducere. Si autem hæc nobis incumbit necessitas, ut Iudæos cum legitimis suis suscipiamus, & licebit eis obseruare in Ecclesijs Christi, quòd exercuerũt in synagogis satanæ, dicam quòd sentio: Non illi Christiani fient, sed nos Iudęos facient, &c.

Ego ecõtrariò loquor, & reclamante mũdo libera uoce pronuncio, ceremonias Iudęorum & pernicioſas esse, & mortiferas Christianis: & quicunq; eas obseruauerit, siue ex Iudæis, siue ex gentibus, eum in barathrum diaboli deuolutũ. Finis enim legis Christus est, &c. Et in Euangelio: Lex & Prophetæ usq; ad Ioannẽ. Et in alio loco: Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia soluebat sabbatum, &c.

Tu dicis bonũ, ego affero malũ: & malũ nõ solũ his qui ex gentibus, sed & his qui ex Iudaico populo crediderunt. In hoc (ni fallor) loco, dũ aliud uitas, in aliud deuolueris. Dũ enim metuis Porphyriũ blasphemantem, in Hebionis incurris laqueos: his qui credunt ex Iudæis, obseruandã legẽ esse decernens.

Hoc multum interest inter meã & tuam sententiã, qua ego dico, & Petrum & Paulũ timore fideliũ Iudæorũ legis exercuisse, imò simulasse mandata. Tu aũt asseris, hoc eos fecisse clementer, non mentientis astu, sed compatientis affectu: dũmodo illud cõstet, uel amore uel misericordia eos simulasse se esse quod non erant. Illud aũt argumentum quo aduersum nos uteris, quod & gentilib. debuerit gentilis fieri, si Iudæis Iudæ⁹ factus est, magis pro nobis facit. Sicut enim nõ fuit uerè Iudæ⁹, sic nec uerè gẽtilis erat. Et sicut nõ fuit uerè gẽtilis, sic nec uerè Iudæus erat. In eo aũt imitator gentiũ est, quia præputiũ recepit in fide Christi, & indifferenter permittit uesci cibis, quos damnant Iudæi, non cultũ (ut tu putas) idolorũ. In Christo enim Iesu nec circumcisio est, &c. Quæso igitur te, ut me putes magistrũ esse mendacij, qui sequor Christum dicentem: Ego sum uia, ueritas & uita. Hieronymus epistola prima ad Augustinum.

Hieronymus & Augustinus acriter contendũt de isto loco. Hoc uerbũ, Coactus est, facit ad defensionẽ Augustini. Hieronymus rem nõ intellexit. Non enim hic disputatur quid Petrus uel Paulus fecerit circũcidendo uel non circumcidendo, ut Hieronymus putat: hincque miratur, quare Paulus in Petro reprehendere ausus sit, quod ipse fecerit. Quia, inquit, Paulus circumcidit Timotheum, & cum gentibus gentiliter, cum Iudæis Iudaicè uixit, &c. Non putat rem seriam hic geri. Ideo concludit neutrum peccasse, sed fingit utrunque officioso mendacio simulasse. Verùm istæ disputationes hic omnes & fuerũt & sunt seriæ, & de maximis rebus: ideo nihil fecerunt per simulationem. Et tota uis sita est in uoce Cogit. hoc Hieronymus non uidit.

Et uides peccatum Petri, quod Paulus diligenter describit. Non accusat in eo maliciã uel ignorantiam, sed infirmitatem, quòd sicut ueritus Iudæos, &c.

Iste est locus qui hic tractatur, quem Hieronymus non uidit. uidit tantũ factũ, non finem facti. factum in se non erat malum: quia edere & bibere, uel non edere & bibere, nihil est: sed finis iste, Si edis peccas, si abstines iustus es, &c.

Hoc Hieronymus non uidens, neq; hunc locum, neq; totam epistolam intelligere potuit. Putauit Paulum contendere de rebus leuiculis: atq; hinc est quòd extenuat & excusat peccatum Petri, & dicit eum per ignorantiam peccasse, &c.

Post hanc Hieronymi responsionẽ, nihil amplius rixarum mouisse uidetur Augustinus, nisi quòd, cum seu superiori illa, seu alia quadam responsione se necessitate compulsum, ut eam secutus esset interpretationem: significauit ei, se eam difficultatem alia posse explicare ratione. Epistola ea quæ postremò data est, longa est, atq; inter cæteras Augustini & Hieronymi epistolas extat.

Postea uterq; alterum ad amorem mutuũ & cõcordiam exhortatus est. Facessant, (inquit Hieronymus) istiusmodi querimoniæ. Sit inter nos pura germanitas: & deinceps nõ quæstionũ, sed charitatis ad nos scripta mittamus. Et: Supereſt ut diligas diligentẽ te, & in Scripturarũ campo iuuenis lenẽ cucurrimus quantũ potuimus: nunc te currẽte, & lõga spacia transmeante, nobis debetur ociũ, &c. Ita etiã per epistolas tum suas tum aliorũ, Hieronymum placauit Augustinus. Atque hic contentionis huius finis fuit. Quam simulationem fuisse Augustini, cupientis

cupientis euocare Hieronymum ad dogmatis sui professionem, Erasmus mirè censet: ad quam respondere diu grauatus Hieronymus, acerbius tandem responderit. Verùm simulatq; uterq; alteri pœnitus cœperit esse cognitus, iunctis animis & studijs communiarcharum insultus tutati sint: & minus sibi placuerit Augustinus, ubi Hieronymi magnitudinem pernouerit, ex exploratore factus discipulus: atq; ita ex initio qualicũq;, summa inter illos conflata sit necessitudo.

De motu quodam orto ex prælectione interpretationis Hieronymi.

Narrat in tertia ad Hieronymum epistola Augustin⁹, tumultuationem alicubi ortam ex eo, quòd episcopus prælegi in ecclesia Hieronymi translationem instituisset: Quidam frater, inquit, noster episcopus, cum lectitari instituisset in Ecclesia cui præest, interpretationem tuam, mouit quiddam longe aliter ab ea positum apud Ionam prophetam, quàm erat omnium sensibus memoriæq; inueteratum, & tot ętatum successoribus decantatum: factus est tantus tumultus in plebe, maximè Græcis arguentibus & inclamanatibus calumniam falsitatis, ut cogeretur episcopus Iudæorũ testimonium flagitare. Vtrùm autem illi imperitia an malitia, hoc esse in Hebraicis codicibus responderunt, quod & Græci & Latini habebant. Quid plura? Coactus est homo uelut mendositatem corrigere, uidens post magnum periculum non remanere sine plebe.

Irridet hanc fabulam de tumultu eo exorto inter plebẽ & episcopũ, Hieronymus, & Augustinũ exagitat, quòd locum eum in Ionа non aperte, quis fuerit, indicarit: epistola prima ad Augustinum.

DE SCHISMATE INTER PARMENIANUM & TICONIUM Donatistas.

Donatistarum Carthagini episcopus Parmenianus fuit, Donati successor. Fuit & Donatista Ticonius quidam, homo eruditus atq; eloquens. Is in lectione Scripturarum sedulò uersatus, tandem animaduertit, Ecclesiam Dei per totum terrarum orbem diffusam esse: ac propterea in unitate, eorundemq; sacramentorũ cõmunione, bonos à malis minimè contaminari, quemadmodum Donatistæ sentiebant. Nullius enim hominis quantumuis sceleratum & immane peccatum, pręscribere promissis Dei, neq; id efficere quorumlibet intra Ecclesiã cõstitutarũ quãlibet impietatẽ, ut fides Dei de Ecclesia futura, & ad terminos usq; terræ diffundenda, quæ in promissis patrũ retẽta, atq; nunc exhibita esset, euacuaretur. Asseruit id Ticoni⁹ plurimis grauissimis Scriptu rarũ testimonijs; & catholicus omnino fuisset, si hoc solum addidisset, Christianos scilicet in Africa pertinere ad Ecclesiã illã per totum terrarum orbem diffusam. Sic igitur sentientem ac docentem Parmenianus per epistolã ad resipiscentiã primùm adhortat⁹, cũ de sententia cedere nollet, ab ecclesia Donatistarũ exclusit. Augustinus libro primo contra epistolam Parmeniani, capite primo quam confutat tribus libris.

DE SCHISMATE INTER *Ioannem Constantinopolitanum, & clerum ipsius.*

Euectus ad episcopatus eminentiã Ioannes Constantinopolitanus, Honorio & Eutychiano Coss. anno imperij Arcadij altero, Christi uerò quadringẽtesimo secũdo, quòd asperitate quadam & disciplina seueriori in clericos suos uteretur, liberius mores ipsorũ & uitia reprehendens, paulatim omnib. illis fieri cœpit exosus, adeò ut consuetudinem eius tanquam iracundi, omnes fugerent. Auxit odium illud cõtra ipsum, etiam Serapionis diaconi à Ioanne ordinati petulantia, qui in cœtu aliquando clericorum ad episcopum insolentius dixerat: Nunquam ô episcope exercere imperium tuum in illos poteris, nisi uno baculo cunctos expellas. Quo dicto animatus Ioannes, paulo pòst alios alijs de causis ex ecclesia deiecit. Id clerici indignè ferentes, odio & simultati contra eum etiam conspirationem addiderunt, coramq; populo detulerunt, accusationes struentes ex priuatis etiam quibusdam Ioãnis moribus, quòd cibũ cum nemine caperet: ac sibi uiuens, ad conuiuia ne uocatus quidem accederet. Quibus tamẽ delationibus populus Constãtinopolitanus, grata ipsius doctrina delectatus, ob quam & in magno precio Ioannem habuit, nihil motus est. Sed hoc modo postea & maior in eum exarsit inuidia, & insidię certiores & ualidiores ei paratæ sunt, quòd non clerum solum offenderet, uerùm etiam in proceres aulæ ignominiosè inueheretur: tum quòd monachos, præsertim Isaacianos, durius increparet, quòd non in monasterijs suis sese continerent, & sub tranquillitate philosopharentur, sed per ciuitates oberrarent. Ex hac enim occasiõe & Theophili Alexãdrini insidię, Epiphanij Cyprij inimicitię, & suorum defectiones, tandemq; exilium & interitus, ei parata sunt, ut in suo loco dicitur. Socrates libro sexto, capite quarto & quinto: & deinceps Theodoretus libro quinto, capite uigesimooctauo: Sozomenus libro octauo, capite tertio & nono.

DISSENSIO EPHESI OB *episcopum mortuum.*

Attulit dissensionem grauem ecclesiæ Ephesinæ mors episcopi, in cuius locũ alius

alium, ut fit, surrogare per contentionem satagebat. Quisque uerò pro eo quem electione dignum iudicabat, plurimùm disceptabat. Pertinebat aũt ius electionis ad Ioannẽ Constantinopolitanum, qui necessitate adductus, cum eò uenisset, dissentientes inter se, ac cõtentiosè affectas partes reperit: quarum neutra admonitionibus suis cessit. Repudiatis igitur, quos utraq; pars electioni obijciebat, Heraclidem quendam Cyprium diaconum suum, episcopum Ephesijs cõstituit, ac sic ad cõcordiam utramq; partem reduxit. Socrates lib. 7. cap. 11.

DE DISSIDIO INTER IOANNEM *Constantinopolitanum & Seuerianum.*

Abiturus autem in Asiam Ioannes Constantinopolitanus, ut episcopum Ephesijs præficeret, Ecclesiam suam commendauerat Seueriano Gabalensi episcopo, qui tum Constantinopolim docendi gratia ex Syria uenerat, & in amicitiam à Ioanne receptus erat. Interea igitur, dum diutius propter episcopi electionem Ephesi cunctatur Ioannes, Seuerianus ille grata populo docens, animos ipsius & studia in se conuertit, & à Ioanne quasi abalienat. Quod Ioanni calumniosè significans Serapion diaconus, scribit turbari Ecclesiam per Seuerianum. Redit igitur ex Asia Ioannes, atq; Ecclesiæ suæ curam ipse rursus recipit: Seuerianum uerò urbe pellit, ad calumniosam Serapionis accusationem, compositam testificationibus quorundam qui amici essent sui, quasi negasset Seuerianus Christum hominem factum: cum conditionem eam saltem Seuerianus protulisset, Serapione sibi prætereunti non assurgente, nec honorem exhibente: Si Serapion Christianus fuerit mortuus, Christus non est homo factus. sed quam conditionis circumscriptionem Serapion dissimulans, id solum protulisse Seuerianum calumniabatur, Christus non est homo factus. Pulsus itaq; Seuerianus, Chalcedonem usque Bithyniæ iam processerat: ex quo loco reuocari eum Eudoxia Augusta curauit, Ioanne reprehenso, quòd eum urbe exegisset. Redijt sic tum Constantinopolim Seuerianus, sed inuisus Ioanni fuit, qui amicitiam eius aut commercium nullius hominis intercessione admittere uoluit, donec per Augustam & Theodosium iuniorem ægrè tandem Ioanni Seuerianus placatus est. Non tamen penitus ex utriusque animo offensa sublata est. nam & depositionem postea Ioannis Seuerianus adiuuit, & in concionibus publicè proscidit. Socrates libro sexto, capite undecimo: Sozomenus libro octauo, cap. decimo, & decimoquinto.

DE SCHISMATE INTER THEOphilum *Alexandrinum & monachos Aegyptios.*

Nata periculosa concertatio inter Theophilum Alexandriæ episcopum & monachos Aegyptos, sub Arcadij imperio est, occasione quæstionis, Vtrum hominis figuram & corpus Deus haberet, an uerò ab omni figura humana & corpore esset alienus. Monachi Aegypti ad uerbum simplicissimè intelligentes, quæ de oculis, auribus, manibus, pedibus & alijs ad hominis substantiam pertinentibus Scriptura diceret, corpus & formam humanam Deo attribuebant. Plurimi cõtrà, apertè blasphemos esse in Deum dicere, ut qui ab omni corporea figura quàm maximè alienus esset: in quibus & Theophilus fuit, Alexandrinę ecclesiæ episcopus, qui & in publicis congressibus eos condemnabat, qui corporeum esse Deum, & humana forma præditum contendebant: & in epistola quam pro consuetudine de Paschatis festo scripserat, Deum incorporeum esse docebat. Quod impatientissimè ferentes Aegyptij monachi, monasterijs relictis, ingenti numero Alexandriam uenêre, uno eodemq; in quod omnes cõsenserãt proposito, nõ tam impietatis Theophilum accusandi, quàm occidendi etiam, nisi sententiam suam mutaturus esset. Animaduertit hoc periculum Theophilus, atq; hoc callidè cogitato consilio ementem effugit, monachos accedens assentibundus, eosq; ad hunc modum compellat: Perinde uos contemplor quasi uultum Dei. Infringit dictum illud nonnihil conceptum impetum monachorum, qui ita respondẽt. Si uerè atq; ex animo hoc ipsum sentis ac loqueris, uultũ nimirum eusmodi Deo esse, cuiusmodi hic noster est, feri anathemate libros Origenis, ex quibus rationibus sese armantes nonnulli, sententiæ nostræ contradicunt. Quod uerò si non feceris, utimpium & inimicũ Deo, scito te nobis pœnas mox daturum. Territus his minis Theophilus: Ego, inquit, quæ uobis uidentur, me facturum uobis polliceor. Origenis etiam libros tum ipse detestor, tum alios reprehẽdo qui eos probant. Ita igitur monachorum furorem cohibuit Theophilus, & compositam controuersia ea de Dei est figura: quæ tamen paulo pòst, Theophili simultate recruduit, ut mox dicemus. Socrates libro sexto, capite septimo: Sozomenus libro octauo, capite undecimo.

DE SCHISMATE INTER THEOphilum, *Petrum & Isidorum presbyteros.*

Interea dissidium & inimicitias Theophilus aduersus Petrum protopresbyterum Alexan-

Alexandrinum & Isidorum archipresbyterum, quem coniunctissimum tamen prius habuerat, excercuit hoc prętextu. Factus insensus fuerat Petro, propter causam aliquã, quæ qualis fuerit non explicatur: ob quam id agens ut ex Ecclesia eum ejiceret, fallam (uti postea compertum est) accusationem ei intendit, quasi se episcopo insscio, mulierem quandam religione Manichæam, seu (ut Sozomenus habet) Macedonianam, ab hæresi sua nondum abductam, ad mysteriorum communionem admisisset. Respondit Petrus, & post abnegatam hæresin, & secundum sententiam Theophili, mulierem illam receptam esse: simulque testem eius rei aduocauit Isidorum, qui tum fortè Romam ad Damasium à Theophilo missus erat, in causa reconciliationis Damasi cum Flauiano Antiocheno episcopo. Is igitur inde reuersus, apertè testificari, mulierem hæreticam ex sententia & iudicio Theophili post conuersionem receptam fuisse, & mysteria ab episcopo ipso percepisse. Eam igitur ob rem Theophilus utrumque per indignationem officio remouit, & ex Ecclesia expulit. Socrates libro sexto, capite nono: Sozomenus libro octauo, cap. duodecimo. Qui & has causas Theophilo fuisse inimicitiarum aduersus Isidorum, easque à monacho quodam ex alijs, quibus Theophilus aduersatus est (ut postea dicemus) se audiuisse affirmat: succensuisse scilicet Theophilum Isidoro, quòd cum presbytero, quem diximus testimonium perhibere, quasi hæres à sororе sua constitutus fuisset, recusasset: deinde quòd acceptas à nobili & prædiuite uidua pecunias, in pauperum usus distribuendas, Theophilo immodica quadam rabie in extruenda & ornãda templa intento, ad ædificationum sumptus tradere noluisset: sed satius esse dixisset, pauperum ægrotantiũ corpora, tanquã templa Dei ueriora, propter quorum curationẽ collatæ fuissent pecuniæ, cõpetenti cura recreare, quàm parietes ac muros exornare. Recitat hanc causam ex Palladio, discipulo Theophili, etiã Antoninus titulo decimo, capite nono.

DE SCHISMATE INTER THEOPHILUM, *& monachos Dioscorum & Ammonium, cum secum sentientibus.*

Priuatus hoc modo à Theophilo cõmunione Isidorus ad monachos in Scethim sorcios abijt, Dioscorũ scilicet, Ammoniũ, Eusebium & Euthymium, qui fratres erant germani, ac propter decentẽ corporum proceritatem Longi dicebantur, quosq; charissimos prius Theophilus habuerat, adeò etiã ut ex illis Dioscorum episcopum Hermopolitanum fecerit, reliquos uerò quanquã inuitos in contubernio suo aliquandiu habuerit. Qui uerò solitaria uita & religione magis delectati, tum uerò mores & parum probatam Theophili uitam (usurarius enim erat) detestati, ab eo in solitudinem discesserant. Illi igitur cum Isidoro Alexandriam profecti, à Theophilo petũt, ut communionẽ Isidoro reddat. promittit ille blandè primùm, se, quod peterent, promptè facturum: sed postea fallit. Redeunt eò monachi post aliquod tempus, & impensius urgent promissam communionem: uerùm tantum abest ut eam redderet Theophilus, ut ex monachis illis quendam etiam publicæ traderet custodiæ. Quæ res Ammonium cum suis adeò mouit, ut cum omnibus monachis suis Alexandriam uenerit, atque apud præfectos custodiæ effecerit, ut introductus ipse quoque cum suis sit: cum significasset ad hoc se uenisse, ut inclusis necessaria exhiberent. Hac re cognita, Theophilus uiros eos ad se uocat: sed qui primùm postulant, ut ueniens ipse eos educat: iniquum enim esse, respondentes, publica affectos ignominiã, clanculum è custodia dimittere. Tandem uerò consentientes, ad eum ueniunt: & inita reconciliatione, sed quam simulabat Theophilus, dimittuntur. ex eo enim, quo pacto affligere eos, & quietem eorum saltem perturbare, cum rebus alijs incommodare illis minimè posset, astutè cogitauit: hac fraudis methodo usus, qua & motus superiores, ut diximus, de Dei figura denuò susciauit, & perturbationis ac seditionis plurimùm monachis per Aegyptum conciliauit. Sciebat Ammonium, Dioscorum (quem præ cæteris odio prosequebatur) & reliquos illis coniunctos, de Deo rectè sentire, quòd incorporeus esset, ac nequaquam antropomorphus. nam & sic Theophilus sensit. Sed quemadmodum antea coram monachis Anthropomorphitis sic se sentire fraudulenter negauerat, ut periculum suum euaderat: ita & hic, ut quibus succensebat, pericula & interitum pararet, in Antropomorphitarum se esse sententia perfidè & flagitiosè simulauit. Nactus enim homines simplices, & prorsus illiteratos, eos ad religiosos in solitudinem misit: ac significare iussit, Dioscorum & Ammonium cum suis impiè sentire, Deum esse incorporeum, & nec oculos, nec aures, nec pedes, nec manus habere: quæ omnia tamen Deo Scriptura tribueret. ne igitur sic sentientibus acquiescerent. Hæc res schisma & separationem inter monachos Aegyptios periculosissimam peperit, & seditionem adeò & bellum irreconciliabile excitauit, cum qui Deum anthropomorphum esse sentirent, numero plures essent, atque

zelo acri (ut homines simplices) accensi, damnari suam sententiam à contraria parte, quæ cum Dioscoro faceret, impatientius & uiolentius ferrent: eosque qui à Theophilo dissentiebant, per contentionem Origenistas & impios: hi uerò cum Theophilo facientes, Anthropomorphianos dicerent. Socrates libro sexto, capite septimo: Sozomenus lib. 8. capite duodecimo.

SCHISMA INTER IOANNEM & *Theophilum.*

Ioanni Constantinopolitano Theophilus Alexandrinus perpetuus fuisse uidetur inimicus & aduersarius, quanquam causæ non omnes explicantur. Cum enim ordinationis collatio primùm penes ipsum esset, seu ex consuetudine, seu ob loci celebritatem & autoritatem, uel proximorum episcoporum consensum, uel quocunque denique modo: non nisi minis, ut eam conferret, adigi poterat: quòd Isidorum presbyterum obsequio quodam sibi deuinctum, episcopum Constantinopolitanum cõstituere maluisset. Deinde, cum monachos Dioscorum & Ammonium cum familia sua, ob animaduersas Theophili insidias Constantinopolim profectus, receptos humaniter à Ioãne, atq; ad preces communes admissos intellexisset: palàm ei inimicꝰ cœpit esse Theophilus, atque in occasionem aliquam incũbere, qua deponere eum episcopatu posset. Socrates lib. 6. cap. secundo & nono: Sozomenus libro octauo, cap. 13.

SCHISMA INTER IOANNEM & *Epiphanium.*

Consilio & conatu Ioãni nocendi, Theophilus Epiphanium etiam Cypri episcopũ, cui antea tamen propter religionem aduersatus fuerat, sibi adiunxit, & à Ioanne distraxit. Cùm enim adhortationibus Theophili ad synodũ Constantinopolim, propter dãnationem librorum Origenis, uenisset Epiphanius, inuitatus humaniter à Ioanne, diuertere ad eum noluit. Quin & in æde uicina Constantinopoli synaxin celebrauit, Ioãne inscio, & diaconum ordinauit. Postea in separato diuersorio uocatis ad se qui aliunde aduenerãt episcopis, damnationem Origenis instituit. Tulit hæc omnia moderatè Ioannes: & hortatus porrò est, ut in ædibus episcopalibus secum uiueret. Sed negauit & cõuersaturum ei, & oraturum cum ipso in Theophili gratiam, Epiphanius, nisi Dioscorum urbe prius eiecisset, & condemnationi librorũ Origenis subscripsisset. Negare & hoc se facturũ Ioãnes, atq; affirmare, non debere tamen aliquid ante cognitionem catholicæ synodi tentari. Suggerunt post hæc consilium aliud Epiphanio Ioannis aduersarij: ut in Synaxi nimirum quę celebranda aderat, in Ecclesia corã multitudine Origenis libros accusaret, Dioscorũ cum suis abdicaret, Ioannemq;, tanquam illis fauentem proscinderet.

Certior istorum omnium Ioannes factus, postero die, cum ad Ecclesiam accederet, executurus quæ, qui Ioanni infensi erant, sen serant, per Serapionem ei Ioannes ista significat: Præter canones, ô Epiphani, multa facis. primùm, quòd in Ecclesijs mihi subiectis ordinasti: deinde, quòd sine meo iussu in illis publicum sacrorum munus, propria usus autoritate, obiuisti. Denique ultrò à me inuitatus, recusasti: & iam eadem quæ prius tibi sumis? Caue itaque, ne excitato in populo tumultu, illius & ipse periculo inuoluaris.

Addit Sozomenus, uenisse tum ad Epiphanium eos etiam qui cum Ammonio fuerint, cumque eo multis expostulasse: quamorbem causa indicta, ex auditu solo discipulos eorum condemnasset: cum & libros suos ipsi legissent, & hæreseos insimulatum ut patrem reuerenter defendissent?

Quibus intellectis, Epiphanius ab Ecclesia discessit, & in Ioannem multa questus, in Cyprum abnauigauit, cum nauim ascensurus ad eos qui se ad mare comitati fuerant dixisset: Relinquo uobis urbem istam, & palatium, & hypocrisim: ego uerò properans abeo.

Aiunt & Ioanni Epiphanium prædixisse: Sperare se, nõ moriturum eum episcopum. Ioannem uerò contrà renunciasse: Sperare se, non ingressurum in patriam suam Epiphanium. Respondit ita certè euentus. Epiphanius enim, priusquam Cyprum attigisset, in naui mortuus est: Ioannes uerò paulo etiam pòst, episcopatu suo priuatus est. Socrates libro sexto, capite duodecimo, & 14: Sozomenus lib. 8. capite 13. 14. & 15.

SCHISMA INTER EPIPHANIUM & *Theotimum episcopum, aliosq; damnationi Origenis subscribere nolentes.*

Cum in separato quodam, ut diximus, conuentu, Origenis librorum legisset condemnationem Epiphanius, multi non consenserunt. Ex quibus Theotimus Scythię episcopus, satis se opposuit Ephiphanio acriter: Ego, inquit, ô Ephiphani, nec eum qui iam olim bene obdormiuit, contumelia afficere uolo: nec ita possum esse blasphemus, ut reprobem, quæ maiores nostri non reprobarunt. Socrates libro sexto, capite duodecimo: Sozomenus lib. 8. cap. 4.

DISSIDIVM INTER EVDOXIAM *Augustam & Ioannem.*

Post Epiphanij discessum, Ioannes in cõcione quadam Ecclesiastica, generali sermone mu-

ne mulieres omnes perstrinxit. Quod quo fecerit consilio aut occasione, incertum est: populus uerò ita accepit, quasi contra Imperatoris coniugem, quam suspicatus sit Ioannes contra se Epiphaniũ incitasse, eam conuicionem habuerit. Quam etiam aduersarij Ioannis exceptam, Augustæ obtulerunt. Illa uerò in sui contumeliam, quæ à Ioanne dicta fuissent, composita esse, apud Imperatorem grauiter conquesta est: tantumq; effecit, ut synodus paulo pòst contra Ioannem congregata sit, de qua suo loco. Socrates libro sexto, cap. decimoquinto: Sozomenus lib. 8, cap. decimosexto.

SEPARATIO ET DISCESSIO *ab Ecclesia, eorum qui Ioanni adhærebant.*

Post Ioannis uocationem, & exilium abiti, presbyteri, alijq; ex ordine sacerdotij, Imperatore sibi renunciatum, episcopi mulnàq; cum illis qui Ioanni adhærebant, ipso sedie Paschatis ab Ecclesia separant: & in thermis Constantinianis, qui locus fuit amplissimus, congregantur, & Pascha celebrant: exinde uerò in diuersis locis conuentus seorsim faciũt, Ioãnitas sese & ipsi dicentes, & sic uocari sustinentes. Socrates libro sexto, capite decimooctauo: Sozomenus libro octauo, capite uigesimoprimo.

SCHISMA INTER EVROPAEOS *& Orientales, damnationis & exilij Ioannis autores.*

Cum Orientalium episcoporum in synodo altera, ab Eudoxia contra Ioannem conuocata, calumnijs persuasus Imperator, Ioannem in exilium duci iussisset, rei indignitatem molestè ferentes episcopi Europæ, & per Illyricum omne, ab autorum condemnationis & exilij Ioannis communione se separarunt. Eodemq; Comanis defuncto, non prius coniunctionem Orientalium & Aegyptiorum, itemque Bosphori ac Thraciæ episcoporum administrare Occidẽtales uolebant, quàm admirabilis uiri illius nomen in Catalogum reliquorum defunctorum episcoporum ascriptissent: Arsacium quidẽ, qui proximus illi datus successor fuerat, necompellatione quidem dignati. Atticum uerò successorem Arsacij, post multas legationes & petitiones pacis, tandem recipientes, cum Ioannis nomen ille reliquis adscripsisset. Theodoretus libro quinto, capite trigesimoquarto.

DE SCHISMATIBVS SVB Honorio & Theodosio.

MOTVS ALEXANDRIAE *super electione episcopi post obitum Theophili.*

DEfuncto Theophilo Alexandrino episcopo, super electione successoris orta disceptatio est, alijs Timotheum archidiaconum, alijs Cyrillum Theophili ex sorore nepotem, collocare in sedem conantibus: quæ in seditionem tandem populi desijt, iuuante Timothei partes Abũdatio militaris ordinis duce. Sedata est autem, cum tertio pòst quàm ex uiuis Theophilus excesserat, die, episcopatum Cyrillus obtinuisset, consulatu Honorij nono, & Theodosij quinto, sub annum Christi quadringẽtesimum sextum.

MOTVS IN ECCLESIA CONstantinopolitana, *super electione episcopi, post Attici obitum.*

Non caruit turbis disceptatio de successore in episcopatu subrogando, Attico mortuo Constantinopoli, episcopatus sui anno uigesimoprimo, decima Octobris, cõsulatu Theodosij undecimo, & Valentiniani primo: anno secundum Marianũ quadringentesimo sexto, iuxta alios quadringentesimo nono: cum episcopum creandum contenderent Philippum Sidicem presbyterum: alij Proclum, item presbyterum: populus uerò cõmunibus suffragijs Sisinnij expeteret ac tutaretur electionem, quam & obtinuit. Socrates libro secundo, cap. 26.

SCHISMA ET PERTVRBATIO, *ob Anastasij presbyteri & Nestorij de Deipera sententiam.*

Dixerat aliquando docens in ecclesia Anastasius, Nestorij presbyter, anno altero (ut uidetur) episcopatus Nestorij: Non esse nominandam Mariam Deiperam, ideo quòd homo Maria fuisset, Deum uerò ex homine nasci impossibile esse. Peperit hæc non satis considerata sententia, perturbationem non mediocrem & clero & populo Constãtinopolitano: quòd confirmatam Scripturæ sacrę testimonijs hanc profiterentur fidem, Deum scilicet esse Christũ, propter humanæ naturæ susceptionẽ nequaquã à diuinitate separatum. Erupit perturbatio ea postea in schisma turbulentum, cum sententiã Anastasij Nestorius cõtentiosius defendens, uocem hanc Deiperæ prorsus reijceret. Quæ res quas alias turbas dederit, & quanto uix negocio disputatio illa sopita sit, infrà in capite de Synodis exponetur. Socrates lib. 7. cap. trigesimosecundo.

SCHISMA INTER NESTORII *factionem, & Cyrillum ac Memnonem Ephesinum.*

Posteaquam in synodũ uocatus à Cyrillo, ijsq; qui partes eius sectabantur, Nestorius, uenire recusasset: synodus uerò relictis eius sæpiusculè homilijs, quas de controuersia, utrum Deipera dicenda sit Maria, habuerat, cum blasphemias eius in filium Dei deprehendisset,

hendisset, eum deposuit. Ipse rursus congregato suorum concilio, Cyrillum & Memnonem Ephesi episcopum deposuit. Socrates libro septimo, cap. 34.

SCHISMA INTER CYRILLUM & Ioannem Antiochenum.

Venit interea ad synodum Ioannes Antiochenus episcopus, à Nestorio diu expectat⁹ ut cuius præsidio solius fretus, cõtentiosius in synodo omnia egerat. Is Cyrillo indignatus, quòd non expectasset reliquorum ad synodum pertinentiũ episcoporum accessum, sed ausus fuisset Nestorium deponere: eum cum Memnone Ephesino excõmunicauit, quemadmodũ in Breuiario suo Liberatus retulit capite sexto: aut depositionem Cyrilli potius à Nestorio factã autoritate sua confirmauit. Rursus igitur Cyrillus cum Iuuenale Hierosolymorum episcopo, etiam Ioannem deposuit. Ioannes ediuersò Antiochiam reuersus, coactis multis episcopis Cyrillum deposuit, cum & is Alexandriã iã redijsset. Sed non multo pòst in gratiam cum Cyrillo Ioannes redijt, posteaquã fidei Ioannis formulæ Alexandriã per Paulũ Emisenũ episcopum allatæ, Cyrillus nihil repugnans consensisset. Socrates ibidẽ: Liberatus Breuiarij capite septimo: Tomo secundo Conciliorum. Extat de ea transactione & cõsensu inter Cyrillum & Ioannẽ epistola Cyrilli, inscripta De pace, in tomo primo Conciliorum, pag. 761. cuius initium est, Exultent cæli, & lætetur terra, &c. Ibas episcopus Edessenus in epistola ad Marĩ Persam, tomo primo Conciliorum, pag. 907.

COMPOSITIO SCHISMATIS Ioannitarum.

Ostensum suprà est, quomodo post Ioannis Constantinopolitani episcopi depositionem multitudo quæ adhærerat, conuentus seorsim fecerit, ecclesia deserta. Conatus eã diuisionem emendare Atticus, secundus à Ioãne post Arsacium episcopus, memoriam Ioannis in precationibus, quibus & aliorũ laudatorũ episcoporũ fuerat recordatio, colere instituit, uisus sibi eo facto ad Ecclesiam cõplures ex illis qui separatim conuenirent reduci posse. Sed conciliatio eo pacto nulla tum quidẽ effecta uidetur. Proclus aũt, qui post Maximianũ Nestorij successorẽ, episcopatum Constantinopoli obtinuit, maiori usus prudentia, corpus Ioannis Comanis sepultũ, multoq; honore delatũ in ecclesiã Apostolorũ condidit: atq; hoc modo separatos ab Ecclesia propter iniurias Ioãni factas ad eius consensum reduxit, anno post depositionem Ioannis trigesimoquinto, consulatu Theodosij decimosexto, uicesimaseptima Ianuarij. Socrates libro septimo, cap. uigesimoquinto, & quadragesimoquinto.

DE SCHISMATE IN SYNODO Ephesina, & diuisione populi post depositionem Nestorij.

In synodo Ephesi ab Imperatore contra Nestorium sub consulatu Basi & Antiochi anno Christi (iuxta Marianum) quadringẽtesimo trigesimosecundo, episcopi in duas partes separati sunt, eorum scilicet qui cum Cyrillo Nestorij hæresin impugnabant, & qui cũ Nestorio cõspirabant. Synodi porrò sententia, cum ob contentionẽ triuolá depositus Nestori⁹ fuisset, grauis per ecclesias Constantinopoli perturbatio & diuisio populi oborta est. Quæ mala omnia significata fuisse (ut & hoc moneamus) rectè existimatum fuit, facto seruorum, qui barbari domini seruitium experti, Constantinopoli in templum confugerunt, gladijsq; euaginatis ad ipsum altare prosilierunt: à quo nullo pacto depelli potuere, gladijs exertis à se repellentes quicunq; propius accessissent. Postquam autem ex clericis quendã interemissent, aliumq; uulnerassent, tandem sibi ipsis quoq; uiolentas manus intulere. Socrates libro septimo, capite trigesimotertio & trigesimoquarto.

DISCEPTATIO CIRCA RELATIONEM successoris Nestorij.

Certatũ rursus fuit, cum in Nestorij depositi locum episcopus alius eligendus esset, multis Philippũ presbyterũ successorẽ expetẽtibus, plurib. uerò Proclũ: cui sanè electio cõtigisset, nisi potentiũ nõnulli obstitissent, qui canone Ecclesiastico prohiberi affirmabant, ne quis episcopus ab Ecclesia sua ad aliam ciuitatẽ transferretur. Fuerat aũt Proclus Cyzicenorũ episcopus à Sisinio ordinatus, quanquã à Cyzicenis non receptus. Cum igitur illi acqescere multitudo coacta, ad concordiam redijt. Socrates lib. 7. cap. 35.

SCHISMA INTER EPISCOPOS, qui secundæ Ephesinæ synodo interfuerunt.

Soluta synodo secunda Ephesi celebrata, inter episcopos diuersarũ regionum diuisio ingẽs exorta est, cuius simile antea nunquã cõtigerat. Aegyptij enim, Thraces & Palæstini episcopi, Dioscorũ Alexandrinũ episcopum secuti sunt: Orientales autem, Pontici scilicet & Asiatici, Flauianum Constantinopolitanum: durauitq; schisma illud ad obitum usq; Theodosij. Liberatus Breuiarij capite duodecimo.

SCHISMA CIRCA ELECTIONEM Bonifacij Romani episcopi.

Zozimo mortuo, anno Christi (secundũ Marianum) quadringentesimo decimonono, consulatu Honorij 12. & Theodosij octauo, circa electionem successoris schisma exortum est, & duo simul episcopi ordinati, Bonifa-

Bonifacius scilicet,& Eulalius. Durauit tum in clero Romano dissidium mensibus septẽ, & diebus uigintiquinque. Autoritate uerò Imperatorum Honorij ac Theodosij intercedente, urbe pulsus uterq; est. Cum superlustriori in basilica Constantiniana fretus, uenisset Pascha, Eulalius ordinatione sua ilurbẽ ingressus baptizauit,& Pascha celebrauit. Idem uerò extra urbem Bonifacius egit. Imperatorum igitur mandato rursus expulsus Eulalius est, & à Synodo ducentorum quinquagintaduorum episcoporum simul depositus. At Bonifacius reuocatus, & episcopus designatus est. Posteaquam tribus in episcopatu exactis annis mortem obijsset, Eulalius de cleri consilio reuocatus, in urbem redire noluit: & post annum in ciuitate Nepesina, cuius factus fuerat episcopus, mortuus est. Damasus in libro Pontificali de Bonifacio, tomo primo Conciliorum.

DE SCHISMATIBVS SVB Marciano.

SCHISMA ALEXANDRINVM *ob ordinationem Proterij.*

Dioscorum Alexandrinũ episcopũ, synodus Chalcedonẽsis cõgregata sub consulatu Valentiniani septimo, & Auieni, anno Christi (iuxta Marianum) quadringentesimo quinquagesimoprimo, exilio damnauit, & in locũ eius Proterium substituit: quę res in seditionem populi, & nocentissimos motus ac pericula euasit, cum Dioscorum alij repeterent, alij sese Proterio cõiungerent, cui hęc ipsa ordinatio grauissima tẽdem fuit pernicies. In odio enim fuit aduersariorũ ppetuo, & pericula multa passus est, adeò ut & militari pro custodia opus habere auxilio. Schismatis autem eius occasione populus etiã cõtra magistratũ tumultuatus est, sed magno sui cum periculo. Repressus enim, & supplicio affectus est, tum ab Eparcho Thedæorũ, tum ab Imperatore, qui missos Alexandriã bis mille milites, in uxores & filias Alexandrinorũ atrociter sæuire passus est. Tandem per Florum militarium ordinum ducem, hæc mala paulisper sedata sunt. Euagrius libro 2. capite 5: Liberatus Breuiarij capite 15.

DE SCHISMATIBVS sub Leone.

SCHISMA INTER PROTERIVM, *Timotheum Aelurum, & Petrum Moggum.*

PRoterio ordinato, separauerunt se ab Ecclesia Timotheus quidã cognomento Aelurus, & Petrus Mogg⁹ diaconus, quorum utrumq; ordinauerat Dioscorus, Proterio cõmunicare nolentes. Quos cum Proterius ad officium reuocare à dissensione non posset, damnauit, Liberatus ibidem.

Motus ob ordinationem Timothei.

Effecit igitur Timothe⁹, ut à collectis hęreticorum turbis, & episcopis à synodo depositis, qui Dioscorum sequebantur, episcopus ordinaretur: quẽ Theodorus Lector libro secũdo Collectaneorum scribit, antequam ordinaretur, nigra indutum uestę, in cellis Monachorum noctu oberrasse, & unũquenq; monachum ex nomine uocasse: ascultantibus uerò postea dixisse, se unum ex spiritib. esse ministratorijs, ad hoc missum, ut cunctis ediceret, ne cum Proterio cõmunicarent, sed Timotheum Aelurum episcopum designarẽt. Ordinationem igitur eam Proterij (quam & Alexandrinos, homines naturà seditiosos, adiuuisse Euagrius tradidit) confestim turbę in Ecclesia & tumultuationes secutæ sunt. Mortuus interea Marcianus imperator est. Quam mutationem, suam, qui Timotheũ sequebantur, opportunitatem interpretati, Alexandriã abierunt: ac Proterium cõclusum in templũ, in quod se præ metu receperat, crudelissimè interfecerunt, laniarunt, tractum per ciuitatem corpus igne exusserũt, & cineres eius in uentos dissiparunt. Ab isto deinde tempore duo simul episcopi cœperunt esse Alexandriæ. Liberatus ibidem: Euagrius libro 2. capite 8. Accidit illud Leone imperãte, circa annum Christi 465.

DE SCHISMATIBVS SVB Zenone.

DISSIDIVM INTER MONACHOS *Aegyptios, & Petrum episcopum Alexandrinum.*

EX epistola Petri Alexandrini episcopi ad Acacium Constantinopolitanũ, animaduerti potest, monachos Aegyptios dissidio à Petro Alexandrino episcopo separatos fuisse, ob duas causas: tum quòd reliquas Timothei archiepiscopi in alium locum transtulerat, tum quòd anathemate synodũ Chalcedonẽsem iugulasset, sed quam culpã à se Petrus Acacio le excusans remouet: & confirmasse se synodũ Chalcedonensem, nõ damnasse testatur. Euagrius lib. 3. cap. 17.

SCHISMA INTER ACACIVM *Constantinopolitanum & Ioannem Alexandrinum.*

Ioannes quidã, quem Liberatus Talaidã uocat, Alexandrinũ affectauerat per ambitionẽ episcopatũ. Quo in conatu ab Imperatore Zenone deprehẽsus, iuramentũ dare coactus est, se Alexãdrinã nunquã ambiturũ sedẽ: à qua tamẽ, cũ mortuus esset Timothe⁹, sibi minimè tẽperauit, sed neglecto iuramento adortus, uerùm ab Imperatore urbe pulsꝰ est. Inde uerò inimicitias aduerꝰ Acaciũ Cõstantinopolitanũ episcopũ cepit, quẽ apud Simplicium episcopum Romanum detulit:

sed cui Acacius respondit, probare se Petri ordinationē, Ioannē uerò episcopū ignorare. Euagrius lib.3.cap.12:Liberatus cap.18.

SCHISMA INTER PETRVM EVNdem & Felicem episcopum Romanum, Vitalium item & Misnium episcopos.

Alienus fuit à Petro Felix Romanus episcopus, tanquā ab hæretico. Zenonē etiā literis solicitauit, ut eum quasi hæreticū pelleret. In quo ꝓposito Felicē confirmarūt multi ex episcopis ac clericis Aegyptiacis, maximè uerò Monachi, interq; eos Symeones. Missi aūt à Felice ad Zenonem Imperatorē episcopi Vitalius & Misnius, cōtra Petrum, persuasi (ut uidetur) ab Imperatore, Petrū & Nicenæ & Chalcedonēsi amicū ac sociū esse synodis, Petro cōmunicarant: propter quod & ipsi à synodo Romæ excōmunicati sunt. Euagrius lib. 3, cap.18. 20.21.

Ita igitur incremētum & uires tumultus sumpserunt Alexandriæ, cum Petr⁹ episcopis quibusdam & archimandritis persuasisset, ut secum cōmunicarent: ac tomum Leonis, acta synodi Chalcedonēsis, atq; eos qui syngrammata Dioscori & Timothei non reciperent, anathemate percussissent: Monachos uerò sedibus suis, si qui non consensissent, expulisset. Factus earum rerum certior Imperator Zenon, Cosmano satellitem mittit Alexandriam, qui minarum uehementia aduersus Petrum, tumultus seditionibus auxit: solū illud pacificatione sua consecutus, ut monachi pulsi sedes suas reciperent. Cæterùm nec missi ab Imperatore alij, ut Arsenius Aegypti ac militarium ordinum prǫfectus cum Nephalio, natas turbas pacare potuerunt: quæ in disceptationē tandē multā de synodo Chalcedonensi apud Zenonem Constantinopoli exierunt. Euagrius libro eodem, capite 22.

SCHISMA INTER SEDEM ROmanam & Constantinopolitanam.

Petri cōmunionē quia non deserebat Acacius Cōstantinopolitanus episcopus, in offensam Felicis Romani pontificis inuadit: qui ab instituto eum sæpius hortatus, cum separare se à Petro nollet, tandē pro hæretico condemnauit. Ac cum ne sic quidem Imperator, & ipsi & Petro patrocinatus, Constantinopolitana eum sede priuaret, separauit se sedes Romana à Cōstantinopolitana. Liberatus capite decimooctauo.

SCHISMA INTER ACACIVM & populum Constantinopolitanum, ac Basiliscum tyrannum.

Basiliscus frater Berniæ, sororis Leonis Imperatoris, contra Zenonē conspirans, Imperium sibi iniusta potentia sumpsit. Imperator igitur declaratus, orthodoxis statim, idem secum sentiente uxore sua Zenonide, molestus esse, ac fidē subuertere cœpit: facta libera potestate illis qui synodo Chalcedonensi aduersabantur, ut aduersus eam quicquid uellent aut possent, mouerent. Ipse uerò, etiam impellente Thimotheo, quem ab exilio reuocauit, ut Euagrius scribit, publico edicto reprobari illam præcepit. edicti exemplū apud Euagriū extat. Et Acacium utsit, ut idē secum faceret: sed quod ab eo non obtinuit. Ad Acacium igitur accedens tota ciuitas, incitata ab eo contra Basiliscum ut hæreticum, cum eo in templo cum uiris & mulieribus cōtra Basiliscum congregata est. Qui uerò populi incendium minitantis uehementiā ueritus, urbe excesit, relicto mādato Senatui, ne Acacio cōmunicarent populo tumultuanti. Daniel monachus cum Olympio ac cæteris monachis, multitudinis etiam parte, ad Imperatorem exiuit, eiq; magna cum libertate locutus, effecit ut cum Zenonide coniuge ecclesiam ingressus, Acacio se & clero & monachis purgarit, sediq; illius iura restituerit, atq; edicto alio priora abrogarit. Theodorus Lector libro primo: Euagrius libro tertio, capite quarto & 7.

FINIS SEPARATIONIS EVSTAchianorum à Meletianis Antiochiæ.

Calandion Antiochenus episcopus, impetratas à Zenone Imperatore Eustachij reliquias, è Philippis Macedonię, ubi in exilio ille mortuus fuerat, Antiochiā detulit: quæ maximo honore exceptæ sunt, tota siquidē ciuitas, & omnis ætas, ad decem & octo miliaria urbem in occursum illarū egressa est. Qui uerò ad id usq; temporis separati ac diuisi propter Eustachium fuerant, Ecclesiæ, post centum annos à morte illius, se coniunxere. Theodoretus Lector libro 2.

CAPVT IX.

DE SYNODIS.

SYNODI SVB ARcadio.

SYNODVS EPIPHANII in Cypro.

MEminerunt breuiter, & obscurè satis, Socrates & Sozomenus, aliquot synodorum ob damnationem librorum Origenis, paulo post initium Imperij Arcadij, anno nimirum sexto aut septimo, Christi uerò quadringentesimo tertio, aut quadringentesimo quarto: quarum omnium occasio fuit, Theophili Alexandrini in Dioscorum monachum & Ioannem episcopū Constantinopolitanum odium. Dioscoro enim Theophilus uehementis animi lite succensebat, quòd Isidoro, cui propter testimoniū contra se latum, sicut suo loco retulimus, infensus erat, adhærebat: Ioanni uerò eam ob causam aduersabatur, & per omnem de-

inceps

inceps uitã eum exagitabat, quòd Isidorum, qui cũ Dioscorianis Cõstantinopolim uenerat, accusandi iniusticię & insidiarũ causa Iannẽ apud Imperatorẽ & episcopũ, amanter accepisset, & à cõmunicatione precũ nõ excluisset. Cõcepto igitur pertinaci cõtra Isidorũ, Dioscorũ & Ioannẽ odio, propositoq; persequẽdi, maximè uerò Ioannẽ, quẽ ut ab Ecclesia sua exigeret, ab eo die omnẽ contra eũ lapidẽ mouẽs Theophil⁹ machinabatur: epistolas ad episcopos per ciuitates misit, astutè quid ageret dissimulans, & libros Origenis ut explodendos & damnandos accusans. Idipsum uerò quamobrẽ materiã lusus sui petulantis in Ioannẽ sibi sumpserit, à scriptoribus satis clarè nusquam exprimitur. Si propter errores id fecit Origenis, crassos & multiplices, ac modis omnib. dignos ut explodantur: causę satis habuisse uidetur condemnandi illa, quæ superioribus etiã ætatibus damnata erant. At fieri potest, ut omnibus temporibus fuerint aliquot errorũ Origenis defensores. Sed in speciẽ duntaxat accusatos à Theophilo Origenis fuisse libros, Socrates planè testatur: quin & alienũ mini mè ab eorum librorũ lectione Theophilum ipsum fuisse, alicubi indicat. Inuidiã igitur Ioanni, quem fortasis delectari Origenis lectione nouerat, etiã ipsa accusatione mouere studuisse eum, non est dubium.

Ab Epiphanio aũt prius dissentiens, quòd cũ Anthropomorphitis sentire eum suspicaretur, cum eo in gratiã subitò redit: eiq; persuadet, ut in synodo Cypria damnationem eandem diuulget. Epiphanius igitur literis Theophili seductus, synodũ in Cypro non coegit modò, & libros Origenis damnauit: uerùm ad Ioannẽ etiam Constantinopolitanum, ut idem faceret, ipse scripsit. Socrates lib. 6. cap. 10: Sozomenus lib. 8. cap. 4

SYNODVS ALEXANDRINA *contra Origenem.*

POsteaquã eam in Origenis libros fabulam Epiphanius, pietatis atq; autoritatis nomine celebris apud omnes, in Theophili gratiam lusisset prior, euentũ eum cum successu gratulatus sibi Theophilus, cõuentus & iple frequentes habuit Alexandriæ, in quib. confidenter Origenis libros accusauit & damnauit, qui ante annos ducentos ferè mortuus fuerat. Socrates: Sozomenus ibidẽ.

CONSTANTINOPOLITANA *Synodus contra Ioannem.*

HÆc omnia, quæ prętextu damnãdorũ librorũ Origenis Theophilus agebat, quemadmodũ in eum directa esse scopum, quo causa aliqua depositionis Ioãni intentaretur, facilè illi qui animos à Ioãne iampridem alienos cõceperant (inter quos ex proceribus aulę, quos liberius Ioãnes reprehẽderat, fuêre nõ pauci) ex clero ité nonnulli, qui disciplinã seueriorẽq; Ioannis gubernationẽ ægrè (ut fit) ferebãt, intellexerunt: ita & operas suas ad eam rem, ut insidiæ Ioãni pararentur, studiosè contulerunt, synodũq; maximã Constantinopolim conuocari cùm literis, tum internũcijs procurarũt. Vrsit eam occasionẽ, ut instituto suo ualde accõmodatam, Theophilus ipse quoq;, & episcopos Aegyptios cõtinuò adnauigare Cõstantinopolim, pro autoritate & iure suo iussit. Scripsit & Epiphanio atq; Oriẽtalibus reliquis, ut eõdem sese properè reciperent. Ipse uerò profectus eò pedes est.

In Synodũ postquã cõuentũ fuit, Epiphanius in consessu episcoporũ, in quẽ Ioannes (tametsi honorificè, obuiã nimirũ misso toto clero Epiphaniũ exceperat) accersitus nõ fuit, decretũ condemnationis librorũ Origenis recitauit: atq; alijs quidẽ ut subscriberẽt persuasit, alios uerò in sententiã suã ptrahere minimè ualuit. ex quib⁹, uti dixim⁹, Theotimus Scythiæ fuit episcopus: qui Origenis cõdemnationi adeò non cõsensit, ut Epiphaniũ, accusationẽ Origenis urgentẽ, liberius etiã obiurgarit. Ioãnes uerò subscribere iũssus, adduci eò nõ potuit: ut qui respõderet, Nõ esse temerè quicquã ante Catholicã cognitionẽ in quẽquã suscipiendũ. Instructus postea à Ioannis aduersarijs Epiphanius, ut templũ ingressus, corã omni populo Origenis libros accusaret, & Ioannẽ tanquã eorũ defensorẽ ꝓscinderet: ab Ioãne nõ ꝓhibitus quidẽ, sed periculi ex eo, si tentasset, in se redundaturi admonitus est. Quã ob rem indignatus Epiphanius, post querelas multas in Ioannẽ, in Cyprũ redijt. Socrates lib. 6. cap. 12. & 14: Sozomenus lib. 8. cap. 14.

CHALCEDONENSIS SEV CONstantinopoltiana *contra eundem.*

ANno eodẽ, seu proximo certè pòst, synodus alia cõtra Ioãnẽ indicitur Chalcedoni Bithynię, quemadmodũ Socrates & Sozomenus indicant: ubi tamẽ conuenisse, & substitisse aliquãdiu episcopos, postea uerò Cõstantinopolim traiecisse, ijdẽ ꝓspicuè ostendunt. Sita enim contra Cõstantinopolim Chalcedõ, ab ea, interflua Bosphori parte, septẽ stadiorũ spacio diuisa est. Sed & inde rurs⁹, è Cõstãtinopoli scilicet, Theophilũ cũ synodo secessisse in suburbiũ Chalcedõis, Quercũ dictũ, Sozomenus retulit. Eius porrò synodi quę occasio fuerit, etiã in Schismatibus meminimus: accusatio nimirũ Eudoxiæ Imperatricis, quasi cõcione acri & uehementi in sexũ muliebrẽ Ioãnes cõtumeliam sibi feciſſet. sese enim ea reprehensione propriè impetitã ab eo esse, tum alij ad eam retulerant, tum ipsã concionis exemplo lecto suspicabatur. Reuera autem tum hæc, tum

alia, quæ

alia, quæ in Ioannẽ rabioſè egit, ex indignatione illa permanabant, quòd templũ ingredi à Ioanne Eudoxia ꝓhibita fuerat, quemadmodũ Georgius narrat: & quòd Iezabelis eam referre perſonã dixerat. Obtinet igitur ab Imperatore (ad cuius infamiã, ſuã ſpectare dicebat contumeliã) ut negociũ cõmittatur Theophilo, de ſynodo conuocanda. Qui opera ad eam rem uſus Seueriani Gabalenſis, Ioanni poſt reconciliationẽ (de qua ſuo loco diximus) adhuc etiã infenſi, cũ quo & in Ioannis pernicie coniurauit, ſynodũ conuocat Chalcedoni, cogens ad eam ꝓſuaſionibus partim & autoritate ꝓpria, partim Imperatorijs edictis, plurimarũ ciuitatũ epiſcopos, & prẽſtantiſsimos quidem ex Aegypto atq; India: confluentibus ad eam interim etiam illis qui à Ioãne, alij quidẽ alias ob cauſas, erãt alieni: atq; illis maximè, quos, cũ in Aſiam Ioannes aliquando, inſpectionis Eccleſiarum cauſa ueniſſet, certas ibi propter culpas depoſuerat.

Synodus poſteaquã conſedit, ſeu Cõſtantinopoli, in domo quadã Auguſtorũ, Plaudiana dicta, ut Socrates: ſeu ad Quercum, in æde magna apoſtolica Petri & Pauli, ut Sozomenus narrat, Imperatore præſente, qui in conciliũ uel nolens pertractus erat, diuerſæ in Ioannẽ illicò prolatæ ac tractatæ accuſationes ſunt (ut quòd Origeniſtis cõmunicaſſet: quòd ſedecim in Aſia epiſcopos præterius depoſuiſſet, cũ ſex tantũ ſubmouiſſet, eosq; legitimè: item quòd non eſſet purus à conſortio mulierũ: quæ omnia Palladius affirmat eſſe falſa) nulla tum librorũ Origenis facta mentione. Fuit autẽ inter accuſatores uehementior Cyrinus Chalcedonenſis epiſcopus, ſynodi (ut uidetur) cum Theophilo præſes, qui Ioannem impiũ, arrogantem & præfractũ criminabatur. Accuſantur autem cum eo ſimul etiã Serapion diaconꝰ, Tigris eunuchus presbyter, & Paulus lector. quanq; nõ accuſatos, ſed à ſynodo adeò reqſitos eſſe hos tres, q; Ioãnẽ inſimulaſſent, Georgius tradidit Alexãdrinus in uita Chryſoſtomi.

Interea uerò dum in conciliabulo ſuo, ex uolũtate Eudoxiæ (à qua omnes illi qui cũ Theophilo erant, promiſſis ampliſsimis inescati, & muneribus corrupti erãt) de Ioãnis abdicatione cõſilia ſcelerata conferũt: ſed & Ioãnes in triclinio domiꝰ epiſcopalis, habẽs ſecum quadraginta alios epiſcopos, quibus ſolicitè cogitantibus, quã nam ratione Ioãnes, reus iam à Theophili factione peractus, ac prẽiudicio damnatus, ſiſtere ſeſe ſine periculo poſſet, ad crimina obiecta reſponſurus: dubitantibus etiã nonnihil de ipſius ſalute, Ioãnes animo cõfirmato à Spiritu ſancto dixit: Oremus fratres, quòd ſi Chriſtum amatis, ne quis ueſtrũm meæ huius afflictionis cauſa ab Eccleſia ſua deſciſcat. Ego enim iã delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtar, iuxta beatum Paulũ, uti uideo, tot iam exacerbatis afflictionibus hæc mihi relinquẽda eſt uita. Noui planè quàm adornarit ſatanas aduerſum me calumnioſam actionẽ, quòd is infenſiſsimè oderit meos ſermones, quos aduerſum ipſum hactenus detorſi: ſed Dominus mei miſertus eſt, & uos mei memores in orationibus ueſtris eſtote. Ad hãc eius orationẽ, dũ dolentibus ac conterritis, quin & effuſè lachrimantibus conſolationes ꝓpixiori concione Ioannes adhiber, adſunt expiſcopi, cum Theophili ſeruo, qui ei ſynodi renũciationem legit, cuius hęc fuit forma: Sancta ſynodus ad Quercũ congregata, Ioãni: (epiſcopi enim nomen ſtudioſè ſuppreſſerant) Iuſsit, hoſce libellos ut exciperemus aduerſum te, innumera mala continentes. Itaq; illis perges obuius, ad obiecta repſonſurus, tecum adducens Serapionẽ & Tigrim presbyteros, & Paulum lectorem. eorum enim ꝓpręſentia opus fuerit.

Lectis tabellis, qui cum Ioanne erant epiſcopi, ei ſe conciliabulo opponunt, denunciantes Theophilo per Lupicinum, Demetrium & Elyſium epiſcopos, per Germanũ & Seuerum presbyteros, uiros utiq; ſanctos ac pios, dignos prorſus quorũ uerbis fides habeatur, in hanc ſententiã: Eccleſiæ adminiſtrationẽ & ſtatũ caue demoliaris, aut euertas: & ne ſcindas Eccleſiã, pro qua carnẽ aſſumere Deus uoluit. Siquidẽ intolerabile eſt, ꝙ ad nihilũ deducis Nicęnę ſynodi canones, à trecentis & octo ſupra decẽ ſanctis patribus, ijſdemq; epiſcopis ſancitos. Limites etiam tuæ diœceſeos prætergreſſus, ſententiã pronuncias aduerſum nos. Quin ad nos ipſe tranſi in bene inſtitutam ciuitatem: neq; inſtar Cain Abelem, in campũ nos inuites, ut & nos primi te audiamus. Habemus etiam aduerſum te libellos capitum ſeptuginta, apertas & nefarias actiones tuas continentes: pluresq; per Dei gratiam in unum collecti ſumus tua illa ſynodo, non ad euerſionem ſtatus Eccleſiæ, ſed pacẽ. Etenim tu ex una modò ꝓuincia trigeſimus ſextus extis nos aũt è diuerſis regionibus ac præfecturis quadraginta ſumus, inter quos ſunt & metropolitæ ſeptem. Tenor inſuper rationi conſentaneus, iuxta Canones dictat, minorum numerũ à pluribus, ijs q; diuerſarũ regionũ, debere iudicari. Habemus & epiſtolã tuam, per quam admones Ioannẽ coepiſcopũ noſtrũ, non oportere epiſcopos admittere aut excipere cauſas eorũ qui externi ſunt, à ſua cuiuſq; diœceſi. Quocirca perſuaſus legum Eccleſiaſticarum decretis obteſtatus eſt, & cõmonefecit tuos accuſatores, ut deſineret aduer-

aduersum te intendere iudiciariã actionem. Itaq; aduersus eum ne tu cogito concilium. Atq; hæc quidẽ illi qui cum Ioãne erant, responderũt. Ioãnes aũt ipse in hunc modũ rescripsit: Ego quidẽ, an aliquis dicere cõtra me possit aliquid, hactenus nescio. Quòd si quis mihi tamẽ quippiã obijciet, uultisq; ueniam, manifestos inimicos meos, quos mihi negligẽtia sua fecit infestos, è cõuentu uestro extrudite. Neq; iam de loco cõtendam, ubi me fisti conueniat, tametsi id maximè in ciuitate fieri oportuit. Sunt alioqui quorum dereſtor iudiciũ, ac defugio: Theophil⁹, quẽ Alexandriæ & in Lycia dixisse certũ est, En in comitatũ siue aulã Imperatoris pergo, de gradu deiecturus Ioãnnẽ. id aũt uerum esse, declarauit eius ad urbẽ aduẽtus. Neq; enim ex eo tum tẽpore me ullo dignatus est alloquio, nec ulla in re cõmunione nostra uti uoluit. Cũ igitur ante nostrã audientiã ea gesserit quę inimicorũ sunt, quid eum facturũ ſpe rem lata semel sententia? Nec secus coarguo Acacij, & eadẽ in causa perago reum per eadem iudices sunt, è confessu & concilio uestro pellite. Sin ut accusatores ipsi se sistant iudicio uestro, agnoscetis ipsi quanta cum constantia aliorũ iudicium laturus sim. Nec me reuera uenire uultis, hos quatuor, hquiad uestrã solùm dilectionem, sed ad omnem uniuersalem Synodum uenire paratus sum. Scitote igitur, quòd si decies milles ad me miseritis, nullum aliud à me responsum reportabitis.

Vocatus deinde secundò per quosdã, qui Ioãnis fuerant presbyteri, & ad Theophilũ defecerant, Eugeniũ & Isaacium, cum hac re nunciatione: Synodus tibi apertè denuncia quit, Tranſito ad nos, pro te respõsurus ad crimina aduersum te nobis tradita. per aliã respondit epistolã, & ad Oecumenicã synodũ prouocauit. Tum igitur ut contumax, qui à synodo sæpius accersitus, uenire noluisset, condemnatus ac depositus est, destinata ad Imperatorẽ cum libellis intentatæ actionis & condemnationis hac relatione: Quandoquidẽ Ioãnes criminũ quorundã accusatus, quia male sibi cõscius esset, accedere noluit, nec se iudicio sistere: leges aũt talẽ gradu deturbant, id q; sustinere cogitur: iubeat igitur uestra pietas, ipsum uel inuitum in exilium protrudi, pœnasq; luere pro expurgatione sui, & iustificatione, quandoquidem inquirere de capitis periculo illicitum est nobis. Imperator igitur, ut qui fidẽ facilius quàm par erat cõmunicasset obtrectationibus Ioannis aduersariorum (neq; enim dum uel auditu preceperat causas, quarum gratia ab eis insimulabatur: neq; ei obtulerat facultatem expurgandi se, ac respondẽdi pro se, ut ea refelleret, & falsi cõuinceret eos à quibus iudicialis actio intentata ei fuerat) iubet euestigiò propelli Ioãnem ab Ecclesia, misso ad id Comite, unà cũ subsidio militari. Quæ res posteaquam plebi Constantinopolitanę innotuit, uehemẽtes peperit tumultus. Totam siquidem noctem ducentes insomnem, nequaquã siuerũt Ioãnẽ ab Ecclesia abstrahi: palàm exclamantes, oportere iudicari eiusmodi causas in synodo frequentiori.

Iubet interea Imperator rem omnẽ perfici, & quàm ocyssimè in exilium ab Ecclesia Ioãnẽ abripi. Qui ubi resciuisset paulo pòst, clàm multitudine sese ultrò tradidit abducendum. Maior ibi igitur populi impatientia & turba orta est: pleriſq; ex illis qui Ioanni adhæserant, Imperatori ipsi ac synodo reclamantibus, & calumnioſas in Ioannem actiones Theophilo soli imputãtibus.

Auxit populi doloré & indignationẽ tum quoq; Seuerianus, in concionibus Ioãnem proscindẽs, ac iustè condemnatũ esse palàm dictitans, uel illam unam (si ex nulla alia) ob causam, quòd ingenio esset arroganti & superbo. Siquidẽ peccata omnia, inquit, hominibus condonantur: at superbis & arrogantibus Deus resistit, ueluti docẽt diuinę Scripturæ. Atq; hæc dum in Ioãnis contumeliã Seuerianus agit, Theophilus de exauctoratione Ioannis ad Innocentiũ Romanũ episcopũ mittit literas, quibus consensum eius uenabatur. Scribunt eodẽ tempore ad Innocentium etiam Ioannis amici, atq; inter eos quadraginta illi episcopi, mutua cõmunione Ioãni acquiescentes: quos & Ioanni, cum à Theophili conciliabulo euocaretur, adfuisse diximus. Innocentius Theophili iudicium, ut temerarium & insolens, improbat, & ad cõcordiã utramq; partẽ hortatur, Theophilo seorsim in eam sententiã scribens: Frater Theophile, te scimus ciuilẽ esse, & familiariter communicantẽ, perinde ac fratrem Ioannem. quare uoluntatem nostrã tibi uoluimus perspectam reddere, & manifestum, tenore priorũ literarum. Nũc itẽ nequaquã deflectentes ab illo tum proposito, easdem literas tibi scribimus, & quoties miseris: quia nisi dicens iudicium consequutum euestigiò fuerit, de eorum emendatione quæ abs te ioco & per ludibrium gesta sunt, admodum erit difficile, ut citra iustam rationẽ nos auocemus à cõmunione Ioannis. Quare si tu quidẽ tuo unius sensui istarũ arbitrio inniteris, fac ad nos conferas pedẽ: & huic quæ ad Christi gloriam celebratur synodo sistas teipsum, & occurras, ut detectis causis ibi loci canones Nicenæ synodi sancias, & con-

& confirmes tuo ipsius elogio. Non enim Romana ecclesia alium aut diuersum approbat Canonẽ, eum obseruás pro tutelari securitate, & cui nemo cõtrouertere debeat.

Sed Theophilus odio in Ioannem perpetuo ardens, alias subinde in eum machinationes cõminiscitur. Rapit in quæstionem, Heraclidæ Ephesij ordinationem, quem episcopũ Ephesijs Ioannes præfecerat: in quẽ absentẽ proponebat, esse quosdam ab eo iniustè cæsos, ac uinctos catenis per mediam Ephesiorum ciuitatem tractos. Hic dum Ioannis sectatores contendunt, in absentem non posse sententiam ferri: Alexandrini cõtrà, recipiendos esse Heraclidæ accusatores, instarent: orta ingens est seditio & concertatio inter utrosq;, in qua multi uulnerati, aliquot etiam occisi sunt. Quo territus spectaculo Theophilus, cum & alioqui in omnium hominum esset odio ac contemptu, relicta Constantinopoli, Alexandriam ocyssimè fugit. Quod & alij, qui secum eò uenerant, fecerunt: paucis ibi remanentibus, qui Ioanni se coniunxerant.

Admonitus interea Innocentij literis Imperator Honorius, de iniusta Ioannis damnatione, & Theophili gratificantis Eudoxię improbitate, cum & aliàs de doctrina & cõuersatione laudatissima Ioannis certior factus fuisset, per epistolam fratrem Arcadium reprehendit, quòd sanctum uirum de gradu suo tam indignè deijci passus fuisset: significans, malè eum auditurũ apud omnes, quòd iudicé tanti tamq; irreprehensibilis uiri cõstituisset talem hominem, qui præter canones multa fuisset ausus. Cõsternatus animo Arcadius, tandemq; persentiscens Ioannem per calumnias fuisse oppressum, ac præter omnem condemnatum æquitatem à Theophilo suaq; factione, rationem secum inire cœpit, quo nam modo reuocare eum ab exilio posset. Nam & terræmotu, qui nocte proxima, diẽ eum quo abductus Ioannes fuerat secuta, non leuiter tum ipse tum Imperatrix commoti fuerant: populusq; præter modũ omnem tumultuabatur & obstrepebat, fore ut, nisi Ecclesiæ suæ Ioannes redderetur, ciuitas tota corrueret. Ita igitur per Brisonem eunuchum Ioãnem reuocari iussit: qui eum consecutus Parneti, quod emporium est Bithyniæ, contra Nicomediam situm, Constantinopolim reduxit.

Cum autem reuersus Ioãnes in suburbio sese contineret, necdum ingredi urbem uellet, quòd causam suam in maiori iudicio discutiendam esse diceret: iterum indignata multitudo, primoribus maledixit, quasi opera eorum ingressus Ioanni in urbem præcluderetur. Intrare igitur Ioannes coactus est: quem magna cum reuerentia plebs in templum deduxit, & in sedem episcopalem collocauit, pacemq; pro more apprecari populo & docere coegit inuitum, ideo quòd se condemnatũ, mutata sententia, priusquã docendi munus denuò capesseret, absoluendum esse putaret. Socrates lib. 6. cap. 12. 14. 5. & 6: Theodoretus lib. 5. cap. 34: Sozomenus lib. 8. cap. 16. & 17: Georgius Alexandrinus in Chrysostomi uita: & uel ex eo, uel Palladio, Antoninus titulo decimo, capite nono, paragrapho tertio.

CONSTANTINOPOLITANA

post Ioannis reuocationem.

POsteaquam reuocatus ab Imperatore Ioannes fuisset, conuenerunt Constantinopoli sexaginta episcopi, qui decreta cõtra eum ad Quercum abrogant, & episcopatum ei restituunt. Socrates lib. 6. capite 18: Sozomenus libro 8. capite 19.

Constantinopolitana alia contra Ioannem.

Occasionem alteri rursus synodo Cõstantinopoli, cum uix ante menses duos Ioannes reuocatus fuisset, præbuit libera reprehensio eorum qui ad statuam Augustę, non proximè quidem, sed non ita longè templo in quo Ioannes docebat, uicinã, ludos publicos & pueriles faciebant. Eam enim reprehẽsionem, iniuriam & contumeliam sui Imperatrix interpretata, synodũ rursus contra eum cõuocauit: extimulata eo maximè, quòd cum indignationem eius Ioannes resciuisset, homiliã celebrem illam in templo recensuit, cuius principium est: Rursus Herodias insanit, rursus concitat turbas, rursus choreas agit & gesticulatur, rursus caput Ioannis quærit in disco, &c.

Veniunt igitur Constantinopolim ab Imperatore, regina ad aurem Ioannis odium obganniente, obsecuto accersiti, illi maximè qui Ioannis inimici, Theophili uerò famulatores erant: Leontius nimirum Ancyræ Galatię episcopus, Ammonius Laodiceę Syriæ, Brison Philippẽsis Thraciæ, Acacius Berrœæ Syriæ, atq; alij aliquot episcopi cũ suis metropolitis, in quibus & Cyrinus & Seuerianus fuerunt: quos aduenisse, Ioannis, & confidentiam in bona causa alacrem, qua paratum se ad respondendum discuti nimirum plausibili principio & occasione formandæ aduersus eum actionis. Ad Theophilum igitur, ut actorem lusus cõtra Ioannem, & autorem præcipuum, qui tum Alexandriæ fuit, in eam sententiam literas mittunt: Aut ades ipse, & dux præesto aduersus Ioannẽ: aut si tibi malè metuis à populo, modũ saltem aliquem nobis præscribito,

bito, dacq; consilium quo confisi actionem illam auspicemur.

Non uenit autē in synodum Theophilus, malè sibi conscius: sed tres mittit, miserabiles planè episcopos, Paulum & Pœmena, & tertium quendam nuper consecratum, cum canonibus quibusdam, quos ediderāt Arianorum olim contra Athanasium, quibus publicā synodus actionem Ioanni intenderet. Illis igitur freti canonibus, in actione obijciunt ei, quòd depositus, præter synodi alicuius cognitionē, sedem episcopalem occuparit. canonemq; proferūt, cuius hæc erat sententia: Si quis episcopus aut presbyter seu iustè seu iniustè depositus, priuata autoritate, contra synodi decretum Ecclesiā inuaserit, eum deinceps nolumus locum obtinere sui purgandi, sed expellatur, & in exiliū relegetur.

Ad hæc Ioannes: Se, cum à synodo nuper accusatus fuisset, inquit, defensionem suam opposuisse. Tandē uerò absentē damnatum se, Imperatoris iussu nō reuocatū solùm, uerùm & ab episcopis LXV damnationē cōtra eorumq; iudicio episcopatū suum fuisse de integrò confirmatū. Ad canonē uerò quod attineret, respondere se: non esse eum orthodoxorum, sed Arianorū, pronunciatū quondam in hæreticorū conuentu Antiochię cōtra Athanasium. proinde se non implicari eō dem posse: si quidem orthodoxi, non hæretici, perhiberi ipsi uelint.

Narrat Georgius, ingressos tum ad Imperatorē, Elpidiū Laodiceæ Syrię episcopum, & Tranquillionē: qui, ut æquiores causę Ioannis, Imperatorē monuerint, minimè conuenire, ut citra rationē relegari Ioannē patetur, ideo quòd nusquā legitima dignitas ei fuisset adempta, sed per Comitem esset extrusus: deinde, quòd priuata autoritate thronum episcopalē nequaquā inuasisset, sed Imperatoris iussu & reuocat⁹ sit, & in sedē ascenderit: deniq; quòd canones cōtra ipsum obtestatione. Sed cum rursus non desisterent animis obstinatis contentiosius contra Ioannem illi agere, consilium dedisse Imperatori Elpidiū, ut iuberet subscribere Acaciū & Antiochum, se probaturos, canones eos ab orthodoxis fuisse editos. Qui quidē cōsternati, pollitici fuerint se subscripturos: sed promisso non stetisse, excusantes id se inconsultò fuisse pollicitos.

Rebus ad hunc modū se habētibus, ab Ioannis aduersaria parte uictus Imperator, Ioanni, cū festus dies memoriæ natalis Christi aduenisset, significat: se nec ad Ecclesiā uenire, nec secū cōmunicare posse, quia duabus iam esset synodis condemnatus. Ad Pascha uerò festū, ij qui cum Antiocho erant, ad Imperatorē ingressi hortantur, ut cōuictum Ioannē, & criminis compertū, pręciperet expelli. Necessitatis igitur quadā causa adact⁹ Imperator, ei significat, ut Ecclesia migraret, quia synodi iudicijs cōdemnatus esset. Cui renunciari iubet Ioānes, sibi nimirū cōmissam & Ecclesiæ eius administrationē, & populi salutē à Deo esse, quā temerè deserere non possit. Si tamē id cogat Imperator, ui secum agat, seq; inde propellat, ut deserti officij atq; ordinis habere possit iustā rationē.

Itaq; Imperatoris mandato discedere Ioannes ab Ecclesia, & in episcopali domo se cōtinere iubetur: ubi ad duos menses à munere uacat, excubias ad ipsam domum agentibus per uices illis, quib. charus erat. Interea tamen totū illud tempus populi motib. plenū fuit, magna cū Imperatoris molestia & indignatione: qui accersita Acacij & Antiochi factione, decernere eos tandē iubet, quid in tantis turbis facto opus sit. Respondēt illi cōfidēter: Imperator, in caput nostrū resiliat, quæ à nobis irrogata est Ioāni abrogatio, in his quę gesit aduersus canōes, inuadens thronū. Adeunt ipsum & Imperatorem & Imperatricē illi, qui cū Ioāne erant episcopi, intercedētes ꝓ Ioāne, & lachrymis ꝓfusis obsecrātes, ut Ecclesiæ parcāt, eo maximè quòd Paschæ dies instet, & multi sint baptismatis lauacro regenerandi. sed surdis hęc omnia occinuerūt auribus. Quamobrē ex illis Paulus quidā nomine, ad Imperatricem liberè & intrepidè: O Eudoxia, inquit, liberorū tuorū miserta, metuito Deū: uideto, ne impendentē hanc Deo petulanter cōsecratā celebritatē cōtumelia aspergas, sanguinis ꝓfusione. Recedūt ex aula episcopi illi magno cū mœrore & lachrymis, q, officij tantū ab Imperatore in negocio pio & sacro obtinere nō potuerint. Procedit res ad summam uiolentiā. Nā nocte ꝓximè præcedēte diē Resurrectionis, in templū milites & inimici Ioānis ingenti impetu irruentes, cōculcant & cædūt miserabili & atroci modo eos qui ad celebrandā memoriā Resurrectionis cōuenerant: & ad baptisterium, qui tingi debebant, ordine substiterant pueri simul & adulti, uirgines ac mulieres: ij pulsantur fustib⁹, & expellūtur, simul etiā presbyteri & diaconi. Cū uerò è tēplo ꝓfligat⁹ Christianorū cœt⁹, in balneis Cōstantinianis (q locus fuit amplissim⁹, & ad cōuent⁹ habēdos idone⁹) fuisset cōgregat⁹, crudelitatē eandē experti⁹ est. cui & alia successit atrocitas, q, affixis publicè edictis, seriò mandabatur, ut Ioānis cōmunionem omnes fugerent. Atq; hæc intra Pascha & Pentecosten sic acta sunt.

Die quinta deinde ab expleta Pentecoste, importunè apud Imperatorē instant episcopi Acacius, Antiochus, Seuerianus & Cyrinus,

nus,ut urbe egredi Ioannē iubeat:utq; à motibus aliquando populus cōquiescat,exiliū ei denunciat.Hac igitur circū uentus persuasione Imperator, ad Ioannē mittit Patriciū, unà cū episcopis,simul & notariū,per quos hęc ei significat:Acacius,Antiochus,Seuerianus & Cyrinus,cū sectatoribus suis,sententiam cōtra te latā in sua ipsorū capita recepe runt.Quæ igitur ad te spectāt, accepta refer Deo, & eius permitte ꝓuidentiæ,atq; urbē egreditor.Queritur ibi Ioānes,prętер om nē legitimā rationē se,& cū uiolentia pelli, denegato sibi iudicio:q, homicidis tamē,adulteris & præstigatoribus cōcedatur. Ad iter tamē sese instruit,post enarrationē symboli Niceni, quā ad suos postremā habuit concionē,& adhortationē ut ab hęresib.sibi circūspectè cauerēt:cōsolationē etiā ad Olympiadem diaconissam,& reliquas pias mulieres.

Georgius sua sponte eum discessisse narrat,pręmisso iumento ad locū,ex quo iter ingredi secū constituerat. Alij,missos ad eum ex aula scribunt, quib. deditionē eius & custodiā Imperator demandauit,à quibus scaphæ impositus in Bithyniā traduct⁹ sit.Quā iniuriā impatienter populus ferens,templū in quo Ioānes docere consueuerat, incēdit: ex quo uerò incendio conflagratio domus senatoriæ,aliorumq; splēdidissimorū ædificiorum nata est. Socrates lib. 6. capite 18: Theod. lib. 5. cap. 34: Sozom.lib.8.cap.19. 20. 21. 22: Georgius Alexandrinus in uita Chrysostomi : Antoninus uolum. 2. tit. 10. cap.9.paragrapho tertio & quarto.

Constantinopolitana alia.

Meminit Antoninus capite & titulo ijsdē, ex Palladio, ut uidetur, synodi cuiusdā Constantinopolitanæ, ad quam ob Ecclesiarum negocia conuenisse ait Asiæ episcopos: cæterùm actionē nullam explicat,præter illam quā Eusebius episcopus Valētinopolitanus intendit Antonio episcopo Ephesino,qui & ipse synodo interfuit. Eum igitur Eusebius libello accusationis exhibito, septē insimulauit criminum:quorū postremū fuit, quòd episcoporum ordinationes precio accepto uenderet.Quod unum,cum ab accusatione Antonij desistere Eusebius, à Ioanne Constantinopolitano admonitus,nollet,synod⁹ excusit. Interrogat⁹ uerò de eo Antonius, pernegat.Interrogati illi etiā quos ut testes, à quibus pecuniā ꝓ ordinatione Antonius accepisset, Eusebius in synodū adduxerat, negant item. Suspensa igitur ita causa est,& missi sunt in Asiam tres episcopi exploratio nis & testimoniorū causa de Antonij facto. sed cum ad diem dictū nō redijsset, alijs negocijs impediti, Eusebius, qui nec ipse ad tempus constitutum redijt in synodum,ut detractor excommunicatus est.

EPHESINA SVB IOANNE

Constantinopolitano,post Antonij obitum.

MOritur interea Antonius, & Ephesini successorem à Ioanne petunt : qui in synodū Ephesi cōgregauit ex Libya, Asia & Caria, episcopos septuaginta, & ecclesiæ Ephesiorū aliū episcopū præfecit. Venit eò & Eusebius,ac reconciliationē petijt, testesq; adduxit: qui excusi, quid ab illis pro ordinatione Antonius accepisset confessi sunt. Quibus ad synodi decretū Antonij hęredes aurum datū reddere coacti, ipsi uerò sacerdotijs priuati sunt. Quod ita synodus iudicauit,ne talis mos sacerdotia uendendi atq; emendi uspiam inualesceret.

ALEXANDRINA,

ex Nicephoro.

NArrat Nicephorus, coactā fuisse synodū,ut ipse uocat, ꝓuincialē à Cyrillo Alexandriæ: qui alienus initiò nōnihil à Ioanne Cōstantinopolitano, postea diuinitùs admonitus, cū iam diē suū Ioānes obijsset, inimicitias deposuerit,& in albū sacrum Ioannis nomen intulerit: Quod ipsum quidē, in eo quo Nicephorū, diserтum quidē, sed hic dei non satis (ut interdū apparet) probatæ scriptorē,habentes loco,relinquimus. Nicephorus libro 14.capite 28.

Alexandrina alia,contra Nestorium.

Cum erroris sui, literis aliquot à Cyrillo Alexandrino episcopo Nestorius admonitus,non resipuisset,sed Cyrillo per epistolas conuicijs simul & blasphemijs plenas respōdisset: Cyrillus synodū prouinciale, cū quatuor alijs episcopis uicinis indixit, aliquot capita Nestorij explosit & damnauit, deque eo iudicio ad Celestinū Romanū episcopū scripsit.Misit & ad Nestoriū ipsum capita eō anathematismis scripta 12.in eam sententiā. 1. Si quis non profitetur uerum Deū esse Emanuelē,proindeq; uirginē Mariā Deigenetricē(genuit enim illa carnaliter eum qui caro factus est,Deū scilicet ex Deo uerbum) anathema sit.

2. Si quis nō profitetur carni secundū substantiā unitū esse,id q, ex Deo patre uerbū, unumq; esse Christū cū ꝓpria carne, eundē scilicet Deū simul & hominē, anathema sit.

3. Si quis in uno Christo subsistentias diuidit post unionē, sola eas cōnectēs cōiunctione, quæ secundum dignitatem siue auctoritatem aut potestatē est, & non potius unione naturali, anathema sit.

4. Si quis duabus personis siue subsistentijs in Christo, uoces in Euangelicis & Apostolicis scriptis,uel à uiris sanctis,uel ab ipso de seipso tributas diuidit, & alias quidem ut homini, extra id quod ex Deo patre est uerbū propriè conuenientes, alias uerò uelut Deo congruentes, ei soli quod ex Deo patre

patre est uerbo accõmodat, anathema sit.
5. Si quis dicit hominẽ Christũ Deiferum & non potius uerum Deum esse, utpote unum, & quidem natura filium, pro eo atque uerbum caro factum est, & nobiscum æqualiter de sanguine & carne (extra peccatum) participauit, anathema sit.
6. Si quis dicit, Deum aut Dominũ Christi esse, q̃ ex Deo patre est uerbũ, ac nõ potius ipsum Deũ, p̃fitetur & hominẽ, quũ uerbũ caro factũ sit, secũdũ Scripturas, anathema sit.
7. Si quis dicit ueluti hominẽ Iesum à Deo uerbo agitatũ, eiq; præclaram unigeniti gloriam circumdatam esse, ut qui alius ab ipso existeret, anathema sit.
8. Si quis dicere audet, hominẽ assumptũ unà cũ Deo uerbo coadorari, & cõglorificari, & collaudari, diciq; Deũ debere, sicuti alterũ cũ altero (particula enim Con adiecta, semper id cogitare atq; intelligere cogit) ac nõ potiꝰ Emanuelẽ adoratione unà honorã dũ, & unã ei glorificationẽ tribuendã esse, p eo atq; uerbũ caro factum est, anathema sit.
9. Si quis dicit, unũ Dominũ Iesum Christum glorificatũ esse à spiritu, perinde atq; a liena uirtute usus sit, & ab illo acceperit, ut efficax cõtra impuros spiritꝰ esset, & diuina miracula inter homines edere posset, ac nõ potius propriũ ipsius spiritũ profitetur, per quem diuina fecit miracula, anathema sit.
10. Si quis pontificẽ & apostolũ confessionis nostræ factũ esse Christũ, sicuti diuina refert Scriptura (obtulit enim seipsum pro nobis in odorẽ suauitatis Deo patri) si quis igitur Põtificẽ & Apostolũ nostrum, factũ esse, nõ ipsum Dei uerbũ, quum caro & sicut nos sumus homo factũ est, sed tanquã aliũ, p̃pria & peculiari quadã ratione ab eo qui ex muliere est, hominẽ: præterea si quis eum etiam pro seipso, & nõ potius tantũ, p nobis oblationẽ obtulisse dicit (neq; enim oblatiõe opꝰ habuit, q̃ peccatũ nõ nouit) anathema sit.
11. Si quis nõ profitetur carnẽ Christi uiuificam, & propriã ipsius, qdꝰ ex Deo patre est, uerbi, sed alterius cuiusdã ab ipso esse ueluti ei iuxta dignitatem coniuncti, quasi solam potius (quemadmodum diximus) diuificã, diuinã habitationem in ea habuerit, & non quoniam per uerbum omnia uiuificans & propagans facta est, anathema sit.
12. Si quis non profitetur Dei uerbum carne passum esse, & carne crucifixum, & carne mortẽ gustasse, atq; primogenitum ex mortuis factum esse, pro eo atque uita & uiuificans est, utpote Deus, anathema sit.

CARTHAGINENSIS.

Videtur ex cõmuni consensu episcoporum coijsse circiter annum Domini 420, synodus Carthaginensis, de quo ad Innocẽtium Romanũ episcopum Augustinus, qui synodo ei præfuit, scripsit. Nomina episcoporũ qui eò conuenerunt, Augustini cõtinet epistola, in qua & dicitur, synodũ eam ex diuersis congregatam causis, maximè tamen ad confutandos Pelagij & Cœlestij errores conuenisse. qui nimirũ extollendo liberi arbitrij uim, nullũ reliquerãt locũ gratiæ Dei, qua Christiani sumus: asseruerantq; hominẽ propria uoluntate & potestate legẽ Dei quãcunq; posse implere. Negarant etiã, infantes baptisandos, quia nihil in ijs hæreret uitij aut damnationis, nec sub diaboli essent potestate. Eas igitur ut hæreticas & pernicioſas opiniones in synodo ea ab episcopis amplius septuaginta explosas anathemate & cõdemnatas fuisse, Romano Innocẽtio Augustinus significat: Innocẽtius uerò eã uicissim damnationẽ probat, & per epistolã confirmat. Exempla literarum subijcimus.

PATRES CONCILII CARTHAginensis, *Innocentio pontifici Romano, de Actis, aduersus Pelagium & Cœlestium.*

¶ Domino beatissimo & honorãdissimo fratri, sancto Innocentio papæ, Aurelius, Mundius, Rusticanus, Fidentius, Euagrius, Antonius Palatinus, Adeodatus, Vincẽtius, Publianus, Theasius, Tutus, Panthonius, Victor, Restitutꝰ, Rusticus, Fortunatianꝰ, alius Restitutus, Ampelius, Animus, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octauius, Serotinus, Maiorinus, Posthumanus, Trispulꝰ, Victor, alius Victor, Leucius, Mucianus, Fructuosus, Faustinianus, Quoduultdeus, Candorius, Maximus, Megarius, Rusticus, Rufianus, Proculianus, Thomas, Ianuarius, Octauianus, Prętextatus, Sixtus, Quoduultdeus, Penthadiꝰ, Quoduultdeus, Cyprianus, Seruilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Tiazacenus, Germanus, Germanianꝰ Inuentius, Maiorinus, Inuentius, Cãdidus, Cyprianus & Emilianus, Romanus, Africanus, & Marcellinus, qui in concilio ecclesiæ Carthaginensis affuimus. Cum ex more ad Carthaginensem ecclesiã solenniter uenire mus, atq; ex diuersis causis cõgregata ex nobis synodꝰ haberetur, compresbyter noster Orosius nobis literas sanctorũ fratrũ & cõsacerdotũ nostrorũ dedit, Herodis & Lazari, quorũ formam his cõstituimus esse subdendã. His ergo lectis, Pelagiũ & Cœlestiũ autores nefarij prorsus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris aduertimus. Vnde factum est, ut recensendũ peteremus, quid ante fermè quinquẽnium super Cœlestij nomine hic apud ecclesiã Carthaginensem fuerit agitatum. Quo recitato, sicut ex subsequentibus aduertere poterit sanctitas tua, quamuis iudicatio manifesta constaret, quia illo tẽpore episcopali iudicio excisum hoc uulnus tantum ab Ecclesia uideretur,

nihilominus tamne in cõmuni deliberatone censuimus, & huiusmodi psuasionis autores, quãuis ad presbyteriũ idẽ Cœlestius postea peruenisse dicatur, nisi hæc apertissima anathematizauerint, ipsos anathematizari oportere, ut si ipsorũ non potuerit, saltẽ eorũ qui ab eis decepti sunt, uel decipi possunt, cognita scientia, quæ in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaq; gestũ, Domine frater sancte, charitati tuæ intimandũ duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur autoritas, pro tuenda salute multorũ, & quorundã peruersitate etiam corrigenda. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitriũ, nullum relinquant locum gratię Dei, qua Christiani sumus, qua & ipsum nostrę uoluntatis arbitriũ uerè sit liberũ, dum à carnaliũ cõcupiscẽtiarũ dominatione liberatur, dicente Domino: Si uos filius liberauerit, tunc uerè liberi eritis. quod auxiliũ fides impetrat, quę est in Christo IESV Domino nostro. Isti autẽ asserunt, sicut à fratribus qui etiã eorũ libros legerũt cognouimus, in eo Dei gratiã deputãdam, q, talẽ hominis instituit creauitq; natura, quę per propriã uoluntatẽ legẽ Dei possit implere, siue naturaliter in corde conscriptã, siue in literis datã. Eandẽ quoq; legẽ ad gratiã pertinere, q, illã Deus in adiutoriũ hominibus dedit. Illã uerò gratiã, qua (ut dictũ est) Christiani uirtus cõstat (cuius Apostol' prędicator est dicens: Cõdelector enim legi Dei secundũ interiorẽ hominẽ: uideo aũt aliam legẽ in mẽbris meis, repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati quę est in mẽbris meis. Miser ego homo, qs me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESVM Christũ Dominũ nostrũ) nolunt omnino cognoscere, nec apertè quidẽ oppugnare quidã audẽt. Sed quid aliud agũt, cum hominibus animalibus nõ percipientibus quę sunt spiritus Dei, persuadere nõ cessant, ad operandã perficiendãq; iustitiam, & Dei mandata cõplenda, solã sibi humanã sufficere posse naturã? nõ attendentes q, scriptũ est: Spiritus adiuuat infirmitatẽ uestrã. Et: Nõ uolẽtis est, neq; currẽtis, sed miserẽtis Dei. Et: Quòd unũ corpus sumus, singuli aũt alter alterius mẽbra, habentes dona diuersa secundũ gratiam quę data est nobis. Et: Gratia Dei sum, id q, sum, & gratia eius in me uacua nõ fuit. Sed plus omnibus illis laboraui: nõ ego aũt, sed gratia Dei mecum. Et: Gratias Deo, qui dedit nobis uictoriã p Dominũ nostrũ IESVM Christũ. Et: Quia nõ idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et: Habemus thesaurũ istũ in uasis fictilibus, ut eminentia uirtutis sit Dei, & nõ ex nobis. Et innumerabilia quę de Scripturis omnib. si colligere uelim', tomus nõ sufficit. Et ueremur ne apud te ista cõmemorando, quę maiore gratia de sede Apostolica prędicas, inconuenienter facere uideamur. Sed ideo facimus, qa eo quòd infirmiores sum', quaqua uersũ quisq; nostrũm uerbo Dei prędicando putatur attentior, crebrius eos patimur & audacius insurgẽtes. Si ergo Pelagi' episcopalibus gestis, quę in Oriente cõfecta dicũtur, etiã tuę ueneration i iustè uisus fuerit absolut', error tamẽ ipse & impietas quæ tam multos assertores habet, per diuersa dispersos, etiã autoritate Apostolicę sedis anathematizanda est. Cõsideret enim sanctitas tua, & pastoralib. nobis cõpatiatur uiscertibus, quàm sit pestiferum & exitiale ouibus Christi, q, istorũ sacrilegas disputationes necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationẽ, q, Dominus discipulos monuit, & posuit in oratione quã docuit: aut ne deficiat fides nostra, q, pro apostolo Petro se rogasse ipse testatus est. Si enim possibilitate naturæ & arbitrio uolũtatis in potestate sunt cõstituta, quis nõ uideat à Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cũ omnino rando poscuntur quæ naturę iam ita cõditę sufficientibus uiribus obtinẽtur? Nec debuisse dicere Dominũ IESVM, Vigilate & orate: sed tantũmodo, Vigilate ne intretis in tentationẽ. nec beatissimo Petro primo Apostolorũ, Rogaui pro te. sed, Moneo te, uel impero ac pręcipio, ne deficiat fides tua. Cõtradicitur etiã istorũ cõtentione benedictionibus nostris, ut incassum super populũ dicere uideamur, quicqd eis à Domino precamur, ut rectè ac piè uiuendo illi placeant: uel illa quę pro fidelibus precatur Apostolus dicẽs, Flecto genua mea ad patrem Domini nostri IESV Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, ut det uobis secundũ diuitias gloriæ suę uirtutẽ, corroborari per spiritũ eius. Si ergo uoluerimus benedicendo super populũ dicere, Da illis Domine uirtutẽ corrobari per spiritũ tuũ: istorum nobis disputatio cõtradicit, affirmãs negari liberũ arbitriũ, si hoc à Deo poscitur, q, in nostra est potestate. Virtute enim corroborari si uolum', inquiũt, possum' ea possibilitate naturę, quã non nũc accipimus, sed cũ crearemur accepimus. Paruulos etiã propter salutẽ, quæ per Saluatorẽ Christum datur, baptizandos negant: ac sic eos mortifera ista doctrina in æternũ necant, pmittentes etiãsi non baptizentur, habituros uitã æternã: nec pertinere ad eos de quibus Dominus ait, Venit enim filius hominis quęrere & saluare quod perierat. quia isti, inquiunt, nõ perierant, nec est quod in eis saluetur, uel tanto precio redimatur,

matur: quia nihil est in eis uitiatũ, nihil tenetur sub diaboli potestate captiuum, nec pro eis fusus esse sanguis in remissionẽ legitur peccatorũ. Quanquã per baptismũ Christi etiã paruulorũ fieri redemptionẽ, libello suo Cœlestius in Carthaginensi ecclesia iam cõfessus est. Sed multi, qui eorũ ꝑhibentur esse uel fuisse discipuli, hæc mala, quibus fundamẽta Christianę fidei conãtur euertere, quacunq; possunt affirmare non cessant. Vnde etiamsi Pelagius Cœlestiusq́; correcti sunt, uel se ista nunquã sensisse dicunt, & quęcunque scripta cõtra eos prolata fuerint, sua esse negabunt, nec est quemadmodũ de mendacio conuincãtur: generaliter tamen, quicunq; dogmatizat & affirmat, humanã sibi ad uindicanda peccata & Dei mandata facienda sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ sanctorum euidentius orationibus declaratur, aduersarius inuenitur: & quicunq; negat paruulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit. Quæcũque aũt alia ab eis obijciuntur, non dubium uenerationem tuam, cum gesta episcopalia perspexerit, quæ in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id iudicaturam, unde omnes in Dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis domine beatissime Papa.

INNOCENTIVS ROMANVS

Pontifex superiori respondet epistolæ. in hac autem epistola & dictionem & ingeniũ & eruditionem tali dignam præsule desiderare cogimur.

¶ Innocentius, Aurelio & omnibus sanctis episcopis, uel cæteris qui in concilio Carthaginẽsis affuerunt ecclesiæ, dilectissimis fratribus in Domino salutem. In requirendis de his rebus, quas omni cum solicitudine decet à sacerdotib⁹, maximè à uero iustoque & catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exẽpla seruantes, & Ecclesiasticę memores disciplinæ, uestrę religionis uigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, uera ratione firmatis, qui ad nostrũ referendũ approbastis esse iudiciũ: scientes quid Apostolicæ sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolũ, debeatur, à quo ipse episcopatus & tota autoritas nominis huius emersit. Quẽ sequentes, tam mala iam damnare nouimus, quàm probare laudanda: uel id uerò, quòd patrũ instituta sacerdotali custodientes officio nõ censetis esse calcanda: uel quòd illi non humana, sed diuina decreuêre sentẽtia, ut quicqd de disiunctis remotisq́; prouincijs ageretur, nõ prius ducerent finiendũ, nisi ad huius sedis noticiã perueniret, ubi tota huius autoritate, iusta quæ fuerit, pronunciatio firmaretur, indeq́; sumerẽt cæteræ Ecclesię, uelut de natali suo fonte aquæ cunctę procederent, & per diuersas totius mũdi regiones puri capitis incorruptæ manârẽt, quid ꝑcipere, quos abluere, quos uelut in cœno inemundabili sordidatos mũdis digna corporib. unda uitaret. Gratulor igitur fratres charissimi, q, per fratrẽ & coepiscopũ nostrũ Iuliũ literas ad nos destinastis, & cum illis curã geritis, quib. pręsidetis Ecclesijs, solicitudinẽ uestrã pro omni utilitate monstratis, & per cunctas totius orbis Ecclesias omnib. unà q, prosit decernendũ esse deposcitis: ut suis cõstabilita regulis Ecclesia, ex hoc quod illos caueat pronunciationis iustæ firmata decretalibus pauere nõ possit, qui peruersis instructi uerborũ argutijs, sub imagine catholicę fidei disputãtes, uelut pestiferũ exhalantes uirus, ut hominũ rectè sentientiũ in deteriorẽ partẽ corda corrumpant, totam uerò dogmatis quærunt euertere disciplinam. Hæresibus pullulantibus est celeriter obuiãdũ: sanandũ ergo celerius, ne longius execrandus animis morbus inserpat: ut si medicus, cum uiderit hui⁹ terreni corporis aliquem esse languorẽ, magnum suæ artis æstimat documentũ, si citò qs illi⁹ interuentu desperatus euadat: uel cũ putre uulnus aspexerit, adhibet fomẽta, uel cætera quibus illud possit quod natũ fuerat uulnus obduci: ac si id manens sanari nõ poterit, ne corpus reliquũ sua tabe corrumpat, ferro amputat quod nocebat: q, reliquũ integrum est, seruat intactum. Præcidendũ id ergo est, quod uelut puro sanoq́; nimiũ corpori uulnus obrepsit, ne cum tardius abstergitur, in ipsis penè uisceribus huius mali nõ exhaurienda pòst sentina considat. Nam qd nos de his post hæc rectum mentibus existimemus, qui sibi se putãt debere, quòd boni sunt: nec illum considerant, cuius quotidie gratiam consequuntur? Sed item isti qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequentur, qui sine illo tantũ se assequi posse confidũt, quantũ uix illi qui ab illo postulant & accipiunt promerentur. Quid enim tam iniquũ potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quàm huic te negare debere quicqd in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse confiteris debere quòd natus es? Ergo eris tibi in prouidendo præstantior, quàm potest in te esse, qui te ut esses effecit? Et cum putes debere quòd uiuis, quomodo te non putas illi debere, quòd quotidianam eius consequendo gratiam taliter uiuis? Et qui nos adiutorio negas indigere diuino, quasi ex nostra in totũ possibilitate perfecti: quomodo uerò adiutorium in nos, cum tales à nobis etiam esse possumus, prouocamus? Qui enim adiutorium Dei negat, uellem

interrogare quid dicat: nos non mereri, an illum hoc non posse prestare? an nihil esse, propter quod unusquisq; hoc debeat postulare? posse hoc Deum, opera ipia testantur. Adiutorio quotidiano nos egere, negare nō possumus. Hoc enim, seu bene uiuimus, precamur, ut melius sanctiusq; uiuamus: seu praua sentientes, à bonis auertimur, ut ad rectā redeamus uiam, eius auxilio plus egemus. Nam quid tam mortiferum, tam præceps uideatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberū arbitrium cum nasceremur, accepimus, ultrò iam à Domino nihil quęramus? Id est, autoris nostri obliti, eius potentiam, ut nos ostendamus liberos, abiurem⁹, quasi iam amplius quod possit dare non habeat, qui te in tuo ortu liberū fecit: nescientes quòd, nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis & mundani corporis uincere conemur errores: cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. Nam si ille clamat, adiutorio sibi esse opus diui no, qui dignè hoc non quæreret, si cui liberum arbitrium plus prodesset, quippe cum uir beat⁹ & iam electus à Domino nihil egeret, tamē ita Deum deprecatur postulans: Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Nos nobis liberum arbitrium, ille Deum postulat adiutorem. Quòd nati sumus, posse sufficere nos dicimus: ille Deum, ne derelinquatur exorat. Nos ergo dicimus manifestè, quid oremus: cum ille tantopere beatus, ut suprà diximus, uir ne despiciatur exorat. Illi enim necesse est ita arguant, qui illa confirmant. Dauid enim orationis ignarus, & suæ naturæ nescius accusetur, qui cum sciat tantum in sua esse natura adiutorem sibi Deū, & assiduum adiutorem, nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando illum despicit orationibus pronus exoptat, & per corpus omne psalterij hoc & prædicat & clamat. Si ergo hoc illi tam magnum sit, ut assiduè diceret, ita necessarium est confessus ut doceret, quemadmodū Pelagius Cœlestiusq; sepositā omni responsione psalmorum, taliq́ abdicata doctrina, suasuros se aliquibus esse confidunt, nos adiutorium Dei nec debere quærere, nec egere, cum omnes sancti nihil se sine hoc agere posse testentur. Liberum enim arbitriū olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exinde surgere posset inuenit: suaq́ue inæternùm libertate deceptus, huius ruinæ iacuisset oppressus, nisi eum pòst Christi pro sua gratia releuasset aduentus: qui per nouæ regenerationis purificationem, omne præteritum uitium sui baptismatis lauacro purgauit: & eius firmā statum, quo rectius stabiliusq; procederet, tamen suam gratiam in posterum non negauit. Nam quamuis redemisset hominem à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi quemadmodum posset illū & post ista corrigere, multa seruauit, quotidiana præstat ille remedia: quibus nisi freti confiliq́ue nitamur, nullatenus uincere humanos poterimus errores. Necesse est etiam, ut quo auxiliante uincimus, eo iterum non adiuuante uincamur. Sed possem plura dicere nisi uos constaret cuncta dixisse. Quisquis ergo huic adiutorio nobis non opus esse diuino, inimicum se catholicæ fidei, & Dei beneficijs profitetur ingratum. Nec nostra cōmunione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt. Sic enim sua sponte, dum sequuntur illa quæ dicunt, longius à uera religione fuerunt. Cum enim hoc totū in nostra professione consistat, quotidianisq; precibus nihil agamus, nisi quemadmodum Dei misericordiam cōsequamur, quemadmodum ferre possim⁹ ista iactantes? Quis rogo tātus illorum pectora error obcæcat, ut si nullam gratiam sentiunt, quia nec digni sunt, nec merentur, nec de alijs cōsiderent quid quotidie singulis gratia diuina largitur? sunt qui dem isti omnes cæcitate dignissimi, qui nec hoc sibi reliquerunt, ut se auxilio credant re uocari ab erroribus posse diuino. Negantes enim adiutorium, non alijs, sed sibi penitus abstulerunt: qui auellendi sunt longius, & ab Ecclesiæ procul remouendi uisceribus, ne diutius multa occupans insanabilis pòst error increscat. Si enim diu fuerint in hac impunitate uersati, necesse est multos in hanc suæ prauitatem mentis inducant, decipiantq́ue innocentes, uel potius imprudentes, qui fidem catholicam non sequuntur. Putabunt enim eos rectè sentire, quos adhuc uiderint in Ecclesia perdurare. Separatur ergo à sano corpore uulnus insanum, remotoq́ue morbi sæuientis afflatu cautius quæ sunt sincera perdurent, & grex puriot ab hac mali peioris contagione purgetur. Sit totius corporis illibata perfectio: quam uos seq & tenere hac in illos pnunciatione cognouimus, & unà uobiscū pari assensione seruamus. Qui si tamē aliq́ in se Dei adiutoriū, q́ hucusq; negauerunt, quocauerint, & op⁹ sibi eius auxiliū cognouerint, ut de hac labe in qua sui cordis incuruatiōe corruerāt liberētur, quasi in lucē de fœda tracti caligine, remotis abdicatisq; omnib⁹, q́bus totus ne uerum aspiceret lædebatur & caligabat aspectus,

aſpectus, damnẽt hęc quę hucuſq; ſenſerũt: & aliquando animũ rectis diſputationibus cõmodãtes, ab hac aliquantulũ labe correcti, ueris ſe ſanandos concilijs tribuãt atq; ſubmittant. Quod ſi fecerint, erit in poteſtate pontificum, iſtis aliquatenus ſubuenire, & talib. aliquã curã præſtare uulnerib⁹, quã ſolet lapſis cum reſipuerint Eccleſia nõ negare: ut à ſuis reuocati præcipitijs, intra oui le Domini redigantur: ne foris poſiti, & tãto præſidio à fide munitionis excluſi, periculis omnib. exponãtur, deuorandi luporũ dentibus, atq; uexãdi: quib. obſiſtere hac, qua illos in ſe irritauerãt doctrinę peruerſitate, nõ poſſunt. Sed ſatis ueſtris monitis, & ſic ſatis abũdantib. noſtræ legis exẽplis probatur eſſe reſponſum, nec quicquã ſupereſſe duximus, quod dicamus, cũ nihil prætermiſſum à uobis, nihil cõſtet eſſe ſuppreſſum: quo illi refutati, & penit⁹ cognoſcãtur eſſe conuicti. Ideoq; à nobis teſtimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio eſt: & ſatis conſtat, ut doctiſſimos ſacerdotes, cuncta dixiſſe: nec decet, credere uos aliquid, q̃ ad cauſam poſsit proficere, præterijſſe. Et alia manu, Bene ualete fratres.

¶ Liber Conciliorũ quintã hanc Carthaginenſem uidetur appellare ſynodũ, ſed dãnati in ea Pelagij dogmatis non meminit. Canones ſancitos oſtendit 15. hoc ordine.

1. Clerici ad teſtimonium non pulſentur.
2. Clerici pro crimine ſuo damnati, à quolibet non defendantur.
3. Sacerdotes & Leuitæ, ab uxoribus abſtineant.
4. Res Eccleſiæ, ſine conſilio metropolitani epiſcopi non alienandæ.
5. Nullus epiſcopus, relicta cathedra, in diœceſi reſideat.
6. Qui nullo teſtimonio ſe baptizatos nouerunt, baptizentur. Similiter de conſecratione eccleſiarum faciendum eſt.
7. Tempus Paſchale formatarum ſubſcriptione indicetur: concilium enim diem nõ impediat.
8. Cathedram morientis epiſcopi nõ diu retineãt, ſed infra annũ ſacerdotẽ ꝓuideãt.
9. Defenſor Eccleſiarũ à principe poſtulãd⁹.
10. Epiſcopi ad diem concilij occurrant.
11. Lapſis ſacerdotibus manus, ſicut laicis, non imponatur.
12. Clericis excõmunicatis, intra anni ſpacium aſſererе liceat innocentiam ſuam.
13. Clerici uel monachi ab alio epiſcopo ordinati deponantur. epiſcopus qui fecit, tãtum plebis concione ſit contentus.
14. Baſilicæ quæ ſine martyrum reliquijs dedicatæ ſunt, euertantur.
15. Item placuit, ab imperatoribus gloriſsimis peti, ut reliquiæ non ſolùm in ſimulachris, ſed in quibuſcunq; locis, uel lucio uel arboribus, omnimodo deleantur.

TOLETANA PRIMA.

CElebrata eſt Toletana prima ſynodus ab epiſcopis uigintinouem, ſub Arcadio & Honorio, Stilicone conſule, anno Chriſti (iuxta Marianum) quadringenteſimo uigeſimo: ſecundum Caſsiodorum aũt, Proſperum & Haloandrum, anno quadringenteſimo ſecundo. Eam aũt diuerſitatẽ incertam, ut ferè in omnibus, liber Conciliorũ indicat. Actio aũt ipſa ſynodi declarat, coactã fuiſſe ob confirmationẽ decretorũ concilij Niceni, & regulas fidei cõſtituẽdas contra hæreticos, maximè uerò Priſcillianiſtas. Præfuit Patronus epiſcopus Toleti, cõſidẽtibus Marcello, Luciano, Aphrodoſio, Iocũdo, ac cæteris quibuſdam.

Cõſtituerũt, poſt cõfirmationẽ decretorũ ſynodi Nicenæ, Canones uiginti, ut ſeqtur.

Capitulum primum.

1. Placuit, ut diacones, ſi uel integri, uel caſti ſint, & continentis uitæ, etiãſi uxores habeant, in miniſterio conſtituantur, ſita tamẽ, ut ſi qui, etiã ante interdictũ, quod per priores ante nos epiſcopos cõſtitutũ eſt, incõtinẽter cũ uxorib. uixerint, presbyterij honore nõ cumulentur. Si quis uerò ex presbyteris ante interdictũ filios ſuos ſuſceperit, de presbyterio ad epiſcopatũ non admittatur.

2. Item placuit, ut pœnitentes non admittantur ad clerum, niſi tantum ſi neceſsitas aut uſus exegerit: & tunc inter oſtiarios deputentur, uel inter lectores, ita ut Euangelia aut Apoſtolum non legant. Si qui autem antè ordinati ſunt diacones, inter ſubdiacones habeantur, ita ut manum non imponant, nec ſacra contingant. Ex eo uerò pœnitentem dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus grauiſsimisq; peccatis, publicam pœnitentiam gerens, ſub concilio, diuino fuerit reconciliatus altario.

3. Item conſtituit ſancta Synodus, ut lector fidelis, ſi uiduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil fiat: ſed ſemper lector habeatur, aut fortè ſubdiaconus.

4. Subdiaconus autem, defuncta uxore, ſi uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, remoueatur, & habeatur inter oſtiarios uel lectores, ita ut Euangelium & Apoſtolum non legat: propterea, ne qui Eccleſiæ ſeruierit, publicis officijs ſeruire uideatur. Qui uerò tertiam, quod nec dicendũ eſt acceperit, abſtentus biennio, poſtea inter laicos, reconciliatus per pœnitentiam, communicet.

5. Presbyter, uel diaconus, uel ſubdiaconus, uel quilibet Eccleſiæ deputatus clericus, ſi intra ciuitatem fue-

rit, uel in loco in quo Ecclesia est, aut castella aut uici sunt, aut uillæ, si ad Ecclesiam aut ad sacrificium quotidianum non uenerit, clericus non habeatur: si castigatus, per satisfactionem ueniam ab episcopo noluit promereri.

6. Itemq; puella Dei nec familiaritatem habeat cum confessore, aut cum quolibet laico sanguinis alieni, aut conuiuium sola adeat, nisi ubi sit seniorum aut honestorum aut uiduarum, honestarumque frequentia, ubi honestè confessor quilibet, cum plurimorum testimonio testium, conuiuio interesse possit. Cum lectoribus, aut ipsorũ domib. nõ admittendas penitus, nec uidẽdas, nisi fortè cõsanguinea soror sit, uel uterina.

7. Placuit, ut si quorumcunq; clericorum uxores peccauerint (ne fortè licentiã peccãdi plus habeãt) accipiant mariti eorũ hãc potestatem, præter necẽ, custodiẽdi ac ligãdi in domo sua, ad ieiunia salutaria, nõ mortifera eas cogentes, ita ut inuicẽ sibi clerici paupe res auxiliũ ferant, si seruitia fortè non habeant. Cum uxoribus aũt ipsis, quæ peccauerint, nec cibos sumãt: nisi fortè ad timorem Dei acta pœnitentia reuertantur.

8. Si quis post Baptismũ militauerit & chlamydẽ sumpserit, aut cingulũ ad necãdos fideles, etiamsi grauia non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconij non accipiat dignitatem.

9. Nulla professa uel uidua, absente episcopo uel presbytero, in domo sua antiphonas cum cõfessore uel seruo suo faciat. Lucernariũ uerò, nisi in ecclesia, nõ legatur: aut si legatur in uilla, præsente episcopo uel presbytero uel diacono legatur.

10. Clericos, si quidem obligati sint uel ꝑ æquatione, uel de genere alicuius domus, non ordinandos, nisi probatæ uitæ fuerint, & patroni consensus accesserit.

11. Si quis de potentib. clericũ, aut quemlibet pauperem aut religiosum expoliauerit, & mandauerit eum ad se uenire episcopus, ut audiatur, & is cõtempserit: inuicem mox scripta percurrant per omnes prouinciæ episcopos, & quoscũq; adire potuerint, ut excommunicatus habeatur ipse, donec obediat, & reddat aliena.

12. Itẽ, ut liberũ nulli clerico sit, discedere ab episcopo suo, & alteri episcopo cõmunicare: nisi fortè ei quẽ episcopus alius libẽter habeat de hæreticorũ schismate discedentẽ, & ad fidẽ catholicã reuertentẽ. Si qui aũt de catholicis discesserint, & in cõmunione eorũ uel palàm, uel occultè, cũ eis qui uel excõmunicati sunt, uel per sententiã iam notati, fuerint inuenti: habeant illorũ ad quos ire uoluerint, etiam in damnatione consortiũ.

13. De his qui intrant in Ecclesiam, & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur. Quòd si non communicant, ad pœnitentiã accedãt. Si cõmunicãt, nõ semp abstineantur: si non fecerint, abstineantur.

14. Si quis autem acceptã à sacerdote eucharistiam non sumpserit, uelut sacrilegus propellatur.

15. Si quis laicus abstinetur, ad hũc, uel ad domum eius, uel clericorum uel religiosorũ nullus accedat. Similiter & clericus, si abstinetur, à clericis deuitetur. Si quis cũ illo colloqui aut cõuiuari fuerit deprehẽsus, etiam ipse abstineatur. Sed hoc pertineat ad eos clericos, qui eius sunt episcopi: & ad omnes qui cõmoniti fuerint de eo qui abstinetur, siue laico quolibet, siue clerico.

16. Deuotam peccantẽ non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit: & si desinens egerit aptam pœnitentiã decem annis, recipiat communionem. Priusquam aũt in Ecclesiam admittatur ad orationem, ad nullius cõuiuium Christianæ mulieris accedat. Quòd si admissa fuerit, etiam hæc quæ eam receperit, habeatur abstenta. Corruptorem etiam par pœna cõstringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitẽtiam, nisi adhuc ipso uiuente marito cassè uerè cœperit, aut postquã ipse decesserit.

17. Si quis habens uxorem fidelis, concubinam habet, non communicet. Cæterùm is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur: tamen, ut unius mulieris, aut uxoris aut concubinæ (ut ei placuerit) sit coniunctione contentus. Aliàs uiuens abijciatur, donec desinat, & ad pœnitentiã reuertatur.

18. Si qua uidua episcopi, aut presbyteri, aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea conuiuium sumat, nunquam communicet, morienti tantum ei sacramentum subueniat.

19. Episcopi, siue presbyteri, siue diaconi filia, si deuota fuerit, & peccauerit, & maritum duxerit, si eam pater uel mater in affectum receperint, à communione habeantur alieni: pater uerò causas in Concilio nouerit se præstaturum. Mulier autem non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem uiuente eo secesserit, & pœnituerit, nullo modo, nisi uita deficiens, accipiat cõmunionem.

20. Quamuis penè ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis uel prouincijs presbyteri dicuntur chrisma conficere: placuit, ex hac die nullum alium, nisi episcopum, chrisma conficere, & per diœcesim destinare, ita ut de singulis Ecclesijs ad episcopum ante diem Paschæ diaconi destinentur, aut subdiaconi, qui consectum

confectum chrisma ab episcopo destinatum ad diem Paschæ possint ad tempus deferre. Episcopo sanè, certũ est, quòd omni tẽpore licet chrisma conficere. Sine conscientia aũt episcopi nihil penitus presbyteri agere prę chrismare, sed presbyterum, absente episcopo: præsente uerò non, nisi ab ipso fuerit præceptum. Huiusmodi constitutionẽ meminerit semper archidiaconus uel pręsentibus uel absentibus episcopis suggerendam, ut eam & episcopi custodiant, & presbyteri non relinquant.

Patronus episcopus subscripsi. Marcellus episcopus subscripsi. Afrodisius episcopus subscripsi. Alician⁹ episcopus subscripsi. Olympius episcopus subscripsi. Asterius episcopus subscripsi. Lãpadius episcopus subscripsi. Serenus episcopus subscripsi. Iocundus episcopus subscripsi. Leonas episcopus subscripsi. Seuerus episcopus subscripsi. Hilarius episcopus subscripsi. Florus episcop⁹ subscripsi. Leporius episcopus subscripsi. Exuperantius episcopus subscripsi. Eunus episcopus subscripsi. Aureliapus subscripsi. Lampadius episcopus subscripsi. Eustochius episcopus subscripsi. Ortygius episcopus subscripsi.

Assertio fidei eiusdem Concilij.

Credimus in unum uerum Deum, patrem omnipotentem, & filiũ, & spiritum sanctũ, uisibilium & inuisibiliũ factorem, per quem omnia facta sunt in cœlo & in terra, unum Deum, & unam esse diuinæ substantiæ Trinitatem. Patrem autem non esse filiũ ipsum, sed habere filium, qui pater non sit: filiũ non esse patrẽ, sed filium Dei patris esse naturaliter sit ipse, nec filius, sed à patre filioq; procedes. Est ergo ingenitus pater, genitus filius: Spiritum quoq; esse paracletum, qui nec pater sit, nec filius, sed à patre filioque non genitus paracletus, sed à patre filioque procedens. Pater est, cuius uox hæc audita est de cœlis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Filius est, qui ait: Ego à patre exiui, & à Deo ueni in hunc mundum. Paracletus est spiritus, de quo filius ait: Nisi ego abiero ad patrem, paracletus non uenier. Hanc Trinitatem personis distinctam, substantia unitam, uirtute & potestate & maiestate indiuisibilem, indifferentem: præter hanc, nullam credimus diuinam esse naturam uel angeli, uel spiritus, uel uirtutis alicuius, quæ Deus creatur. Hunc ergo filium Dei, Deum natum à patre, ante omne omnino principium, sanctificasse uterum uirginis Mariæ: atq; ex ea uerum hominem, sine uirili generatum semine suscepisse: duabus duntaxat naturis, id est deitatis & carnis, in unam conuenientibus omnino personam, id est Dominum nostrum Iesum Christum. Nec imaginarium corpus aut phantasmatis alicuius in eo fuisse, sed solidum atq; uerum: hunc & esurisse & sitisse, & doluisse, & fleuisse, & omnes corporis iniurias pertulisse: postremò à Iudæis crucifixum, & sepultum, & tertia die resurrexisse. conuersatum postmodùm cum discipulis suis, & quadragesima post resurrectionem die ad cœlum ascendisse. Hunc filiũ hominis, etiam filium Dei: & filium Dei, etiam hominis filium appellamus. Resurrectionem uerò futuram humanæ credimus carnis: animam autem hominis non diuinæ esse substantiæ, aut Dei patris, sed creaturam dicimus, Dei uoluntate creatam. Si quis autem dixerit aut crediderit, à Deo omnipotenti mundum hunc factum non fuisse, atq; omnia eius instrumenta, anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit, Deũ patrẽ eũdem esse filium uel paracletũ, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, paracletum esse uel patrem uel filium, anathema sit. Si quis crediderit uel dixerit, carnem tantum sine anima, à filio Dei fuisse susceptam, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, Christum innascibilem esse, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, Deitatem nascibilem esse, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, Deitatem Christi conuertibilem fuisse, uel passibilem, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, alterum Deum esse priscæ legis, alterum Euangeliorum, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, ab altero Deo mundum factum fuisse, & non ab eo de quo scriptum est, In principio fecit Deus cœlum & terrã, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, corpora humana non resurgere post mortem, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, animam humanam Dei portionem uel Dei esse substantiam, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, alias Scripturas, præter quas Ecclesia catholica recepit, in authoritate habẽdas, esse uenerãdas, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, Deitatis & carnis unam in Christo esse naturã, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, esse aliquid quod se extra diuinam Trinitatem possit extendere, anathema sit. Si quis astrologiæ uel mathesi existimat esse credendum, anathema sit Si quis dixerit uel crediderit, coniugia hominum, quæ secundum legem diuinam licet habere, execrabilia esse, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit, carnes auium seu pecudum, quæ ad escam datæ sunt, non tantum pro castigatione hominum abstinendas, sed execrandas esse, anathema sit. Si quis in errore Priscilliani sectã sequitur, uel profitetur, uel aliud in salubri baptismo contra sedem sancti Petri faciat, anathema sit.

MILE-

MILEVITANA.

CElebratum est cõcilium Mileuitanũ, Arcadio & Honorio quintò Consulibus, Arcadij imperij anno quinto, Christi quadringentesimo secundo, iuxta Marianũ: quo tempore episcopatum Romę gessit Innocentius. Conuocata fuit eadem occasione, qua Carthaginenſis, ob damnationem nimirum impiorum dogmatum Pelagij & Cœlestij, & constitutionem quorundam ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentium, si uera est indicatio in uolumine magno Conciliorum. nam literæ synodales ad Innocentium eius rei non meminerũt. Præfuit Augustinus, cõsidentibus secũ episcopis, quorum Catalogũ ostendit epistola cõcilij Mileuitani ad Innocentium, quæ & epistolis Augustini inserta est numero 92. Damnat autem ea epistola errores Pelagij & Cœlestij, quorum primus est. Potest homo in hac uita, præceptis Dei cognitis, ad tantã perfectionem iusticiæ, sine adiutorio gratiæ Saluatoris, per solum liberæ uoluntatis arbitrium peruenire, ut etiam non sit necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra: cum id tamen omne suos Christus iusserit.

2. Illud, Ne nos inducas in tentationem, nõ ita intelligendũ esse, tanquã diuinũ adiutoriũ poscere debeam⁹, ne in peccatũ tẽtati decidamus: quoniã hoc in nostra positũ sit potestate, átq; ad implendũ illud sola sufficiat hominis uolũtas. Quasi uerò frustra dixerit Paulus: Nõ est uolentis, neq; currẽtis, sed miserẽtis Dei. Et: Fidelis Deus, qui uos nõ permittit tentari supra id quod potestis.

3. Nõ esse orandũ Deũ, ut cõtra peccati malũ, & ad operandã iusticiã, sit noster adiutor.

4. Non opitulari paruulis ad consequendam uitã æternam, Christianæ gratiæ sacramentum, ideo quòd totũ illud sit potestatis humanæ. cõtra Pauli dictum: Per unũ hominem peccatũ intrauit in mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

¶ Aduersus eos errores, constituit Synodus canones, hoc modo.

Capitulum primum.

Placuit ergo omnib. episcopis q̃ fuerunt in hac sancta Synodo, constituere hæc, quæ in præsenti Cõcilio definita sunt: ut quicũq; dicit, Adã primũ hominẽ mortalẽ factũ, ita ut siue peccaret, siue nõ peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, nõ peccati merito, sed necessitate naturæ, anath. sit.

2. Itẽ placuit, ut quicunq; paruulos recẽtes ab uteris matrum baptisandos negat: aut dicit, in remissionẽ quidẽ peccatorũ eos baptisari, sed nihil ex Adã trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur: unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionẽ peccatorũ, nõ uera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniã non aliter intelligẽdum est quod ait Apostolus: Per unũ hominẽ peccatũ intrauit in mundũ, & p̃ peccatũ mors, & ita in omnes homines pertrãsijt, in quo omnes peccauerunt: nisi quemadmodũ ecclesia Catholica ubiq; diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, q̃ nihil peccatorũ in semetipsis adhuc cõmittere potuerũt, ideo in peccatorũ remissionẽ ueraciter baptisantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod regeneratione traxerunt.

3. Itẽ placuit, ut quicunq; dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum Dominũ nostrũ, ad solã remissionẽ peccatorũ ualere, quę iã cõmissa sunt: nõ etiã ad adiutoriũ, ut non committantur: anathema sit.

4. Item, quisquis dixerit, eandem gratiam Dei, per Iesum Christum Dominũ nostrum, propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciam⁹ quid appetere, quid uitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus atque ualeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus, Scientia inflat, charitas uerò ædificat: ualde impium, ut credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiã Christi: ad eam quæ ædificat, non habere: cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificãte charitate, scientia nõ possit inflare. Sicut aũt de Deo scriptũ est, Qui docet hominem scientiam: ita etiam scriptum est, Charitas ex Deo est.

5. Item placuit, ut quicunq; dixerit, ideo nobis gratiã iustificationis dari, ut quod facere per liberũ iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiã: tanquã etsi gratia non daretur, nõ quidẽ facilè, sed tñ possimus etiã sine illa, implere diuina mãdata, anathema sit. De fructib. enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficilius potestis facere: sed ait, Sine me nihil potestis facere.

6. Itẽ placuit, q̃ ait sanct⁹ Iohãnes apostol⁹: Si dixerim⁹ qa peccatũ nõ habem⁹, nosipsos seducim⁹, & ueritas in nobis non est: qsqs sic accipiendũ putauerit, ut dicat, propter humanitatẽ nõ oportere dici, nos non habere peccatũ, non quia ueritas est: anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adiungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Vbi satis apparet, hoc nõ tãtũ humiliter, sed & ueraciter dici. Poterat enim Apost. dicere: Si dixerim⁹, qa nõ habem⁹ peccatũ, nosipsos ex-

tollim⁹

tollimus,& humilitas in nobis nõ est:sed cũ ait,Nos ipsos decipimus,& ueritas in nobis nõ est:satis ostẽdit, eum qui se dixerit non habere peccatũ,nõ uerum loqui,sed falsum.

7. Item placuit,ut quicunq; dixerit,in oratione Dominica ideo dicere sanctos,Dimitte nobis debita nostra,ut nõ pro seipsis hoc dicant,quia nõ est eis iam necessaria ista petitio,sed ꝓ alijs qui sunt in suo populo peccatores: & ideo nõ dicere unũquenq; sanctorũ,Dimitte mihi debita mea,sed Dimitte nobis debita nostra,ut hoc ꝓ alijs potius quàm pro se iustus petere intelligatur,anathema sit.Sanctus enim & iustus erat apostolus Iacobus,cũ dicebat:In multis enim offẽdimus oẽs.Nã quare additũ est Omnes, nisi ut ista sententia cõueniret & Psalmo,ubi legitur,Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuẽs.& in oratione sapientissimi Salomonis,Non est homo qui nõ peccet:& in libro Iob,In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatẽ suã. Vnde etiã Daniel sanctus & iustus,cũ in oratione pluraliter diceret,Peccauimus, iniquitatẽ fecimus,&c.quæ ibi ueraciter & humiliter cõfitetur,ne putaretur (quemadmodũ quidã sentiunt)hæc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: Cum orarem.& confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo nostro . noluit dicere, Peccata nostra:sed populi sui dixit, & sua:quia futuros istos,qui tam malè intelligunt,tanquam propheta præuidit.

8. Item placuit,ut quicunq; uerba ipsa Dominicæ orationis,ubi dicimus,Dimitte nobis debita nostra,ita uolunt à sanctis dici, ut humiliter, non ueraciter hoc dicatur, anathema sint. Quis enim ferat orantem,& nõ hominibus, sed ipsi Domino mentientem? quilabijs sibi dicit,dimitti uelle:& corde dicit,quæ sibi dimittantur, debita nõ habere? Hucusq; de fide contra Pelagianos: nũc regulæ tractentur Ecclesiasticæ.

9. Placuit,ut non sit ultrà fatigandis fratribus anniuersaria necessitas : sed quoties exegerit causa communis, id est totius Africæ,undecunque ad hanc sedem pro Concilio datæ literæ fuerint, congregandam esse synodum in ea prouincia,ubi opportunitas perstiterit. Causæ aũt quæ communes non sunt,in suis prouincijs iudicentur.

10. Placuit etiam,pati ut omniũ episcoporum epistolis omnibus, de concilio dãdis, sanctitas tua sola subscribat.

11. Placuit & illud,aduersus hæreticos uel paganos,uel eorũ supstitiones, ut legati missi de hoc glorioso Cõcilio,qcqd utile prouiderint à glorioſissimis principib.impetrent.

12. Placuit etiam & illud,ut preces uel orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, siue præfationes,siue cõmendationes,seu manus impositiones, ab omnib. celebrentur.Nec aliæ omnino dicãtur in Ecclesia,nisi quæ à prudentiorib.tractatæ, uel cõprobatæ in synodo fuerint: ne fortè aliquid cõtra fidẽ:uel per ignorantiam,uel per minus studium sit compositum.

13. Palentinus episcopus dixit: Si permittit bonũ patientiæ uestræ,prosequar ea quę necessaria sunt Ecclesiasticæ disciplinæ.Scimus enim,sic inuiolatè permãsisse Ecclesiasticã disciplinã,ita ut nullus fratrũ prioribus suis se aliquando auderet anteponere. sed officijs legitimis id semper exhibitũ est prioribus,quod ab insequentibus rationabiliter semper acciperetur.Hunc ordinẽ iubeat sanctitas uestra,melius uestris inter locutionib. roborare. Aurelius episcopus dixit:Nõ decuerat quidem,ut hæc repeteremus, nisi fortè existerent inconsideratæ mentes quorundam,quæ ad hæc statuenda nostros acuerẽt sensus.Sed & communis hæc causa est, quã insinuauit frater & coepiscopus noster,ut unusquisq; nostrũm, ordinẽ sibi decretum à Deo cognoscat,& posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumãt.Qua de re oportet, eos qui putauerint,spretis maiorib.aliquid præsumẽdũ, cõpetẽter esse ab omni Cõcilio coercẽdos. Vniuersi episcopi dixerũt:Hic ordo & à patrib.& à maioribus est seruatus: & à nobis Deo propitio seruabitur,saluo etiã iure primatus Numidiæ & Mauritaniæ.

14. Deinde placuit,ut quicunq; deinceps ab episcopis ordinantur, literas accipiant ab ordinatorib.suis,manu eorũ subscriptas, continentes consulem & diẽ, ut nulla altercatio de posteriorib.uel anteriorib. oriatur.

15. Itẽ placuit,ut quicunq; in Ecclesia uel semel legerit, ab Ecclesia alia ad clericatum non teneatur.

16. Placuit præterea,ut exequutorib.in omnib.iustis desiderijs imptiatur. Placuit etiã,ut petatur à glorioſissimis Imperatorib⁹, ut iubeãt iudicibus, dare petitos sibi defensores scholasticos q in actu sint,uel in officio defensionũ causarũ Ecclesiasticarum, more sacerdotũ prouinciæ:ut ijdẽ ipsi qui defensionẽ Ecclesiarũ susceperint, habeant facultatem,pro negocijs Ecclesiarũ, quoties necessitas flagitauerit,uel ad obsistendũ callidè decipiẽtib⁹,uel obrepẽtib⁹, uel ad necessaria suggerenda ingredi iudicũ secretaria.

17. Placuit,ut secundũ Euangelicã & Apostolicã disciplinam,neq; dimissus ab uxore, neq; dimissa à marito,alteri cõiungãtur:sed ita maneãt,aut sibimet recõcilientur. Quòd si contempserint,ad pœnitentiã redigantur. in qua legẽ Imperialẽ petendã promulgari.

18. Pla-

18. Placuit, ut quicunq; non communicat in prouincia propria, & in alijs prouincijs uel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam cõmunionis uel clericatus excipiat.

19. Placuit, ut quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.

20. Placuit, ut quicunq; clericus, propter necessitatẽ suã alicubi ad comitatũ ire uoluerit, formatam ab episcopo suo accipiat. Quòd si sine formata uoluerit pergere, à cõmunione remoueatur. Quòd si alicubi ei repentina necessitas oborta fuerit ad comitatũ pgẽdi, alleget apud episcopũ loci eius, ipsam necessitatẽ, & de hoc scripta eiusdem episcopi deferat: formatæ aũt quæ à primatibus, uel à quibuscunq; episcopis, clericis proprijs dantur, habeãt diẽ Paschæ. Quòd si adhuc eiusdẽ anni Paschę dies incerta est, ille præcedẽs adiũgatur, quomodo solet post consulatum in publicis gestis ascribi.

21. Itẽ placuit, ut quicunq; episcopi, quascunque Ecclesias uel plebes, quas ad suam cathedram æstimant pertinere, nõ ita repetierint, ut causas suas episcopis iudicantibus agant, sed alio retinente irruerint, siue uolentibus siue nolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur. Et quicunque iam hoc fecerint, si nondum est inter episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt, ille discedat, quem constiterit prætermissis iudicijs Ecclesiasticis irruisse. Nec sibi quisq; blandiatur, si à primate, ut retineat literas, impetrarit: sed siue habeat literas, siue non habeat, conueniat eũ qui tenet, & eius literas accipiat, ut eũ appareat pacificè tenuisse Ecclesiam ad se pertinentẽ. Si aũt ille aliquam quęstionem retulerit, per episcopos iudices causa finiatur, siue quos eis primates dederint, siue quos ipsi uicinos ex consultu primatis delegerint.

22 Item placuit, ut presbyteri, diaconi, uel cæteri inferiores clerici, in causis quas habuerint, si de iudicijs episcoporum suorum questi fuerint, uicini episcopi eos audiãt: & inter eos quicquid est, finiãt adhibiti ab eis ex consensu episcoporũ suorũ. Quòd si & ab eis prouocandũ putauerint, nõ prouocent, nisi ad Africana concilia, uel ad primates prouinciarũ suarũ. Ad transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communione suscipiatur.

23. Placuit, ut quicunq; conuersus ab hæreticis, dixerit se apud eos pœnitentiã accipere, unusquisq; catholicus episcopus requirat, ubi & ob quam causam apud eosdẽ hæreticos pœnitentiam susceperit, ut cum documẽtis certis hoc ipsum approbauerit, sibi pro qualitate peccati, sicut eidẽ episcopo Catholico uisum fuerit, tempus pœnitentiæ uel reconciliationis decernat.

24. Item placuit, ut quicunq; negligũt loca ad suã cathedram pertinẽtia in catholicã unitatem lucrari, conueniantur à diligentibus uicinis episcopis, ut id agere nõ morentur. Quòd si intra sex mẽses à die cõuentionis nõ hoc fecerint, qui potuerit ea lucrari, ad ipsum pertineãt: ita sanè, ut si ille ad quẽ pertinuisse uidebãtur probare potuerit, magis illius electã negligentiam ab hæreticis, impunè ut ibi sint & suam diligentiã fuisse præuẽtam, ut eo modo eius cura solertior mi taretur. cum hoc iudices episcopi cognouerint, suæ cathedrę loca restituant. Sanè si episcopi inter quos causa uersatur diuersarum sunt prouinciarum, ille primas det iudices, in cuius prouincia est locus de quo contenditur. Si autem ex communi placito uicinos iudices elegerint, aut duo eligantur, aut tres. Quòd si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorũ. A iudicibus aũt, quos communis consensus elegerit, non liceat prouocari. Et quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare iudicibus, cùm hoc primæ sedis episcopo fuerit probatũ, det literas, ut nullus ei communicet episcoporum, donec obtemperet.

25. Si in matricibus cathedris episcopus negligens fuerit aduersus hæreticos, conueniatur à uicinis episcopis diligentibus, & ei sua negligentia demõstretur, ut se excusare non possit. Quòd si ex die quo conuenitur, intra sex menses, si in eius prouincia executio fuerit, & non eos ad unitatem Catholicam conuertendos curauerit, nõ ei cõmunicetur donec impleat. Si aũt executor ad loca nõ uenerit, non ascribatur episcopo. Si aũt probatũ fuerit, eũ de cõmunione illorũ fuisse mentitum, dicendo eos cõmunicasse (eo sciente) non cõmunicasse constiterit, etiam episcopatum amittat.

26. Itẽ placuit, ut quicunq; episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ uirginalis (cũ uel cõpetitor potens, uel raptor aliquis formidatur, uel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso cõpuncta fuerit, ne nõ uelata moriatur aut exigentib. parentibus, aut his ad quorũ curã pertinet) uelauerit uirginẽ, seu uelauit intra uigintiquinq; annos ætatis, nõ ei obsit conciliũ quod de isto annorum numero constitutum est.

27. Itẽ placuit, ne diutius uniuersi episcopi qui ad conciliũ cõgregati sunt, tenerẽtur ab uniuerso cõcilio ternos iudices de singulis prouincijs eligi: ut electi sunt de prouincia Carthaginẽsi Vincẽtius, Fortunatianus, &

& Clarus: de prouincia Numidiæ Alypius, Augustinus, & Restitutus: de prouincia Byzacena, cum sancto sene Donatiano primate Cresconius, Iocundus & Aemilianus: de Mauritania Sitifensi, Seuerianus, Asiaticus, & Donatus: de prouincia Tripolitana, Plautius, qui ex more legatus unus est missus. qui omnes cum sancto sene Aurelio uniuersa cognoscant. A quo petijt uniuersum Concilium, ut cunctis siue gestis quæ confecta iam sunt, siue epistolis, ipse subscribat. Et subscripserunt: Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & perlecto subscripsi. Donatianus Telepiensis primæ sedis subscripsi. Augustinus Hipponæ Regiensis subscripsi. Similiter & omnes episcopi subscripserunt.

¶ Porrò quia Pelagius diu Romæ uixerat, & multos ibi tum suæ opinionis assenclas, tum eius defensores & patronos, quòd non sic sentiret, habebat: ideo ut Carthaginensis, ita & Mileuitana synodus ad Innocẽtium scripsit, eumq; hortata est, ut pro Ecclesia uigilaret: ut patet ex epist. Augustini 92.

Augustinus, & cæteri Mileuitani concilij episcopi, Innocentio, de cohibendis Pelagianis.

Domino beatissimo, meritoq; uenerabili & in Christo honorando papæ Innocentio, Siluanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus, Lucianus, Alypius, Augustinus, Placentius, Seuerus, Fortunatus, Possidius, Nouatus, Secũdus, Maurẽtius, Leo, Faustinianus, Cresconius, Malcus, Littorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus, Christonius, Honorius, Lucius, Adeodatus, Processus, Cresconius, Secundus, Felix, Asiaticus, Rufinianus, Faustinus, Seruus, Terentius, Cresconius, Sperãtius, Quadratus, Lucill⁹, Sabinus, Faustinus, Cresconius, Victor, Gignantius, Posidonius, Antoninus, Innocentius, Præsidius, Crescentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præsidius, Cresconius, Lampadius, Delphinus, ex concilio Mileuitano in Domino salutem. Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede Apostolica collocauit, talemq; nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentię ualeat, si apud tuam uenerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt tacuerimus, quàm ea tu possis uel fastidiosè uel negligẽter accipere, magnis periculis infirmorũ membrorũ Christi pastoralẽ diligentiã quæsumus adhibere digneris. Noua quippe hæresis & perniciosa nimiũ tempestas surgere inimicorũ gratię Christi cœpit, qui nobis etiã Dominicã orationẽ impijs disputationibus conantur auferre. Cum enim Dominus docuerit ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: isti dicunt, posse hominẽ in hac uita præceptis Dei cognitis ad tantã pfectionẽ iusticiæ, sine adiutorio gratię Saluatoris, per solũ liberũ uoluntatis arbitriũ peruenire, ut ei non sit iam necessariũ dicere, Dimitte nobis debita nostra. Illud uerò q, sequitur, Ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendũ, tãquã diuinũ adiutoriũ poscere debeamus, ne in peccatũ tẽtati decidamus: sed hoc in nostra esse positũ potestate, & ad hoc implendũ solam sufficere uoluntatẽ hominis. tãquã frustra Apostolus dixerit: Nõ uolẽtis, neq; currẽtis, sed miserẽtis est Dei. Et: Fidelis Deus, qui nõ permittet uos tentari supra id quod potestis, sed faciet cũ tentatione etiã exitũ, ut possitis sustinere. Frustra etiã Domin⁹ dixerit apostolo Petro, Rogaui pro te ne deficiat fides tua: & omnib. suis, Vigilate & orate ne intretis in tentationẽ: si hoc totũ est potestatis humanæ. Pueros quoq; paruulos, si nullis innouentur Christianæ gratiæ sacramentis, habituros uitã æternã, nequam præsumptione contendunt, euacuantes qd⁸ dicit Apostolus: Per unũ hominẽ peccatum intrauit in mundũ, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et alio loco: Sicut in Adã omnes moriuntur, sic & in Christo omnes uiuificabuntur. Vt ergo alia omittamus, quę contra sanctas Scripturas plurima disserunt: hæc interim duo, quib. omnino totũ quod Christiani sumus nitũtur euertere, quę fidelia corda sustinent, nõ esse rogandũ Deũ, ut contra peccati malũ atq; ad operandã iusticiã sit noster adiutor, & non opitulari paruulis ad consequendã uitã æternã Christianæ gratiæ sacramentũ: hoc insinuantes Apostolico pectori tuo, nõ opus habemus multa dicere, & tantã impietatẽ uerbis exaggerare: cum proculdubiò te ità permoueant, ut ab eis corrigendis ne latius serpant, multosq; cõtaminẽt, uel potius interimant, dũ sub nomine Christi, à gratia Christi penit⁹ alienãt, omnino dissimulare non possis. Huius aũt perniciosissimi erroris autores esse perhibẽtur, Pelagius & Cœlestius, quos quidẽ in Ecclesia, sanari maluimus, quàm desperata salute ab Ecclesia resecari, si necessitas nulla cõpellat. Quorũ unus, id est Cœlestius, etiã ad presbyteriũ in Asia dicit pueniſſe. De quo ante paucos ãnos quid gestũ fuerit, sanctitas tua de Carthaginẽsi ecclesia melius instruitur. Pelagius uerò, sicut à quibusdã fratrib. nostris missæ loquuntur epistolæ, Hierosolymis cõstitutus, nõnullos fallere asseritur: ueruntamẽ multo plures, qui eius sensus diligentius indagare potuerũt, aduersus eum pro gratia Christi & catholicæ fidei ueritate cõfligunt: præcipuè sanctus filius tuus frater & cõpresbyter noster Hieronymus. Sed

arbitramur, adiuuāte misericordia Domini Dei nostri Iesu Christi, qui te & regere cōsulentē, & orantē exaudire dignatur, autoritati sanctitatis tuæ, de sanctarū scripturarū autoritate deprōptæ, facilius eos qui tā puersa & pniciosa sentiūt, esse cessuros, ut de correctione potius eorū cōgratulemur, quàm cōtristemur interitu. Quodlibet aūt ipsi eligāt, certè uel alijs quos plurimos possunt, si ab eis dissimuletur suis laqueis implicare, cernit uenerabilitas tua instāter & celeriter ꝓuidendū. Hæc ad sanctitatē tuā de cōcilio Numidiæ scripta direximus, imitātes Carthaginensis ecclesiæ, Carthaginēsis prouinciæ coepiscopos nostros, quos ad sedē Apostolicā, quā beatus illustras, de hac causa scripsisse cōperimus. Et alia manu: Memor nostri in Deū gratia augearis Domine beatissime, meritoq; uenerabilis & in Christo honorande sancte pater.

Innocentius Romanus pontifex, patribus concilij Mileuitani, comprobans illorum acta aduersus Pelagianos.

Innocentius Siluano, seni, Valentio, & cęteris qui in Mileuitana synodo interfuerūt, dilectissimis fratrib. in Domino salutē. Inter cæteras Romanæ ecclesiæ curas, & Apostolicæ sedis occupationes, quib. diuersorum consulta fideli ac modica disceptatione tractamus, frater & coepiscopus noster Iulius, dilectionis uestræ literas quas ex Mileuitano cōcilio cura fidei ꝓpēsiore misistis, mihi inopināter ingessit, Carthaginēsis etiā synodi querelæ partis scripta subiungēs. Nimirū exultat Ecclesia, tātā sollicitudinē cōmissis gregib. exhibere pastores, ut non solùm ex his nō patiātur errare: sed si quas magis ouium obscœnæ delectationis herba seduxit, si in errore ꝑmāserint, aut segregari penit⁹ uelint, aut illicenter dudū petita uitātes, custodię pristinæ circūspectione tutari: in utraq; parte uidelicet cōsulētes, ne uel suscipiendo tales simili cæteræ ducātur exēplo, uel spernēdo redeūtes luporū morsib. uideātur ingestę. Prudēs admodū & catholicæ fidei plena cōsolatio. Quis enim aut tolerare possit errantē, aut nō recipere corrigētē? Nā ut durū arbitror, cohibentiā præbere peccātibus: ita impiū iudico, manū negare cōuersis. Diligēter ergo & cōgruè Apostolico cōsulitis honori, honori inquā illius, quē prēter illa quę sunt extrinsec⁹, solicitudo manet omniū Ecclesiarū, sup anxijs reb. quæ sit tenēda sentētia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quā toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam. Verùm hęc missa facio: neq; enim hoc uestrā credo latēre prudentiā. Quid id etiā actione firmastis, nisi sciētes quòd ꝓ oēs ꝓuincias de Apostolico fonte petētib. respōsa semp emanēt? Præsertim quotiēs fidei ratio uētilatur, arbitror oēs fratres & coepiscopos nostros nō nisi ad Petrū, id est sui nominis & honoris autorē referre deberre, uelut nūc retulit uestra dilectio, quòd per totū mū dū posit omnib. Ecclesijs in cōmune ꝓdesse. Fiāt enim necesse est cautiores, cū inuēto res malorū ad duplicis relationē synodi sententię uestræ statutis uiderint ab Ecclesiastica cōmunione seiūctos. Gemino igit bono charitas uestra fungitur. nā & canonū potiemini gratia seruatorū, & beneficio uestro totus orbis utetur. Quis enim catholicorū uirorū cū aduersarijs Christi uelit ulterius miscere sermonē? qs salte ipsam lucē uitę cōmunione partiri? Noui hæreseos nimirū fugiātur autores. Quid enim acerbius in Deū ligare potuerūt, quàm cū adiutoria diuina callārēt, causamq; diuinę, id est quotidianę precationis auferrēt: hoc enim est dicere, Quid mihi opus Deo? Meritò in hos dicat hymnidicus: Ecce homines q nō posuerūt Deū adiutorē sibi. Negātes ergo auxiliū Dei, inqūt homine sibi posse sufficere, nec gratia hūc egere diuina: qua priuatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occūbat, dū ad omnia uitę pertinēda mādata, sola tātū modo libertate cōtēdat. O prauissima mētiū peruersa doctrina. Aduerte tādē, q primū hominē ita libertas ipsa decepit, ut dū indulgētius frenis eius utitur, in præuaricationē præsumptione cōcidерit: nec ex hac potuit erui, nisi ei ꝓuidētia redemptionis statū pristinę libertatis Christi Domini reformasset aduētus. Audi Dauid dicentē: Adiutoriū nostrū in nomine Domini, & Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neq; despicias me Deus salutaris meus. Quę incassum dixit, si tantum in eius erat potestate uoluntate, q à Domino flebili sermone poscebat. Quæ cū ita sint, cū in omnib. diuinis paginis uolūtati liberæ nō nisi adiutorium Dei legamus esse nectendū, eamq; nihil posse cœlestib. auxilijs destitutā, quo nā modo huic soli possibilitatē hāc ꝓtinaciter (ut asseritis) defendētes, sibimet, imò (q est dignius dolore cōmuni) plurimis Pelagius Cœlestiusq; ꝓsuadēt? Multifarijs equidē adinstruendū tale magisteriū uti possemus exemplis, nisi sciremus sanctitatē uestrā adplenum Scripturas omnes callere diuinas, præsertim cū uestra relatio tantis ac talib. testimonijs sit referta, ut his solis ualeat præsens dogma rescindi: opusq; nō esse recognitis, cum ex his quæ facilè uobis occurrentia posuistis, nec audeāt obuiare, nec possint. Ergo Dei gratiā conantur auferre, quam necesse est etiā restituta nobis status pristinę libertate quæramus: quippe nec alias diaboli machinas, nisi eadē possumus iuuāte uitare. Illud uerò, q eos uestra fraternitas asserit prædicare, paruulos æternæ uitæ præmijs

etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint sanguinem eius, nō habebunt uitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, uidentur mihi ipsum baptismum uelle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur nō nisi baptismate conferendum. Si ergo nihil uolunt efficere non renasci, fateantur necesse est nec regenerationis sacra fluenta prodesse. Verùm ut superfluorum hominū praua doctrina celeri ueritatis posit ratione discindi, proclamat hoc Dominus in Euangelio dicens: Sinite infantes, & nolite eos prohibere à me: talium est enim regnum cœlorum. Quare Pelagium Cœlestiumq; id est inuētores uocū nouarū, quæ (sicut dixit Apostolus) ædificationis nihilum, sed magis uanissimas consueuerunt părere quæstiones, Ecclesiastica cōmunione priuari, Apostolici uigoris autoritate censemus: donec resipiscant de diaboli laqueis, à quo captiui tenētur secundū ipsius uoluntatē: eosq; interim Dominico ouili nō recipi, quo ad ipsi peruersæ uiæ seculi tramitē deserere uoluerunt. Abscinden di sunt enim, qui uos cōturbāt, & uolūt cōuertere Euangeliū Christi. Simul aūt præcipimus, ut quicūq; id pertinacia simili defendere nituntur, par eos uindicta constringat. Nō solùm enim qui faciūt, sed etiá qui consentiūt facientibus: quia nō multū interesse arbitror inter cōmittentis animū, & cōsentiētis fauorē. Addo amplius, plerūq; dedisicit errare, cui nemo cōsentit. Hæc ergo fratres charissimi in supradicta maneāt fixa sententia: absint atrijs Domini, careant cubiculis pastorali, ne duarū ouiū dira cōtagia serpant forsitā per uulgus incautū, rapaciq; lupus corde lętetur intra ouile Dominicum tātas ouiū sulas cateruas, dū à custodib. dissimulāter habetur uulnus duarū. Prospiciēdū est ergo, ne permittendo lupos, mercena rij magis uideamur esse, quàm pastores. Iubemus sanè, quoniā Christus Dominus propria uoce significauit, nolle se morte moriētis, tantū ut reuertatur & uiuat, si unquā sani deposito praui dogmatis errore resipuerint, dānarintq; ea quorū se ipsi præuaricatione dānarunt, eis medicinā solitā, id est receptaculū suu ab Ecclesia nō negari: ne dū eos redeuntes forsitan prohibemus, uerè extra ouile remanētes, expectantis hostis rabidis faucib. gluriātur, quos in semetipsis spicula malę disputationis armauit. Bene ualete. Data tū 6. Calend. Februarias, Honorio & Cōstantio uiris clarissimis Cōsulibus. Sentētiam huius siue Carthaginensis cōcilij, Imperatores exequuti sunt, ut patet ex epistolis sequentibus.

Imperialis epistola, ad Aurelium Carthaginensem episcopum.

Imperator Honorius & Theodosius Augusti, Aurelio episcopo salutē. Dudū qdē fuerat constitutū, ut Pelagius atq; Cœlestius infandi dogmatis repertores, ab urbe Roma, uelut quædā catholicæ utilitatis cōtagia pellerentur, ne ignorantiū mentes sæua persuasione peruerterēt: in quo sequuta est clemētia nostra iudiciū sanctitatis tuæ, quo cōstat eos ab uniuersis iusta sentētiæ examinatione dānatos. Sed quia obstinati criminis pertinax malū, ut cōstitutio geminaretur exegit, recēti quoq; sanctiōe decreuim⁹, ut si qs eos in quacūq; puinciarū parte latitare non nesciēs, aut propellere aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ uelut particeps subiaceret. Præcipuè tamē ad quorūdā episcoporū pertinaciā corrigendā, q prauas eorum disputationes uel tacito cōsensu astruunt, uel publica oppugnatione nō destruunt: pater charissime atq; amātissime, sanctitatis tuæ autoritatē cauere cōueniet, quaten⁹ in abolitione præpostere hæresis, omnium deuotio Christiana cōsentiat. Religio itaq; tua cōpetentib. scriptis uniuersos faciet admoneri, scituros definitione sanctimonij tui hāc sibi definitionē esse præscriptā, ut quicūq; dānationi suprà memoratorū, quo pateat mens pura, subscribere impia obstinatione neglexerint, episcopat⁹ amissione mulctari interdicta in perpetuū expulsi ciuitatib. communione priuētur. Nā cū ipsi iuxta synodū Nicenā confessione sincera cōditorē rerū omniū Dominū, Imperijq; nostri uenerētur authorē, nō patietur sanctitas tua, sectę detestabilis homines in iniuriā religionis, noua & inusitata meditātes, secretis tractationib. occultari, sacrilegiū publica semel autoritate dānatū. Vna enim eadēq; culpa est eorū qui aut dissimulando conniuentiam, aut non dānando fauorē noxiū præstiterunt. Et alia manu: Diuinitas te per multos annos seruet incolumē pater charissime atq; amātissime, Datæ V. Iduū Iunij, Rauennæ. Eodē tenore etiam ad sanctum Augustinū episcopū datę.

Epistola sancti Aurelij episcopi, ad omnes episcopos per Bizacenam & Arzugitanam prouincias constitutos, de damnatione Pelagij atq; Cœlestij.

Dilectissimis ac desiderabilib. fratrib. & cōsacerdotib⁹, Donatiano primæ sedis, Ianuariano, Felici, Palatino, Primino, Graiano, & alij Graiano, Ianuario, Victorino, & cæteris per tractū prouinciæ Bizacenæ & Arzugitanæ cōstitutis, Aurelius episcopus. Super Cœlestij Pelagijq; dānatione, eorūq; dogmatib⁹, participē sanctā dilectionem uestrā in plenario cōcilio fuisse cōmemini, dilectissimi & desiderabiles fratres. Sed quo-

niã pro honore Dei, in cuius manu cor Regis est constitutũ, glorioſiſsimorũ principũ Chriſtianorũ fidẽ rectã & catholicam cõſtituentium acceſsit autoritas, quam per humilitatem meã uniuerſis coepiſcopis meis uoluit intimari: idcirco honorabilẽ fraternitatẽ ueſtrã miſsis exẽplarib. inſtruere feſtinaui, ne in aliqua parte prouinciarũ ſupradictarũ ſerpẽtina ꝑſuaſio ab uniuerſali Eccleſia totius orbis excluſa, fortaſſe ſubrepat. Ob hoc ergo tã neceſſaria cõſtitutio Chriſtianorum principũ charitatẽ ueſtrã latẽre non debuit, & ad me ab eis datæ literæ, quarum ſimul exẽplarib. lectis, quẽadmodũ ſubſcribere unuſquiſq; ueſtrũm debeat, dilectio ueſtra cognoſcat, ſiue quorũ in ſynodalib. geſtis ſubſcriptio iã tenetur, ſiue q̃ non potuiſtis eidẽ plenario totius Africæ intereſſe concilio: q̃ cũ de ſupradictorũ hæreticorũ dãnatione omniũ ueſtrũm fuerit integra ſubſcriptio, nihil omnino ſit imbecillius, ſiue diſsimulationes uel negligẽtię, uel occultæ forſitã prauitatis aliqua uideatur meritò remãſiſſe ſuſpicio. Et alia manu: Opto fratres bene uiuatis, mei memores. Datę calendis Auguſti, Carthag. Monaxio & Plenta Conſulibus.

Sacra Honorij & Theodoſij Auguſtorum contra Pelagium & Cœleſtium.

Imperatores Honorius & Theodoſius Auguſti, Palladio præfecto prætorij. Ad cõturbandã catholicę ſimplicitatis lucẽ, puro ſemper ſplẽdore radiantẽ, doloſæ artis ingenio nouã ſubitò emicuiſſe uerſutiã, peruulgata opinione cognouimus. Quæ fallacis ſciẽtia obũbrata mẽdacijs, & furioſo tantũ debacchata luctamine, ſtabilẽ ſpõdet quietẽ cœleſtis attractare fidei, dum noui criminis commẽdat euẽtui inſignẽ notã, plebeiæ æſtimãs uilitatis ſentire cũ cũctis, ac prudẽtiæ ſingularis palmã fore cõmuniter approbata deſtruere: cuius impiæ cõmẽdationis autores Pelagiũ Cœleſtiũq; percrebuit extitiſſe. Hi parẽti cunctarũ rerũ Deo, præcipueq; ſemp maieſtatis interminę potẽti, omni ultra principiũ trãſeunti, tã trucẽ inclemẽtiã ſęuæ uolũtatis aſsignẽt, ut cũ formãdi mũdi opificẽ curã ſumeret, qualitatẽq; hominis ſtruendi ꝑfunda ſpiritus cõceptione libraret, fundati muneris fidei anteferret exordiũ, & mortẽ præmitteret naſcituro, nõ hãc inſidijs uetiti fluxiſſe peccati, ſed egiſſe pœnitus legẽ immutabilis cõſtituti, ut ad declinandũ leti exitialis incurſum, nihil ꝑdeſſe abſtinentia delinquẽdi, cuius ita uis putaretur adſcripta ut nõ poſsit abolere deinceps primitiui hominis erroꝝ. In quẽ captę mentis inopis rationis cæcitas irruiſſet, delapſum ad poſteros nõ fuiſſe, tantũq; apud eũ, quã male ſuadę gratię infelix rapuiſſet illecebra, trãſgreſſionẽ interdicti extitiſſe diſcriminis cũ euidens catholicæ legis omnifaria teſtetur auctoritas, illũ interitus omniũ fuiſſe ueſtibulũ, quẽ diuinæ præceptionis ſedulũ liqueat corrupiſſe mandatũ. Aliqua quoq; pluriſma, quæ ſermo reſpuit, lex refutat: quæ perexoſum recordari, etiã ſub diſpoſitione plectẽdi. Quæ maturato remedio & celeritate feſtina oportet intercipi, ne corroborato uſu nequitiæ, adoleſcẽtes uix ualeãt coerceri. Si quidẽ aures mãſuetudinis noſtrę recẽs fama perſtrinxerat, intra ſacratiſsimã urbẽ noſtrã, aliaq; loca ita peſtiferũ uirus quorundã inoluiſſe pectoribus, ut interrupto directæ creꝺulitatis tramite, ſciſsis in partes ſtudijs aſſerendi materia impacatæ diſſenſionis inducta ſit: nouoq; ſcandali fomite concitato beatiſsimæ eccleſiæ actus nutet attentata tãquillitas. Alijs itẽ aliud ancipiti interpretatione ſectantibus, & abſoluta ſanctorũ apicũ claritas, ac dilucidè qd ſeq uniuerſitas debeat, explanans pro captu uerſipellis ingenij profanã nouorũ autorũ mouentib. quæſtionẽ, Palladi parẽs chariſsime atq; amãtiſſime. Ob quã rẽ illuſtris autoritas tua, uictura in omne çuũ lege nos ſtatuiſſe cognoſcat, ut pulſis ex urbe primis capitib. dogmatis execrãdi à Cœleſtio atq; Pelagio: ſi q̃ huius deçęterò ſacrilegij ſectatores quibuſcũq; locis potuerint reperiri, aut de prauitate dãnata aliquẽ rurſus ꝓferre ſermonẽ, à quocũq; correpti, ad cõpetentẽ iudicẽ pertrahantur, quos ſiue clericus ſiue laicus fuerit, deferẽdi habeat poteſtatẽ, & ſine præſcriptiõe aliqua perurgẽdi, quos relicta cõmunis ſciẽtię luce nouę diſputationis tenebras introferre deprehẽderit contra Apoſtolicam ſcilicet diſciplinam, Euangelicamq; claram & ſine errore ſententiam, uafra rudis ſectę calliditate pugnantes, inuoluentesq; ſplendentẽ fidẽ ueri ambagib. differendo. Hos ergo reꝺuctosq; ad audiẽtiã publicã promiſcuè cõferentes, à quibuſcunq; iubemus corripi, ab omnib. accuſari, ita ut probationẽ conuicti criminis ſtylus publicus inſequatur, ipſis inexorati auxilij deportatione damnatis. Decet enim ori giniẽ uitij à cõuentu publico ſequeſtrari: nec in communi eos celebritate cõſiſtere, qui nõ ſolùm facto nefario deteſtãdi, uerùm etiã exẽplo uenenati ſpiritus ſint cauendi. Iuuat aũt per omnem penè mũdũ, quà imperiũ noſtrũ extenditur, huiuſmodi promulgata diffundi, ne inſcientiæ fortaſſe diſsimulatio paſtũ præſtet errori: atq; impunè ſe quiſq; putet audire, quod condẽnatũ uigore publico ſeſe finxerit ignorare. Datę pridie calend. Maij, Rauennæ, Dd. n. n. Honorio XII. & Theod. VIII. Auguſtis cõſulib.

Exemplar edicti propoſiti à Palladio præfecto prætorij. Iuniꝰ

Iunius Quartus, Palladius Monoxius, & Agricola, iterum præfecti prætorij, dixerũt: In Pelagiũ atq; Cœlestiũ, catholici dogmatis fidẽ sæuis tractatib. destruentes, sentẽtia principalis inualuit, ut uenerabili urbe submoti, bonorũ cõcilio mulctarẽtur. Hoc igitur oẽs admoneri oportet edicto, ne quis sinistræ persuasionis errorib. credulũ præstet assensum & si sit ille plebeius ac clericus, qui in caliginis huius obscœna reciderit, à quocũq; tractus ad iudicẽ, sine accusatricis discretione personæ facultatũ publicatione nudatus, irreuocabile patietur exiliũ. nã superna maiestas, ut collegit ex secreti ignoratione reuerentiam, ita ex inepta disputatione iniuriam.

SYNODVS IN ORIENTE *seu Palæstina.*

Circa id tẽpus, aut non multo pòst, quo Carthaginensis & Mileuitana synodus hæresin Pelagij & Cœlestij examinauit & damnauit, in Oriẽte, fortè in Palęstina (nã Hierosolymis Pelagiũ suos errores spargere, epistola concilij Mileuitani ad Innocentiũ indicat) synodus celebrata est, in qua pręstò fuit Pelagius. Obiectum autem ei est, quòd doceret, Adã mortalẽ factũ esse, qui siue peccasset, siue non peccasset, moriturus fuisset. 2. Quòd peccatũ eius ipsum solum læserit, & nõ etiã genus humanũ. 3. Quòd infantes nuper nati, in illo statu sint, in quo Adam fuerit ante præuaricationẽ. 4. Quòd neq; per mortem uel præuaricationem Adæ omne genus hominũ moriatur, neq; per resurrectionem Christi omne genus hominũ resurgat. 5. Quòd infantes, etiãsi non baptizentur, tamen possint habere uitam æternam. 6. Quòd diuites baptizati, nisi omnibus abrenuncient, non possint saluari: & licet uisi fuerint aliàs bona opera facere, tamẽ ea non placere Deo. 7. Quòd gratia Dei atq; adiutorium non ad singulos actus detur, sed quòd in libero arbitrio uel in lege atq; doctrina omnia sint posita. 8. Quòd gratia Dei secundum nostra merita detur. 9. Quòd filij Dei non possimus uocari, nisi omni modo absque peccato simus. 10. Quòd non sit liberum arbitrium, si Dei indigeatur auxilio: quoniam in propria uoluntate habeat unusquisque facere, aut non facere. 11. Quòd uictoria nostra non sit ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio. 12. Quòd pœnitentibus non detur uenia secundum gratiam & misericordiam Dei, sed secundum laborem & meritum eorũ qui per pœnitentiam digni fiant misericordia. Pelagius autem, licet primùm defendere quædam conatus, tamen tandem compulsus est profiteri, Adam, nisi peccasset, non fuisse moriturum: & peccatum eius non ipsum solum, sed etiam genus humanum læsisse: ac infantes in eo statu non esse, in quo Adam fuerit ante præuaricationẽ: sed etiam ad ipsos pertinere Apostoli dictum, Per unum hominem mors, & per unum hominẽ resurrectio mortuorũ. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes uiuificabũtur. Et quòd hanc ob causam infantes nõ baptizati, non solùm non regnũ cœlorum, uerumetiam ne uitam quidem æternam habere queant. Diuites baptizatos, etiãsi diuitias retineant, modò sint tales quales ad Timotheũ describit Apostolus, non posse regno Dei priuari. Gratiam Dei & adiutorium ad singulos actus dari, & quidem nõ secundũ merita nostra: ut uera sit gratia, id est gratis data, per eius misericordiã qui dixit, Miserebor cuiuscunq; misereor. Filios Dei uocari posse illos, qui quotidie dicant, Dimitte nobis debita nostra: quod utiq; nõ ueraciter dicerent, si essent absq; peccato omnino. Esse liberũ arbitriũ in renatis, etiãsi indigeant diuino adiutorio, licet in lucta cõtra tentationes & concupiscentias illicitas renati habeant propriam uoluntatem: non tamẽ ex illa, sed ex Dei adiutorio nostrã ꝓuenire uictoriã. Siquidem Apostolus dicat: Non est uolentis, neq; currentis, sed miserẽtis Dei. Et secundum gratiã & misericordiã Dei ueniam pœnitentibus dari, nõ secundũ meritum eorum. Apostolũ enim pœnitentiã donũ Dei dicere in illo ad Timotheum, Ne fortè det illis Deus pœnitentiã. Talia cum Pelagi⁹ siue seriò siue simulatè cõfessus esset, catholicus seu rectè sentiẽs pronũciatus est. Ac sunt ea ecclesiastica gesta, ut Augustinus appellat epistola nonagesimaquinta, sparsa, uerùm sine literis & testimonio eorũ qui interfuerũt Synodo. Quare Augustinus & alij rem suspectã habuerunt, ac existimarunt Pelagium ambiguitate uocabuli Gratiæ synodum delusisse. Desiderarũt etiã hoc, quòd Pelagius non aliquo scripto suos libros, quib. alij essent infecti, coactus esset damnare, ad abolendum scandalum, & recuperandos in errorem inductos. Item quòd Romanus episcopus, cum Romæ diu uixisset Pelagius, rem tantam uideatur negligere. Literas ergo Aurelius, Alypius, Augustinus, Euodius & Possidius ad Innocentiũ papam scribunt, ut quoniam uideatur Pelagius episcopis imposuisse, ipse eum Romam accersat, & diligenter examinet, quã dicat gratiam, qua fateatur ad non peccandũ iusteq; uiuendum homines adiuuari: aut cum eo per literas id agat, ac si inueniat eum rectè sentire, & non ludere ambiguitate, qua solebat gratiã dicere liberum arbitriũ, aut remissionẽ peccatorum, aut præceptũ legis esse, & non Spiritũ sanctum, absoluat eum: ac simul ei iniungat,

ut anathematizet librum in quo disputarit de posibilitate naturæ ad uincenda peccata, & implenda mandata, siue suis, siue alterius, cum suo nomine circumferantur, & alijs noceant. Ad hoc respondet Innocētius, gesta quidē à laicis esse perlata, in quib. dicatur, Pelagium esse purgatū: uerùm sibi id nō persuaderi posse, cum nihil ab illis qui id fecissent scribatur. Deinde si uerè egisset pœnitentiam, dudum uenisset, & petisset à se absolutionē. Quòd si esset accersendus, id melius ab illis fieri, q̄ essent ei propinquiores, ueruntamē se uisurum, ne ei desit cura, si medicinæ præbeat ille materiam. Librum Pelagij transmissum planè esse blasphemum, ac damnari oportere. patent hæc ex epistolis Augustini, 95 & 96.

TELENSIS.

TElensis synodus, contra Iouinianū & socios eius (si recta est libri Concilio rū indicatio) celebrata est Honorio undecimò & Constantio secundò cōsulibus: anno Salutis iuxta Prosperū, 419: secundū alios, quadringētesimo uigesimoprimo: episcopatum Romæ administrante Zozymo. Præfuit in ea Donatianus episcopus Telensis, cōsidentibus secum Ianuario, Felice, Secundo, Fortunio, & cæteris episcopis, quorum Catalogum uolumen Conciliorum continet. Lecta in ea fuit synodo epistola Syricij ad episcopos per Africam, in qua proponuntur constitutiones ad Ecclesiasticam disciplinā pertinentes nouem. 1. Vt extra conscientiā sedis Apostolicæ, nemo audeat ordinare. 2. Vt nec unus episcopus ordinare episcopum præsumat, quod in synodo Nicena constat esse definitum. 3. Vt si quis post remissionē peccatorū cingulū militiæ secularis habuerit, ad clerū nō admittatur. 4. Vt uiduā clericus nō ducat uxorē. 5. Vt qui laicus uiduā duxerit, ad clerū nō admittatur. 6. Vt de aliena Ecclesia ordinare clericū nullus usurpet. 7. Vt abiectū clericū alia Ecclesia nō admittat. 8. Vt uenientes à Nouatianis, uel à Montensibus, per manus impositionē suscipiantur, præter eos quos rebaptizant. 9. Præterea, quod dignū & pudicum & honestum est, suademus, ut sacerdotes & Leuitæ cum uxoribus suis non cœnent, quia in ministerio diuino quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios nanq; sic Paulus scribit, dicens: Abstinete uos, ut uacetis orationi. Si ergo laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecātes audiri: quāto magis sacerdos utiq; omni momento paratus esse debet, mūdiciæ puritate securus, ne aut sacrificiū offerat, aut baptizare cogatur? Qui si cōtaminatus est carnali cōcupiscentia, qd faciet? Excusabit? Quo pudore, qua mente usurpabit? Qua conscientia, quo merito hic exaudiri se credit, cum dictum sit: Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundū? Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobriū, quod potest iure etiam gentilitas accusare. Fortè creditur, quia scriptum est, Vnius uxoris uirum: non permanenti in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram. Neq; enim integros non admisit, qui ait: Vellem autem omnes homines sic esse, sicuti & ego. Et apertius declarat dicēs: Qui aūt in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos aūt iam nō estis in carne, sed in spiritu.

SVB HONORIO ET Theodosio.

CARTHAGINENSIS SEXta, *seu concilium Africanum.*

SExta Carthaginensis synodus celebrari cœpit Honorio duodecimò, & Theodosio octauò Consulibus, anno Domini (secūdum Marianum Scotum) 419, aut 420. iuxta Prosperum: anno imperij Honorij decimo, & durauit ultra sexennium. Congregati autem fuerunt in ea episcopi numero ducenti & septendecim, inter quos fuerunt Augustinus, Prosper, Orosius, & multi alij præstantes & celebres uiri. Præsedit aūt Aurelius Carthaginensis episcopus, præcipuus totius Africæ metropolitanus. in eo tres episcopi Romani, nimirum Zozymus, Bonifacius primus, & Celestinus, ordine sibi succedentes, summa contentione conati sunt sanctis illis patribus persuadere, sibi iurisdictionem in Africanas & exteras Ecclesias iure deberi: quę res hac occasione cœpta est.

¶ Apiarius presbyter ecclesiæ Siccensis, homo multis sceleribus insignis, nō modò à suo episcopo, sed etiā à frequenti uicinorū episcoporū synodo excōmunicatus, ad Zozymū papam Romanū, omniū facinorosorū perpetuū asylū cōfugerat. Ac cū de iniuria bifacta ab episcopis prolixè esset questus, Zozymus oblitus illius celeberrimi dicti, Audi & alterā partem: sine uera causæ cognitione eum innocentē pronunciauit, & ad cōmunionem admisit. Cum autem intelligeret Africanos in Synodum coire, ablegat eò Faustinum episcopum Potentinum, & duos Romanæ ecclesiæ presbyteros Philippum & Asellum, eisq; in mandatis dat, ut Apiarij causam agant, eumq; à synodo Africana in communionem recipi, & Vrbanum episcopum Siccensem excommunicari curent, aut Romā euocari, nisi ea quæ uidebantur corrigenda, corrigeret: ac simul extorqueant, ut liceat episcopis & sacerdotibus à sententia suorum metropolitanorum, aut etiam Synodi ad sedem Apostolicam Romanam appellare: sibique etiam legatos à latere in Africam mittere, qui causas appellantiū ibi cogno-

cognoscant. Id autem ut facilius efficerent inter alia argumẽta quæ eis instillauit, hoc præcipuè eos urgere iussit, quòd scilicet Nicena synodus hoc priuilegiũ Romano pontifici concessisset. Id ut probarent, suppositi tradidit.

¶ Faustinus episcopus plebis Potentinę, prouinciæ Italiæ, Piceni, legatus Romanæ ecclesiæ dixit: Iiuncta nobis sunt à sede Apostolica, aliqua per scripturam, aliqua etiã in mandatis cũ uestra beatitudine tractãda, sicut ex gestis superioribus meminim⁹: hoc est, de Nicenis canonibus, ut conseruentur, & cõstitutio eorũ & cõsuetudo, quia aliqua ordine & canone tenẽtur, aliqua cõsuetudine firmata sunt. De his ergo primitùs, si placeret beatitudini uestræ, hactenus: & postea cætera, quæ acta uel inchoata sunt, inserta firmabuntur, ut ad sedẽ Apostolicam referri-ptis uestris intimare possitis, atque nos uos admonuisse apud uenerabilẽ Papã euidẽter pateat: liceat & capitula actionũ iam inserta sint gestis. De ipsis ergo (ut dictũ est superius) quid uestræ beatitudini placeat, agere debemus. Veniat ergo cõmonitoriũ in medio, ut scire possit uestra beatitudo, quid in eo cõtineatur, ut ad singula respondeatur.

Aurelius episcopus dixit: Proferatur cõmonitorium, quod fratres & consacerdotes nostri in actis nuper allegauerunt, & cætera quæ acta sunt, uel quæ agenda sunt, subsequantur. Daniel notarius recitauit.

Commonitorium fratri Faustino & filijs Philippo & Asello presbyteris, Zozymus episcopus: Vos cõmissa negocia non latent. Vos ita ut nostra, imò quia nostra ibi in uobis præsentia est, cuncta peragite, maximè cum & hoc nostrũ positis habere mandatũ, & uerba canonum quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio inseruimus.

Canon suppositus à Papis, qui tamen ne hodie quidem uel in Latinis uel in Græcis Nicenæ synodi canonibus habetur: imò planè contrarium habetur.

Ita enim dixerunt dilectissimi fratres in concilio Niceno, cum de episcoporũ appellatione decernerent: Placuit aũt, ut si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati episcopi regionis ipsi⁹, & de gradu suo deiecerint eum, & appellasse episcopus uideatur, & cõfugerit ad beatissimũ Romanæ ecclesiæ episcopũ, & uoluerit audiri, & iustũ putauerit ut renouetur examen, scribere his episcopis dignetur, qui in finitima & ꝓpinqua prouincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem ueritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suã iterum audiri, de precatione sua mouerit episcopũ Romanum, ut è latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi Romani, quid uelit, & quid existimet: & si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis iudicent, habentes authoritatem eius à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si uerò crediderit sufficere episcopos, ut negocio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.

Intelligunt patres, quatuor à legatis nomine episcopi Romani postulari. Primũ, de appellatione episcoporũ ad Romanæ ecclesiæ sacerdotem: secundũ, ne ad comitatum episcopi importunè nauigent: tertium, de tractandis presbyterorũ & diaconorum causis apud finitimos episcopos, si à suis excõmunicati perperàm fuerint: quartum, de Vrbano episcopo excõmunicando, uel etiam Romam euocando, nisi ea quæ uidebantur corrigenda, corrigeret: ut patet ex Epistola synodi ad Bonifacium.

Præcipuè autem eos id quod primo loco postulabant de appellationibus, & quidem eo nomine quòd id priuilegium in Nicena synodo eis concessum esset, turbabat tum nouitate, tum absurditate. Tale enim decretum in ea synodo factum esse neq; antea audierant, neque in canonum codice annotatum reperiebant.

¶ Videbatur etiam eis absurdissimũ, unũ homuncionẽ omnibus Christi ecclesijs per orbẽ terrarum sparsis imperare, easq; regere uelle, cum ea res plurimorum episcoporum uires & curas propemodũ exuperaret. Subolfaciebant etiam, eo modo fumosum seculi typum (ut uocant) in ecclesiam induci, seu regnum Christi in mundanum & politicum transformari, & donum cognoscendi & iudicandi controuersias Africanis ecclesijs pręcipi, & ad Romanã alligari. Intelligebant etiã, eam rem multa incõmoda Ecclesiasticæ disciplinæ allaturã. Vrebat etiã eos non leuiter, q; illum tam scelestũ Apiariũ, temerè non modò ad cõmunionem recepisset & absoluisset, sed etiam mandaret eundem à synodo recipi, & Vrbanum damnari. Deliberant ergo, quid faciendum sit. Iustissimam esse petitionem uidebant, ut Niceni concilij canones seruentur. Non meminerant autem, se unquam quidquam tale in illius Synodi canonibus legisse: nec tamen poterant, aut audebant, tantum scelus de sanctissimo Papa suspicari, quòd scilicet decreta Nicenę synodi ausus fuisset adulterare. Quare legatis respondent, se inter canones Nicenæ synodi in suis exemplaribus, eum quem ipsi allegarent, non inuenire. Fieri autem posse, ut fortè librariorum incuria esset prætermissus. Quare oporrere authentica exemplaria Nicenorum canonum conferri prius, quàm assentiantur postulatis:

uelle tamen ob pacis ſtudiũ ſe interea cõcedere, ut epiſcopi ad Romanã ſedẽ appellẽt: & ut clericorũ cauſæ apud ſuarũ prouinciarum epiſcopos finiãtur, uerùm non diutius quàm uſq; ad inquiſitionẽ ſtatutorũ cõcilij Niceni. In eandẽ ſententiã etiam literas ad Zozimũ ſcribit tota Synodus, ut patet ex epiſtola ad Bonifaciũ. Hic fuit primus actus huius ſynodi.

¶ Obſeruent aũt (ut hoc obiter moneamus) pij lectores, hunc Papã non prętexuiſſe ius diuinũ, Scripturam, aut Chriſti ordinationem, qui ſedem Romanam omnibus eccleſijs imperare uoluerit: neq; citaſſe conſuetudinẽ, quòd iam ultra trecentos annos ea ecclefia alijs omnibus per orbem terrarũ Chriſtianis eccleſijs imperaſſet: q, ſanè non neglexiſſet, ſi ea ꝓ ſe argumenta qdquã facere intellexiſſet, ac probare ſe poſſe putaſſet: ſed tantum ius humanũ, id eſt decreta Nicena, eaq; ipſa per ſcelus ac impietatẽ falſata.

¶ Cum literæ eſſent Romam allatæ, falſator ille Nicenorum canonũ Zozimus, iuſto Dei iudicio, cum uix unum annum eccleſiã rexiſſet, moritur. Succedit Bonifacius primus, homo ambitioſus & impius. Is in ſui anteceſſoris ambitioſa poſtulatione primatꝰ ſeu iuriſdictionis ſuper exteras eccleſias, & nefario ſcelere deprauatorũ canonũ Nicenę ſynodi, peruicaciter perſiſtit: & per eoſdẽ legatos, & nouas literas, eodem modo à ſynodo imperiũ ſeu tyrannidẽ ſuper Chriſti eccleſias efflagitat. Res itaq; denuò in ſynodo diu tractatur: maxima altercatione & labore legati urgent, ſynodi Nicenæ decreta eſſe ſeruanda, quibus papæ Romani imperiũ in omnes eccleſias ſit confirmatũ: ac cõtra ius & æquum fieri, ſi priuilegia Romanæ eccleſiæ uiolentur. Patres uerò negant quidquã tale in ſuis Nicenę ſynodi exemplaribus inueniri: ideo ſe canonem à Zozimo trãſmiſſum, ſuſpectum ut ſuppoſitum habere, donec exemplaribus authenticis collatis demonſtretur diuerſum.

¶ Teſtatur Synodus in epiſtola ad Bonifacium, longis uoluminibus comprehenſas eſſe illas altercationes ſeu diſputationes, quæ utinã extarent: multa hauddubiè ad lucem ueritatis utiliſsima ibi inuenirentur. Nam proculdubio multa utrinq; dicta & allegata ſunt, multa etiã conſtantius cõtra Paparũ furioſam ambitionẽ ab illis ſanctis patribus longo illo certamine declamata.

Fragmentũ quoddã extat in tomis Conciliorũ, quod adſcribimus. Cum recitaret ſcilicet canonẽ ſuppoſiticium Alypius epiſcopus Tagaſtẽſis, legatus prouinciæ Numidiæ dixit: De hoc iam ſuperioribus etiam literis cõcilij noſtri reſcripſimus, & id nos ſeruaturos ꝓfitemur, quod in Niceno concilio conſtitutũ eſt. Adhuc tamen me monet, quoniam cum inſpiceremus Græca exemplaria huius ſynodi Nicenæ, iſta ibi, neſcio qua ratione, minimè inuenimus. Vnde petimus ueneratione tuam, ſancte papa Aureli, ut qa hoc authenticum concilij Nicenum in urbe dicitur eſſe Conſtantinopolitana, aliquos cum ſcriptis tuæ ſanctitatis mittere digneris, & non ſolùm ad ipſum ſanctũ fratrẽ noſtrum Conſtantinopolitanũ epiſcopum, ſed etiam ad Alexandrinũ & Antiochenũ uenerabiles ſacerdotes, qui hoc nobis concilium ſub ſtipulatione literarũ ſuarũ dirigant, ut omnis poſtmodũ ambiguitas auferatur: quia nos ita, ut frater Fauſtinus attulit, minimè inuenimus. Iſta nos tamen tantiſper ſeruaturos, ut antea dixi, donec integra exemplaria ueniant, profitemur. Petendus eſt aũt ſteris noſtris & uenerabilis eccleſię Romanæ epiſcopus Bonifacius, ut ipſe quoq; digneretur ad memoratas eccleſias aliquos mittere, qui eadem exemplaria præſcripta proferãt. Nunc aũt, memorati concilij Niceni qualia exemplaria habeamus, his geſtis ſociemus.

¶ Fauſtinus epiſcopus, legatus eccleſiæ Romanæ dixit: Nec ueſtra ſanctitas præiudicat eccleſiæ Romanæ, ſiue de hoc capitulo, ſiue de alijs: quia dicere dignatus eſt frater noſter & coepiſcopus Alypius, dubios eſſe canones. Sed hæc ipſa ad ſanctũ & beatiſsimũ Papam noſtrum ſcribere dignemini, ut & ipſe integros canones inquirens, cum ueſtra ſanctitate de omnibus conſtitutis tractare poſsit. Sufficit aũt, ut & ipſe beatiſsimus epiſcopus urbis Romę, ſicuti ueſtra ſanctitas apud ſe tractat, ita & ipſe inquirat, ne contentio inter eccleſias naſci uideatur: ſed magis charitate fraterna deliberare poſsitis, ipſo reſcribẽte, qd melius obſeruari debeat.

Aurelius epiſcopus dixit: Præter iſta quæ ꝓmiſimus actis, neceſſe eſt, ut etiam noſtræ paruitatis literis, ſancto fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, ſingula quæ tractamus, pleniſsimè intimemus. Ergo ſi omnib. placet ꝓſecutio noſtra, ore omniũ cõdiſcamus. Vniuerſum concilium dixit, Placet.

Nouatus epiſcopus, legatus Mauritaniæ Sitifenſis, dixit: Nunc meminimus, in hoc prętenti commonitorio lecto, etiã de preſbyteris ſiu e diaconibus contineri, qualiter ab epiſcopis ſuis, uel à finitimis audiri debeant: quod in Niceno concilio minimè legimus. Vnde hoc ipſum iubeat ſanctitas ueſtra nobis recitari.

Aurelius epiſcopus dixit: Recitetur ad locum etiã hoc, quod depoſcitur. Daniel notarius recitauit: De appellationibus aũt clericorũ, id eſt, minoris loci, reſtat ipſius ſynodi certa reſponſio. De qua re quid acturi ſitis, credimus inferendum, quod taliter dictum

ctum est ex Sardicensi concilio.

Osius episcopus dixit: Quid me adhuc moueat, reticere non debeo. Si episcopus fortè iracundus (quod esse non debet) citò aut asperè cõmoueatur aduersus presbyterũ, siue diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia uoluerit, prouidendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo habeat potestatem eiectus, ut finitimos interpellet episcopos, ut causam suam audiant, & diligenter tractent: quia non oportet negari audientiam roganti. Et ille episcopus, qui aut iustè, aut iniustè eum eiecit, patienter accipiat, ut negocium discutiatur, aut probetur eius aut emendetur sententia, &c.

¶ Cumq; recitaretur, Augustinus ecclesię Hipponis Regiensis, legatus prouincię Numidiæ, dixit: Et hoc nos seruaturos profitemur, salua diligentiore inquisitione concilij Niceni. Aurelius episcopus dixit: Si hoc etiam omnium uestræ charitati placet, responsione firmate. Vniuersum concilium dixit: Omnia quæ in Niceno concilio statuta sunt, nobis omnibus placent.

Iucundus episcopus ecclesiæ Stifetulæ, legatus prouinciæ Byzancenæ, dixit: Quod constitutum est in Niceno concilio, uiolari à quoquam nullatenus potest.

Faustinus episcopus, legatus ecclesię Romanę, dixit: Adhuc secundũ professionẽ sanctitatis uestrę, tam sancti Alypij, quàm & fratris nostri Iucundi, aliqua infirmari credo, a- & beatitudini uestræ, ad sanctũ & uenerabiliqua firmari debent, cum iam in dubiũ ipsi canones uenerint. Ergo ut placet & nobis, le ecclesiæ Romanę Bonifacĩ episcopũ, uestra scribere dignetur sanctitas, ut & ipse, qđ sanctus Augustin' statuere dignatus est, deliberare posśit, utrum nam & hoc cõcedẽdũ sit, an reticendũ: hoc est, de appellationibus inferioris gradus. Si ergo adhuc in dubiũ uenit de hoc capitulo, iustum est ut beatissimę Romanę sedis episcopum informari debeat, si tamen in approbatis canonibus hoc inueniri posśit.

Aurelius episcopus dixit: Etiã quæ dudũ uestræ charitati intimauimus, nũc patimini exẽplaria statutorũ Niceni cõcilij, sed & quę hic salubriter à nostris prędecessoribus secũdũ eiusdẽ concilij normã formata sunt, uel quę nũc ordinata sunt, à nobis recitari, & gestis inseri. Omne conciliũ dixit: Exẽplaria fidei & statuta Nicenæ synodi, quæ ad nostrũ conciliũ per beatæ recordationis olim prædecessore tuæ sanctitatis (qui interfuit) Cæcilianum episcopũ allata sunt, sed & quę patres ea exemplaria sequentes hic cõstituerunt, uel nũc cõmuni tractatu statuimus, his gestis Ecclesiasticis inserta manebũt: ita (ut superius dictũ est) uenerabilib. uiris Antiochenæ & Alexandrinæ, sed & Constantinopolitanæ ecclesiarũ episcopis, scribere uestra beatitudo dignetur, ut exemplaria uerissima concilij Niceni sub adstipulatione literarũ suarũ dirigãt, quo declarata ueritate, ea capitula (quæ in cõmonitorio præsens frater & coepiscopus noster Faustinus, & compresbyteri Philippus & Asellus secũ attulerunt) aut ibidẽ reperta, à nobis firmabuntur: aut si non inueniuntur, collecta Synodo, de hoc in sequenti tractabimus.

Cõmuni igitur consilio Synodus statuit, cum neq; in Latinis neq; Gręcis exẽplarib. reperiatur canon ille Niceni cõcilij à Romano episcopo allegatus, inspicienda esse authentica exemplaria, an in ijs habeatur: eaq; petenda per legatos ab Antiochena, Alexandrina & Cõstantinopolitana ecclesia. Quia uerò ad eã rem aliquantulũ requiratur temporis, ideo ne quid Romanus conqueri possit de uiolatis suis priuilegijs, concedendũ interea fore appellationẽ ad sedẽ Romanã, donec exemplaria afferantur. In hanc sententiã etiam Bonifacio respondent, eiq; suos legatos Faustinũ & Philippũ & Asellũ remittũt, ac petunt, ut ipse quoq; ad Antiochenæ & Alexandrinæ & Cõstãtinopolitanæ aliarũq; ecclesiarũ sacerdotes scribat, ne grauentur canonũ Nicenorũ authentica exẽplaria synodo Carthaginẽsi dare inspiciẽda. Alia etiam in hac Synodo statuta esse, epistola ad Bonifaciũ indicat: sed qualia ea fuerint, non explanat. In tomo Cõciliorũ, sub titulo Africani & Carthaginẽsiũ Synodorũ, Canones trecẽti tumultuariè referũtur, de uarijs rebꝰ: uerùm an ij tum facti aut cõfirmati sint, affirmare non possumus.

Epistola ab omni concilio Aphricano ad Bonifacium urbis Romæ episcopum per Faustinum episcopum, Philippum & Asellum presbyteros, legatos ecclesiæ Romanæ, directa.

Domino beatissimo, & honorabili fratri Bonifacio Aurelius, Valentinus primę sedis prouinciæ Numidiæ, & cæteri, qui præsentes adfuimus, numero ducenti & septuaginta, ex omni concilio Africæ. Quoniã Domino placuit, ut de his quę nobiscũ egerũt sancti fratres nostri, coepiscopus Faustinus, & cõpresbyteri Philippus & Asellus, non beatę memorię episcopo Zosimo, à quo ad nos mandata & literas atulerunt: sed tuæ uenerationi, qui in eius locũ es diuinitùs constitutus, humilitas nostra subscriberet, ea breuiter insinuare debemus, quę utrorumq; cõcordia terminata sunt, non ea quæ prolixis gestorũ uoluminibus cõtinentur, in quibus (salua quidẽ charitate, non tamen sine paruo altercationis labore) memorati sumus, ea gestis delibantes, quæ nunc ad causam pertinent:

pertinent: quanquã & ille, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratius, qđ uideret pacatius terminatum, Domine frater. Apiarius presbyter (de cuius & ordinatione & excommunicatione fuerat exortum non solùm Siccensi, uerumetiam toti Aphricanæ ecclesiæ non leue scandalum) de omnibus erratis suis ueniam petens, communioni est restitutus. Prior aũt coepiscopus noster Siccensis Vrbanus, quod in eo corrigendum uisum est, sine ulla dubitatione correxit. Quia uerò paci & quieti Ecclesiæ non tantũ ad præsens, sed etiã in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa pręcesserant, ut uel similia, uel etiam grauiora deinceps pręcaueri oporteret: placuit nobis, ut de Siccẽsi ecclesia, retento scilicet honore gradus sui, presbyter remoueretur Apiarius, & acceptо epistolio, ubicunq; alibi uellet & posset, presbyterij munere fungeretur: quod eidẽ ipsi per literas proprias postulanti, sine difficultate cõcessimus. Sanè, priusquã hæc causa isto termino clauderetur, inter alia quę diuturnis disceptationibus uersabamus, quia rogatio ipsa poscebat, ut apud acta Ecclesiastica à fratrib⁹ nostris Faustino coepiscopo, & Philippo atq; Asello cõpresbyteris quæreremus, ut promerent qcquid eis nobiscũ fuisset iniunctum agẽdum, non nulla quidẽ sine ullo scripto prosequuti sunt uerbis. Sed cum id potius flagitaremus, quod in literis ferrent, commonitorium protulerunt: qđ recitatum nobis, etiam gestis quæ secum ad uos deferunt, est alligatum. In eis quatuor quidẽ nobiscum agenda, mandata sunt. Vnum, de apellationibus episcoporũ ad Romanæ ecclesiæ sacerdotem. Alterum, ne ad comitatum episcopi importunè nauigent. Tertium, de tractandis presbyterorum & diaconorũ causis apud finitimos episcopos, si à suis excommunicati perperam fuerint. Quartum, de Vrbano episcopo excommunicando, uel etiam Romam euocando, nisi ea quæ uidebãtur corrigenda, corrigeret. Quorum omniũ, de primo & tertio, id est, ut Romam liceat episcopis prouocare, & ut clericorum causę apud suarũ prouinciarũ episcopos finiantur, iam priore anno, etiam literis nostris ad eundẽ uenerabilis memoriæ Zosimũ episcopũ datis, insinuari curauimus, ut ea seruare sine ulla ei⁹ iniuria paulisper sineremus, usq; ad inquisitionẽ statutorum concilij Niceni. Et nunc de tua poscimus sanctitate, ut quemadmodũ ea apud Niceam à patribus acta uel constituta sunt, sic ea à nobis facias custodiri: & ibi apud uos, ista quæ in commonitorio attulerũt, facias exerceri: id est, si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati episcopi regionis ipsius, & de gradu suo deiecerint eũ, & appellasse uideatur, & confugerit ad beatissimũ Romanæ ecclesiæ episcopum, & uoluerit audiri, & iustũ putauerit ut renouetur examen, scribere his episcopis dignetur, q̃ in finitima & propinqua prouincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidẽ ueritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suã iterũ audiri, deprecatione sua mouerit episcopũ Romanũ, ut è latere suo presbyterũ mittat, erit in potestate episcopi quid uelit & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui prẽsentes cum episcopis iudicent, habentes authoritatem eius à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si uerò crediderit sufficere episcopos, ut negocio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit. Item de presbyteris & diaconibus: Si episcopus quis iracundus (quod esse non debet) citò aut asperè cõmoueatur aduersus presbyterum siue diaconum suum, & exterminare eum de ecclesia uoluerit, ꝑuidendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem: habeat potestatem eiectus, ut finitimos interpellet episcopos, & causa eius audiatur, & diligentius tractetur: quia non oportet ei negari audientiam rogãti. & ille episcopus, qui aut iustè aut iustè eum reiecit, patienter accipiat, ut negocium discutiatur, ut aut probetur eius aut emendetur sententia. Hæc utiq; usq; ad auctentũ ueriſsimorum exemplariorũ Niceni concilij inserta gestis sunt, quæ si ibi (quemadmodũ ipse, qđ apud nos fratres ex Apostolica sede directi, commonitorio allegauerũt) cõtinerentur, eoq; ordine uel apud uos in Italia custodirẽtur, nullo modo nos talia (qualia cõmemorare iam nolumus) uel tolerare cogeremur, uel intolerabilia paterere-mur. Sed credimus, adiuuante misericordia Domini Dei nostri, quòd tua sanctitate Romanæ ecclesiæ pręsidente, nõ sumus iam istũ typũ passuri: & seruabuntur erga nos ea, quæ nobis etiam non differentibus custodiri debeant, cum fraterna charitate, quę secũdum sapientiã atq; iusticiam quã tibi donauit altissimus, etiã ipse prospicis esse seruanda, si fortè aliter se habent canones concilij Niceni. Quamuis enim plurimos codices legeremus, sed nunquã in Niceno concilio in Latinis codicibus legimus, quemadmodum in supradicto cõmonitorio inde directa sunt: tamẽ quia hic in nullo codice Græco ea potuimus inuenire, ex Orientalib. ecclesijs, ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desiderauimus afferri. Pro qua re tuã quoq; uenerationẽ obsecramus, ut scribere etiã ipse digneris ad illarũ partiũ sacerdotes: hoc est, ecclesiæ Antiochenæ, Alexãdrinæ, & Cõstantinopolitanæ, & alijs, si etiam tuæ placuerit sanctitati,

sanctitati, ut inde ad nos ijdem canones, apud Niceam ciuitatem à patribus cõstituti, ueniãt, te potissimùm hoc beneficium cunctis Occidentalibus ecclesijs in Domini adiutorio conferente. Quis enim dubitet, exemplaria quæ de tam diuersis locis, & de nobilibus Græcis ecclesijs adlata & comparata, concordare? Quod donec fiat, hæc quæ in commonitorio suprà dicto nobis allegata sunt, de appellationibus episcoporum ad Romanæ ecclesiæ sacerdotem, & de clericorum causis apud suarũ prouinciarum episcopos terminandis, nos usque ad probationẽ seruaturos esse profitemur: & beatitudinẽ tuam ad hoc nos adiuturã, in Dei uoluntate confidimus. Cætera uerò quæ in nostra synodo gesta uel firmata sunt, quoniã supradicti fratres nostri Faustinus coepiscopus, Philippus & Asellus cõpresbyteri secũ ferunt, si dignatus fueris, tuę nota faciẽt sanctitati. Et alia manu: Dominus noster te nobis annis plurimis custodiat, beatissime frater. Subscripserunt quoq; Alypius, Augustinus, Posidius, Marinus, & cæteri episcopi ducenti & septuaginta.

Scribunt etiam ad Cyrillum Alexandrinum, & Atticum Cõstantinopolitanum, & petũt sibi authentica exemplaria canonum Nicenorum communicari: quod illi haud grauatim faciũt, ut patet ex epistolis eorum ad Synodum, quas subijcimus.

Rescripta ad concilium Aphricanũ Cyrilli Alexandrini episcopi, ubi & authentica concilij Niceni, transfata de Græco, per Innocentium presbyterum transmissa. Quæ & etiam aliæ epistolæ, cum eodem concilio Niceno, per memoratum presbyterum Innocentium, & Marcellum subdiaconum ecclesiæ Carthaginensis, sancto Bonifacio episcopo ecclesiæ Romanæ sub die 6. Calend. Decembris sunt directa.

¶ Dominis honorabilibus, sanctis fratrib. coepiscopis, Aurelio, Valẽtino, sed & omni sanctæ cõgregationi, in Carthaginensi synodo congregatæ, Cyrillus, salutans in Deo charitatem uestram. Scripta uenerationis uestræ, multam habẽtia querimoniam, cum omni lætitia per filium uestrum Innocentiũ presbyterum suscepi: quibus à nobis speratis, ut de scrinio nostræ Ecclesiæ uerissima exemplaria, ex authentica synodo apud Niceam ciuitatem metropolim Bithynię, à sanctis patribus constituta atque formata, sub nostræ fidei professione uestræ dilectioni porrigamus. Vnde, domini uenerabiles fratres, salute præeunte, necesse habui, per harum latorem filium nostrum Innocentium presbyterum, fidelissima exemplaria ex authentica synodo, in Nicea Bithyniæ habita, uestræ charitati dirigere, quæ & in Ecclesiastica historia requirentes inuenietis. De Pascha uerò, ut scripsistis, nunciamus uobis, decimoseptimo calendas Martias nos futura indictione celebrare. Et alia manu: Deus & Dominus noster sanctam uestram congregationem custodiat, quod optamus, charissimi fratres.

Epistola Attici episcopi Constantinopolitani ad eosdem.

Dominis sanctis, meritò beatissimis fratribus coepiscopis, Aurelio, Valentino, & cæteris charissimis, in synodo apud Carthaginem habita constitutis, Atticus episcopus. Per filium nostrum Marcellum subdiaconum uestrum, scripta uestræ dilectionis cum omni gratiarum actione suscepi, Domino gratias agens, quòd merui tantorum fratrum benedictione perfrui, domini beatissimi fratres. Scribitis sanè, ut uerissimos canones, apud Niceam ciuitatem, metropolim Bithyniæ, à patribus constitutos, sub fidei adstipulatione dirigam. Et quis est, qui communem fidem uel statuta à patribus firmata, suis fratribus deneget? Quare, per eundem filium meum Marcellum subdiaconum uestrum, nimium festinantem, sicut statuti sunt in Nicea ciuitate à patribus, canones in integro (ut iussistis) direxi: petens, ut pro me plurimùm uestra sancta congregatio orare iubeat. Et alia manu: Deus noster sanctitatem uestram custodiat, quod optamus sancti fratres.

¶ Dum hæc geruntur, exemplar canonum Nicenorum per Trilonem & Thearistum Constantinopolitanum è Græco latinè redditum, & synodo Carthaginensi missum, huiusmodi in tomis Conciliorum annotatur.

Capitulum primum.

Si quis per languorem à medicis sectus est, aut à barbaris abscissus est, iste remaneat in clero. Si quis autem sanus se abscidit, istum & in clero positum abstinere oportet, & decæterò nullum talium debere promoueri. Sicut autem hoc manifestum est, quia de his qui hanc rem excogitant, audentque seipsos abscindere, dictum sit: sic eos qui à barbaris aut à dominis castrati sunt (inueniuntur aũt aliàs digni) tales ad clerum applicat cleron.

2. Quia multa aut necessitate, aut aliter cogentibus hominibus, facta sunt contra canonem Ecclesiasticum: ut homines ex gentili uita nuper accedentes ad fidem, & in paruo tempore catechizati, statim ad spirituale lauacrum ducantur, & simul cum baptizati fuerint, promoueantur ad episcopatũ, aut ad presbyterium: placuit, decæterò nihil tale fieri. Nam & tempore opus est ei qui catechizatur,

& post

& post baptisma approbatio amplior. Manifesta est enim Apostolica Scriptura, quę dicit: Non neophytum, ne fortè in superbiam elatus, in iudicium incidat, & laqueum diaboli. Si autem procedente tempore, aliquod animi peccatum inueniatur circa huiusmodi personam, & conuincatur à duob. uel tribus testibus, ipse cesset à clero. Si quis autem præter hæc facit, quasi aduersus magnum Concilium se efferens, ipse periclitabitur de clero.

3. Interdixit omnimodo sanctum Concilium, neq; episcopum, neq; presbyterum, neq; diaconum, neq; ex toto eum qui in clero est, habere secum subintroductam mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut eas solas personas quæ refugiunt omnes suspiciones.

4. Episcopum oportet maximè quidem ab omnib. qui sunt intra prouinciam episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter urgentem necessitatem, aut propter longitudinem itineris, omnimodo tres in unũ conuenientes, cõsentientibus & his qui absentes sunt episcopis, & spondentibus per scripta, tunc manus impositionem fieri. Confirmatio autem eorum quæ fiunt, danda est unicuiq; à suæ prouinciæ metropolitano.

5. De eis qui excommunicantur, siue de clero sint, siue de laico agmine, ab episcopis, per singulas prouincias obtineat sententia iuxta Canones, eos qui ab alijs abijciuntur, ab alijs non recipiendos. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut pertinacia, aut aliqua alia molestia episcopi sint excommunicati. Vt ergo hoc decentius requiratur, bene placuit, singulis annis per singulas prouincias bis in anno concilia fieri, omnibus simul episcopis in unum cõgregatis, ut tales quæstiones requirantur. Et ita, qui manifestè offenderint episcopum, rationabiliter excommunicati apud omnes esse putentur: quamdiu aut in commune, aut episcopo placeat, humaniorẽ pro his ferre sententiam. Concilia autem fiant, unum quidem ante quadragesimam Paschæ, ut omni pusillanimitate sublata, munus mundum offeratur Deo: secundum autem, circa tempus autumni.

6. Antiquiores obtineant, qui apud Ægyptum sunt & Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omniũ habeat solicitudinem, quia & urbis Romæ episcopo similis mos est. Similiter autem & circa Antiochiam, & in cæteris prouincijs, priuilegia propria reseruẽtur metropolitanis Ecclesijs. Omnino autem manifestum est illud, quòd si quis præter consilium metropolitani factus fuerit episcopus, hunc Concilium magnum definiuit, non debere esse episcopum. Si uerò communi omnium decreto, rationabili secundum canonem Ecclesiasticum comprobato, duo aut tres propter proprias inimicitias cõtradixerint, obtineat sententia plurimorum.

7. Hierosolymitani consuetudo antiqua seruetur, ut Aeliæ episcopus honoretur, & habeat ordinem honoris: salua tamen metropolitani dignitate eiusdem prouinciæ.

8. Si aliquãdo uenerint ad catholicam Ecclesiam Cathari, placuit, sicut & magnæ Synodo, eos ordinatos sic manere in clero. Ante omnia autem, hæc profiteri ipsos per Scripturam oportet, quòd consentiant & sequantur Catholica & Apostolica dogmata. Hoc est, & bigamis communicare, & his qui in persecutione lapsi sunt, circa quos & tempus constitutum est, & dies definitus: & sequantur in omnibus quæ placuerunt catholicæ Ecclesiæ episcopo uel presbytero. Vbicunq; autem omnes, siue in castellis, siue in ciuitatibus, ipsi inuenti fuerint ordinati, qui inueniuntur in clero, sint in eodem habitu. Quotquot autem, ubi catholicæ Ecclesiæ episcopus uel presbyter extat, accedũt: manifestum est, quòd episcopus Ecclesiæ habebit dignitatem episcopi. Qui autem nominatur apud eos episcopus, presbyterij nomen habebit: nisi fortè placuerit episcopo, honoris eum nomine frui. Sin uerò non hoc ei placuerit, prouidebit ei locum aut chorepiscopatus, aut presbyterij, ut in clero omnino esse uideatur, quatenus non in ciuitate duo sint episcopi.

9. Si qui sine examinatione promoti sunt episcopi, uel presbyteri, uel cum discutiuntur, confessi sunt quæ peccauerunt, uel ab alijs conuincantur: & confitentibus, contra canonem homines commoti manus eis imposuerint, tales Canon non suscipit, sed abijcit. Hoc enim quod irreprehensibile est, defendit catholica Ecclesia.

10. Quicunq; de lapsis ordinati sunt peri- gnorantiam, aut dissimulationem ordinan- tium, hoc non præiudicat canoni Ecclesiastico: cogniti etenim deponuntur.

11. De his qui præuaricati sunt præter necessitatem, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, uel tale aliquid quod factum est sub tyrannide Licinij, placuit sancto concilio, licet indigni sint, humanitate tamen subuenire eis. Quotquot igitur sincerè pœnitent, tres annos inter audientes sint. Qui lapsi sunt fideles, septem annos succumbant: duobus uerò annis sine oblatione, populo communicent in orationibus.

12. Quicunque uocati sunt per gratiam, & primordia demonstrantes bona, deposuerunt

runt cingulũ militiæ: postea uerò ad propriũ uomitum reuoluti sunt, ita ut aliqui & pecuniam conferant, & beneficijs militiam rependant: isti decem annos succumbant, post triennium auditionis tempus. Sed in his omnibus oportet discutere uoluntatem & speciem pœnitentiæ. Quotquot enim timore & lachrymis, & perseuerantia & bonis operibus conuersationem, non simulatione demonstrant: isti adimplentes constitutum tempus auditionis, orationibus meritò communicabunt: & postea licebit episcopo, humanius de his aliquid cogitare. Qui autem indiscretè tulerunt, & ingressum sibi sufficere arbitrati sunt ad cõuersionem, definitum omne compleant tempus.

13. De exeuntibus de corpore, uetus & canonica lex custodiatur & nunc, ut qui moritur. Si uerò desperatus, communione sumpta, & oblatione percepta, iterum conualescat, sit inter eos qui orationibus tantum communicant. Generaliter autem hominiam, episcopus probabiliter oblationem ei contradat.

14. De catechumenis lapsis placuit, sicut & magnę synodo, ut triennio tantum audiant, postea orent cum catechumenis.

15. Propter grandem tumultum, & seditiones quæ fiunt, placuit, omnimodè auferri consuetudinem, quæ est contra canonem in aliquibus partibus admissa, ita ut de ciuitate in ciuitatem nec episcopum, nec presbyterum, neque diaconum transferri liceat. Si quis autem post sancti & magni concilij definitionem tale aliquid agere tentauerit, aut se dederit huiusce modi negocio, cassabitur huiusmodi machinatio, & restituatur Ecclesiæ, in qua aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus fuerit ordinatus.

16. Hi qui facilè se periculis ingerentes, neque timorem Dei ante oculos habentes, neque ecclesiasticum canonem scientes, discedunt ab ecclesia, presbyteri aut diaconi, aut quicunque sunt in canone constituti, isti nullo modo suscipi debent ab alia Ecclesia: sed omnem eis necessitatem imponi oportere, ut ad proprias parochias reuertantur. Pertinaces autem, excommunicatos esse oportet. Si autem aliquis ausu temerario subripuerit ad alterum pertinentem, & ordinauerit in sua ecclesia, non consentiente episcopo, à quo discesserat clericus, qui in canone constituitur, infirma sit huiusmodi manus impositio.

17. Quoniam plures in canone constituti, cupiditatem & lucra turpia sectantur, obliti quę sacræ Scripturæ, dicentis, Qui pecuniam suam non dedit ad usuram: cum fœnerantur alijs centesimas exigunt: iustè statuit sanctum & magnum cõcilium, ut si quis inuentus fuerit, post hanc definitionem, usuram accipiens, aut aliud aliquid excogitans turpis lucri gratia, abijciatur à clero, & alienus à canone sit.

18. Peruenit ad sanctum & magnum concilium, quòd in quibusdam locis aut ciuitatibus, presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigãt: quod neq; canon, neq; cõsuetudo tradidit, ut qui potestatẽ offerendi nõ habent, his qui offerũt corpus Christi, porrigant. Sed etiam hoc quoque innotuit, quòd quidam diaconi ante episcopos contingant Eucharistiam. Omnia igitur hęc amputentur, & maneant diaconi in proprio ordine, sciẽtes quòd episcoporum quidem ministri sunt, presbyteris autem inferiores existunt: accipiant autem ex ordine Eucharistiam post presbyteros, eis dante aut episcopo, aut presbytero. Sed nec sedere eis in medio presbyterorum liceat. Quòd si hoc fiat, præter canonem & præter ordinem probantur existere. Si quis autem obtemperare noluerit post hanc definitionem, cessset à diaconio.

19. De Paulianistis refugientibus ad Ecclesiam catholicam, definitio prolata est, rebaptizari eos omnino. Si qui uerò ex eis, prætertio tempore fuerint in clero, siquidem sine querela & reprehensione fuerint post baptismũ, ordinentur ab episcopo Ecclesiæ catholicæ. Si uerò discussio eos minus idoneos inuenerit, deponi eos conuenit. Similiter autem & de diaconibus, & omnino de his qui sub canone conuersantur, eadem forma seruabitur. Meminimus autem de diaconissis, quæ in eadem specie sunt, quia manus impositionem aliquam non habent, ut omnino inter laicas computentur.

20. Quoniam sunt quidam qui die Dominico flectunt genua, & in diebus Pentecostes: placuit de hoc sanctæ & magnæ synodo, cunctis in omnibus locis consonanter & cõsentienter, stantes Deum orare debere.

Capitulorum Niceni concilij in sexto apud Carthaginem concilio relictorum, finis.

¶ Hos cum synodus accepisset, & uideret cum suis exemplaribus congruere, nec inter eos esse canonem à Papa transmissum, agnouit fraudẽ, & decreuit canones ueros esse obseruandos, & non illum suppositicium. Hoc decretum unà cum authenticis exemplaribus canonum, Bonifacio Romam misit, ut apparet ex epistola ad Celestinum.

Romanus ille Malefacius, cum triẽnium & menses octo sedisset, ad patres suos abijt. Et fuit hic quasi secundus actus huius synodi.

¶ Bonifacio succedit Celestinus. is etiam in maiorum suorum ambitiosa affectatione primatus, & nefaria decretorum Nicenorũ adulteratione pertinaciter perseuerat, licet Africanam synodum ueriora exemplaria Nicenorum canonum Constantinopoli & Alexandria accepisse, ac sceleratam fraudem falsatorum Canonum detectam esse probè sciret.

Occasionem autem iterum præbuit Apiarius, qui in priori actione huius synodi sub Bonifacio in communionem quidem, cum de omnibus suis erratis ueniã petijsset, erat receptus, uerùm de ecclesia Siccensi remotus: retento tamen honore gradus presbyterij sui, ut patet ex epistolą synodi ad Bonifacium. Inde ad Trabacenos uenit, ibique ob suas nefandas turpitudines denuò est excommunicatus. Quod molestè ferens, ad suum asylum Romanum episcopũ, qui tum erat Celestinus, sese recipit, & de iniuria sibi facta conqueritur. Celestinus eum, quasi ad sese ex Africa appellasset, in communionem recipit: & legatos suos Faustinum, Philippum, Asellum, in Africã remittit, eosque iubet summa audacia & impudentia à synodo suorum antecessorum postulata extorquere. Eæ enim in primis ijs necessarię uirtutes uidebantur, cum nossent fraudẽ suam in suppositione alieni canonis factam, manifestatam esse.

Aduenium legati, Patres in synodum reuocantur. Illi nomine episcopi Romani accusant Patres, quòd Apiarum ad sedem Romanam appellantem excommunicarint: idque esse contra priuilegia Romanę ecclesię. Ac postulant, ut Apiarum à papa Romano absolutum, ipsi quoque ad communionem recipiãt. Instant etiam, ut Romanæ sedi sese subijciant, iuxta priores Paparũ petitiones, & sanctæ Nicenæ synodi decreta: hoc est, ut concedant suis appellationem ad Romanã sedem, eiusque iudicio acquiescant.

Contrà Patres proferunt authentica exemplaria, ab Alexandrina & Constantinopolitana ecclesia per suos legatos allata: Paparumq; Romanorum impiam ambitionẽ & immane scelus falsatæ synodi redarguũt. Dicunt, se iam antea illis ipsis legatis bis, cũ prius à Zozimo, deinde à Bonifacio missi eadem de causa essent, indicasse, communia exemplaria longè aliter habere, ac Papa & ipsi eius legati assererent: & tamen pacis studio consensisse in eorũ petitionem, quoad liquidius exploraretur ex authenticis exemplaribus, an id decretum à Nicena synodo constitutum esset. Adhæc, se iamdudum illa ipsa authentica exemplaria Bonifacio papæ, huius præcessori, per eosdem Innocẽtium presbyterum & Marcellum subdiaconum misisse, qui ea Constantinopoli & Alexandria attulerãt: indicasseque communes, neque authenticos Constantinopolitanę & Alexandrinæ ecclesiæ codices ita habere, sicut ipse & eius anteceſſor Zozimus affirmauerant. Quare se maximopere mirari & Papæ & legatorum, præsertim ipsius Faustini, audaciam & impudentiam, qui adhuc audent illam suam ambitiosam tyrannidis flagitationem urgere, & Nicenis canonibus tam sceleratè abuti. Negant igitur, se Apiarium in gratiam recepturos, nisi ille aut purget se manifestè de obiectis sibi criminibus, aut confessus ea supplex ueniam petat. Negant etiam, se ullam iurisdictionem aut potestatem Papæ in Africanas aut alias exteras ecclesias deinceps concessuros esse.

Ibi sceleratus ille Faustinus, alijque legati à latere, planè Curtisanensi audacia uociferari & protestari incipiunt, eos conari sanctæ sedis Romanæ priuilegia imminuere, & Nicenæ synodi decreta irrita facere. Pugnatur & contenditur integrum triduum acerrimè, hinc sanctis Patribus Papæ iugum renuentibus: inde Romanensibus legatis superbissimè & audacissimè instantibus, ut id omnino accipiant.

Tandem singulari Dei beneficio, improbus ille Apiarius diffidens se per legatos Papæ communionem Africanis ecclesijs exorquere posse, & conscius sibi, respondere ad obiecta crimina non posse, procidens in genua, obiecta flagitia confitetur, supplexque ueniam à Synodo petit. Et sancta Synodus decernit, ne cuiquam uel sacerdoti uel episcopo ex Africa, aut alijs prouincijs metropolitanos habentibus, ad Papam appellare liceat: sed sit prima cognitio causarum Ecclesiasticarum penes episcopos & metropolitanum, secũda penes prouinciale concilium, ultima penes uniuersale. Iterũ, ne ullum ius deinceps Romano papæ super Africanas ecclesias concernatur.

Videtur etiam illud decretum suprà in tertia Carthaginensi factum, in hoc repetitum, quod extat distinctione nonagesimanona: Primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum uel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi: sed tantum primæ sedis Episcopus. uniuersalis autem, nec etiam Romanus pontifex appelletur.

Atque hac ratione illi sancti Patres iugum Papæ suis iam ceruicibus imminens, penitus repellunt ac reijciunt. Ipsi quoque Papæ satis aspera epistola Patres illi respondent: in qua primùm grauiter queruntur de maximis molestijs, quas sibi exhibuerit Faustinus, eius legatus, instans ut Apiarium ab ipso Papa absolutum in communionem recipiant, & urgens ficticia Romanæ ecclesiæ priuilegia cor-

gia corruptis canonibus subnixa: cum tamẽ Apiarius tandem omnes illas sibi obiectas turpitudines ultrò agnouerit, & in Nicenæ synodi decretis nihil tale reperiatur.

Accusant & ipsum Papam non obscurè, quòd tam temerè illum nebulonem à se iustissimè excommunicatum & damnatum in communionem receperit, sicq; Ecclesiasticam disciplinam dissoluerit.

Deinde disputant de iure, quòd nulla synodus ademerit ius Africanis ecclesijs, finaliter & sine appellatione de suis cõtrouersijs pronunciãdi: quin potius aiunt Nicenã synodum omnes sacerdotes & causas suis metropolitanis & synodis subiecisse, sine ulla ulteriore appellatione. Afferunt & rationes, quare singulæ causæ in suis prouincijs finiendæ sint, nec ad Romanum sit pontificem appellandum: quia sit magna commoditas testium & aliarum circumstantiarum, ad cognoscendam causam in eo loco ubi exorta est. Quæ contrà omnia non tantũ sint incõmoda, sed & planè desint, si aliò procul, ut Romã, controuersię iudicandę reijciãtur.

Adhæc dicunt, & diuinum auxilium tum in iudicando, tum in cõstanter exequendo, non minus Africanis aliarumq; gentium sacerdotib. aut episcopis, quàm Romanis pariturũ. Nec debere ipsum Papam, aut alium quenquam cogitare, sibi quidem affuturum Deum in iudicando, alijs uerò Christianis non perinde. Negant quoque authentica exemplaria Nicenæ synodi ita habere, ut ipse cum suis antecessoribus Papis, in suis literis ac Nicenis exemplaribus ad se iam toties missis posuerant.

Postea monent Papam, ne ullos à se ad ipsum appellantes admittat, ne ullos à se excõmunicatos in cõmunionem accipiat: ne ullos Curtisanos aut legatos à latere in Africã mittat, q de ulla re ibi iudicare pſumant.

Demum graui admodum epiphonemate concludũt, ac Papam monent, ne fumosum (recitamus ipsorum uerba) typum seculi huius in ecclesiam Dei inducat, quę lucẽ simplicitatis & diem humilitatis Deum uidere cupientibus præferat: id est, ne perinde uafris ac sceleratis consilijs pessimisq; artibus in ecclesia Dei imperium ambitiosè quærat, sicut impij homines in politijs per fas & nefas potentiam, regna & tyrannides quærere affectareq; solent. Piorum enim hominum in Ecclesia officium esse, ut simplici ueritati studeant, & humilitate ac modestia inter se certent, omnibusq; officijs ac honore sese mutuò præueniant. Atq; hic sit tertius actus, tunc quidem non infelix, nec sancto Augustino, alijsq; tam multis præclarissimis uiris & episcopis, qui ei synodo interfuerũt, indignus.

Epistola concilij Aphricani ad Papam Celestinum, urbis Romæ episcopum.

Domino dilectissimo & honorabili fratri Celestino Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus, Seruusdei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Ianuarius, Optatus, Celticius, Donatus, Theasius, Vincentius, Fortunatianus, & cæteri qui in uniuersali Aphricano concilio Carthaginis affuimus. Optaremus, si, quemadmodum sanctitas tua de aduentu Apiarij lætatos uos fuisse, missis per compresbyterum nostrum Leonem literis intimauit: ita nos quoq; de eius purgatione hęc scripta cũ læticia mitteremus: esset profectò & nostra & uestra modò alacritas certior: nec festinata nec præpropera uideretur, quę adhuc tam de audiendo quàm de audito præcesserat. Adueniente sanè ad nos sancto fratre & coepiscopo nostro Faustino, concilium congregauimus, & credidimus ideo eum illò missum: quoniam sicut per eius operam presbyterio antè redditus fuerat, ita nũc posset de tantis criminibus, à Tabracenis obiectis, eo laborãte purgari, cuius tanta ac tam immania flagitia decursus nostri concilij examen inuenit, ut & memorati patrocinium potius quàm iudicium, ac defensoris magis operam quàm disceptatoris iusticiam superarent. Nam primùm, quantum obstiterit omni congregationi diuersas iniurias ingerendo, quasi ecclesiæ Romanæ asserens priuilegia, & uolens eum à nobis in communionem suscipi, quem tua sanctitas (credens appellasse, quod probare non potuit) communioni reddiderat, quod minimè tamen licuit: quod etiam gestorum ex lectione melius cognosces. Triduano tamẽ laboriosissimo agitato iudicio, cum diuersa eidem obiecta afflictissimi quæreremus, uel moras coepiscopi nostri Faustini, uel tergiuersationes ipsius Apiarij, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus iudex iustus, fortis & lõganimis, magno impendio reserauit. Tetriore quippe & putidiore obstinatione compressa, qua tantum liuidum cœnum impudentia negationis uolebat obruere, Deo nostro eius cõscientiam coarctante, & occulta, quæ in illius corde tãquam in uolutabro criminum iam damnabat, etiam hominibus publicante, repentè in confessionẽ cunctorũ obiectorũ flagitiorum dolosus negator erupit. Et tandẽ de omnibus incredibilib⁹ opprobrijs ultroneus se ipse conuicit: atq; ipsam quoq; nostram spem, qua eũ & credebamus & optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, conuertit in gemitus: nisi quoniam istã nostram mœsticiã uno tantũ solatio mitigauit, quòd & nos labore diuturnioris quæstionis absoluit, & suis uulneribus qualẽcunq; medelã,

etsi inuita ac sua conscientia reluctante, confessione prouidit, domine frater. Præfato itaq; debitæ salutationis officio, impendiò deprecamur, ut deinceps ad uestras aures hinc uenientes, non facilius admittatis: nec à nobis excommunicatos, in cõmunionem ultrà uelitis excipere: quia hoc etiam Niceno cõcilio definitum, facilè aduertet uenerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis uel laicis uidetur ibi præcaueri, quanto magis hoc de episcopis uoluit obseruari, ne in sua prouincia cõmunione suspensi, à tua sanctitate uel festinatò, uel prępoperè, uel indubiè uideantur cõmunioni restitui? Presbyterorum quoq; & sequentium clericorũ improba refugia (sicuti te dignum est) repellat sanctitas tua: quia & nulla patrum definitione hoc ecclesię derogatum est Africanæ, & decreta Nicena siue inferioris gradus clericos, siue ipsos episcopos, suis metropolitanis apertissimè cõmiserũt. Prudẽtissimè enim, iustissimeq; ꝓuiderũt, quęcũq; negocia in suis locis, ubi orta sunt, finiẽda: nec unicuiq; ꝓuincię gratiã sancti spiritus defuturam, qua æquitas à Christi sacerdotibus & prudẽter uideatur, & cõstãtissimè teneatur: maximè qa unicuiq; cõcessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorũ, ad concilia suę ꝓuincię, uel etiã uniuersale ꝓuocare. Nisi fortè quisquam est qui credat, unicuilibet posse Deum nostrũ exanimis inspirare iusticiã, & innumerabilibus congregatis in conciliũ sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinũ iudicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, uel propter sexus, uel propter senectutis infirmitatem, uel multis alijs intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam à tuę sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus patrum synodo constitutũ. Quia illud quod pridem per eundem coepiscopum nostrum Faustinum, tãquam ex parte Niceni cõcilij, exinde transmisistis: in concilijs uerioribus quæ accipiuntur Nicena, à sancto Cyrillo coepiscopo nostro Alexandrinæ ecclesiæ, & à uenerabili Attico Constantinopolitano antistite, ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum & Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, uenerabilis memorię Bonifacio episcopo prędecessori uestro, à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam clericos uestros quibusque potẽtibus nolite mittere: nolite concedere, ne fumosum typum seculi in ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, Deum uidere cupientibus pręfert, uideamur inducere. Nam de fratre nostro Faustino (amoto iam pro suis nefandis nequitijs de Christi ecclesia dolendo Apiario) securi sumus, quòd eum (probitate ac moderatione tuæ sanctitatis salua) fraterna charitas ulterius in Africa minimè sustinere patiatur. Et alia manu: Dominus noster sanctitatem uestram æuo longiore orantẽ pro nobis custodiat, domine frater.

SVB HONORIO ET Theodosio.

CARTHAGINENSIS.

MEminit aliquot synodorum Augustinus, qnarum occasiones fuerunt schismata inter Catholicos & Donatistas. Sed actiones earũ integras non explicat, interdũ etiam duas uel plures Synodos miscet. De Carthaginensi in libris contra Cresconium Grãmaticum & contra epistolã Parmeniani frequenter loquitur, in qua factionis Donati episcopi quadragintatres Primianũ damnarunt Carthaginensem episcopum. Actiones breuiter indicat lib. 4. cõtra Crẽsconiũ, cap. 6. & 7. Vbi quadraginta illi (inqt) & tres apud Carthaginẽ modestius, cautius, diligẽtiusque se gessisse testati sunt, quòd ad eundem Primianũ non semel, sed iterũ ac tertiò legatos miserunt, ut si ad eos ipse uenire nollet, ipsos ad se uenire permitteret. Quo utrunq; recusante, sicut scribunt, & eos qui missi sunt iniuriosa repulsione tractare, necessitatem incubuisse asserunt, ut iam ecclesię prouiderent: & sic nondũ accidentes ultimum præcipitare iudiciũ, sed quodam præiudicio consulentes ei, ut si causę fideret, sequenti celebriori concilio respondẽdi, seq; purgandi relinqueretur locus: quò cum uenire noluissent, iã necessariò putauerũt esse damnandũ, sine ulla suspensione sententiæ.

CEBARSVSSENSIS.

A Centũ & pluribus episcopis Donatistis, damnatũ esse plenè Primianum, atq; in eius locũ constitutũ Maximianũ: idẽ refert lib. 3. cõtra Cresconiũ, cap. 13. & 40.

BAGAIENSIS.

COnsulatu Arcadij tertio, & Honorij tertio (rectius, ut uidetur, secundo) sub annum Christi quadringentesimum, synodũ Donatiani congregarunt episcoporũ trecentorum decem, in oppido Bagaiensi: in qua damnarunt Maximianũ Bagaiensem episcopum orthodoxum, qui se à Donatistarum factione separauerat, ab eorumq; societate ad se multos pertraxerat, cũ duodecim alijs ab ipso ordinatis. Augustinus libro tertio contra Cresconium, capite 19. & 56. In eodem libro, capite 53. de actione eius synodi hæc recitat, ex Donatianorũ monumentis: Cum omnipotentis Dei & Christi eius uoluntate in ecclesia Bagaiensi concilium gereremus, Gamalius, Primianus, Portius, Secundianus, Iouinianus, Saturninus, Felix, Pegasius,

Pegasius, Rufinus, Fortunius, Crispinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus, & cęteri numero trecẽti & decem: placuit Spiritui sancto, qui in nobis est, pacem firmare perpetuam, & schismata resecare sacrilega: Maximianũ fidei æmulũ, Dathan, Chore & Abiron ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excusit. Nec solùm hunc scelerис sui mors iusta condemnat, sed trahit etiã ad cõsortium criminis plures cathena sacrilegij. famosi ergo criminis reos, Victorinum Carcabianensem, Marcianum Sullectinùm, Beianum Baianensem, Saluinum Quaphensem, Theodorum Vsulensem, Donatũ Subratensem, Migginum Belaphantariensem, Prætextum Assuritanum, Saluium Membresitanum, Valerium Melzitanum, Felicianum Musticanum, & Marcialẽ Pertusensem: qui funesto opere proditionis uas sordidum collecta feculentia glutinarunt. Sed & clericos aliquando ecclesiæ Carthaginis, qui, dũ facinori interfuit, illicitè incestui lenocinijũ præbuerunt, Dei præsidentis arbitrio uniuersalis concilij ore ueridico damnatos esse cognoscitote.

In eadem synodo innocentem iudicatum & absolutum, cum quidẽ assessor admissus fuisset, Primianũ, idem indicat libro primo contra epistolam Parmeniani, cap. 3: & libro 3. contra Cresconium, cap. 13.

CERTHENSIS.

CErthensem synodum etiam Numidiæ concilium uidetur appellare Augustinus, in argumento libri contra Donatistas post collationem. Fuerunt in ea Siluanus senex, Valentinus, Aurelius, Innocentius, Maximinus, Optatus, Augustinus, Donatus, & cęteri episcopi. Scripserunt ij ad Donatistas, adhortates eos ut ueritati acquiescerẽt. Habetur ante eum librũ contra Donatistas post collationem, his uerbis:

Cũ in auribus nostris fama crebresceret, hoc uobis uestros episcopos dicere, cognitorẽ prędio fuisse corruptum, ut contra eos sententia proferretur: uos aũt ista facile credere, ac propterea multos uestrûm adhuc nolle acquiescere ueritati: placuit nobis, cognitę Domini charitate, ex concilio nostro hęc ad uos scripta dirigere: quibus primitùs admoneremini, illos uobis uictos atq; conuictos hæc mendacia iactare, qui etiã in suo mandato, q̃ pro illa collatione fecerunt, & suis nominib. atq; subscriptionibus firmaue runt, nos illic traditores & p̃secutores suos esse dicentes, in falsitate atq; mẽdacio manifestissimo detecti atq; cõuicti sunt: ita ut uorum suorũ, inter aliquorũ absentiũ nomina etiã mortui nomẽ insererent. Et cum quæreretur ubi esset, subita perturbatione cæcati, ipsi eum cõfiterentur in itinere defecisse. Et cum interrogarẽtur, Quomodo potuerit apud Carthaginẽ subscribere, qui in itinere iã defecerat? uehemẽtius perturbati, alio mendacio se obligauerũt, respõdẽtes eum à Carthagine redeuntem fuisse defunctũ. De quo mendacio exire omnino minimè potuerũt. Ecce quib. creditis uel de antiqua traditione, uel de cognitoris corruptione: qui mandatũ suũ, ubi nobis obiecerũt crimẽ traditionis, nõ potuerũt cõscribere sine crimine falsitatis. Proinde quę maximè necessaria credidim⁹, his literis tanquã breuiario collecta inseruimus: ne fortè ad magna gestorũ uolumina uel p̃uenire nõ facile possitis, uel ea legere laboriosum putetis. Carthaginẽ uenimus & uos, & episcopi uestri: & q̃ prius nolebãt, & indignũ esse dicebãt, in unũ cõueni mus. Electi sunt ex nobis & ex ipsis septem hinc, & septẽ inde, qui p̃ causa omniũ loquerentur. Electi sunt alij septẽ hinc, & septẽ inde: cũ quibus, ubi opus erat, consiliũ pertractarẽt. Electi sunt quatuor hinc, & quatuor inde: q̃ gestis cõscribendis custodes essent, ne infalsatũ aliqd ab aliquo diceretur. Dati sunt etiã à nobis & ab ipsis notarij, quatuor hinc, & quatuor inde: ut bini cũ exceptoribus iudicis alternarẽt, ne aliqs nostrûm se dixisse aliqd causaretur q̃ non fuisset exceptũ. Huic tãtę diligẽtię etiã illud est additũ, ut & nos & ipsi, quemadmodũ ipse iudex, uerbis nostris subscriberem⁹: ne quisquã diceret in illis gestis aliqd uel postea fuisse corruptũ. Cũ enim adhuc uiuentibus eis qui subscripserũt, innotuerint eadẽ gesta, omnib. locis in quib. oportet ut innotescãt, sic etiã ad posteros cõfirmata ueritas p̃durauit. Nolite ergo esse ingrati tantę misericordię Dei, quę p̃ istam diligentiã uobis ministrata est. Nulla excusatio iam remansit: nimiũ dura, nimiũ diabolica sunt hominũ corda, quę adhuc tãtæ manifestationi ueritatis obsistũt. Ecce episcopi partis uestræ: quos oẽs elegerunt ut pro omnib. loquerentur, conati sunt quantum potuerũt, ut omnino ipsa causa nõ ageretur: propter quã tantus numerus episcoporũ utriusq; partis de uniuersa Africa, & de tã longinquis locis Carthaginẽ uenerat. Et cum omnis anima suspẽsa expectaret, in tanta collectione, quid ageretur: illi uehementer instabant, ut nihil ageretur. Quare hoc? nisi quia causam suã malam sciebant: & facilimè se posse conuinci, si ageretur, dubitare non poterãt? Ipse ergo animus eorũ, quo timebãt ne causa ageretur, iam uictos eos esse monstrabat. Si enim extorquerent q̃ uolebant, ut iam collatio ipsa nõ fieret, nec disputationibus nostris ueritas appareret: redeuntes à Carthagine quid uobis erãt responsuri? quid demonstraturi? Credo prolaturi

erant gesta, & dicturi uobis: Nos instabamus ut causa ageretur, illi stabant ut non ageretur. Vos expectatis quid egerimus: Ecce legite ubi eos uicimus, ut nihil agerem'. Forte & uos responderetis, si cor haberetis. Nihil ergo acturi, ut quid istis? uel potius, q nihil egistis, ut quid redistis? Deniq; postea quàm non potuerunt efficere quod conati sunt, id est ut causa non ageretur: ipsa actio demonstrauit quid timuerint, quando in omnibus uicti sunt. Confessi sunt enim contra Ecclesiam catholicam, quæ toto terrarũ orbe diffunditur, nihil se habere quod dicerent, quia diuinis sanctarum Scripturarum testimonijs oppressi sunt, quibus Ecclesia designatur, incipiens ab Hierusalem, creuisse per loca in quibus Apostoli prædicauerunt, & nomina eorundem locorum in suis epistolis & actis conscripserunt, & inde diffundi per cęteras gentes. Cõtrà istam Ecclesiã se nõ habere causam, manifesta uoce professi sunt: ubi est euidentissima in nomine Dei nostri uictoria. Cũ enim confirmant Ecclesiam, cui nos communicare, ipsos autem nõ cõmunicare manifestũ est: olim se uictos esse testantur. & uobis, si sapiatis, apertissimè indicant, quid dimittere & quid tenere debeatis: nõ in ea falsitate, qua uobis nõ cessant adhuc usq; mentiri: sed in illa ueritate, qua uicti, coacti sunt confiteri. Quisquis ergo ab hac catholica Ecclesia fuerit separat', quantumlibet laudabiliter se uiuere existimet, hoc solo scelere quòd à Christi ueritate disiunctus est, non habebit uitam, sed ira Dei maneat super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia bene uixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata: quia unusquisque in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus dicit. Et quicunq; in ea corpus Christi manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. nã etiã hoc ipse Apostolus scripsit. Cũ aũt dicit, Iudiciũ sibi mãducat, satis ostẽdit, quia nõ alteri iudiciũ mãducat, sed sibi. Hoc nos egimus, & ostendimus, & obtinuimus: quia cõmunio malorũ non maculat aliquẽ participatione sacramentorũ, sed cõsensione factorũ. Nã si in factis malis nõ eis quisq; consentiat, portat malus causam suam, personam suam: nec pręiudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis. Hoc etiam ipsi uoce apertissima coacti sunt confiteri, non tunc, quando ista dicebamus: sed postea, cum aliud ageretur. Nam cum uentum fuisset ad causam etiam Cæciliani, quam nos ab Ecclesię causa distinguebamus: ut si fortè malus esset inuentus, ipsum anathematizaremus: non tamen propter ipsum Ecclesiam Christi relinqueremus, cui per malam suam causam pręiudicare non posset. Cum ergo etiam ad ipsam Cæciliani causam uentũ fuisset, & legissent illi concilium Carthaginense, ubi recitabant septuaginta plus minus episcoporum sententias cõtra Cæcilianum absentem prolatas: respondimus eis, sic nõ obfuisse illud episcoporum cõciliũ absenti Cæciliano, quemadmodũ nõ obfuit plurium episcoporum partis Donati concilium absenti Primiano, quando eum in Maximiani causa plus minus centũ episcopi damnauerant. Tunc illi nominata causa Maximiani, unde sciunt se etiam, quos damnauerant, in honore integro suscepisse: & baptismũ in sacrilego Maximiani schismate datũ se cõfirmasse, & non destruxisse: & in sua Vagaitana sententia, qua eos damnauerunt, quibusdã qui in ipso schismate fuerunt dilationem dedisse, & dixisse quòd eos non polluerint sacrilegi furculi Maximiani plantaria: ista ergo causa posteaquã eorũ aures percussit, expauescentes & perturbati, & obliti unde superius contra nos contendebant, continuò dixerunt: Nec causa causæ, nec persona personæ præiudicat. & cõfirmauerũt uerbis suis, quòd nos antea de Ecclesia dicebamus: quæ nõ solùm catholicæ transmarinæ, cõtra quã se confessi sunt non habere quod dicerent, uerùm etiã catholicæ Africanæ, quę illi unitatis cõmunione cõiungitur, causa & persona Cæciliani qualiscunq; fuisset iudicare nõ posset: si Maximianus, qui cũ cæteris socijs suis Primianũ dãnauit: si etiã Felicianus, qui simul Primianũ damnauit, et postea in causa Primiani à Donati parte dãnatus est, nõ pręiudicat parti Donati: cui modò episcopus, iudicut antea fuerat receptus, adiũgitur: sic etiã ipsis socijs suis Maximianus nõ pręiudicat, quib. isti dilationẽ dederũt, dicentes eos ab illo cum quo fuerũt, nõ fuisse pollutos: quia nec causa causæ pręiudicat, nec persona personæ. Quid ergo quæritis amplius? Multis quidẽ uerbis superfluis gesta onerauerunt: & quia nõ potuerunt efficere ut causa nõ ageretur, hoc fecerunt multum loquendo, ut qđ actũ est, difficile legeretur. Sed debẽt uobis etiã ista eorum pauca uerba sufficere, no ꝓpter nescio quę nescio quorũ hominũ crimina, oderitis unitatẽ catholicæ Ecclesiæ: quia sicut ipsi dixerũt, relegerũt, subscripserũt, nec causa causæ præiudicat, nec persona personę. Nã & in ipsa causa Cæciliani, quam licet ad Ecclesiæ causam nõ pertinentem, tã defendendã suscepimus, ut etiã ibi calũniæ manifestarẽtur ipsorũ, apertissimè uicti sunt: nihilq; eorũ quę in Cæcilianũ intendebant, probare potuerũt. Insuper etiã de criminib. traditionis nos episcopalia gesta proculimus: unde recitauimus aliquos eorũ episcoporũ, qui sentẽtias in absentẽ dixerãt Cæcilianũ, manifestissimos fuisse traditores. Cõtrà, ipsa

trà, ipſa geſta illi, qui non habebãt quod dicerent, falſa eſſe dixerunt: ſed nullo modo probare potuerunt. Inſuper etiam confeſsi ſunt, uel potius pro magna gloria profeſsi ſunt, Cęcilianum apud Cõſtantinum Imperatorem à ſuis præceſſorib. accuſatũ. Et addiderũt mendaciũ, quòd illis accuſantibus fuerit ab Imperatore dãnatus. Ecce & hinc uicti ſunt: unde uobis ſolet nebulas offunde re, cõcitates nobis inuidiã, & in odiũ ueſtrũ nos adducẽtes, quia Eccleſiæ cauſam apud Imperatores agimus. Ecce maiores eorũ, de quorũ nominib. gloriãtur, Eccleſiæ tũ dixerunt: Iam non uos inducant uaniſsimis & mendaciſsimis uerbis: redite ad cor ueſtrũ: timete Dominum, cogitate ueritatem, reliquite falſitatẽ. Quicquid enim iam paſs pro iuſticia, ſed pro iniquitate patimini: nõ ſi fueritis Imperialibus legibus, quod non poteritis dicere ideo uos eſſe iuſtos, qa ſic uobiſcum agi non debuit, ut Imperator uos ab iſta iniquitate compeſceret. Epiſcopi enim ueſtri confeſsi ſunt, maiores ſuos ſic egiſſe cum Cæciliano, quomodo uobiſcum agi non uultis: & tamen quòd Cæcilianum apud Imperatorem perſecuti fuerint, etiam ipſis confitentibus & profitẽtibus ſatis cõſtitit. Quòd aũt Cęcilianus fuerit ab Imperatore damnatus, omnino non cõſtitit: imò etiam cõſtitit, eum accuſantib. & perſequentib. maiorib. eorũ, & bis numero prius ab epiſcopis, & ab ipſo poſtea Imperatore fuiſſe purgatũ. Hoc etiã ipſi cõfirmauerunt, talia poſtea quaſi pro cauſa ſua proferẽdo: ut magis contra ipſos eſſe inuenirẽtur, & pro cauſa Cæciliani etiã illa quæ protulerũt recitarentur. Quoſcunq; ergo accuſare uoluerũt, nullis certis documẽtis probare potuerunt. Quicquid aũt nos & pro Eccleſiæ cauſa, & pro Cæciliani cauſa diximus, & uerbis ſuis & lectionib. à ſe prolatis etiã ipſi cõfirmauerũt. Nã protulerũt primò codicẽ Optati, un de quaſi probarẽt Cæcilianũ ab Imperatore dãnatũ, qui codex cũ contra illos legeretur, & magis oſtenderet Cęcilianũ fuiſſe purgatũ: ab omnib. riſi ſunt. Sed quia ipſe riſus nõ potuit ab exceptorib. excipi, uerbis ſuis apud acta riſos ſe eſſe teſtati ſunt. Iterũ recitauerunt & protulerũt libellũ Imperatori Conſtantino à ſuis maiorib. datũ, ubi queſti ſunt, quòd eos memorat' Imperator grauiter perſequeretur: ac ſic eodẽ libello manifeſtarũt, ſe apud Imperatorẽ à Cæciliano fuiſſe ſuperatos, falſumq; eſſe q̃ dixerunt, eũ ab Imperatore dãnatũ. Tertiò protulerũt litteras eiuſdẽ Cõſtantini ad uicariũ Verinũ datas, ubi eos grauiter deteſtatur: & ꝓpterea dicit de exilio relaxandos, & furori ſuo dimittendos, quia iam Deus in illos cœperat uindicare. Ac ſic etiã iſtis Imperatorijs literis cõfirmauerũt ſe falſum dixiſſe, quòd Cęcilianus ab Imperatore dãnatus ſit: cũ potiꝰ Imperator ipſos à Cęciliano uictos eſſe mõſtrauerit, quando eos uehementer execrat', ideo iuſsit ut de exilio dimitterẽtur, ut Deo iudice (ſicut etiã cœperat) punirentur. Poſtea Felicis Abtuginenſis ordinatoris Cæciliani in medium cauſam miſerunt, dicentes eundem Felicẽ fuiſſe traditorem, à quo Cæcilianus fuerat ordinatus. Et eiuſdem Conſtantini Imperatoris pro Cæciliano cõtra ſe ipſos literas protulerunt, ubi ad proconſulem ſcripſit, ut ad comitatũ ſuum mitteret Vigentium. Iſte autem Vigentius, niſi quia Cæciliani adhuc cauſa pendebat, & conabãtur immittere ſuſpicionem uaniſsimam, quòd poſteaquã Vigentius ad comitatum directus eſt, tunc Imperator contra Cęcilianum protulerit iudicare: & illud iudicium ſuũ, quod nos recitaueramus, ubi inter partes cognouerat, Cæcilianumq; purgauerat, ſententia poſteriore ſcindere. Sed dicebatur eis, ut hoc potius legerent: & nihil omnino proferebant. Illæ autem literę Imperatoris, quibus ad ſe mitti iuſsit Vigentium, quas contra ſeipſos pro Cæciliano recitauerunt, hoc continent, quòd Helianus cõſul in cauſa Felicis audientiã præbuerit cõpetentẽ, eundemq; Felicem à crimine traditionis innocentẽ fuiſſe conſtiterit. Sed Vigentiũ ad comitatum ſuũ propterea iubere tranſmitti, ut illis qui ibi erant, & diurnis diebus eũ interpellare nõ deſinebant, apparere & intimari poſſet: & fruſtra eos Cæciliano inuidiam comparare, & aduerſus eum uioléter inſurgere uoluiſſe. Quis eos crederet iſta cõtra ſe recitaſſe pro nobis, niſi Dei omnipotẽtis nutu factũ eſſet, ut non ſolùm uerba eorũ geſtis tenerẽtur, ſed etiã manus ſuſcribẽtiũ legerẽtur? Nã & ordine conſulũ & dierũ, qui geſtis expreſſus eſt, ſi quis nunc diligẽter aduertat, inueniet primò, Cęcilianũ epiſcopali iudicio fuiſſe purgatum: deinde nõ multo pòſt Felicis Abtuginẽſis cauſa ab Heliano procõſule examinata eſt, ubi eũ cõſtitit eſſe innocẽtẽ. in qua cauſa ad comitatum mitti iuſſus eſt Vigentius, & longè poſtea ipſe Imperator cauſam inter partes cognouit, atq; finiuit: in qua cognitione Cęcilianũ innocentem, illos aũt calumnioſiſsimos iudicauit. In quo ordine cõſulũ & dierũ ſatis oſtenditur, fallaciter eos & calumnioſè dixiſſe: quòd Imperator miſſo ad comitatũ Vigẽtio, iudicium ſuũ mutauit:: & Cæcilianũ, quem prius purgauerat, poſtea cõdẽnauit. Non ſolùm autem nihil de hac re legere potuerunt, & contra ſeipſos tanta legerunt: ſed etiam per ordinem conſulum euidentius conuincuntur, poſt cauſam Felicis proconſulari iudicio terminatã, in qua iuſsum

est ut ad comitatū Vigentius mitteretur: nec paruo interuallo, sed longè postea memorati Imperatoris iudicio inter partes habito, Cęcilianū fuisse purgatū. Non ergo uobis dicant, quia præmio corrupimus iudicē (quid enim aliud solēt uicti homines dicere?) Aut si aliquid dedimus iudici, ut contra illos ꝓ nobis pronunciaret: ipsis quid dedimus, ut contra se pro nobis tanta nō solùm diceret, uerùm etiam recitarent? An fortè uolunt, ut eis apud uos gratias agamus: quia cū dicant iudicem præmio à nobis esse corruptū, ipsi tamen multa quæ pro nobis contra se ipsos dixerunt & recitauerūt, gratis nobis omnia præstiterunt? Aut certè si propterea dicant quòd nos uicerint, quia melius egerūt causam Cæciliani quàm nos, hoc planè credatis illis. Nos enim duas lectiones pro illo sufficere putaueramus: illi aūt quatuor protulerūt. Sed quid uos plurib. literis oneremus? Si uultis nobis credere, credite: & teneamus pariter unitatē, quā iubet & diligit Deus. Si autem nobis non uultis credere, gesta ipsa legite, aut uobis ut legantur admittite: & an uera sint quę scripsimus, ipsi uobis probate. Si autem nihil horum facere uultis, & manifestissima ueritate conuictam partis Donati falsitatem adhuc sequi desideratis: mundi erimus à pœna uestra, quando uos serò postea pœnitebit. Si uerò id quod uobis pręstitit Deus non cōtempseritis, & post causam tam negligenter actam, & tam diligēter manifestatam, peruersam consuetudinem relinquentes, pace Christi & unitati consenseritis: de uestra correctione gaudebimus, & sacramenta Christi (quæ in sacrilegio schismatis ad iudicium habetis) utilia & salubria uobis erunt: cum in catholica pace habueritis caput Christum, ubi charitas cooperuit multitudinem peccatorum. Hæc ad uos scripsimus octauodecimo Calendas Iulias, pijssimo Honorio Augusto imperante: ut quando possunt, ad quosq; uestrūm istæ literæ peruenirent.

HIPPONENSIS.

SYnodi speciem habere uidetur etiā disputatio seu colloquium Augustini cum Maximino Arianorū episcopo, quæ Hipponе habuerunt, præsentib. plurib. tum clericis tum laicis. Disputationem eam uerò continuant tres libri Augustini contra Maximinum, ad quos lectorem remittimus, ne nimis prolixa fiat narratio.

COLLATIO INTER CATHOLICOS *Donatistas Carthagini*.

COllationis seu disputationis Catholicorū cum Donatistis summā, explicat Augustinus in Breuiculo, ut ipse uocat, collationum. Fuit collatio de maximis rebus per triduū integrum. Meminit eius Augustinus, cum expositione breui actionū libri primi, post collationem contra Donatistas, cap. 25. ad hunc modum.

Cōgregantur ex uniuersa Africa episcopi, ingrediuntur Carthaginē, cū tanta specioſi agminis pompa, ut tam magnæ ciuitatis oculos in se intētionēq; cōuertāt. Qui loquātur pro omnibus, eliguntur ab omnibus. Locus etiā re tanta dignus in urbe media procuratur. Vtriq; cōueniunt, iudex prætò est: tabulę patent. suspēsa omniū corda, exitum tantæ collationis expectant. Tunc à lectissimis & disertissimis uiris, quantis uiribus agi debuit aliquid, tantis agitur, ut agatur nihil. Quærūt personas foresi more discutere: in qua quæstione annosa etiā tēpora litigatores conterere consuerūt. Ista quippe actione catholici mādatū suū diuinis potius testimonijs, quàm forensib. formulis cōfecti sunt: & similiter se de scripturis responsuros esse promiserūt. Et quoniā mirifica opitulatione Deus uoluit, ut cū quęrūt personā petitoris, ne ueniretur ad causam, ipsa inquisitio petitoris in mediū subitò mitteret causam: clamāt præclari uiri, ad quid agendū uidebātur electi, ac se potius ad nō agendū electos esse testātur. & inuidosē iudici conquerūtur, sensim se in causæ interna deducit quasi aliquid aliud prætermisisis omnib. agi debuerit, quàm illud quod tanto pòst uelle rò agi uolebāt: quod nunquā prorsus agi uolebant, ubi uinci metuebant. Huiūs timoris apertissimā uocē, quis de illorū clauso pectore excuteret? & nō dico si eos donis largissimis ditaret, sed si eos pœnis crudelissimis torqueret? Cum enim persona petitoris forensi tritura cōquireretur: & uolētes ostendere nos esse petitores, ut personas nostras pmitterētur iure discutere, & moras annosissimas inuenire, legerūt libellū nostrū aliquādo ꝓcōsuli datū, quo eos petim⁹ cōueni re, ut ipsa inter nos tūc collatio fieret quodā modo ab Imperatore, utq; fieret impetrauimus, & eo libello nos quasi petitores esse mōstrarent: respōsum est à nobis, ideo nos semp uoluisse fieri collationē, nō ubi eis crimina obijceremus, sed ubi ea q̄ solēt obijcere purgaremus. Propter hoc hæretici ab Ecclesię unitate seperati, qa crimina obijciunt, quæ ꝓbare nō possūnt. Deinde q̄ uidebatur cognitor secutus ordinem temporum, ut gestis quæ protuleramus, ubi & ipsi apud præfectos collationem protulerāt, ideo præferret libellū nostrū ab ipsis prolatū, qa gesta illa pfectiora tēpore ꝓcedebāt: facillimè nos atq; iustissimè hac occasione oblata à cognitore impetrauimus, ut si ea ꝓferret quę tempore priora esse constaret, illud iuberet potius recitari, ubi ipsum apud Imperatorē Cōstātinū, ꝓ Amillinū ꝓconsulem accusarūt Cęcilianum:

lianũ: cuius crimina noſtræ cõmunioni obijciũt, quam uolebamus illa collatione purgare. Proinde poſteaquã legi cœpit, quoniã illic apertiſsimè in omnib. uincebantur, clamare cœperũt: Sẽſim iuducimur in cauſam. Et iterũ: Prouidet poteſtas tua, ſenſim nos in cauſæ interiora deduci. O' magna, ſed nõ miranda cõfuſio. Quãdo enim dęmon ſic exorciſtã timeret, quomodo timuerũt ne illa legerentur, ubi apparebat Cecilianus, & ab eorũ prędeceſſorib. apud Imperatorẽ accuſatus: & tot iudicijs nõ ſolùm epiſcopalib⁹, ſed etiã Imperialibus, abſolutus? Vel quãto precio emere poſſemus, quòd ipſo timore turbati redire auſi ſunt, etiã ad illius tẽporis proſcriptionẽ, ubi dixerãt, lapſam iã eſſe cauſam, & quatuor menſib. euolutis agi iã omnino nõ poſſe? Quid eſt hoc? Quis tã idoneus iudex inueniri poteſt animi eorũ, quem timor iſte ſic expreſſus, ſic apertus, ut cũ timuerũt, ut iudiciũ ſuũ de mala ſua cauſa nec ſilentio texerint, ſed uerbis apertiſsimis ꝓtorquendã cõfeſsionẽ. Tam fortis ex ore ꝓdiderint? O' uehementẽ trepidationẽ, ad exſiluit timor, ut eius impetu de fronte fugerit pudor. Sed cum legerentur ea quib. oſtẽtus, petitores propter agendã cauſam inquirebantur: perſonæ diſcutiebãtur. Et quãuis morarũ tendiculæ ne ad ipſam cauſam peruenirẽtur, terguerſatione necterẽtur: tamẽ propter agendã cauſam etiam iſta poſtulari ueluti iure uidebãtur. Poſtquã cauſa optima Ceciliani recitando prolata eſt, reuocatur exploſa & conuicta proſcriptio, diem cauſæ agendæ iam tranſiſſe clamatur.

Nomina Donatiſtarum in ſubſcriptione numerata ſunt 270, catholicorũ uerò omniũ præſentium nomina 285. Idem in Breuiculo, collatione primi diei.

EPHESINA PRIOR.

COngregata eſt, autoritate atq; edicto Imperatoris Theodoſij, ſynodus prior Baſſo & Antiocho Cõſulibus, anno nimirũ Chriſti quadringenteſimo trigeſimoſecundo, iuxta Marianũ: iuxta Proſperũ uerò, qua dringenteſimo trigeſimoquarto, Imperij Theodoſij anno 8: ab orbe cõdito (ſicut altius Nicephorus ſupputat lib. 14. cap. 34.) anno quater milleſimo nongẽteſimo decimoquinto, ad quem ducentis plures conuenere epiſcopi.

Liberatus archidiaconus Carthaginẽſis, Breuiarij ſui cap. 5. inquit, etiã Auguſtinum per literas ab Imperatore fuiſſe accerſitum, ſed morte præuentũ. Cauſa eius coactionis, hæreſis fuit Neſtorij. nam iuxta Photini & Samoſateni deliria, uiſi ſunt quidam diuinitatem Chriſto detrahere, ut nonnulli quidẽ putarunt: ſed quorũ opinionẽ Socrates, Neſtorij ſententiã propius contemplatus, rectè reprehendit lib. 7. cap. 32: Neſtoriũ nimirum, nec uel Photini uel Samoſateni ſecutũ errorem, Chriſtũ nudũ dixiſſe hominẽ: ſed ſolam Deiperæ uocẽ (ut laruam quandã, imitatione ſtulta Anaſtaſij presbyteri ſui, inſaniæ eius primi autoris) auerſatum, communicationem uidelicet idiomatum, & inſanã ſeu pernegationem, ſeu alienationem à Chriſti perſona omniũ idiomatũ humanæ naturę.

Synodo igitur Epheſi indicta, uenit eò poſt expletam Paſchæ feſtiuitatem Neſtorius inſolens & turbulentus, & epiſcopos multos congregatos reperit. Cyrillus Alexandrinus circa Pentecoſten adeſt, poſt eã uerò Iuuenalis epiſcop⁹ Hieroſolymorũ. Ioannes Antiochenus tardiſsimè uenit, longiſsimo ſcilicet, quod inter Epheſum & Antiochiam intercedit, itinere impeditus. Prius igitur quàm is adeſt, Cyrillus perturbandi Neſtorij cauſa uelitari quaſi in eum, actionumque facere præludia incipit, die poſt terminum ſynodi conſtitutũ decimaquinta: cũ diuinitatẽ quidẽ Chriſti ſynodo ſeriò aſtruẽti, Neſtorius confidenter reſpondet, ſe eum qui bimeſtris aut trimeſtris factus ſit, Deũ nequaquã nominaturum: ideoq; mundũ ſe eſſe à ſanguine eorum, nec poſthac uenturum.

Hæc poſteaquã reſpõdit, cũ epiſcopis ſuas partes ſectantibus cõſpirauit: atq; ita in duas partes ſynodi facta ſeparatio eſt. Cyrillus cũ ſuis, in ſynodũ Neſtoriũ accerſit: ſed qui, quòd rem omnẽ in Ioannis Antiocheni aduentũ reijceret, uenire recuſat. Synodus Cyrilli excutit aliquoties Neſtorij homilias, in quib. quæſtionem de Maria θεοτόκου mouerat, & manifeſtas in filiũ Dei blaſphemias euomuerat. Legit etiã literas Cyrilli & Celeſtini epiſcopi Romani, cui⁹ in ſynodo locũ Cyrillus obtinebat, ad Neſtorium, Neſtorij ipſius ad Cyrillũ. Profert poſtremò in mediũ ea quæ blaſphemè cõtra Chriſtũ Epheſi Neſtorius dixerat: & cõfirmat multorũ eximiorũ patrũ grauiſsimis ſententijs illa, quæ de fide rectè dicuntur: & Neſtoriũ deponit tandem hac formula, quam Euagrius recitat: Quoniam uenerandiſsimus Neſtorius neq; uocationi noſtræ obedire uoluit, neq; ſanctiſsimos atq; religioſiſsimos epiſcopos à nobis miſſos ſuſcepit, neceſſariò ad id progreſsi ſumus, ut quæ impiè ſunt ab illo præſumpta, reijcerem⁹. Et quoniã illũ cùm ex lectis epiſtolis & libris eius, tũ ex uerbis quæ recẽs in hac ipſa metropoli loquut⁹ eſt, impiè ſentiẽte & prædicãte deprehẽdimus, neceſſitate tã Canonũ quàm epiſtolæ ſanctiſsimi patris & cõminiſtri noſtri Celeſtini Romanę eccleſię epiſcopi coacti, frequẽter illachrymãtes, ad durã hãc ſententiã proferẽdã pro-

proceſsimus. Dominus itaq; noſter IESVS Chriſtus blaſphemijs ab illo affect', per hãc præſentem ſynodum Neſtorium hunc ab epiſcopali dignitate, uniuerſoque ſacerdotij collegio alienum eſſe decreuit.

Extat in uolumine Conciliorum epiſtola longa ipſius ad Neſtorium Synodi, cum anathematiſmis ſeu capitibus cõdemnationis, quæ depoſitionẽ Neſtorij proximè præceſſiſſe uidetur, quam tamen adijcimus.

Epiſtola concilij Epheſini ad Neſtorium.

Religioſo & Deo amabili conſacerdoti Neſtorio, Cyrillus, uel quicunq; ſunt apud Epheſinã ſynodum. Cũ Saluator noſter apertè pronunciet, Qui diligit patrẽ aut matrẽ ſuper me, nõ eſt me dignus: & qui diligit filium aut filiã ſuper me, non eſt me dignus: quid nos faciemus, qui depoſcimur à tua religione, ut te ſuper Chriſtũ, ſaluatorem omniũ, diligamus? Quid enim nobis in die iudicij proderit, aut quã ſatisfactionẽ reperire poterimus, propter tã diuturnũ ſilentiũ, de prolatis à te cõtra eũ blaſphemijs? Et ſi quidẽ tantũmodo læderes, docẽs iſta, uel ſentiens, ſolicitudo nobis minor exiſteret: cum uerò totã ſcandalizaueris Eccleſiã, & fermẽtũ inſolitæ prauitatis & nouæ hæreſis miſcueris in populis, nec tãtũ ibidẽ poſitis, ſed ubiq; cõſiſtentibus (nam tuarũ expoſitionũ libri per cuncta uulgati ſunt) pro noſtro filẽtio quæ ratio ultrà uel excuſationis ſermo ſufficiat? Aut quomodo nõ neceſſe ſit meminiſſe Chriſti Domini, ſic dicentis: Nõ putetis quòd uenerim pacẽ mittere, ſed gladiũ. ueni enim ſeparare hominẽ aduerſus patrẽ ſuũ, & filiam aduerſus matrem ſuam. Nam cum læditur fides, parentum reuerentia uelut inutilis & periculoſa deſpicitur, & amor erga filios fratresq; uitatur: ad poſtremũ etiam, ſuper ipſam uitam mors potius à pijs uiris eligitur, ut meliorem reſurrectionem (ſicut ſcriptum eſt) conſequantur. Ecce itaque te, ſimul cum ſancta ſynodo quæ apud amplam urbem Romam congregata eſt, præſidente ſanctiſsimo & reuerendiſsimo patre & conſacerdote noſtro Celeſtino epiſcopo, his ſcriptis ſynodicis te etiam tertiò conuenimus, conſilium dantes, ut à tam prauis abſtineas, diſtortisq; dogmatibus, quæ & ſentire cognoſceris, & docere: recipias uerò fidem rectam, Eccleſijs per beatiſsimos Apoſtolos & Euangeliſtas ab initio traditã, qui & oculis inſpexerunt, & miniſtri uerbi fuiſſe monſtrantur. Quòd ſi hoc religio tua facere diſtulerit, iuxta dilationem literis præfinitam ſanctiſsimi & reuerendiſsimi cõ ſacerdotis noſtri Romanæ præſulis eccleſiæ Celeſtini: ſcias, te nullam ſortem habere nobiſcum, nec locũ aut colloquium cum Dei ſacerdotibus & epiſcopis obtinere. Non enim fas eſt contemnere nos, non ſolùm Eccleſias ita turbatas, & ſcandalizatos populos, fidemque rectiſsimam uiolatam, diſſipatamque: quin etiam gregem, quem cuſtodire debueras, ſi quidem iuxta nos amator recti dogmatis extitiſſes, ſanctorum patrum ueſtigia pia conſectans. Omnes itaque, quos propter fidem tua religio à communione remouit, aut ab ordine ſuo depoſuit laicos & clericos, in noſtram commu-nionem recipimus. Non enim iuſtum eſt, eos tuis decretis opprimi, qui nouerunt recta ſentire: qui etiam, bene facientes, tibi prudentiſsimè reſtiterunt. Hoc idem namque in epiſtola, quam miſiſti ad præſulem amplæ Romę ſanctum & coepiſcopum noſtrum Celeſtinum, ſignificare curaſti. Non autem ſufficit uel tuę religioni, tantummodo fidei ſymbolum confiteri, quod expoſitum eſt per idem tempus, Spiritu ſancto largiente, à uenerãdo & magno Cõcilio apud Niceam congregato. hoc enim non intelexiſti, nec rectè interpretatus es, quinimo peruerſè: licet ſono uocis eadem uerba proferas. Sed conſequens eſt, etiam iureiurando fateri te, quòd anathematizes quidem tua polluta & prophana dogmata: ſentias autem & doceas, quæ nos uniuerſi per Orientem ſeu per Occidentem epiſcopi & magiſtri, præſulesq; populorum credimus & docemus. Epiſtolis autem ab Alexandrina eccleſia tuæ religioni directis, conſenſum præbuit tam ea quæ apud urbem Romam conuenit ſancta ſynodus, quàm etiam nos omnes, uelut rectè irreprehenſibiliter-que conſcriptis. Subdimus autem his noſtris, quæ te ſentire oporteat & docere, & ea à quibus abſtinere conueniat. Hæc eſt enim fides catholicæ Eccleſiæ, tui cuncticonſentiunt orthodoxi per Orientem Occidentemq; Pontifices.

Credimus in unum Deum, patrem omnipotentem, omnium uiſibilium & inuiſibilium conditorem. Et in unum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, filium Dei, naturam de patre unigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia patris, Deũ ex Deo, lumen de lumine, Deũ uerum ex Deo uero: natum, non factum: homouſion patris, hoc eſt unius cum patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt in cœlo & in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cœlis. Et incarnat' eſt: & homo factus, paſſus eſt. Et reſurgẽs tertia die, aſcendit in cœlos, inde uẽturus iudicare uiuos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. Eos autem qui dicũt, Erat tempus quando non erat, & antequam naſceretur non erat, & quia ex nullis exiſtentibus factus eſt, aut ex alia ſubſtantia uel eſſen-

essentia esse dicunt, aut conuertibilem, uel commutabilem Dei filium, anathematizat Catholica & Apostolica ecclesia.

Sequentes autem omnium sanctorum patrum confessiones, quas, loquente in eis sancto Spiritu, protulerũt, & intentioni quę est in eorum intellectu, æquis uestigijs inhærentes, atque iter ambulantes regium, profitemur, quòd ipsum unigenitum Dei uerbum, natum ex ipsa patris essentia, de Deo uero Deus uerus, lumen de lumine, per quẽ omnia facta sunt siue in cœlis siue in terra, salutis nostrę causa descendit, & ad exinanitionem sese dignatus est inclinare: natus autem sancta susciens, eamque propriam fecit, & homo factus, id est carnem de uirginem, natiuitatem nostram ex uulua sustinuit, homo de muliere procedẽs, nec quod erat abijciens. Nam licet factus sit in assumptione carnis & sanguinis, tamen etiam sic quod erat Deus, natura scilicet & ueritate, perstitit. Nec carnem itaque dicimus in naturam Deitatis esse conuersam, nec in substantiam carnis Dei uerbi essentiam commutatam.

Inconuertibilis est enim, & incommutabilis, idemque ipse iuxta Scripturas, iugiter permanens. Visus est autem & paruulus, positusq; in cunabulis, & sinib. genetricis uirginis constitutus, uniuersam creaturam replebat, ut Deus genitori suo indiuisus existeret. Quod diuinum est enim, sine quantitate & sine mole cognoscitur, nec ullis terminis continetur uerbum Dei. Secundum subsistentiam confitentes, unum adoramus filium, & Dominum Iesum Christum, non seorsum ponentes & determinantes hominem & Deum, uelut inuicem sibi dignitatis & authoritatis unitate coniunctos. hoc enim nouitas uocis est, & nihil aliud. Nec inter Christum specialiter nominantes Dei uerbum, quod ex Deo est: nec alterum similiter Christum specialiter, qui de muliere natus est: sed unum solũmodo Christum, Dei patris uerbũ, cũ ꝓpria carne cognoscimus. Tunc enim etiã iuxta nos unctus est, quãuis spiritũ dignis ipse cõtulerit, & nõ ad mensuram, sicut B. Ioannes asseruit. Sed nec illud dicimus, quòd Dei uerbũ, uelut hominem communẽ, qui de sancta uirgine natus est, habitauerit, ne Deum homo Christus habitatorem posidere credatur. Quãuis enim habitauerit in nobis, & dictum sit in Christo habitare omnẽ plenitudinem Deitatis corporaliter: attamen intelligimus, eum, quòd caro factus, non sicut in sanctis habitare dicatur, nec talem in ipso habitationem factã diffinire tentauimus, sed unitus iuxta naturam, nec in carnẽ penitus commutatus, talẽ sibi fecit habitationem, qualẽ & anima hominis habere creditur ad propriũ corpus. Vnus igitur est Christus, filius & Dominus, nõ uelut coniunctionẽ quãlibet in unitate dignitatis & autoritatis hominis habentis ad Deũ. nõ enim potest unire naturã sola dignitatis æqualitas. Deniq; Petrus & Ioãnes, æqualis sunt ad alterutrũ dignitatis, propter quod Apostoli & sancti discipuli esse mõstrãtur: ueruntamen uterq; nõ unus est. Nec iuxta collationem uel connexionẽ, modũ coniunctionis aduertimus. hoc enim ad unitatem non sufficit naturalem. Nec secundum participationis affectũ, sicut nos etiã adhærentes Domino, unus cum eo spiritus sumus: imò potius cõiunctionis nomẽ euitamus, tanquã nõ existẽs idoneũ, q, significet unitatis arcanũ. Sed neq; Deũ aut Dominũ. Christi, uerbũ Dei patris asserimus, ne iterũ manifestius in duo diuidamus unũ Christũ, filiũ & Dominũ, & in crimẽ sacrilegij recidamus, Deũ illi seipsum faciẽtes, & Dominũ. Vnitus quippe (sicut superius diximus) Dei uerbũ carni secundũ subsistentiã, Deus quidẽ est omniũ, & dominator uniuersitatis: ueruntamen nec seruus est sibi ipse, nec Dominus: quoniã ineptũ est, uel potius impiũ, hoc sentire uel dicere. Quamuis enim dicat Deũ suũ patrẽ, cũ sit Deus, & de substãtia eius: tamẽ nullatenus ignoramus, quòd manens Deus, homo quoq; factus sit, qui sub Deo iuxta debitã legẽ naturæ humanitatis existeret. Ipse uerò sibi quomodo uel Deus poterit esse, uel Dominus? Ergo sicut homo, quantũ decenter exinanitionis mensurę cõgruit, sub Deo se nobiscũ esse deseruit. Hoc etiã, quomodo sub lege factus est, quamuis ipse promulgauerit legẽ, & legislator ut Deus existeret, cauemus de Christo dicere. Propter assumentẽ, ueneror assumptũ: & ꝓpter inuisibilẽ, adoro uisibilẽ. Horrendũ uerò sup hoc est etiã illud dicere: Is q susceptus est, cũ eo q suscipit, cõnũcupatur Deus. Qui enim hæc dicit, diuidit iterũ in duos Christos, eũ qui unus est, hominẽ seorsum in parte, & Deum similiter in parte cõstituẽs. Euidenter enim denegat unitatẽ, secundũ quam nõ alter cum altero coadoratur, aut cõnuncupatur Deus, sed unus intelligitur Christus Iesus, filius Dei unigenitus, una seruitute cum propria carne uenerandus. Confitemur etiã, quòd idẽ ipse qui ex Deo patre natus est, filius unigenitus Deus, licet iuxta naturam suã expers passionis extiterit, pro nobis tamẽ secundũ Scripturas perpessus sit, & erat in crucifixo corpore propriæ carnis impassibiliter ad se referens passiones. Gratia uerò Dei pro omnibus gustauit mortem, tradens & proprium corpus, quamuis & naturaliter ipse uita sit, & resurrectio mortuorũ. Nam ut mortem ineffabili potẽtia proculca

ret,

ret, ac prius in ſua carne primogenitus ex mortuis fieret,& primitiuę dormientiũ,uiáque faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recurſum,gratia Dei (ſicut ſuprà dictum eſt) pro omnib.guſtauit mortẽ: & tertia die reſurgẽs,expoliauit infernũ.Idcirco, quãuis dicatur quòd per hominem facta ſit reſurrectio mortuorũ: tamen intelligimus hominẽ factum uerbum, quod ex Deo eſt: & per ipſum,mortis imperium fuiſſe deſtructum. Veniet temporibus præfinitis (ſicut eſt unus filius & Dominus) in gloria patris,ut iudicet orbem terrarum in æquitate,ſicut Scriptura teſtatur. Neceſſariò igitur & hoc adijcimus. Annunciantes enim,ſicut ſecundum carnem,mortem unigeniti filij Dei,id eſt Ieſu Chriſti,& reſurrectionem eius,& in cœlis aſcenſionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Eccleſijs ſacrificij ſeruitutem:ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus,& ſanctificamur, participes ſancti corporis & precioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrorum redemptoris effecti, nõ ut cõmunem carnem percipiẽtes (quod abſit) nec ut uiri ſanctificati, & uerbo cõiuncti ſecundũ dignitatis unitatẽ ac ſicut diuinam poſſidentis habitationẽ,ſed uerè uiuificatricẽ & ipſi⁹uerbi ꝓpriã factã.Vita enim naturaliter ut Deus exiſtens, quia propriæ carni unitus eſt,uiuificatricẽ eam eſſe profeſſus eſt. Et ideo,quãuis dicat ad nos,Amen amen dico uobis,niſi manducaueritis carnẽ filij hominis,& biberitis eius ſanguinẽ: nõ tamen eam, ut hominis unius ex nobis exiſtimare debemus (quomodo enim iuxta naturam ſuã uiuificatrix eſſe caro poterit hominis?) ſed ut uerè propriam eius factã qui propter nos filius hominis eſt factus,& uocatus.Eas autem uoces,quas Saluator noſter in Euangelio protulit,non in duabus ſubſiſtẽtijs aut perſonis omnino patimur: nõ enim duplex eſt, unus Chriſtus & Deus ſolus, quamuis ex duabus diuerſisque rebus ad unitatem cognoſcitur indiuiduam conueniſſe: ſicut homo quoq; ex anima conſtans & corpore, non duplex,ſed unus potius eſt ex utroque. Humanas ergo & diuinas inſuper uoces ab uno Chriſto dictas, animaduertentes, rectè ſentimus. Quum enim Deo digniſsimè loqtur de ſeipſo, Qui me uidet,uidet & patrẽ: &,Ego & pater unũ ſumus:diuinam eius intelligimus,ineffabilemq; naturã, ſecundum quã unus eſt cũ patre ſuo, propter unã eandemq; ſubſtantiã,imago & character,ſplendorq; gloriæ eius exiſtens.Quũ uerò humanæ naturæ menſurã nullatenus ignorans,Iudæos alloquitur, Nunc me quæritis hominem occidere,qui ueritatem loquutus ſum uobis:item nõ minus eum qui in ſimilitudine & ęqualitate patris eſt,Deum uerum etiã in menſuris humanitatis eius agnoſcimus. Si autem neceſſariò creditur, quòd natura Deus exiſtens,factus ſit caro, imò potius homo animatus anima rationali:quę cauſa eſt, ut in eius quibuslibet uocibus erubeſcat, ſi eas homine dignas effatus eſt? Quòd ſi ſermones homini congruentes abijcit, iuxta nos hominem fieri quis coegit? Quum uerò ſe propter nos ad exinanitionem ſponteneã miſericorditer inclinauerit, quã ob cauſam igitur perſonæ cuncta eius in Euangelio alſcribimus,uni hypoſtaſi uel ſubſiſtentiæ uer bi ſcilicet incarnati, quia unus eſt Dominus IESVS Chriſtus,ut ſcriptũ eſt. Appellatũ uerò ab Apoſtolo, Apoſtolũ & Pontificem confeſsionis noſtræ, tanquam ſacrificantẽ Deo & patri fidei noſtræ confeſsionem,quę à nobis ipſis,& per ipſum,ipſi Deo patri inceſſanter offertur,iterũ eũ dicimus,qui ex Deo ſecundũ naturã filius unigenitus eſt,nec hominẽ præter eũ alteri ſacerdotij nomẽ & officiũ deputam⁹. Factus eſt enim mediator Dei & hominum,& reconciliator ad pacẽ ſemetipſum Deo & patri pro nobis offerẽs in odorẽ ſuauitatis.Ideoq; dicebat: Sacrificiũ & oblationẽ noluiſti,holocauſta & pro peccato nõ tibi placuerunt: corpus aũt perfeciſti mihi. tunc dixi: Ecce uenio, in capite libri ſcriptũ eſt de me, ut facerem Deus uolũtatem tuã. Obtulit enim proprium corpus, non pro ſe, ſed pro nobis,in odorem ſuauitatis. Nam qua pro ſe uel oblatione,uel ſacrificio indigeret,omni peccato liber,ut Deus exiſtens? Quòd ſi oẽs peccauerunt,& egẽt gloria Dei, ſecundũ hoc quod ſumus ad mutabilitatis exceſſum proniores effecti: & peccatis ęgrotauit humana natura,ipſe uerò nõ ita, ideoque & nos gloria eius egemus: cur erit ultrà iam dubiũ,quòd agnus uerus pro nobis ſic immolatus?Qui aũt dicit,quia ſeipſum tam pro ſe quàm pro nobis obtulerit,nullatenus impietatis crimẽ effugiet: quũ nihil prorſus iſte deliquerit, nec ullũ fecerit omnino peccatũ. Qua igitur egeret oblatione,nullo ſuo exiſtente facinore?Pro quo,ſi eſſet, ſatis admodũ cõueniẽter offerret. De ſpũ quoq; cũ dicit,Ille me clarificabit: hoc rectiſsimè ſentientes,unũ Chriſtũ Dominũ,& filium, non uelut alterius egentem gloria, confitemur à Spiritu ſancto gloriã cõſecutũ:quia eius ſpiritus nec melior nec ſuperior ipſo eſt.Sed quã humana opera faciẽs ad demõſtrationẽ ſuæ Deitatis,uirtute proprij ſpirit⁹ utebatur, ab ipſo glorificari dicitur, quòd uirtus ſua uel diſciplina quælibet unumquenq; clarificet. Quamuis enim in ſua ſit ſubſtantia ſpiritus eius, & intelligatur in perſona proprietas, iuxta id quòd ſpiritus eſt, & nõ filius: attamen alienus ab illo non eſt. Nam ſpiritus appella-

appellatus est ueritatis, & ueritas Christus est: unde & ab isto similiter, sicut ex Deo patre procedit. Deniq; hic ipse spiritus, etiam per sanctorum manus Apostolorum, miracula gloriosa perficiens, Dominum glorificauit IESVM Christum, postquam ascendit in cœlum. Nam creditus est Christus, naturà Deus existens, per suum spiritum uirtutes efficiens: ideoque dicebat, De meo accipiet, & annunciabit uobis. Nequaquam uero participatione alterius, idem Spiritus sapiēs aut potēs dicitur: quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono. Nam paternę uirtutis & sapientiæ, id est filij spiritus creditur: & ideo ipsa re & subsistentia uirtus & sapiētia cōprobatur. Igitur quia Deum carne unitū iuxta subsistentiam, sancta uirgo corporaliter peperit, idcirco eam Deigenitricē esse profitemur: non quòd uerbi natura, existendi principiū de carne sortita sit: (erat enim in principio Verbum, & Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & ipse cōditor seculorū patri coæternus, & uniuersitatis creator) sed quòd, ut superius diximus, iuxta subsistentiam sibimet uniens humanam naturam, natiuitatem subsisteret ex ipsa uulua corporea. Non quod egerit necessariò, propter suam naturam, natiuitate quæ est in extremis seculi facta temporibus: sed ut ipsas beneficeret substantiæ nostræ primitias, & dum eū carni unitum mulier edidisset, illa quæ aduersus omne genus humanum maledictio fuerat prolata desineret, nec iam morti nostra corpora destinaret. Illud quoq; dictum, In tristitia paries filios, ipse dissoluens, uerum esse monstraret, quod prophetæ uoce prædixerat, Absorpta est mors in uictoria. Et iterum: Abstulit Deus omnem lachrymam ab omni facie. Propter hanc enim causam dici mus, eum dispensatoriè & ipsis tunc benedixisse nuptijs, cum in Cana Galilææ cum sanctis uocatus fuit Apostolis. Hæc sapere edocti sumus tam à sanctis Apostolis, quàm Euāgelistis, & ab omni scriptura diuinitùs inspirata, nec non & à beatis patrum confessionibus ueritate subnixis. His omnibus etiam religionem tuam concordare, & præter aliquem dolum consentire conuenit. Quæ uerò religionem tuam anathematizare necesse est, huic epistolæ nostræ subiecta sunt.

Capitulum primum.

Si quis non confitetur Deum esse ueracitèr Emmanuel, & propterea Deigenetricem sanctam uirginem, (peperit enim, secundū carnem, carnē factum Dei Verbum, secundū quod scriptum est, Verbum caro factum est) anathema sit.

2. Si quis non confitetur, carni secundum substantiam unitum Dei patris uerbum, unumq; esse Christum cū propria carne, eundem scilicet Deum simul & hominem, anathema sit.

3. Si quis in uno Christo diuidit substantias post unitatem, sola eas connexione coniungens, eamque quæ secundum carnis dignitatem sit, uel etiam authoritatem & potestatem, ac non potius conuentu qui per unitatem factus est naturalē, anathema sit.

4. Si quis in personis duabus uel subsistentijs, eas uoces quæ in Apostolicis scriptis continentur, & Euangelicis, diuidit, uel quæ de Christo dicuntur à sanctis, uel ab ipso: & aliquas quidem ex his uelut homini, qui præter Dei uerbum specialiter intelligatur, aptauerit: illas autem tanquam dignas Deo, soli Dei patris uerbo deputauerit, anathema sit.

5. Si quis audeat dicere, hominē Christum theophoron, id est Deiferum, ac non potius Deum esse ueraciter dixerit, tanquam filium per naturam, secundum quod Verbum caro factū est, & communicauit similiter ut nos carni & sanguini, anathema sit.

6. Si quis dicit, Deum esse uel Dominum Christi, Dei patris uerbum, & nō magis eundem ipsum confitetur Deum simul & hominem, propterea quòd Verbum caro factum est secundum Scripturas, anathema sit.

7. Si quis uelut hominem, Iesum operante Deo uerbo dicit adiutū, & unigeniti gloriam tanquam alteri præter ipsum existenti tribuit, anathema sit.

8. Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorandum Deo uerbo, & conglorificandū, & connuncupandum Deum tanquam alterū cū altero, (nam Con syllaba superadiecta, hæc cogit intelligi) ac non potius una supplicatione ueneratur Emmanuel, unamq; ei glorificationē dependit, iuxta quod Verbum Dei caro factum est, anathema sit.

9. Si quis unum Dominum IESVM Christum glorificatum dicit è Spiritu sancto, tanquā qui aliena uirtute per eum usus fuerit, & ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, posse & coram hominibus diuina signa perficere, ac non potius propriū fatetur eius spiritū, per quem diuina signa expleuit, anathema sit.

10. Pontificem & apostolum confessionis nostrę factum esse Christum, diuina Scriptura commemorat. obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suauitatis Deo & patri. Si quis ergo pontificem & apostolū nostrum dicit factum non ipsum Dei uerbum, quando caro factum est, & homo iuxta nos homines, sed uelut alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere: aut qui di-

cit quòd pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potius pro nobis solis, (nõ enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nesciuit) anathema sit.

11. Si quis non confitetur, carnem Domini uiuificatricem esse, & propriam ipsius uerbi Dei patris, sed uelut alterius præter ipsum, coniuncti eidem per dignitatem, aut quasi diuinam habentis habitationem, ac non potius uiuificatricem esse, quia facta est propria uerbi, cuncta uiuificare ualentis, anathema sit.

12. Si quis non confitetur Dei uerbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumq; primogenitum ex mortuis, secundum quod uita est, & uiuificator ut Deus, anathema sit.

13. Ait igitur magna & sancta synodus, ipsum qui est ex Deo patre naturaliter natus, filium unigenitum, Deũ de Deo uero, lumẽ de lumine, per quem & cum quo omnia fecerit pater: hunc descendisse, incarnatum esse, & hominem factum, passum esse, & resurrexisse tertia die, ascendisse rursus in cœlos. Hęc nos sequi uerba debemus, his nos conuenit obtemperare dogmatibus, considerãtes quid sit incarnatum esse, & hominẽ factũ Dei uerbum. Non enim dicimus, quòd Dei natura conuersa uel immutata, facta sit caro: nec quòd in totũ hominẽ, qui est ex anima & corpore, transformata sit: sed magis quòd carnem, animatã anima rationali, sibi copulauerit: uerbumq; substantialiter, ineffabiliter & incomprehensibiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiã filius hominis, nõ nuda tantummodo uoluntate, sed nec assumptione sola personę, sed quòd diuersę quidẽ naturæ in unum cõuenerint, unus tamen ex ambabus Christus & filius, nõ euacuata uel sublata diuersitate naturarũ per coniunctionem: sed quia simul nobis effecerunt unum Deum, & Christum, & filiũ: id est, diuinitas & humanitas, per arcanã illã, ineffabilemq; copulationis adunationem. Itaq; is qui ante secula omnia est natus ex patre, etiã ex muliere carnaliter est procreatus in tẽpore. Non qa diuina ipsius natura de sacra uirgine sumpsit exordium, nec propter seipsam opus habuit secundò nasci post illã natiuitatem, quã habebat ex patre: (est enim ineptum & stultũ, hoc dicere, quòd is qui ante omnia secula est, & consempiternus patri, secundæ generationis eguerit, ut esse inciperet) sed quia propter nostram salutem, naturam sibi copulauit humanã, & processit ex muliere, idcirco dicitur esse natus carnaliter. Neque enim primùm natus est homo communis de sancta uirgine, & tũc demum inhabitauit in eo uerbũ: sed in ipsa uulua uteroq; uirginali secũ carnẽ cõiunxit, & sustinuit generationem carnalẽ, carnis suę natiuitatẽ, suã faciens. Sic illum dicimus & passum esse, & resurrexisse: nõ quia Deus uerbũ in sua natura passus sit aut plagas, aut clauorũ trãsfixiones, aut alia uulnera susceperit: (De⁹ nãq; incorporalis, extra passionẽ est) sed quia corpus illud, qđ ipsius propriũ factum est, hoc sustinuit, ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Interat enim in eo corpore, quod patiebatur, De⁹, q pati nõ poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile est naturaliter & uita & uiuificans Deus uerbum: sed quia corpus ipsius propriũ, gratia Dei (iuxta Pauli uocẽ) pro omnib. mortem gustauit, idcirco ipse dicitur mortẽ passus p nobis. Non quòd ipse mortẽ esset expertus, quantũ ad ipsius naturã pertinet (insania enim est, hoc uel sentire, uel dicere) sed quòd (ut diximus) uera caro ipsius mortẽ gustauit. Ita & resurgente carne, ipsius rursus resurrectionẽ dicimus, nõ quia in corruptionẽ ceciderit, quod abfit: sed quia eius resurrexit corpus. Ita Christũ unũ & Domiñ cõfitemur, non tanquã hominẽ cũ uerbo coadorantes, ne diuisionis quædam species inducatur, sed unum iam & eundem adorãtes: quia nõ est alienum à uerbo corpus suũ, cum quo ipse etiam assidet patri. Nec hoc ita dicimus, quasi duobus filijs assidenti-bus: sed uno cum carne per unitatẽ * quia si talem copulationem factam per substantiã, aut quasi prępassibilem, aut quasi parũ decorã, uoluerimus accipere, in id incidemus, ut duos filios esse dicamus. Necesse est enim discernere, & dicere hominẽ seperatim filiũ, se, sola filij appellatione honoratum: & rursus uerbum, quod est ex Deo in homine, in ueritate filium Dei. Sed discernere in duos filios non debemus unum Dominum IESVM Christum. neque enim adiuuat rectam fidei rationem, licet nonnulli copulationem (nescio quam) perhibeant personarum. Non enim dicit Scriptura, uerbum Dei personam sibi hominis assumpsisse: sed carnem factum esse. Id autem ostendere, Dei uerbum similiter ac nos, principium habuisse carnis & sanguinis, & corpus nostrum propriè suum fecisse, & hominem ex muliere processisse, nõ abiecta uel deposita deitate, aut generatione illa quam habebat ex patre, sed manẽsse etiam in assumptione carnis Deum, quod erat. Hoc itaque rectæ fidei ratio protestatur: in tali sensu sanctos patres fuisse cõperimus. Ideoq; illi non dubitauerunt, sanctam uirginem dicere Theotocon: non quia uerbi natura, deitasq;, in sancta uirgine sumpsit exordium: sed quòd ex ea natum sit sacrum illud corpus, animatũ anima rationabili, cui substantialiter adunatum Deus uerbum, carnaliter natum esse dicitur. Hæc igitur pro chari-

tate in Christo scribo tibi, quærēs tanquam frater, & contestans corā Deo & electis eius angelis, ut hæc nobiscū sentias: simul & dolceas, ut Ecclesiarū pax salua seruetur, & concordiæ charitatisq; uinculum indissolubile maneat sacerdotibus Dei.

¶ Sed Cyrillum & Memnonem Ephesinū episcopū, in synodo sua Nestorius uicissim deponit: cum interea ex Antiochia uenit Iohannes, episcopis & sacerdotib. comitatus (ut Niceph. habet) uigintiduobus. ex quib. Liberatus numerat Alexandrum Apatanæ, Ioannem Damasci, Asianum Seleuciæ, Alexandrum Hierapoleos, Himerium Nicomediæ, Helladium Tarsi, Maximum Anatrabi episcopos, ad triginta quatuor. Is igitur, qd non suus suorumque aduentus expectatus, sed damnatus Nestorius fuisset, Cyrillo succensēt, & Memnoni: ijsque à se suorumque consessu damnatis, uicissim in hanc scribit sententiam: Optamus quidem secundū regulas sanctorum patrum, & secundum literas pijssimorum & Christianorum Imperatorum nostrorum, cum pace fieri synodum. Quoniam aūt audacia & seditione & hæretico sensu utentes, soliq; considentes, nobis propinquantibus, secundū literas pijssimorum Imperatorum nostrorum, secundam synodum implestis, ut ne requirerentur capitula quę contrauenerunt Apollinaris & Arij & Eunomiæ perfidiæ & impietati, neq; expectastis presentiam sanctorum episcoporū, qui undiq; à pijssimis Imperatorib. conuocati sunt, (cum magnificentissimus comes Candidianus in scriptis & sine scriptis præcepisset uobis, ne quid tale uobis sumeretis, sed expectantes cōmune omnium sanctorū episcoporū concilium) ideo scitote, depositos uos esse ab episcopatu, Cyrille Alexādrine episcope, & tu Memnon huius ciuitatis, & alienos ab omni Ecclesiastico ministerio, tanquam qui uniuersæ seditionis & iniquitatis autores fueritis, quiq; ut regulæ patrū & Imperiales sanctiones coculcarentur, causam præbueritis. Cæteri aūt omnes qui consensistis, agentes contra leges atq; aduersus sanctiones Imperiales, excōmunicati item estote, quoad uestrū agnoscētes delictū, pœnitentia agatis, fidemq; sanctorum patrum, qui Niceæ cōgregati fuerunt, suscipiatis, nihil aliud noui introducētes: & anathemate feriatis hæretica capitula, quæ à Cyrillo Alexādrino episcopo exposita sunt cōtra Euangelicā & Apostolicā doctrinā: & sequamini literas pijssimorum & Christianiss. Imperatorum nostrorum, quę præcipiunt, ut de fide exactè & per tranquillitatem inquisitio fiat.

Extremæ eius in Cyrillū & Memnonem sententiæ exemplar, cuius initiū fuisse Liberatus indicat (Pietas uestra præfulgēs ad beneficium orbis terrarum) posteaquā ad Imperatorem missum est, ueniunt in synodum ex Italia legati Celestini papæ, Archadius, Proiectus, & Philippus ecclesiæ Romanæ presbyter: quibus contestationem suam aduersus Ioannem Cyrillus & Memnon explicant. & tantum efficiunt, ut in synodum per Danielem Colanæ secundæ Cappadociæ, Cōmodum Tripolis Lydiæ, & Timotheum Terraconensem, Hellespōti episcopos, cum notario & renunciante diacono, Iohannes cum suis uocetur. Qui responsum aliud prēter hoc nullum remittit: Neq; uos mittatis ad nos, neq; nos ad uos, quoniam de uobis responsum Principis expectamus. Ita igitur ultionis cupidi Cyrillus & Memnon, Ioannem cum suis uicissim deponunt. Ipsi uerò cum libellos synodo obtulissent, & coactus Ioannes, ut rationem depositionis illorum redderet, non compareret, à sententia depositionis absoluuntur.

Interea per Ioannē Imperator synodo tōti scribit in hunc modū: Nestorij, Cyrilli & Memnonis damnationem suscipimus. Alia uerò quæ apud uos gesta sunt, & damnata, reprehendimus, Christianam fidem rectitudinemq; custodientes, quam ex patrib. progenitoribusq; suscepimus.

His ita cōfusis, Nestorius pœnitentiam simulans, ad synodum refert: Dicatur Maria Deipera, & cesset hęc molestia. Sed quod ex animo & uera pœnitentia dicere ea minimè uideretur, receptus non est. Narrat Euagrius, imperatorem Theodosiū depositioni Nestorij initiò non consensisse, postea uerò blasphemias eius rectius cognouisse, ac pias literas ad Cyrillum & Ioannem misisse, quibus effecerit, ut redeuntes in gratiam Cyrillus & Memnon, depositionem Nestorij confirmarint. Quod Cōstantinopoli factum, Zonaras indicat, quò episcopos decertātes ab Imperatore euocatos fuisse ait. Volumen uerò Conciliorum, hæc acta fuisse refert per legationes, quas partes in synodo dissidētes, Cyrilli scilicet, Memnonis & Ioannis factiones, ad Constantinopolim miserint. Prosper & Marianus Scotus, damnatos simul cum Nestorio tum fuisse multos Pelagianos, qui Nestorij dogma ut cognatū sibi adiuuerint. Nestorius aūt ab Ecclesia pulsus, in Orientē proficisci iussus, inde uerò Oasiam, sterilem Arabiæ regionem, traductus est. Hæc de synodo Ephesina breuiter & simpliciter indicarunt Socrates libro 7. capite tertio: Euagrius libro primo, cap. tertio, quarto & quinto: Liberatus in Breuiario cap. 6: Zonaras in Theodosio.

Volumen Conciliorū, alia etiam quędam in hac synodo fuisse indicat, de quibus breuiter monemus. Primùm scilicet, depō-

sitos esse à synodo episcopos amplius trigin ta, qui à synodo deficientes, in condemnationem Nestorij adduci non potuerint.

Deinde sancitos canones aliquot. 1. Vt q̃ cum Cœlestio aut complicibus suis sentiãt, deponantur. 2. Vt qui deficientibus à synodo adhæserunt, sacerdotio priuentur. 3. Restitui eos qui à Nestorio sint sacerdotio prohibiti. 4. Vt qui cum Nestorio aut Cœlestio sentiant, pro depositis habeantur. 5. Ne illi quos synodus sancta condemnauit, restituantur. 6. De pœnis eorum qui quæ synodus constituit, perturbare præsumant. 7. Nullam esse fidem aliam aut componendam, aut recipiendam, præter eam quæ à patribus Niceæ congregatis proposita sit. Et de pœnis fidem aliam conscribentium aut publicantium. 8. Vt Cyprij non amplius ordinationibus episcoporum Antiochenorum utantur, sed ius suum ordinandi iuxta canones sanctorum patrum ipsi sibi habeant. Et ne quis episcopus in alienam prouinciam inuadat, sed ius suum & consuetudinem unaquæque prouincia integram obtineat. Qua de re prolixior extat actio sub titulo exemplaris Suggestionum de Cypri episcopis, in primo uolumine Cõciliorum, folio 554.

Tertiò: Missum esse à synodo scriptum ad concilium Pamphyliæ de Eustathij causa, qui metropolitanus cum fuisset Pamphyliæ, iniustè expulsus erat: qui declararint, eum legitimè & secundum canones electum, præter meritum expulsum esse, & episcopatum suum iure sibi optimo uendicare.

Quartò: promulgasse definitionem aduersus Messalianitas seu Enthusiastas, cuius exemplum est in uolumine Conciliorum.

DEFINITIO SANCTAE ET œcumenicæ synodi in Epheso, contra impios Messalianitas, hoc est Euchetas, siue Enthusiastas.

¶ Venientes ad nos pientissimi & religiosissimi episcopi Valerianus & Amphilochius, proposuerunt in communi cõsiderandum, de Messalianitis, hoc est Euchetis uel Enthusiastis, qui in Pamphylia uersantur, uel quocunque nomine contaminatissima hæresis uocatur. At nobis considerantibus attulit pientissimus & religiosissimus episcopus Valerianus schedulam synodicam, de illis compositam in magna Constantinopoli, sub beatæ memorię Sisinnio. Quæ ubi lecta, ab omnibus probata est, quòd bene sit condita, rectèq; habeat. Et placuit nobis omnibus, & pientissimis episcopis Valeriano & Amphilochio, & omnibus Pamphyliæ & Lycaoniæ prouinciarum pientissimis episcopis, ut omnia quæ in Synodica charta contenta, robur habeant, & nullo modo prætereunda, ut solita sint & ea quæ in Alexandria acta sunt, ita ut omnes qui per uniuersam prouinciam hæretici Messaliani uel Enthusiastæ sunt, uel de eius hæreseos morbo suspecti, siue clerici siue laici sint, conueniantur, & si quidem anathematizauerint iuxta ea quæ in prædicta synodo scripto pronunciata sunt, in scriptis, si clerici fuerint, maneant clerici: sin laici, ad communionem admittãtur. Quod si renuerint anathematizare, si presbyteri uel diaconi fuerint, uel in alio quopiam gradu, & à communione: laici uerò anathematizentur. Conuicti quoque non permittantur habere monasteria, ut ne zizaniæ diffundantur & crescant. Hæc ut sic agantur, omnes uires intendebant pientissimi episcopi Valerianus & Amphilochius, cæteriq; reuerendissimi tonius prouinciæ episcopi. Vnde ad hæc placuit, librum pollutæ ipsius hæreseos, qui dicitur Asceticon, anathematizari, quem actulerat religiosissimus & pientissimus Valerianus, utpote ab hæreticis compositum. Similiter si quid illorum impietatem sapiens apud plerosque inueniatur, etiam hoc anathema sit. Præterea dum conueniunt, quæ utilia & necessaria ad concordiam & communionem & dispositionem, manifestè scriptis commendetur. Si autem quæstio oborta de his quæ in hoc negocio sunt, & si quid difficile & ambiguum fuerit, quod pientissimis episcopis Valeriano & Amphilochio, cęterisque per totam prouinciam episcopis non probatur, admotis scripturis omnia excutere debent. Et si relicti fuerint pientissimi episcopi uel Lyciorum uel Lycaoniorum, non relinquatur tamen metropolitanus prouinciæ, cuiuscunque fuerit: in commentarios hęc referenda, ut si qui opus habent ijs, inueniant, quo etiam alijs ea diligentius exponant.

EXEMPLAR LIBELLI SANCTAE synodo oblati ab Euprepio episcopo Byzes, & Arcadiapolis, & Cyrillo episcopo Cœlensi.

¶ Sanctæ & uniuersali synodo, gratia Dei & assensus pientissimorũ regũ in Ephesiorũ metropoli cõgregatę, ab Eutropio episcopo Byzes & Arcadiopolis, & Cyrillo episcopo Cœlensi. Vetus mos uiget in prouincia Europæ, quòd singuli episcopi duos uel tres sub se habeant episcopos. unde Heracleæ episcopus sub se habet Heracleam & Panion: episcopus aũt Byzes, sub se Byzẽ & Arcadiopolin. Cœlensis uerò similiter habet Cœlan & Calliopolin. Porrò episcop⁹ Sebastiç, sub se habet Sebastiã & Aphrodisiadem. Itaq; olim & ab initio ecclesias illas duo Europæ episco-

episcopi administrabant, & nunquam præ-
dictæ ciuitates proprios acceperunt episco-
pos. Sed aliæ quidē sub Heraclea fuerunt ab
initio. Arcadiopolis autem fuit episcopi By
zenſis, Callipolis similiter sub episcopo Cę-
leę episcopus, à sancta Synodo episcop⁹ fa-
ctus, Nestorio & cum illo sentientib. se ad-
dixit: suspicamur autem, quòd nunquā uel
ipse ulciscens tanquam, uel qui cum ipso He
racleę episcopatum administrāt, ueniant ad
ordinādum episcopos, iuxta ueterem & ro-
boratam consuetudinem in memoratis ciui
tatibus, quæ nunquam proprios episcopos
receperunt. Itaque priscos mores & consue
tudinem, quæ olim & ab initio uiguit, com-
moueri propter nouitates cogitantes: ora-
mus uestram pietatem, definitionem pro-
nunciari de ea re, à uestra sancta magnaq; Sy
nodo proprioq; signaculo eam roborari, ita
ut neque nos Ecclesijs nostris priuemur, in
quibus plurimùm laborauimus: neque mos
iam longo tempore cōfirmatus, à quopiam
præmemoratorū cōmoueatur, fiantq; bella
& inordinationes, maximè inter episcopos
Europæ. Cuius rei si compotes facti fueri-
mus, gratiam habituri sumus omnium Deo,
qui hic uestram sanctitatem congregauit ad
corrigendas ecclesias orbis.

Sancta & uniuersalis Synodus dixit: Ho-
nesta petitio & pientissimorum episcoporū
Euprepij & Cyrilli, quam ostendunt oblati
libelli. Vnde & sanctis canonibus & exter-
nis legibus, quæ iuxta ueterem consuetudi-
nem nuncuim legis habent, nihil innouan-
dum in Europæ ciuitatibus: sed iuxta uete-
rem consuetudinem gubernentur ab episco
pis, à quibus & olim, quum nullus etiam-
num metropolitanus, qui alioqui sustulisset
potestatem, neque postea futuris tempori-
bus poterit aliquid à ueteri consuetudine
innouari.

5. Quintò: respondisse ad libellum delatū
ei ab Euprepio Byzenſi & Cyrillo Cælensi
episcopis, & confirmasse gubernationem ci
uitatum in Europa, iuxta ueterem consue-
tudinem.

De autoritate Ephesinæ synodi.

In synodo quadam Cōstantinopolitana,
quē admodū in actione prima cōcilij Chal-
cedonensis ostenditur, allegatur autoritas
Ephesinæ primę synodi, ab episcopis magni
nominis, inter quos Sabas episcopus Paltes
sanctissim⁹ dixit: Et Deo amicus totus Cy-
rillus, ex Spiritu sancto, quæ sunt sanctorum
patrum loquutus est & docuit. Allegatur e-
iusdem autoritas in synodo Ephesina secun
da, in qua Dioscorus episcopus ait: Syno-
dum primam Ephesinam confirmasse ea &
definisse tenenda, quæ in synodo Nicena
constituta sint. Quod & Thalasius & Quin
tilius Heracleæ episcopus pronunciarunt.
Theodosius in interpretatione legis pro Eu
tyche, uti refertur in tertia actione concilij
Chalcedonensis: Sancta, inquit synodus
Ephesina confirmauit Catholicam fidem, ab
episcopis qui Niceæ congregati fuerunt, tra
ditam. Et Marcianus Imperator in edi-
cto ad Constantinopolitanos, de confirma-
tione gestorum synodi Chalcedonensis, in
eadem oratione: Celestinus, inquit, Roma-
næ urbis, & Cyrillus episcopi, in Ephesina
synodo inuenerunt ueritatem. Syno-
dus ipsa Chalcedonensis in definitione pro-
mulgata in actione quinta Chalcedonensi,
testatur se obseruare autoritatem synodi E-
phesinæ sub Celestino & Cyrillo. Ibas
denique Edessenus magni nominis episco-
pus, in actione nona Chalcedonensi, affir-
mat nihilo se habere inferiorem synodum
Ephesinā Nicena. Celestinus in epistola
ad synodum Ephesinam, cuius fragmen-
tum extat in uolumine Conciliorum: Spiri-
tus sancti testatur præsentiam congregatio
sacerdotum. Certum est enim quod legi-
mus: Vbi duo uel tres congregati fuerint in
nomine meo, ibi & ego sum in medio eo-
rum. Quod cum ita sit, (nam nec huic tam
breui numero spiritus deest) quanto magis
etiam nunc interesse credamus, in unum cō
uenientium turbæ sanctorum?

ANTIOCHENA.

INdicat Socrates solus, & breuiter nimis,
nec superiori narrationi satis conuenien-
ter, ex Ephesina synodo Ioannem Antiochiā
regressum, multorum coegisse episcoporum
conuentum, in quo Cyrillum & ipsum iam
Alexandriam regressum denuò deposuerit.
Sed positis inimicitijs, paulo pòst in gratiā
cum eo redijsse. Socrates libro secundo, ca-
pite trigesimoquarto.

Antiochena alia.

Solicitatus uerò cùm ab episcopis alijs,
tum ab Imperatore ipso Ioānes idem, ut ad
consensum mutuum cum Cyrillo adduci se
pateretur, synodum aliam conuocauit An-
tiochiæ, & fidei formulam scripto compre-
hendit, ea conditione, ut si à Cyrillo rece-
pta esset ea formula, concordia utrique sar-
ciretur. Formula eiusmodi est. Confite-
mur Dominum nostrum IESVM Christum,
filium Dei unigenitum, Deum perfectum, &
hominem perfectum, ex anima rationali &
corpore: ante secula quidem ex patre na-
tum secundum diuinitatem, in fine uerò
dierum eundem propter nos, & propter no
stram salutem, de Maria uirgine secundum
humanitatem. Duarum enim naturarum
unitio facta est: propter quod unum Chri-
stum, unum filium, unum Dominum con-

fitemur. Secundum hunc inconfusæ unionis intellectum, confitemur sanctam uirginem Deigenitricem. Propter quod Deus uerbum incarnatum, est homo factus. Et: Et ex ipsa conceptione unijt sibi templum, quod ex ipsa susceptit. Euangelicas uerò & Apostolicas de Domino uoces, scimus deiloquos uiros quasdam quidem coniungentes, tanquam in una persona: quasdam diuidentes tanquam ex duabus naturis: & diuiniores quidem atq; altiores, secundum diuinitatem Christi: humiliores autem, secundum humanitatem eius tradentes.

Formulam eam allatam sibi per Paulum Emisenum episcopum, Cyrillus probauit, & Ioanni reconciliatus est. qua de re epistolam ad eum remisit, cuius initium est·

¶ Exultent cœli, & lętetur terra. Solutus est enim medius paries maceriæ, & quod contristabat quieuit, atq; dissensionis omnis modus abscisus est, omnium nostrorum saluatore Christo pacem suis ecclesijs tribuente: conuocantibus autem nos ad hoc & pijssimis ac Deo amantissimis atq; Christianissimis Imperatoribus, qui originalis pietatis facti imitatores egregij, tutam quidem & inconcussam in proprijs animis rectam fidem custodiunt: maximam uerò curam impendunt pro sanctis ecclesijs, ut opinabilem habeant in secula gloriam, & præclarissimum proprium ostendant imperiũ. Quibus & ipse Dominum uirtutum diuite manu bona impertit, & tribuit subiugare quidem aduersarios, donat autem & uictoriam. Neq; enim mentitur, dicẽs: Viuo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me, glorificabo. Veniente igitur in Alexandria Domino meo religiosissimo & consacerdote fratre Paulo, impleti sumus omni lætitia, & nimis dignè, tanquam tanto uiro mediante, & supra uires in laboribus acquiescente uersari, ut diaboli superaret inuidiam, & coniungeret separata, & interiecta scandala circumcidens, consensu & pace coronet ecclesias, quæ apud nos & apud uos sunt. Quo enim modo diuisæ sunt, superfluum arbitror dicere. Oportere autem reor, ea quæ pacis tempore conuenientia sunt, & sapere, & effari. Delectati ergo sumus colloquijs memorati reuerendissimi uiri, qui fortè & certamina se non parua habiturum suspicabatur ad persuadendum nobis: quoniam oportet ad pacem coniungere ecclesias, & hæreticorum risum abolere, sed & hebetem facere super his aculeum diabolicæ malignitatis. Paratos autem ita in hoc nos inuenit, ut nullum laborem penitus sustineret. Recordamur enim Saluatoris dicentis: Pacẽ meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Edocti autem sumus & in orationibus nostris dicere: Domine Deus noster, pacem da nobis: omnia enim reddisti nobis, in tantum, ut si quis particeps fuerit pacis quæ à Deo datur, non indigebit omni bono. Quoniam uerò omnino superflua & inopportuna ecclesiarum diuisio facta est, nunc magis nobis est satisfactum, Domino meo religiosissimo Paulo episcopo chartam nobis proferente, quæ irreprehensibilem continet fidei cõfessionem: & affirmante, hãc à tua & ab alijs Deo amantissimis ibidem constitutis episcopis esse compositam. Habet autẽ scriptura ita, & ipsis uerbis inserta est huic epistolę meæ: De genitrice autem Dei uirgine, quemadmodum & sapimus & dicimus, & de modo incarnationis unigeniti filij Dei, necessariò, non quasi in additamenti parte, sed in specie satisfactionis, sicut ab initio tam ex diuinis Scripturis, quàm ex traditione sanctorũ patrum susципientes habuimus, breuiter dicimus, nihil penitus addentes sanctæ fidei quæ à patribus in Nicea est exposita. Sicut enim anticipando diximus, sufficit ad omnem pietatis cognitionem, & abdicationem totius hæreticæ prauitatis. Dicimus autem, non quasi audentes aliquid contra intentis, pro excludendis his qui contra nos tentant assurgere, in quibus ea quæ sunt supra effabilia, sed confessione propriæ infirmitatis, pro excludendis his qui contra nos tentant assurgere, in quibus ea quæ sunt supra hominem cogitamus. Confitemur etenim, Dominum nostrum IESVM Christũ, filium Dei unigenitum, Deum perfectum, & hominem perfectum, ex anima rationali & corpore, ante secula quidem ex patre natum secundum Deitatem: qui fuit uerò diebus eundem propter nos & propter nostram salutem de Maria uirgine secundum humanitatem, consubstantialem patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum unio facta est. Propter quod unũ Christum, unum filium, unum Dominum confitemur. Secundum hunc inconfusæ unitionis intellectum, confitemur sanctam uirginem Deigenitricem, propter quod Deus uerbum incarnatus est, & homo factus est, ut ex ipsa conceptione sibimet unierit templum, quod ex ipsa susceptit. Euangelicas uerò & Apostolicas de Domino uoces, scimus Deiloquos uiros quasdam quidem unificantes, tanquam in una persona: quasdã uerò diuidentes, tanquam in duabus naturis: & diuinitatem quidem decentes, secundum Deitatem Christi: humiles autem, secundum humanitatem eius tradentes. His uerbis relectis sacris uocibus, & ita ut nos quoque sapere inuenientes, (unus enim Deus, una fides, unum baptisma) glorificauimus omnium saluatorem Deum, alterutrum

trũ congaudentes: quoniã Scripturis diuini tùs inſpiratis, et traditioni ſanctorũ patrũ no ſtrorũ cõſonantẽ fidẽ habent & noſtræ & ue ſtræ eccleſię. Quoniã uerò cõperi quoſdã uituperare, amantes ueſparũ agreſtium modo circumſonare, & malignos cõtra me ſermones eructare, tanquam ex cœlo depoſitum, & nõ ex ſancta uirgine ſanctum corpus Chriſti eſſe confitear, conſideraui pauca pro hoc ad eos dicere oportere. O inſenſati, & tantum calumniari docti, quemadmodum eſtis in hoc ſenſu lapſi, & hac tanta ſtulticia languiſtis? Oportebat enim apertè intelligere, quoniam nobis penè omne certamen de fide prouenit, confirmantibus quoniam ſancta uirgo Deigenetrix eſt. Sed ſi de cœlo, & non ex ipſa, ſanctum corpus omnium noſtrũm ſaluatoris Chriſti factum eſſe dicamus, quomodo iam intelligatur Dei genitrix eſſe? Quem enim omnino peperit, niſi eſt uerum, quod peperit ſecundum carnem, Emanuel eſt? Rideantur, hæc de me mentitus eſt, dicens: Ecce uirgo in utero habebit, & pariet filiũ, & uocabitur nomẽ eius Emanuel: quod eſt interpretatum, Nobiſcũ Deus. Verè autẽ omnino & ſanctus Gabriel ad beatam uirginem dicit: Noli timere Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Et ecce, concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius IESVM. Ipſe enim ſaluabit populum ſuum à peccatis eorum. Quando autem dicimus, de cœlo & deſurſum Dominum noſtrum IESVM Chriſtum: non quaſi deſurſum & de cœlo, depoſita eius ſancta carne, talia dicimus: ſed magis ſequentes diuinum Paulum, apertè clamantem: Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis. Meminimus autem & ipſum Saluatorem dicentem: Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis, qui utiq; & ſecundum carnem (ſicut nuper dixi) ex ſancta uirgine natus eſt. Quoniam uerò deſurſum & de cœlo deſcendens Deus uerbum, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens: & nuncupatus eſt filius hominis, permanens id quod erat, id eſt Deus: (inconuertibilis enim & immutabilis eſt ſecundum propriam naturam, tantũ quia ut unus iam intelligitur cũ propria carne, de cœlo dicitur deſcendiſſe) nuncupatus eſt uerò & homo de cœlo, perfectus in Deitate, & perfectus idem ipſe in humanitate & tanquã in una perſona intelligendus: unus enim Dominus IESVS Chriſtus, quamuis nõ ignoretur differentia naturarum, ex quibus inenarrabilẽ unitionẽ factã eſſe dicim⁹. Eos aũt qui dicũt, quia cõmixtio uel cõfuſio aut fermentatio Dei uerbi facta eſt ad carnẽ, dignetur tua ſanctitas refrenare. Suſpicor enim & hoc de me aliquos diuulgare, quaſi aut tali multiloquio uſus ſim, aut talia dixerim. Ego autem tantũ abſum ab huiuſmodi ſenſu, ut & furere abitrer eos qui uel ſuſpicati ſunt omnino, quia mutationis adumbratio circa naturam Dei uerbi poteſt contingere. Manet enim, quod eſt, ſemper, & nõ eſt mutatus: ſed neq; mutabitur aliquando, uel cõuerſionis eſt capax. Impaſsibile autẽ ſuper hæc Dei uerbũ omnes confitemur, licet ipſe ſapientiſsimè diſponens myſterium, ſibimet applicãs uideatur accedentes carni propriæ paſsiones. Ideo utiq; & ſapiẽtiſsimè Petrus inquit: Chriſto paſſo pro nobis carne, & nõ natura inenarrabilis Deitatis. Vt enim ipſe ſaluator eſſe omniũ crederetur, propria carne paſsiones ſuſtinuit, quæ acciderũt. Eadẽ & ſapiẽtiſsimus Petrus: Chriſto, inquit, pro nobis paſſo in carne, & non natura inenarrabilis Deitatis. Vt enim ipſe omniũ ſaluator eſſe credatur, ſecundum diſpoſitionem propriam in ſe (ut dixi) propriæ carnis reuocat paſsiones. Quale eſt illud ſecundũ prophetę uocem prædictũ, tanquã ex ipſo intelligendũ: Dorſum meũ dedi ad flagella, & maxillas meas ad uerbera, faciẽ aũt meã nõ auerti à confuſionib. ſputorũ. Quoniam aũt ſanctorum patrum doctrinis obtemperãtes ubiq;, maximè autẽ beati & per omnia laudabilis patris noſtri Athanaſij pręcepta, omnino de his aliquid foràs eijcere recuſantes, diſcat qdẽ tua ſanctitas, & nullus alius ſocietur. Poſſuiſſem autẽ etiã illorum plura uerba, quib. meis dictis fidem adhiberẽ, ſi non prolixitatem ſcriptorũ reuererer, ne ex hoc ipſo fieret horribile. Nullo aũt modo patimur à quibuſdã cõcuti definitam fidem, ſiue fidei ſymbolum à ſanctis patrib. noſtris qui apud Niceam cõuenerunt, illis temporibus factum. Nec permittitur aut nobis aut alijs, mutare aliquod uerbũ ex his quę ibidẽ continentur aut unã ſyllabã immutare, memores eius dicentis: Ne trãsferas terminos ęternos, quos poſuerunt patres tui. Non enim erãt ipſi loquẽtes, ſed ſpiritus Dei & patris, qui procedit quidem ex ipſo, nõ eſt aũt alienus à filio ſecundum eſſentiæ rationem: & ad hoc nos eorum ſanctorũ quæ myſteria tradiderũt dicta confirmant. In actibus enim Apoſtolorũ ſcriptũ eſt: Venientes aũt circa Myſiam, tentabant in Bithyniam ire, & non eos permiſit ſpiritus IESV. Scribit etiam & uenerabilis Paulus: Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem nõ eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi tantum ſpiritus Dei habitat in uobis. Si quis autẽ ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Quando autem quidam, qui ſolent quæ recta ſunt peruertere, qui meas uoces deuiare & abſtrahere æſtimant ad id quod eis uident: nõ miretur hoc

sanctitas tua, sciens, quoniã qui sunt ab omni hæresi, ex diuinis scripturis erroris sui colligunt causas: & ea quæ per Spiritum sanctũ rectè dicta sunt, malignitatib. mẽtis suę corrumpentes, proprijs capitibus suis ignis inextinguibilis exhauriunt flammam. Et quoniam cognouimus, & ad beatum Epictetum epistolam per omnia laudabilis patris nostri Athanasij rectam fidem habentem, quòd immutantes eam ediderint, & hinc quasi læ di plurimos: propter hoc necessarium & uti le intelleximus, & fratribus nostris de exemplaribus antiquis edere, quæ apud nos sunt bene explanata, & similia tuæ uenerabilitati dirigere.

SYNODVS IN ARMENIA.

EXplosis in synodo Ephesina Nestorij libris, eius sectatores Dioscorus Tarsensis, & Theodorus Mopsuestenus episcopi, alia quadã forma Nestorij dogma spargere conati, libros à se cõpositos in Armeniorũ, Syrorum & Persarum linguam transferri curauerunt. Quod cum Acacius Melitinensis & Rabula Edessenorum episcopi cognouissent, episcopis Armeniæ scripserũt, ne Theodori Mopsuestensis libros hæreticos reciperent. Hac de causa in synodum congressi episcopi Armeniæ, de communi consilio presbyteros duos ad Proclum Constantinopolitanum episcopum miserunt cum libellis suis, adiuncto uolumine uno Theodori Mopsuesteni. sciscitantes ex eo, utrum Acacij & Rabulæ ac Theodori doctrina recta probaretur. Proclus diligenter examinatis utriusq; partis dogmatis, librum ad Armenios, detectas manifestè Nestorianorum uersutias, & doctrinam rectam de Christo explicatè & apertè continentem remisit. Liberatus Breuiarij capite decimo.

SYNODVS IN PAMPHYLIA.

EXtat in descriptione synodi primæ Ephesinæ, in uolumine Conciliorũ, epistola eiusdẽ Synodi ad Conciliũ pium Pamphyliæ, de causa Eustathij metropolitani Pamphyliæ, quem officio & dignitate sua priuauerãt Pamphylij, in qua pro Eustathio intercedunt. uim enim ab ipsis passum significantes, petunt, ut si in integrum eum restituere non possint, nomen tamen ei episcopi, & honorem & communionem reddant. epistolam ipsam adscribimus.

Epistola sancti concilij Ephesini ad pium concilium Pamphyliæ, de Eustathio.

Cum nos diuina Scriptura moneat, omnia consultò ac habita prius deliberatione esse agenda, maximè utiq; oportebat eos qui sacerdotij dignitatem sortiti sunt, exactissima adhibita diligẽtia, de omnibus rebus agendis deliberare. Qui enim hoc modo uitã transigere instituunt, eorũ res in bona spe fixas ac firmatas esse, & quasi secundo aspirante uento, ipsos optatis potiri ac frui contingit, quæ sententia maximè rationi consentanea est. Sed acerbus & intolerabilis dolor, si animũ & mentẽ inuaserit, potest eam nonnunquã cùm uehementer perturbare, tum abductam ab inquisitione rerũ utiliũ adducere atq; impellere, ut ea quę nã turã noxia sunt, quasi res utiles ac commodas spectet atq; sectetur. Tale quiddam animaduertimus etiã accidisse religiosissimo pijssimoq; uiro Eustathio. Ritè enim, ac secundũ canones quidem, sicuti testimonijs probatum est, electus ac designatus est: turbatus autem, ut ait, & concitatus à quibusdã, & inopinatis casibus & infortunijs conflictatus: deinde ab longinqua uitæ tranquillitate studio ue quietis desperãs se posse resistere, quibus grauaretur solicitudinibus & curis, cum propulsare posset eas quibus petebatur infamiæ notas, exculationis & abdicationis, nescimus quomodo, attulit libellum. Oportebat enim eum, utputa cui semel demandata esset cura sacerdotalis, hanc suscipere atq; capessere cum roborẽ spirituali, ac ueluti contrà accingi obtiq; laboribus, & sudorem cui merces proposita esset, ultrò perferre. Quoniam autem semel negligentẽ sese ostendit, quod ei stupidio quietis ac uitæ tranquillę potius, quàm pigritiæ socordiaq; accidit: necessariò uestra pietas religiosissimum pientissimumq; fratrem nostrũ & collegam episcopum Theodorum creauit, qui curam ecclesiæ suscipere ret. Non enim cõsentaneum erat, eam quasi uiduam esse, & greges Seruatoris absq; pręfecto permanere. Sed quoniam ad nos accessit flens, non de ciuitate quidem, neq; ecclesia controuersiam mouens dicto pijssimo episcopo Theodoro, honorem & nomen saltem episcopi exposcens: condoluimus uniuersi homini seni, communesq; existimates esse lachrymas eius, quamprimum scire uoluimus, an legitimè depositus suprà dictus Eustathius, uel aliqua insolenter & indecorè egisse conuictus esset à quibusdã, qui obtrectationibus insectati essent eius existimationem. Ac tale quidem nihil commissum esse comperimus: sed potius crimini datum esse ei, quòd se excusasset & abdicasset. Quare ne uestram quidem pietatem incusauimus, qui in eius locum necessariò creastis supradictum religiosissimum episcopum Theodorum. Quoniam autem aduersus hominem quietis & tranquillæ uitæ amatorẽ, nõ admodũ cõtẽdere cõueniebat, quin potius misereri oportebat hominis senis, qui tãdiu ciuitate, quæ eũ produxit, ac patrijs ædibus caruisset: æquum esse, &c.

ROMA-

ROMANA.

MEminit epistola synodica concilij Ephesini ad Nestoriũ, Synodi eodem tempore (ut uidetur) congregatæ Romæ, sub Celestino episcopo præsidente, in causa Nestorij, de qua idem cum synodo Ephesina sensit: ac uoluntatem & autoritatẽ suam per epistolam Nestorio declaratam, decretum apposuit. Tomo primo Conciliorum.

RHEGIENSIS.

RHegium etiamnũ hodie in Italia Cispadana, Lepidi uocatur Rhegium. Cõuenit eò Synodus tredecim episcoporum, sub consulatu Theodosij decimoseptimo, & Festi: quod anno Christi, secundum Marianũ, est quadringentesimo quadragesimo, propter ordinationem quãdam cõmissam præter canones à duobus, absque trium episcoporum præsentia, absq; comprouincialium literis, & absq; metropolitani autoritate, in ecclesia Ebrudunẽsi. Canones igitur ibi constituti sunt: 1. Peruersi ordinatores nullis modis deinceps ordinationibus interfint. 2. Remoueaturis, quem ordinare perperàm illi præsumpserant. 3. Hæretici & schismatici episcopi, si ad catholicam fidẽ uenerint, damnationi quã peruersitate sibi sua acciuerunt, subiaceant: item, ne quis eis locus honestus in cœtu tribuatur: & ne offerendi, aut ordinandi, aut gubernandi potestatem aliquam habeant. 4. Episcopus benedicat & confirmet neophytũ. 5. Episcopus, qui episcopum alium sepelierit, curam suscipiat Ecclesiæ ipsius. 6. Absq; metropolitani literis & cõsensu, ad Ecclesiam episcopo constitutã nullus accedat. Interfuerunt & subscripserunt definitionibus illis episcopi, Seuerianus, Audentius, Iulius, Arcadius, Asclepius, Theodorus, Maximus, & Vincentius presbyter episcopi Constantini. Tomo primo Conciliorum.

ROMANA.

VAlentiniano & Anatolio Consulibus, quod est anno Domini (iuxta Marianum) quadringentesimo quadragesimoprimo, accusatus Sixtus Romanus episcopus, ex inuidia, ob negatum quoddam pingue prædium, à Mariniano & Basso, quasi uitium obtulisset Chrysogonitæ consecratæ uirgini, intercessoriæ plebis uniuersæ, à Valentiniano Augusto, quem Occidentis Imperatorem Theodosius fecerat, Synodũ congregari petijt. Conuocauit igitur Senatum omnem Valentinianus, Sixtus uerò presbyteros & diaconos Romanos omnes numero quadragintanouem: corã quibus innocentiam suam testatus Sixtus, Bassum & Marianum cõmunione priuauit: ac ne supplices quidem factos sibi, & culpam deprecantes recepit, causam suam muniens hoc Christi dicto, apprimè scilicet apposito huic causæ: Qui peccauerit in hoc seculo, remittetur ei: qui autem peccauerit in Spiritum sanctũ, non remittetur ei nec hic, nec in futuro seculo. Condemnationem eam Basi postea scripto confirmauit etiam Valentinianus Imperator cum matre Placidia, collatis Ecclesiæ omnib. eius prædijs & facultatibus. Tomo primo Conciliorum, in epistola Sixti ad Orientales, & in collectionibus eiusdem.

ROMANA ALIA SVB *Sixto eodem.*

Non longo post eam Synodum interualallo, Romæ aliam conuocauit Sixtus episcopus, hac de causa. Polychronius episcopus Hierosolymitanus extulerat sese supra Romanum episcopum, cõtendens primam Ecclesiæ sedem esse Hierosolymitanã, quo fretus iure ordinabat presbyteros & diaconos precio accepto, Ecclesiasq; consecrabat. Cognouit id Sixtus ex relatione Euphemij cuiusdam episcopi, & Synodum conuocauit octoginta unius episcoporum, quadraginta octo presbyterorum, & sex diaconorum. Hi re deliberata Hierosolymã mittunt tres episcopos, Castum, Felicem & Abaudiũ: & tres presbyteros Romanos, Archidamũ, Petrum & Demetrium, cum duobus diaconis ciuibus Romanis, Lelliano & Leone, exploratum ex testibus quadraginta, utrum de Polychronio uera detulisset Euphemius.

HIEROSOLYMITANA.

CVm Hierosolyma intrassent illi, cõuenit episcoporũ eius regionis synodus quasi ad 76. Qui cũ consedissent, exploratione facta, Euphemiũ, quòd probare omnia quę de Polychronio dixerat nõ posset, damnauerunt. Deinde & Polychronium hoc nomine extra ciuitatem damnarunt, q, diaconũ Aethiopem Victorẽ ordinasset, & pro decem librorũ precio Ecclesias cõsecrasset. Subscripsit in utriusq; damnationẽ tota Synodus, ipse etiã Valẽtinianus Augustus. & Sextus episcopus, sicut in Tomo 1. Concil. narratur.

ARAVSIACA PRIMA.

SYnodi Arausiacę primę prouincialis sub Leone Romano tẽpus ostẽdit uolumen Conciliorũ, cõsulatũ Theodosij iunioris & Cyri: qui cõsules tamẽ cõiuncti, nec in Mariano, nec in Prospero legũtur. Si Cyri solius cõsulatus est, fuerit id anno Christi, secundũ Marianũ, 442. Prosperũ uerò 444. Porrò de occasiõe eius synodi, ne nõ pleraq; tradat incerto modo, nihil addit. Decreta plura cõstituta recitat, oppidò sanè necessaria, & magnis digna deliberatiõib⁹. 1. Ne qs minister, baptizandi munere acceptò, sine chrismate quoq; proficiscat: qa sic synodo placeat. 2. Vt hęreticos in discrimine mortis, si cupiãt esse catholici, episcopo absente à presbyteris cũ chrisma-

chrismate & benedictione cõsignare liceat: quia sic placeat. 3. Vt morientibus, si pœnitentiã egerint, reddatur communio absq; reconciliatoria manus impositione: quia id morientis cõsolationi secundum definitiones patrum sufficiat. Si uerò superuixerint, in loco pœnitentium asistant: & ostensis necessarijs pœnitentię signis, legitimã communionẽ cũ manus impositione recipiant. 4. Pœnitentiam desiderantibus, etiam clericis, non negandam. 5. Confugientibus ad Ecclesiam, loci sancti reuerentia & intercessione tutis esse liceat. 6. Qui mancipia clericorum, si ad Ecclesiã confugerint, eripit, per omnes Ecclesias damnetur. 7. In Ecclesia manumissos, uel per testamentum Ecclesiæ commendatos sibi uendicans, Ecclesiasticæ animaduersioni subiaceat. 8 & 9. Clericum alienum ordinare præsumens, secum prius trãsigat, ut cohabitet. Ciues uerò alieni si sint, ut aut illis à quibus ordinantur cohabitent, aut alijs, quorum gratiam illis ordinator impetrarit. 10. Episcopus in alieno territorio Ecclesiam ædificans, ab eius consecratione abstineat, ut quæ ad eum pertinent episcopum, in cuius territorio ecclesia excitatur. 11. Reus habeatur episcopus excõmunicato communicans. 12. Subitò obmutescenti baptismus aut pœnitentia conferatur, si uoluntatis præteritę testimonium uel alij ei ferant, uel nutu suo ipse declaret. 13. Amentibus, quæcunq; sint pietatis conferantur. 14. Energumeni non baptizati, si de purgatione sua curent, seq; solicitudini clericorum tradant, monitisq; obtemperent, cõmunicẽt, ut uirtute sacramenti percepti aduersus dæmonis incursum muniantur. 15. Energumenis catechumenis pro necessitate & opportunitate, de baptismate ꝓspiciatur. 16. Energumeni non solùm nõ assumantur ad illũ ordinem clericatus, sed ordinati etiãsi sint, officio remoueantur. 17. Admixtio Eucharistiæ simul consecretur. 18. Ne catechumenis Euãgelia legãtur: quia placeat. 19. Ne ad domesticas orationes catechumeni admittantur. 20. Segregentur, informenturq; catechumeni. 21. Si quis inuitus à duobus aliquibus episcopus factus sit, alterius eorum à quibus præter uoluntatem episcopus ordinatus est, occupet: si uerò uolens ordinari se à duobus illis permiserit, unà cum ipsis damnetur. 22. Ne ordinentur diaconi coniugati, nisi prius conuersationis proposito, confessi fuerint castitatem. 23. Si quis post acceptam benedictionem Leuiticam, incontinenter cum uxore uiuat, ab officio remoueatur. 24. Qui in hoc ipsum crimen, priusquam ordinati sint, inciderint, ulterius non promoueantur. 25. Idonei probatiq; ad clericatum, si in duplicata matrimonia inciderint, non ultra subdiaconatum Ecclesiasticas dignitates cupiant. 26. Diaconissæ non ordinentur. 27. Fœmina uiduitatem seruare episcopo pollicita, nõ à quoque rapiatur. Raptor damnetur: atq; ipsa, si prior uiduitatem deseruerit. 28. Desertores professæ castitatis pro pręuaricatoribus habeantur: quibus tamen omnibus per pœnitentiam legitimam consulatur. 29. Nullus cõuentus sine alterius conuentus damnatione soluatur. Subscripserunt Hilarius episcopus, Claudius, Constantinus, Audentius, Agrestius, Iulianus, Auspicius, Maximus, Theodorus, Eucherius, Nectarius, Iustus, Augustalis, Ingenuus, Cæsarius, Salonius, Supernemor pro patre suo episcopo Claudio.

ARAVSIACA SECVNDA.

Conuenerunt ex suggestione & admonitione Romani episcopi Leonis, ad Synodũ in eandem urbem episcopi Cæsarius, Iulianus, Constantius, Cyprianus, &c. cum præfectis prætorij Galliarum atq; patricijs, Petro, Marcellino, Felice, Liberio, & Cos. Syngerio, Opilione, Pantagatho, Drodato, Cariattho, Marcello: ea occasione, quòd de gratia & libero arbitrio quidam minus cautè, nec secundum fidei catholicæ regulam docere cœpissent. Canones igitur oppositi, seu capitula.

1. *De gratia & libero arbitrio.*

Si quis per offensam pręuaricationis Adæ non totum, id est secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animę libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduersatur Scripturæ dicenti: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: &, Nescitis quoniam cui exhibetis uos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis? &: A quo quis superatur, eius & seruus addicitur.

2. *Quòd prævaricatio Adæ omnes infecerit.*

Si quis soli Adæ prævaricationem suam, nõ & eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantũ corporis (quæ pœna peccati est) non autẽ & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem & in omne genus humanũ trãsijsse testatur, iniusticiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatũ mors in omnes homines pertrãsijt, in quo omnes peccauerũt.

3. *De gratia Dei.*

Si quis dicit inuocationem humanã gratiæ Dei posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut inuocetur à nobis, contradicit Esaiæ prophetæ, uel Apostolo idẽ dicenti: Inuentus sum nõ quærentibus me, palàm apparui his qui me non interrogabant.

4. *De purga-*

4. *De purgatione peccati.*

Si quis, ut à peccato purgemur, uoluntatem nostram Deum expectare contendit: nō autem ut etiam purgari uelimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti: Præparatur uoluntas à Domino. & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis & uelle & perficere, pro bona uoluntate.

5. *Quod ad fidem, & ad regenerationem baptismatis, per gratiæ donum perueniamus.*

Si quis, sicut argumentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationē baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti, corrigentem uoluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus, quia qui cœpit in uobis bonū opus, perficiet usque in diem Domini nostri IESV Christi. Et illud: Vobis datum est pro Christo, non solùm ut in eo credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. &: Gratia salui facti estis per fidem, non ex uobis: Dei enim donum est. Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab ecclesia Christi alieni sunt, quodāmodo fideles esse definiunt.

6. *Quòd gratia Dei sumus id quod sumus.*

Si quis sine gratia Dei credentibus, uolentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri: non autem diuinitùs, ut credamus, uelimus, uel hæc omnia sicut oportet agere ualeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec ut obediens & humilimus ipsius gratię donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? Et: Gratia Dei sum id quod sum.

7. *Quòd non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.*

Si quis per naturæ uigorē bonū aliquod, quod ad salutē pertinet uitæ æternæ, cogitare non expedit, aut eligere, siue saluari, id est euangelizanti prædicationi consentire posse cōfirmat absq; illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in cōsentiendo & credendo ueritati: hę retico fallitur spiritu, non intelligens uocē Dei in Euangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli: Nunquid idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis? sed sufficientia nostra ex Deo est.

8. *Nemo per semetipsum salutis æternæ mysterium potest conquirere.*

Si quis, alius misericordia, alius uerò per liberum arbitriū (quod in omnibus qui de præuaricatione primi hominis nati sunt, cōstanter sæuit) hominem ad gratiam baptismī uenire cōtendit, à recta fide probatur alienus. Is enim nō omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum: aut certè ita læsum putat, ut tamen quidam ualeāt sine reuelatione Dei mysterium salutis æternę per semetipsos posse conquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminē ad se posse uenire testatur, nisi quē pater attraxerit. Sicut & Petro dicit: Beatus es Simō bar-Iona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et Apostolus: Nemo potest dicere Dominum IESVM Christum, nisi in Spiritu sancto.

9. *De adiutorio Dei.*

Diuini est muneris, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iusticia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atq; nobiscū, ut operemur, operatur.

10. *De eodem.*

Adiutoriū Dei etiā renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonū peruenire, uel in bono possit opere perdurare.

11. *De obligatione uotorum.*

Nemo quicquam Domino rectè uouerit, nisi ab ipso acceperit. sicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.

12. *Quales nos diligit Deus.*

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, nō quales sumus nostro merito.

13. *De reparatione liberi arbitrij.*

Arbitrium uolūtatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiā baptismi nō potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ipsa ueritas dicit: Si uos filius liberauerit, tūc uerè liberi eritis.

14. *De misericordia Dei*

Nullus miser de quātacunq; miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur, sicut dicit Psalmista: Citò anticipet nos misericordia tua Domine. Et illud: Deus meus, misericordia eius præueniat me.

15. *De mutatione præuaricationis Adæ.*

Ab eo quod formauit Deus, mutatur Adā: sed in peius, per iniquitatē suā. Ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis: sed in melius, per gratiā Dei. Illa ergo mutatio fuit præuaricatoris primi: hęc secundum Psalmistam, mutatio dexteræ excelsi.

16. *Quòd nemo glorietur de substantia sua.*

Nemo ex eo qđ uidetur habere, glorietur tanq̄ nō acceperit: aut ideo se putet accepisse, qa litera intrinsec⁹, uelut legitur, apparuit: uel us

uel ut audiretur, sonuit. Nam sicut Apostolus dicit: Si per legem iusticia, ergo Christus gratis mortuus est? Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicunq; habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut uerè non habet: aut id quod habet, auferetur ab eo.

17. De *fortitudine Christiana.*

Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordib. nostris, non per uoluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.

18. De *mercede boni operis.*

Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia quę non debetur, præcedit ut fiãt, neminem, nisi Deo miserante, saluari.

19. De *natura humana.*

Natura humana etiãsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo nõ adiuuãte, seruaret. Vnde cum sine gratia Dei salutem nõ possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

20. *Nihil boni hominem posse sine Deo.*

Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla uerò facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo.

21. De *natura & gratia.*

Sicut eis qui uolentes in lege iustificari, & à gratia exciderunt, uerissimè dicit Apostolus: Si ex lege iusticia est, ergo Christus gratis mortuus est. iam hic enim erat lex, & non iustificabat: iam hic erat & natura, & non iustificabat. ideo Christus non gratis mortuus est, ut & Lex per illum impleretur, qui dixit: Non ueni legem soluere, sed implere: & natura per Adam perdita, per illũ repararetur, qui dixit, uenisse se quærere & saluare quod perierat.

22. De *his quæ hominum propria sunt.*

Nemo habet de suo, nisi mendaciũ & peccatum. Si quis autem habet homo ueritatẽ atque iusticiam, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam inrorati, non deficiamus in uia.

23. De *uoluntate Dei & hominis.*

Suam uoluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod uolunt, ut diuinæ seruiant uoluntati, quamuis uolẽtes agant quod agũt, illorũ tamen uoluntas est, à quo præparatur & obitur quod uolunt.

24. De *palmitibus uitis.*

Ita sunt in uite palmites, ut uiti nihil conferant, sed inde accipiant unde uiuant. Sic quippe uitis est in palmitibus, ut uitale subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest, & nõ Christo. Nam præciso palmite, potest de uiua radice alius pullulare. Qui autem præcisus est, non potest sine radice uiuere.

25. De *dilectione, qua diligimus Deum.*

Prorsus donum Dei est, diligere Deũ. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris spiritus patris & filij, quem cum patre amamus & filio. Etsi secundũ suprascriptas sanctarum Scripturarũ sententias, uel antiquorum patrũ definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deũ, aut operari propter Deũ quod bonũ est, possit, nisi gratia eum misericordia diuina præuenerit. Vnde & Abel iusto, & Noe, & Abraham, & Isaac, & Iacob, & omni antiquorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prędicat Apostolus, non per bonũ naturę, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiã Dei credimus fuisse collatam. Quia gratiam, etiam post aduẽtum Domini, omnibus qui baptizati desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi nouimus simul & credimus largitate conferri, secundum illud quod iam suprà dictum est, & prædicat Paulus apostolus: Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Et illud: Deus, qui cœpit in uobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri. Et illud: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis, Dei enim donum est. Et quod de seipso ait Apostolus: Misericordiam consequutus sum, ut fidelis essem. Nõ dixit, Quia eram: sed, Vt essem. Et illud: Quid habes quod non accepisti? Et illud: Omne datum bonũ, & omne donum perfectũ desursum est, descendens à patre luminum. Innumerabilia sunt sanctarum Scripturarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiam proferri: sed breuitatis studio prætermissa sunt, quia & reuera, cui pauca nõ sufficiunt, plura non proderũt. Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratia, omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint & debeãt (si fideliter laborare uoluerint) adimplere. Aliquos uerò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, nõ solùm non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere uelint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiã salubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono nos nõ incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nobis, nullis

nullis præcedentibus bonis meritis, & fidē & amorem ſui prius inſpirat, ut & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum (cum ipſius adiutorio) ea quæ ſibi ſint placita implere poſsimus. Vnde manifeſtiſsimè credendum eſt, quòd & illius latronis quem Dominus ad paradiſi patriam reuocauit, & Cornelij centurionis, ad quem angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi qui in admirabilis fides non fuit de natura, ſed diuinæ largitatis donum.

Hanc definitionem antiquorum patrum non ſolùm epiſcopi, ſed laici etiam, illuſtres & magnifici uiri, ſubſcripſerunt.

VASENSIS.

CElebrata eſt ſynodus Vaſenſis, conſulatu Dioſcuri: quod eſt anno Domini (iuxta Marianum) quadringenteſimo quadrageſimotertio, imperij Theodoſij decimo nono, ab epiſcopis octodecim, ex quibus hi decem nominantur: Cæſarius, Contumelioſus, Cyprianus, Gallicanus, Conſtantinus, Porcianus, Heraclius, Maximus, Proſper Aquitanus. Conſtituerunt hi capitula decē, cum Canonibus quinq; ex quibus præcipui ſunt. Vt alterius epiſcopi chriſma nullus accipiat, ſed proprij. Vt qui oblationes defunctorum retinent, excōmunicentur: quòd hoc modo fideles mortui, ueterum ſuorum plenitudine, & pauperes cōſolatione alimoniæ defraudētur. Vt ne pro ſepulturis acciantur precia. Vt presbyteris prædicandi poteſtas ſuis plebib. cōcedatur, quia Synodo pro ędificatione eccleſiarū ſic placeat. Vt Kyrieeleeſon in omnibus Eccleſijs dicatur, ad exemplum ſedis Apoſtolicæ, & omnium Orientaliū & per Italiā eccleſiarum. Vt in omnib. Miſsis ter ſemper dicatur Sanctus, & ut nomen Papæ præſidentis in Miſſa recitetur. Vt propter hęreticorum incredulitatē, poſt Gloria patri, &c. ſemper addatur, Sicut erat in principio, &c. Tomo primo Conciliorum. Sed hæc ſynodus eſt una de obſcuris, & olet in multis hircū, quod dici ſolet.

CARPENTORACTENSIS.

CElebrata & Carpētoractenſis ſynodus ab epiſcopis ſedecim, in uolumine Cōciliorum oſtenditur, ſub Leone, eam ob cauſam: quòd quę aliquib⁹ Eccleſijs cōferrētur, ab epiſcopis nonnullis præriperentur, Eccleſijs perexiguo relicto. Cōſtituit igitur, ut dotata Eccleſiæ ita demū clericis diſtribuātur, ſi ijs nō opus habeat Eccleſia. Epiſcopus ueròtum demum poteſtatē habeat in ſuos uſus Eccleſię collata conuertendi, ſi conſtet ipſum maiores quàm pro facultate ſua Eccleſiæ nomine impenſas facere. Qui tamen ita quoq; illis utatur, ne ſua parte miniſtri cæteri defraudentur. Subſcripſerūt decreto in ſynodo epiſcopi præſentes, Cæſarius, Cyprianus, Eucherius, Gallicanus, Iulianus, Oranius, Porcian⁹, Vindemialis, Cōtumelioſus, Conſtātius, Filagrius, Heraclius, Luperian⁹, Proſper & Principius. Tomo 1. Conciliorū.

CONSTANTINOPOLITANA,
contra Eutychen.

COngregata frequens Conſtantinopoli epiſcoporū ſynodus eſt anno 25. imperij Theodoſij, ſub conſulatu Poſthumiani & Zenonis, anno Chriſti (ſecundum Marianum & Palmeriū) 449, eiuſmodi occaſione: Quòd presbyter & archimandrita monaſterij Conſtantinopolitani Eutyches, duplicem errorē de Chriſto ſparſerat. Primùm ſcilicet, non retinuiſſe eum poſt unionē ſeu incarnationem, quas ante eam quidem habuiſſet duas naturas, ſed ambas in unā inter ſeſe contemperatas eſſe & permiſtas: deinde, nō humanam ueram ſeu conſubſtantialem hominib. carnem aſſumpſiſſe, ſed de cœlo eam, prorſus ſicut ante eum Valētinus ſomniauerat, detuliſſe. Euagrius libro 1. capite nono: Liberatus Breuiarij capite undecimo.

Cum enim dogma illud inſanum profiteri manifeſtè, & diuulgare cœpiſſet, admonitus erroris ab Euſebio Dorylei epiſcopo eſt: cui cū obtēperare noluiſſet, cauſam eam Euſebius ad Flauianū detulit, Conſtantinopolitanum epiſcopū, qui tum fortè alias ob res Eccleſiaſticas ſynodū cōuocauerat. Eam ingreſſus Euſebius, Eutychis deliria per libellum & accuſationem Flauiano ſynodi præſidi exhibet, cuius hæc ſumma fuit:

Epiſtola Euſebij epiſcopi Dorylei, ad Flauianum Conſtantinopolitanum archiepiſcopum.

¶ Sanctiſsimo & beatiſsimo archiepiſcopo Flauiano, et prętenti magno & ſancto Cōcilio in hac regia urbe religioſiſsimorum epiſcoporum, ab Euſebio epiſcopo. Optaueram quidem, non ſic præfocatum ſenſu & ebrium cogitatione & exceſſu mētis capi Eutychen presbyterum & archimandritam, ut oblitus quidem timoris Dei, ſpernens etiam terribile tribunal Chriſti, ſaluatoris omniū noſtrūm, & iuſtum eius iudicium & retributionem, qui uenturus eſt iudicare orbem terræ in æquitate, & reddere unicuiq; ſecundū opera ſua: nec ut ita auderet aduerſus ſaluatorem omnium noſtrūm Chriſtum blaſphemam linguā mouere, & patres qui inter ſanctos connumerantur hæreticos nominare, & nos qui eorū ſumus fidei ſectatores. Quoniam uerò non ceſſat, inobſeratum habens os, & infrenem linguam, negans pijſsimam rectę religionis doctrinam, derogans autem & ſanctiſsimis patribus, & me (qui nunquā hæreticus ſuſpicatus ſum, ſed econtrariò magis ſemper hæreticis repugnantē, & ortho-

doxam fidem ſecundum meas uires defendentem, permanentemq; in fide ſanctorum patrum trecentorum decẽ & octo in Nicea congregatorũ) & omnibus quæ in Epheſia metropoli à ſancta & magna ſynodo acta ſunt, & his quæ ſapuit & expoſuit beatiſsimus Cyrillus Alexandriæ magnæ ciuitatis quondam epiſcopus.

Accuſatum igitur accerſi eũ ſynodus decernit. Mittit autem ad eum Ioannem preſbyterum, & diaconum Andream, qui libellum Euſebij ei exhibeant, & ad dicendã cauſam ſuam in Synodum uenire iubeant. Hæc ſumma eſt primæ actionis Synodi.

¶ In altera actione, quę pridie fuit Iduum Nouembris, repetit Euſebius Eutychis accuſationem: & legi poſtulat epiſtolas Cyrilli, alteram ad Neſtorium hæreticum, alteram ad Ioannem Antiochenum, inſcriptã de pace: quas ut cum traditione antiquorum patrum, maximè uerò ſynodi Nicenæ, imò cũ Pauli doctrina conuenientes, epiſcopi teſtimonijs ſuis omnes, & cõfeſsionibus, de duabus in Chriſto naturis confirmant: ut Euſebius primùm, deinde Flauianus, poſt quem Baſilius Seleuciæ Iſauriæ epiſcopus, Saturninus Marcianopolis, Valerianus, & cæteri.

De his igitur poſteaquam certiores reddere epiſcopos abſentes notarij iuſsi ſunt, actio clauditur. Quam ſubſecuta tertia eſt, quarto ab inchoata Synodo die. In ea Euſebius primùm interrogari monet Ioannẽ & Andreã ad Eutychen miſſos, quid is reſponderit. Referunt illi: Eutychen reſpondiſſe, ſe nuſquam è contubernio fratrum ſuorum pedem conſtituiſſe efferre. monuiſſe deinde quędã de inimicitijs Euſebij in ſe, & calumnioſa eius accuſatione: affirmaſſe etiam, aſſentiri ſe fidei Nicenæ, quatenus conueniat cum Scripturis, & patrum interpretationibus. Poſtremò de fide ſua quędã paulo apertius ſubieciſſe in hanc ſententiã: Poſt incarnationem Dei uerbi, hoc eſt, poſt natiuitatẽ Domini noſtri IESV Chriſti, unam naturam adoro, eamq; Dei incarnati & inhumanati, hominis facti. Item: Confiteor perfectum Deum eſſe, & perfectum hominem, qui natus eſt de Maria uirgine, nõ habentem conſubſtantialem nobis carnem.

Iubetur ergo ſecundò accerſi Eutyches: ad eumq; mittuntur Mamas & Theophilus epiſcopi, cũ literis uocationis, quę ſic habẽt:

Sancta & magna Synodus, Dei gratia degens in Chriſtianiſsima & regia Conſtantinopoli, noua Roma, reuerendo presbytero & archimandritæ Eutychi. Et nunc ſecunda iſta te uocatione uocamus per Mamã & Theophilũ, reuerendos presbyteros, ut occurras abſq; dilatione, ad ſatisfaciendũ ſancto Concilio, incuſatus à Dei amantiſsimo epiſcopo Euſebio, ſicut qui aliena à fide ſapuiſti & ſapis, & ad aliquos ex eis locutus es. Veni ergo in cõuentum, nihil differens: ne ut ſubterfugiens in faciem conuinci, ſubiaceas diuinarum regularum ſeueritati. Nec enim rationabilis eſt ſatisfactio, dicere te de creuiſſe non procedere de monaſterio, qui de talibus accuſatus es.

Interea dum abeunt illi, ſuggerit ſynodo Euſebius, comperiſſe ſe Eutychen miſiſſe libru quendã de fide per monaſteria, ex ijsq; ſubſcriptiones collegiſſe. Ad quod iudicium ablegantur per monaſteria, qui de facto exploret, Petrus, Patricius, Rhetorius, Eutropius, Paulus, Ioannes. Poſt hæc interrogantur qui ſecundò ad Eutychen miſsi fuerant, quid reſponderit? Referũt: primùm ſcilicet ſe non admiſſos fuiſſe ad Eutychen, morbũ prætexentem: poſtea per importunitatem admiſsis ad ſe, contumaciter reſpondiſſe, ſe nullam rem præterquam mortem à monaſterio paſſurũ auellere. Mittuntur igitur ex Synodi decreto, qui tertiò accerſant, Memnon, Epiphanius & Germanus, cum ſynodi literis hoc modo habentibus:

Sancta & magna Synodus per gratiã Dei degens in Chriſtianiſsima & regia Conſtantinopoli, Eutycheti reuerendiſsimo presbytero & archimandritæ. Arbitramur te nõ ignorare, quæ à ſanctis regulis definita ſunt aduerſus minimè obedientes, & nolentes ad ſatisfaciendum occurrere, cum & tertia ad eos facta uocatio fuerit. Ne ergo teipſum his, quæ piè ab eis ſtatuta ſunt, confugias, uel nunc etiam tertiò à nobis uocatus per reuerendiſsimos presbyteros, id eſt, Mẽnonem cuſtodem ſacrorum uaſorum, & Epiphanium, & reuerendum Germanum diaconum, in ſanctum Concilium: acquieſce præſens eſſe in ſubſequenti die maturè, hoc eſt quarta feria, ſeptimadecima menſis Nouembris.

In confeſſu quarto, qui decimaſexta fuit Nouembris, ueniũt miſsi ab Eutyche in Synodũ monachi, Abrahamus, Eleuſinius, Cõſtantinus & Conſtantius, cauſam pro Eutyche dicturi: ſed nõ admittũtur, Flauiano reſpondẽte, fas nõ eſſe ut p accuſato alius cauſam dicat. Ad Eutychis igitur ipſius adhuc aduentũ, cauſæ cognitio tum differtur. Quę quidem familiariter & blãdè Flauianus admonet per Abrahamum, ut in ſynodum ueniat, nec periculi quicquam metuat: ſed ab ijs qui & amici ſint, & fratres, ueniam certò ſibi polliceatur.

Poſteaquam deinde Synodus quartò ad decimumſeptimũ Nouembris conſcribitur, adſunt qui Eutychen tertiò accerſiuerant. Quid reſponderit, interrogantur. Referunt dixiſſe eum, ablegaſſe ſe Abrahamũ ac monachos

nachos alios, qui sua causa in Synodum abeant, suo nomine supplicent, ac consentire se dicant illis quæ à patribus in synodis Niceæ & Ephesi, à beato item Cyrillo de fide constituta sint. Tandem uerò cũ ab ipsis, ut prę-sentem sese Synodo sisteret, atq; ad accusationes uniuscuiusq; respõderet, admonitus fuisset, petijsse inducias uniuscuiusq; septimanæ, post quam se in Synodum uenturũ recepisset. Inducias igitur eas indulgendas sibi Synodus decernit, ea lege, ut si post eas non adsit, presbyterij dignitate, & monasterij principatu exuatur.

Interea ad Theodosium Imperatorem Eutyches abit, eiq; indicat, uocatum se à Flauiano in Synodũ, cuius calũnias metuat: petere igitur se ab Imperatore, ut deduci se in eam curet per Patricium Florentium Silentiariũ. Quod quidem ab Imperatore Eutyches obtinet, qui Florentium cum præsidio sibi adiungit. Venit interea inducijarum terminus, & sextus sit Synodi consessus, in quo Eusebius instar primùm, ut Eutyches accersatur. Deinde recitari postulat disputationẽ Theophili & Mamæ, qui secundò Eutychen uocauerãt, cuius hęc summa fuit. Cum negasset Eutyches, posse duas se in Christo naturas dicere, ideo quòd in Scriptura eiusmodi loquendi forma non sit definita: opposuisse Mamam & Theophilum, neq; homousij usitatam uocẽ expressam esse in Scripturis, sed à sanctis patribus ita expositã. eandẽ igitur legem & rationem esse formulæ de duabus naturis. Perstitisse autem in sententia sua Eutychen, nec posse se (dixisse) Deitatem adsererenaturam, sed damnationi se potius ac persecutioni submittere uelle, quàm duas in Christi persona confiteri naturas.

Cum iam septimò ac postremò Synodus, altera Nouembris die consedisset, ad Eutychen requirẽdum missi sunt Philadelphius & Beryllus diaconi: qui eum nõ inueniunt. Mittuntur alij, Crispinus & Iouinianus, qui eum mox adfore dicunt, stipatum numerosa multitudine militum, monachorũ & apparitorum præfectianorum. Adest igitur cũ illis Eutyches, deductus à Florentio Silentiario, qui mandatum Imperatoris de custodienda fide Nicena, Ephesi proximè in concilio repetita, atq; ut cõsessui suo Patricium Florentium adiungi nõ molestè ferant, exponit. Mandati exemplum eiusmodi fuit.

Quoniam nos de pace cogitamus, & de sanctis Dei ecclesijs, & pro catholica fide, & custodiri uolumus rectam (Deo inspirante) prædicatam fidem à sanctis patribus qui in Nicea congregati sunt, trecentis decem & octo, & ab his qui Ephesi interfuerunt damnationi Nestorij: hoc ergo uolumus, ne scandalum in prædicta Catholica fide committatur. Et quoniam scimus magnificentissimũ Patricium Florentium esse fidelem, & testimonijs probatum in recta fide, uolumus ipsum interesse audientiæ Synodali, quoniam sermo de fide est.

Assidet igitur Synodo Florentius, & constituuntur in medium Eutyches accusatus, & Eusebius. Leguntur uerò acta in Eutychis causa ab initio, à notario Accio excepta. Recitantur & Cyrilli epistolæ, in quarum altera ad Orientales, posteaquam uentum est ad hæc uerba (Confitemur Dominum nostrũ IESVM Christum filium Dei unigenitũ, Deũ perfectum, & hominem perfectum, ex anima rationali & corpore, ante secula quidem ex patre natum secundum diuinitatem, in ultimis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem de Maria uirgine secundum humanitatem, consubstantialem patri secundum diuinitatem, & cõsubstantialem nobis secundum humanitatem: duarum etenim naturarum unitio facta est, propter quod unum Christum, unũ Dominum confitemur, secundum hunc intellectũ inconfusæ unitionis: confitemur sanctã uirginem θεοτόκον, propter incarnationẽ Dei uerbi, & hominis assumptionẽ, & quia ex eius conceptione unijt sibi templum quod accepit ex ipsa) ad hæc uerba posteaquam uentum est, exclamat Eusebius, ista de Christo Eutychen minimè credere. Interrogatus Eutyches, apertam & perspicuam responsionẽ diu tergiuersatur, negans aliàs se ad disputationem uenisse, aliàs chartam exhibens continentem eiusmodi confessionem: Sic credo adorans patrem cum filio, & filium cum patre, & spiritum sanctũ unà cum patre & filio confiteor: confiteor autem factam ex carne præsentiam, ex carne sanctæ uirginis, & incorporatum eum perfectè propter nostram salutem: sic confiteor coram patre & filio & spiritu sancto, & uestra sanctitate. Post hanc confessionem, non uult Eutyches quæri ex se aliquid amplius. Interrogatus tamen utrum ex duabus naturis confiteatur Christum? respondet, se à disputatione de natura Dei hactenus sibi diligenter cauisse. Interrogatus porrò, num cõsubstantialem nobis dicat Dominum Christum: respondet, se hactenus sic nunquam locutum. Postea ultrò subijcit, profiteri se sanctam uirginem esse nobis consubstantialem. Ex quo uaticinari Basilius incipit hoc modo: Si mater est nobis consubstãtialis, igitur & filius, quoniam filius hominis uocatus est. Ad quod Eutyches: Se idẽ igitur profiteri, inquit, qñ ita uelint, per necessitatem scilicet magis quàm uoluntate. Rursus interrogatus à Florentio Patricio, an consubstantialem, & ex duabus naturis post incarnationem, Dominum nostrum ex uirgine natum, subsistere

dicat, necne? Respondet, cõfiteri se ex duab. naturis fuisse Dominum ante incarnationẽ, post eam uerò unam duntaxat in eo se confiteri naturam. Quod dogma damnare à Synodo iussus: neq; in Scripturis ait inueniri manifestè illud de duabus naturis, neq; patres omnes sic dixisse. non igitur se posse sanctis patribus anathema impingere. Ab uniuersa igitur Synodo acclamatur, anathema Eutychi. Promittitur tamen & cum Synodi nomine à Flauiano, si damnare possit propriũ dogma, & Synodo consentire. Ad quod respondet, facere se id quidem, quando ita iubeant. Quærit postremò Florentius Patricius: DVAS NATVRAS dicis, & CONSVBSTANTIALEM nobis esse? Respondet: Sequi se legem beati Cyrilli & sancti Athanasij, qui ex duabus Christũ dixerint naturis ante incarnationem: post eam autem nõ iam duas esse in eo, sed unam naturam. Ad quod Florentius: Qui non ex duabus, inquit, confitetur Christum naturis, non credit rectè. Conclamat Synodus: Quæ ex necessitate est, fides, non est. Et iterum: Non consentit. Tum igitur demum Flauianus: Per omnia, inquit, apparet Eutyches quondam presbyter & archimãdrita, & ex his quæ acta sunt, & proprijs eius confessionibus, Valentini & Apollinaris peruersitate ægrotare, & eorum blasphemias incõmutabiliter sequens, qui nec nostram reuerens persuasionẽ atque doctrinam, rectis noluit consentire dogmatibus. Vnde lachrymantes & gementes perfectam eius perditionem, decreuimus per Dominum nostrum IESVM Christum ab eo blasphematũ, exterminatũ eũ esse ab omni officio sacerdotali, & à nostra communione, & primatu monasterij: scientibus hoc omnibus qui postea colloquentur ei, & eum conuenerint, quoniam rei erũt & ipsi pœnæ excommunicationis. Subscripserunt episcopi, presbyteri, diaconi, archimandritæ & monachi quinquagintatres.

Summam actionis Synodi, & Eutychetis damnationem, Flauianus, scripto comprehensam, ad Leonem episcopum Romanum misit, quod sic habet.

Sanctißimo & beatißimo patri & consacerdoti Leoni, Flauianus in Domino salutem.

Pietate & recta prædicatione uerbi ueritatis nihil honorabilius sacerdotibus, sicut nosti Deo amantissime. Omnis enim nostra spes atq; salus, & retributio promissorũ bonorum in his est. Propterea omnia facienda à nobis sunt, & laborandum pro fide, & expositionibus dogmatibusq; sanctorum patrũ, quatenus per omnia & inter omnes concussiones rerum integra hęc & inuiolata saluentur & custodiantur. Necessarium itaq; fuit nunc, & iam uidentes nos, lædi orthodoxam fidem, & renouari Apollinaris & Valentini hæreses ab Eutyche monacho, non hoc despicere, sed in aperto hoc pro cautela populi reuelare. Iste enim Eutyches absconditum in se languorem malę sectæ retinens, insiliens nostrę mansuetudini, inuerecundè & impudenter in multos impietatem propriam pręsumpsit inferre, dicens: Ante inhumanationem quidem saluatoris nostri IESV Christi duas naturas esse, diuinitatis & humanitatis, post unitatem uerò unam naturã factã: neq; sciens quod dicit, neq; de quibus affirmat. Neq; enim unitas conuenientium in Christo duarum naturarum, sic ut una re proprietates suas in unitate cõfudit, sed manent in unitate perfectæ naturarum proprietates. Adiecit & aliam impietatem, dicens: Corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantię, neq; humanæ cõspersionis, sed humanum quidem illud uocat, non tamen nobis consubstantiale, neq; genetrici eius secundum carnem. Et hæc aiebat, cum in gestis Ephesi habitis & sancto & uniuersali Concilio, in epistola scripta ad impium damnatumq; Nestorium apertè sic habeatur: Quia diuersæ quidem ad unitatẽ ueram concurrêre naturæ, unus autẽ ex ambobus Christus Dei filius: non tanquam naturarum differentia sit perempta propter unitatem, sed potius effecerit nobis unũ Dominũ IESVM Christum diuinitatis & humanitatis per ineffabilem & intelligibilem ad unitatem concursionem. Et hoc non latet tuam sanctitatem, dum omnino legerit gesta quæ Ephesi sunt confecta. Quæ pro nihilo ponens idem Eutyches, arbitratur non se daturum pœnam præfinitam à sancto illo & uniuersali Concilio, quoniam per hæc multi simpliciores ex eius eloquijs in fidei sermone læduntur. Accusatum uerò eum à reuerendissimo Eusebio, & occurrentẽ in sanctum Concilium, & uoce sua sectam propriã retegentẽ, alienumq; existẽtem à recta fide, damnauimus: sicut docebunt uestram sanctitatẽ, omnia quę super eo sunt gesta, quęq; direximus cum nostris his literis. Iustum autem est & hoc uobis (sicut arbitror) intimari: quia idem Eutyches passus iustam canonicam damnationem, cum debuisset secundis saluare priora, & per pœnitentiam perfectam multasq; lachrymas placare Deum, nostrumq; cor uehementer contristatum in eius ruina, per ueram sanare pœnitentiam: non solùm non fecit, sed etiã per omnia conturbare sanctam quæ apud nos est ecclesiam festinauit, propositiones iniuriarũ publicè ponens, & maledictionibus plenas: super hæc & preces offerens pijssimo & Christi amantissimo nostro Imperatori, & easdem arrogantia & petulantia plenas, per omnia diuinas

uinas regulas conculcare conatus est. Sed his ita gestis, literæ nobis datæ sunt uestræ sanctitatis, per admirabilẽ comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idẽ Eutyches libellos direxit uobis plenos omni fallacia atq; calliditate, dicens: Iudicij tẽpo & hic conuenienti sancto Cõcilio, & appellasse uestrã sanctitatem, quod nequaquã ab eodem factum est. Sed etiã in hac parte mentitus est, tanquam per fallaciã mendacij subrepere se sanctis uestris auribus putãs. Commotus itaq; sanctissime pater, in his omnibus quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea quę in nos & sanctissimam Ecclesiam facta sunt atq; fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundum quod sacerdotio competit, propriamq; faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersus eum regulariter factam & per propria scripta digna re: confortare autem & pijssimi & Christo dedititissimi nostri Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo uestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, & turbæ quæ propter eũ factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per uestras sacratissimas literas. Remouebitur autem & Conciliũ, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam ubi sanctissimæ turbentur Ecclesiæ. Omnium quæ uobiscum est fraternitatem, ego & qui mecũ sunt salutamus. Incolumis in Domino, & orans pro nobis, doneris Ecclesiæ & nobis, religiosissime & sanctissime pater.

bus nostris, Theodosio & Valentiniano, patribus patriæ Augustis, Eutyches archimandrita: In omnibus mihi post Deum & salutis & ueritatis manifestatio facta est, uestra pietas, in nulla re prætermittens inquisitionẽ facere eorum quæ uel de fide, uel aduersus me calumniosè mota sunt. Gesta enim, quæ sunt composita à reuerendissimo archiepiscopo Flauiano aduersum me, legi hesterno die, & reperi contraria his quæ acta sunt, cõtineri in chartis. Nec enim, quæ ipse ad me locutus est, iacebant in eis: neq; quæ ego locutus sum, inseruerunt eidem monumento. Supplico igitur uestræ serenitati consuetè orthodoxæ fidei patrocinanti, & meæ prauitatis opinioni, ut dignetur præcipere beatissimos episcopos, qui in hac causa tunc resederunt, & notarios reuerendissimi episcopi Flauiani, & reuerẽdos clericos qui ad me directi fuerant, uocantes ut occurrerem, & reuerendum diaconum Athanasium, reuerendi episcopi Basilij, conuenire in præsentia sanctissimi episcopi Thalassij, quatenus interrogati dicant, omni cum ueritate scriptis, quid nouerint: ut hoc consecutus, more solito laudans, gratias agam Domino & Deo omniũ Christo, et uestrę semper pietati.

Eutychi igitur obsecutus Imperator, relegi in Synodo Commentarios actionum iussit, & cognosci exactè, quæ à Flauiano ad Eutychen dicta fuissent, & quæ uicissim Eutyches respondisset. Admonitionis Imperatoris exemplum hoc est· Deponãt apud reuerendissimos episcopos, non eos solũ qui dudum conuenerant: uerùm etiam apud reuerendissimum episcopum Thalassium, ut omnibus his præsentibus, quos supplicatio loquitur, negocij ueritas inquiratur. In Synodum tamen Eutyches ipse non uenit. misit aũt eò qui causam suã egerant, Constantinum diaconum suum, cũ Eleusinio & Constantio monachis. Primùm igitur notarijs negocium datur acta relegendi, qui admodum repugnant. Tandẽ tamen legunt actiones omnes: committuntur etiam cum uicarijs Eutychis, qui ad eum à Synodo missi antea fuerant: & repetuntur ab initio omnia quæ uel legati ad Eutychen dixerant, uel ipse respõderat. Afferũtur item à uicarijs quædam dicta à notarijs non excepta, quæ partim cõfutãtur, partim excusantur quòd memoria exciderint, quodq; per turbas actione feruẽti audiri ab omnibus atq; excipi nequiuerint, quædam deniq; dicta non præceperit Synodus excipi. Euagrius, condemnatum Flauianum in ea Synodo à nonnullis præsidibus scripsit: sed de falsitate Cõmentariorũ nihil deprehẽdi potuisse, esse pnunciatũ. qđ & Liberat⁹ retulit: atq; addit, tantũ fuisse actũ, ut apud magistros officiorũ notarij

CONSTANTINOPOLITANA,
repetita propter Eutychen.

SVb cõsulatu Protogenis, qui Posthumianum & Zenonem secutus est, anno Christi (secundum Marianum) quadringentesimo quinquagesimoquinto, Idus Aprilis, auctoritate & mandato Imperatorum Theodosij & Valentiniani, ex ijsdem episcopis Synodus denuò congregata est Constantinopoli, & additi in consessum ab Imperatoribus, præter Patricium Florentium, Marcianis magister sacrorum officiorum, Carterius præfectus sacri scrinij libellorũ, sacrarumq; cognitionum, & Macedonio tribuno Synodi eius occasionem Eutyches imposuit, qui apud Imperatorem acta superioris Synodi Flauiani conficta & falsata esse, additis nonnullis à notarijs quæ nunquã dicta fuissent, aliquibus etiam dictis, nec exceptis, cõquestus fuerat, & in frequentia Thalassij episcopi denuò excuti acta petiuerat. Exemplum petitionis eiusmodi est· Pijssimis & fidelissimis ministris amicis Christi, Imperatori-

falsitatis, si quæ fuisset animaduersa, accusarentur. Postremò uerò iniunxisse Imperatorem Flauiano, ut fidem suã manu propria conscriptam ad se mitteret, quæ sic habuerit. Flauianus episcopus Constantinopolitanus, amatori Christi Imperatori nostro Theodosio salutem. Nihil ita conuenit sacerdoti Dei, & dogmatibus erudito diuinis, quàm paratum esse ad satisfactionẽ omni petenti rationem, de spe quę in nobis est, & gratia. Non enim erubesco Euangelium Dei. uirtus enim Dei est ad salutẽ omni credenti. Quia ergo & nos misericordia regis omnium Christi Dei, sacerdotium tale sortiti sumus, sapimus rectè & inculpabiliter semper Scripturas diuinas, sequentes expositionem sanctorum patrum qui in Nicea cõuenerunt, & centum quinquaginta qui hic congregati sunt, & qui in Epheso sub sanctę memoriæ Cyrillo qui fuit Alexandrinorum episcopus: & prædicamus, Dominum nostrum IESVM Christum, ante secula quidem ex Deo patre sine principio natum secundũ diuinitatem, in nouissimis aũt diebus eundem propter nos & propter nostrã salutem ex Maria uirgine secundum humanitatem. Ex duabus itaq; naturis cõfitentes Christũ, post incarnationem ex sancta uirgine & humanatum, in una substantia, & in una persona unũ Christum, unum filium, unum Deũ confitemur. Et unam quidem Dei uerbi naturam incarnatam tantum et inhumanatam dicere non negamus, eo quòd ex ambabus unus atq; idẽ sit Dominꝰ noster IESVS Christus. Eos uerò qui aut duos filios, aut duas substantias, aut duas personas annunciant, & unum eundemq; Dominum IESVM Christum filium Dei uiui prædicant, anathematizamus, & alienos esse ab Ecclesia iudicamus. Et ante omnes Nestorium impiũ anathematizamus: & sapientes quæ eius sunt, & loquentes ea, abscindantur huiusmodi à filiorum adoptione, promissa rectè credentibus. Et subscriptio: Domine IESV Christe, adiua nos. Et iterũ: Hæc scripsi manu mea, ad satisfactionem uestræ potestati, ut cõfundantur calumniam facientes nostrę simplici conuersationi. Euagrius libro primo, capite nono: Liberatus Breuiarij capite undecimo: Tomo primo Conciliorum, in actione prima Chalcedonensi.

EPHESINA SECVNDA, PRAEDATORIA *dicta, & prophana.*

CVm nec in ea Synodo Eutychi quę uoluisset succesisset, ad Dioscorum cõfugit, Alexandrinũ episcopũ, ab eoq; patrocinium causæ suæ petijt. Is usus opera partim Chrysaphij Palatij præsidis, apud Imperatorẽ plurimũ ualentis, qui & sectator fuit Eutychis, & depositionẽ eius molestè fere-bat: partim Eudoxiæ Augustę officio, Synodum alterã Ephesi impetrauit, ad disceptandam causam Eutychetis, uti simulabatur: reuera aũt, ad opprimendũ Flauianũ, quę propter Eutychis depositionẽ Chrysaphius impense oderat. Extat in uolumine Cõciliorum epistola Theodosij & Valentiniani ad Dioscorũ, cõplectens mandatũ de cõgregan da ea Synodo: & alia itẽ ad eundẽ, ut Barsumá archimandritã adsidere sibi sinat in Synodo. Alia rursus ad Barsumam ipsum, ut Ephesum ad Synodũ accurrat: alia ad Elpidiũ comitem, ut Synodo interesse cũ Eulogio tribuno. Deniq; ad Proculum alia, Asiæ procõsulem, ut Elpidio & Eulogio præsidium Ephesum deducendum curet. Conueniũt ad eam Synodum, Iuuenalis Hierosolymorum episcopus cum sacerdotibus alijs plurimis, Domnus Antiochenus, Stephanus Ephesinus: Iulius Romanus episcopus, sustinens partes Leonis pontificis, cum Hilario diacono, Dioscorus cum Eutyche sentiens, adductis alijs suæ opinionis episcopis Ægyptijs maximo numero, quorum catalogus prolixus continuatur in uolumine Cõciliorum: adducto etiam præsidio militari Elpidij & Eulogij, cum monachis Barsumæ ad trecentos. Personę reliquę uicarij fuerunt, & interpretes, quorum nomina ibidẽ explicantur. Celebratur autem eodẽ tẽpore Synodus illa, quo Ephesina superior, Zenone nimirũ et Posthumiano Cos. anno Christi (secundũ Marianũ) quadringentesimo quadragesimo nono, quarto Iduum Augusti. Cõsidetur in basilica Mariana. Præsidem agit Dioscorus, notarium nullũ admittens prętereq́ suum, cui nomen Demetriano fuit, & * aliqui suæ parti potestatem excipiendi quæ agerentur faciens. Iudicij formam Imperatore in Synodum misisse, Euagrius refert, eiusmodi. Qui antea iudices religiosissimi archimandritæ Eutychis fuere, adsunto quidem, & tacento, iudicum autem ordinem nõ habento. Cæterùm communem omnium sanctissimorum patrum sententiã expectãto: quandoquidẽ de rebus ab eis iudicatis nunc iudicium agitur. Est & ad totam Synodum eiusdem epistola, in uolumine Cõciliorum: ut ad formam fidei Nicenæ agant, & quantum sit in ipsis, omnem hæresim euellere conentur. Sed & duæ sunt Leonis papæ epistolæ ad hanc Synodũ pertinentes: altera ad Faustum Marcianum, & reliquos archimandritas Constantinopolitanos, qua Eutychis dogma iustè reprobatum, & reprobandum etiam deinceps, indicat: altera ad synodum Ephesinã ipsam, qua hortatur, ut Eutychis blasphemias condemnet: sed quã supprelsit Dioscorus, ut postea dicetur.

Coacto igitur consessu, literæ primùm Imperato-

peratoris ad Dioscorum, de congreganda hac synodo, recitatur. Exhibetur deinde à uicarijs Leonis epistola ad synodũ scripta: alię autem epistolæ Imperatoris ad Dioscorũ, de assumendo in synodum Barsuma archimandrita. Post hæc de fide decretũ fit, & constituitur, ut prævaleat formula illa quæ Niceæ à patrib. tradita sit. Accersitur Eutyches, qui causam suam explicare iussus, libellum suæ fidei synodo exhibet. Is posteaquã recitatus est, allurgẽs Dioscorus in synodo exclamat: Optima Eutychetis fides, cõcordat fidei trecentorum decem & octo patrum: Eutyches rectè credit, ac nos scilicet eandem sententiã profitemur. Post expositã suã fidẽ, accusationem longã Eutyches instituit in Flauianũ, & synodum Constantinopolitanam, à qua nimirum sibi factam contumeliam grauiter queritur. Minor deinde synodi pars decernit, relegenda esse omnia acta Constantinopolitanæ synodi in causa Eutychetis. Repugnant soli Leonis uicarij: qui acta legi ita demum uolũt, si prius recitata sit epistola Leonis. Sed Eutyches suspectos sibi esse Leonis uicarios respondet, quòd cum Flauiano fuerint, ab eoq; familiariter excepti sint. Liberatus narrat, Dioscorum nec consessum legatis illis in synodo permisisse: nec cognosci tulerant, uoluisse. Quamobrẽ illi peruersum atque improbum Dioscori iudicium animaduertentes, è synodo discesserint, Romamque redierint, nunciantes Leoni, quanta cum ui & iniusticia in synodo Dioscorus agat, & quantopere studijs suis contradixerit.

Recitantur igitur synodi Cõstantinopolitanæ sub Flauiano actiones. probatur denuò Eutychis fides, et Eusebius impius pronunciatur. Eutyches porrò, ut qui secũdum Nicenam fidem in Ephesina priori synodo confirmatam rectè sentiat, à plerisq; episcopis in integrũ restituitur, & dignitate presbyterij & primatus ereptam sibi à Flauiano recipit. Legitur postea libellus synodo oblatus à monachis trecẽtis sub Eutyche: quibus communionem Flauianus ideo, quòd cum Eutyche sentirent, eripuerat. Libellus is acculatio grauis Flauiani est, quòd flagitiosè & uiolenter in Eutychen pastorem eorum egerit: & petitio, ut communio eis restituatur. Postremò igitur ab uniuersa synodo damnantur Flauianus & Eusebius. Hæc summa actionum eius synodi, in actione prima Chalcedonensi, in uolumine Conciliorum traditur. Adduntur alia quædam à Liberato & Euagrio, Flauianum nimirum nõ depositum solum fuisse à Dioscoro, uerùm etiã cum reclamare impio ac peruerso eius iudicio instituisset, calcibus impetitum atrociter, & pulsatũ priusquàm Cõcilio repulsus sit, qua uerò ex plaga pectoris post triduũ mortuus sit. Episcopos deinde perterrefactos, ui militũ armis sublatis se circumstantium, decretis aduersus Flauianũ editis subscribere coactos fuisse. Qua uiolentia etiam Domnus Antiochenus episcopus perculsus subscripserit: sed postea retractarit, in Dioscorum uociferatus, iudicium suum, totáq; eam synodum impiam esse. ob quam causam & ipse depositus sit, ac post eum alij cõplures absentes. ut Ibas Edessenus episcopus, quòd dixisset: Non inuideo Christo facto Deo: quoniam si uolo, & ego fio. Item, Christus factus est Deus: aliaq; huiusmodi. Theodoretus episcopus Cyri, propterea quòd contra Cyrilli anathematismos scripsisset, & primam Ephesinam synodum reprehendisset. Daniel Carthensis, Ireneus Tyri, Aquilinus Bibli, quòd libellum in gratiã Sophronij continuasset, & Geuinianus Parensium episcopi. Euagrius libro primo, capite decimo: Liberatus Breuiarij capite duodecimo: Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimoseptimo: Zonaras in Theodosio.

De authoritate eius Synodi.

Solus Theodosius seductus à Chrysaphio, legem promulgauit, qua Eutychis fidem approbauit. quo errore iniustè etiam commendauit tum synodum illam totã, tum Flauiani depositionem, in epistola quadam ad Valentinianũ Imperatorem. Contrà in Chalcedonensi concilio, illi qui synodo Ephesinæ prẹfuerunt, confessi sunt se errasse, & immeritò damnasse Flauianum & Eusebium, qui nihil erroris circa fidem commisissent. Theodorus uerò diaconus Alexandrinus, in libello ad Leonem & ad synodum Chalcedonensem, quæcunque in synodo Ephesina à Dioscoro acta sint, contra leges processisse affirmat: & prolixo scripto in crudelitatem & homicidia eius synodi inuehitur. Ischyron diaconus alius Alexandrinus. Sed in eadem Chalcedonensi synodo, Quintus Phocensis episcopus ait: Dioscorus neque canones protulit, neque lecti sunt, neque aliquo Ecclesiastico ordine usus est: sed propria utens autoritate, Flauianum damnauit. Et ibidem Iulianus episcopus Hippensis: Quando in Ephesina, inquit, metropoli primatum habebat Dioscorus, ad iudicandum inter Flauianum & Eusebium episcopum, inter quæ Eutyches ex omni parte iniquam proferens sententiam, ipse prius prosecutus est iniustũ iudicium, & eũ omnes necessitate secuti sunt. In eadem synodo legati seu uicarij Leonis Romani respondent, nefaria in synodo Ephesina secunda commissa esse delicta: & omnia quæ acta

ibi fuerint, pro uanis haberi ab Apostolico Romanæ urbis episcopo. In eadem rursus synodo Anatolius archiepiscopus Constantinopolitanus dixit: Definimus nihil horũ ualere, quæ in secunda synodo Ephesina gesta sunt, neque synodum illam nominari, neque quicquam quod actum est in illa teneri. Synodus denique Romana ad clerum Constantinopolitanum: In synodo, scribit, Ephesina nec iusticię moderationem, nec fidei fuisse seruatam religionem. epistola Leonis ui cesimatertia. Cuius & ad Marcianũ & Faustum presbyteros est epistola, de damnatione concilij secundi Ephesini, 32.

SYNODVS BERYTI.

SYnodo cuidam apud Berytum occasionem præbuit causa Ibæ Edessẽi episcopi, quem à Dioscoro in synodo prophana Ephesina damnatum diximus. congregata ea synodus est post cõsulatum Flauij Zenonis & Posthumiani, calendis Septembris, ab episcopis Eustathio, Vranio, Domno Antiocheno, Damascio tribuno & notario, Eulogio diacono Constantinopolitano, & alijs: quorum catalogum in uolumine Conciliorũ uide. Accusarant enim presbyteri & diaconi quidam, Samuel, Cyrus, Eulogius et Mares, Ibam episcopũ, apud Domnum Antiochenum, quasi Nestorianꝰ esset, & in cleri cœtu aliquãdo dixisset: Nõ inuideo Christo, quia Deus factus est: quoniam si uolo, & ego fio. Dum igitur Antiochiæ illi absunt, ab Iba excommunicantur. Postea uerò superueniente festiuitate quadragesima, à Domno, Iba permittente, absoluũtur, ea conditione, ne quis eorũ Antiochia pedem efferret. At illi Domni archiepiscopi autoritatem adspernati, & ad Photium, Eustathium & Vranium episcopos Constantinopolim proferri synodũ Beryti cõgregatam postularunt. Quamobrem à Domno excommunicati sunt. Venit tamẽ Ibas Berytum: ubi cum accusatores (seu calumniatores potius) eius probare nihil possent, relatio etiam clericorum Edessenorũ, Ibam grauissimè excusantium, & diras sibi imprecantium, si quid eiusmodi ab Iba dictum meminissent, interueniret: ab uniuersa synodo absoluitur, ac post cõmunionem cũ suis dimittitur, & orthodoxus pronunciatur. Liberatus Breuiarij cap. 10. Tomo 1. Conciliorum, in prima actione Chalcedonensi.

ROMANA.

POst synodum secundã Ephesi, celebrasse aliquot conuentus Leonem papã Romæ, testantur ipsius epistolæ: in quibus constituit, ut profana & irrita habeantur, quæcunque in synodo altera Ephesina decreta sint: ut epistola 21. 22. 23. & 24. Sed & Nicephorus indicat libro 15. cap. 4, Leonem post cognitionem rerũ Eutychetis & Dioscori, prouincialem synodum Romæ coegisse, in qua utrunq; cum sectatorib. suis damnarit, eiusq; synodi acta concilio Chalcedonensi & ad Imperatorẽ miserit: monueritq; ut eos qui confusionem connexionemq; duarum Christi naturarũ inducerent, condemnaret.

AGATHENSIS.

AGathæ in Narbonensi Gallia synodũ celebratam ab episcopis triginta quinque, uolumen Conciliorum tradit, ob constitutionem quorundam, quæ ad disciplinã Ecclesiasticam necessaria essent: quo tempore apud Gotthos imperarit rex Alarichus. Nam quod de consule Messala idem uolumen ostendit, ad hæc tempora neutiquam congruit. Canones igitur septuaginta num synodus ea sanxit. 1. Bigami clerici non ministrent. 2. Contumaces clerici, & ad officium tardi, corrigantur. 3. Episcopi qui uel innocentes, uel pro minimis causis aliquos excommunicãt, moneantur: & si agere noluerint, communio illis usque ad synodũ non denegetur. 4. Qui suas uel proprinquorum oblationes Ecclesiæ defraudant, ex Ecclesia extrudãtur. 5. Clerico qui furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina cõmunio detur. 6. Si episcopo à quibuslibet quicquam fuerit derelictum, nõ pro proprio, sed facultatib. Ecclesiæ habeatur. 7. Res Ecclesiæ episcopus non uendat. item, seruos ecclesiæ, manumissos à prœcessoribus, libertatem cũ donis debere retinere. 8. Clericus, qui ad seculares iudices confugerit, cum ijsdem excommunicetur. 9. Presbyteri & diaconi, qui ad coniugalem coitum reuertuntur, sunt submouendi. 10. Nullus clericorũ cũ extraneis fœminis habitet. 11. Nullus clericus in cellario, uel in secreto fœminã introducat. 12. Omni quadragesimę sabbato ieiunetur. 13. Symbolum ante octo dies Paschæ competentibus prædicetur. 14. Altare & benedicatur, & ungatur. 15. Pœnitentes nisi comam deposuerint, & uestimenta mutauerint, abijciantur. Iunioribus non facilè imponatur pœnitentia. 16. Qua ætate diacones ordinentur. 17. Episcopi diaconos nõ ordinẽt infra 25 annos. 18. Laici, qui tẽporib. Natalis Domini, Paschę & Pentecostes nõ cõmunicauerint, nõ habeãtur pro catholicis. 19. Sanctimoniales ante 40 annũ ætatis suæ nõ uelentur. 20. Clerici qui cõmã nutriũt, inuiti tondeãtur. 21. Solennitates maiores in ciuitatib. celebrẽtur. 22. Nõ liceat presbyterũ aut clericũ ré ecclesiæ uendere, aut donare. 23. Clericus minor seniori nõ ꝓponatur. 24. De expositis inuẽtis synodi statuta seruãda. 25. Seculares, qui suas uxores sine causa derelinquũt, excõmunicẽtur. 26. Si uoluntariè clericꝰ damnũ ecclesię fecerit, aut satisfaciat, aut excommunicetur. 27. Mo-

27. Monasterium nouum, inconsulto episcopo nullus constituat de monachis. 28. Monasteria puellarum procul à monachis constituantur. 29. Liberti, in necessitate ab Ecclesia defendantur. 30. Post antiphonas, orationes dicantur. 31. Qui propter odium ad pacem non reuertuntur, primùm admoneantur: si non obtẽperant, excõmunicentur. 32. Clericus, incõsulto episcopo, ad iudicem secularem non pergat. 33. Episcopus, hæredes non habens, ecclesiam cui præfuit, hæredem faciat. 34. Iudæi, qui conuerti cupiunt, octo menses antequam baptisentur, inter Catechumenos habeantur. 35. Si episcop⁹ à metropolitano admoniti, pro synodo uel ordinatione episcopali uenire distulerit, communione priuetur. 36. Stipendia clericorũ iuxta meritum distribuantur. 37. Homicidæ & falsi testes ab Ecclesiastica cõmunione submouẽdi, nisi agãt pœnitentiam. 38. Sine episcopi sui epistola non liceat clericum uel monachum profisci. Similiter de monachis, uel abbatibus. 39. Clerici nuptialia uitent conuiuia. 40. Christiani Iudæorum non utantur cõuiuijs. 41. A' clericis uitetur ebrietas. 42. Sortilegi uel auguratores ab Ecclesia seperentur. 43. De pœnitentibus clericus ordinetur, & presbyter altare non erigat. 44. Presbyter benedictionem populo, uel pœnitenti, in ecclesia dare non præsumat. 45. Episcopus exiguum aliquid, sine clericorum conniuentia (si necesse fuerit) distrahat. 46. Seruos ecclesiæ fugitiuos liceat uendere episcopo. 47. Ante missam expletam egredi populus non præsumat. 48. Res ecclesiæ propriæ non sunt alienandæ, suas uerò res episcopus hæredibus potest relinquere. 49. Diaconi & presbyteri de rebus ecclesiæ nihil abalienent. 50. Episcopus, presbyter, diaconus si capitale crimẽ incurrerit, in monasterium detrudatur, & laicã cõmunionem accipiat. 51. Testamentũ episcopi non sit ratum cõtra iura ecclesiæ. 52. Clericis, qui sine epistolis sui pontificis proficiscuntur, nemo communionẽ præstet. 53. Presbyteri parochiani si res ecclesiæ distraxerint, inane habeatur. 54. Item quicquid emerint, in nomine comparent ecclesiæ. 55. Sacerdotes & Leuitæ canibus ad uenandum & accipitribus non utantur. 56. Abbates sine episcopis nihil uendant. 57. Vnus abbas duob. cœnobijs non præponatur. 58. Monasterium sine notitia episcopi non constituatur. 59. Res ecclesiæ usui collatæ, ut præscriptionis tempore defendantur. 60. Lapsi, qui de catholica fide in hæresim transeunt, agentes pœnitentiam per biennium ecclesias ingrediantur. 61. Incesta coniugia prorsus non probentur. 62. Qui seruos suos extra iudicem negant, excommunicẽtur. 63. Laici, qui in solennitatibus maioribus ad ciuitatem non occurrunt, triennio à cõmunione priuentur ecclesiæ. 64. Clerici, qui ab ecclesię officio diebus solennibus desunt, triennio à cõmunione suspendantur. 65. Leuitæ ut non sine iussu presbyteri sedeãt. 66. Ministri ne secretarium ingrediãtur. 67. Catholici ne hæreticorũ connubijs copulentur. 68. Leuitę & clerici, magi uel incantatores nõ sint. 69. Seditionarij, usurarij, iniuriarũ suarũ ultores, non ordinentur clerici. 70. Scurriles & iocularis clerici ab officio remoueantur. 71. Synodus annis singulis congregetur.

Subscripserunt episcopi, Cęsarius, Cypriánus, Clarus, Tetradius, Heraclian⁹, Sophronius, Sedatus, Quintianus, Sabinus, Gratianus, Nicetus, Suauis, Galactarius, Gratus, Vigilius, Glycerius, Petrus, Cronopius, Probatius, Maternus, Agritius, Marcellus, Pendatius, Abilius, Ingenuus, Paulinus, Polemius, Pompeius, Firmius.

EPHESINA.

MEminit in actione undecima synodi Chalcedonẽsis Basianus Ephesinus episcopus, in epistola ad Valentinianum & Marcianum Imperatores, synodi cuiusdam quincialis Ephesi sub Basilio, qui post Mẽnonem episcopum defunctum, episcopatũ Ephesi gesserit, in qua sibi iniuriam multam percepisse, & expulso communionem & episcopi locum restitutum fuisse, Basianus idem affirmat.

VENETICA.

CElebratus est Venetijs circa tempora Leonis Romani episcopi, aut Hilarij (nam hoc tempus incertũ Synodo huic uolumen Conciliorum tribuit) cõuentus episcoporum non adeò frequens, ut uidetur, ordinationis occasione, & restitutionis causa quorundam quæ in disciplina Ecclesiastica collapsa fuerant: tum eorũ etiam constituendorum causa, quę in superiorũ Patrum statutis intermissa fuissent. Canones sanxit sedecim, quorũ primus est: Homicidas & falsos testes à cõmunione Ecclesiastica submouendos esse, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint. 2. Arcendos item à communione eos, qui relictis uxoribus suis nulla iusta causa, alias duxerint. 3. Pœnitẽtes quoq;, qui susceptam publicè pœnitentiam intermiserint, ad pristinas sordes uitæ regressos, à cõmunione sacramentorum, & à conuiuijs fideliũ arcendos esse. 4. Item uirginitatem professas, si in adulterio fuerint deprehensæ. 5. Ne clerici aut monachi absque commendaticijs epistolis episcopi sui quoquã proficiscantur. 6. Vt monachi, si uerborum increpatione non emendẽtur, fustibus coerceãtur. 7. Ne solitarias

cellas

cellas monachi, fratrum frequentiam exosi, adeant, nisi fuerint facti emeriti, aut asperioris indulgentiam regulæ ab abbate impetrarint. 8. Ne abbates plura monasteria incolant, nisi ob hostium incursus labores quærere coacti sint. 9. Ne clericus à seruis suis apud iudices seculares accusatus, iudicia eorum adeat. 10. Ne clerici absque permissu eorum episcoporum, à quibus ordinati sint, maiores gradus affectent. 11. Ne presbyteri, diaconi & subdiaconi nuptiarum conuiuia frequentent, ne uoluptatum spectaculis contaminentur. 12. Vt omnes clerici Iudæorum consortia uitent. 13. Vt clerici omnes maximo studio ebrietatem, ut omnium uitiorum fomitem, fugiant. 14. Vt clericus, qui à matutinis absque ualetudinis impedimento abfuerit, septem diebus à communione alienus habeatur. 15. Vt intra prouinciæ terminos una sit sacrorum ratio, & psallendi modus. 16. Vt clericus augur, sacrilegus aut diuinator, ab ecclesia extraneus habeatur.

SVB MARCIANO.

CHALCEDONENSIS.

TEmpus synodi frequentissimæ & celeberrimæ Chalcedonensis, ab alijs aliter annotatum reperitur. Sigebertus in annum Christi reijcit quadringentesimum quinquagesimumtertium. Marianus Scotus, Palmerius, & alij, in annum Christi quadringentesimum quinquagesimumquartũ: quo tempore consulatum gesserunt Romę Opilio & Vincemalus, anno altero aut tertio imperij Marciani. Sunt qui in annum producunt Christi quadringentesimum quinquagesimumquintum, inter quos est Nauclerus. Occasio fuit, quòd post exactam impiam illam & sceleratam synodum secundam Ephesinam, Imperatorem Marcianum, de ecclesiæ tranquillo statu piè alioqui & sapienter cogitantem, accesserunt (quemadmodum Euagrius retulit) legati Leonis Romani episcopi, qui propter uiolentas Dioscori actiones, è synodo Ephesina pedem retulerant: & non lectam fuisse in ea synodo Leonis epistolam, sinceræ fidei doctrinam continentem, conquesti fuerant. Quanquam Zonaras Leonem ipsum cum Anatolio Constantinopolitano episcopo ab Imperatore petijsse scribit, efficeret ne Dioscori & Eutychis blasphema dogmata inexcussa relinquerentur: tum quòd & illi qui à Dioscoro contumelijs affecti fuerant, Imperatorem adierunt, & ut causæ eorum in synodo dijudicarentur petierunt. Venit item Eusebius Dorylæi episcopus, iniurias, quibus à Chrysaphio ipse & Flauianus affecti, ac per contumeliam depositi fuissent, explicans: inter cætera uerò maximè exaggerans, quàm miserabili modo Flauianus trucidatus esset. Addit his causis Leo epistola quadragesimaquarta ad Marcianum Imperatorem, accepisse se ex Anatolij literis, permultos in synodo Ephesina Dioscori factione compulsos, ad consentiendum impijs eius statutis, nunc ueniam postulare, & communionem expetere: quorum habenda ratio, & synodus congreganda sit.

Imperatores igitur Marcianus & Valentinianus, ipsæ etiam Augustæ, re sæpius per literas cum Leone archiepiscopo Romano communicata, missis ad omnes ubique locorum episcopis, Synodum indicunt apud Niceam: quò ipsos se uenturos pollicentur, nisi negocijs publicis impediantur. Literarum eius sententiæ exempla in uolumine Conciliorum extant. Sed cum propter longinquitatem uenire Niceam (ubi quidem collecta nonnulla fuerat Synodus, & Leo etiam ipse, quantum ex narrationibus in uolumine Conciliorum animaduerti potest, eò accesserat) non possent, admoniti à legatis Romani episcopi Imperatores, synodum Chalcedonem transferri mandant. Extant eius rei epistolæ Imperiales duæ in uolumine Conciliorum.

Conuênit igitur Chalcedoni frequentissima synodus episcoporum, ex omnibus terris. Mittit eò Leo legatos suos, seu uicarios, Paschasianum episcopum, Lucentium, Bonifacium, Basilium presbyteros, & fratrem Lucianum, quemadmodum in epistola ad Marcianum indicat. Venit eôdem & Anatolius Constantinopolitanus, Dioscorus Alexandrinus, Iuuenalis Hierosolymitanus, et reliqui numero sexcentorũ triginta: quibus è senatu primates adduntur, inspectores, magister militum Anatolius, præfectus sacrorum prætoriorum Palladius, præfectus urbis Tacianus, magister sacrorum officiorum Vincemalus, Martialis comes Sporarum, comes rerum priuatarum Generhlius, præfectus prætorij Florentius, Senator Patricius, consul ordinarius & patricius Nonnius, præfectus & consul ordinarius Protogenes, præfectus Zoilus, præfectus urbis Theodorus & Apollonius, præfectus sacri cubiculi Romanus, prçfectus Illyrici Theodorus, præfectus prætoriorũ Constantinus, præpositus sacri cubiculi Artaxerxes, præfectus Illyrici Eulogius.

Consessus primus.

Venit in Synodum Imperator Marcianus ipse, cum regina Pulcheria Augusta, qui episcopos, posteaquam ante cancellos altaris in Euphemię martyris templo consedissent, eiusmo-

eiusmodi oratione allocutus est. Possum de me ego, patres reuerendi, id ingenuè testari, mihi cum ad Imperiũ ueniissem primùm, maiori tum curæ, tum solicitudini, tum studio fuisse nihil quicquã, quàm ut efficere mea diligẽtia possem, quò uera & recta Christianorum fides, in omnibus ubiq; terrarum locis, salua & incorrupta conseruaretur. Quæ causa fuit, ut in Synodum hanc uos exciuerim, de qua iusta & bona omnia mihi polliceor: præstituros scilicet uos, ea qua debetis fide & diligentia, ut fidei Christianæ ueritas, repurgata à nebulis & errore quorundam uanissimorum hominum, qui uel auaricia uel ambitione profana dogmata sparserunt, integritati suæ restituatur. Quod ut factu uobis facilius sit, legem uobis ꝓpono, ne quis aliter de persona Saluatoris & Domini nostri IESV Christi disputare ausit, quàm uti in formula fidei trecentorum octodecim Niceæ quondam definitum est. Postremò, quod ad me attinet, neminem uestrũm aliter existimare uelim, quàm in synodum uestram uenisse me, non ostentandæ alicuius uirtutis aut potentiæ gratia, sed ut mea præsentia fidei confirmationem promoueat: & si quæ subiecta fuerint disidia, mea autoritate temperentur & sileſcant, &c.

Est & Leonis Romani episcopi epistola ad synodũ Chalcedonensem, in qua eam hortatur, ut secundũ Scripturarum regulam de doctrina iudicent. Est in ordine epistolarum Leonis quadragesimaseptima.

Ad actiones deinde synodus procedit, quibus præsunt uicarij Leonis. Hi Dioscorum confessu excludi uolunt, ut cui non iudicis persona, quam præter æquum & iustum antea usurpasset, agenda, sed iudicium suis factis dignũ sustinendum sit. Synodi igitur cognitione Dioscorus in medio consistere iubetur. Prodit tum Eusebius, Dioscorum his uerbis accusans: Iniuriam passus sum à Dioscoro, iniuriam passa est fides: occisus est Flauianus episcopus, atque unà meum per iniuriam ab illo depositus. Postea supplicationis literas ad Imperatorem legi petit, quæ ad hunc modum habent:

Maiestatis uestræ scopus est, cunctis quidem subditis uestris prouidere, & omnibus iniuria affectis porrigere manum: potissimùm uerò illis qui sacerdotio funguntur. Hac enim in re Deus colitur, à quo uobis cõcessum est, ut in orbe regnetis & imperetis. Itaque quoniam fides in Christum multa ac grauia mala præter fas & æquum, & nos quoque à Dioscoro religiosissimo magnæ Alexandriæ episcopo, perpessa est, pietatem uestram appellamus, orantes, ut quod æquum est obtineamus. Est autem hæc causa, de qua querimur. In synodo quæ recens in Ephesiorum est celebrata metropoli (quæ utinam congregata non fuisset, nec orbis malis hisce & perturbatione repletus esset) damnatus iste Dioscorus, nulla habita nec æqui nec timoris Dei ratione, cum Eutyche uana & hæretica sentiens, cum id multos celasset, tandem seipsum prodidit: & occasione sumpta ex eo, quòd Eutychen homodoxon ipsius accusaui, & quòd sententia contra eum à Flauiano sanctæ memoriæ episcopo lata est, collecta inquietarum turbarum multitudine, & potentatu ad se per pecunias tracto, piam orthodoxorum religionem, quantum in ipso est, uastauit: & prauam monachi Eutychis opinionem, olim & initiò statim à sanctis patribus damnatam confirmauit. Quoniam igitur haud modica sunt, quæ contra fidem in Christum & nos temerè commisit, precamur, & supplicamus etiam Maiestati uestræ, ut iubeatis religiosissimum episcopum Dioscorum respondere ad ea, quorum ipsum accusamus: ad commentarios uidelicet qui contra nos sunt ab ipso facti, & in sancta Synodo lecti, per quos ostendere possumus, esse eum alienum ab orthodoxa nostra fide, & quòd hæresim plenam impietatis confirmarit, nosque iniustè deposuerit, & grauiter adflixerit. Peto igitur, ut sacris uestris ac reuerendis mandatis ad sanctam & œcumenicam Deo dilectissimorum episcoporum synodum missis, exigantur ea quæ nos & dictum iam Dioscorum concernunt, referanturque ad uestræ pietatis cognitionem cuncta quę gesta sunt, ac sistatur coram immortali uestro uertice. Hoc si obtinuerimus, indesinenter (ô augustissimi Imperatores) pro sempiterno uestro Imperio orabimus.

Hæc posteaquam lecta sunt, repetuntur ad postulationem Dioscori & Eusebij acta synodi Ephesinæ secundæ, quibus manifestum sit, non fuisse in ea synodo lectam epistolam Leonis. Probatur etiam, Dioscorum subscriptiones episcoporum contra Flauianum extorsisse. Accusatur Dioscorus, quòd præter blasphemam & cum Eutyche communem sibi de Christo opinionem, Flauianum crudeliter occiderit. Excusant se uerò, ac errasse confitentur, qui in synodo Ephesina à Dioscoro coacti, in Flauiani damnationem subscripserant. Synodus tamen decernit, depositione mulctandos esse eos, quorum in synodo Ephesina primæ fuerant partes, Dioscorum scilicet Alexandrinum, Iuuenalem Hierosolymitanum, Thalassium Cæsariensem, Eusebium Armeniæ episcopum, Eustathium Berytanum, & Basilium Seleuciæ Isauriæ episcopos. Cui decreto acclamant Orientales, iustum

iustum esse iudicium, occisorem à Christo depositum, martyres Christum ultum esse, Dioscori scilicet depositionem approbantes. Nam pro cæteris quinq; episcopis Synodum intercessisse, motuum maiorũ uitandorum causa, Liberatus narrat. Item gesta etiam Ephesinæ primæ synodi, & Constantinopolitanæ, uolumen Conciliorum lecta fuisse indicat, ac denuò dãnatos Eutychen & Nestorium. Atq; his omnibus transactis, synodi senatus iubet singulos episcopos fidem suam separatim exponere, secundum expositionem trecentorum octodecim patrum Niceæ, & quindecim Constantinopoli: deniq; secundum traditiones sanctorum patrum Gregorij, Basilij, Hilarij, Athanasij, Ambrosij, ac iuxta duas epistolas Cyrilli in Ephesina prima synodo uulgatas. Tantum in primo consessu actum est.

Consessus secundus.

In secundo consessu, qui ad sextũ fuit Idus Octobris, repetita sunt in primo consessu acta, hoc ordine. Exhibet pro se & Flauiano libellos Eusebius, quibus Dioscorum accusat, quòd cum Eutyche sentiat, atq; ipsos deposuerit, relatis in commentarios uerbis aliquot, in Synodo tum non dictis: atq; effecerit, ut chartis in quibus nihil scriptũ fuisset, episcopi subscripserint. Petit item à Synodo, ut gesta synodi secundę Ephesinæ abrogentur: ipse restituatur, blasphemũ Dioscori dogma anathemate feriatur: & aduersarius Dioscorus, qui post primã actionem in Synodum deinceps nõ uenit, in medium accersatur, quod & Anatolius censuit.

Vocatur igitur Dioscorus primùm per episcopos Constantinum Bostrensem, Atticum Zelensem, Acacium Ariarathinum, & Hymerium lectorem & notarium: secundò per episcopos Pergamum, Cecropiũ et Rufinum: tertiò per episcopos Francionem, Lucianum & Ioannẽ, & Palladiũ notariũ. Sed custodiri primùm se, ne quò exeat, respõdet: deinde morbum simulat: tertiò uerò ab Imperatore obtineri postulat, ut principes & senatus Synodo adsint.

Veniunt interea Alexandria Chalcedonẽ Theodorus & Ischyron diaconi, & Athanasius & Sophronius presbyteri Alexandriæ, ut eos Conciliorum liber nominat, cum aliquibus ex plebe, qui libellos Synodo exhibent, accusationes in Dioscorum continentes partim blasphemiarum, partim ereptionis uiolentę facultatũ. Vocatur igitur postremò Dioscorus per Synodi epistolam, sed uenire recusat. Ad quam contumaciam deponitur, promulgantib. Synodi cõcordi cõsensu, Leonis uicarijs sententiã, ad eũ modum:

¶ Manifesta facta sunt, quæ Dioscorus magnæ Alexandriæ episcopus, contra ordinem Canonum, Ecclesiasticam constitutionem, & ea quæ iam in primo consessu indagata, & ad hunc usq; diem gesta sunt, temeritate sua præsumpsit. Hic enim, ut alia multa taceamus, Eutychen, quo cum sentit, canonicè ab episcopo suo, beatę memoriæ Flauiano patre nostro & episcopo depositum, propria autoritate, contra Canones, ad communionem recepit, antequam ea de re in Ephesina synodo cum Deo dilectis episcopis consultaret. Verùm illis Apostolica sedes, super ijs quæ contra animi sententiam egerũt, ignouit: qui etiam ad hunc usq; diem sanctissimo episcopo Leoni, & toti sanctæ & œcumenicæ Synodo adhærent. Ob quam causam etiam eos, tanquam eiusdem fidei consortes, ad communionem recepit. Hic autem ad præsentem usq; diem in illis gloriatur etiã, de quibus ingemiscere & ad terram usq; incuruari debebat. Prętera nõ permisit etiã, ut epistola beati Leonis papæ ad Flauianum legeretur, quamuis ad hoc sæpenumero admonitus esset ab illis qui eam attulerant, & lecturũ se illã iuramento quoq; promiserat: cuius lectio negata ac detrectata, offendiculis & detrimento sanctissimas Ecclesias per orbem adimpleuit. Attamen quamuis talia ab illo præsumpta essent, hoc spectabamus, ut de priore iniqua illius actione clementiam aliquam sortiretur, sicut & Deo dilecti episcopi hortabantur: etiamsi autoritatem huius rei non ex æquo haberent. Verùm quoniam posterioribus factis priore iniquitatem excesserit, ita ut & contra sanctissimum & pientissimum Leonẽ magnæ Romæ archiepiscopum excommunicationem pronunciare ausus sit, ac præterea libellis plene oblati sint: deniq; semel, secundò ac tertiò à Deo dilectis episcopis canonicè uocatus, non obediuit, à propria uidelicet conscientia compunctus, adhæc à uarijs Synodis legitimè depositos contra leges susceperit, ipse contra seipsum sententiã protulit, dum multifarias Ecclesiasticas leges proculcauit. Vnde sanctissimus ac beatissimus Leo magnæ ac ueteris Romæ episcopus, per nos ac præsentem synodum, unà cum beatissimo & gloriosissimo apostolo Petro, qui petra & basis est catholicæ Ecclesiæ, & fundamentum orthodoxę fidei, episcopali eum dignitate priuauit, & ab omni sacerdotali energia alienũ constituit. Itaq; sancta ista & magna Synodus, ea contra dictum Dioscorum pronunciat, quæ à Canonibus sunt decreta.

De his omnibus à Synodo ad Imperatorem refertur, cuius autoritate Dioscoro formula depositionis mittitur, ad hũc modum scribens: Scias te propter diuinorum canonum contemptum, & inobedientiam ergà sacram

sacram hanc & œcumenicam Synodũ, qua præter alia delicta, in quibus deprehensus es, tertiò à sancta hac & magna Synodo, secundum Canones, ut ad accusata responderes, uocatus non occurristi, mense Octobris, à præsente, decimatertia die mensis, à sancta & œcumenica Synodo ab episcopatu depositũ, & ab omni Ecclesiastico iure esse abalienatum. Quæ sententia ad clerum etiam & populum Alexandrinũ scribatur, ne quis scilicet Dioscorũ pro episcopo habeat, sed pro abiecto in perpetuum.

Dioscorus igitur in exilium damnatus, in Gangrena Paphlagonum ciuitate manere iubetur. Præterea hæc promulgatio de Dioscori condemnatione ad diuersos missa est: ut edictum ad populum Chalcedonensem & Constantinopolitanum, epistolæ ad Pulcheriam Augustam missę, & Imperatorũ etiam edicta, atq; acta synodi cõfirmant.

Confessus tertius.

3. Idus Octobris, cum quę in superioribus confessibus acta fuissent, repetita essent, Synodus ad constitutionem processit de fide, hoc ordine. Iussi sunt episcopi singuli in medium prodire, ac fidem suam exponere: ubi Florentius Sardensis episcopi deliberationem petijt. Cecropius uerò Sebastopolitanus episcopus, in synodo publicè professus est, fidem Nicenam comprobatam à sanctis patribus, Athanasio, Cyrillo, Celestino, Hilario, Basilio, Gregorio, recens uerò à Leone quoque confirmatam, rectam esse. Quæ cum lecta fuisset, Synodus adclamauit, fidẽ eam orthodoxorum esse, sic sese omnes credere. Lecta deinde fides est synodi Constantinopolitanæ centum & quinquaginta episcoporũ, ob quam rursus episcopi exclamarunt: Est hæc etiam orthodoxorum fides, sic credimus omnes. Nicephorus, & uolumen Conciliorum, fidem etiam Ephesinę prioris Synodi lectã fuisse, & confirmatã, ostendũt.

Post hæc Aetius archidiaconus duas protulit Cyrilli epistolas, alteram ad Nestoriũ, alteram ad Iohannem Antiochenum, confirmatas episcoporum subscriptionibus, in synodo Ephesina: quas legi petijt, ac Synodo deinde approbante recitauit. Ex quarum priore quædam de naturis in Christo ad uerbum sic habent. Dixit sacra & magna Synodus, ipsum filium ex Deo & patre secundum naturam genitum, unigenitum, Deum uerũ ex Deo uero, lumen de lumine, per quẽ omnia condidit pater, descendisse, incarnatum, hominem factum, passum, resurrexisse tertia die, & ad cœlos ascendisse. Istis seruire oportet, cogitantes quid declaret Deum monibus ac paradigmatibus & nos adhærere. Verbum incarnatum esse & hominem factũ. Haud enim Verbi naturam carnem esse factã, neq; in totum hominem, qui ex anima constat & corpore, mutatum esse: sed hoc magis dicimus, quòd uerbum sibijpsi carnẽ anima rationali uiuificatam, secundum hypostasin, indicibili & incomprehẽsibili modo adunarit, homoq; factum, & filius hominis appellatum sit: idq; non modò secundũ uoluntatem ac placitum, neq; tanquam in assumptione solius personę. Et licet differentes inter se naturæ in ueram unitatem coierunt, quòd unus tamen ex utrisq; sit Christus ac filius, nõ sic ut naturarum sit propter hanc unitatem sublata differentia, sed ut illę magis consummatum nobis unum Dominum Christum & filium, arcano & inenarrabili diuinitatis & humanitatis concursu cõstituant. Et paulo pòst: Quoniam uerò propter nos & nostram salutem unita sibi secundum hypostasin humana natura, prodijt ex muliere, eam ob causam carnaliter etiam natus esse dicitur. Non enim primũ homo uulgari modo natus est ex sancta uirgine, atq; ita demum uerbum illi accessit: sed ex ipsa matre coadunatus, carnis natiuitatem sustinuisse sic dicitur, ut proprię sibi carnis generationem appropriarit. Sic illum & passum dicimus, & resurrexisse, nõ quòd in propria natura uerbum illud Dei uel plagas, uel clauorum fissuras, uel reliqua uulnera pertulerit (est enim numen expers passionum, tanquam incorporeum:) sed quoniam corpus illud, quod proprium illius est factum, ista perpessum est, dicitur & ipsum illa pro nobis esse passum. Erat enim impassibile, in corpore passionibus obnoxio.

Lectum deinde testimonium Iohannis Antiocheni est, omnibus suffragijs à Cyrillo approbatum, quod sic habet. Confitemur sanctam uirginem θεοτόκον, propterea quòd Deus uerbum carnem ex illa accepit, & homo factus est, & ex illius conceptione templum ex ea assumptum sibijpsi coadunauit. Ex Euangelicis autem & Apostolicis de Domino uocibus scimus, uiros diuinos, alias quidem communes tanquam ad unam personam pertinentes, alias uerò diuisas, utpote ad duas naturas pertinentes, constituisse: & Deo cõuenientes secundum diuinitatem Christi, humiles uerò iuxta humanitatem illius tradidisse. Quibus subiecit: Cum in hasce sacras uoces incidimus, sic & illos sentire inuenimus. Est autem unus Dominus, una fides, & unum baptisma. Quibus uerbis Synodus adclamauit: Omnes sic credimus: anathema diuidenti pariter, & confundenti.

Lecta post hæc & Leonis est epistola ad Flauianũ, expositionem continens fidei, aduersus Nestoris & Eutychis hæresim. cui lectioni episcopi iterum acclamarunt: Est hęc

fides patrum, est hæc fides Apostolorum, sic omnes credimus. Cum autem ad quasdam explicationes Illyrij & Palęstini hæsitarent, alijs planioribus dictis ex Cyrilli expositionibus confirmati, consenserunt. Solus Atticus Constantinopolitanus episcopus dilationem petijt, & dari sibi iussit epistolam Cyrilli ad Nestorium. Anatolius postremò ex ijs qui subscripserant professioni fidei, quosdam elegit, qui aut dubitantibus, aut non satis instructis de fide, explicationes conderent. Acclamarunt uerò Orientales, Ægyptij, & Illyrij omnes: Sic credimus, Aegyptio uerò exilium decernimus, Dioscorum exilio, hæreticum exilio, Dioscorum Christus deposuit.

Summam uerò expositæ in hoc consessu, & confirmatæ doctrinæ, his uerbis Zonaras retulit· Sancto Symbolo confirmato, anathemate eos notarunt, qui filios binos statuerent, & diuinitatem passibilem esse asserent, quiq; temperamentum & confusionem duarum naturarum sentire & profiteri auderent, aut duas naturas in Christo ante unionem, aut unam post unionem confingerent: quique formam à Domino ex nobis assumptam, uel cœlestem uel alterius naturæ fabularentur. Statuerunt autem, IESVM Christũ Dominum nostrum perfectum esse in diuinitate, & perfectum in humanitate, uerè Deum & uerè hominem, qui anima ratione prædita & corpore constet, eiusdem cum patre naturæ secundum diuinitatem, eiusdem naturæ nobiscum, & similem per omnia nobis, peccato excepto: qui unus & idem in duabus naturis citra confusionem, citra mutationem, citra diuisionem, citra separationem agnoscatur, seruatis utriusq; naturæ proprietatibus, & in unam personam & unam hypostasin conspirantibus.

Consessus quartus.

In quarto consessu, qui ad XVI fuit Calendas Nouembris, Senatus primùm ab episcopis quærit, utrum fidei trecentorum ac decem & octo patrum Nicenorum, centum item & quinquaginta Constantinopolitanorum, quam Synodus profiteatur, Leonis epistola congruat? Vbi ab omnibus respondetur, Congruere. Igitur subscriptiones à consentientibus petuntur. In synodum deinde intromittuntur duodecim episcopi Ægyptij, eorumque fides exhibita Imperatoribus recitatur, quæ sic ad uerbum habet· Pijssimis ac Christi amatoribus, nostris Imperatoribus, Flauio Valentiano, & Flauio Martiano, uictoribus ac triumphatoribus semper Augustis, ab omnibus episcopis Ægyptiacæ uestræ regionis. Quæ à principio tradita est nobis à sanctissimis & spiritualibus patribus orthodoxa fides, à sancto euangelista Marco, & ubique audito episcopo & martyre Petro, & sanctis patribus nostris Athanasio, Theophilo, sanctissimæ memoriæ Cyrillo: & nos seruamus, & confessionis eorum sumus discipuli. Eam colimus, & secundum eam sapimus: sicut & trecenti decem & octo qui in Nicea, & beatus Athanasius, & qui sanctis connumeratur Cyrillus exposuerunt: anathematizantes omnes hæreses & Arrij, & Eunomij, & Manichęi, & Nestorij: & illos qui dicunt, è cœlo carnem Domini nostri fuisse, & non ex sancta Dei genitrice uirgine Maria, ad similitudinem omnium nostrũm sine peccato: super hæc, & omnes hæreses quæ extra Ecclesiam catholicam sapiunt & docent. Synodus postea ab ijsdem episcopis Ægyptijs postulat, ut Leonis epistolæ subscribant, & Eutychen damnent. Ibi diu reluctantur, acrius tamen synodo urgente, Eutychen tandem condemnant: sed Leonis epistolæ posse se subscribere negãt, quia episcopus Alexandrinus, à quo uniuersę Ægyptiorum ecclesiæ, ex autoritate & constitutione Nicenorum decretorum pendeant, iam nullus sit, & quia omnium Ægyptiorum episcoporum personas ipsi non sustineant. Intercedunt igitur pro ijs iudices & Senatus, & obtinent ut subscriptionem illis differre usque ad ordinationem archiepiscopi Alexandrini licere, synodus decernat, traditis interim ab ipsis fideiussoribus. Eutychis ad Alexandrini usque episcopi ordinationem concessam illis fuisse, retulit.

Leguntur post illa monachorum supplicationes ad Imperatorem, de cogenda uniuersali Synodo, subscriptiones etiam contra Eutychen tergiuersantium: ex quibus Barsumas archimandrita, ut homicida Flauiani, reijcitur: cum Diogenes Cizycenus episcopus palàm exclamasset, Barsumam interfectorem esse Flauiani. Quæ cum episcopi audissent, omnes simul exclamarunt: Vniuersam Syriã Barsumas perdidit, & incitauit in nos mille monachos, ut nobis præscriberet. Perguntrogare monachi, ut libelli exhibiti ab ipsis in Synodo legãtur: quibus inter cætera illud inest, Dioscorum cum episcopis suis in ipso debere adesse cõsessu, sed ad quod Synodus: Anathema (exclamat) Dioscoro, Dioscorũ Christus deposuit, proijce istos foràs, tolle cõtumeliam à synodo. Quibus obsistẽtes monachi, reclamant: Tolle contumeliam à monasterijs.

¶ Leguntur itaq; libelli reliqui, quibus continebatur, depositionem Dioscori prætium, fas atque æquum factam esse: ac iustum esse, ut fide sua exposita confessui ipse interesit. Quod nisi fiat, inquiunt, excussuros se ecclesiæ

se uestimenta sua à communione congregatorum episcoporum. Quibus Aetius archidiaconus canonem Antiocheni concilij opposuit, de separantibus seipsos à communione, sic habentem: Si quis presbyter aut diaconus suum contemnens episcopum, à communione semetipsum suspendit Ecclesiæ, & secretius collectam fecerit, & altare constituerit, & noluerit euocanti episcopo consentire, & noluerit eidem acquiescere, neque obedire & prius & secundò uocanti: hunc omnino damnare, nec unquam hunc curationem mereri, nec recipere eum posse honorem ordinamus. Si autem permanserit turbas faciens, & seditiones Ecclesiæ, per extraneam potestatem, tanquam seditiosum debere corripi. Cum rursus mona chi interrogatis episcoporum repugnachen damnarent, alij uerò recusarent, se rent, & in synodo alij Nestorium & Eutyconsentire respondentes fidei Nicenæ atq; Ephesinæ: decretum est à principibus, ut Fausti & reliquorum monachorum supplicatio nes legerentur, quibus ab Imperatore petebant, ne posthac reciperentur illi monachi, qui antea rectis essent dogmatibus aduersati. Ad quæ Dorotheus monachus Eutychen excusat, orthodoxum eum, passumque iniuriam dicens. Quamobrem post multiplices dogmatis Eutychis confutationes, iussus à synodo fidem suam edere, tandem pronunciat, se profiteri fidem Niceæ atque Ephesi traditam.

Confessus quintus.

Celebratur Confessus quintus ad xi Calendas Nouembris, disputatur in eo de fide, cui plerique consentiunt, sed quæ in acta tamen non refertur. Fit mentio depositionis Dioscori, quam Anatolius ait non esse factã propter fidẽ: sed eam ob causam, quòd Leonem excommunicarit, ac tertiò in synodum accersitus, per contumaciam uenire recusarit. In ea disputatione, cum ad Imperatorẽ res esset relata, edixit is, ut sex Orientales episcopi, tres Pontici, tres Asiatici, tres Thraces, ac tres Illyrici, Anatolio præsente, ijsq; qui à Romano essent episcopo missi, in oratorium Martyris conuenirent, ac de fide recta statuerent. Egressi illi ex martyrio, Anatolius scilicet, legati Leonis, Maximus Antiochenus, Iuuenalis Hierosolymitanus, & Thalassius Cæsariensis, determinationem complectentem formulas in synodo Nicena, Constantinopolitana & Ephesina prima traditas, assertionem uerè duarum in una Christi persona naturarum, promulgarunt, sic habentem:

¶ Dominus noster ac seruator IESVS Christus, cum fidei cognitionem discipulis confirmaret, dixit: Pacem meam do uobis, pacẽ meam relinquo uobis. Ne quisquam igitur à proximo suo in dogmatibus pietatis dissentiat, sed prędicatio ueritatis ex æquo promulgetur, &c. Et post illa lecto sancto Niceno symbolo, unà cum ijs quæ à centum quinquaginta sanctis patribus decreta sunt, subiunxerunt: Sufficeret quidem ad perfectam pietatis cognitionem & confirmationem, sapiens hoc & salutiferum diuinæ gratiæ Symbolum. etenim perfectè de patre, filio & spiritu sancto docet, & incarnationem Domini cum fide illam accipientibus tradit. Verùm quoniam inimici ueritatis, qui prædicationem hanc reprobare conantur, per hæreses suas uocum nouitates peperegerunt: & alij mysterium Dominicæ dispensationis corrumpere ausi, uoculam Theotocos in uirgine negarunt: alij confusionem & commixtionem naturarum introducentes, unam carnis ac diuinitatis in Christo naturam confingunt, & diuinam unigeniti Dei naturam per confusionem passibilem esse portentosè nugantur: ob eam causam præsens hæc sancta, magna & œcumenica Synodus, omnis generis machinationem aduersus ueritatem excogitatam excludere uolens, ut prædicationem ueritatis ad immotam certitudinem asserat, præcipuè sanctorum trecentorum & decem octo patrum fidem inconcussam manere debere statuit.

Et præterea doctrinam eam confirmat, quæ propter hostes Spiritus sancti posterioribus temporibus à centum quinquaginta patribus in urbe Imperiali congregatis, de essentia spiritus tradita est, quam illi omnibus manifestarunt: non ut aliquid præcedentibus, quod illi neglexerint, adijcerent, sed ut quędam illorum de Spiritu sancto circa dominium illius sacræ Scripturæ testimonijs illustrata confirmarent. Propter eos autem qui mysteriũ dispẽsationis Christi ausi sunt corrumpere, & eum qui ex sancta uirgine natus est, nudum hominem impudenti cõtumelia asserunt: beati Cyrilli, qui Alexandrinæ Ecclesiæ pastor fuit, synodales epistolas quas ad Nestorium, deinde & quas ad Orientis episcopos scripsit, accommodas existentes suscepit, cùm ut Nestorij uæsania redargueretur: tum ut expositio daretur illis, qui pro zelo salutiferi symboli intelligentiam desiderabant. quibus etiam beatissimi ac sanctissimi Leonis, maximæ ac ueteris Romæ archiepiscopi epistolam, ad Flauianum beatæ memoriæ archiepiscopum, ad extinguendam prauam Eutychis opinionem scriptam (magni Petri confessioni conuenientem, & communis cuiusdam columnæ uice aduersus malè sentientes existentem) haud immeritò ad confirmandum recta dogmata adiunxit. De-

certat enim contra eos, qui mysterium dispensationis Christi in duorũ filiorum dualitatem (ut sic dicam) diuidere conantur: & eos qui diuinitatem unigeniti Dei passibilem dicere non uerentur, sacerdotum concilio retundit, ac illis resistit qui duarum naturarum in Christo commixtionẽ aut cõfusionem excogitant: deniq; & eos expellit, qui formam serui ex nobis à Christo acceptam, ex cœlesti aut alia quapiam substantia desumptam esse per errorem nugantur: ad hæc, & eos qui ante coadunationem quidẽ duas in Christo Domino fuisse naturas fabulantur, post unionem uerò unam duntaxat comminiscuntur, anathemate damnat. Sanctos itaq; patres sequentes, unum & eundẽ confitemur filium Dominum nostrũ IESVM Christum: & concorditer docemus omnes, esse eum perfectũ in diuinitate, & eundem perfectum esse in humanitate, uerum Deum & uerum hominem eundem ex anima rationali et corpore, coessentialem patri secũdum diuinitatem, & coessentialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similẽ, dempto peccato, ante secula genitũ ex patre secundum diuinitatem, postremis uerò diebus propter nos & propter nostrã salutem ex Maria uirgine & deipara secundum humanitatem unum & eundem IESVM Christum filium Dei, Dominum & unigenitum in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, indiuulsè & inseparabiliter manifestatum: haudquaquam differentia naturarum propter unitatẽ sublata, sed magis utriusq; naturæ in unam personam & unam hypostasin concurrentis proprietate seruata: non ut in duas personas bipartiatur aut diuidatur, sed ut sit unus & idẽ filius unigenitus, Deus uerbum, & Dominus IESVS Christus, sicut olim prophetę de illo uaticinati sunt, & ipse nos Christus instruxit, ac patrũ nostrorum Symbolum tradidit. Quibus lectis, acclamatum ab omnibus est: Omnium patrũ hęc est fides, metropolitæ iam subscribant, Apostolorum est hęc fides, hãc cuncti sequamur, omnes sic sentimus. Post quæ omnia Synodus decernit, ea quæ constituta essent à patribus, atq; ab omnibus probarentur, ad Imperatorem oportere referri.

Consessus sextus.

Consideratur sextò in Synodum, VII Calendas Nouembris: cui consessui Imperator ipse interest, cum Augusta: ac synodum duabus orationibus idem monentibus, græca altera, latina altera alloquitur, eadem prorsus sententia qua in primo consessu ad episcopos usus fuerat: se nimirum nec ambitionis alicuius, aut potentiæ ostentandę causa, sed ad fidei confirmationem in synodũ uenisse. Hortari se igitur consessum, ut de fide consentientes constituant sententias, quibus cõtrà possit iri deprauationibus nuper ab auaris, ambitiosis, & curiosis aliquot pessimi exẽpli hominibus excogitatis, ac multorum cum uulnere dissipatis. Se igitur operam daturum, ut quæcunq; à synodo piè ac decenter constituta sint, in perpetuum rata maneant.

Posteaquam dicendi finem Imperator fecit, Aetius archidiaconus Constantinopolitanus ei breuiter exponit, quid in synodo hactenus actum sit, atq; ad monumenta & commentarios actionum eum remittit: deinde determinationem illã seu fidei formulam, cuius initium est, DOMINVS & seruator noster, &c. ei prælegit. Ea utrum secundum omnium sit composita sententiam, & à Synodo tota approbata, Imperator quærit: cui ab omnibus respondetur, Sic se credere. Post hæc edictum Imperatoris proponit, in eam sententiam. Quoniam exposita nunc est & declarata pia & catholica fides à sancta & uniuersali synodo secundum Apostolorum & patrum orthodoxorum traditionem, iustam me rem, utilem ac necessariam factu rum arbitror, si deinceps quamcunque de fidei religione disputandi occasionem amputem & coerceam. Mando igitur atque edico, ne quis seu plebeius, seu militaris, seu clericus, de fide publicè aliquid moueat: pœnas simul constituens, plebeijs exilium, militaris autẽ uel senatorij ordinis hominibus & clericis amissionem gradus ac dignitatis suæ, & pœnas alias.

Tria deinde Imperator rursus synodo proponit, de quibus promulgari à synodo decreta postulat. Primum: Ne quod ædificetur monasterium, præter uoluntatem episcopi ciuitatis: quòd multi sub uitæ solita riæ prætextu & ecclesias & politias perturbent. Item: ut per singulas ciuitates & prouincias monachi subiecti sint episcopo, ieiunio atq; orationi uacantes, nihil uerò importuni aut ecclesiasticis aut publicis rebus mouentes. Secundum: ut quia clerici nonnulli & monachi studio pecuniarum mundanis sese negocijs immisceant, nemo deinceps clericus aut possessiones conducat, aut procurationes suscipiat, nisi sit ei ab episcopo iniunctum: pœna constituta, ordinis & dignitatis amissione. Tertium: Ne clerici relictis ecclesijs in quibus primùm ministrare cœperunt, in alias transeant: nec quis episcop⁹ desertores eos suscipiat, sub pœna excommunicationis. Indicat & Euagrius, constitutos in hoc consessu Imperatoris fuisse hortatu Canones, quos non explicat: illud solum monens, concessa fuisse Ecclesiæ Chalcedonensi iura metropolitana. Quibus omnibus confectis, hortatur episcopos

pos Imperator, triduum adhuc aut quatriduum ibi hæreant: facta potestate singulis, quæcunque uelint senatui Synodi proponendi.

Consessus septimus.

Septimi consessus diem, ut & sequentiũ, uolumen Conciliorum nunc confundit. ad 4. autem Calendas Nouembris frequentatum scribit, cum consessibus sequentibus VII & VI Calend. Nouembris tribuat. In eo quid actum sit, Euagrius nihil indicat, nisi quòd canones alios constitutos tradit, quorũ nullum explicat. Volumen conciliorum, compositas esse dissensiones inter Maximũ Antiochenum & Iuuenalem Hierosolymitanum episcopos (quod in octauum Euagrius uidetur reiecisse consessum) & adsciscias & Arabiam, Hierosolymitanæ uerò tres Palæstinas. Synodum postea decreuisse Domno, qui episcopus fuerit Antiochiæ, sumptus certos ac beneficia de ecclesia Antiochena, Maximo episcopo Antiochiæ permittente.

Consessus octauus.

In octauo consessu, Theodoretus episcopus Cyri (quem Dioscorus expulerat) sicut Liberatus narrat, iubetur damnare Nestoriũ. Respondet is: Venisse se in synodum propterea, quòd calumniam passus esset, quasi hæreticè docuisset, testificaturus de sua fide, quòd ut ab orthodoxis nutritus & edoctus fuisset, ita etiam orthodoxè docuisset: ac nõ Nestorium solum et Eutychẽ, sed & omnes non recte credentes auersetur. Iussus autem claris uerbis anathema Nestorio impingere, dixit: Anathema Nestorio, ijsque qui non dicunt Deigenitricem uirginẽ Mariam, & qui in duos filios partiũtur unum filium unigenitum. Ego autẽ & definitioni fidei subscripsi, & epistolę sanctissimi archiepiscopi Leo nis: sicq; sapio. Synodo igitur decernente, episcopatum suum recipit. Hoc ipsum uerò (ut & id indicemus) Liberato secunda est actio consessus septimi, Euagrio uerò consessus nonus.

Consessus nonus.

In nono consessu actum est de negocio Ibę Edessenorũ episcopi, quem Eutyches ut hæreticũ damnauerat: & Dioscorus, qui Violentiũ ab episcopatu suo remouerat. Lecta sunt quæ de eius innocentia in synodo quadam Tyri, Photius episcopus eiusdẽ urbis, & Eustachius Beryti prouinciauerant: sentiscilicet eum, citra eum errorem, cum synodo Nicena, Constantinopolitana, & Ephesina prima. Sed dilata est in proximum consessum exactior eius causæ cognitio. Hæc uerò Liberato tertia est actio septimi cõsessus, & Euagrio consessus decimus.

Consessus decimus.

Ibæ igitur causa in consessu decimo transacta est. Is enim orthodoxè sentire cognitus: & quòd Nestorium atq; Eutychen publicè damnasset, Ecclesiam suam recepit. Ad explicandã autem Ibæ causam, propter quã iniustè reiectus fuerat, recitantur acta synodi Berytensis sub Photio & Eustachio episcopis: in qua accusatus fuerat quasi Nestorianus esset, & Cyrilli aduersarius. Tum quòd aliquando dixisset: Non inuideo Christo facto Deo, in quantum & ipse factus est, & ego factus sum. Quas se uerò uoces emisisse Ibas in eo consessu constanter pernegat, approbans testimonia presbyterorum Edessenorum ad Photium & Eustachium, qui se eiusmodi uoces nunquam ex Iba audisse professi sunt: & ita absoluitur. Quod ad octauum consessum Liberatus retulit, Euagrius uerò ad undecimum.

Consessus undecimus.

In undecimo consessu decretum est, omnia quę in Synodo Ephesi secunda sub Dioscoro acta fuissent, pro irritis habenda esse: ac nec dicendum quidem illud concilium, excepta ordinatione maximi Antiocheni. Qua de re Imperatori synodus supplicauit, ut lege ediceret, nihil ex illis quę post primã apud Ephesum congregatam synodum, præsidente Cyrillo Alexandrino episcopo gesta essent, ratum esse, aut authenticum. Atq; hęc actio istius est consessus Euagrio. Conciliorum uolumẽ causam Stephanij, qui rec ẽs Ephesi episcopus designatus, Basianum ab Ebagensium ecclesia in Ephesinum translatum expulerat, actam in eodem consessu indicat, cui multa contentione utraq; prolixè probare conatus est, debere eum sibi episcopatum. Accusauit & uterque alterum, quasi malis artibus & per uiolentiam episcopatũ eum inuaserit. De quibus synodus tandem iudicauit, remouendos esse administratione sua utrunq;: determinatione tamen, propter diuersitatem sententiarũ in aliam actionem reiecta. Hoc nono consessui tribuit Liberatus.

Consessus duodecimus.

In sequente igitur consessu duodecimo Basiani & Stephani causa retractata est: præsidentibus Anatolio Constantinopolitano, & uicarijs Leonis episcopi Romani, quorum nomine sententiam in utrunque iudices pronunciarunt hoc modo: Quoniã placuit uniuersis interlocutio Anatolij regiæ Constantinopolis episcopi, & reuerendissimi Paschasini uicarij Leonis, præcipientium neque Stephanum neque Bassianum pro episcopo Ephesiorum Ecclesiæ

habendum esse, quia contra regulas episcopatum eum uterq; occupauit, uniuersa etiam sancta Synodus contra regulas ordinatos eos ostendit, remouebuntur quidem à sancta Ephesinorum ecclesia Basianus & Stephanus: habeant autem dignitatem episcopi, atq; ex radicibus eiusdem ecclesiæ, pro alimentis & sustentatione annis singulis accipiant solidos ducentos: aliter uerò secundum regulas eiusdem sanctissimæ Ecclesiæ ordinetur. Approbata ea sententia & forma est ab omnibus. Basiano tamen postulanti ut empta sibi restituerentur, Synodi decreto restituta sunt. Euagrius diuerse narrat, post excussam causam Basiani pronunciatum à Synodo fuisse, deponendum eum esse, & Stephanum Ephesinę ecclesiæ episcopum præficiendum. Hæc decimiquarti consessus actio est Euagrio, Liberato decimi.

Consessus decimustertius.

Vetus interceserat lis inter Eunomium episcopum Nicomediensem, & Anastasium Nicenum, uter eorum in sua ciuitate, quo iure metropolitano potestatem haberet ordinandi. In decimotertio igitur consessu, post longam concertationem, cum uterque testimonia & probationes in medium adferret metropolitanatus in sua urbe, ex literis Imperatorum Valentiniani & Valentis, Synodus tandem decernit, Nicomediam semper fuisse metropolim, ideoque ordinationem in prouincia Bithyniæ ad episcopum suum spectare Nicomediensem: Nicenum uerò episcopum, nomine tantum & honore metropolitani honorati.

Consessus decimusquartus.

In quartodecimo consessu Sauinianus Parensium episcopus accusat Athanasium, hominem præfractum, & in Synodo quadam Antiochena olim depositum, quòd à Dioscoro in Synodo secunda Ephesi alicuius sedem episcopatus sui petulanter inuaserit, se expulso indignis modis, magno cum luctu & dolore ecclesiæ Parensis. Exhibet ea de iniuria literas querelarum, scriptas ad Imperatores Valentinianum & Marcianũ: à quibus petit, ut causæ suæ cognitionem & iudicium concedant: Supplicationem item ad Synodum, qua iniuriam sibi à Dioscoro & Athanasio illatam exponit. Exemplain uolumine Conciliorum extant. Postea repetuntur acta concilij Antiocheni, à quo depositus fuerat propter contumaciam Athanasius. Tandem synodus Sauiniano sedem suam reddit, ad hunc modum pronuncians: Quoniam post depositionem Athanasij, ordinatus à prouinciali Synodo episcopus Sauinianus est, in Parenorũ ciuitatis episcopatu manere debet, quia ab altera tantum parte damnatus est, neque in Synodum uocatus, neque ei contradictum est. Athanasius uerò depositus, ut qui euocationibus in Antiochena synodo non obtemperarit primùm, deinde uerò præter leges, ab una scilicet Dioscori parte episcopatũ detinuit, quiescere debet. Hęc undecimo cõsessui Liberatus tribuit: quem admodum & promulgationem priuilegiorum collatorum ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ in decimum hunc quartum cõsessum Euagrius refert: & ab eo cõstitutum esse ait, ut sedes Constantinopolitana dignitate post Romam proxima sit.

Consessus decimusquintus.

Consessus decimusquintus, cautione pręmissa, ut ratæ habeantur singularum Synodorum constitutiones, canones sanxit uigintisex, hoc ordine & numero. 1. Ne propter præmia aut pecunias seu episcopus seu clericus quisquã ordinetur. 2. Ne episcopi, clerici & monachi reb. se policitis implicent, aut prædia aliena conducant. 3. Ne absque episcopi uoluntate monasterium quis aut oratorium construat: & ut monachi, episcopi imperio se subijciant, nec seu politicis sese negocijs seu Ecclesiasticis immisceant. 4. Ne clerici de ciuitatibus ad ciuitates transmigrent. 5. Ne presbyteri aut diaconi absolutè, sed in publicis locis ordinentur. 6. Ne qui semel sese clero aut monachatui dediderunt, ad alias dignitates promoueantur. 7. Vt clerici & monachi sub potestate se contineant episcopi. 8. Vt clericus cum alio clerico contendẽs, causam suam agat apud episcopum. 9. Ne in duarum ciuitatum ecclesijs clericus quisquam ministret. 10. Vt omnibus parentibus, Ecclesiasticis beneficijs opus habentibus, testimonij detur epistola, honestiorib. autem literę commẽdaticiæ. 11. Ne prouincia una in duos metropolitanos diuidatur. 12. Ne peregrini in alia ciuitate ministrent. 13. Ne quis ex hæreticis aut Iudæis matrimonium contrahat. 14. Ne diaconissa ante annum quadragesimum ordinetur: pro anathemate uerò habeatur, si nuptias expetierit. 15. Vt nec monachus, nec Deo consecrata uirgo, coniuges fiant. 16. Vt per singulas ecclesias parochiæ & possessiones episcopis possidentibus maneantimobiles, maximè ijs qui per annos triginta bene præfuerunt ecclesiæ. 17. Vt monachi uel clerici conspirantes contra episcopum, de gradu suo præcipitentur. 18. Vt bis per annum Synodus fiat. 19. Vt qui clericum alterum suscipit, à cõmunione suspendatur. 20. Ne clericorũ aut laicorum in episcopum accusatio suscipiatur, nisi famæ probatæ testimonium habeat. 21. Ne clericis liceat bona episcopi diripere. 22. Vt Cõstãtinopolim

nopolim confugientes, uel excommunicati, uel sine iussu episcopi, clerici, inde ad suas Ecclesias repellantur. 23. Ne Deo consecrata monasteria, secularia fiant habitacula. 24. Vt intra menses tres episcoporum fiant ordinationes. 25. Vt episcopi dispensatores habeant. 26. Vt abiectas rapientes uxores clerici, gradum suum amittant, laici uerò anathema fiant.

Consessus decimussextus.

In postremo consessu, legati Romani episcopi impugnant constitutionem, se absenti sedem episcopi Constantinopolitani: & contendunt, primatum unum semper penes ecclesiam fuisse Romanam. Damnant subscriptiones in eum canonem, easq; coactas esse dicunt. Quod uerò singuli eorum qui subscripserant, negant: ac se ultrò, non coactos subscripsisse affirmant. Decernunt igitur synodi iudices, primatum quidem & honorem præcipuum relinquendum esse episcopo Romano: attamen & Constantinopolitanæ ecclesiæ primatui nonnihil deferendũ, quia & fasciibus Imperij urbs ea ornata, & noua Roma dicta sit, ut potestatem habeat ordinandi metropolitanos in Asiana, Pontica & Thracia diœcesibus: ita tamen, ut metropolitanis cuiuscunq; prouincię liceat ordinare episcopos. Liberati contra prærogatiuam Romani primatus uerba adscribimus: Cum Anatolius consentiente concilio primatum obtinuisset, legati uerò Romani episcopi contradicerent, à iudicibus & episcopis omnib. illa contradictio suscepta non est. Et licet sedes Apostolica nunc usq; contradicat: quod à Synodo firmatum est, Imperatorio patrocinio permanet.

Legati autem Romani à Synodo petunt, suspendi id aut circumduci ad episcopi Romani usq; iudicium. cui petitioni Synodus non repugnat. Factis igitur & translactis omnibus, Imperatorem synodus allocuta, decretum pro fidei expositæ confirmatione ab eo postulauit, recitata priu s fidei formula. Sequitur uerò contra hæreticos Imperatoris cautio. Tantum de Chalcedonensi synodo tradunt, uolumen Conciliorum, Euagrius libro secundo, capite quarto & decimosexto, Liberatus Breuiarij capite decimo tertio, Zonaras in Marciano.

DE AVTORITATE SYNODI CHALCEDONENSIS, LEO ROMANUS EPISCOPUS IN EPISTOLA AD LEONEM AUGUSTUM.

O Pus prospiciendi, ut Euangelica doctrina quę ante Dioscorum Constantinopoli uiguit, unita cum totius Ecclesiæ pace reparetur, uirtutibus uestris gloriæq; conueniens, celerem & Deo placitum habebit effectum, si apud sanctam Chalcedonensem synodum de Domini Christi incarnatione firmata, nulla permiseritis retractatione pulsari. Quia in illo cõcilio per Spiritum sanctum congregato, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt, ut nihil ei regulæ, quæ ex diuina inspiratione prolata est, aut addi possit, aut minui.

CONSTANTINOPOLITANA.

MEminit actio quarta synodi Chalcedonensis, alterius cuiusdam synodi sub Anatolio archiepiscopo Constantinopolitano, quę uidetur Chalcedonensem aliquo interuallo antecessisse, in qua & anathematis damnatos refert, separantes à diuinitate carnem Domini & Dei saluatoris nostri IESV Christi, quam sibi adunauit de sancta Maria genitrice Dei, & non dicentes quę Deum docent, quæque conueniunt ipsius essentiæ, inconfusè & indiuisè, & sine conuersione. Volumen Conciliorum de synodo Chalcedonensi.

ALEXANDRINA.

REuersi qui in synodum Chalcedonensem cum Dioscoro uenerant, Alexandriam episcopi & presbyteri, posteaquam damnationi Eutychis & Dioscori subscrissent, synodum conferunt cum nobilibus ciuitatis, in qua de eligendo Dioscori successore deliberarunt. Post multam uerò disceptationem, cum plerique, quòd in uiuis adhuc Dioscorus esset, substituendum ei neminem iudicarent, communibus tandem suffragijs Proterius electus est. Liberatus capite decimoquarto.

ARELATENSIS TERTIA.

CElebrata est Arelatensis tertia synodus cõsulatu Opilionis & Vincomali, quod est anno Christi quadringẽtesimo quinquagesimoquarto, Marciani Imperatoris anno tertio, secundum Marianum ab episcopis trigintaquatuor, occasione solicitudinis sacerdotum Domini, de seruandis canonibus Ecclesiasticis. Cõstituerunt igitur primùm, ut diacones ante annos uigintiquinque, & sacerdotes ante triginta non ordinentur. Secundò, ut digami, uel pœnitentes, uel repuditarum mariti, ad sacerdotia non prouehantur. Tertiò, ut laicus ante annum conuersionis non ordinetur. Quartò, Ne laicò tamen episcopatus dignitas conferatur: ac ne quisquã pontifex presbyterij uel diaconatus honorem conferre præsumat, nisi anno integra fuerit ab eis præmissa conuersio. Quintò, ut clerici alieni defensionem susciplens, communione priuetur. Subscripserunt episcopi, Cæsarius, Contumeliosus, Philagrius, Prætextatus, Maximꝰ, Iulianus, Florentinus, Cyprianus, Celesti-

nus, Eucherius: presbyteri ab episcopis suis missi, Cataphronius, Desiderius, Leontius, Emerius.

SVB LEONE.

TVRONENSIS.

SYnodum prouincialem in Turonum ciuitate celebratam, ostendit sub Seuerino consule, quam Marianus in annum Christi reijcit quadringentesimum sexagesimumprimum, alij in annum quadringentesimum sexagesimumquintum, ab episcopis Perpetuo Turonense, Victurio Cenomānicense, Leone Bituricense, de occasione uitiatę regulæ de disciplina Ecclesiastica. Cōstituit hęc Synodus canones 13. quorum aliqui clericos hortantur ad castitatem, addita ratione: Quòd si laico abstinentia imperetur, ut orationi uacare possit, quanto magis sacerdotibus, quos omni momento expeditos esse oportet ad offerendum sacrificium pro populo, omni cum mūdicia & puritate. Alij hortantur ad abstinentiam: cæteri regulas continent de institutione clericorum. Volumen Conciliorum.

ROMANA.

CElebrata est Romana quædam synodus consulibus Herminericho & Flauio Basilico, quod est anno Christi (secundum Marianum) quadringentesimo sexagesimoquinto: iuxta Cassiodorum, quadringentesimo sexagesimoseptimo: iuxta alios, quadringentesimo sexagesimonono, præsidente Hilario episcopo Romæ, adsidentib. Maximo Taurinense, Ingenuo Ebredunense, Saturnino & cæteris, quorum catalogum uolumen Conciliorum texit, cum Paulo notario. Occasio fuit, incumbens necessitas de constituendis ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, & confirmandis in omnem ætatem concilij Niceni statutis de ordinatione. Decreuit hæc synodus primùm, Ne bigami, uel uiduis uel corruptis iūcti, aut ignari literarum, uel mutilo corpore, ad ordines Ecclesiasticos admittantur. Lectæ sunt deinde in ea Synodo epistolæ duæ Tarraconēsium episcoporum ad Hilarium: in quarum priori consulunt, utrum is quem Nundinarius episcopus Barchinonēsiū moriturus, successorem sibi legerit, episcopus retinendus sit: in altera accusant illegitimas ordinationes Syluani episcopi Calaguræ. ad quod omnes cōcludunt, Nil esse temerè innouandum, aut audendum. Mittitur postremò ex Synodo epistola ad episcopos Tarraconenses, hæc decreta complectens:

Vt nullus scilicet sine cōsensu episcopi metropolitani episcopus ordinetur. Vt nullus episcoporum, deserta propria Ecclesia, ad aliam transeat. Vt Irenæus, remotus à Barti- nonensi ecclesia, ad propriam reuertatur. Vt episcopi illicitè ordinati remoueātur, nec in una Ecclesia duo episcopi habeantur. Vt Irenæus, si ad Ecclesiam suam non redeat, cōdemnetur. Volumen Conciliorum.

SVB ZENONE.

TARRACONENSIS.

COnuenerunt ad synodum in Tarraconensium urbe decem episcopi, Johannes Tarraconensis, Paulus Tirassanensis, Hector Carthaginensis, &c. anno 6. Theodorici regis Gothorum, quem ad occupandā Italiā Zeno sollicitauit: quod est anno Christi circiter 480. Petro consule, qui tamen inter cōsules istius temporis non reperitur. Occasio fuit, necessitas confirmandi superiorū patrum statuta, & præsentia de disciplina decreta, quę eiusmodi fuerunt: 1. Ne fœminis clerici aut monachi cohabitent, aut conuersentur, etiamsi earum curam ratione parentelæ gerant. 2. Ne qui in clero esse uoluerit, emēdi uilius, aut uendendi carius studio utatur. 3. Vt clericus quantum præstiterit, tantum recipiat. 4. Ne quis clericus aut criminalia aut ciuilia iudicet, sed ut Deo tantum consecrata solennia peragat. 5. Vt qui in metropolitana ciuitate episcopus ordinatus nō fuerit, post menses duos se metropolitano præsentem exhibeat. 6. Vt episcopus ad synodum à metropolitano uocatus, non ueniens excommunicetur. 7. Vt episcopi quotannis diœcesin inuisant, basilicas obrutas aut collapsas restituāt, & nō nisi tertiā partem de parochis accipiant. 8. Ne quis clericus munera pro iudicijs accipiat. 9. Ne monachus foràs aliquò è monasterio missus, clericatus ministerium agere alicubi præsumat, nisi cū Abbatis mādato: &, ne negociatorem agat. 10. Vt si episcopus intestatus decesserit, inuentarium de rebus eius fiat, ex quibus nemo quicquā auferat. Volumen Conciliorum.

ROMANAE DVAE.

EXcerptum ex libro Pōtificiali de Felice tertio, episcopo Romano meminit duarum Synodorū Felicis eius tempore: in quarum altera Petrū Alexandrinū Felix condemnarit, ac cum eo unà Acaciū quoq; Constantinopolitanū, quòd Petrum damnatū reuocasset: in altera uerò condemnarit episcopos legatos suos Messonum & Vitalē, quòd missi à se ad inquirendum Acaciū & Petrū, denuoq; dāmnandum, corrumpi se pecunia passi, mandatum illud non fuissent executi. Nos eorum, tum cæterorum omnium quæ ex uolumine Conciliorum breuiter referimus, fidē penes iudiciū lectoris esse uolumus.

Romana alia.

Fauio Boethio cōsule, anno nimirū Christi (iuxta Marianū) 487. Imperij Zenonis 13. Felix

Felix episcopus certior factus in Africa diaconos quosdam, presbyteros & episcopos cum promiscua multitudine rebaptizari, synodum coegit Romæ, & consedit cum episcopis multis, Candido Tiburtino, Paschasio Cetumcellensi, Constantio Aquinati, & cæteris, quorum nomina liber Conciliorum explicat: atque ex ea decretalem misit epistolam, continentem capita sex De rebaptizatis scilicet dolentibus, & pœnitere uolentibus, ut humaniter & debitè tractentur à sacerdotibus: De presbyteris uel diaconis, qui per lapsum, hæreticorum baptismate usi sint, ut ad exitus usque sui diem pœnitentiam agant: De clericis, monachis, puellis castis, & secularibus, ut in lapsu rebaptizati tribus annis inter catechumenos sint, septem inter pœnitentes, & duobus annis non offerant, sed cum secularibus orent: morte uerò interea temporis præuenti, ab episcopo aut presbytero absoluantur: De pueris qui per ignorantiam ætatis rebaptizati sint, ut ijs aliquandiu sub impositione manus detentis, communio reddatur: De his qui ab hæreticis baptizati aut rebaptizati sint, ut ad ecclesiasticam militiam nõ permittantur accedere, sed contenti sint quòd in numerum catholicorum sint recepti: De pœnitentibus, aut reconciliatos se esse mentientibus, ut sine episcopi uel presbyteri testimonio ac literis, ad cuius pertinent parochiam, ab alijs non suscipiantur. Volumen Conciliorum.

CARTHAGINENSIS HOmousianorum & Arianorum.

VAndalorum rex Honorichus, imperium in eam gentem adeptus, sub annum Domini quadringentesimum septuagesimumsextum, & Ariana imbutus impietate, Cyrilla Arianorum episcopo incitante, Carthaginem conuocat Homousianos catholicos ex Aphrica tota atque Insulis maritimis, & ad Eugenium episcopum Carthaginensem celebris & laudatæ uitæ edictum mittit, sic ad uerbum habens.

¶ Rex Hunericus Vandalorum & Alanorum, uniuersis episcopis Homousianis. Non semel, sed sæpius constat esse prohibitum, ut in sortibus Vandalorum sacerdotes uestri conuentus minimè celebrarent, ne sua seductione animas subuerterent Christianas. Quam rem spernentes plurimi reperti sunt contra interdictum missas in sortibus Vandalorum egisse, asserentes se integram regulam Christianæ fidei tenere. Et quia in prouincijs à Deo nobis concesis scandalum esse nolumus, ideo Dei prouidentia cum consensu sanctorum episcoporum nostrorum hoc nos statuisse cognoscite, ut ad diem Calendarum Februariarum proximè futurarum, amissa omni excusatione formidinis, omnes Carthaginem ueniatis, ut de ratione fidei cum nostris uenerabilibus episcopis posſitis inire conflictum, & de fide Homousianorum, quam defenditis, de diuinis Scripturis propriè approbetis, quo possit agnosci si integram fidem teneatis. Huius autem edicti tenorem uniuersis episcopis per uniuersam Aphricam constitutis direxerimus. Data sub die decimotertio Calendas Ianuarias, anno septimo Hunerici.

Adficiuntur hoc edicto magna perturbatione & dolore Homousiani: ab Eugenio autem episcopo impetrant, ut placandi inimici Regis causa eiusmodi scripto respondeat. Quoties animæ uel uitæ æternæ ac fidei Christianæ causa tractatur intrepidè, sicut regalis prouidentia compromisit, necesse est quod competit suggeratur. Nuper potestas regia per Vuitaredum notarium paruitatem meam admonere dignata est, qui nobis de merito ac religione fidei præceptum eius in Ecclesia præsente clero & plebe recensuit. Ex cuius tenore cognouimus, ad omnes coepiscopos meos præceptum regium similiter emanasse, ut die constituta pro disputatione fidei ueniatur. Quod nos uenerabiliter accepisse suggesimus. cui præfato notario humilitas mea suggesit, debere etiam transmarinarum omnium partium, qui nobis sunt in una religione uel communione consortes, agnoscere, quia ubique regno eius obtemperant uniuersi. maximè quod totius mundi causa, non specialis prouinciarum Aphricanarum tantummodo. Et quia secundo responso suggerẽdam me promisi oblaturum, meritò suppliciter peto magnificentiam tuam, ut ad domini & clementissimi Regis aures memoratam suggestionem meam perferre digneris, quo eius clementia dignanter agnoscat, nos disputationem legis cum adiutorio Dei nullatenus declinare uel fugere: sed sine uniuersitatis assensu nos non debere asserendæ fidei nostræ causas assumere. Quod petimus, ut benignitate, quantus est, & iustitia sapientiæ suæ dignetur annuere. Data ab Eugenio episcopo ecclesiæ catholicæ Carthaginensis.

Sed cum nihil minus quàm placationem illam rex Ariana labe rabidus admitteret, conueniunt Carthaginem, non uniuersę solùm Aphricæ, uerùm etiam insularum multarum episcopi, mœrore confecti. Fit silentium diebus multis, quousq; peritos quosq; & doctissimos uiros exinde separaret, calũnijs

nijs appositis enecãdos. Nam unum ex ipso choro doctorum nomine Lætum, strenuum atque doctissimum uirum, post diuturnos carceris squalores incendio concremauit: æstimans tali exemplo se timore incusso, reliquos elisurum. Tandem uenitur ad disputationis conflictum, ad locum scilicet quem delegerant aduersarij. Euitantes igitur nostri uociferationis tumultus, ne fortè postmodum Arianis dicerent, quòd eos nostrorum oppressisset multitudo, eligũt de se nostri, qui pro omnibus responderent, decem. Collocat sibi Cyrilla cum suis satellitibus in loco excelso superbissimum thronum, astãtibus nostris. dixeruntque nostri episcopi: Illa est semper grata collatio, ubi superba nõ dominatur elatio, sed ex consensu communi uenitur, ut cognitoribus decernentibus, partibus agentibus, quod uerum est agnoscatur. Nunc qui erit cognitor, qui examinator uelut libra iusticię aut bene prolata confirmet, aut prauè assumpta refellat? Et cum talia, & alia dicerentur, notarius Regis respondit: * Patriarcha Cyrilla dixit, legatur nobis. quo concedente, istud sibi nomen Cyrilla assumpsit. * Et exinde strepitum excitantes, calumniari aduersarij cœperunt. Et quia hoc nostri petierant, ut saltem, si examinare non liceat, prudenti multitudini uel expectare liceret: iubentur uniuersi filij Catholicæ ecclesiæ, qui aderant, centenis fustibus tundi. Tunc clamare cœpit beatus Eugenius: Videat Deus uim quam patimur: cognoscat afflictionem persecutionum, quam à persecutoribus sustinemus. Conuersique nostri, Cyrillæ dixerunt: Propone quod disponis. Cyrilla dixit: Nescio latinè. Episcopi nostri dixerunt: Semper te latinè esse locutum, manifestè nouimus: modò excusare non debes, præsertim quia tu huius rei incendium suscitasti. Et uidẽs Catholicos episcopos ad conflictum magis fuisse paratos, omnino audientiam diuersis cauillationibus declinauit.

Quod antè præuidentes Catholici, libellum de fide conscribunt, satis decenter sufficienterque fidei Christianæ summam complectentem, quæ apud Victorem extat. Breuem uerò summam Antoninus recitat titulo undecimo, capite decimo, distinctione sexta, hoc modò:

Et primùm de unitate substantiæ patris & filij, quod Græci homousion dicunt, exponendum nobis esse cognouimus. Itaque patrem & filium & spiritum sanctum ita in unitate Deitatis esse profitemur, ut & patrem in sua proprietate personæ subsistere, & filium nihilominus in propria extare persona, atque spiritum sanctum suæ personæ proprietatem retinere, fideli confessione fateamur. Non enim eum asserentes patrem quem filium, neque filium confitentes qui pater sit, aut spiritus sanctus: neque spiritum sanctum accipiemus, ut aut pater sit, aut filius: sed ingenitum patrem, & de patre genitum filium, & de patre & filio procedentem spiritum sanctum, unius credimus esse substantię, uel unius essentiæ: quia ingeniti patris, & geniti filij, & procedentis spiritus sancti una est Deitas, tres uerò personarum proprietates. Et quia contra hanc Catholicam & Apostolicam fidem hęresis exorta, nouitatem quandam induxerat, asserens filium non de patris substantia genitum, sed ex nullis extantibus, id est ex nihilo eum substitisse: ad hanc impietatis professionem, quæ contra fidem emerserat, refellendam, & penitus abolendam, Homousion sermo græcus positus est, quod interpretatur unius substantię uel essentiæ: significans filium ex nullis extantibus, nec alia substantia, sed de patre natum esse. Qui ergo putant homousion auferendum, ex nihilo uolunt asserere filium extitisse. Sed si ex nihilo non est, ex patre sine dubio est. Et rectè homousion, id est unius cum patre substantiæ filius est. Ex patre autem esse, id est unius cum patre substantiæ, his testimonijs approbatur, dicente Apostolo: Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. & in Euangelio Christus: Ego in patre, & pater in me est. & iterum: Ego & pater unum sumus. Quod non tantummodo ad unitatem refertur uoluntatis, sed ad unam refertur eandemque substantiam. quia non dicit, Ego & pater unum uolumus: sed, Vnum sumus. Verùm quia in filio duas fatemur esse naturas, id est Deum uerum, & hominem: quicquid excellentis potentiæ sublimitatis de eo referunt Scripturæ, ad memorandam eius diuinitatem tribuendum sentimus. Et quicquid infra honorem cœlestis potentiæ de eodem humilius narrant, non uerbo Dei, sed homini deputamus assumpto. Vt illud, Pater maior me est: quod ad humanitatem refertur tantum. Et illud, Pater, si fieri potest transeat à me calix, &c. Cęterùm de Spiritu sancto dicit Apostolus: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, &c. subdens: Omnia hæc operatur unus & idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Vnde non dubiè claret, Spiritum sanctum & Deum esse, & suæ uoluntatis autorem. Vna itaque religio, una glorificatio trinitatis, ut audiamus Apostolum, sicut audierunt Corinthij: Gratia Domini nostri, & charitas Dei, scilicet patris, & communicatio sancti spiritus, sit cum omnibus uobis. In singulari dicit, adiu-

ad innuendum essentiæ unitatem. Hæcigitur est fides nostra, Euangelicis & Apostolicis traditionibus, & omnium quæ in mundo sunt catholicarum ecclesiarum societate fundata, in qua per gratiam Dei permanere usq; in finem confidimus & speramus.

Post eam fidei professionem, Victor ait, Homousianos apud Regem accusatos, quasi scriptum in disputatione mouentes, ne audiri possent effecissent: atque ibi demum secutum Regis edictum, de persecutionibus immanibus, proscriptionibus & direptionibus episcoporum Catholicorum, quo pulsos, Contractus indicat in Chronico, circa annum Domini quadringentesimum nonagesimũ. Victor de persecutione Vandalica libro secundo & tertio.

SVB ANASTASIO.

EPAVNENSIS.

Qvi in magnum uolumen Concilia cõgessit autor, constare sibi negat, quónam sub cœlo Epaunensium ciuitas sita sit. Synodum tamen in ea, Gelasij episcopi Romani tempore celebratam indicat, ab episcopis septuaginta, occasione promulgandi quid uel de antiquis constitutionibus, uel de suis regulis episcopi illi contermini sentiant. Edidit quadraginta Canones, oppidò scilicet necessarios, qui omnes ferè ad institutionem clericorum, episcoporum & ecclesiarum pertinẽt, quorum summa est: Vt episcopi uenatores non sint, nec accipitres alant: ut clerici uagi ad communionem non admittantur: ut alteriùs episcopi clericus in alia ciuitate non constituatur: ut uenius monasterij unus sit abbas: ut abbas peccans corrigatur à mettropolitano: ne clericus publicum iudicium appellet: ne illicitis horis clericus ambulet, &c. Subscripserunt episcopi, Auitus episcopus prouinciæ Viennensis, Apollinaris episcopus Valentinæ ciuitatis, &c. Volumen Conciliorum.

ROMANA.

Damnauit in Synodo quadam Romæ congregata Gelasius iterum, Petrum Alexandrinum, & Acacium Constantinopolitanum, certior factus perpetrari ab illis per Græciam mala multa & homicidia. Volumen Conciliorum, ex libro Pontificiali, de Gelasio papa.

CAPVT X.

DE EPISCOPORVM ET Doctorum uitis.

VITAE DOCTORVM in ecclesijs Asiaticis.

HIEROSOLYMITANI *Doctores.*

IOANNES NEPOS.

In libro superiori, inter Hierosolymitanos doctores Ioannẽ quendam presbyterum, Athanasio familiarẽ numerauimus: an uerò is sit Ioannes Nepos de quo iam agitur, non satis perspicuum est. Fuit autem Ioannes Nepos episcopus Hierosolymorum: ut Theodoretus habet libro quinto, capite trigesimooctauo: & Nicephorus libro decimoquarto, capite tricesimo. Et successit Cyrillo: Sozomenus libro septimo, capite decimoquarto. Augustinus dicit, eum suo tempore sedere in cathedra Hierosolymitana: libro secundo, capite quinquagesimoprimo, contra literas Petiliani.

PRAYLLIVS SEV POLYCHRONIVS.

PRayllius, seu (ut alij uolunt) Polychronius, successit Ioanni in episcopatu Hierosolymitano: Theodoretus libro quinto, cap. trigesimooctauo. Valentiniano & Theodosio iuniore imperantibus: ut Nicephorus libro decimoquarto, cap. nono indicat. ubi refert, quòd Imperator Theodosius miserit hortatu sororis Pulcheriæ Hierosolymam, huic Prayllio pecuniam, pauperibus ibidem atq; egenis distribuendam: unaque simul etiam crucem auream magni ponderis, lapillis & margaritis exornatam, quam in Cathedrariæ locum ipse reponeret. Quibus acceptis, episcopus, ut aliquam uicissim gratiam Imperatori, eiusdemque sorori referret, remisit ipsis reliquias dextræ manus sancti Stephani. Euphemius igitur Romam profectus ad Sixtum pontificem, de Simonia Polychronium accusat, quòd ordines sacros conferat pecunia & precio: idq; promiscuè omnibus, sine ullo discrimine populorum. atq; ita factum, ut etiam Aethiopes & Aegyptij ad Hierosolymitanę ecclesiæ ministeria sint recepti: quod tamen Canon quidam urbis fieri uetat. nec sine munerib. & præmijs quicquam ipsum agere, nec ulli suas operas præstare: ex suo ministerio nemini ad ulteriores ordinum gradus patère aditum, nisi quis fauorem ipsius prius honorario satis digno demeruisset: in ecclesiarum quoq; dedicationib. ipsius authoritatem redimendam fuisse,

fuisse, pondo auri decem librarum. Addidit præterea delator, iactare Polychronium, Hierosolymitanam ecclesiam potius primas tenere debere præ alijs omnibus, & sibi magis quàm alij ulli summi sacerdotis comperere honorem. Missi ergo authoritate Romanç synodi, quam propterea Pontifex coegerat mediocri frequentia in urbe, octo legati, unà cum accusatore, Hierosolymorũ in urbem. Ad quorum aduentum cõuenêre statim Hierosolymis frequentes uicinorum locorum episcopi numero ad septuaginta, & amplius. Hi simul causa in consultationẽ proposita, cum accusator probare nõ posset cuncta quæ suo Pontifici intenderat crimina, cõmunibus suffragijs condemnát delatorem, & extra ciuitatem eum esse statuunt. Polychronius episcopus, quia admisisset ad ministerij ordines quendam Aethiopem, & ecclesiarum consecrationes tanti (ut dictum) uendidisset, remotus etiá ipse est ab officio, & extra ciuitatem quoque habitare iussus: ita quidem, ut tamen locus ipsius in urbe integer ei seruaretur, ac tantum uicarius quidã substitueretur, qui nomine ipsius episcopi munus administraret. Quin & certa prædia de Ecclesiæ bonis ipsi Polychronio ad uitæ usum sunt concessa, in quibus etiam uitam egit. Verùm cum non ita multo pòst graui fame premeretur urbs Hierosolyma, ipse pietate motus, prædia illa quorum sibi tantum usus fructus erat concessus, publicè uendidit: & ex illa contracta pecunia pauperum, & qui ob rerum penuriã fame peribant, egestati succurrit. Quare rursum apud Romanũ pontificem à quodam diacono acculatur, quòd ea, quorum nullum habuisset dominium, & tantũ ex bonitate permissum usum fruendi, uẽdidisset. At uerò Sixtus pontifex, cognita ingenti optimi senis pietate, quòd quæ ad ipsius unius sustentationem essent collata, ipse proprium defraudans genium ad multorum contulisset conseruationem, denuò eam Polychronij misericordiam plurimùm commendat: & communicato cum Valentiniano Augusto consilio, & rursum ipsorum eorundem quos antea in huius condemnationem uocauerat episcoporum contracto ocyus conuentu, fecit commune decretum omnium consensu, accedente ipsius etiam Imperatoris Valentiniani authoritate, ut restitueretur in pristinum locum Polychronius. Eam ob rem missi legati ijdem, qui antea eum remouerãt, eundem magnis gratulationibus suæ Ecclesiæ reddunt, calendis Aprilis, consulatu Valentiniani VII. et Abieni. Polychronius autem hoc modo reuocatus, septem deinceps in gubernatione annos, & sex menses peregisse memoratur, usq; ad ultimum Theodosij iunioris annũ. cuius obitum sub ijsdem Consulibus assignat Marianus Scotus.

EVPHEMIVS.

Euphemius in urbe Hierosolyma alicuius ecclesię pastor inferior, ut uidetur, Polychronio ordine & subiectione: re nulla alia celebris, quàm quòd sui Superintendentis extitit delator ad sedem pontificiam Romanã: siue iam id sua sponte fecerit, siue (ut Balæus narrat) à Romano episcopo substitutus, quẽ tamen ipsi delatori pessimè cecidit: siquidẽ & ab ecclesia sua penitus est reiectus, & ad posteritatẽ infami nomine notus peruenit. Patent ex superiorum narratione.

PRISCVS.

Priscus Hierosolymorum urbis diaconus fuisse scribitur, in eadem illa de Polychronio actione, in primo tomo Conciliorum. Ipse Polychronium iam remotum ab officio, rursum ad ecclesiam Romanam accusauit, deuenditis prædijs ad usum tantum uitæ eius concessis. Quæ tamen accusatio Polychronio summam laudem cum ingenti commodo coniunctam, accusatori uerò infamiam peperit.

IVVENALIS.

Iuuenalis Prayllio successit: ut indicat Nicephorus libro decimoquarto, capite trigesimo: & fuit Theodosij iunioris temporibus. Cum autem exorta esset hæresis Nestoriana, Cyrillus Alexandrinus & Celestinus Romanus episcopi, scriptis literis huic Iuuenali cãhæresin exponunt: ut idem Nicephorus recitat cap. trigesimotertio, eodem lib. Cumq; post eam, propter eundem Nestorium coacta esset synodus Ephesi, ipse eidẽ interfuit, unà cum Palæstinis episcopis plurimis. Sicut capite trigesimoquarto pòst narrat Nicephorus, & ante illum Socrates libro 7. cap. 34. in quã & prolata sententia pronunciat, epistolam Cyrilli (contra Nestorium nimirum) & ea quæ in illa synodo edita erant, consona esse fidei Nicenæ, seq; pijs illis dogmatibus cõsentire, & in eis acquiescere. referturin Actis primi Chalcedonensis concilij, in primo Conciliorum tomo. Et in eadem sanè synodo Palæstinæ prouinciæ principatũ sibi cõstituere atque firmare conatum per insolentes ausus & commenticia scripta, narrat Leo primus Romanus pontifex, ad Maximũ Antiochenum episcopum, in epistola ad eundem, quę est sexagesimasecunda. Sed & secundæ Ephesinæ synodo Prædatoriæ dictę, interfuisse Iuuenalem, tradit tum Nicephorus capite quadragesimoseptimo, libro eodem: tum etiam Euagrius libro primo, capite decimo. Et primum fuisse, qui prolata sententia cõsenserit in restitutionẽ Eutychis, & pòst etiam in damnationem Flauiani & Eusebij Dorylæi episcoporum, Acta eiusdem synodi

nodi testantur, quę referũtur in prima actione Chalcedonensis concilij: & notat ea oratiola ad ipsum, de qua paulo pòst. Chalcedonensi quoq; illi magnæ ac ualde celebri synodo, sub initium Imperij Marciani coactæ interfuit: imò dignitate priuatus est, ob negocia malè administrata in synodo Ephesina Prædatoria, in qua ipse cum alijs nonnullis partes aliquas superiores agendi habuerat: uelut ex Euagrio libro secundo, capite quarto & proximè sequentibus: itẽ Nicephoro libro decimoquinto, capite quarto liquet. Qui tamen, sicut & cæteri ipsius collegę uenia petita mox restitutus est. Tandem uerò Iuuenalis è synodo illa domum reuersus, offendit Ecclesiam turbatam propter synodum eam Chalcedonensem. Nam quidam ex monachis reditum ipsius anteuertentes, fidem catholicam proditam esse in ea Synodo miris uociferationibus sparserant. Quare cœtus monachorũ Iuuenalem reuersum adoriuntur, Synodiq; acta ipsum abolere & anathemati subijcere cogunt. Verùm tametsi illis sese strenuè opponeret, ipsorumq; sententiam fortiter repelleret: tamen quia fortè illorum furores se unũ diutius sustinere posse diffidebat, cessit ad tempus, ac Constantinopolim redijt. Interim illi qui Synodo minus erant propitij, monachum quẽdam episcopum sibi constituunt, Theodosium nomine, istarum turbarũ principem, hominem flagitiosum, qui ob scelera è monasterio suo ejectus fuerat, & ab ipso Dioscoro Alexandriæ uerberibus cæsus, & camelo impositus, ac in urbe circumductus contumeliosè aliquando fuerat: ut narrat Euagrius libro secundo, capite quinto: & meminit Nicephorus quoq; libro decimoquinto, capite nono, qui ipsum ad menses uiginti tyrannidem in ecclesia ea exercuisse scribit, & partium suarum habuisse Augustã Eudociam, Theodosij iunioris coniugem, ibidem uiuentem. Eius autem tyrannidem cũ resciisset Imperator Marcianus, nõ tulit eam diutius: sed per præfectos prouinciæ illum non modò excuti, sed cõprehendi, & uiuum sibi adduci iussit. Sed elapsus Theodosius, salutí suę fuga consuluit: & Iuuenalis restitutus est. Restitutionis ipsius meminit etiam Leo ille Romanus antistes, priuatis ad ipsum literis, quibus eam ei felicitatem gratulatur: ita tamen, ut nihilominus & pœnitentiam ei concionetur, ipsum sibi inquiens aduersi istius casus fuisse materiam, dum in damnatione Flauiani & receptione Eutychis Christum abnegans, & hæreticis sese coniungens, authoritatem & constantiam perdiderit resistendi postea ipsis: qui liberũ ei deinceps minimè esse arbitrati sint argue-

re eos, quos antè in suo errore sibi placuisse professus sit. Postea ei etiam hoc gratulatur, quòd non pertinacius etiam ipse in errore perstiterit, sed in tempore resipuerit. atque in eo articulo contra Eutychis prauam & blasphemam opinionem amplius ex uerbo Dei instruit, ipsumque ad fortiter repugnandum cõtradicentibus ueritati animat atque confirmat. Est autem epistola illa septuagesimosecũdo loco inter reliquas Leonis. Post eum restitutũ, multa rursum tristia Hierosolymorum ecclesiæ euenisse, Euagrius & Nicephorus commemorant, ob dissidentes opiniones, in phrasi de Christi naturis obortas, mutatione nimirum præpositionis In & Ex: cum, ut uideri potest, (nam non est perspicuum, sed aliquo modo perplexum) Iuuenalis non idem ualere uoluerit, confiteri Christum In duabus naturis, & Ex duabis naturis.

Nicephorus libro decimoquinto, capite decimoquarto narrat, quòd Chalcedone Constantinopolim accersitus, multa recitarit Pulcheriæ & Marciano Imperatori, de obitu diuæ ac immaculatæ uirginis matris Mariæ. Verùm cum ea sint fabulis similiora quàm ueritati, præterire maluimus quàm chartas bonas eiusmodi nugis perdere. Ad extremam senectutem in illa sua gubernatione peruenisse, Nicephorus scribit libro decimoquinto, capite uicesimooctauo. Ac ex epistola Leonis constat, iuxta Mariani computationem, ipsum sub annum Domini quadringentesimũ quinquagesimum quintum, quo ea scripta est, adhuc in uiuis fuisse.

ANASTASIVS.

Anastasius pastorale munus ecclesiæ Hierosolymorum sortitus est post Iuuenalem, ut Euagrius libro 3. cap. 5. & in illo iam memorato loco refert Nicephorus: cumq; nonnullis alijs repudiauit Chalcedonensem synodum, & Leonis Romani episcopi tomũ: ac subscripsit circularibus Basilisci Imperij raptoris literis, quibus Synodus illa & Leonis libellus damnabatur, ut indicant Euagrius, & Nicephorus libro decimosexto, capite quarto. Videri potest hic idẽ esse, quem Eudocia Imperatrix alicubi in Hierosolymorum territorio non procul inde degens, eiusdemque loci episcopum misit ad Simeonem Stiliten, ut cum eo de Eutychetis errore conferret, simulq; sententiam ipsius scriptam ad se perferret: ut libro decimoquinto, capite decimotertio Nicephorus narrat. Cũque impleuisset decimum sui patriarchatus (ita nominat) annum, uita excessisse, quo tempore Zeno interempto Basilisco imperium recuperauit, ut Metaphrastes refert in Saba abbate.

MARTYRIVS.

Martyrium Anastasio subrogatum, Nicephorus libro decimoquinto, capite uicesimooctauo annotauit. Meminit etiam capite decimotertio, libro decimosexto. quo in loco hoc amplius subijcit, quòd Martyrius iste Petro Gnaphæo, qui Antiochenam ecclesiam, unde fuerat eiectus, receperat, se coniunxerit, & more recepto Synodales id ipsum miserit literas. Obijt octauo sui episcopatus anno, ut Metaphrastes tradit in Saba abbate.

LVCIANVS.

Lucianus (ut Hartmannus Schedel refert) Hierosolymitanus fuit presbyter. Gennadius in Catalogo, presbyterum eum, sine ullo adiecto dicit, cui temporibus Honorij & Theodosij locus sepulchri & reliquiarũ S. Stephani protomartyris sit diuinitùs reuelatus. quam reuelationem græco sermone ad omnes Ecclesiarum personas conscripserit: quam Auitus, & ipse presbyter, homo Hispanus, in latinam transtulit linguam.

HESYCHIVS.

Hesychius, quẽ Trithemius Esytium uocat, Gregorij Nazianzeni discipulus fuit, uitæque monasticæ propter priuata studia sese dedidit. Cum autem in cognitione sacrarum literarum multum profecisset, presbyter Hierosolymorum factus est. Multa exemplo sui pręceptoris, tã in uetus quàm in nouum Testamentum elucubrauit. Ac extant sub eius nomine septem libri Comnentariorum in Leuiticum: in Ezechielem etiam sese commentatum esse, ipse indicat libro quinto, capite decimosexto in Leuiticum. Scripsit etiam in epistolam ad Hebræos, quod Thomas arguit, dum testimonijs eius inde desumptis utitur. Et narrat Gesnerus in sua Bibliotheca, extare in Bibliothecis Italicis aliquot sermones Hesychij presbyteri græcos: nempe de Sobrietate & uirtute sermones breues: ἀρχὴ φωτισμοῦ ψυχῆς, ἀληθεῖς ὑποθῆκαι: Capita ducẽta quæ inscribuntur αὐτιῤῥητικὰ καὶ ἐντικά. De sobritate Hecatontas secunda.

Ad eruditionem autem eius & doctrinæ explicationem quod attinet, affirmare propemodum non dubitamus, cum ijs qui in re Theologica principes sunt, rectè & suo quodam iure eum cõferri posse, tum propter incredibilem rerum istius quam tractat professionis cognitionem, & ingenij acumen: tum etiã quòd ueteris instrumenti testimonia ex Euangelijs ita tractat, ut nemo alius maiori aut dexteritate aut gratia, id quod uel solùm qualibet laude dignũ est: utut ipse se indoctũ uocet, lib. 4. in decimumtertium caput Leuitici. Genus dictionis insuetum quoddam est, atque affectatius, & à communi dicendi consuetudine nonnihil abhorrens,

De præcipuis doctrinæ cœlestis capitibus rectè sensit, docuit, & scripsit.

Scripta ueteris & noui Testamẽti passim commendat à consensu. Concorditer enim, inquit, à Prophetis & Apostolis scriptũ est: lib. 1. Comment. in 2. cap. Leuitici. Et ab effectu. nam spiritum sanctum per scripturarũ meditationes & doctrinas dari, & nutriri, & continuè accendi testatur libro 1. Com. in 1. cap. Leuitici, & lib. secundo Commentariorum in sextum caput Leuitici.

Scripta ueteris & noui Testamenti sic discernit, ut dicat Apostolos planius loquutos, Prophetas uerò in ęnigmate: lib. 1. Comment. in 2. caput Leuitici. & quòd in nouo Testamento is memoretur uenisse, qui in ueteri fuerit prædictus: lib. 1. Commentar. in 1. caput Leuitici. Et quòd per doctrinam Apostolorum nobis fiat introitus in cœleste tabernaculum, in quo habitare Deum Scriptura testatur: ibidem.

De Deo rectè sentit, quòd sobriè & modestè, & non nisi ex sacris literis sit sentiendum. In disputando de Deo, id est in Theologia, sufficit nobis etiam tantum tangere, quemadmodum igne qui uult calefieri. Nam si interius mittat manum, pro eo quod potuit calefieri, comburitur. Sic & qui profundius uel altius de Deo disputare præsumit, pro eo quo gloriosius quid uult ostendere, in blasphemiam cadit, dum comprehendere altitudinem diuinorum dogmatum non possit. libro secundo Commentariorum in sextum caput Leuitici, & libro quinto Commentariorum in decimumsextum caput Leuitici.

De tribus personis eleganter inquit: In his Theologiã cõstituamus, in qua nobis incarnat' tradidit Christus, ut patrem in eo, & ipsum in patre cogitemus: & de sancto spiritu sciamus, quia & ipsius est filij, & à patre procedit. libro secundo Commentariorum in 6. caput Leuitici.

De Christo quòd sit uerus Deus & uerus homo in una persona, passim eleganter loquitur: maximè uerò libro quarto Commentariorum in decimumquartum caput Leuitici. Et libro quinto in caput decimumsextũ Leuitici inquit: Deus & homo erat, qui pro nobis incarnatus est IESVS Christus, impassibilem diuinitatem custodiens, solam passionibus humanitatem præbuit. Et libro secundo Commentariorum in uigesimumquartum caput Leuitici: Ergo quæ oporteat custodire sacerdotes & doctores præcepit, id est, ut nec diuinitatem Christi, nec humanitatem negent, nec contradicant. quia Deus ex Deo, & uerbum est ex patre.

Quòd

Quòd expiauerit peccata totius generis humani, etiam passim docet: Christus pro nobis passus est, à peccato nos & seruitute eius liberauit. lib. 6. Com. in 23. caput Leuit. Item: Christus cum incarnaretur, nostræ animæ consubstantialem animam accepit, ut ipse pro nobis redderet, quam nos debebamus, mortem. lib. quinto Com. in decimũ septimum caput Leuit. Christi sacrificium & mortuorum resurrectionem, & diaboli condemnationem, maledicti liberationem, paradisi restitutionem præstitit. libro secundo Commentariorum in septimum caput Leuitici.

De creatione etiam bene sentit, Deum omnia condidisse in sex diebus. libro septimo Comment. in 24. cap. Leuit. Sex millia annorum mundum duraturum, nõ obscurè ex sabbato ratiocinatur: lib. 7. Commen. in 25. cap. Leuitici.

Angelos qui manserunt in prima origine creationis, uocat angelos primitiuos, qui scripti sunt in cœlis. libro secundo in Leuitici caput nonum.

Diabolos sentit *κενοδοξίαι* lapsos esse, libro quarto Comm. in decimum tertium caput Leuitici. Et nostros parentes primos seduxisse, & naturam humanam corrupisse: libro 5. Commentar. in decimum quintum caput Leuitici. Et adhuc animarum corruptores esse: lib. quinto Commen. in 18. cap. Leuitici. Ac eos qui sese ipsis coniungunt, ut ignis solet corrumpere: lib. quinto, in caput 16. Leuitici.

Deum, hominem sine peccato condidisse ad imaginem suam, docet lib. 5. Commen. in 16. Leuit. & lib. 3. Com. in 11. cap. Leuitici.

De peccato sensit, Deum nõ esse autorem eius: lib. 4. Com. in 14. Leuit. Sed diabolum suggerentem inobedientiam, & Adam ei parentem: lib. 5. Com. in 18. cap. Leuit.

A primis parentibus immundiciem, & pœnam eius in totum genus humanum fluxisse, docet libro tertio comment. in 11. cap. Leuitici, & lib. 5. in cap. 15. Leuit.

Peccata ignorantiæ ab alijs discernit. lib. 3. cap. 11. in Leuit.

De libero arbitrio rectè dicit: Quantumcũque homo egerit & uixerit, cucurrerit & comprehenderit, siue assequutus fuerit, sine adiutorio Domini salutem adipisci, siue assequi non potest, propter quod Paulus dicebat: Non uolentis, neque currentis, &c. libro secundo Commentariorum in septimũ caput Leuit.

De lege, Deum per Moysen legem dedisse, docet lib. 3. Com. in 12. cap. Leuit.

Legem ceremonialem & forensem abrogatam esse, indicat lib. 6. Com. in 12. cap. Leuit. & in cap. 22. & lib. 7. in cap. 26.

Et Christi passionem nos ab umbra legis liberasse. lib. 5. Com. in 16. cap. Leuit.

Ac Christum ideo incarnatum esse, ut legem impleret: lib. 1. in 5. cap. Leuit.

De euangelio inquit: Mollis est euangelij prędicatio. Accipite enim, ait, iugum meũ leue, &c. lib. 6. Com. in cap. 23. Leuit. Et Dominus prius legem perfecit, & Euangelium post hoc docuit. lib. 6. Com. cap. 23. Leuit.

Euangelium Iudaicam destruit iustitiã. lib. 7. in 26. cap. Leuitici.

De iustificatione seu remissione peccatorum rectè docet, solius Dei esse, remissionẽ peccatorum præbere omni suo plasmati: libro secundo Comment. in sextũ cap. Leuit. Remissionem autem peccatorum non hominem aliquem purum, sed Deum incarnatum IESVM Christum, suis passionibus nobis procurasse, indicat ibidem: & quidem eum omne genus peccatorum mundasse. libro quarto Com. in decimum quartũ caput Leuit. Item, non unum tantum peccatum sed multa ex unigeniti sacrificio donata, dicit lib. secundo Comment. in octauũ caput Leuitici. Et: Nihil impedit, inquit, ad adipiscendam iustificationem, peccatorẽ quem piam fuisse. libro primo Comment. in caput primũ Leuitici. Applicationem autem ad nos fieri sola fide, eleganter inquit: Miseratus Deus humanum genus, cum illud ad explenda legis opera infirmatum uidisset, iam non ex operibus saluare, sed per gratiam hominem uoluit. gratia uero ex misericordia & compassione probatur, & fide comprehenditur sola, non ex operibus, ut Paulus dicit Ephes. libro quarto Comment. in 14. cap. Leuit.

De bonis operibus dicit, non esse ea quæ nobis uideantur, sed quæ Deus præcipit facienda: libro primo Comment. in caput primũ Leuit. & li. septimo in uigesimũ quintũ. In dilectione proximi, Christi exemplum erga nos imitandum, docet lib. primo Comment. in secundum caput Leuit. Et per totum uitæ tempus nos bene operari debere, monet libro sexto, capite uigesimotertio Leuitici. Bona autem opera non nisi per Christum placere, docet libro primo, capite quinto Leuit. Et sua præmia obedientiam habere, demonstrat libro septimo, capite uigesimoseptimo Leuit.

De pœnitentia rectè docet, eos qui non desperent, misericorditer saluari: libro primo, capite quarto Leuit. Et lapsis pœnitentiam crebrò iterantibus, non denegat ueniam: libro primo, capite quinto Leuit. Quicunque pœnitentiam sæpe præuaricans uiolabit, rursusque uult agere pœnitentiam, in spe Christi agat, qui inquisitus à Petro, Si peccauerit, &c. dixit: Non dico tibi septies,

sed septuagies septies. Et eos qui non possint propter senectutem, aut corporis infirmitatem agere pœnitentiam illam ceremonialem & ecclesiasticam, non repelli à pœnitentia, sed alio modo ad impetrandam remissionem peccatorum uenire posse, monet libro primo Comment. in quintũ caput Leuit. Pœnitentię finis & generalis effectus est remissio peccatorum: lib. 1. cap. 4. Leuit.

De baptismo docet, quòd perfectam remissionem per donum gratię possideat: lib. 7. cap. 27. Leuit. Et quòd eo mens diaboli conteratur: lib. 1. cap. 5. Et quòd socij efficiamur Dominicæ passionis: lib. 2. cap. 8. Leuit. Et uirtutem præcedentis baptismatis operari etiam in eam, quæ postea acta fuerit, pœnitentiam: libro secundo, cap. 6. Infantes baptizandos censet, quia nemo sit mundus à sorde: lib. 2. cap. 6. Non baptizatos, alienos à regno cœlorũ pronũciat: lib. 6. cap. 20.

De clauibus rectè sentit duplicem esse, absolutoriam scilicet, & ligatoriam: In lingua sacerdotum nexus & absolutio nostrorum peccatorum consistit. lib. 6. cap. 22. & libro secundo, cap. 10. excommunicationi effectum tribuit, quòd is qui excommunicetur, coram Domino moriatur. libro secundo, capite decimo.

De cœna Domini rectè monet, IESVM eam, post celebratum Pascha sub uesperam, quę fuit initium decimiquarti diei, instituisse: libro sexto, capite uigesimosecundo. In ea uerum corpus & sanguinem Christi accipi, docet libro primo Commentariorum in secundum caput. Carnem eius, quę ad comedẽdum inepta erat ante passionem (quis enim comedere cupiebat carnem Dei?) aptam cibo post passionem facit. Si enim non fuisset crucifixus, sacrificium corporis eius minimè comederemus. Et libro eodem, capite octauo: propter ea carnes cum panibus comedi præcepit, ut nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est, sicut corpus Christi panis uiuus, qui de cœlo descendit. Porrò pœnitentes & credentes ad cœnam accedere, & impœnitentes ab ea abstinere debere, passim monet: libro 6. cap. 22.

De sacrificijs docet, in nouo Testamento sacrificia Mosaica esse abolita, & Euangelica introducta: libro sexto, capite uigesimotertio. Euangelica autem exponit primũ de sacrificio Christi, quo unico expiata dicit peccata totius generis humani: libro secundo, capite sexto: & libro primo, capite quarto. Deinde de mortificatione carnis, libro primo, capite primo: & libro sexto, capite uigesimotertio.

De oratione dicit, secularia & spiritualia à Deo petenda esse. lib. 5. cap. 16. Et per orationem & ieiunia spirituales inimicos dæmones interfici: libro septimo, capite uigesimosexto.

De ministerio uerbi rectè docet, loco Christi doctores & sacerdotes in Ecclesia esse: libro quinto, capite decimoquinto. Ac uult eos non alia, quàm quæ Christus mandauit, docere: libro secundo, capite decimo. & uetat doctrinam sinceram corrumpere: libro quinto, capite 15. & 16. Iubet peccantes arguere, & infirmos cõfirmare, & singularum animarum curam gerere, orare, bono exemplo præire, indignos & impœnitentes à sacramentis arcere. libro 6. cap. 21. & lib. secundo, cap. 10.

De Ecclesia dicit, quòd ea consistat ex ordinibus diuina discentium & docentium: libro quarto, capite decimoquarto. Caput Ecclesiæ Christum esse, monet libro secundo, cap. 9. Extra Ecclesiam non esse remissionem peccatorum, & salutem, quia solus Christus pœnitentium salutem in ea operetur: docet libro secundo, cap. 6. & 9. Ac Ecclesiam habere duplicem ignem, scilicet potestatem absoluendi & retinendi peccata: libro secundo, cap. 10.

De cruce docet, pios non posse esse sine tentationibus & afflictionibus, quia diabolus non quiescat, & peccatoribus abominatio sit pietas: libro secundo, capite septimo & octauo. Crucem prodesse nobis, ut curramus ad medicum, qui nos liberet à uulnere. libro quarto, capite decimoquarto. Et patienter crucem ferendam, propter Christum, monet libro secundo, capite septimo: & propter præmia sequutura. libro quarto, capite 13.

De coniugio rectè sentit, quod à Deo sit institutum, & quòd procreandæ sobolis gratia suscipiendum: libro quinto, capite decimoquinto: & libro septimo, capite 27: & libro primo, cap. 3.

De uirginitate inquit: Non super uirtutem discipulis ingeramus, sed quæ eis sunt possibilia: id est, uirginitatem ei cui est possibilis, illi uidelicet de quo Paulus loquitur: Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem. coniugium ei, qui non capit uirginitatis uerbũ. Et postea: Virtutes Deus secundum possibilitatem exigit. propter quod de uirginitate sanciens: Non omnes capiunt, inquit. Sed & de non possidendo, Si uis perfectus esse, in mandato dixit. libro 7. cap. 25.

De resurrectione sentit, totum genus humanum resurrecturum. libro septimo, capite uigesimoquinto. Et Saluatoris resurrectionem uocat memoriale communis mortuorum resurrectionis: libro sexto, capite uigesimotertio.

De ex-

De extremo iudicio sentit. iudicem uniq; cuiq; secũdum opera sua redditurum: libro 7.capite 24.

De uita æterna docet, quòd in ea futuri sint illi, qui præsentem uocationem susceperunt: libro sexto, capite uigesimotertio: & quòd ex corruptibilibus incorruptibiles, & ex immundis, & sicut angeli Dei futuri simus: libro tertio, capite duodecimo: & 16.capite 23.

In inferno dæmonibus & impijs locum fore, ex Matthæi uigesimoquinto docet: libro 5.capite 18.

De *næuis*.

Habet tamen & ipse suas quasdam singulares opiniones, & incommodas sententias, de quibusdam capitibus doctrinæ.

De creaturis inquit: Sanctificatione nostra superna quoq; creatura participata est: quæ sancta quidem fuit & antea, sed maiorem sanctificationem adepta est per carnem Dominicam, quam sumpsit ex nobis. libro 2.capite octauo.

De libero arbitrio nõ rectè asserit, Credere & proponere bona nostrũ esse, siue incipere ea. lib.2.cap.7.

De iustificatione non satis commodè dicit, Remissionem peccatorum, & iustificationem procurari per hoc, si quis nimirum sese offerat ad contemplandum Deum, & ad perscrutationem legis eius: libro primo, capite quinto. Sic nec illud bene dicit, fides & actiones oportet eum offerre, qui uult saluari. lib.2.cap.7.

De fide etiam satis periculosè dicit, eam dari ad mentis nostræ mensuram, quæ non capiat amplius, nec minus, quàm unicuiq; à Deo dispertita sit cognitio: libro quarto, capite 14.

De bonis operibus non bene affirmat, quòd ea mereantur cum Christo remissionem peccatorum: lib.1.cap.4.

In doctrina de pœnitentia nihil, aut parum de fide dicit. imò inquit: Carnes pœnitentiæ intelligimus ieiunium, uigilias, cilicinum uestimentum, cum lachrymis orationem, eleemosynam. ex his enim consistit pœnitentia: quæ qui tangit, rectè sanctificabitur. libro secundo, capite sexto: & libro septimo, capite uigesimoquinto, & uigesimoseptimo.

De cœna incommoda phrasi utitur, dum in ea dicit IESVM se immolasse. sic enim Scriptura non loquitur: libro primo, capite quarto. Corpus Christi, loquens de cœna, inepte exponit de ecclesia: libro secundo. capite octauo.

Virginitati tribuit fructũ centenariũ, paupertati spontaneæ sexagenarium, casto coniugio tricenarium: lib.7.cap.2

Vitam æternam omni opere uult uacuam & immunem, adeò ut dicat, nulla neque legalia neque Euangelica mandata, neque naturalia nos culturos, sed tantum messuros præmia operum priorum. libro sexto, capite decimonono: & libro septimo, capite uigesimoquinto.

In Scripturarum explicatione confert plurimas uersiones, Septuaginta interpretum, Theodotionis & Aquilę, item Symmachi, libro primo & secundo: & subinde per totum commentarium, Hieronymi: libro sexto in decimumnonum caput Leuitici. Atq; ea res argumento esse potest, non sine magno iudicio illum in Scripturis sacris uersatum esse. De libris Leuitico & Numerorum, ratione ostendit, quare illi in duo sint diuulsi, cum tamen ambo res non diuersas, sed easdem, scilicet de legibus tractent: idque nullam aliam ob causam factum ait, quàm ne amplitudo unius libri legentibus fastidium páreret, &c. Epistolam ad Hebræos expresse Paulo tribuit, quoties illius testimonijs utitur: ut libro primo, capite secundo, tertio, quarto & sæpius.

Si uni & eidem Hesychio rectè tribuuntur sermones isti græci, de quibus antè tum ipsum istius linguæ fuisse gnarum, res ipsa per se loquitur. ac tum illi in Leuiticum Cõmentarij è græco uersi quoque uideri possent: atque inde interpretis fortè culpa euenire, ut dictio minus usitata habeatur, ut diximus. Sin diuersi Hesychij fuerint, attamen nec horum Commentariorum authorem, eius linguæ, græcæ nimirũ, fuisse ignarum, inde patet: quòd diligenter græcas rerum appellationes in ijsdem explicat. ut *παράπωμα*, libro primo, capite primo: itẽ *ἀκπόλος*, capite tertio: item *χίμαρος, χίμαιρα, χιμεῖνοί*, &c. in capite quarto eiusdem libri. Item initio secundi libri, in capite octauo, recurrit ad græcum Bibliorum textum.

Physices quoque doctrinæ non penitus eum qui istos Commentarios edidit, fuisse ignorantem, inde colligitur: quòd de mentis sede agens, dicit eam in corde & cerebro habitare. libro primo in primũ caput. Item de libidinis appetitu ait, eum superiacêre renibus & inguinibus, seminum organis, &c. in tertium caput eiusdem libri.

¶ Refellit obiter etiam quasdam prauas & hæreticas opiniones, quales sunt Nestorij, libro primo in quartum caput: Quòd præcepit ut non Christũ diuidas, sicut quidam diuidunt dicentes: Is qui de Maria est, passus est: qui autem de Deo patre est, passus non est. Nobis enim unus Dominus IESVS Christus, per quem omnia. quia secundum quod Paulus dixit, quum ut homo pateretur, miracula tamen in passionibus operabatur,

rabatur, ut Deus nusquam diuisus, &c.

Apollinaris, hoc dicto ibidem: Vt quia mentis intelligibilis uenter figuram gerit, &c. ex eo mentem habuisse nostram, eum qui pro nobis passus est, minimè ignoremus, quod quidam hæreticorum negant.

Manichæi, eodem quidem libro, sed in caput quintum: Quia autem non debemus extoto corpus auersari, nec creaturam illud diaboli æstimare, sicut quidam putant, sed subdere illud menti: propterea non præcepit caput à collo separari, unius quippe eiusdemque sunt utræque creaturæ. Hos etiam expresso nomine taxat libro sexto, in decimumnonum caput, ob cultum quem creaturis præstent pro creatore.

Chiliastarum, libro secundo in caput septimum: Nec hæc frustra præsenti sanctioni addidit, sed quia quidã post finem huius uitę & mortuorum resurrectionem, aliam talem uitam qualis nunc est describere præsumpserunt, mille annorum quoddam seculum introducentes, &c.

Eorum etiam qui negant Deum esse authorem mali pœnæ, refutat opinionem libro quarto in caput decimumquartum de dicto in Mose: Dabo maculam lepræ in domibus uestris.

Reprehendit prauam interpretationem quorundam, qui alterum ex hircis, emissarium scilicet, decimosexto capite Leuitici, diabolum dicebant, qua occasionem præbuerint ad cultum diabolo præstandum: eosque nominat aure obturatos, & mente cæcos. Nec subesse ullam ait rationem qua credi possit, Deum diabolo sacrificium offerendum præcepisse: qui & fratrem, filium, filias, nec non & integras ciuitates, quæ ad idola conuersæ fuissent, perdendas per Mosen statuisset. Libro quinto in idem caput.

Cum Eutychiano diacono familiariorem ei intercessisse coniunctionem, inde liquet, quòd hos eidem Commentarios nuncupat. Quis uerò is fuerit, ignotum.

Archadio & Honorio Imperatoribus clarum ipsum fuisse circiter annum Domini quadringentesimum, Trithemius refert.

Nos moti loco illo, quo ipse reuera Nestorij hæresin notat, licet authori parcat, cum dicit, Is qui de Maria est passus est: qui autem de Deo patre est, passus nõ est (quod omnino Nestorius & sensit, & docuit) diceremus: propemodum illum post Theodosium istum iuniorem, sub quo primùm ea hæresis exorta est, uixisse, & istos Commentarios scripsisse.

THEODVLVS.

Theodulus Bethlehemitanæ ecclesiæ episcopus, unus ex illa synodo qui Hierosolymis ad depositionem Polychronij conuênit, non tantum fuit, sed communi istorum patrum electione datus est Polychronio uicarius, ipso ab rerum administratione suspẽso: ut patet ex actis eius synodi, primo tomo Conciliorum.

PHILIPPVS PRESBYTER *Palæstinus.*

Philippus presbyter fuit, & auditor Hieronymi, alicubi in Palæstina, & monachus: ac floruit sub Theodosio & Valentiniano, circiter annum Domini quadringentesimum trigesimum, ut Trithemius annotat. Edidit libros simplici sermone, & Commentarios in Iob: & epistolas ad pauperatis & dolorum tolerantiam exhortatorias, quas Gennadius se legisse scribit, sed ualde mendosas. Mortuus est Marciano & Auito regnantibus.

PETRVS MAIVMAE.

Petrus ex Iberia oriundus, Maiumæ Gazæorum episcopus creatus est à Theodosio, sedis Hierosolymitanæ occupatore, absente Iuuenale. Euagrius libro secundo, capite quinto & octauo: Nicephorus libro decimoquinto, capite decimosexto. Cum autem Proterius Alexandrinus eum ab officio remouisset, coniunxit se cum Timotheo Aeluro, eumq; in Proterio exturbando strenuè adiuuit.

PAVLVS.

Paulus, siue Paulinus, siue etiam Paulinus (nam omnes istæ nomenclaturæ reperiuntur) Maiumæ episcopus hoc seculo, ex duabus synodis Ephesi celebratis, quibus interfuit, notus est,

NATIRAS.

Natiras Gazenæ ciuitatis episcopus, nomen habet in Catalogo synodorum Ephesinæ primæ, Constantinopolitanę & Chalcedonensis.

THEODOTVS IOPPENSIS.

Theodotum à Theodosio Prædone directo, Hierosolymitano episcopo, in Ioppe ordinatum, Euagrius libro tertio, capite sexto, & Nicephorus libro decimosexto, capite quinto scribunt. Idem Nicephorus narrat, ipsum cum alijs quibusdam Timotheo Alexãdrino à Basilisco reuocato restitisse, & inter primos fuisse qui ab ipsius factione desciuerint: quòd Chalcedonensis synodi acta damnaret. A quo tamen diuersum recitat Euagrius: quòd uidelicet non modò non desciuerit hic Theodotus à Timotheo, uerùm quòd ipse unus fuerit eorum

eorum quos Timotheus ab exilio suo restitutus, ipse quoque, quòd suarum essent partium, restituerit. Ac mirum sanè est, cum uterque, & Nicephorus & Euagrius, unum eundemque de hac re authorem citent Zachariam, ibi in narratione esse contrarios. Atq; ex hac etiam narratione colligi potest, quo tempore uixerit iste Theodotus: à Marciani nempe Imperio, sub quo pastorem renunciatum constat, usque ad tempora Zenonis, sub quo quæ posteriori loco narrauimus facta sunt.

FIDVS.

Fidus Ioppę episcopus, Ephesino illi uniuersali concilio contra Nestorium coacto interfuit, sub Theodosio. testis eiusdem Catalogus.

LEONTIVS.

Leontius Ascalonæ ciuitatis Palæstinæ episcopus, Ephesinæ synodo Prædatoriæ nominatæ interfuit, & pro Eutyche recipiendo cum multis alijs supplicauit: testis eius Synodi catalogus, in actis Chalcedonensis concilij. Interfuit & Chalcedonensi, sub Imperatore Marciano.

ZOSIMVS Minoidis, item PHOTINVS seu PHOTIVS Lyddæ, item HERACLIVS Azori ciuitatum Palæstinæ, ex illis ipsis Synodis, & ea ipsa ratione quòd eisdem interfuêre, hoc seculo cogniti sunt.

OLYMPIVS VAZATENSIS.

Olympius episcopus Vazatensis sub Hierosolymitana diœcesi, in Prædatoria illa Ephesina synodo fuit, & expressa sententia receptionem Eutychetis comprobauit. ex actione prima Chalcedonensis synodi.

BARVCHVS.

Baruchus Oruzæ ciuitatis Palæstinæ episcopus, Ephesinæ illi ignobili, & propter inquè acta infami interfuit Synodo, & in Eutyche recipiendo ipse quoque cum alijs sua uota coniunxit. testimonium perhibent eiusdem acta.

PAVLVS ANTHEDONIS.

Paulus Anthedonis ciuitatis episcopus, Ephesinæ primæ synodo contra Nestorium interfuit. testis Catalogus eiusdem. Videtur & Constantinopolitanæ interfuisse, ut in eiusdem Actis mentio fit. Chalcedone quoq; adfuit.

THEODORVS.

Theodorus Gadaræ secundæ Palæstinæ episcopus, Ephesinę synodo interfuit: testatur Catalogus, & subscripsit cũ Cyrillo, sub Theodosio Imperatore.

IOANNES.

Eiusdem ecclesiæ episcopus, Chalcedonensi sub Marciano imperatore interfuit. testantur Acta, in primo tomo Conciliorum.

LETOIVS LIBIADIS.

Letoius, siue Letogius episcopus Libiadis ciuitatis, Ephesinæ primæ synodo interfuit: testatur Catalogus in actione Chalcedonensis concilij, in primo Conciliorum tomo.

PANCRATIVS.

Pancratius eiusdem Ecclesiæ episcopus, alteri Ephesinæ synodo, in qua Eutyches iustificatus est, interfuit, atque istiusiniqui iudicij cum alijs particeps fuit. Adfuit etiam in Chalcedonensi concilio: ut testantur eius Concilij acta.

POLYCHRONIVS.

Antipatridæ ciuitatis episcopus, ex duabus Synodis hoc seculo cognitus, Ephesina altera, reproba illa & infami ob Eutychis hęretici iustificatã causam, cuius & ipse sua sententia consors factus est: & Chalcedonensi illa maximè laudabili: sicut acta utriusque testantur, quæ Chalcedonensi concilio coniuncta sunt, in primo Conciliorum tomo.

ZEBEMIVS, Pellæ:

ANIANVS, Capitoliadis:

IOANNES, Tyberiadis:

ANTIOCHVS, Archelaidis, ciuitatum Palæstinæ episcopi hoc seculo, ut multi, ex duabus Synodis in memoria sunt, quibus interfuerunt, & earundem acta suis suffragijs & uocibus iuuerunt: priori illa illaudabili Ephesina, posteriori Chalcedonensi plurimùm cõmendata: ut acta utriusque cõtinent in primo Tomo, sub gestis Chalcedonensibus.

BERILLVS, Alalæ siue Ailę ciuitatis episcopus:

ARETA, Elusæ ciuitatis secũdæ Palę stinæ episcopus:

MARTIANVS, Gerrhę ciuitatis episcopus:

STEPHANVS, Iamnię ciuitatis episcopus. hos quatuor Chalcedonense cõcilium illud sub Marciano coactum posteritati commendat, quòd eidem interfuisse memorentur in gestis eiusdem.

MVSONIVS.

Musonius Zoaræ, siue Sigor, Segor seu Sigartæ (nam deprauatè hæc nomina leguntur) ciuitatis secundæ Palæstinæ episcopus fuit.

GLYCONIVS.

Glyconius Cæsareę Palæstinę episcopus, licet Chalcedonensi concilio ipse præsens non interfuerit, ex eodem tamen est notus: quòd illo tempore eam ecclesiam rexerit. fit

enim eius in istius Concilij catalogo mentio, & alius ipsius locum suppleuisse memoratur.

TIMOTHEVS.

Saracenorum ciuitatis prouinciæ Palæstinæ episcopus, interfuit congregationi Constantinopoli sub Flauiano, temporibus Theodosij posterioris, in negocio & examinatione dogmatis Eutychiani. Patet ex actis eiusdem, quæ referuntur in actis Chalcedonensis concilij, in primo tomo.

DE ALIIS PALAESTINAE *episcopis.*

In illa Hierosolymitana aduersum Polychronium synodo, annotata sunt nomina tantum quorundam qui interfuerunt, & uidentur omnes esse Palæstini: siquidem ex uicinia conueniisse omnes, in ipsa actionis narratione ibidem memorantur. Sunt autem isti:

Epiphanius, Quiriacus, Bonosus, Ioannes, Victor, Montanus, Specios̃us, Paulus, Robocus, Castinus, Barbentius, Iacobus, Iustus, Festus, Palumbulus, Euphemius, Cicero, Familiaris, Felix, Augustinus, Hippolytus, Symmachus, Leo, Pelagius, Paulus, Restitutus, Reuocatus, Polychronius, Sabinus, Pardus, Spesindeo, Triton, Auētius, Tranquillinus, Sarseus, Sebastianus, Vrbicus, Petrus, Zosimus, Habetdeum, Zoilus, Valentinus, Quirinus, Anastasius, Caritosus, Geminus, Deuterius, Theodalus, Paulus, Castus, Gorgonius, Fortunatus, Proditus, Scelbianus, Fabius, Clemens, Secūdus, Iunius, Honoratus, Olybrius, Ioannes, Petronius, Holocaustus, Andreas.

PHOENICES.

ANTIOCHVS PTOLEMAIDIS.

ANtiochus Ptolemadis Phœniciæ episcopus, fuit tempore Arcadij: ut Socrates libro sexto, capite undecimo narrat. Fuit autem (ut Sozomenus scribit libro octauo, capite decimo) uir mirè facundus, & ad docendum in Ecclesia instructissimus: ac propter expeditam in dicendo facilitatem, & rotundam ac suauem pronunciationem à plurimis Chrysostomus etiam appellatus est. Constantinopolim se contulit, & ibi ecclesias aliquandiu docuit. Cùm autem non modò magnam laudem, sed etiam pecuniam multam consequutus esset, domum reuersus est. Aduersus auariciam eum longū uolumen scripsisse, narrat Gennadius in Catalogo. Similiter & homiliam composuisse de curatione cæci, qui à Christo illuminatus est. Vtriusque horum testimonijs utitur Theodoretus in dialogo Polymorphi. Diem suum malè obijsse, ut & plurimos alios Ioannis Chrysostomi persecutores, recitat Nicephorus libro decimotertio, capite trigesimosexto. Arcadij tempore mortuum: tradit Gennadius.

EVSTATHIVS BERYtanus.

Eustathius Berytanus fuit episcopus, temporib. posterioris Theodosij & Marciani Imperatorum. Et uidetur inter suæ ætatis doctores Syriacos nō postremi fuisse nominis. Primū enim ipse unus fuit ex ijs, quibus ab Imperatore Theodosio & Flauiano Constantinopolitano archiepiscopo, missis legatis commissa fuit cognitio causæ inter Ibam Edessenum, & quosdā ex suo clero: ueluti ostendunt nona & decima actiones Chalcedonensis concilij: item Liberatus Breuiarij capite decimo. Pòst, coacta Synodo Ephesi ob Eutychis damnationem, ipsi præfidendi ac iudicandi partes ab Imperatore sunt demandatæ. author Euagrius libro secundo, capite quarto, & ultimo: ubi ipse quoque diserta sententia pronunciat in damnationem Flauiani & Eusebij Dorilæi, ut qui contra Nicenam fidem quædam innouarint. Eutychen uerò restituendum decernit, ut cuius doctrina sit consona expositioni in Nicea facta. Testantur hoc gesta eius deprauati conciliabuli, quæ in prima Chalcedonensi actione recitantur.

Interfuit & Chalcedone in illo frequētissimo cōuentu: & in ea sanè primùm exauthoratus est, ut & cæteri eius collegę, quibus iudicandi fuerat potestas, quod perperam & deprauatè iudicassent. Sed postea agnita culpa, & petita uenia, restitutus est, ut & cæteri. Euagrius in ijsdem locis, & Nicephorus in tractatu peculari de eius Synodi actis, qui ad finem libri decimiquinti adiectus est. De dogmate, cuius explicandi gratia potissimùm cōuentus ille institutus uidetur, nimirum de incomprehensibili diuinarum Christi naturarum copula, ipse proponit perplexam quæstionem in ea Synodo: Quomodo oporteret intelligi epistolas Cyrilli, scriptas ad episcopos Acacium Melitinēsem, Valerianum Iconij, & Successum Diocæsareæ, in quibus hæc extet sententia: Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Dei uerbi incarnatam. Et pòst ipse quoque suam sententiam profert, inquiens: Qui dicunt unam naturam ad negationem carnis Christi, quæ & cōsubstantialis est nobis, anathema sit. Et qui dicit duas naturas ad diuisionem filij Dei, anathema sit. Est ipsius & hæc sententia: Christus hominem non assumpsit, sed homo factus est: carnem autem assumpsit. In prima actione eius Concilij, primo tomo.

PAVLVS.

Emesenus episcopus, in Ephesina synodo contra Nestorium oborto schismate, secutus est partes Antiocheni antistitis Iohannis, atque unà cum ipso & alijs legatus à parte factionis Ioannis missus abijt Constantinopolim, contra Cyrillum & suos complices, causam apud Imperatorem acturus. Paret ex mandato, quod in fine istius Synodi, in primo Conciliorum tomo adiectum est. Rursum exacto aliquo tempore missus ab eodem Ioanne Antiocheno episcopo ad Cyrillum Alexandriam, attulit secum unà chartam, quæ articulorum fidei sinceram ac incorruptam cõfessionem continebat: simultatumque, quæ in Ephesina synodo ob Nestorij condemnationem inter ipsos inciderant, causis abolitis, eos in gratiam reducit. Narrat Euagrius libro primo, capite sexto: Nicephorus libro decimoquarto, capite trigesimoquinto. ac mirè à Cyrillo ob hanc pietatem ibidem commendatur, quòd uir (ut apparet) magnus, & ultra uires sese mediatorem interponere, & reconciliandi laborem in se recipere non fuisset grauatus. Meminit ipsius, ut pacificatoris, etiam Ibas Edessenus in concilio Berytensi: item epistola ad Marin Persam, in decima actione Chalcedonensis concilij. Meminit & Liberatus in suo Breuiario, eodem nomine, capite octauo: & addit, habuisse ipsum sermonem ex primo capite Ioannis, de dicto, Et uerbũ caro factum est, & habitauit in nobis, &c. Et ex eo docuisse, duas in uno & eodẽ Christo unitas naturas: & cũ gratulatione ac acclamatione eam exceptam & approbatam concionem, & sic factam pacem. Cyrillus in epistola quę apud Athanasium extat, eum uenerabilem uirum appellat: ac narrat eum se consuluisse de epistola Athanasij ad Epictetum: eiusque emendatius exemplar ex antiquo codice descriptum, Antiochiam reportasse.

POMPEIANVS.

Pompeianus Emisę Phœnices ciuitatis Libani episcopus, interfuit prouinciali cõuentui Antiochię, tẽpore Domni, eiusdẽ ecclesię rectoris, in causa Athanasij Parenorũ episcopi: ut decimaquarta actio Chalcedonẽsis concilij ostendit.

VRANIVS.

Eandem ecclesiam gubernauit ea tempestate, qua concilium Chalcedone celebratũ est: in quo licet præsens non adfuit, per suũ tamen archidiaconum Porphyrionem subscripsit. Testantur eiusdem concilij Catalogi, & Acta.

DAMIANVS.

Damianus Sidoniorum episcopus, Chalcedonensi concilio interfuit, & cum alijs Alexandrinum antistitem Dioscorum dicta sententia damnauit, testis Catalogus eiusdem Concilij.

¶ Sunt & alij Phœniciæ episcopi, quorum sola nomina extant in Chalcedonensis concilij Catalogo: ut Olympius Atrapolis Phœniciæ prouinciæ episcopus.

Theodorus, Tripolis Phœniciæ primæ episcopus.

Ioseph, Heliopolis ciuitatis Phœnices Libani episcopus.

Valerius, Laodiceæ Phœnices item ciuitatis episcopus.

Thomas, Euromæ Phœnices similiter ciuitatis episcopus.

Theonas, Enriæ siue Enariæ Phœniciæ episcopus.

Hi Phœnices episcopi in catalogis Chalcedonensis concilij commemorantur, quòd eidem interfuerint.

BENETIVS.

Quidam Bibli episcopus Benetius, Antiocheno cuidam cõuentui, ob Parenorum episcopum Athanasium accusatum interfuit, tempore inter duas synodos Ephesinas, primam illam maximè celebrem, & alteram insigniter infamem, &c. ut decimaquarta Chalcedonensis illius magni concilij actio ostendit.

AQVILINVS.

Aquilinum Bibli ciuitatis Phœnices maritimæ episcopum nominat Nicephorus, libro decimoquarto, capite quadragesimoseptimo. & depositum etiam ipsum in illa Prędatoria synodo Ephesina, præter Nicephorum, etiam Euagrius meminit libro primo, capite decimo.

RVFINVS.

Interfuit & Chalcedonensi synodo Bibli episcopus, Rufinus nomine. ex Catalogo eius synodi, in primo tomo Conciliorum.

CYRVS TYRIORVM.

Cyrus Tyriorum episcopus, ex dissidio Ephesinæ synodi contra Nestorium coactæ cognitus: Ioannis Antiocheni episcopi, à Cyrillo Alexandrino dissentientis ob Nestorij depositionem, partes secutus est. In primo tomo Conciliorum.

IRENAEVS.

Irenæus Tyri episcopus fuit, & in Ephesina synodo ab hæretica Eutychianorum cohorte, à sui ministerij regimine reiectus. Euagrius libro primo, capite decimo: & Nicephorus libro decimoquarto, & quadragesimoseptimo.

PHOTIVS.

Photi⁹ Tyri episcop⁹, ab Imp. Theodosio iuniore & Flauiano episcopo Cõstãtinopolis, unà cum

unà cum alijs iussus est, disidium inter Ibam & suos collegas componere, quod tum in Tyro, tum in urbe Beryto fecit. Postea interfuit synodo Ephesinæ, & pro Eutiche sententiam tulit. Fuit etiã in Chalcedonensi, ut patet ex actis.

ARABES.

CONSTANTINVS.

COnstantinus Bostræ metropolis Arabiæ episcopus fuit, non exiguæ, (ut uidetur) autoritatis. Nam plerisque Synodis eius tempore habitis interfuit: nimirum Antiochenæ sub Domno eius Ecclesiæ gubernatore Ecclesiastico, ob disidium inter Edessenum episcopum, eiusdemq; ministros, temporibus Imperatoris Theodosij posterioris: ut testatur decima actio Chalcedonensis concilij. Deinde Ephesinæ posteriori, in qua etiã Eutychis restitutionem ratam habuit, sub eodem Imperatore: uelut eiusdẽ quoq; acta testantur. Postremò & Chalcedonẽsi, in qua unus est ex ijs qui mittuntur uocatum Dioscorum, ad dicendam causam: interq; illos missos primas ipse partes habet, & oratoris officium, qui mandato Synodi ipsum Dioscorum euocat: sicut tertia eiusdẽ Concilij actio ostendit.

PLACVS.

Gerassæ episcopus, eidem Antiocheno concilio sub Domno, unà cum Constantino interfuit, & cum cęteris cõtra Ibæ aduersarios decreuit: ut eadem decima Chalcedonensis actio habet. In Chalcedonensi concilio absens per Constantinum subscripsit, ut Catalogus subscriptionum recitat.

DE ALIIS EPISCOPIS ARABIAE *sub diœcesi Bostrensis.*

In concilio Chalcedonensi mentio fit plurium episcoporum Arabiæ in diœcesi Bostrena, quorum nomine Constantinus subscripsit: ut sunt, Zosius Ebodorũ, Malchus Auaræ, Ganton Elanorum, Nonnus Saracẽsis, Chilon Neapolis, Erretobius Neclę, Caineus Medinæ, Seuerus Maximiænopolis, Anastasius Anithæ, Solemus Constantiæ, Maras Dionisiadis.

De alijs metropolitanis Arabiæ.

Fit etiam mentio in eodem Concilio aliorum metropolitanorum Arabiæ, qui interfuerunt & subscripserunt actis: ut sunt, Eulogius Philadelphiæ metropolis Arabiæ, Hormisda Philippopolis Arabiæ, itidem Iohannes Chrysopolis seu Cyropolis Arabiæ

SYRI.

ANTIOCHENI EPISCOPI.

PORPHYRIVS.

POrphyrium in Antiochenę ecclesiæ administrati one succesisse Flauiano, tradunt Socrates libro septimo, capite nono: Sozomenus libro octauo, capite uicesimoquarto. Verùm non honesto electionis titulo, nec iustæ uocationis iure, sed fraude & tyrannide id factum, Nicephorus libro decimotertio, capite trigesimo indicat. Nã ab hominibus suæ factionis Seueriano, Acacio & Antiocho, episcopis (ut uidentur) cũ urbs tota aliquando extra mœnia in luco Daphnes effusè essent occũpata ludo ac spectaculis, tacitè quidẽ & adeò properanter, ut multos consuetos ritus in ista initiatione prętermitterent, episcopus ordinatus, & nõ usitata consuetudine, sed prędonis in morem cathedram conscendit & occupauit. Quod factum ubi ciuitas sensit, tanta aduersum ipsum exarsit seditio, ut nisi per urbis præsidẽ, quem ipse pecunia corruperat, ui & armata manu repressa fuisset, eum unà cum ipsis ędibus, igni perdituri fuerant.

De ipsius uitæ sanctimonia hoc idem habet author, quòd fuerit uir grandæuus, nec minus improbitate ueterator (quippe quæ cum ipso diligenti cura nutrita coaluerat) quàm ætate uetulus. Sed ipsum tamen à sapientia & benignitate commendare uidetur Theodoretus libro quinto, capite trigesimo quinto. Verùm Sozomenus libro octauo, capite uicesimoquarto, dicit eum consensisse in ea quæ contra Ioannem Chrysostomum fuissent decreta, ac eo modo turbasse suam Ecclesiam: & orthodoxis persecutionem intentasse lege quadam, ne orthodoxis liceret extat Ecclesiam conuenire, studio & gratia magnatũ impetrata & promulgata.

ALEXANDER.

Alexander monasticis studijs antea exercitatus, episcopi locum Porphyrio mortuo accepit. Nicephorus libro decimoquarto, capite uicesimoquinto. Vir erat pietatis & cœlestis doctrinæ meditatione, item diuitiarum contemptu, eloquentia, & multis alijs donis ac ornamentis clarus. Nam in dicendo fuisse promptum ac copiosum, Cyrillus quoque Alexandrinus episcopus narrat in epistola ad Atticum relatoria, quæ habetur capite uicesimoseptimo eiusdem libri apud Nicephorum: & concordiæ conciliandæ, fouendæ & conseruandæ studiosissimus. Nam suam Antiochenam ecclesiam, ob Eustathium multo tempore in sese diuisam, ita quidem ut plurimi à reliquo corpore secedentes, proprios seorsum conuentus agerent, coniunxit cohortando & persuadendo. Deinde alios quoque

quoq; Ecclesias inter sese dissidentes, cõcordiã inire fecit. Cum enim uideret ob Chrysostomi condemnationem Ecclesias passim desubinde nouos & crebros tumultus excitare uoluisse, ut uel inuito Attico eius loci episcopo Chrysostomi nomen sacris tabulis inscriberent. recitat Nicephorus capite uicesimosexto, antè citato libro. Extant in primo Conciliorum tomo duæ epistolæ Innocẽtij Romani pontificis, in quibus pacis studium in eo commendat. Cumq; ob dissensiones in ea Ecclesia Romani se ab eiusdem communione segregassent (ut uidetur) huius Alexandri beneficio Romana ecclesia Antiochenæ communionem recepit, facta inter ipsos etiã reconciliatione mutua. Hoc ipsum etiam eiusdem Pontificis epistola ad Bonifacium quendam testatur.

THEODOTVS.

Theodotus Alexandro Antiochię successit: Theodoretus libro quinto, capite quadragesimo. Castitate, mansuetudine, & alijs uirtutibus ornatus: capite trigesimo, libro decimoquarto Nicephorus. Erat & ipse pacis & concordiæ amans. nam assectas Apollinaris, ab Ecclesia eius loci diuulsos, reliquo Orthodoxorum gregi cõiunxit. Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimo. Atticus Constantinopolitanus episcopus ad Cyrillum scribens, meminit, quemadmodum hic Theodotus ab Antiochensium populo coactus, Chrysostomi nomen episcoporum Catalogo inscripserit: ut narrat Nicephorus eodem libro, capite uicesimosexto.

IOANNES.

Ioannes Grammaticus fuit Antiochię tãta facundia præditus, ut extemporè posset declamare: ut Gennadius in Catalogo indicat. Theodosio autẽ posteriore adhuc imperãte, Antiochenę ecclesiæ post Theodotũ factus est episcop⁹: ut Nicephorus scribit libro 14. cap. trigesimotertio. Ac fuisse eũ metropolitanũ, seu inspectorẽ uicinarum Ecclesiarum, patet ex Euagrij libro primo, capite tertio. Nõ autẽ solũ uiua uoce Ecclesiã docuit, sed etiã scriptis. nam Gennadius restatur, eũ scripsisse aduersum illos, qui una tantum substantia Christum adorandum asseruerant. Extat eius homilia in fine synodi Ephesinæ primæ. Extat etiam formula fidei de Christo Deo & homine, & eiusdem utriusque naturæ copulatione, in prima actione Chalcedonensi: & in Liberato, capite octauo. Inter alia autem doctrinæ capita, rectè illustrauit doctrinam de ipsv Christo, quòd in eo duæ naturæ in una persona essent: ut Gennadius testatur. Præbuit etiam sese acerrimum ueritatis propugnatorem contra eius adulteratores. Nam cum exorta fuisset Nestorij hæresis, & ipse à Celestino Romano & Cyrillo Alexandrino episcopis de ea admonitus esset per literas, causam communem neutiquam negligendam ratus, ad Nestorium scribit: addens & illas literas, quas de eodem negocio ad sese perscripserant Celestinus & Cyrillus episcopi: ac fraternè ac amicè admonet hominem, ne à ueræ fidei professione desciscat, sed rectè filium Dei è sacratissima Deigenitrice uirgine Maria genitum profiteatur: neque eum iuxta progressum tantum, seu profectum, deificatum esse asserat. Ad quod confirmandum subijcit Apostoli dictum: Misit Deus filium suum factum ex muliere, &c. Ac monet præterea eum, ne sententiam ipse suam, ut rectam, pertinacius retinere ac propugnare pergat, sed communem potius Ecclesiæ consensum magno suo & aliorum multorum commodo amplectatur. Nicephorus ibidem. Meminit eius ad Nestorium epistolæ etiam Liberatus capite quarto sui Breuiarij. Postea cum ipse quoq; ad dijudicationẽ Nestoriani dogmatis Ephesum uocatus ab alijs, conuenisset cum suis episcopis & presbyteris, numero ad XXXIIII (ut Liberatus in Breuiario narrat, capite sexto) sed tardius, propter itineris difficultatem: cognouissetq́ue, non expectato suo aduentu causam iudicatam, Nestoriumq́ue damnatum esse: adeò indignè rem eam tulit, ut facta discessione à reliquo cœtu cum suis, adiuncto etiam Nestorio (ut Nicephorus refert) Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Ephesinũ episcopos, ipse etiam dignitatibus abrogatis deponeret. Causam ei præbuerant duodecim capita seu sententiæ, à Cyrillo Nestoriano dogmati minus cautè oppositа. Videbatur enim Cyrill⁹ ita Nestoriũ refutasse, ut Apollinaris errorem asseruisset. Quare Andreę & Theodoreto episcopis suis mandat Ioannes, ut ea duodecim capita Cyrilli impugnent, ueluti Apollinaris dogmata instaurantia: ut refert Liberatus cap. 4. in Breuiario suo. Verùm cũ paulo pòst ipse uicissim à Synodo euocatus esset ad reddendã rationẽ sententiæ suæ, qua illos damnauerat,

nec ta-

nec tamen compareret, illis à synodo absolutis: ipse, & quotquot cum ipso senserant, à sacra communione & uniuersa sacerdotij authoritate sunt excluſi: ut recitat Euagrius libro primo, capite quarto & quinto: Nicephorus libro decimoquarto, capite 34. & 35. Recitat & Socrates libro septimo, capite trigesimoquarto. quem tamen uterque Nicephorus & Euagrius reprehendũt, quòd paulo aliter rem narret. Meminit & Liberat⁹ capite quinto & sexto. Extant item acta eius Synodi in primo Conciliorũ tomo. Cumque ita discessum esset infensis & exulceratis animis, Ioannes domum reuersus, alterá conuocat multorum episcoporum synodũ, ac denuò Cyrillum damnat: quemadmodũ ex illis Socratis & Liberati locis animaduertitur. Cumque ad quartum iam à condemnatione Nestorij annum offensæ istæ durassent, tandem hic Ioannes Dei iudicium metuens, & quòd multos Nestorij opinione perire uideret: pœnitentia ductus, scribit ad Imperatorem, monetque, Nestorium ex Oriente eijciendum esse. Simul etiam ex Imperatoris consilio & uoluntate ad Cyrillum Alexandrinum mittit Paulum Emesenũ episcopum, unà cum libello, qui & fidei sinceræ professionem & offensæ mutuę abolitionem, tum etiá amicitiæ priuatæ reconciliandæ concordiæ & pacis, item publicę Ecclesiarum instaurandæ causas habebat. Nicephorus ibidem, & Euagrius. Liberatus octauo capite, reconciliationis etiam ipse meminit, sed ita, ut dicat, Imperatorem misso tribuno, & proposita exilij pœna utrique, ad reconciliationem & pacem ipsos adduxisse. Ibas in epistola ad Marin Persam, (cuius fragmentum refertur in decima actione Chalcedonensis concilij) Ioannem hunc coactum ab Imperatore redijsse in gratiam cum Cyrillo, ipse etiam narrat. Huic Ioanni scriptum miserat contra Nestorianum dogma Proclus Constantinopolitanus, iudicium ipsius petens: quod perlectum cum suę diœceseos episcopis approbauit subscriptione. refert Liberatus decimo capite. Ibidem hoc quoque commemoratur, quòd cõsensu Synodi, suorum episcoporum literis scriptis ad Imperatorem Theodosium, Proclum Constantinopolitanum, item Cyrillũ Alexandrinum, archisymmystas defenderit: Theodorum Mopsuestenum episcopum, eiusque doctrinam & sapientiam plurimùm commendarit, contra quosdam monachos Armenios, Apollinaris sectatores, qui excerpta quædam capitula ex scriptis Theodori circumferebant, & ut hæretica calumniabantur, Ecclesiasque passim in Oriente uagantes, & monasteria pariter turbabant. Ex quo manifestum est, curæ ipsi fuisse Ecclesiæ tranquillitatem tueri, & homines innocentes & reproborũ calumnijs deformatos defendere, &c.

DOMNVS.

Post Ioannem, Domnum præfuisse in episcopatu Antiochiæ, Euagrius dicit libro primo, capite decimo: item Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimoseptimo: item Liberatus decimo Breuiarij capite. Vixit etiam iste Theodosij temporibus, ac functus est officio metropolitani: unde ab Iba archiepiscopus uocatur, in decima actione Chalcedonensis synodi. Stephanum Hierapolitanum episcopum ordinauit. Synodos aliquot in sua diœcesi celebrauit. In una, de Athanasio Parenorum episcopo, à suis collegis accusato tractauit: & cum in eius depositionem omnium sententiæ conuenirent, inuitus & ipse cõsensit. Ob quam rem postea in Chalcedonensi synodo est accusatus ab Athanasio. In eadem synodo etiam Ibæ accusatores, cum sese subduxissent, excommunicauit. Synodi Constantinopolitanæ decretum de damnatione Eutychetis, absens cum legisset, suo calculo approbauit. Sed in Ephesino illo insidioso conuentu, in exitium Flauiani instituto, nõ modò præsto ipse fuit: sed ut plerique omnes, aut causam non satis intelligens, aut præsidentibus adulatus, aut denique etiam præsentium periculorum discrimina reformidans, iniusticię patrocinatus est: ac quam haud ita multo antea suo consensu approbuerat sententiam de Eutychis damnatione, & subscriptione firmauerat, eam in hoc conuenticulo publicè reuocauit, & Eutychis restitutionem comprobauit, hac diserta sententia: Quoniam dudum ex transmissa mihi epistola à sancta Synodo in Constantinopoli congregata, in damnationem uiri religiosi Eutychis archimandritæ subscripsi: ex nuper autem oblatis ab ipso libellis sanctæ Synodo in hac Ephesina metropoli congregatæ, confessus est se acquiescere & fidei sanctorum trecentorum decem & octo patrum, qui in Nicea conuenerunt: sed & priori Concilio, quod in hac eadem urbe Ephesina similiter conuênit: comprobaui & ego ipse cum uestra sanctitate, recipere eum & presbyterij dignitatem, & primatum sub eo degentium reuerendissimorum fratrum. Ex eiusdem Conciliabuli actis, quæ in prima Chalcedonensi actione referuntur. Quin paulo pòst etiam in Flauiani & Eusebij Dorilæi damnationem consentit, ueluti ex eadem actione eius hæc uerba testantur: Consors sum, inquit, & ego sanctæ uestræ Synodo, damnanti Flauianum & Eusebium, tanquam nõ permanentes in sancto Niceno concilio, & quòd prídem

dem hic congregatum est: & consentio in eos à uobis prolatæ iustæ sententiæ. Cæterùm quodcunque demum fuerit consilium, quo motus suum iniusticiæ præstiterit patrocinium, certè sibijpsi parum fuit fautus est à suis istius conuenticuli gregalibus, & ab officio remotus: quemadmodum ostendit Imperatoris Theodosij Iunioris constitutio promulgata, ad roboranda decreta istius conuentus: in qua, præter alios, etiam hic Domnus Antiochenus præsul à suo episcopatu excluſus narratur. Et additur rursus dicit. Sub tertia actione Chalcedonensis concilij. Idem Euagrius & Nicephorus referunt: nisi quòd Nicephorus illam addit causam, quòd eo sit dānatus, quia primùm consenserit, sed postea mutata sententia proclamauerit Synodum impiam, & contra Ecclesiasticas regulas decreta uiolenter extorta esse. Liberatus in sui Breuiarij decimo capite narrat, Dioscorum principem istius conuentus, insidioſe egisse cum Domno. Nam eius consensu & opera prius abusum, ad depositionem omnium, qui ipsi uidebantur aduersi: tum demum protulisse in medium literas ipsius Domni ad se, contra duodecim Cyrilli capitula scriptas, quòd essent obscura: & sic ipsum tandem etiam damnasse, & quidem eo die, quo prę- sens ob infirmitates corporis non fuisset. Quacunque autem ratione sit damnatus, hoc in confesso est, ipsius quamuis depra- uatæ Synodi autoritate remotum à gubernatione, nec eam postea ipsi redditam: quandoquidem & Chalcedonensis synodus eius depositionem ratam habuit. id quod planè mirum, nec sine aliqua gra- ui causa factum uideri potest: quum tamen alijs in uniuersum abrogasset istius malifici conuentus acta Chalcedonense concilium, & reliquis omnibus cum Domno simul abdicatis suæ restitutæ essent ecclesię, ut suo loco dictum est. Hoc tamen beneficij tulit ab hoc concilio Domnus, idque procurante Maximo eius successore, quòd sumptus ei de ecclesia constituti sunt, unde uitam sustentaret. Familiaritatem ei fuisse cum Cyrillo Alexandrino, & Proclo Constantinopolitano episcopo, literæ eorum ad ipsum restantur, quæ extant in decima quarta actione Chalcedonensis concilij. Literas ad Flauianum Constantinopolitanū dedisse, dum uterque rebus incolumib. suam regeret ecclesiam in causa Ibæ, commemorat Samuel presbyter Edessenus, unus ex accusatoribus Ibæ, in decima actione Chalcedonensis.

MAXIMVS.

Domno remoto, Maximus hic substitutus legitur, in actione decima Chalcedonensis concilij: item in Liberati Breuiarij capite duodecimo. Idem refert & Nicephorus libro decimoquinto, capite septimo: idque factum memorat quartæ Synodi suffragijs, capite uicesimo octauo eiusdem libri. Ephesini illius infamis ac reprobi conciliabuli decretis factum esse, satis constat ex Actis. Potest idem animaduerti ex ultimi capitis fine Euagrij, libri secundi: ubi dicit, præter solam huius Maximi ordinationem, cætera omnia, quæcunque in eo Ephesino conuentu acta fuissent, irrita facta atque abolita à Chalcedonensi concilio: sicuti hoc ipsum & publica eiusdem Concilij acta testantur. Id uerò qua ratione factum, aut quæ causa tanta mouerit sacratissimum consessum, ut cæteris omnibus abrogatis, sola Maximi subrogatio non modò rata haberetur, sed amplius etiam communi consensu firmaretur, non explicatur: nisi fortè cui hæc sufficiens uideatur ratio, quæ ipsi prærogatiuam attulerit in isto Concilio, quòd ante hoc Concilium Romanus pontifex eum in communione suæ Ecclesiæ recepisset, eiusque episcopatum confirmasset: ueluti satis arroganter iactare uidentur legati Pontificij, in septima eius Concilij actione, dum inquiunt: Sanctus & beatissimus papa, qui episcopatum sancti ac uenerabilis episcopi Maximi Antiochenæ ecclesiæ confirmauit, iusto satis iudicio eius meritum approbasse uidetur. Et in decima actione ijdem legati, ubi primi de abolitione eorum quæ Ephesi tum acta erant referunt, excipiunt disertè hunc Maximum: addentes rationem, quòd eundem Romanus episcopus recepisset ad cōmunionem: quæ res profectò nō leue præiudicium fuit. nam reliqui omnes eius sacrosancti senatus patres, & eorum primus Constantinopolitanus, quem cæteri sunt secuti, ueluti piaculum arbitrantes quę Romanus episcopus decreuisset rescindere, pedibus iuerunt in sententiam legatorum: nullam planè sui facti rationem aliam reddentes, quàm quòd Romanus pontifex ita antea iudicasset. Antiochiæ autem Maximum in ipsa urbe publicis ceremonijs renunciatum episcopum, opinari licet ex his Stephani Ephesini uerbis: Et ego iudico, ut quæ contra Canones in Ephesina metropoli facta sunt, infringantur, absq; his quę gesta sunt aduersus Domnum Antiochenæ ciuitatis episcopum, ob hoc quia ordinatio Deo amātissimi episcopi Maximi facta pro eo canonicè in Antiochena metropoli à sanctissimo archiepiscopo Leone, & præsente sancto & uniuersali

concilio est susceptа. Quæ sentẽtia amplius etiam hoc ipsum testatur, quod modò antè de præiudicio meminimus.

In Chalcedonensi laudatissimo concilio ipse quoq; iam tum & locum & uocem habuit Antiocheni episcopi: ut testantur hoc publica acta, quæ in primo Conciliorum tomo prolixè describuntur. Meminerunt Euagrius libro secundo, capite quarto & ultimo: & Nicephorus. Controuersia ipsi intercessit cum Hierosolymitano, de prouinciarum finibus: quæ ita decisa est, ut Hierosolymitano adiudicatæ sint tres Palæstinæ, Maximo Antiocheno duæ Phœnices & Arabię. Extat autem ipsa actio, & est in ordine gestorum eius concilij septima. Nec fuit turbulenta, sed placida. Ipsi etenim episcopi, Hierosolymitanus & Antiochenus iste, inter sese adhibitis quibusdã amicis episcopis transegerunt ad eum (ut iam dictum) modum, & postea ad Synodum suam conuentionem retulerunt, quæ in ea confirmata est.

Cæterùm non est silentio prætereunda insignis ipsius in remotũ Domnum pietas. nam in Synodo ille precãs intercedit pro ipso apud patres, ut ei certos sumptus statuere dignentur de Ecclesia, quam illo amoto ipse gubernandam susceperat. Quæ res ad ipsius suum Maximi arbitrium tamen reiecta est, ut pro sua pietate ipse Domno, prout uideretur, benignè faceret. sub septima actione eius concilij, primo tomo.

Extat etiam peculiaris epistola Leonis istius ad ipsum Maximum, quæ sanè ostendit familiaritatem inter ipsos intercessisse non paruam. Commonefacit enim ipsum Leo sui officij, ne posteaquam Chalcedone damnatæ sint Nestorij & Eutychis hæreses, earundem ipse disseminatores & defensores, in ijs Ecclesijs quæ suæ curæ sint commissæ, patiatur. Hortatur præterea, ut Nicenorum canonum authoritatem magni faciat. Est autem ea epistola sexagesima secunda.

MARTYRIVS.

Maximi successorem expressè dicit Nicephorus libro decimoquinto, cap. uicesimo octauo. Hoc absente Constantinopoli, rebus Ecclesię suę id ita efflagitantibus, uenit Antiochiam cum Zenone Imperatoris lega to, Petrus Gnaphæus presbyter Chalcedonensis. Is nouo dogmate Ecclesiã nõ turbauit tantum, sed & à legitimo suo pastore alieniorem reddidit artibus suis ac technis. Quare Martyrius domum reuersus, reperit Ecclesiam suam turbatam, populum aduersus se & ueram de Deo sententiam seditiosè commotum, Zenonem quoq; Gnaphęo fauere. Itaq; tentauit quidé per frequentes cohortationes, ad officiũ eos reuocare: uerùm ubi intelligit frustra id fieri, conuocata concione, hac uerborum forma sese ministerio abdicauit: Clero rebelli, & populo inobedienti, & Ecclesiæ contaminatæ nuncium remitto, Sacerdotalem mihi reseruans dignitatem. Nicephorus loco suprà memorato: Theodoretus Lector libro primo. Fit eius mentio etiam in narratione de prauitate Dioscori, quod scriptum annexum habetur in fine gestorum Chalcedonensis concilij, in primo Tomo.

PETRVS GNAPHAEVS.

Petrus Gnaphæus fuit presbyter templi S. Bassæ martyris apud Chalcedonem Bithyniæ, ut habet Theodoretus Lector in suis Collectaneis libro primo: & Nicephorus libro primo, capite uicesimooctauo. Et ad episcopatum Antiochenum sanè peruenit tempore Leonis primi Imperatoris. fraudem & malis artibus, hoc modo. Cum Zenon, Leonis Imperatoris gener, quorundam negociorum expediendorum gratia missus fuisset Antiochiam, secutus est illum in comitatu hic Petrus cognomento Gnaphæus. & cum illò unà aduenisset, perplacere ei cœpit Antiochenus episcopatus. Quare apud Zenonem sollicitè agit, ut in illo episcopatu consequendo sibi adesse uelit: ac ipse simul per occasionem absentiæ Pastoris multa tumultuosè agere incipit, & docendi & gubernãdi partes sibi accipit. Docebat autem noua quadam & inusitata uerborum forma, omnes credere oportere, Deum esse crucifixum & passum: & secus facientes, anathematis fulmine feriebat. Quanquam autem propter idiomatum communicationem duarum in Christo naturarum, poterat ea phrasis excusari: tamen quia erat noua, & in Ecclesia eò usque non audita, offendebat rudiores, & occasionem turbis præbebat. Quibusdam etiam hominibus, qui Apollinaris adhuc erant partium, sibi ascitis, multa in episcopum Martyrium molitus est: & in uaria studia partes ac dissidia populum distraxit, & à uero pastore adeò Ecclesiam abalienauit, ut reuersus episcopus Martyrius ultrò functionem suam resignaret, ut dictum est. Quo facto, Petrus populi & hæreticorum præsidio eius locum occupauit. In ea autẽ functione, id quod lupum decebat, præstitit. nam suam illam doctrinam, quòd Deus esset crucifixus & passus, propagauit: & hymno Trisagio, Sanctus sanctus sanctus Dominꝰ Deus, &c. adiecit clausulam, Qui crucifixus es pro nobis: quasi Trinitas seu diuinitas esset crucifixa. quæ uerba etiam suo tempore adhuc apud Theopaschitas in usu fuisse, Nicephorus scribit. Deinde etiam nouis traditionibus Ecclesiam onerauit. Constituit enim, ut sacrum

sacrum unguentũ (mysterium habet Theodorus Lector, libro secundo Collectaneorum) in totius populi præsentia consecretur. 2. Vt ad uesperam sanctorum Theophaniorum unda in sacrum lauacrum infundatur. Theodorus habet, inuocationem super aquas tum fieri debere. 3. Vt sacrum Symbolum in omni Synaxi, & quouis Ecclesiæ conuentu deinceps cãtetur: quod hactenus semel tantum, magno uidelicet parasceues die, dici moris fuerat. 4. Vt in omni precatione nomen Deigenitricis inuocetur. Quod idololatricum est: pugnat enim cum diuinis scripturis, quæ docent, Deum tantũ uerum, eumq; unum & trinum, & præter hũc alium neminem esse inuocandum. Cum autem res esset ad Leonem Imperatorem delata, continuò illum ad exilium dam nauit. Quod cum ipse cognouisset, fuga sibi consuluit, ac Constantinopoli in domicilium monachorum qui Insomnes dicuntur, sese abdidit, data fide, se quieturum. Sed cum Basiliscus affinis Zenonis imperium inuaderet, ex latebris prodijt, accitus à Basilisco, & ipso concedente sedem Antiochiæ recepit, pulso Calandione. Sede sua recuperata, statim unà cum Alexandro Æluro, qui & ipse suum episcopatum haud ita meliori titulo tenebat, suas copias coniunxit, & synodum Chalcedonensem debellauit & anathematizauit. Basilisco etiam hortatore & impulsor fuit, ut missis circularibus literis ad omnes episcopos, præciperet istud concilium (ut Nicephorus libro decimosexto, capite secundo narrat) & Leonis libellũ, ab omnibus damnari. Doctrinæ eius de Deo crucifixo & passo tum opposuerunt sese alij Ecclesiarum doctores, Antheon Arsinoes, Faustus Apollonidæ, Pamphilus Abydarum, Asclepas Tralliarum, et quidam Siciliæ episcopi, Acacius Constantinopolis, Felix Romanus: ac literis ad ipsum datis, quarum exempla extant in secundo tomo Conciliorum, sub quinta Constantinopolitana synodo, errorem refutarunt, & fraternè eum monuerunt. Verùm cum ille admonitiones fratrum superbè contemneret, in Synodo est condemnatus & excommunicatus. ac petijt Synodus à Zenone Imperatore, ut ab Antiochena ecclesia remoueretur: ut apparet ex epistola Felicis ad eundem Petrum, ad Zenonem. Qui ecclesiæ curam gerens, eum Antiochia eiecit: ut Euagrius meminit libro tertio, capite octauo: & Nicephorus enarrat libro eodem, capite decimo. In scripto de Dioscori prauitate dicitur, quòd quendam Ioannem ordinarit Apamenis episcopum, qui quod ab illa Ecclesia receptus non esset, redierit Antiochiam, & sui episcopatus autorem (hunc nimirum Petrum) expulerit, eiusque Ecclesiam inuaserit ipse: ac propterea utrunque damnatum, & ab Acacio Constantinopolitano archiepiscopo utrunque etiam eiectum. Quia uerò Calandion ille, qui & ipsi denuò substitutus fuerat ab Imperatore Zenone, ob causas quæ suo loco recitabuntur, in exilium pòst eiectus est, nondum defatigatus Petrus, recurrit ad solitas suas artes, fraudes nimirum & uersutias: quibus effecit, ut in suam Ecclesiam restitueretur, cum Henotico Zenonis scripto subscripsisset: ut ijsdem libris Euagrius capite decimosexto, Nicephorus uerò capite decimotertio commemorant. In qua demum omnes uitæ suæ certè inquietissimæ labores ac molestias finiens, in pace obijt: ut Nicephorus capite uigesimo eiusdem libri habet.

IVLIANVS.

Iulianum quendam, post Petrum fuga elapsum, episcopatu illo potitum, idque communibus suffragijs, narrat Theodorus Lector in Collectaneis, libro primo.

STEPHANVS.

Stephanus, Petro Gnaphæo primum è sua sede excusso, mandato Imperatoris Leonis, subrogatus est. Eum autem pueri Antiocheni, quòd Petro essent penitùs addicti, acutis calamis ueluti cuspidibus iugularunt, & in amnem qui urbem præterlabitur abiecerunt. Euagrius libro tertio, capite decimo: Nicephorus libro decimoquinto, capite uicesimo octauo. Vterque ex Ioanne Rhetore recitant.

BASILIVS.

Euagrius libro secundo, capite decimo: Nicephorus libro decimoquinto, capite decimonono: uterque mentionem faciunt cuiusdam Basilij, quem Antiochenum faciunt archiepiscopum, temporibus Leonis primi Imperatoris, ad quem Symeonem Stiliten epistolam scripsisse de Chalcedonensi synodo commemorant: & epistolæ istius partem etiam expressè suis scriptis interserunt. neuter tamen illorum explicat, cui successerit: cum aliorum, quos ordine recensuimus, successiones apud eosdem indicentur.

CALANDION.

In Stephani locum suffectus est, cum ipse domo abesset Constantinopoli, ob negocia quędam: Euagrius & Nicephorus ijsdem in locis.

Pulsus est ab Ecclesia à Basilisco, sed paulo pòst à Zenone restitutus: à quo tamen iterum non eiectus modò est, sed ad Oasim etiam in exilium relegatus, eo quòd

in suspicionem apud Imperatorem Zenonem uenerat, quasi hostium ipsius Illi & Leontij, qui ab ipso defecerant, & tyrannidem affectabant, partes ipse foueret. Nicephorus libro decimosexto, capite decimotertio. Liberatus in suo Breuiario, capite decimooctauo, crimen hoc ipsi obiectum tantùm fuisse prætextum: ueram autem causam istius deportationis fuisse, quòd non recesserit à communione Felicis Romani pontificis & Iohannis Alexandrini expulsi, quem Felix fouebat. Gelasius certè Romanus pontifex in epistolis ad Faustum Magistrum, item ad episcopos Dardaniæ, electi Calandionis authorem facit Acacium Constantinopolitanum archimysten, ac præter omnem culpam nullis canonibus, nullis regulis expulsum confidenter asserit. Habentur illæ epistolæ sub ipsius decretis, primo Conciliorum tomo. Concesserat ad Calandionem Ioannes Dalaida, & ipse electus Alexandria, cui dedit commendaticias literas ad Simplicium Romanum episcopum, pro ipso intercedens: ut Liberatus loco superiori meminit. Quæ res fortè etiam Imperatorem offendit, &c. Euagrius libro tertio, capite decimosexto. De hoc tradunt, quòd quartam Synodum Chalcedonensem egregiè defenderit: nec quenquam ad sacram communionem admiserit, qui non Petrum Gnaphæum & circulares Basilisci literas anathemate confixisset. Actionibus etiam Gnaphæi restitit, & clausulæ isti quam Petrus hymno illi adiecerat, præfixit hanc particulam, Christe Rex, &c. Item Eustathij reliquias ipse Antiochiam transferri curauit: unde factum, ut illi qui multo tempore centum amplius annis ab Ecclesia reliqua segregati fuerant, eidem prorsus sint uniti. Nicephorus libro decimoquinto, capite uicesimooctauo: item libro decimosexto, capite decimo.

PALLADIVS.

Gnapheo, qui electo Calandioni ultimò restitutus fuerat, mortuo, Palladius in Antiochenę ecclesiæ pastorem est creatus: Anastasio, Dic, oro, qui post Zenonem Romanũ administrauit Imperium, usus suffragatore. De quo hoc refert Euagrius, quòd Synodales literas de Chalcedonensi synodo scriptas acceperit ab Athanasio Alexandrino: lib. tertio, capite uicesimotertio. Meminit etiam Nicephorus libro decimosexto, capite uicesimo.

ISAAC.

Isaac presbyter Antiochenæ ecclesiæ fuit, de quo Gennadius sic scribit: Isaac presbyter Antiochenę ecclesię, scripsit Syro sermone longo tempore, & multa: præcipua tamen cura aduersum Nestorianos & Eutychianos. Ruinam etiam Antiochiæ elegiaco carmine planxit, coauditores imbuens sono, quo Ephrem diaconus Nicomediæ lapsum. Moritur Leone & Maiorano regnantibus.

MOCHIMVS.

Mochimum Mesopotameum apud Antiochiam presbyterum, contra Eutychen egregium librum scripsisse, & alia quædam opuscula, Gennadius autor in Catalogo est.

HIERAPOLITANI.

ALEXANDER.

ALexander episcopus Hierapolis metropolis, in Ephesina synodo Antiocheno episcopo coniunctus, iuuit depositionem Cyrilli & Memnonis: & mandato legatis dato, in hunc modum seorsim subscribit. Si quid iuxta depositam fidem à sanctis partibus feceritis, neque adieceritis aliquid fidei sanctorum patrum, & reprobantum illa hæretica capitula Cyrilli Alexandrini, illi consentio. Huic enim expositioni fidei, etiam cũ sancta Synodo subscripsi, &c. Ac uidetur sanè hic Alexander inter reliquos præcipuè alicuius fuisse authoritatis. Siquidem Theodoritus Cyri episcopus, qui etiam ipse unus fuit existis legatis, ad hunc literas è Chalcedone mittit, nuncians ipsi quantum eousque in causa effecerint.

PANOLBIVS.

Hieropoleos Syriæ urbis metropoliten facit prouinciale concilium Antiochenum Panolbium quendam, qui illo tamen tempore iam inter uiuos esse desierat. Huic commissam causam Athanasij Parensis episcopi, & quorundam ex suis collegis, qui ipsum reum in quibusdam agebant, narrat Domnus Antiochenæ ecclesię archiepiscopus, in illo concilio. Fuisse item istum amicum Athanasij, & qui bene uoluerit ei: nihilominus tamen Athanasium ita diffisum suæ causæ, ut etiam amici cognitionem auersatus sit, nec quamuis semel, iterum atq; tertiò uocatus, cõparuerit, ex decimaquarta actione Chalcedononsis concilij patet.

IOANNES.

Ioannes Panolbio in Hierapolitana ecclesia successit, & prouinciali Antiocheno concilio interfuit, quo Athanasius communibus episcoporum suffragijs depositus est. Eiq;, ut quanto maturius fieri posset, alium Parensi ecclesiæ pastorem pro Athanasio substituat, mandatur.

STEPHANVS.

Stephan⁹ in Hierapolitana ecclesia successit Ioãni. in Ephesina synodo pdatoria ipse fuit, &

fuit, & consensit in Flauiani & aliorum depositionem. Fuit & in Chalcedonensi, ut patet ex actis.

De alijs episcopis sub Hierapolitano.

VRANIVS, Surorum episcopus.
MARAS, Vrimorum: DAVID, Europi:
COSMAS, Marini: sub episcopo Hierapolitano fuerunt. nam horum nomine Stephanus subscripsit Chalcedonensi concilio, ut patet ex Catalogo.

APAMEENSES.

AGAPETVS.

Apameensium fuit episcopus Agapetus, successor Marcelli, tempore Arcadij Imperatoris, tum quidem cum ex Antiochia euocaretur Chrysostomus ad gubernationem ecclesiæ Constantinopolitanæ. Theodoretus libro quinto, capite uicesimoseptimo. Eremitam prius fuisse in regione circa Apameam, eodem authore animaduertitur, capite uicesimooctauo quarti libri.

POLYCHRONIVS.

Polychronius, frater Theodori Mopsuestiensis episcopi, pastor & ipse Apamenorum ecclesiæ fuit. Theodoritus libro quinto, capite quadragesimo. Meminit & Nicephorus, qui de ipsius tum doctrina tum uita inquit: Hic & optimè uixit, & optimè docuit, uitæ scilicet ex æquo doctrina respondente. libro decimoquarto, capite tricesimo.

ALEXANDER.

Ex Ephesinæ primæ synodi dissidio, hic Alexander Apameæ episcopus notus ad posteritatem uenit. nam & ipse, ut alij multi, Antiochenum primatē secutus eò uenerat: cuius quoque cum causam probaret, sequereturq; coniunxit etiam ipse suam sententiam cum cæteris de Cyrilli depositione, & Memnonis, ut sexto capite Liberatus refertur. Et in legatione illa, quam sua pars ad Imperatorem Constantinopolim mittebat, ipse singillatim uni ex istis legatis, suas commendat partes, ut ex illo memorato mandato est uidere, ibidem, in primo Conciliorum tomo.

DOMNVS.

Apameæ metropolis secundæ Syriæ episcopus, temporibus Synodorum Ephesinæ secundæ illius reprobæ, & Chalcedonensis uniuersalis, suæ ecclesiæ præfuit. quod inde patet, quia in utraque eius uicē suppleuit, simul & suam, Larissenus Meletius, &c. Tenentur eius Concilij acta.

BERRHOEENSES.

ACACIVS.

Acacium à puero uitæ monasticæ fuisse deditum, libro septimo, capite 27. Sozomenus memorat: idque aut in ipsa urbe Antiochia, aut in uicinia, inde conijcimus: quòd Antiochenæ ecclesiæ ministri, post eiectionem sui pastoris Meletij, eius ministerio utuntur in legatione ad quendam monachum Iulianum, sub Imperatore Valente: quo tempore iam in ea professione multum progressum fuisse, indicat appellatio quæ ei tribuitur: usitata enim illis seculis phrasi Athleta uirtutis uocatur. Theodoretus libro quarto, capite uicesimo septimo.

Gratiani Imperij initio, Berrhœensi præfectum Ecclesiæ ab Eusebio Samosatensi, ut opinantur, ab exilio reuocato, eodem authore constat: libro quinto, capite quarto. Ac celebre ipsius fuisse nomen, ibidem indicatur.

Sapientissimè suam ipsum rexisse ecclesiam, idem autor loco priori memorat. Et libro quinto capite uicesimoseptimo, dicit eum sapientia & moribus in administratione rerum splenduisse. Commendatur ipsius pietas multum etiam à parte Ephesini concilij primi, contra Nestorium coacti, schismatica, quæ Ioannem Antiochenum sequebatur: quòd omnem ætatem in Apostolicos sudores insumpserit, & plurimis Concilijs interfuerit: in relatione Orientalium schismaticorum ad reges, quæ in primo Conciliorum tomo sub Ephesina synodo ponitur. Videtur Commentaria edidisse. nam hunc ipsum esse arbitramur, in cuius Commentarijs se reprehendisse memorant Orientalium episcoporum pars illa, quę Ephesi à Cyrillo Alexandrino discesserat, quòd scripsisset passibilem esse deitatem: in epistola eorundem ad Imperatores, quæ habetur in primo Conciliorum tomo, sub Ephesino Concilio.

Apollinarij asseclas hunc semper habuisse uicinos, illa modò memorata Orientalium ad reges relatio narrat. Verisimile igitur, crebros eum cum ipsis inijsse conflictus & certamina. Certè hinc colligere uolunt relatores illi, facile ipsi fuisse deprehendere errorem Apollinaris in scriptis Alexandrini Cyrilli, utpotè erudito ex istis certaminibus de dogmate isto. quodque Synodum monuerit per scripta hic idem Acacius, duodecim illa Cyrilli capitula quæ Nestorio opposuerat, alicubi ad Apollinarij hæresin accedere, expressè etiam commemorant ibidem.

Pacificandarum ecclesiarum gratia itinera fecit Romam, in Aegyptum, Syriam: legatione sibi demandata à Iohanne Chrysostomo, & Theophilo Alexandrino. Sozomen⁹ libro octauo, capite tertio.

Quòd plurimis Synodis interfuerit, iam

antea per occasionem in genere dictum est. Extant autem de quibusdam sigillatim certa testimonia. Constantinopoli interfuisse illi Synodo, quæ ob Macedonianam hæresin altero imperij Theodosij maioris anno (ut ex Socratis quinto libro, capitibus sexto, septimo & octauo colligi potest) conuenerat, Theodoretus & Sozomenus ostendunt, qui nomen ipsius expressè numerant: hic quidem libro septimo, capite septimo: ille libro quinto, capite octauo. Alijs, Constantinopolitano conuentui quoque interfuit, temporibus Arcadij, contra Chrysostomum: in cuius depositionem ipse quoque consensit. Socrates libro sexto, capite decimooctauo: Sozomenus libro octauo, capite uicesimo. Adfuit etiam in Ephesina synodo, contra Nestorium coacta. Et in schismate ibidem orto, stetit à partibus Ioannis Antiocheni, & reliquorum Orientalium. Testantur acta istius Concilij.

Fuit huius curriculum diuturnum utrobiq;, tam in ministerij gubernatione, quàm reliquæ uitæ totius stadio. Ad annos enim quinquaginta & amplius, gubernationis sustinuisse onus, ex superioribus facilè deprehenditur. Siquidem sub initiũ Gratiani, qui post Valẽtis interitum solus rerum potitus est, Ecclesiæ isti præfectum fuisse, ex Theodoreto dictum est. id quod iuxta Prosperi supputationem, factũ foret circiter annum Christi trecentesimũ octogesimumsecundũ. Ephesina autem illa contra Nestorium Synodus celebrata est, iuxta eundem, circiter annum quadringentesimum tricesimumquartum. Intersunt ergo anni quinquaginta duo: illis si quid ultrà accesit, incertum est. Totius uerò uitæ eius cursum annorum fuisse amplius centum & decem, diserte cõmemorant Orientales episcopi, in sua illa ad reges relatione, de ijs quæ comes Ioannes egerat.

THEOCTISTVS.

Theoctistus Berrhœæ Syriæ ciuitatis episcopus, cuidam prouinciali conuentui Antiochiæ in causa Ibæ Edessẽi episcopi interfuit, & subscripsit: ut decima actio Chalcedonensis concilij docet. Adfuit & in illo uniuersali Chalcedonensi concilio: testantur eiusdem acta.

SELEVCIAE.

ASIANVS.

SEleuciæ Syriæ episcopus, Ephesinæ primæ synodo interfuit, comitatus Antiochenum Ioannem, à cuius partibus etiã stetit in dissidio ibidem oborto: ac cum eodẽ Cyrillum Alexandrinũ & Memnona Ephesinum peculiari conuentu damnauit. Liberatus in suo Breuiario, capite sexto: in secundo Conciliorum tomo.

GERONTIVS.

Seleuciæ, Syriæ itidem ciuitatis, episcopus: in Ephesino illo infami conciliabulo, cum cæteris Eutychen hæreticum, à Flauiano Constantinopolitano in prouinciali conuentu damnatum, restituendum censet. Testãtur eius cõciliabuli acta, in gestis Chalcedonẽsibus. Hic etiã Chalcedone in illa celeberrima Synodo adfuit. testantur eiusdem acta in primo tomo.

CABALANORVM.

SEVERIANVS.

CAbalanorum in Syria episcopus Seuerianus, coætaneus Antiocho fuit, polens & ipse facultate docendi populi, non minus q̃ Antiochus: inferior quidem illo in pronunciatione græcæ linguæ, quòd homo Syrus nonnihil gentilitiæ crassitiei retineret: superior autem sententiarum grauitate, & pondere testimoniorum sacræ Scripturę, quibus sermones suos ornare solebat. Hic intelligens Antiochum, magnum suæ facundiæ quęstum fecisse, recipit se quoque Constantinopolim, ac Ioannis amicitiam astutè sese insinuat: à quo etiam reuerenter acceptus & habitus est. Assiduitate autem docendi populi, paulatim non modò celebris, sed etiam proceribus, & ipsi etiam Imperatori familiaris factus erat. Cum autem Ioannes proficiscendum esset ob Ecclesiastica negocia in Asiam, huic suæ ecclesiæ gubernationem committebat: pro quo beneficio malam ei retulit gratiam. Nam populum à Ioanne abalienare, & in suas partes pertrahere, insidiosè & astutè moliebatur. Quod ubi Ioannes per Serapionem suum diaconum resciuisset, maturius domum redijt, ac conatus eius repressit. Accidit autem paulo pòst, ut Seuerianus urbe Constantinopoli à Chrysostomo eijceretur, hac occasione. Prætereunti Seueriano honoris gratia non assurrexerat Serapion, ille Chrysostomi archidiaconus. hoc ut insignem sui contemptum, indignissimè tulit Seuerianus, ac in hanc uocem erupit: Si Serapion Christianus diem suum obierit, Christus homo factus nõ est. Hoc nomine à Serapione ad Chrysostomum delatus, ut qui blasphemasset, celata tamen priore sermonis ipsius parte, hypothetica uidelicet conditione, posteriorem tantum categoricam protulit: & quanquam etiam testes adhiberentur, cum ipsorum tamen narrationes non congruerent, alijs quidem Serapionem, alijs uerò Seuerianum dicentibus, res eum fortita est euentũ, ut inde pelleretur, eo quòd contumeliosus in Deum fuisset. Sed mox per Augustam Eudoxiam quamuis reuocatus esset, tamen Iohannes Chrysostomus eius & colloquia & conuersationem est auersatus, ut-

que

que adeò & tantisper dum ipsa Augusta non modò precibus plurimis, sed filio quoq; suo Theodosio ad genua ipsius posito, eundem placaret, & Seuerianō reconciliaret. Huius operam confert Augustæ, ut Chrysostomus quoque pellatur: ut Socrates libro sexto, capite decimoquinto: Sozomenus libro octauo, capite decimosexto: Nicephorus libro decimotertio, capite decimoquarto tradūt. Quo ejecto, Seuerianꝰ grauiter à plebe Constantinopolitana conuicijs proscinditur, ut qui exauthorationis Chrysostomi, & insidia rum eidem structurarum author fuisset, unà cum Theophilo. Quanquā autem tum temporis concione ad populum, Chrysostomi depositionem ut legitimā Seuerianus strenuè defendebat, asserens, si nihil aliud commeruisset Ioannes, unum hoc satis superque criminis esse, insignem nimirum ipsius insolentiam, & non ferendam superbiam, quam etiam Deus odisset, eiq; resisteret: attamen paulo pòst, cum hac oratione magis etiam essent exacerbati, non consultum fore ratus populi furentis expectare impetus, maximè Ioanne iam restituto, Constātinopolim profugus reliquit: ut capitibus decimooctauo & decimonono Sozomenus recitat. Huius se legisse expositionem in epistolam ad Galatas, & de baptismo ac Theophaniæ solennitate libellum gratissimum, Gēnadius dicit in Catalogo. Quorum meminit & Trithemius, cum nonnullis alijs, quæ ipse adiecit: homilia in aduentu Domini & Saluatoris, item homilia de morte innocentum. dicitq; præterea, etiam alias eius extare homilias, breues quidem illas, sed ualde utiles. Postremò addit Sozomenꝰ de hoc Seueriano, sicut & de Antiocho præcedēte, & alijs Chrysostomi hostibus, ipsum diem suum malè obijsse: capite trigesimosexto, libro decimotertio. Sub Theodosij iunioris Imperio, ut Gennadius indicat.

PETRVS.

Petrus eiusdem Ecclesiæ episcopus fuit tempore Chalcedonensis concilij, cui etiam interfuit: ut patet ex Catalogo subscriptorū.

PARENORVM.

ATHANASIVS.

Athanasius Parenorum episcopus, in synodo Ephesina prima fuit, & partes Cyrilli fouit, & cum eodem subscripsit: ut patet ex actis. Sed paulo pòst sua ecclesia eiectus, ante secundam Ephesinam synodum, iure ne an iniuria, haud facilè dixeris: ipse sanè exul & profugus apud duos archiepiscopos, Alexandrinum Cyrillum, & Constantinopolitanum Proclum, ita suā causam egit, ut præter omne meritum, nec ulla sua culpa sibi id accidisse uideri uelit, & quidem à proprijs clericis ac magna uiolentia. Quorum etiam episcoporum aures ita oppleuit querelis, animosq; adeò occupauit, ut indignissimè factum id ferrent, & propterea scriptis literis ad Domnum Antiochenum seriò pro Athanasio intercederent: monerētq; officij charitatis non modò Domnum, sed & hortārētur magno studio, ut restituto Athanasio, aduersarij ipsius talionis pœna afficerentur: siquidem in ipsis culpa hæreret omnis, ut Athanasius dictitabat. Testātur hoc ipsorū epistolæ, quarum extant exempla in decimaquarta actione Chalcedonensis concilij.

At contrarium indicant Antiocheni concilij acta. In illis siquidem pleraque episcoporum responsa referunt, non à clero ipsum expulsum: sed sua spontè scriptis literis ad suū metropolitanū Panolbiū, cōsultò & deliberatò resignasse Ecclesiæ suæ administrationem, & petijsse alium sibi substituī. Causa autem eius abdicationis hæc commemoratur, quòd à comministris quibusdam de grauissimis criminibus accusatus, defugerit cognitionem & iudicium causæ, etiam apud eum quo amicissimè utebatur, Panolbium metropolitanum, à quo semel, iterum ac tertiò uocatus nunquam comparuerit. In Antiochena synodo cum uocatus non comparuisset, ab officio est remotus, & alius substitutus. Verùm paulo pòst restitutus est à Dioscoro præside primario concilij Ephesini secundi: & usque ad Chalcedonense concilium pristinum statum obtinuit, in quo etiam præsens interfuit. Ordinem & dignitatem Parensis episcopi habuit, & cum cęteris quoque in iudicando ac decernendo suam ipse quoque sententiam coniunxit. Posteaquam uerò potissima quæque synodi negocia expedita essent, intendit ei actionem Satuninianus, qui Antiochenæ illius synodi authoritate ad Parensis ecclesiæ regimen fuerat uocatus, Athanasio depositō: rursum uerò remotus, hoc restituto. Queriturq; apud synodū, Athanasiū præter ius omne atq; fas tenere Ecclesiā, quam olim ipse repudiarit: à cuius etiā functione penitùs exciderit sua culpa, quòd prauissimorū criminum reus, uocatus sæpius, iudicia synodorum semper declinarit, nec ad reddendam rationem de obiectis, aut ostendēdam innocentiam præstò unquam fuerit. & eò usque certè negocium deduxit, ut Athanasio rursum fuerit loco cedendum: ea tamen lege, ut quandoquidem obiecta crimina non fuerant examinata, quia præsens nunquam fuerat, eorum examinatio institueretur inter octò menses apud Maximum Antiochenum:

& si legitima cognitione de ijs criminibus quorum reus agebatur, conuinceretur, non solùm ab episcopatu abdicaretur, sed etiam publicarũ legum pœnis subderetur. Quòd si in præfinito istius temporis interuallo nihil aduersus ipsum agatur, aut etiam innocés cognoscatur, reciperet suam ecclesiam. Et hoc quidem ita tum statutum de ipso fuit. Quem uerò euentum habuerit decretum illud, nunquid innocens repertus restitutus sit, an uerò nocens penitùs non tantum amotus, sed etiam alijs insuper pœnis affectus, relinquitur in medio, neque explicatur in illa decimaquarta Chalcedonensis concilij actione.

SAVINIANVS.

A pueris in monasterio Sauinianus uixit, & tandem in eo œconomi seu dispensatoris officium sustinuit: ut apparet ex eius epistola ad Imperatores Valentinianum & Marcianũ, in decimaquarta actione Chalcedonensi. Cum autem Athanasius Parenorum episcopus ab Antiochena synodo esset remotus, Stephanus metropolitanus eius diœceseos cum reliquis episcopis prouincialibus, eum Parenorum creauit episcopum, prẽter suam uoluntatem: ut constat ex eadem actione, & eius epistola ad Imperatores. Sed postea ipsum, ut multos alios bonos uiros, Dioscorus in Ephesina secunda deprauatorum congregatione, deturbauit suo statu, & restituit Athanasium: ut testatur Liberatus duodecimo capite Breuiarij, & Chalcedonensis actio. Ea de re Sauinianus literis ad Imperatores Valentinianum & Marcianum exaratis, & ad synodũ Chalcedonensem, questus est de iniurijs & tyrannide Dioscori & Athanasij: ac impetrauit, ut in synodo res cognosceretur. Quare in decimaquarta sessione Chalcedonensi, ipsius causa iudicata est: & factum Senatusconsultum, ut ipsi redderetur Ecclesia sua, cui legitimè datus fuerat episcopus. Est tamen conditionalis adiecta appendix: Si Athanasius ab obiectis criminibus expurgasset sese, suamque innocentiam probasset, retineret quidem Ecclesiã, hic uerò Sauinianus loco cederet: ita tamen, ut nihilominus ministerij gradus integer ipsi remaneret, & ab Ecclesia tamdiu pasceretur: sed Athanasio tamen inferior esset, dum ipsi per Antiochenum archiepiscopum, cui ea cura demãdata erat, amplius prouideretur.

De alijs ecclesiæ Parensis ministris.

ISAACIVS, primicerius lector.
IOANNES subdiaconus.
PHILIPPVS subdiaconus.
FRONTO, presbyter ecclesiæ Parenorũ in Antiochena.

DE ALIIS SYRIS.

MACARIVS.

MAcarius Laodiceæ ciuitatis Syriæ episcopus, tempore Chalcedonensis concilij, ad quod suo loco & nomine misit presbyterum suum Eusebium, testis catalogus eiusdem Concilij, in primo tomo.

MELETIVS.

Meletius Lariſſenæ Syriæ ciuitatis episcopus, in Ephesina illa profana synodo præsens, tametsi tum suo tum aliorum nomine Nicenam fidem amplecti, & Ephesini primi concilij decreta probari uelit: tamen ut cæteri, in Eutychis Constantinopoli ob hæresin damnati receptionem, etiam ipse diserta uoce consensit: ut acta eiusdem, quæ concilio Chalcedonensi inserta sunt, testatur. Interfuit idem etiam Chalcedonensi illi generali concilio, ut acta probant.

THEODORETVS CYRI *episcopus.*

Theodoretus Syrus fuit natione: Nicephorus libro decimoquarto, capite quinquagesimoquarto. Circa Antiochiam, si nõ in urbe ipsa, ipsius parentes habitasse, animaduerti quodammodo potest ex narratione, qua Macedoniani, cuiusdã in illis partib. heremitæ, uitam describit. Matri, quòd in rebus diuinis fuerit erudita, ipse ibidem testimonium perhibet: sed quæ fuerit steriles, nec patri prolem pepererit, cum tamen ad annos tredecim cum eo uixisset. Eam rem matrem equidem sua pietate minus, patrem uerò admodum molestè tulisse. Ideoque hinc inde eum circumcursitasse ad eos, qui ob singulare uitę institutum ceu serui Dei habebantur: eosque obnixè orando sollicitasse, ut suis pro se precibus à Deo sobolem sibi impetrarent. Ac inter eos fuisse quendam Macedonianum, præ cæteris illo genere uitæ conspicuum, qui & benignè suam ipsius parenti operam pollicitus fuerit, & præterea bene sperare iusserit, precum suarum assiduitate, unũ se ei à Deo filium impetraturum esse: uerùm integro triennio euentum non respondisse: atque ea causa rursum molestum fuisse suum parentem eidem heremitæ. Qui deinde accersita matre, ab ea stipulatus fuerit, si eum quem à Deo acceptura sit filium, eidem ad sacri ministerij usum redditura ac dedicatura esset, fore ut intra annum pulcherrimi filij mater fieret. Et inde eam postea concepisse. Mense autem à conceptione quinto, matrem

matrem periclitatam de abortiẽdo fœtu: & accersuisse illum suũ Eliseum. qui bono animo eam esse iusserit. Deũ nõ ablaturũ quod dedisset, ipsa modò non reuocaret quę promisisset in filio Deo consecrando. Imò, magis ter respondet, Sic ego & opto & uolo. Hinc aquam, cui benedixerat, ei bibẽdam offert, addens: mox eam diuinum sensuram auxilium. Et hoc modo abortiẽdi periculum amotum esse.

Hunc postea Macedoniũ crebrò habuit ad pietatem monitorem in prima sua puericia Theodoretus. Ita enim amplis ibidẽ recitat: Ego eis benedictionẽ & doctrinã sæpe ꝓcepi. Me enim adhortans, sæpe dicebat: Natus es, ô fili, cum multis laborib. Multas noctes hoc Deũ solũ rogaui, ut tui parẽtes hoc fierent, ꝙ te nato sunt nominati. Vide ergo, ut uitam agas dignã laborib. ut qui, antequã nascereris, promissis fueris dedicatus, &c.

Ingenium habuit excellentissimum, & ad percipiendas disciplinas omnis generis capacissimũ: in quib. philosophicis pariter & Christianis fuit præclarè institutus. Quo autem præceptore peculiariter usus sit in illis adolescentię studijs & artib. imbibẽdis, ꝓter illum Macedonium, qui ad pietatem ueram tãtùm ipsi hortator sedulus fuisse uideri potest, non satis cõstat. Nicephorus lib. 14. cap. 53. scribit, ipsum cum nonnullis alijs magnũ illum Chrysostomum habuisse præceptorem in utraq; philosophia. Et cap. sequenti, sectatorem ipsum fuisse ait Chrysostomi, quem quasi primarium exemplar cõformãdo stylo propositum habuerit. Excelluit etiam in poetica: ut Nicephorus lib. 14. cap. 53. indicat.

De *episcopatu*.

Syriæ ciuitatis, quæ (ut Gennadius ait) à Cyro Persarũ rege cõdita, & ab eo ꝓpterea nomẽ trahens, suo etiamnũ tempore illud tenuerit, non istius tantũ quam in ea habuit Christus ecclesię fuisse episcopum, sed multarũ ꝓterea totiꝰ istius regiõis, ipse Theodoretus meminit in epistola ad Leonẽ episcopũ Romanũ, eius nominis primũ, inquiens: Et ut in octingentis ecclesijs pastor essem, mihi sortitò obtigit. tot enim parœcias habuit Cyrus, &c. Isidoro cuidã successisse eũ, memorat Nicephorus lib. duodecimo, capite quinto. Quãdo ea sit facta successio, expressum non est. Ex ipso authore Theodoreto coniectura colligimus, ad eius ecclesiæ gubernationẽ ipsum peruenisse circa tẽpus illud, quo Imperator Theodosius Arcadij filius Imperij res solus administrare cœpit, aut certè non multo antè. Quo enim tẽpore ipse in synodo Ephesina altera damnatus est, annos in episcopatu suo habuit iã tũ uigintisex. ita ipse eos numerat in epistola ad Leonem. Eos annos si à quadringentesimo & quinquagesimo, circa quem ea synodus celebrata est, anno retrò numeres, peruenies ad annum Domini quadringentesimum & uicesimum quartũ, aut circiter. Ab Euagrio libro primo, capite decimotertio, commendatur à facundia. Nicephorus ei & sapientiæ laudẽ tribuit, lib. 14. cap. 30. & 47. In Theologia & rebus sacris inter primos locũ obtinet. In eruẽdo sensu ꝓspicax & ingeniosus, nisi quòd allegorijs plurimùm indulsisse uidetur. In rerum explicatione & tradenda doctrina breuis & clarus, in dicẽdo iucundus, in argumentando subtilis, in monendo acris. Rationibus si quando pugnandum, nemo illo uel ualidius in hostes tela iacit, uel ab eis iacta fortius repellit, nec non crebrò etiam suo ipsos gladio iugulat. Authoritatibus si sit decertandum, est illo, uel omni exemplorum genere, uel summa non cœlestis tantùm doctrinæ, sed totius antiquitatis cognitione, nemo instructior. Hinc mentiones crebræ antiquissimorum scriptorum, Ignatij Antiocheni, Irenęi Lugdunẽsis, Hippolyti episcopi & martyris, Eustachij Antiocheni quoque, Basilij Cęsarienſis, Athanasij Alexãdrini, Gregorij Nazianzeni, Gregorij Nysseni, Ambrosij Mediolanẽsis, Flauiani Antiocheni, Amphilochij Iconiensis, Theophili Alexãdrini, Chrysostomi Cõstãtinopolitani, Cyrilli Hierosolymitani, Flauiani Antiocheni, Hilarij Antiochię Ptolemaidis episcopi, Seueriani Gabalorũ, Attici Constantinopolitani, Cyrilli Alexandrini, Apollinaris, Damasi Romani episcopi, Gelasij Cæsarienſis Palęstinæ, Eusebij Emiseni. Ex quorũ omniũ scriptis testimonia ꝓfert, & sua munit: præsertim in Dialogis, de Christi diuinitatis & humanitatis incõfusa unione. In præfatione Cõpendij hęreticarũ fabularum mentionem facit, ꝓter nõnullos qui iam in superioribus numerati sunt, etiam horũ: Iustini philosophi & martyris, Clemẽtis cognomine Stromatei, Origenis, Eusebij tam Palæstini quàm Phœnicis, Adamantij, Rhodonis, Titi, Diodori & Gregorij, &c. ex quibus illam se Epitomen collegisse narrat. Legit Melitonem, ut apparet uicesima quæstione in Genesin. Aquilæ, Symmachi interpretationem: quæstione trigesimaprima, & trigesimaoctaua in Genesin. Philonem, Iosephum: quæstione uicesimaquarta in Exodum. Hoc nominatim etiam adijcere placuit, insignem ipsum fuisse physicum: ueluti apparet ex ijs quos de Prouidentia scripsit libris: sicuti & de tota eius & excellenti doctrina copiosissimè lectores instrui possunt, ex ijs monumentis quę ad nostram posteritatem, reliqua sunt. Geographiæ etiam eum gnarum fuisse, apparet ex quæstione duodecima in Genesin, item doctrinæ Sphæricæ

cogni-

cognitionem eum habuisse, constat ex quæstione 15 in Genesin: & lib. 1. de fide, ubi de punctis, de distantia cœli à terra, de magnitudine solis multum differit.

De gubernatione.

In gubernatione præstitisse uigilantiam & sollicitudinem, hinc est clarũ. Quòd scribit in illa ad Leonem Romanum episcopum epistola, Dei beneficio & sua opera ad mille animas à Marcionis morbo liberatas, plurimos etiam ab Arij & Eunomij sectis conuersos ad Christũ reduxisse. Cumq; octoginta Ecclesiarũ esset pastor, effecisse tamẽ mediantibus etiá Leonis precibus, ut ne uel unũ zizanium reliquũ esset, sed ab omni penitùs errorum hæresi suus liberatus sit grex.

Illud quoq; paternũ ipsius uerè erga Ecclesiam animũ arguit: quòd sua sede excussus, non tam pro sui nominis ignominia & rerũ suarum iactura est sollicitus, q̃ pro Ecclesiæ, & eorum quos plurimos à plurimis errorib. doctrina sua eripuerat, salute: quos, ipsius calamitate offensos, periculũ erat de doctrina ipsius dubitaturos esse, & reuersuros ad pristinos errores. Eius sunt hęc uerba ad Leonẽ Romanum episcopum: Mihi autem, ut Domin' Deus testis est, nec honor curæ est, nec gloria: sed tãtum scandalũ, quod factum est: q; multi ex simplicioribus, & maximè qui ex diuersis hæresibus à nobis capti sunt, sedem eorum qui nos cõdemnarunt attendentes, existimabunt nos fortasse hæreticos, ut qui quod sit rectum perfectumq; dogma uidere nequeant, &c. Commendat & hoc eius gubernationem, quòd in eadem ad Leonem epistola meminit, se ad annos 26. ita suas gubernasse Ecclesias, ut nulli unquã, quamuis leuissimæ reprehensioni fuerit obnoxius toto illo tempore, &c.

Scripta.

Multa se scripsisse, ipsemet narrat in epistola illa ad Leonem, his uerbis: A me enim scripta sunt alia quidem ante uiginti annos, alia uerò ante decẽ & octo, alia ante quindecim, alia ante duodecim, partim quidẽ aduersus Arianos & Eunomianos, partim uerò aduersus Iudæos & Gentes, partim uerò aduersus Magos qui sunt in Perside: alia rursus de uniuersa ac generali prouidentia, alia rursus per diuinam gratiã à me sunt explicata de Theologia & diuina humanę naturę susceptione, & scripta Apostolica, & Propheticæ prædictiones, &c.

Lucubrationum autem eius has sequẽtes enumerat Nicephorus lib. 14. cap. 54.

Enarrationes in uetus Testamentum.

Expositiones obscuriorum locorum in idem, liber peculiaris.

Opus aliud in sedecim Prophetas.

Aliud itidem in Psalterium.

De prouidentia alius liber.

Alius in Apostolum.

Aduersus hęreses omnes uolumen, quod mendacij & ueritatis discrimen inscribit.

Liber quem contra duodecim capita Cyrilli conscripsit.

Ecclesiastica historia.

φιλόθεος, hoc est Dei amantium historia, in qua institutum eorum qui suam uitam sanctè transegerunt, persequitur.

Libri tres de diuinis dogmatib. in Dialogo conscripti. Addit præterea, legisse se supra quingẽtas eius Epistolas græco sermone optimè compositas. Hactenus Nicephorus.

¶ Gennadius tantum duorum ipsius operum meminit:

De incarnatione Domini aduersus Eutychen presbyterum, & Dioscorum Alexandriæ episcopum.

Item Ecclesiasticæ historiæ, cuius decẽlibros Theodoretũ memorat conscripsisse, & incepisse à fine librorũ Eusebij, & deduxisse usq; ad suũ tẽpus: id est à Vicennalib. Cõstantini, usq; ad Imperium Leonis senioris.

¶ Ex libris Theodoreti hodie extare aiunt græcè scriptos in bibliothecis Italię, Gesnerus in Bibliotheca sua:

In Pentateuchum: Dubia & solutiones in Biblia, usque ad Paralipomena, incluſiuè. a liàs, in Octoteuchum dubia & solutiones.

In Cantica. In Psalterium. In Hieremiã prophetam, & Threnos.

In omnes diui Pauli epistolas.

De constitutione humani corporis, uel de Opificio Dei, sermones duo.

Et hęc quidẽ omnia tum alibi, tũ Venetijs apud Diegum Hurtadum Cæsaris oratorẽ.

Commentarium in Psalmos, haberi aiunt in bibliotheca Augustæ Vindelicorum.

Commentarium in uisiones Danielis, Bonoriæ ad S. Saluatorem.

In Ezechielem, ibidem, opus magnum.

In duodecim prophetas minores. Item, De prouidentia sermones decem. Item, Eranista, aut Polymorphus, siue contra hæreses.

Item, Hęreticę malignitatis Epitome. Itẽ, Curatio græcanicarum affectuum. Item, Orationes monasticę, &c. Romæ omnia.

Epistolas ei' ibidẽ etiá in Vaticano extare, animaduertitur ex præfatione ad lectorem, Herueti, in cõmentarium epistolarũ Pauli.

¶ Ex ijs iam omnibus uulgata in hominũ manibus uersantur:

Liber de Selectis sacrę Scripturę quæstionib. ambiguis, ex septẽ primis libris Pentateuchi, Iosue & Iudicũ, græcè: & nuperetiá trãslatus per Ioannẽ Picũ, præfidem Clafsis inquisitoriarũ Senatus Parisiensis. Extãt & in lib. Regũ eius generis quæstiones latinè.

Historia Ecclesiastica tum græcè tũ latinè, Eusebianæ & aliorum adiecta. Sed libri tantum

tum quinq; non decē, ut Gennadius habet: neq; ad Leonem seniorem deducta, sed tā tum ad Theodosij iunioris primos Imperij annos, cū solus per se mortuo Honorio pa truele res administrare cœpisset.

De prouidentia Sermones decem græcè, non adeò pridem è Romana bibliotheca, & quidem Romæ editi.

In xiiii Pauli apostoli epistolas commentarius, nuper uersus latinè à Gentiano Hervetо: cui & epistola ad Leonem i. iuncta est.

Eranistes seu Polymorphus, Dialogi tres. Itē, Hæreticarū fabularū Cōpendiū. Itē, Diuinorū decretorū Epitome. Et historia θεοφανης: Latinè omnia, & eodē interprete uersa.

Cōmentarij in duodecim Prophetas minores, latinè redditi à Petro Gillio Albiensi.

Reprehensio duodecim capitum Cyrilli, aduersus Nestorium, ad Ioannē Antiochenum, extat in uolumine Hæreseologiæ.

De Euangelicę ueritatis ex Græcorum atque gentium philosophica cognitione, siue de Græcarum affectionū curatione, libri 12. Zenobio Acciaiolo Florentino interprete. Extat eius nomine etiā epistola ad Alexādrum Hierapolitanum, in gestis concilij Ephesini primi: Conciliorum tomo primo. Extat ibidē et pars homilię, eiusdē noīe.

¶ De huius scriptis ita indicat Nicephorus lib. 14. cap. 54: Stylum esse fluidū admodū, & copiosum, facilē in elocutione, & Atticā gratiā redolentem. Atq; est sanè sine cōtrouersia insignis huius doctoris eloquētia & doctrina, ac (ut breuiter dicamus) præstitit felicitер, id qđ paucis datū est, ut summā rū cognitionē cū elegāti & ornata dictione cōiungeret, &c. Ex huius certè scriptis multi alij proprios texuerunt Cōmentarios: uti & ille est qui Theodulo tribuitur.

Vtut aūt eruditissima sint eius scripta, nō caruēre tamē cēsorib. Nā in Ephesina synodo secunda, dānata sunt: & accessit etiā Imperatoris Theodosij autoritas, cōfirmās eā publicato edicto, sicut paulo pòst prolixius dicetur. Tametsi aūt ea dānatio eius scripto rū, sit mox à sequenti Imperatore Marciano irrita facta cōtrario publicato edicto: tamē pòst sub Imperatore Iustiniano in quinta uniuersali synodo Cōstantinopoli, rursum anathemati sunt subiecta quædā eius scripta. Condēnamus aūt & anathematizamꝰ, &c. & quę à Theodorito impiè cōtra rectā fidē, ac duodecim beatę memorię Cyrilli capitа, & sanctā Ephesinā primā synodū, & quęcunque ad patrocinandū Theodoro & Nestorio sunt scripta. Euagrius li. 4. cap. 38. eadē Nicephorus lib. 17. cap. 27. Factum est autē circiter annum 552. iuxta Palmerium.

¶ De doctrina eius cōstat ex cap. 4. ubi testimonia eius de plerisq; cap. assignauimus.

De sacris literis ubiq; piè & honorificè loquitur, ac plures passim regulas intelligēdi & explicandi eas proponit: ut 1. 11. 19. 20. 21. 39. 81. 89. quæstione in Genes. & 46. in Exod.

De Deo rectè docet, quòd sit increatus & infinitus, principio & fine carēs, omnia cōprehēdēs, à nullo descriptus: in Sermone 2. Verax & ꝓmissionū tenax: lib. 11. de iudicio. & bonus, qui non ex sola pręscięntia puniat, sed expectet operū consummationē: quæst. 8. in Exod. Et quòd unus Deus, in epist. ad Rom. cap. 3. & tres distinctæ personæ, pater, filius & spiritus sanctus: sicut in 20. quæst. in Genesin, similitudine ab anima humana, in qua sit mens, sermo, spiritus, demonstrat. & lib. 2. de principijs.

De Christo docet, quòd in una persona sit uerus Deus & homo, in 1. cap. ad Col. & 1. ad Tim. 3. & in dialogo Immutabili, & in 2. dialogo Incōfuso. & quòd nō tātū corpus, sed etiā animā susceperit: in Epitome diuinorū.

De officio eius dicit, q̄ sit mediator inter Deū & homines, ideoq; oportuerit esse & Deus & homo: in dialogo Inconfuso 2. Et eleganter de eo dicit: Dominus Christus & Deus est, & propitiatorium, & pontifex, & agnus, & in suo sanguine nostram salutem procurauit, solam à nobis fidem exigens. in epistolam ad Romanos.

De Spiritu sancto dicit, q̄ ex Deo patre substantiā habeat, & increatus sit, & ingenitus: in Epitome decretorū diuinorū. Itē, eum nō esse patrē rerū creatarum: in 2. cap. ad Ephes.

De angelis docet, q̄ in creatiōe cœli & terrę, & nō antè cōditi sint, & habeāt substātiā loco circūscriptā, esse immortales & incorporeos: in 2. quæst. in Genes. & 36. quæst. in eandē: & 29. in Exod. & cuilibet homini & singulis nationibus suos destinatos esse angelos. in 3. quæst. in Genesin.

De diabolis sentit, eos bonos creatos initiò esse, sed suа spōte ob superbiā, & inuidiā erga genus humanū lapsos esse. li. 3. de dijs, & lib. 4. de materia & mūdo. eosq; autores superstitionū & idololatriarū esse: li. 7 de sacrificijs ostēdit, & in 2. Corinth. 11. & Dial. 3.

De creatione dicit eleganter, Deū patrem, filiū & spiritū sanctū omnia fecisse, & omnia q̄ facta sunt perpetuò regere: ad Rom. 10. & lib. 2. de principijs, creaturā per eius sapientiā & potentiā stare. Colos. 1. Non aūt ideo Deū creasse, quòd ullius indiguerit, sed sola bonitate deductū: quæst. 3. in Genes. Et ex arborū germinatione colligit, Deum in uere mundum creasse: quæst. 72. in Exodum.

De homine asserit, à Deo eum conditum esse ad imaginem Dei, eamq; non ad corpꝰ, sed ad animā referendā: quæst. 20. in Genes. & 1. Cor. 11. Hominem lapsum diuinæ imaginis characteres perdidisse, & imaginē Dei deletam in eo esse: in 2. dial. Inconfuso.

De pec-

De peccato sentit, quòd autor eius sit diabolus, & homo: quæst. 13. in Leuitic. & non Deus. lib. 5. de natura hominis. Ac omnes homines esse peccatores, docet quæst. 9. in Numeros, & Colos. 2. Ac definit peccatũ esse transgressionẽ legis: quæst. 1. in Leuit. Et uaria peccatorũ genera recenset quæst. 30. in Numeros. & effectum peccati esse cruciatus cõscientiæ, monet lib. 7. de sacrificijs: ac peccatũ matrẽ mortis uocat, dial. 3. Impatibili.

De lege dicit, Deũ eã per angelos dedisse: quęst. 3. in Gen. ac requirere eam omniũ præceptorũ obseruationẽ, & damnare eam non præstantes: in epistola ad Gal. cap. 3. & scopum eius esse, ut nos ad Christum adducat: 1. Tim. 1. & ad Rom. 10.

De euangelio dicit, quòd annũciet Dei reconciliationẽ, diaboli dissolutionẽ, peccatorum remissionẽ, mortis cessationem, à mortuis resurrectionẽ, uitam æternã, & regnum cœlorũ: Rom. 1. ac scopũ & institutũ (inquit) est euangelij, salus hominum: 1. Cor. 9.

De discrimine legis & euangelij docet, legem peccantes damnare, gratiam uerò eos suscipere, & per fidem iustificare, & baptisare, & peccata remittere: 2. Cor. 3. & legem ab impietate liberare credentes, euangelicã autem gratiam eos introducere in regnũ cœlorum: quæst. 43. in Deut.

De iustificatione docet, IESVM Christum suã morte & passione nos redemisse, & iustitiã nobis cõparasse, ad Ro. 4. & 1. Cor. 2. Applicationẽ aũt fieri sola fide: in epistolam ad Rom. Sola fide allata peccatorũ remissionẽ accepimus. & Ephes. 2: Non nostra spõte credidimus, sed uocati accessimus: & cũ accessissem⁹, nõ exegit uitę puritatẽ & innocẽtiã, sed sola fide suscepta cõdonauit peccata. Et lib. 7. de sacrificijs: Neq; ullis operib. nostris sed per solam fidem mystica bona consequuti sumus.

De bonis operib. docet, q, secundũ Dei legem fieri debeant: lib. 12. de actiua uirtute. Vitam monasticam non esse ex necessitate, sed libera animi uoluntate susceptam.

De baptismo docet, quòd per eius aquã diuina gratia donet uitam æternã. quæst. 26. in Genesin. ac conferre eum per fidem remissionem peccatorũ: quæst 19. in Leuit. & in Epitome diuinorum decretorum.

De cœna Domini dicit, non esse symbola & figuras, sed ipsum corpus: 1. Cor. 11.

De ecclesia dicit, quòd sicut monoceros unũ cornu habet, ita illa unum Deũ adoret. quæst. 44. ac pfectos & imperfectos, bonos & malos in cœtu ecclesię esse: quæst. 11. in Leuit. Ac etiam gentes ad Ecclesiã pertinere: quæst. 34. in Deut. Et infimos quosq; in Ecclesia maiorem de Deo, Trinitate, & rerum creatione, & de humana natura cognitionẽ habere, quàm Plato & alij philosophi: libro quinto, de natura hominis.

De cruce dicit, quòd sicut ignis rubũ non absumpsit, ita nec crucẽ Ecclesiam perdere. & sicut lignis cæsis, radices plures ꝓpagines proferant: ita cruorẽ cæsorũ corporũ irrigationem quandã esse, nouis in Ecclesia emergentibus plantis: lib. 9. de legibus.

De coniugio bene dicit, nuptias non dare liberos, sed Deum, qui nuptijs legem dedit: quęst. 84. in Genes. Item procreandæ sobolis causa matrimonium esse institutũ: quæst. 20. in Leuit.

De inuocatione inquit, adorationem quæ soli Deo debetur, Deo & angelis ex æquo non partimur. lib. 3. de dijs.

De Astrologia, negat ideo astra in signa cõdita, ut iudicia natiuitatũ inde peti debeant. ac dicit, eas uanas opiniones neq; Pythagoram, neq; Socratem, neq; Platonem, neque Stoicos recepisse: quæst. 15. in Genesin.

De resurrectione sentit, corpora cum animabus piorum & impiorum resurrectura. in Epitome diuinorum decret.

De extremo iudicio statuit, IESVM Christũ in humana specie apparituru, & iudicaturũ oẽs homines: lib. 11. de iudicio. 1. Thes. 4.

De uita æterna docet, quòd curæ & tristiciæ & laborum & solicitudinum expers sit futura. epistola ad Hebr. 4.

De mœuis.

Multas tamen etiam ipse opiniones & stipulas interspersit, quæ alijs præbuerunt occasionem errorum.

Christũ in specu tophaceo à Maria editũ, contra Euangelicã historiã affirmat: lib. 8. de martyrib. Ac eundẽ, secundũ solam humanitatem sacerdotẽ appellatũ esse: in dialog. 1. & corpus Domini post assumptionẽ, in diuinã naturã mutatum esse: in dialog. 2. Inconfuso.

De creatiõe opinatur, nõ omnia animalia propter hominem esse condita: quæst. 20. & 31. in Genesin.

De angelis opinatur, Deum ante Abrahã, cum nemine patrum per angelos loquutum esse: quæst. 2. in Genesin.

De peccato asserit, Paulum ideo à uipera nõ esse lęsum, quia fuerit sine peccato: quęst. 18. in Genesin.

De libero arbitrio planè asserit, humanã naturã liberũ arbitriũ etiã in credẽdo habere, & Deũ tantũ suadendo & dissuadendo cum homine agere: quæst. 12. in Exodum. & 37. in Deut. Nihil planè nouit de tractione patris, & effectione ut uelimus & perficiamus: lib. 5. de natura hominis.

De iustificatione cõtra seipsum dicit: Non sufficit sola fides ad salutem, sed operib. indiget ad perfectionẽ: quæst. 63. in Exodum.

Fidem uolũtariam animi compositionẽ & conuentionem esse dicit, lib. 1. de fide.

De cœna periculosè dicit, symbola cor-

poris & sanguinis Domini post inuocationem sacerdotis mutari, & alia fieri. dialogo 2 Inconfuso.

De oratione, approbat uenerationem sanctorum martyrum, eorumq; precibus & intercessione diuina munera homines consequi, &c. docet lib. 8 de martyribus, & lib. 9 de legibus.

De martyrib. mortuis fabulatur, quòd sint duces & principes hominum, & infortunia auertant, & dæmones abigant: ac rectè eos medicos & auxiliares appellari: & quòd reliquiæ ipsorum, licet tenues & dissectæ, tamen parem uirtutem cum toto habeãt: lib. 8 de martyribus.

De Antichristo somniat, quòd ex tribu Dan sit oriturus: quæst. 109 in Genesin.

Certamina.

Multa & uaria certamina se susceptisse in multis Orientis ciuitatibus, aduersus Gentes, Iudæos, & aduersus omnem hæreticũ furorem, ipse commemorat ad Leonem. Et testatur superior scriptorum eius enumeratio, aduersum quos sigillatim sua tela uibrarit: Arianos, Eunomianos, & inter gentes præcipuè contra Magos in Perside. In scripto cui titulus, Dijudicatio ueri & falsi, describit & refutat omnium hæreticorum à Simone Mago usq; ad Eutychen deliria & corruptelas. In scripto cuius inscriptio, Polymorphus, rursum ex instituto, peculiari erga Ecclesiam zelo, aduersum suæ ætatis hæreses, ut quisquam alius in hoc genere, acerrimè depugnat, Nestorianam scilicet & Eutychianam, & similes. Sacrarum scripturarum & omnis antiquitatis rationibus & argumentis ita exagitat hæreticum, in omnes formas ceu Protheus quispiam sese subinde mutantem, ut cum nullus sit effugij locus, demum uel inuitus manum dedere cogatur: atq; ea disputatione euincit tandem, diuinam in Christo naturam esse immutabilem, impatibilem, & ab omnibus perturbationibus passionibusq; longè remotam: unionem autem utriusq; in eodem tam diuinæ quàm humanæ naturæ esse inconfusam.

Synodum tertiam eum impugnasse, Nicephorus autor est libro primo, capite primo. Ea est Ephesina prima, contra Nestorium coacta: cui certè interfuit, & unus fuit ex Schismaticis illis, qui cum Ioanne Antiocheno sese separarunt à reliqua Patrum congregatione, ob odium in Cyrillũ Alexandrinũ, quem etiam damnarunt unà cum Memnone Ephesino. Testantur acta Synodica in primo Conciliorum tomo: item Nicephorus libro decimoquarto, capite trigesimoquinto. Certè Theodoretum acriter in Cyrillum nominatim inuectum esse, amore Ioannis Antiocheni, cuius uicem doluerit, ibidem meminit Nicephorus. Fuit & unus ex legatis illis, quos sua factio ad Imperatorem Cõstantinopolim ablegauit contra Cyrillum & suos, &c. ut eadem acta ostendunt. Contra eam quoq; Synodum literas ipsum sparsisse ad clericos, monachos & laicos, du rãte disidio, indicat Liberatus duodecimo capite Breuiarij. Ioanne illo Antiocheno authore, impugnauit etiam Theodoritus cõtrario scripto 12. Cyrilli illius Alexandrini capita, quæ ille contra Nestorium ediderat, eius erroris ambages damnans: quòd dum nimius esset in Nestorij errore refutando Cyrillus, uideretur multis in Apollinaris hæresin declinasse. Liberatus in Breuiario suo, capite quarto & nono. Nicephorus loco memorato narrat, Theodoretum perperam ea Cyrilli capita exposuisse, ac propterea Cyrillũ cõtrà docta interpretatione sua tutatum. Sed reconciliati sunt tandem inter se, ut suo loco dicitur. Theodorus Lector libro secundo suorum Collectaneorum, eam confutationem capitulorum Cyrilli factam scribit, post reconcilationem illam. Atque idem ferè animaduerti potest etiam ex Liberato, qui ita recitat, ut tum demum firmam fuisse eam reconciliationem, & restitutam Ecclesijs pacem appareat, posteaquam Cyrillus addita lucidiore suorum Capitum expositione ea declarasset. Acriter etiã pugnauit contra Astrologiam iudiciariam, de genesibus hominum: quam non modò à sacris literis, sed etiam à Pythagora, Socrate, Platone & Stoicis damnari, indicat quæstione decimaquinta in Genesin.

Cum Antiochenæ ecclesiæ gubernatoribus uidetur peculiariter amicitiam coluisse. ex epistola ad Leonem: in quà nominatim Theodoti, qui Ioãnem schismatis istius Ephesini autorem præcesit proximè, mentionem facit: quem etiã in ultimo historię suę Ecclesiasticæ capite laudatissimum nominat. Ioanni Antiocheno arctissimè fuisse coniunctũ, ex memoratis colligi potest. Et postea in Chalcedonensis synodi actione octaua, Maximus honestissimũ huic Theodoreto de doctrina testimonium præbet, inquiens: Dudum quidem & à principio episcopum Theodoretum noui Catholicum, audiens doctrinas eius in sanctissima Ecclesia. Porrò factionis istius qui Ioannem illum Antiochenum Ephesi secuti sunt, socijs non potest non esse notissimus, præsertim illis qui legationis ad Imperatorem fuerunt comites, ut Paulo Emiseno, Himerio Nicomediensis metropolitano, Macario Laodicensi episcopo, Apringio Chalcidensi, Helladio Ptolemaidis, Cyro Tyriorum, Alexandro Apameensi episcopis: item Alexandro Hierapoleos metropolitano, cui etiam præ

cæteris uidetur fuisse familiarior. ad eum siquidem è Chalcedone rescribit, de progressu suæ legationis: Nestorio, quem licet postea & uiua uoce & publicè editis scriptis damnarit, tamen eo prius amico esse usum, ea ipsa Synodica acta palàm faciunt. Nam & cum reliquo suæ patris cœtu eius patrocinium agit in illa synodo, & in legatione ad Imperatorem: ueluti ipsa ad Alexandrum Hieropolitanum epistola declarat, in qua Nestorium & amicum & patrem appellat. In Leonis Romani episcopi familiariorem noticiam traxit ipsum calamitas rerum sibi aduersarum, ut eius & consilio & auxilio utendum sibi fuerit: sicut epistola ad eundem Leonem à Theodoreto scripta ostendit, quę est adiuncta in fronte Commentariorum epistolarum Pauli. In ea epistola memorantur etiã Hypatius & Abrahamius chorepiscopi, & Alypius monachorum præses, ut ipsius amici, quorum ministerio utitur in legatione ad Leonem.

De uitæ ipsius sanctimonia.

De uitæ suæ sanctimonia, ad Leonem epistola scribit: Quòd autem, cum tot annis fuerim episcopus, non domum possederim, non agrum, non obolum, non sepulchrum: sed sponte electam amplexus sim paupertatem: & quę nobis à parentibus obuenerant, post illorum mortem statim distribuerim, norunt omnes qui in Oriente habitant.

De afflictionibus.

Certaminũ comes est offensio, quam etiã sequitur afflictio: id quod Theodoretꝰ quoque est expertus. Narrat ipse Leoni pontifici in illa epistola, lapides à nefandis hæreticis, quibus se opposuerat, in se iactos. In Ephesina illa Synodo, cũ sua factio prior damnasset Cyrillum & Memnona, illum Alexandrinum, hunc Ephesinũ episcopos, mox ab uniuersa Synodo illis absolutis, ipse cũ suis manipularibus in eadẽ uincula decidit, ita quidem, ut à diuina communione excluderetur simul, & sacerdotalis ei (ut & reliquis) adimeretur dignitas: ut Nicephorꝰ indicat. Ac multa mala factionem eam, cui ipse adhęrebat, pertulisse Ephesi, Liberatus sexto capite sui Breuiarij indicat: quorum & Theodoretꝰ dubio procul nõ fuit expers. Verùm & ex hoc Liberati capite, & præterea ex literis illis quas è Chalcedone ad suæ partis patres Ephesum miserũt ipse & reliqui legationis collegæ, & ex ipsis synodi actis cõstat, eã ipsius excommunicationem & exauthorationem nihil ipsi obfuisse: sed ut & reliquos ad sua quenque loca, ita & ipsum reuersum Imperatoris mandato, ac demum istud dissidium compositum.

Excepit illum alia grauior afflictio cum ob Eutychis nouum dogma examinandum altera Ephesi instituta esset synodꝰ. Primùm enim ipse ei interesse Imperatoris mandato prohibitus est: Liberatus duodecimo capite sui Breuiarij. ostendunt hoc & Imperatoris ad Dioscorum, eius synodi præsidem, literę. Postea etiam in eadem synodo damnatum, & ademptam ei rerum Ecclesiæ administrationem: pòst Liberatus eodem loco, & Nicephorus quadragesimoseptimo libri illius capite recitãt. & ipse etiã cõqueritur in epistola ad Leonẽ, inquiens: Quin etiã me quoq; absentẽ calamo similiter iugulauit (scilicet Dioscorꝰ synodi præses) cũ me nec in ius uocasset, nec præsentẽ indicasset, nec quid desu scepta à Deo & Seruatore nostro humanitate sentirẽ interrogasset. Addit, quòd triginta quinq; dierum spacio remotus, sit condẽnatus. Item quòd iam antè superiore ab hac synodo anno ab eodem Dioscoro in Ecclesia anathemate fuerit notatus, ob quorundam, qui in Apollinaris inciderãt morbum calumnias, quas aduersum se cõtexuerant, tametsi ipsi suam de ea causa sententiam eidẽ Dioscoro exposuisset. Causam eius damnationis in illa Ephesina synodo fuisse, ait Liberatus ibidem, quòd contra duodecim Cyrilli anathematũ capita scripserit: Item, quòd epistolam miserit clericis & monachis, & laicis etiam, contra primam Ephesinam synodũ, priusquã inter partes dissidio cõposito pax Ecclesię fuisset reddita. Prioris causę faciunt mentionem etiã sacrę literę Imperatoris ad Dioscorum, quibus ei præsidentiam synodi committit, quarum est exordium: Ante hoc quidẽ Theodoretum episcopum Cyri ciuitatis præceptum in sanctam synodum minimè cõuenire, donec de eo quæ placuerint, synodus sancta constituat, auersati eum, quia assumpsit proferre contraria his quæ conscripsit de fide sanctæ memoriæ Cyrillus, &c. Extant autem utræque Imperatoris ad Dioscorum, & hæc & ea cuius priori loco facta est mentio, epistolę, in prima actione Chalcedonensis concilij. Habuit autem hanc ipsius Theodoreti factam à synodo illo condemnationem ratam, & confirmauit eam etiam ipse Imperator istius temporis Theodosius iunior, proposito publico edicto, quod tertię Chalcedonensis synodi insertũ est actioni: in quo nominatim, primùm ipse Theodoretꝰ, q cũ Nestorio in doctrina participet, iustè damnatus, & sede Ecclesię indignus denũciatur, deinde scripta eius igni exuri præcipiuntur. Iure ne autem, an iniuria hæc ei acciderint, nõ omnino est facile indicare. Ipse profectò iniustam depositionem suam nominat, ad Leonem. Et ut summam suam ostendat innocentiam, ait, ita se suas rexisse totis uiginti sex annis Ecclesias, ut nunquam ullam quantum

quantumuis leuem, subierit reprehensionẽ ab Antiochenis præsulibus: & de doctrina ipsius iudicium fieri posse ex scriptis, quæ plurima ediderit, utrum seruauerit rectam atque inflexam fidei regulam, an uerò rectitudinem eius transilierit. Asseriq; præterea, miserã suam canitiẽ cõtumelijs affici, & ingratiam reddi. ac maximè urget, quòd non auditus, nedum conuictus, damnatus sit: id quod nec homicidis, nec aliorum facinorũ reis accidat. Appellat itaque ad iudicium Leonis, eique supplicat, ut consilio & re se iuuare uelit, huic ne iniustæ depositioni acquiescere se oporteat, & rem Dei iudicio cõmittere, an uerò secus doceat: ipsius se monitis stare paratum. Leo itaque ei testimonium innocentiæ præbuit, & suæ Ecclesiæ restituit: cuius fortè motus præiudicio Imperator Marcianus, eundem posteà Theodorum Chalcedonẽsi synodo interesse mandauit, ueluti ipsi eius concilij Iudices gloriosissimi, & amplissimus Senatus utrique indicant, dicentes: Ingrediatur & reuerendus episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi: quia & restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo, & Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo. mox ab initio primæ actionis illius concilij: & quidem singulorũ sententijs Orthodoxis pronunciatum, & penitus absolutum, declarat actio octaua, ubi hæ Patrum referuntur acclamationes: Theodoretus dignus est sede Ecclesiæ, orthodoxum doctorem Ecclesia recipiat. Accesit huc & Imperatoris Marciani edictum, quo abrogata sunt secundæ Ephesinæ synodi acta. Et scriptum præterea peculiare eiusdem Imperatoris ad Palladium præfectum prætoriorum Orientis, ubi diserte huius Theodoreti fit mentio: & expresse sancitur, ne ei obsint quæ perperam Ephesi antea fuerant statuta. Et hęc quidem satis nimirum eius innocentiæ patrocinantur. Veruntamen non prorsus omni culpa fuisse culpa, suspicari licet. Nam primùm ex superioribus satis notum est, Nestorio aliquando non tantum fauisse, sed & cum alijs multis patronũ eius egisse, & capita Cyrilli ipsum calumniosa interpretatione depraua sse, subindicare uidetur Nicephorus, ut suprà monuimus. Quod si fecit, iure certè reprehensus est. Huc & illud addatur: Quòd tametsi Imperatoris mandato locus in Chalcedonẽsi cõcilio ipsi etiã dandus esset, plurimi episcoporũ, Ægyptij præsertim, Illyrici ani & Palæstini, ipsum in cõsessum recipere detrectarunt: idq; cõtentionibus multis & nociferationibus, Miseremini, clamantes, fides perit, istum canones eijciunt, hunc foràs mitte, magistrum Nestorij, &c. ab initio stratim primi congressus. Postea cum iudicum sententijs admissus esset ad consessum, & quidem etiam Oriẽtales episcopi suis uocibus dignum esse cui suus locus daretur pronunciassent, illi modò memorati & alij rursum suas clamoribus interposuerunt protestationes: Nolite eum dicere episcopum, nõ est episcopus, Impugnatorem Dei foràs mitte, Iudæum foràs mitte, Cyrillum iste anathematizauit, &c. Illis etiam specialiter se coniungit Traianopolis Rhodopæ episcopus, diserta uoce cõtestans ab ipsis iã antè Theodoretũ damnatũ. Ibidem in prima actione, in primo tomo Conciliorũ. Cũ his facit, quòd in illo Chalcedonensi conuentu non prius tamen orthodoxus est pronunciatus, & à dãnatione prorsus exẽpt⁹ & absolutus, quàm palàm manifestè ac disertè in cõspectu uniuersi sanctissimorũ patrũ & aliorũ sacrosancti senat⁹, Nestoriũ & Eutychen damnasset. Id quod facere diu tergiuersat⁹ est, uolẽs ex scripto suã fidẽ & innocentiã demõstrare, & obliquè tãtũ, nec directè eosdẽ dãnare, ut hęc ipsi⁹ sententia ostẽdit: Ego p Dei gratiã ab Orthodoxis sum nutritus, & orthodoxè do cui, & orthodoxè sum doctus, & orthodoxè prędicaui: & non solũ Nestoriũ, & Eutychẽ, sed & omnẽ hominẽ qrectè nõ sapit, auersor, & alienũ existimo. Et eiusmodi generalẽ dãnationẽ cũ subinde repeteret, nec aliter eos dãnare uellet, nisi pri⁹ se orthodoxũ esse ex scripto docuisset: uerùm patres neq; ullũ scriptũ recipere, neq; etiã ista generali condẽnatione cõtenti esse uellẽt, ac identidẽ urgerẽt has uoces, quibus disertè dãnaret Nestoriũ & Eutychen, Dic clarè, dic apertè anathema Nestorio: & quidẽ eius etiã tergiuersationẽ iã odiosè carperẽt, uociferãtes, Hic hæretic⁹ est, Nestorianus est, hæreticũ foràs mitte: tũ coactus quasi in hęc uerba prorupit, Anathema Nestorio, & eis q nõ dicũt Deigenitricẽ uirginẽ Mariã, & qui in duos filios partiũtur unum filium unigenitum. Addit insuper, quòd & definitioni fidei, Chalcedonẽsi scilicet, item & epistolę Leonis Romani archiepiscopi subscripserit. Et hinc iam plausus secutus est, & illa quam antè modò narrauimus absolutio & restitutio in integrum: actione octaua eius Concilij. Sub Leone seniore mortuum, Gennadius scribit. In episcopatu autem fuisse annis amplius triginta, facilè deprehendet, qui cum illis uigintisex annis suprà asignatis coniunget eam temporis intercapedinem, quæ intermedia est inter Chalcedonensem hanc synodum, & illam Ephesinam alteram, annorum circiter quatuor: cum altera circiter Domini annum quinquagesimum, altera quinquagesimum quartum post quingentesimum, sit celebrata.

IORDANVS.

Abilæ Syriæ idem episcopus, concilio Chalcedonensi interfuit. hæc acta eiusdem probant.

SABBAS.

Paltas primæ Syriæ ciuitatis episcopus, primùm Antiochiæ cuidam congregationi sub Domno interfuit, contra Athanasiũ Parenorũ episcopũ institutæ, ut decimaquarta actio Chalcedonẽsis cõcilij ostendit. postea etiam Cõstantinopoli fuit in cõuentu cõtra Eutychen sub Flauiano, quo suam edens confessionem, Nicenam se synodum sequi, similiter & Ephesinam illam primam, & Cyrilli Alexandrini expositiones, cõmemorat. Eutychis etiam damnationi subscripsit. Cuius rei testimonium præbent acta istius conuentus, Chalcedonensibus inserta. In Chalcedonẽsi synodo subscripsit per suũ diaconũ Thalassiũ. eadẽ acta in 1. tomo Conciliorũ.

MARCVS.

Marcꝰ Arethusię secundę Syrię episcopus, ex Chalcedonẽsi cõcilio notus est: quòd eidem interfuit & subscripsit. testantur acta.

TIMOTHEVS.

Balaneorũ secũdę itidem Syriæ episcopꝰ, Ephesinę infami synodo interfuit. testis Catalogus eiusdẽ. Interfuit & Chalcedonẽsi, in qua pro ipso subscripsit Marcus Arethusanus iste episcopus: ut acta habent.

STEPHANVS.

Epiphaniæ secundę Syrię episcopus, cuidã quinciali cõuentui interfuit Antiochiæ, sub istius Ecclesiæ archipræsule Domno, in causa Athanasij Parenorum episcopi. testatur decimaquarta actio Chalcedonẽsis concilij, in primo tomo.

EVTYCHIANVS.

Eidẽ ecclesiæ præfuit tẽpore Chalcedonẽsis cõcilij, cui etiã interfuisse uidetur. Ipsius siquidẽ nomine subscribit Meletius Lariſſenus: ut acta eiusdem Concilij testantur.

PAVLVS.

Mariamnę, seu Mariamnię secũdę Syrię episcopus, Chalcedonensi synodo interfuit. Testis est catalogus eiusdẽ cõcilij, in 1. tomo.

LAMPADIVS.

Raphaneorum secũdæ similiter Syrię episcopus, concilio Chalcedonensi similiter interfuit. testantur Catalogi.

PHOSPHORVS.

Seu Phosbotus, Orthosiadis Syrię ciuitatis episcopꝰ, ex synodo Chalcedonẽsi (ut pleriq;) cognitus, quòd eidem interfuit, eiusdemq; actis subscripsit: testantur eiusdem Catalogi, præsertim ille subscriptionum, in fine sextæ actionis, primo tomo.

RVFFINVS.

Samosathæ episcopus, Ephesinę synodo posteriori deprauatæ interfuit, & cum cęteris pro Eutyche decernit: ut ex prima actione Chalcedonensis concilij est uidere. Interfuit & Chalcedone, & cum nonnullis alijs mittitur accersitum denuò Dioscorum in patrum consessum. Patet ex tertia actione eiusdem Concilij, primo tomo.

IOANNES.

Germaniciæ Orientalis ciuitatis episcopus, Chalcedonensi concilio interfuit, & unà cum alijs missus est accersitum ad synodum tertiò Dioscorum. Ostendit tertia eiusdem synodi actio, in primo tomo.

EVOLTIVS.

Zeugmatis ciuitatis episcopus, Antiochiæ sub Domno eiusdem archipręsule, cuidam conuentui interfuit, in causa Ibæ Edelseni episcopi. Postea etiam Chalcedone adfuit, in ista celeberrima synodo. testatur decimaquarta actio huius synodi.

PAVLVS.

Antaradi episcopus, eadẽ ratione hoc seculo cognitus, quòd & ipse Antiochiæ in eo ipso conuentu fuerit præsens. Et hauddubiè in Chalcedonensi quoque: tametsi Aradi, sed corruptè procul dubio, legitur. Exijsdem actis.

EPIPHANIVS.

Arcæ, siue Archiæ episcopus, eidem Antiocheno conuentui interfuit: ut eadem decimaquarta actio testatur.

IOANNES.

Ioannes quidam nomine eidem Ecclesię Arcæ præfuit, tempore Chalcedonensis concilij, in quo legatũ habuit presbyterum Otreium. Acta testantur.

VRANIVS HIMERORVM.

Himerorũ prouinciæ Osroenę episcopus fuit, nullius linguæ præter Syriacam periti: quòd ex eo apparet, quòd in synodis semper interprete usus legitur. In synodo Ephesina secunda censuit, eum qui ea quæ Niceæ & Ephesi prius Patres de fide statuerint, præuaricari ausus fuerit, non tantum Ecclesiastico excommunicationis gladio feriendum, sed etiam securi. Sed postea cum cæteris pro Eutyche, ut pristinam suam dignitatem recuperaret, decreuit. Et fuit sanè Vranius iste unus ex illis, qui primùm Tyri, deinde etiam Beryti conuenerunt mandato Imperatoris, & dissidium inter Ibam & quosdam ex Ecclesiastico ordine, Ecclesiæ, cui præfuit, partibus auditis, composuerunt: ueluti actio nona & decima Chalcedonensis ostendunt. Recitatur eius nomen etiam in catalogo Chalcedonensis concilij, sed ita ut appareat, ipsum non fuisse præsentem. scribitur enim ipsius locum tenuisse quidam presbyter Paulus.

IOANNES

IOANNES.

Ioannes Damasci episcopus fuit, tempore Ephesini concilij primi contra Nestorium coacti, in quo & ipse adfuit, secutus Antiochenum primatem Ioannem, cuius etiam fuit partium in dissidio ibidem exorto, & cum eodem etiam Cyrillum & Memnona damnauit. Testantur eius Concilij acta.

THEODORVS.

Damasci metropoleos ciuitatis Syriæ episcopus, eo tempore quo Ephesi reprobadus, in qua & ipse adfuit: ac licet Nicenam illa pro Eutyche hæretico celebrata est synofidem approbet & commendet, tamen pro Eutyche pronunciat. testatur catalogus in primo Conciliorum tomo, in actis Chalcedonensis concilij. Fuit & in Chalcedonensi concilio, ueluti eiusdem quoque Catalogus testatur.

Alij, sub Damasceno.

Ioannes Palmiræ episcopus, Cochenas Dadachorum, Eusebius Iabrudorum, Theodorus Danamus, Abraamius Abalorum, Petrus Coarorum. Horum absentium nomine, uoce & subscriptione, acta Synodi confirmat ipsorum metropolites Theodorus Damasci episcopus. Ibidem.

THEODVLVS COELE-*syriæ episcopus.*

Theodulum natione Italum fuisse, ait Trithemius, uirum in diuinis scripturis eruditum, & in secularibus literis nobiliter doctum, qui ex Italia in Cœlesyriam ueniens, ibidem presbyter primùm & tandem etiã episcopus ordinatus memoretur, quique multis scriptis suum ad posteros nomen transmiserit, circiter annum quadringentesimum octogesimum. Ex eius autem opusculis se reperisse Opus metricum de miraculis ueteris Testamenti, & fabulis Poetarum, cui sit impositus titulus, Aeglogarum liber unus, cuius sit exordiũ, Aethiopum terras: item librũ unũ de cõsonantia Scripturarum. Ponit eundem in suo Catalogo etiam Gẽnadius, & presbyterum tantum Cœlesyriæ nominat. Et idem ei testimoniũ perhibet, quòd multa scripserit: uerùm tantum sibi uisum librũ de Consonantia diuinę Scripturę, id est ueteris ac noui Testamenti, aduersus antiquos hæreticos, qui propter differentiam præceptorum uel ceremoniarum, alium ueteris Testamenti Deum dixerint, alium noui: & ostendisse unum eundemq; Deum authorem esse utriusque scripturæ, & uno eodemq; spiritu utramq; dictatam: nec tamẽ sine ratione factum, quod alia per Mosen, alia rursum per Christũ sint tradita, &c. Tandem dicit, eum Zenone regnante mortuum. Huius Theoduli nomine habetur hodie enarratio quędam succincta Epistolæ ad Romanos, congesta ex Theologis græcis, Theodoreto, Gennadio, Isidoro, Chrysostomo, Cyrillo, Oecumenio, Seueriano, Gregorio Nazianzeno, Photino, Basilio, Tito aduersum Manichæos, Methodio in sermone de Resurrectione, Dionysio Alexandrino. Eam autem enarrationem è græco in latinum transtulit Ioannes Lonicerus Marpurgensis professor, usus exemplari in quo authoris nomen expressum non erat, nisi quòd in primo quaternione lacerato, hæc uerba addita erãt: *πύρις μνήσθητε θεοδώλου*, ut Gesnerus in sua Bibliotheca monet: ut hinc de authore huius scripti nõ immeritò dubitetur.

MESOPOTAMII.

MARVTHAS.

MAruthas Mesopotamię episcopus fuit, tempore Imperatorũ Honorij & Arcadij. Id ex Sozomeni libro octauo, cap. decimosexto est manifestũ. Autoritate grauem eum fuisse uirum, & celebrem, constat ex publicis actionibus, quib. est adhibitus. nam ad synodũ Cõstantinopolitanã contra Chrysostomum, uel ab Imperatore, uel à Theophilo Alexãdrino euocatus est. In itinere, cũ Chalcedone subsisteret, Cyrino episcopo ex imprudẽtia pedẽ calcat: unde graui morbo illẽ affectus, tandẽ perijt. Deindè legatus à Romanis ad regẽ Persarũ Isdigerdẽ, post Arcadij obitũ, ipsum grauissimo & maximè diuturno capitis dolore laborantẽ, precib⁹ suis ad Deũ sanauit: quod nullis, quamuis prẹsentissimis & efficacissimis remedijs prẹstare potuerãt Magi. Quę res cùm ipsi maximã pietatis apud regem existimationem conciliauit, tum etiam occasionem prębuit amplissimã dilatandi Christianismi, ut in superioribus dictum. Fraudem etiam Magorum subterraneis locis uocem per hominem edentium, qua nunciabatur regi ut à Christiani episcopi consortio abstineret, detexit. Socrates libro septimo, cap. octauo. Idem eodem libro & capite, & Paulus diaconus libro decimoquarto in Theodosio iuniore scribunt, sub annum decimũ sextum eius Imperij, Marutham, filium Isdigerdis Persarum regis à dæmonio uexatum curauisse.

ACACIVS AMIDENVS.

Acacium Amidenũ insigne pietatis opus celebrem reddidit. Etenim in bello quod Imperator Theodosius iunior ob patrocinium Christianorum cõtra Persas susceperat, capti erant ab exercitu Romano, regione Azazena uastata, Persarum amplius septem milia. Quos miseros homines cum regi Persarum reddere nollent, ac ipsi paulatim fame afflicti interire inciperent, promouit istã

captiuorum calamitas animum huius Acacij, ut de ipsis quoquo modo redimendis consilium secum agitaret. Conuocato autem uniuerso Ecclesiastici collegij ordine, eos tali sermone est allocutus: Deus noster, ô charissimi, neque discis indiget, neque pocula curat, ut qui egestati minimè sit obnoxius: non edit, neque bibit. Quandoquidem igitur piorum hominum benignitate & liberalitate Ecclesiæ nostræ plurima sunt donaria, eaq; preciosissima ex auro pariter & argento, omnino ea cõferenda censeo ad redemptionẽ miserorũ istorũ hominũ, qui captiui, fame pereunt. Talia, & ijs similia locutus, statim omnem illum donariorũ thesaurum conflari curat, indeque militibus redemptionis æstimationem pro Persis numerari. Quos receptos, ciboque refectos, insuper & uiatico donatos, ad regem suum dimisit. Qui cum stupore admiratus hominis Acacij pietatem, ipsum ut rarum pietatis exemplum coràm uidere, eiusq; colloquio frui mirè desiderat. Cuius uoti cõpotem factum, Theodosio Imperatore sic ꝓcurante, Socrates, qui hanc historiã recenset, scribit libro septimo, capite uigesimoprimo. Meminit Nicephorus quoq; libro decimoquarto, capite uicesimosecũdo. Dubitari autem potest, num sit ille idem, de quo apud Nicephorũ uicesimosexto eiusdem libri capite, Atticus Constantinopolitanus ad Cyrillum Alexandrinum scribit quòd scriptis ad se literis ꝓ Theodoto Antiocheno episcopo interceſſerit: idque ideo, quòd populi Antiocheni importunitate coactus, Chrysostomi nomen in fastos retulerit. Quem eundem etiam Cyrillus uicesimoseptimo pòst capite apud eundem, ad extremam feliciter peruenisse ætatem commemorat, &c.

SIMEON, *siue* SIMEONIVS.

Amidæ episcopus, ciuitatis metropolis Mesopotamię, primùm interfuit illaudabili isti Ephesinę synodo, & pro Eutyche (ut alij) sententiam dixit. Deinde etiam in Chalcedonensi concilio absens, eius actis consentiẽs subscribit per Petrum presbyterũ, tum pro se, tum pro reliquis suę diœceseos absentib. episcopis, quorum hęc commemorantur in Catalogo nomina: Eusebius, Maronius, Caiumas, Gnalaras, Tyricius ibidem.

RABVLA.

Edessenæ fuit ecclesiæ pastor Rabula, temporibus Ephesini concilij primi contra Nestoriũ, & paulo pòst: ut ex Liberati decimo capite animaduertitur. ubi scribitur, post Ephesinam illam synodum eum scriptis submonuisse unà cum Acacio Meletinensi Armenios episcopos, cauerent sibi à Dioscori Tarsensis & Theodori Mopsuesteni libris in ipsorum linguam transfusis, neque eos reciperent, eo quòd hęretici essent, & Nestoriani dogmatis authores. Verùm hoc ipsum non feciſſe ex sincero erga doctrinam animo, sed ex æmulatione & inuidia, ut & consortem suum Acacium, iam tum eis à Ciliciæ episcopis obiectum est. Videtur quoque hic Rabula Theodorum illum publicè in sua Ecclesia anathemati subiecisse. ex nár ratione Ibæ, Rabulæ successoris, in epistola ad Marim Persam, quæ extat in decima actione Chalcedonẽsis concilij, primo tomo Conciliorum. Ephesinæ isti primæ synodo num interfuerit, explicatè nusquam reperimus: est tamen uerisimile.

IBAS EDESSENVS.

Ibas, si non Edessenus origine, in quam opinionẽ inclinamus, Mesopotamius certè fuit: fortè alicubi in uicinia Edessæ, si non in ipsa urbe, cognatos habuit. Id inde conijcimus, quòd accusatus dicitur Ecclesiæ bona suis cognatis conferre, eosque inde ditare. Edessenum autem episcopum fuisse, Euagrius libro primo, capite decimo: item Nicephorus libro decimoquarto, capite quadrageſimoseptimo testatur, ubi de Ephesina synodo secunda meminerunt. Rabulę successit, ut annotauit Liberatus in suo Breuiario, capite decimo. Temporibus autem posteriorꝭ Theodosij, & illo mortuo, Martiani etiam, Imperatorum uixisse, manifestum est ex actis Conciliorum primi laudati, secundi item Ephesini illaudati, & Chalcedonensis omnium laudatissimi. Vnde notorium mendum est, quacunq; demum id ratione euenerit, in assignato tẽpore actionis quę in Tyro susceptа narratur inter Ibam & suos aduersarios, sub annũ quingentesimũ septuagesimumquartum, non ita longè ab initio nouę actionis Chalcedonensis cõcilij in primo tomo. Eo enim tempore iam dudum in cineres redactus fuit, cum omnibus qui uel contra, uel cum illo fuerunt.

Extat huius fragmentum epistolæ ad Marin Persam, in decima actione istius Concilij, in primo tomo: in qua nunciat de disidio illo, quod in prima Ephesina synodo inter episcopos, ob Nestorij damnationem emerserat, & quantum illud turbarum dederit in Ecclesiã: atque in eadem manifestè & expresso nomine accusat Cyrillum Alexandrinum hæreseos: ac dicit eum in refutandis Nestorij erroribus ita laborasse, ut in Apollinarij deerrauerit dogma, & naturas diuinam & humanam in Christo confuderit. Sunt autem hæc eius uerba: Cyrillus autem libros Nestorij uolens destruere, lapsus est, & inuentus est in Apollinarij dogma incidens. Conscripsit enim & iste illi similiter, quia ipse Deus uerbum homo factus est: ut non esset differentia in

ter templum, & habitantem in eo. Conscripsit enim duodecim capitula, quæ puto & tuam cognouisse religiositatem, quia una natura est diuinitatis & humanitatis Domini nostri IESV Christi: & quia (sicut dicit) non oportet diuidere uoces dictas, quas uel ipse Dominus de semetipso dixit, uel Euangelistæ de eo. Deinde narrat etiam, quemadmodum reconciliatis Antiocheno Iohanne, & Alexandrino Cyrillo, principibus istius disidij, & doctrina, ac præsertim controuersis dogmatibus inter sese conuenientibus sublatum sit disidium, & Ecclesiæ pax reddita. Ac poreſt interim, dum plenioribus caremus, istud ipsum fragmentum testimonij loco haberi doctrinæ ipsius, ac sententiæ huius articuli de Christi naturis, de quibus tum acerrimæ erant inter Ecclesiæ doctores conflictationes. non enim obscurè asserit duas distinctas, & non confusas in una Christi persona naturas, dum præter illa in quibus Cyrillum reprehendit, ita disertè pronunciat: Ecclesia sic dicit, & à principio est edocta atque firmata diuina doctrina ex libris beatissimorum Patrum, duæ naturæ, una uirtus, una persona, quod est unus filius Dominus noster IESVS Christus, &c. Et ex hac epistola lecta in Chalcedonensi concilio, orthodoxus ibidem à Patribus iudicatus est: sicut hoc testatur sententia legatorum Romani pontificis, ibidem pronunciata ad finem decimæ actionis. Accedit & Liberati testimonium, qui, Theodoro Cappadoce referente, narrat eam epistolam iudicio Chalcedonensis synodi pronunciatam orthodoxam. Est tamen eadem sequentibus temporibus à Iustiniano Imperatore publicè proposito edicto damnata: idq; authore illo Theodoro Cæsarien sium Cappadociæ episcopo, ut in eodem loco Liberati subiungitur. Damnatam à Synodo ab eo Imperatore conuocato, refert etiam Euagrius libro quarto, capite tricesimo octauo.

Certamen atrox & diuturnum, ipsum exercuit cum sua ecclesia. Accusatus est à quibusdam ex suo ministerio aliquoties, primum ad archiepiscopum Antiochenum, deinde ad Constantinopolitanũ: à quo simul & Imperatoris authoritate accedente, causa reiecta est ad cognitionẽ prouincialium episcoporum, Photij uidelicet Tyri episcopi, & Eustathij Berytiorum: quibus adiunctus est ab Imperatore Vranius Himerorum episcopus, ut hi delecti iudices cognoscerẽt in ter partes. Capita accusationis fuerunt: primum de doctrina, quòd Nestorianum illum nescio quid resipere diceret, idq; ex proprij oris confessione. Cum enim aliquando ad ministerium suæ Ecclesiæ pro more sermonem habuisset, inter alia etiam hãc uerborũ formam ipsum protulisse referebant: Non inuideo Christo, quia Deus factus est: quoniam si uolo, & ego fio: siue, quatenus ipse factus est, & ego. Deinde reprehenderunt ipsius gubernationem, quòd homines turpes & flagitiosos & Sodomitas, & aliàs etiã parum idoneos ad ministeria Ecclesiæ promoueat: contrà uerò pios, quorum usus in Ecclesia esse poterat, ex leui offensa remoueat. Deniq;, quòd ijs quæ ad ministerij conseruationem & sacramentorum usum conferantur, ad ditandos & euehendos suæ cognationis homines fraudulenter abutatur, atq; Ecclesiæ bonis suorum luxum alat atq; confirmet: atq; eius rei exempla adducunt. Cęterùm cum à delectis istis cõmissarijs causę cognitio instituta esset semel in Tyro, itemq; Beryti, ipse scripto satisfecit eis de sua fide, confessus disertè, se uerè assentiri ijs quæ in Ephesina synodo prima statuta sunt: maximè autem scriptis cõciliationis episcoporum Antiocheni Ioannis & Alexandrini Cyrilli, ut quæ sint consona Niceni concilij decretis. Assentiri se & ijs quę non adeò pridẽ in Constantinopolitana sint gesta synodo: hoc insuper pollicitus, se in Ecclesia sua palàm ac publicè damnaturum Nestorium, & quotquot cum ipso sentirent, aut eius etiã scriptis uterentur. Hac fide data reconciliatus est cum aduersarijs, & ἀμνηστία omnium iniuriarum instituta: sicut ex nona actione Chalcedonensi patet.

Ephesinæ synodo primæ contra Nestorium interfuit, comitatus suum archiepiscopum Antiochenum, à cuius etiam partibus stetit in illo schismate, ibidem inter episcopos orto: sed uidetur tum nondum episcopus fuisse. Secundæ uerò infami illi non interfuit: idque opera Eutychis factum, ipse queritur coram Chalcedonensis concilij confessu decimo: quòd iste falsa quædam aduersum eum confinxerat in doctrina, ac propterea iam tum cum ad Synodum accedendum esset, ipse Ibas non tantũ remotus ab officio, sed etiam ad diuersa exilia relegatus per Chrysaphium fuerat, ueluti refert Liberatus duodecimo capite sui Breuiarij. Tandem in isto reprobo etiam damnatur conciliabulo, ut ex suprà memoratis Euagrij & Nicephori locis patet. Absentem se damnatum, ipse etiam aliquoties in ea actione memorat. Præbent hoc ei testimonium etiã patres aliqui è confessu Chalcedonensi, & Liberatus. Chalcedonensi cõcilio interfuit quidem, non autem ut cæteri episcoporum, qui sedendi ac decernendi potestatem habuerãt: sed ut exul, qui à Dioscori Alexandrini factione iniustè sua ecclesia ex-

cussus fuerat: & multa præter æquum & honestum indigna passus, Synodi auxilium imploraret, ut legitimo iudicio causa excuteretur. Cuius rei gratia Imperatori etiam supplex factus, & Patres rursum conuenire iussi fuerant. Hoc autem cumprimis agit, ut suam Synodo innocẽtiam ac in fide sanitatem probet atque ostendat. Aderant namque & ipsius aduersarij, rursum accusationi instantes, & contrarium demonstrare conantes, quòd nimirum iustè fuisset damnatus: ut qui Nestorianus esset, & Cyrillum Alexandrinum hæreticum haberet, & palàm etiam nominare non uereretur. Ille uerò eos reijcit ad testimonium quod ei præbuerat sua Ecclesia, præter istos actores causæ, scriptis literis ad episcopos qui Beryti ob hanc causam conuenerant. illis siquidem literis pernegabãt, imò se deuouebant, si quid tale ab episcopo suo Iba audiuissent unquam, quale pars aduersa ipsi obijciebat: & subscripserant isti testimonio ad quadraginta, & ipsum ad gregem suum ocyus remitti petebant. Sed & ad acta illa Berytensia appellat, in quibus scripto ampli⁹ quàm iudices illi seu mediatores postulauerãt, satisfecerat: quę etiam pars cõtraria rata habuerat, & amicè sese mutuò rursum coniuncti utriq; complexi fuerant. Ac rursum semel atque iterum publicè in patrum cõfessu negat ac pernegat, illa se uerborum forma usum, Christus Deus fact⁹ est: eamq; & similes ultrò abijcit, damnat atq; execratur, inquiens: Anathema ei qui dixit, & qui calumniatur: ego enim non dixi, absit. Itẽ: Ego me decies millies secari patiar, quàm dicere hoc uerbũ. Absit à me hoc uerbum uel cogitare. Scio enim, quòd unusquisque ex confessione saluatur. Ad Cyrillum uerò quod attinet, non negat quidem penitus, habuisse eum ut hæreticum: hoc tamen sibi certò non constare, quòd palàm ipsum hoc nomine traduxerit: si tamen fecerit, secutum se sententiam sui primatis Antiocheni archiepiscopi, & totius Orientalis concilij, quòd Cyrillum tanquam hæreticũ anathematizauerat: atque id etiam factum, priusquam sublato illo partium dissidio pax rursum & cõcordia esset instaurata. Cumque hoc quoque obijceretur illi, quòd dixisset, Nisi Cyrillus anathematizasset sua ipse capitula, non receptus fuisset: respondens ipse, reijcit anathematizandi uerbum, ac se dixisse fatetur: Nisi sua capitula retractans seipsum fuisset interpretatus Cyrillus, eumque Orientalis synodus recepisset, & primarius episcoporum, se quoque eum ceu hæreticum abnegaturũ fuisse: posteaquam uerò seipsum sit interpretatus, tantum abesse ut eum anathemati subiecerit, ut contrà potius ultrò citróq; missis literis familiaritatem inter se aluerint mutuam, alterq; alterũ communicatorem habuerit. Atque effecit tandem Ibas hoc modo, ut post multam contentionem uniuersa Synodus singulis singuli sententijs iniustè eum damnatum, & sua sede pulsum pronuntiarent: maximè quòd absens fuisset, nec absentem cohdemnare liceret: & restituendum eum decernerent, ipse modò coràm in ipsorum confessu manifestè adhuc Nestorium damnaret. Id quod fecit, hoc genere sermonis: Etiam (inquiens) in scripto anathematizaui Nestorium, eiusq; dogma, & nunc anathematizo eum decies millies. Quòd enim semel cum satisfactione fit, si fiat decies mil lies, non contristat. Anathema & Nestorio & Eutychi, & unam dicenti naturam: & omnem eum qui non sapit sicùt hæc sancta Synodus, anathematizo. ex decima actione Chalcedonensis concilij. Meminit restitutionis etiam Liberatus decimotertio capite in Breuiario. Restitutum Ibam etiam tradunt Euagrius & Nicephorus: ille libro secundo, capite quarto & decimosexto: hic capite septimo, libro decimoquinto.

Ex ijs autem quæ hactenus recitata sunt, de ipsi⁹ afflictionib. cõstare potest, siue iam eas sua culpa, ut aduersarij uolebant: seu præter omne meritum sustinuerit, ut ipse querebatur. Quibus illud adijciendum, quòd dum sui est gregis ab ouili eiectus, nõ in uno loco exilij subsistere ipsi permissum fuit, sed ad diuersos hinc inde carceres subinde pertractus, ita ut amplius uicies eosdem mutare coactus fuerit: uelut ipse diserte initio decimæ actionis commemorat: quæ res non parum ipsius ærumnas auxit. Quamdiu autem ea ipsum calamitas exercuerit, certò definire etsi non possumus, uidetur tamen intra triennium suum habuisse finem, rebus ipsius in tranquillorem statum conuersis: posteaquam tanto rum & numero & præstantia patrum consentientibus sententijs, suam pastor Ecclesiam gubernandam recepit. Siquidem tanta temporis intercapedine, haud longiori, seiuncti inter se fuere duo isti conuentus, Ephesinus iste reprobus & damnatus, sub cuius initium eiectus fuit, & Calcedonensis, quo restitutus est. Confirmat hoc, respondens ipsius aduersariorum, qui interrogati à patribus de tempore, quãdo Ibam blasphemam istam uocem, cuius ipsum reum agebant, proferre audissent: reddebant, Esse annos plus minus tres, &c.

NONNVS.

Iba amoto ab officio, & penitus ex eccle-
sia Edessena expulso, substitut⁹ est Nonnus:
idq;

idq; in synodo illa Ephesina secunda. testatur hoc decima Chalcedonensis concilij actio, item Liberati Breuiarium duodecimo capite. Facit & Nicephorus Edessenæ eccle siæ antistitem quendam Nonnum, temporibus posterioris Theodosij: libro decimoquarto, capite tricesimo. De quo miraculi quodammodo loco refert, quòd insigne ac ualde nobile scortum Antiochenæ urbis, quod omni genere luxus uitam uixerat ditissimam, præter opinionem omnium conuerterit, & pro Margarita postea Pelagiam cognominarit. Petrus de Natalibus, qui & ipse huius conuersionem narrat, per Nonnum quidem factam scribit: uerùm eum Heliopoleos, quam eandē etiā Damiatam appellatam dicit, episcopum constituit: & Pelagiam mortuam circiter annum ducentesimum octogesimum. Quod cum ipsa historia, & Nicephori narratione minimè congrueret. Sed quantum huic authori sit tribuendum, iudicet Lector. In Chalcedonensi synodo ipse & interfuit, & locum obtinuit Edesseni episcopi, tantisper dum Ibæ eiecti causa definiretur. testis catalogus eius Concilij, in prima actione. Posteaquam uerò ipsius concilij sententijs Ibam restituendum decretum est, fuit ipsi cedendum loco. Et Synodus sanè uniuersa ad arbitrium Antiochenum archiepiscopi, causam Nonni reiecit, ut is rationes iniret, quid porrò cum Nonno agendum foret. Qui etiam Antiochenos episcopis deliberaturum de ipsius Nonni ordinatione. Ac uidetur ita quidem depositus Nonnus, ut de ministerij gradu nihil ipsi sit diminutum: ex decima actione eiusdem Concilij.

PETRVS.

Edessenæ ecclesiæ presbyter quidam Petrus, temporibus Leonis, ut Bergomensis ponit, siue (ut Trithemius) Marciani claruit: uir ingenio ad declamandum seu concionandum exercitatissimo, adeò ut similem sibi non haberet sua ætate. Variarum causarum tractatus, item Psalmos multos metro composuisse, in morem Ephrem, Gennadius scribit. Trithemius explicatè magis dicit, Syro sermone hunc Petrū multa præclara uolumina edidisse: de quibus recensetista, quæ sibi titulis nota fuerunt. In Psalmos Commentariorum librum primum. Psalmorū, quos metricè lusit, librum primum. Homilię ad populum dictatę, quas infinitas penè dicit, & suo tempore raras inuentu fuisse: item plurimos tractatus, quorum non sit numerus certus.

SAMVEL.

Samuel etiam presbyter ecclesiæ Edessenæ fuit celebris ob singulare prædicandi donum, & insignem doctrinæ cognitionem, in primis uerò ob singulare studium conseruandi puritatem doctrinæ cœlestis, eamq; contra hęreticos propugnandi. Nam & Græco & Syro sermone plurima edidit, ex quibus Trithemius hæc recensetˑ Librum primum contra Nestorianos. Librum unum contra Eutychianos. Librum unum contra Timotheanos. Gennadius testatur eum Nestorianis demonstrasse, Deum in homine, & non purum hominem ex uirgine esse natum. Eutychianis autem, ueram humani generis carnem fuisse à Deo assumptā, & non de cœlo exhibitam, nec crassi aeris substantiam formatam. Timotheanis, uerbum carnem ita factum, ut manente uerbo in sua substantia, & homo in sua natura, societate, non immixtione, unam filij Dei rediderit personam. Dixerat aliquando Samuel, uitam esse mortuam. Ibas episcopus eius, eam phrasin ut incommodam existimans, quærit de eius sententia, num de humana Christi natura, an de diuinitate intelligat? ac protestatur se cum eo non sensurum, si de diuina natura sic dicat. Hanc admonitionem Samuel adeò molestè tulit, ut integrum decennium cum eo simultatem aleret. Quare occasione qualicunque arrepta, inter accusatores sui episcopi præcipuus extitit: ut patet ex Chalcedonensis concilij actis. Gennadius indicat eum suo tempore, initio uidelicet collati Imperij Occidentis Anthemio, fuisse adhuc superstitem: quod, iuxta Palmerij Chronicon, in quintum Leonis incidit. Trithemius uerò sub Zenone ipsum fuisse clarum, annum Domini circiter quadringentesimum octogesimum, refert.

De alijs presbyteris & diaconis Edessenis.

Cyrus, Eulogius, Maras, Ablabius, Iohannes, Anatolius, Caiumas & Abibas, Theophilus diaconus, Euphrasius, Abraamius & Antiochus. Fuerunt hi ex ministerio Edessenæ ecclesiæ, sub episcopo Iba: qui pastorem suum Ibam impugnarunt. Ac Eulogius sanè & Maras uidentur præter Syriacam linguam, quæ genuina ipsis fortasse fuit, & græcæ linguæ fuisse gnari. Ipsis siquidem utitur interpretibus Varanius Himerorum episcopus, Eulogio Ephesi in secunda Synodo, Mara Beryti: ut ex gestis istorum conuentuum patet. Iurè autē ne, an uerò iniuria pastori suo sint aduersati, non est satis clarum. Si uera sunt quę suo episcopo obijciunt, uidetur ipsorum plurimùm laudandus zelus: sin uerò falsa, meritò reprehenduntur. Cum episcopum suum Ibam in doctrina & uita putassent repre-

reprehẽsibilem, eumq; priuatim admonuissent de suis næuis, ab eodem excommunicati sunt: ut constat ex gestis Berytensis synodi, quæ decimæ actioni Chalcedonensi inserta sunt: & ex Liberati Breuiario, capite decimo.

Quamobrem abeunt Antiochiam ad primatem episcoporum istius diœceseos, ubi tum conuentus erat multorum episcoporũ, & libellos offerunt accusatorios. Ab Antiocheno autem sunt absoluti ab excommunicatione, ea lege, ne Antiochia recederẽt, priusquam episcopus Ibas aduenisset, & legitima cognitione causa dijudicata esset: quod ni facerent, grauiori pœnæ forent subijciendi. Verùm duo ex istis, Samuel & Cyrus, negligentes hanc propositam conditionem, & adiunctas minas, subduxerunt se isthinc, & Cõstantinopolim mox sunt profecti. Quos propterea Antiochenus gratiter incusat in isto conuentu, ut desertores & excommunicationis & Apostolici istius throni contemptores. Constantinopoli autem eandem isti causam exponunt apud Flauianum, & effici unt, ut misso notario Imperatorio, & quodam Flauiani diacono, ad Orientem tribus episcopis lis illa dirimenda committatur. Vnde actiones aliquot natæ in Tyro & Berytο Syriæ urbibus: & in Tyro quidem isti suo pastori reconciliati scribuntur.

Chalcedone cũ laboraret Ibas ut restitueretur (nam erat in Ephesina secunda synodo depositus) aliqui ex ijsdem adsunt, quibus se alij coniunxerant: illi uidelicet, quorum in postremis tituli recitata sunt nomina: renouãt ibi actionem aduersum Ibam, de integro eum accusantes de Nestorianismo, de gubernatione improba, & uitę suę uocatione indigna. atque hoc maximè agunt, ut ostendant ex antè actis, suo merito ipsum remotum à gubernatione suæ Ecclesiæ: & si possint, impediant etiam ipsius restitutionem, quod tamen fuit frustra. nam Ibas restitutus est: de ipsis autem quid actum sit, non est annotatum.

Fecidas, Vrsitinus, Eulogius, Libanius, Rhodon, Leontius, Miochalus, Eusebius, Basilius, Abraamius, Patroinius, Arsenius, Bassus, Strategius, Leontius: presbyteri omnes. Sabbatius, Niceas, Martyrius, Eulogius, Sabas, Iacobus, Cyrus Leontij, Aphrenius, Patricius, Acacius, Sanctius, Cyrius, Abraamius, Lucianus, Anysius, Abibus, Andreas, Arbius, Hypatius, Dadeos, Abraamius, Abbibus, Valentinus, Eusebius, Eulogius, Abraamius, Romanus, Maras, Cæsarius, Apeneus, Maroni⁹, Fecidas, Iohãnes, Gerõtius, Agapius, Adelphius, Theophilus: diaconi.

Bassus, Restitutus, Cyrus, Restitutus, Abibus, Thomas, Bassus, Euphrasius, Romulus, Eusebius, Pœnitenius: subdiaconi.

Abibus, Adelphius, Theophilus: lectores

in Edessena ecclesia tempore Ibæ fuerunt, hoc nomine posteritatis memoriam meriti, quòd in disidio inter suum episcopũ Ibam & quosdam suorum collegarum obortum, ipsi à patribus episcopi steterunt: cui etiam ad episcopos Photium & Eustachium, quibus in Beryto causę dijudicatio delegata fuerat, egregium innocentiæ testimonium præbent: diris seipsos deuouentes, quòd nihil tale audierint unquam à suo episcopo, quale ipsi crimini dabatur. Extat hoc testimonij scriptum, in quo hi subscripserũt, in decima actione Chalcedonensis concilij.

DAVID.

Dauid diaconus ex custode sacrorum narsorum, Maras diaconus, Sabas diaconus uir inter Syros sapientissimus: hi contra Ibam testes producũtur: quos reijcit ipse. & præsertim Maram unũ fuisse ex accusatorib. suis Beryti & Cõstãtinopoli, & à proprio archidiacono etiam excõmunicatum, ob iniuriam cuidam presbytero illatam, narrat ibidem.

DANIEL CARRHENSIS.

Carrhorum episcopus Daniel, frater, seu fratris filius fuit Ibæ Edessẽni. Et istius Ecclesię episcopus creatus est à fratre Iba, ut in libello accusatoris presbyterorum Edessenę ecclesię memoratur in decima actione Chalcedonensi. Reprehenditur autem gratuiter ipsius ordinatio ab ijsdem, eo quòd iuuenis inquiet⁹ & luxui deditus, esset datus episcopus ei ciuitati, in qua quòd plurimũ regnaret adhuc paganismus, præstabat præfectum fuisse uirũ aliquem annis & authoritate grauem, ac præstantẽ doctrina & pietate, qui reliquam paganorũ multitudinẽ prouocare & adducere ad ueritatis agnitionẽ potuisset.

Cum fratre Iba simul etiam accusatus fuit & ipse Daniel. Crimina autem hæc ei obijciebantur: quòd cum pecuniam quæ collata erat pro redimendis captiuis, ipse ad se recepisset ad sexies mille solidorũ, & argenteorum uasorũ ad ducentas libras uendidisset, non ea qua oportuit fide Ecclesiæ negocium egerit, sed suũ priuatũ, maximã nimirũ sibi partem reseruans. Item, quòd frequens in urbe Edessa uersetur, sua Ecclesia neglecta: & luxui deditus, mulierculã maritatã in delicijs secum circũducat. Videntur etiam impietatis eũ arguere, q, cũ paganis colludat, & cõniueat ad ipsorũ sacrificia, sportulã accipiat, & peccantib. impunitatẽ cõcedat. & quòd hæreditates captarit obducto prætextu, quasi in pauperes uellet distribuere: cum tamen in mulierculã, cuiusdam Abrahamij diaconi uxorem, quam Challoam uocant, omnia profundat. Item, quòd ex Nestorianis quosdam ad ministeria Ecclesiæ elegerit,

elegerit, &c. Et hæc quidem accusatio, ut & Ibæ, Beryti facta uideri potest. Cæterũ quòd cum ipso etiam actum, in illa cognitione Berytensi non memoratur: ab illo tamen tempore causam prorogatam, usq; ad Ephesinã synodum secundam, & in eadem denuò agitatam apparet. Nam in illo conuenticulo ipse etiam, ut & frater, ab administratione ecclesiasticæ gubernationis est depositus: authoribus Euagrio libro primo, capite decimo quadragesimoseptimo. Nunquid autem etiam ipse, ut frater & alij, sit restitutus in primum statum, ignoratur: authoribus idipsum non tradentibus. Porrò de gubernatione ipsius, & uitæ innocentia, ex iam dictis quisque æstimare potest. Qualis autem fuerit, habuit tamen etiam locum in Antiochena synodo, in causa Satuiniani & Athanasij Parenorum episcoporum, in qua cum cæteris ipse quoque iudicat & definit: ut istius Concilij acta testantur, quæ sub decimaquarta actione Chalcedonensis concilij continentur. Imò cum in eo ipso conuentu primùm omnium etiam fratris Ibæ causa agitaretur, ipse & pro fratre cum alijs pronunciat: uelut testantur acta Berytensis synodi, in decima actione Chalcedonensis interspersa.

IOANNES.

Eiusdem ecclesiæ Carrhensis episcopus quidam Iohannes nomine, Chalcedonensi interest concilio. testantur acta in primo Tomo.

EPISCOPI CILICIAE.

THEODORVS.

Theodorus condiscipulus in adolescentia sua diui Ioannis Chrysostomi, sub sophista Libanio ethnico, quo præceptore ipse operam nauauit Philosophiæ studijs & Oratoriæ, ipse quoque gentilis: à Chrysostomo iam ad Christianæ pietatis studia conuerso persuasus, cœpit & ipse relictis philosophiæ & Græcarum artium disciplinis, sacrarum literarum & cœlestis doctrinæ studijs sese dedere, & monasticæ tradere, unà cum commilitone Maximo. in quo uitæ genere institutores habuit Diodorum & Carterium, qui monasterio alicubi præerant: ut memorat Socrates libro sexto, capite tertio. Theodoretus ad cætera adiungit, ipsum unà cum Chrysostomo, primum Christianismi symbolum sacrum baptisma à Diodoro suscepisse. Verùm temporis interuallo intercedente, mutauit id uitæ genus, & ad ciuile rediit, & de honesto matrimonio ineundo consilia cepit. Sed Chrysostomi grauibus dehortationibus reuocatus ad monasticen, omnibus facultatibus relictis, & nuptijs repudiatis reuersus est: ut refert Sozomenus libro octauo, capite secundo. Inde ad ecclesiæ Mopsuestienſis episcopatum uocatus, non istius tantum, sed etiam uicinarum Ecclesiarum doctor ac inspector fuisse perhibetur. Cõtra hæreticos, maximè Arianos & Eunomianos, acriter ueluti in acie dimicauit. Sed & contra Apollinaris factionem & insidias, in excubijs assiduus fuit, & Christi hæreditarium cœtum optimis doctrinis & præceptis instituit: ut inquit Nicephorus libro decimoquarto, capite tricesimo, ubi quædam ipsius historica recitat. Meminit etiam libro decimotertio, capite secundo. Et Liberatus in suo Breuiario, capite tertio in fine, ipsum etiam unum fuisse memorat, qui ex sacris diuinæ Scripturæ testimonijs ostenderint, duarum proprietates naturarum in una Christi persona, contra eos qui unam tantum naturam carnis Deitatisque in Christo asseruerint. Quapropter mirum sanè est, quod Euagrius libro primo, capite secundo: & hunc imitatus fortè Nicephorus, lib. decimoquarto, cap. trigesimosecundo, ex epistola Theoduli scribunt: Nestorium, nobilitatum illum hęreticum, cum ad suscipendum Constantinopolitanę ecclesiæ episcopatum pergeret, & in itinere ad hunc Theodorum diuertisset, ipsius doctrina audita transuersum actum. Ioannes certè Maxentius in scripto, cui addita est inscriptio De Christo Catholica professio, disertè & explicatè huic Theodoro hæreseos crimen impingit. ita enim scribit, quòd Theodori Mopsuesteni (seu Mopsuestienſis) & Nestorij sectatores dicant, in Christo Trinitatem inhabitare, quasi Christus sit extra Trinitatem, &c. Ac pòst apertè nominat hunc Theodorum magistrum Nestorij. Item tribuit ipsi, quòd sectatores ipsius doceant, Non Deum factum esse Christũ, sed Christũ Deum factum, idq; per profectum. Quòd si ita docuit, certè non tantũ insigni nęuo, sed horrendo & blasphemo errori implicatus fuit Theodorus: ac propterea inter hæreticos potius numerandus, quàm inter pios & catholicos Ecclesiæ doctores recensendus. Huius discipulis etiã hunc errorem ascribit, quòd & ipsi, ut Pelagiani & Cœlestij, unum & idẽ peccatũ profiteantur, naturale & originale. Postremò, omnia huius Theodori scripta ab isto Maxẽtio sunt damnata: sicut ipse Maxentius hoc ibidem expresè pronunciat. Certè in scripto intimationis synodi Ephesinæ, quo sententiam synodi diffinitiuam, seu sancti illius senatusconsultum alijs Ecclesijs significatur, fit mentio symboli quod Theodorus confinxerit, & uocatur disertè impium. Et subijciuntur damnationi, quicunque ea quæ

quæ in isto Symbolo comprehensa uel doceant, uel etiam sentiant. Habetur in primo Conciliorum tomo, sub decretis Celestini, de Ephesino concilio. In fragmento epistolæ Ibæ Edessени ad Maram Persam, quod in decima Chalcedonensis concilij actione insertum legitur, fit mentio cuiusdam Theodori, quẽ ex decimi capitis Breuiarij Liberati initio satis conuenit, hunc ipsum Mopsuestenum esse. Eum quanquam ibidem Ibas egregiè quoq; commendat à studio tuendæ ueritatis: tamen obiter etiã meminit, quemadmodũ à quodam fuerit anathematizat°, cuius nomẽ ipse quidem reticet: uidetur tamen fuisse Rabula, Edessenus itidem pastor, qui Ibam præcesit in gubernatiõe istius Ecclesiæ. Sed ipsius Ibæ uerba adscribemus: Theodorus ueritatis prædicator, & doctor Ecclesiæ, qui non solùm in uita sua colaphis cæcidit hæreticos pro ueritate suæ fidei, sed & post mortem spiritualia arma in opusculis suis Ecclesiæ filijs dereliquit, sicut & tua sanctitas, ad eum conueniens, agnouit: & ex his quæ ipse conscripsit, credidit. Hunc ausus est, qui omnia in Ecclesijs præsumit, clarè anathematizare. Qui propter zelũ Dei, nõ solùm propriam ciuitatem ab errore cõuertit, sed & longè existentes Ecclesias sua doctrina perdocuit. & de libris quidẽ eius multa ubique perscrutatio facta est, non quia à uera fide exisserent alieni. uidi enim eum, (adhuc illo uiuo) frequenter eum laudantem, & in libris eius legebat: sed & propter aduersitatem latẽtem, quam aduersus eum habuit, quoniam manifestè eum conuicit in Synodo.

Ex cuius testimonio hoc quoq; fit manifestum, multa ipsum Theodorum salutaria pro uindicanda ueritate scripsisse, quæ neutiquam fuerint contraria doctrinæ fidei, ut nõnulli calumniabantur peruersè. sicut hoc ipsum ex eo ipso semel atq; iterũ memorato loco Liberati in Breuiario clarè deprehenditur: quòd Acacius Meletinensis, & itẽ Rabula Edessenus, Armeniæ episcopis scripserint, ne susciperent Theodori Mopsuesteni libros, quòd essent hęretici, ac Nestoriani dogmatis autores. Verùm ex æmulatione hanc ipsorũ submonitionem, & inuidia erga Theodorũ potius, quàm pio charitatis erga Armenios affectu profectã, iam tum Ciliciæ episcopi dictitarant. Moti tamen Armenij per legatos, misso uno Theodori uolumine, Constantinopolitani primarij doctoris Procli iudicium explorant de Theodori doctrina. Qui ita per scripta respondit, ut Theodori nomen ne quidem minima reprehensiõe læserit. Rursus Cyrillum, Alexandrinum illum celebrem antistitem, impulit quidã diaconus Constantinopolitanus, ut opinamur, Basilius, ut & ipse scriberet aduersus hunc Theodorum tres libros: uerùm paulo pòst per Ioannem Antiochenum episcopum de Theodori doctrina & sapientia sincerius instructus, prætulit ipsum Theodorum suis scriptis contra ipsum editis Cyrillus. Et de eius quoque accusatoribus hanc tulit sententiam, uti ipsos dogmate ueritati contrario. Sed & de symbolo illo (cuius antè mentionem fecimus) quod eidem in Ephesina synodo prima oblatum fuerat, subiunxit, nimirum tesseradecadas factas à Charisio presbytero. Edidit & ille ipse Basilius diaconus quoddam scriptum aduersus Theodorũ, in quo tradidit, uitandos libros Theodori, æquè ac Arij & Eunomij: sed & istud scriptum reprehensum est à uiris grauibus & doctis, propterea quòd Theodorus iste constanter asserat duas in Christo naturas, cum isti unam tantum, & quidem degenerem à patris substantia inculcent. Postremò & monachi quidam Armenij ex factione Apollinaris, quædam capitula ex scriptis eius excerpta circumtulerunt, ut hæretica, & per totum Orientem ciuitates & monasteria commouerunt: & Constantinopolim quoq; ingressi, hoc unum sollicitè egerunt, ut scripta unà cum authore damnarentur. Sed neque illi multum promouerunt. etenim Antiochenus iste antistes Ioannes tres epistolas scripsit pro Theodoro Mopsueste no, unam Imperatori Theodosio, alteram Proclo Constantinopolitano, tertiam uerò Cyrillo Alexandrino: in quibus plurimùm eius commendauit sapientiam & doctrinã. Et tantum quidem effecit Antiochenus suis epistolis, ut ipse Imperator uicissim sacris misis literis ad eundem, iudicium suum interponeret, dicendo, Detractores illos contra propriam salutem pergere. Apud Cyrillum quid profecerit, iam antè commemoramus. Et illas duas epistolas ad Imperatorem & Proclum de laudibus Theodori, in Chalcedonensi quoque synodo receptas & confirmatas, ibidem quoque (ut reliqua ista omnia) commemoratur, in decimo capite Breuiarij Liberati, in secundo tomo Conciliorum Colonienſi. Ac comparent sanè eius rei uestigia quædam in decimasexta actione Chalcedonensis concilij, sub finem. Ex his satis animaduerti potest, Theodorũ uirum fuisse sua ætate doctrina, sapientia & alijs uirtutib. excellentẽ, & apud doctos quoque & præstantes in magna existimatione, licet multos habuerit obtrectatores: ut non careat excellens uirtus liuore. Fieri tamẽ potest, ut initiò quędã minus explicatè dixerit aut scripserit, quæ tamen pòst emendatius tradiderit: sicuti eiusmodi quid subindicare uidetur Liberatus quarto sui Breuiarij capite, ubi

te, ubi commemorat, quemadmodum Ioannes Antiochenus Nestorium ad retractationem sollicitans suæ sententiæ, proposuerit ei exemplum huius Theodori. Sed hæc sunt ipsius Liberati uerba: In qua epistola (Antiocheni scilicet præsulis ad Nestorium) meminit Theodori Mopsuesteni, ostendens ei retractationis exemplum, quomodo ille dū tractat tumultu facto, surgēs fortissimus uir sine cōfusione suam sententiam retractauit: & quæ parum prodesse ignorantibus uidebantur, uelociter ad utilitatem correxit Ecclesiæ. In fine tractatus Liberati extant epistolæ Ioannis Chrysostomi & Gregorij Nazianzeni, ad ipsum scriptæ. Cæterùm sub Theodosio iuniore celebrem & clarum ipsum fuisse Theodorum, ex historia animaduertitur. Curriculum ipsius ponit Theodoritus libro quinto, capite quadragesimo, ubi scribit ipsum ad annos sex & triginta in Ecclesiæ administratione præfuisse. Liberatus uicesimoquarto pòst capite eiusdem Breuiarij recitat, quòd multa Theodorus opuscula contra Origenem ediderit: ac proptera posterioribus temporibus, illis qui Origenis doctrinam admirabantur, mirè fuerit exosus: idque eo magis etiam, quòd ipse Theodorus habuisset Chalcedonensem synodum approbatorem suarum laudum, cum epistolas eas quarum antea meminimus recepisset. Ac inter illos commemorat quendam ueluti ducem, acerrimum isto tempore uindicem Origenis, Theodorum etiam ipsum nomine, & Cæsareæ Cappadociæ episcopum, qui subdolè ac fraudulenter impulerit Imperatorem Iustinianum, ut Theodorum unà cum dictis ipsius, & præsertim epistola laudes eius continente, & à Chalcedonensi celeberrimo conuentu comprobata, publico scripto cōdemnarit. Damnatum Theodorum unà cum syngrammatis suis impijs, sub isto quidem Imperatore Iustiniano, sed à synodo ab ipso coacta: narrat etiam Euagrius libro quarto, capite tricesimooctauo. Apparet tamen etiam ex ipsius narratione, damnationis istius fabricatorem extitisse Theodorum istum Cappadocem.

THOMAS.

Ecclesiæ Mopsuestenæ episcopus Thomas nomine, prouinciali cuidam Concilio Antiochiæ in causa Ibæ interfuit, & pronunciauit. ex decima actione Chalcedonensis concilij.

BASSIANVS.

Bassianus episcopus Mopsuestenus, ad synodū Chalcedonensem legatū misit Sophronium: ut patet ex Catalogo eius synodi.

MAXIMVS.

Anazarbi episcopus Maximus, ad Ephesinam primam synodum uenit, comitatus suum prouincialem primatem Ioannem, cuius etiam partib. adhęsit: & cum eodē Cyrillum Alexandrinum & Memnona Ephesinū damnauit. Liberatus in suo Breuiario, sexto capite: in secundo Conciliorum tomo.

VALERIVS.

Valeriū quendam Anazarbi fuisse episcopum, tempore illo quod fuit intermedium inter duas Ephesinas synodos, primam illā celeberrimam Nestorij gratia conuocatam, & secundam infamem ob patrocinium Eutychis institutam, ostendit conuentus quidam Antiochenus in causa Sauiniani Parensis episcopi celebratus, cuius gesta decimæquartę actioni Chalcedonensis concilij sunt inserta, in primo tomo Conciliorum.

STEPHANVS.

In actis synodi Ephesinę alterius Prędatoriæ dictæ, quæ gestis Chalcedonensis concilij interspersa sunt, scribitur quidam Stephanus Anazarbi episcopus interfuisse, & cum alijs approbasse Eutychis restitutionem.

CYRVS.

Cyrus Anazarbi metropolites Ciliciæ secundæ, interfuit Chalcedonensi actioni, & nomine episcoporū suę diœceseos, Paregorij Castabalæ, Iuliani Alexandrię, Eustathij Risorum, Alexandri Ægæorum subscripsit: ut patet ex actis.

THEODORVS.

Tharsi metropolis Ciliciæ episcopus fuit Theodorus, quādo Ephesi altera infamis illa synodus celebrata est, cui ipse quoq; interfuit: ac licet de Nicena synodo suam sententiam pronunciet, non uidelicet se eum iudicare catholicum, qui aliter quàm fides Nicena habet, sapiat: tamen interim de Eutyche restituendo cum cæteris consentit: ut tradit Catalogus primæ actionis Chalcedonensis concilij in primo tomo. Vixit etiamnū, quādo conciliū Chalcedonense sub Imperatore Marciano habitum est, atque eidem interfuit. testantur eiusdem acta.

SALVSTIVS, ET MATRONIANVS.

tronianus.

Salustius Corici episcopus fuit: Matrinianus, seu Matronianus Pompeiopoleos, tēpore quo Chalcedone concilium habitum est. nam in eiusdem Concilij actis ipsorum nomine subscribit metropolites eorū Theodorus, ut acta habent.

ALEXANDER.

Sebastæ ciuitatis sanctæ Ecclesiæ Tharsi Ciliciæ episcopus, (ita enim eius fit mētio) primū etiam ipse infami isti Ephesinorū synodo interfuit, & suam cum reliquis in Eutychis restitutionē sententiā cōiunxit: ut patet ex Catalogo eiusdē. Adfuit prēterea & in Chalcedonēsi cōcilio, ut eiusdē acta probāt.

INDIMVS.

Irinopolis secundæ Ciliciæ episcopus, Ephesinæ posteriori synodo infami primũ interfuit, postea & Chalcedone sanctissimo illo cõuentui adfuit: testantur utriusq; acta.

IOANNES Flaniadis, item POLYCHRONIVS Epiphanię, eiusdẽ secundę Ciliciæ ciuitatum uterq; episcopus, è concilio Chalcedonensi hoc seculo cogniti, quòd eidem interfuerunt ambo: ut acta ostendunt in primo tomo.

LEOMANDITVS.

Antiochię Cilicum uel Isaurię episcopus fuit tempore Chalcedonensis concilij, cui interfuit, ut habet Catalogus.

MAMPERTVS.

Titiopolis Ciliciæ secundæ, uel Isauriæ ciuitatis episcopus, eadem ratione hac ætate cognitus, quòd & ipse eidem Concilio interfuit, ut prodit Catalogus.

MARINIANVS.

Iotapæ episcopus, cuidam prouinciali conuentui Antiochiæ sub Domno, eius Ecclesiæ in spiritualib. gubernatore interfuit, Theodosio posteriore rerum Imperij potiente. Testatur decimaquarta actio Chalcedonensis concilij, in primo tomo.

AMMONIVS.

Eiusdem Ecclesiæ episcopus, numeratur inter eos qui Chalcedone in illo uenerãdo cõuentu adfuerunt: ut Catalogi ostendunt.

EPISCOPI PAMPHILIAE.

EVSTATHIVS, & *Theodorus.*

EVstathius Pamphiliæ, unde etiam ortũ habuit, episcopus, quietis amantior, & pertæsus molestiarũ, quibus ob negociorũ ac laborum magnitudinem & multitudinẽ premebatur in functione: tum etiam ut cõmodius declinaret quorundã obtrectationes, ultrò se suo ministerio abdicauerat, & communi Ecclesiæ consensu successorem acceperat Theodorum. Verùm paulo pòst ipsum facti pœnituit. Supplex igitur factus Ephesino concilio primo, cum lachrimis impetrauit, ut facto decreto ad ecclesiam Pamphiliæ intercederent pro ipso: statuerentq; ei, licet abdicato, tamen ob senij reuerentiam, episcopi nomen & honorem & communionem, ac etiam aliquantulum facultatis à Theodoro concedi debere, iure fraternæ dilectionis: ut patet ex actis synodi Ephesinæ primæ.

AMPHILOCHIVS.

Episcopus Sideni, quod est oppidũ Pamphilię, ad literas Leonis Imperatoris, inquirentes quid sentiat de Timothei ordinatione & decretis Chalcedonẽsis synodi: respõdit, se neque Timothei ordinationem probare, neque synodum Chalcedonensem recipere. Euagrius libro secundo, capite decimo. Pugnauit contra Messalianitas: ac in Ephesina synodo patribus hortator fuit, contra eos decernendi, ut patet ex actis.

BERMIANVS.

Pergensis metropolis Pamphiliæ episcopus, ex Ephesina prima synodo contra Nestorium coacta cognitus est, cui interfuit. Catalogus eiusdem.

EPIPHANIVS.

Eiusdem ecclesiæ episcopus, ex duabus quibus interfuit Synodis, sui in hoc seculo memoriam relinquit: Ephesina illa ignobili & reproba, ac Chalcedonensi: ut testantur Catalogi earundem, in primo tomo.

TRIBVNIANVS.

Aspendẽsis ecclesię Pamphiliæ episcop', primæ Ephesinæ synodo interfuit, ut Catalogus recitat: inde eius memoria.

TIMOTHEVS.

Vranopolis Pãphilię ciuitatis episcopus, primùm Constantinopoli sub Flauiano, primario istius Ecclesiæ doctore, quinciali interfuit cõuentui, & cõtra Eutychẽ diserte etiã ipse pnunciauit damnationis sententiã: sed & contra omnes alios, qui contrarium sentirẽt Nicenę fidei & Cyrilli doctrinę. Postea uerò ipse quoq; cum reliquis, in Ephesina Prædatoria dicta synodo, eundẽ Eutychen pręsens iustificauit: ut ostendit prima actio Chalcedonẽsis cõcilij, in primo tomo.

EPISCOPI ISAVRIAE.

BASILIVS SELEVCIAE *Isaurorum.*

BAsilius Seleucię Isaurorũ episcop' fuit illo turbulentissimo tẽpore, quo Nestorij & Eutychis dogmata & ecclesias & earundẽ doctores distraxerũt & cõturbarũt: & ex tribus synodis, sui posteris memoriam reliquit, quibus interfuit. In Cõstantinopolitana quidem, ob Eutychis recens exorti errorem coacta, egregiam edens fidei suę declarationem, & controuersis articulis confessionẽ, cõmendat Cyrilli contra Nestorium studiũ, eiusq; omnia scripta approbat: sicut in secunda actione Constantinopolitana, quæ primæ Chalcedonensi interpersa est, narratur. Ac postea etiam suis suffragijs, unà cum cęteris contra Eutychen, eiusq; erroneam sententiam decernit, simulque autorem unà cum sua blasphemia damnat, ut septima actio Cõstantinopolitana testatur. Sed in Ephesina synodo, quæ in priori laudabiliter & piè gesserat, periculorũ metu turpiter defor mat confessionis abnegatione, reuocans quæ de duarum naturarũ in Christo unione pfessus fuerat. Sunt hęc eius reuocationis uerba: Accusans & reprehẽdens propriam uocem

am uocem, quam de duabus naturis profes-
sus sum, in gestis habitis apud regiam ciui-
tatem, & adoro unam naturam Deitatis u-
nigeniti inhumanati & incarnati. ex actis il-
lius conuentus, quę leguntur in prima Chal
cedonensi, primo tomo. Insuper & in Fla-
uiani damnationẽ, Eutychis uerò restitutio-
nem cõsentit, ut eadẽ acta docent. In Chal-
cedonensi uerò suum delictum agnouit, & 10
ueniam precatus est, omnem culpam in
Dioscori uiolentiam, præiudicium centum
& uiginti episcoporũ transferens. Repetijt
etiam suam priorem confessionem ad hunc
modũ: Quis poterit beatissimi patris nostri
Cyrilli reprehendere uoces, qui impietatem
Nestorij futuram mundũ inundare, compe-
scuit per propriam sapientiam? Et illo qui-
dem diuidente in duas personas & duos fi-
lios unum Dominũ nostrum, & Deum sal- 20
uatorem Christum, ipse ostendit in una per-
sona & filij & Domini & dominatoris crea-
turæ Deitatem agnoscendam perfectam, &
humanitatem perfectã. Approbamus igitur
omnia ab eo scripta & directa, sicut uera &
pia continentia: & adoramus unum Domi-
num IESVM Christum, in duabus naturis
agnoscendũ. Vnam enim habebat in semet-
ipso ante omnia secula, sicut splendor glorię
patris: alteram autem, sicut ex matre natus, 30
propter nos accipiens ex ea, sibi uniuit secũ-
dum subsistentiam. Et uocatus est perfectus
Deus, & filius Dei: & perfectus homo, & fi-
lius hominis: omnes nos uolens saluare in
eo, quòd factus est per omnia nobis similis,
absque peccato.

ATHANASIVS.

Basilij in eiusdem Ecclesię ministerio dia-
conus fuit Athanasius: & secutus suum epi-
scopum ad Constantinopolitanam synodũ
in causa Eutychis. reddit in eadem testimo- 40
nium de quodam sermone ab Eutyche au-
dito. ueluti habet tertia actio Chalcedonen-
sis concilij, in primo tomo.

De aliis quibusdam Isauriæ episcopis.

Sub Basilij diœcesi fuerũt Antoninus Ne-
phelidis, Iacobus Anemurij, Numechi⁹ Cha
radrorum, Diapheretius Olbassæ, Antonius
Domitiopolis, Stephan⁹ Dalisandi, Paul⁹ Se-
repolis. Minodorus Irenopolis, Cynõ Isidis.
horũ enim nomine in Synodo subscripsit. 50

THEODORVS.

Theodorus Claudiopolis Isauriæ ciuita-
tis episcopus fuit. Ipsum, ut multos alios,
duæ huius seculi synodi posteritati commẽ-
dant, Prædatoria Ephesina, & Chalcedonẽ-
sis, quibus interfuit.

IVLIANVS.

Clendiritis episcopus: item,

TYRANNVS

Germanicopolis, eiusdem prouincię epi- 60
scopus: Chalcedonensi synodo subscripse-
runt, ut patet ex actis.

PISIDIAE EPISCOPI.

CANDIDIANVS.

ANtiochię Pisidię episcop⁹ in regia ci-
uitate, nimirum Constantinopoli, ar-
chidiaconum aliquãdo se fuisse, ipse memo-
rat in Ephesina illa malignantiũ synodo: ubi
etiam multa dẽ suæ conuersationis integri-
tate addit. duabus synodis interfuit, Constã-
tinopolitanæ contra Eutychen, & Ephesinæ
illi reprobę pro eodem: atq; hinc eius ad po-
steros memoria. In prima actione Chalcedo
nensis synodi, primo tomo.

DIONYSIVS.

Eiusdem Ecclesiæ episcopus uidetur fuis-
se. hoc enim nomine Antiochiæ Cariæ Pisi-
diæ, Chalcedonensi synodo quidam inter-
fuisse memoratur, in eiusdem Catalogo, in
primo tomo.

PERGAMIVS.

Antiochiæ metropolis Pysidiæ Phrygiæ
Salutarię prouincię episcopus fuit: tempore
quo Constantinopoli sub Imperatore Theo
dosio à Flauiano, eius Ecclesiæ primario an-
tistite habita est synodus, in Eutychis nouæ
hæreseos authoris negocio, cui ipse Perga-
mius interfuit, ut testantur acta Chalcedo-
nensis concilij. Interfuit & Chalcedonẽsi
synodo celeberrimę illi sub Imperatore Mar
ciano, in qua ipse unus est qui à synodo mit-
tuntur accersitum secundò Dioscorum Ale-
xandrinum archiepiscopum, ad dicendam
causam: ut habet actio tertia eiusdẽ synodi,
in primo tomo.

SEVERVS.

Sozopolis Pisidiæ episcopus, ex Ephesina
celebri illa in causa Nestorij synodo, hoc se-
culo notus est, in qua cũ Cyrillo Alexandri-
no subscripsit cõtra Nestoriũ: testãtur acta.

OLYMPIVS.

Hemi montis ciuitatis Pisidiæ episco-
pus, Chalcedonensi concilio interfuit. Ca-
talogus testis.

DIONYSIVS.

Eiusdem ecclesiæ episcopus uidetur fuis-
se: hoc enim nomine Antiochiæ Cariæ Pisi-
diæ, Chalcedonensi synodo quidam inter-
fuisse memoratur in eiusdem Catalogo, in
primo tomo Conciliorum.

PAVLINVS Apameę Pisidiæ episcopus.

EORTIVS Nicopolis metropolis Pisi-
diæ episcopus.

ALEXANDER Seleucię Pisidię episco-
pus. Hi utplurimũ ex Chalcedonẽsi cõcilio
in hominũ sunt memoria, cui interfuerunt:
ueluti eorum Catalogus meminit.

LONGINVS.

Talbondanæ, siue (ut alibi) Menedu-

nensis Pisidię prouincię ciuitatis episcopus, ex Constantinopolitano conuentu illo contra Eutychen notus est: ubi & ipse in excutiendo Eutychis dogmate censor adfuisse uidetur. Ex actis eiusdem.

LYCIAE.

EVDOXIVS.

EVdoxius Chomatis Lyciæ episcopus, ex Ephesina prima synodo celebris est.

ROMANVS.

Myrensis, siue Myrorum Lycię prouinciæ metropolis episcopus, ex duabus synodis ad posteritatem sui memoriam transmisit: Ephesina illa reproba, in qua præsens Eutychis restitutionem cum alijs comprobauit: & Chalcedonensi, cui quoque interfuit. Testes Catalogi.

POLYCARPVS.

Cabalæ, eiusdem prouinciæ episcopus, ex ijsdem duabus synodis hoc seculo celebris, quòd eis interfuit. Catalogi earũdem.

ALCHIMEDES.

Silandi, seu Calindę, & Stephanus Limyræ, ciuitatum Lyciæ episcopi fuerunt, quo tempore Chalcedonẽsis synodus celebrata est: atque eidem (ut Catalogi ostendunt) Calindensis interfuit ipse, Limyrensis alteri suas partes delegauerat.

SAVINIANVS.

Telmesi & Eniandos Lyciæ ciuitatum episcopus fuit tum, quum Constantinopoli Eutyches primùm hæreseos damnatus est in synodo, cui & ipse interfuit iudex & damnator. Indicant hoc eius synodi acta Chalcedonensibus inserta.

ZENODOTVS.

Earundem ecclesiarum pastor & episcopus tempore Chalcedonensis concilij fuit, cui etiam interfuit: testantur acta.

FRONTO Phaselidis,

LEONTIVS Araxi, &

ANTIPATER Canni, siue Canninæ, Dionysius Attaliæ, ciuitatum Lyciæ episcopi fuerunt, & ex Chalcedonensi cõcilio, (in quo & ipsi, si nihil aliud, saltem numerum sua præsentia auxerunt) eorum reliqua est memoria. Testes catalogi, in primo tomo Conciliorum.

MEONIVS, seu ueriꝰ MVSONIVS, Nysæ Lyciæ ciuitatis episcopatum hoc seculo administrauit, Imperatoribus primùm Theodosio posteriore, dein Marciano eius successore. Duabus synodis interfuit, Ephesinæ infami pro Eutyche, & Chalcedonensi, in qua etiam ab Ephesino presbytero Cassiano accusatur, quòd fuerit unus ex illis qui se cum suo pastore Bassiano afflixerint. undecima actio Chalcedonensis concilij.

CARIAE EPISCOPI.

CYRVS.

CYrus à puero in monasterio educatus, Aphrodisiadis Cariæ metropolis episcopatum gesit, tempore duarum Synodorum quæ Ephesi celebratæ sunt, prior cõtra Nestorium, posterior pro Eutyche, utroque Constantinopolitano hæretico: quibus etiam præsens interfuit, ut acta utriusque indicant.

CRITONIANVS.

Eundem episcopatum administrauit eodem quidem seculo, sed posteriore tempore, quando Chalcedone sub Marciano Imperatore celebratum est Concilium, in quo etiam fuit: ueluti acta habent.

IOANNES.

Parthenopolis eiusdem prouinciæ Cariæ episcopus, ex actis Constantinopolitani cõuentus contra Eutychen notus est.

DANIEL.

Cadi episcopus fuit, & notus est ex Constantinopolitana illa contra Eutychen synodo, & Chalcedonensi: ut testantur acta in primo tomo.

De alijs Cariæ episcopis.

Ioannes Aliudenæ, Menander Heracleæ Latmos, Eupythius Stratonicæ, Iohannes Amyzonis, Tinchanius Apolloniadis, Theodorẽtus Alabandorum, Ioannes Cindi, Alphius Myndi, Diogenes Orthosiæ, Calandion Halicarnasi, Cariæ prouinciæ episcopi in Chalcedonensi synodo fuerunt: exceptis Calandione qui presbyterum Iulianum, & Diogene, qui Theoctistum legatos eò miserunt, ut ex actis patet.

IONIAE EPISCOPI.

ERADION.

ERadion episcopus Trallensium, tantum eo nomine clarus, quòd primæ synodo Ephesinæ interfuit, ut patet ex actis.

MAXIMVS.

Maximus episcopus Trallensium, interfuit Ephesinæ Prædatoriæ synodi actionibus: & Dioscoro Alexandrino eius conuentus præsidi adulatus, suffragijs & subscriptionibus in damnationem Flauiani Constantinopolitani cõsensit. patet ex actis Chalcedonensis synodi.

ASCLEPIADES.

Asclepiades Tralliarum fuit episcopus. Extat epistola sub eius nomine in tomis Conciliorum, ad Petrum Gnapheum, in qua errores eius refutat: ipsumque seriò cohortatur, ut ab errore reuertatur ad ueram Ecclesiæ sententiam. ac obiter, quid ipse de sacratissima diuinitatis Triade sentiat, aperit: Si quis confundat Trinitatem, dicens, eundem esse patrem & filium & spiritum sanctum,

sanctum, anathema sit. Si quis distinguit unam substantiam Trinitatis, anathema sit. Si quis unum filium diuidit in dualitatem filiorum, anathema sit. Si quis Deum uerbum & carnem, unam dicit naturam, ignorans naturarum differentiam, anathema sit. Etenim credimus, quod uita uita sit, & non coincidit in mortem.

THEOPHILVS & HERACLEON.

Episcopi Trallēsis ciuitatis, interfuêre & subscripsêre cum Cyrillo in Ephesina prima synodo, patet ex catalogo in prima actione Chalcedonensis synodi.

EPHESINI EPISCOPI.

HERACLIDES.

Heraclides fuit patria Cyprius, professione monachus, Euagrij monachi in Sceti olim discipulus, gradu Ecclesiastico archidiaconus, mortuo Ephesinorum episcopo (quem Antonium Nicephorus nominat libro decimotertio, capite nono) creatus est à Ioanne Chrysostomo, septuaginta episcopis alijs sua suffragia adijcentibus. meminerunt Socrates & Sozomenus: hic libro octauo, capite sexto: ille libro sexto, capite undecimo: & Nicephorus libro decimotertio, capite uicesimonono.

Huius ordinationem in quæstionem uocatam à Theophilo Alexandrino, in particulari aduersum Chrysostomum synodo Constantinopoli, commemorat Socrates libro sexto, capite decimoseptimo, tantum ex odio, quod erga Chrysostomum gerebat: & ut Socrates dicit, ut hoc modo occasionem uenaretur aduersus Chrysostomum, ut hunc, si quo modo posset, suo statu deturbaret. Amplius quoque in illa Synodo accusatum, licet absentem, scribunt uterque, & Socrates ibidem, & Sozomenus libro eodem, cap. decimonono. Causæ accusationis fuere, quòd actores dicerent, quosdam ab ipso per uim pulsatos, & cathenis uinctos, per mediam Ephesiorum urbem, ueluti in triumpho ductos. Cumque Theophilus accusatoribus daturus esset iudicium, etiam reo absente, orta est grauissima contentio inter plebem Constantinopolitanam & Alexandrinos: illis negantibus, licere reum agere eum qui præsens non esset: his contrà affirmantibus, licere aduersum eum actionem instituere, qui episcopali functione diuasit demum ea rixa in cruentum conflictum, ita ut multi uulnerarentur, non pauci etiam occiderentur.

Post Chrysostomum, Cucusum in exilium abductum, Ephesij Heraclidem in carcere coniecerunt, & ad quadriennium in eo crudeliter detinuerunt. Tandem uerò & dignitate ipsi abrogata, alium subrogarunt, hominem execrandum, omnis detestationis plenum, Victoris tribuni eunuchum. Nicephorus libro decimotertio, capite uicesimonono.

MEMNON.

Memnona Ephesinæ ecclesiæ fuisse antistitem illo tempore, quo ibi synodus illa prima ac multum memorabilis contra Nestorium celebrata est, circiter annum Christi 434. aut 35, satis constat ex actis eiusdem: quorum meminerunt Socrates libro septimo, capite tricesimoquarto: Euagrius libro primo, capite quarto & quinto: & extant integra in Conciliorum tomo primo. Cui ipse successerit, non satis clarum est. Constantinopoli autē ordinatus uideri potest ex narratione Philippi presbyteri Constantinopolitani, in undecima actione Chalcedonensis concilij. In illa autem synodo unà cum Cyrillo Alexandrino primas tenuit partes, ac eandem sententiam professus est contra Nestorium. Ac cum propter Nestorij damnationem graue ortum esset disidium inter patres, ipse quoque afflictionum Cyrilli particeps factus est. nam ab aduersa parte, quæ à Cyrillo se segregauerat, ipse etiam est ab episcopatu non modò remotus, sed & à Comite gubernatore istius Synodi, in custodiam unà cum collega Cyrillo traditus: sicut hoc est manifestum ex epistola Ioannis Comitis Sacrensis, qua Imperatores de statu Synodi certiores facit, quæ extat inter ipsa acta in primo Tomo. Nullam autem ob causam aliam hæc passum, quàm quòd non expectato aduentu Ioannis Antiocheni, Nestorij damnandi autor fuerat, authores cōmemorant. Extat scriptum aduersæ, ut uidetur, partis, ad regem Callimorem, in illis ipsis actis. In eo grauiter sanè accusatur, Quòd in omnibus cooperarium se præbuerit & commilitonem Cyrillo, ac innumeras turbas excitauerit contra episcopos, qui assentiri noluerint ipsorum opinioni, quam disertè nominant prauam & hæreticam: Quòd ecclesias occluserit, & omnia templa, ueluti adessent Pagani & Dei hostes: Quòd Ephesiorum uulgus introduxerit, & ideo ipsos in summis periculis uersatos quotidie, ac propterea iustè eum cum Cyrillo depositum esse. Et hæc quidem illi. Sed ita sese rem non habere, ex Euagrio colligi potest, qui narrat, statim uniuersam Synodum eam damnationem posito decreto irritam fecisse, & rectè aduersarios tum à communione, tum ab uniuersa ministerij authoritate excluisse: sicut hoc ipsum etiam testatur epistola Synodi, sanioris uidelicet

licet partis, ad Imperatores Theodosium & Valentinianum, in qua illud ipsum exponunt, quòd scilicet absolutis Memnone cum suo socio, aduersarios qui temerè ab ipsis discessissent, prorsus reiecerint. Et egregio testimonio ornant hunc Memnonem, præsidem suum & Orthodoxæ fidei æmulatorem nominantes, & sanctissimum & pientissimum coepiscopum Cyrilli. Sed & ipsius innocentiam, sicut & Cyrilli, egregiè defendunt, narrantes ipsos neque citatos, neque accusatos, præter omnem rationem Canonum damnatos: ac propterea eam damnationem contumeliam appellant, & uiolentiam, & seriò apud Imperatores pro ipsis intercedunt: ac missa præstantium episcoporum legatione, supplicant reuerenter, ut aduersæ partis sententiam irritam esse uelint: contrà uerò quæ ipsi decreuerint, rata & firma habere, & episcopos illos Cyrillum & Memnona synodi capita clementer sibi restituere. Cæterùm Memnonem inuidum & iracundum hominem fuisse, ex eo apparet, quòd Bassianum ecclesiæ Ephesinæ peracceptum, conatus est remouere, sed tamen sub honestatis & pietatis specie. Ordinauit enim eum episcopum Vangensium, ut Liberatus narrat. Verùm cum ille recusaret ad eam ecclesiam abire, adeò ira inflammatus est, ut ad horas tres ante ipsas aras grauiter plagis eum afflixerit, ad sanguinem usque, ut cruore etiam altare & sacri Euangelij codex conspergeretur, ac insuper excommunicaret: ut patet ex undecima actione Chalcedonensis concilij.

BASILIVS.

Defuncti Memnonis successorem fuisse in eius Ecclesiæ gubernatione Basilium quendam, semel atque iterum & perspicuè commemoratur in undecima actione Chalcedonensis concilij: ac uidetur uicesimusseptimus numerari à Timotheo, quem primum eius urbis faciunt episcopum. Quis autem, aut unde fuerit, aut quamdiu Ecclesiæ istius regimen tenuerit, non est memoriæ proditum. Constantinopoli à Proclo eius urbis episcopo per uiolentiam ordinatum eum esse, atque eam rem multorum cædium fuisse occasionem, narrat Magnesiæ episcopus Leontius, in undecima actione Chalcedonensi. Concilium coegit prouinciale ob Bassianum, quem (ut dictum) malè tractauerat Memnon. Cumque ex Patrum sententijs cognouisset, uiolenter cum Bassiano actum, reddidit ipsi cõmunionem: nec ad illam Ecclesiam, ad quam per uim fuerat ordinatus, abire eum compulit, sed inter suos locum ipsi permisit, conuenientemque gradui honorem ei tribuit: ut quidem ipse refert Bassianus in eadem actione.

BASSIANVS.

Bassianus Ephesinus esse uidetur. nam in undecima actione Chalcedonensi commemorat, se à iuuentute cum pauperibus uixisse, & ptochodochium Ephesi erexisse, & septuaginta lectos in illud collocasse, in usum eorum qui languidius haberent, & scabie ac ulceribus laborarent. Eum autem Memnon ordinauerat legitimis cemonijs episcopum ecclesiæ Euazensi seu Vangensi, uerùm præter suam uoluntatem: nec tam quòd ipsi bene cuperet, quàm ut hac honesta occasione, ab Ephesina ecclesia remoueret eum, quem acceptum eidem ecclesiæ grè ferebat: sicut Bassianus ipse in ea narratione gloriatur.

Mortuo Basilio, populus & clerus Ephesinus, ut qui ei antea semper fauisset, etiam inuitum & armata manu elegerunt episcopum, & solenni ritu ordinarunt. Ac cum res esset ad Imperatorem Theodosium relata, & ipse consensit, & per Silentiarium siue secretarium sacras ipsi misit literas. Demum & ipse perrexit Constantinopolim ad Imperatorem, qui ipsum benignè excepit, & Proclum nonnihil ei offensum, quòd armata manu à populo passus fuisset seipsum designari, ipsi quoque reconciliauit. Proclus etiam ciuitati Ephesinæ episcopis & clero misit synodicam, literas mirum, quibus testatus est Bassum in episcoporum ordinem receptum & confirmatum esse. Nomen etiam eius in tabulam quam diptychon uocabant, relatum, & pro more recitatum est. Cum annos quatuor in episcopatu egisset, & decem episcopos allios & clericos multos ordinasset, Leo Romanus & Flauianus Constãtinopolitanus, & Alexandrinus & Antiochenus episcopi, fortè delatione Stephani aut alterius cuiusdam resciscunt, eum non satis legitimo modo ad episcopatũ ueniisse. Quare Leo quamprimùm ad Alexandrinum scribit, & ad Imperatorem, ac monet Bassianum non esse ferendum in episcopatu, cum eius uocatio non sit legitima, siquidem armata manu ad eum sit promotus. Hic continuò ab aliis episcopis damnatur, deponitur, & demum ex ipso templo à sacris abripitur, & uirgis cæsus carceri includitur, & ad menses tres detinetur. Bona eius omnia diripiũtur, multi ex eius familiaribus occiduntur, ac ipse tandem urbe expellitur, suorum collegarũ ac maximè Stephani machinatione & uoluptate. Post annos autem quatuor cum Chalcedone synodus haberetur, ipse Valentiniano & Marciano supplex factus impetrauit, ut sua causa in Synodo tractaretur. Acculauit

Accusauit itaque Stephanum, quem in eius locum surrogauerant Ephesij, quòd bona & episcopatum suum obtineret, & autor suarum calamitatum fuisset. Partibus utrisque auditis, ac testibus examinatis, cum plurimi episcopi, & totus Constantinopolitanus clerus ei testimonium innocentiæ præberent, consentiebant plerique de eo restituendo, & hanc expressè pronunciabant sententiam: Basianum iusticia uocat, ualeant leges. Verùm quo minus hæc sententia rata fuerit, iudices Concilij obstitêre, qui ipsum neutiquam restituendum censuêre, quod uiolenter Ecclesiæ regimen occupasset: quorum iudicio tandem & reliquus Patrum cœtus acquieuit. Communi ergo decreto non est ipse quidem ad gubernationem rursus admissus: sed tamen ministerij gradus, siue episcopi dignitas non est ipsi abrogata, sed habuit etiam deinceps inter episcopos locum & communionem, insuper etiam ad annuos sumptus usque ad uitæ finem solidos ducentenos. Si quæ præterea ipsi fuerant ablata in ista uiolenta depositione, Synodus ei restituenda sanxit. Constant hæc ex synodi Chalcedonensis actione undecima.

STEPHANVS.

Stephanus, Ephesinus patria fuisse uidetur. nam in eius Ecclesiæ clero ad annos quinquaginta uixisse se, affirmat in undecima actione Chalcedonensi. Sub Basiano presbyter fuit ad annos quatuor: & successu insidijs tandem perfecit, ut Basianus eijceretur. Ac substitutus est in eius locum. In concilij Chalcedonensis actione undecima accusatur à Basiano, quòd ipse princeps & author fuerit excutiendi sui. At uerò Stephanus eam culpam non agnoscit, sed in alios transfert. Et quamuis Stephanus ibidem gloriatur se legitimè ad episcopatum uenisse, tamen Synodus testatur eum per coniurationes & similes artes dignitatem episcopalem consecutum esse. Quando autem ad episcopatum peruenerit, explicatè satis non traditur. Temporibus Flauiani Constantinopolitani archiepiscopi excussum Basianum, & subrogatum Stephanum, ex illa ipsa undecima Chalcedonensis concilij sessione intelligi potest, non ita multo ante Ephesinam illam infamem Synodum, qua Flauianus extinctus est. Siquidem in ea ipsa parũ laudabili Synodo hic Stephanus inter eos qui præsentes fuere, in catalogo Ephesini episcopi titulo recensetur. Imò, ut etiam alij, uocem habet decisiuam: ac disertè approbat Nicenam synodum, & confirmationem eiusdem factam in prima Ephesina synodo, ueramque fidem & Catholicam esse, adfirmat: & anathema pronunciat, Si quis præter ea quæ in illis statuta, alia tradat. Quæ approbatio, testimonij loco haberi potest doctrinæ ipsius. In eadem Synodo, in Flauiani Constantinopolitani & Eusebij Dorilæi depositionem consentit, & subscribit cum cæteris: ueluti testantur acta istius deprauatæ Synodi, quæ primæ actioni Chalcedonensi sunt inserta, in primo tomo Conciliorum.

In Chalcedonensi synodo, priusquam actio aduersus eum cum Basiano institueretur, habuit etiam locum & ordinem Ephesini episcopi: atque ibidem factum suum excusare conatur, Deum testem inuocans, quòd non uolens consenserit in damnationem Flauiani, sed coactus ob uiolentiam & uitæ periculum. Etenim nihilominus se hospitio suscepisse, quicunque ex Ecclesiasticis uiris Flauiani ad ipsum accessissent, cum eis etiam & Domini mensam feciſse communem, & aliàs quoque omnem beneuolentiam ipsis exhibuisse, & propterea de uita aliquando grauiter periclitatum fuisse. Cum enim aliquando quendam presbyterum Elpidium, & diaconos, sed & ipsum episcopum Eusebium (Dorylæum nimirum) secum ad Domini mensam adhibuisset, & in ædes quoque episcopales admississet, superueniſſe monachos & milites Eutychis ad trecentos, & mortem sibi intentasse, eo quòd Imperatoris aduersarios suscepisse eum dicerent, & ob id etiam Imperatoris ipsum existere aduersarium arguerent. Ad annos quatuor, non multo amplius ipsum etiam tenuisse Ecclesiam, colligi potest ex actione illa Chalcedonensi: ac congruit propemodum historiæ ueritas. nam interuallum inter duas synodos, Ephesinam secundam prophanam illam, & Chalcedonensem maximè celebrem, haud multo amplius spacium intercedit: in quarum priore paulo antè ad episcopatum peruenerat, posteriore uerò ab eodem rursum depositus fuerat: ita tamen, ut ipsi etiam, sicuti & Basiano, tantum potestas gubernationis adempta esset, dignitas uerò & communio episcopi relicta, insuper & pro consolatione doloris additi ex Ecclesiæ reditibus ducenteni per annum solidi ad sumptus uitæ. Ac mirum sanè, cum ista expressè contineat actio undecimæ & duodecimę sessionis Chalcedonensis concilij, & Liberatus in suo Breuiario de Nestoriana & Eutycheris causa capite decimotertio idem affirmet, quòd nimirum etiam Stephanus remotus sit decretis Patrũ: quomodo Euagrius libro secũdo, cap. decimo sexto, & ipsum secutus

Nicephorus capite ultimo libri decimiquinti, narrent, gemina seſsione firmatum decretũ à Synodo, ut Stephanus sedẽ suam recipiat, Basianus uerò cedat: cũ Basianus nõdum fuisset restitutus, nec Stephanus planè remotus: & ex illis ipsis authorũ Euagrij & Nicephori locis manifestè ostẽdi possit, Stephanũ in utraq; Synodo, & secũda Ephesina cõtra Flauianũ, & hac Chalcedonensi, Ephesini episcopi & nomen ac locum obtinuisse.

PAVLVS.

Paulum Ephesinorũ episcopũ sua Ecclesia pulsum, restitutum per Timotheũ Aelurum Alexandrinũ episcopum, à Basiliſco reuocatum, sed paulo pòst rursum inde eiectũ mandato Zenonis Imperatoris, cõmemorat Euagrius libro tertio, capite sexto & octauo. Sed quis iste sit Paulus, aut cui nam successerit, non liquet.

CASSIANVS.

Cassian⁹ Ephesinę ecclesię fuit presbyter, sub pastore Basiano: quo eiecto, ipse quoq; unà exilij & aliarum afflictionum ad annos quatuor fuit particeps: ac demum Chalcedone in concilio suam, cum suo pastore, actionem coniungit, suosque persecutores ambo accusant. Ex undecima actione eiusdem Concilij.

Circa Ephesum fuerunt episcopi quidam solo nomine clari: Eutropius Pergami, Flauianus Adriaceorum, Maximus Asci, Aroëtianus Antandri, Chrysogonus Cimæ, Alexander Magnesię apud Sipylum, Eustathius Timbriæ, Dracocius Hydræ, Gennadius Therorum, Iulianus Lebedi: qui in Ephesina Prædatoria synodo Stephani Ephesini fuerat notarius, ut ex prima actione, post initium paulo, Chalcedonensis synodi liquet. Ziticus, Zeticus seu Zoticus, Neæ episcopus: Isidorus Prienæ ciuitatis episcopus, Sebatius Mastaurorum, Eustorgius fani Iouis, Gerontius Archadiopolis, Thomas Aulij, Rufus Ilij, S. Timi: Ioannes Bargasorum Varectorum, Basilius Teorum, Alexander Naulochi, episcopi omnes Ecclesiarum quæ ipsis ascribuntur. Quorum nomine, quòd etiam ipsi abessent, Ephesinus episcopus Stephanus per Hesperium Pitanæ ciuitatis episcopum subscripsisse memoratur in catalogo Chalcedonensis concilij.

LYDIAE EPISCOPI.

THEOPHANIVS.

EPiscopus Lydiæ prouinciæ esse uidetur, & quidem Philadelphiæ ciuitatis, quòd qui ex Quartodecimana hæresi conuertuntur, omnes ipsum accedere scribuntur: ex actione prima Chalcedonẽsis cõcilij.

CHARISIVS *presbyter.*

Charisius fuit Philadelphenæ ciuitatis presbyter, & œconomus eius ecclesiæ, ut testatur pars actionis synodi Ephesinæ, Chalcedonensi inserta. In ea autem Synodo symbolum fidei patribus obtulit, à Theodoro Mopsuestiensi confictum, diuersum à Niceno: & propterea etiam ibidem damnatum. Certamen ei fuit cum Nestorianis. Accusat enim duos ex ministerio Constantinopolitano presbyteros gregis Nestorij, Anastasium & Photium: quòd ipsi submiserint insidioſe in prouinciam Lydiæ alios duos suæ farinæ homines, presbyteros itidem, Antonium & Iacobum, hoc nomine: quoniam erant in illa prouincia qui à Quartodecimanorum (ut apparet) errore ad rectioris doctrinæ cognitionem peruenire cupiebant, eos ut ipsi in ueriori doctrina instituerent. uerùm eosdem sub prætextu Niceni symboli, aliud doctrinæ genus, corruptum à Theodoro Mopsuestiensi, miseris illis hominibus instillasse: & hoc modo ex leuioribus erroribus in multo perniciosiores deduxisse. Insuper & quòd illum ipsum Iacobum sui similem per cõmendaticias literas ad Lydiæ episcopos, in urbem Philadelphiam etiam subintrulerint callidè: isq; pietatis specie insinuans se apud imperitiores, corruptam doctrinam ueritatis titulo tradiderit: decipiendoque simplicem multitudinem clericorum esse cerit, ut ipse iam non modò ut hęreticus habeatur, sed etiam Iacobo recepto, ipse tam à ministerio quàm communione penitus sit excluſus. Offert itaque suæ fidei cognitionem scriptam, breuem quidem illam, sed tamen puram, quæ extat ibidem. Meminit etiam Liberatus in sui Breuiarij decimo capite, Symbolum Charisij Synodo placuisse, etiamsi in uerbis nonnihil de Christo uariarit. Meminit etiam Rusticus diaconus, in sua contra Acephalos disputatione.

FLORENTIVS.

Florentius Sardeorum Lydiæ ubis episcopus metropolites, sub Theodosio iuniore fuit: cuius duntaxat gratia synodum Constantinopolitanã coactam, Liberatus in Breuiarij sui undecimo capite expresse narrat: & initium actionis primæ eius Synodi repetitæ in prima actione Chalcedonensis concilij ostendit, in qua ipse coràm quidem non adfuit, sed habuit ibi quosdam legatos qui causam eius agebant aduersum duos, Iannem & Cosiniũ, Ecclesiarum sub se constitutarũ episcopos. Postea cũ ob Eutychen in eadẽ dãnatum, Ephesi ex mandato Imperatoris Theodosij alius cõgregatus esset cõuẽtus, ipse interfuit, atq; interpretẽ egit legatorũ Romani pont. Quæ res declarat, ipsum peritum

peritum fuisse linguarum, fuitque particeps omnium quæ perperam & sceleratè in eodem conuenticulo facta sunt: sicut & reliqui omnes. Nam sub prætextu seu errore conseruandæ in suo uigore atque integritate synodi Nicenæ, & maximè constitutionis pro eadem factæ in Ephesina priori, consensit ipse etiam in damnationem Flauiani Constantinopolitani & Eusebij Dorylæi, innocentissimorum uirorum. Contrà uerò, Eutychis hæretici restitutionem in integrum probauit. Interfuit denique & Chalcedonensi concilio, sub Marciano: in quo eadem quæ cæteri fecit, agnoscens, ueniam petens, atque corrigens ea quæ prauè admissa erant Ephesi contra Flauianum.

EVTHERIVS.

Stratonicæ Lydiæ episcopus, primæ Ephesinæ synodo in causa Nestorij interfuit, eiusque actis subscripsit. Testis Catalogus in primo tomo.

PAVLVS.

Tripolis Lydię ciuitatis episcopus, Ephesinæ Prædatoriæ & Chalcedonensi synodis interfuit: testantur posterioris acta.

MENECRATES.

Caryssorum, siue Cyrassenorum eiusdem prouinciæ episcopus, Chalcedonensi concilio interfuit. Et inter alia hæc ei tribuitur uox contra Dioscorum: Vnus homo uniuersum orbem desolauit, & tres menses asidemus ei? in tertia actione eiusdē Cōcilij.

COSSINIVS.

Hierocæsareæ episcopus, & ex Constantinopolitana synodo & postea Chalcedonensi celebris est, quòd utrumque sua præsentia & iudicio ornauit: ut acta posteriora testantur.

EVLALIVS.

Colophonensis episcopus, primæ Ephesinæ synodo contra Nestorium interfuit, hinc cognitus: testatur Catalogus eiusdem.

ALEXANDER.

Eiusdem ecclesiæ Colophonis præfuit tempore Chalcedonensis synodi, in qua eius nomine subscripsit metropolitanis ipsius Stephanus Ephesinus, ut habet subscriptionum Catalogus.

ANDREAS.

Stectorum, & Amachius Septoriorum, eiusdem prouinciæ episcopi, tempore Chalcedonensis concilij, ex quo ipsorum superest memoria: alterius sanè, quòd ipse coràm adfuerit, Amachius nimirum: alter uerò absens, Cossinio suas simul partes agendas cōmiserat: Acta.

MYRNENSES EPISCOPI.

CYRVS.

Cyrus præfectus urbanus Constantinopoli fuit, is cum instaurasset muros ex ingenti terræmotu collapsos, eosque in sublimè altitudinem reduxisset, ita ut quasi nouam formā recepisse urbs uideretur: Byzantij, quòd structura illa mirum in modum delectarentur, emiserunt aliquando Imperatore præsente in hypodromio, ubi equestre certamē exhibebatur, hanc uocem, magnificam quidem illam, sed Imperatori inuisam, & Cyro maximè pernicioſam: Constantinus cōdidit, Cyrus restaurauit. Quo genere sermonis offensus Theodosius princeps, præfectum suspectum habere cœpit. Quare mox, sub alio tamen, & quidem speciosò prætextu, quasi Græcæ adhuc superstitionis cultor existeret, dignitatē ei ademit, deindè etiā facultates ipsius omnes publicauit. Ille animum despondens, ad Ecclesiam confugit: à qua non exceptus modò, sed etiā in sacrū sacerdotū ordinem receptus, & postea etiam Smyrnęorū ecclesiæ datus est pastor. At uerò Smyrnenses, quòd & ad ipsos fama percrebuisset, quasi Græcorum sequeretur sacra, auersati sunt aliquandiu eius communionem: sed non ita multo pòst ei sunt coniuncti, ipsumq; gratum acceptūq; habuerūt, cum suum in doctrina consensum declarasset, & sincerè & rectè se de IESV Christo sentire demōstrasset. Huius opus quoq; esse scribit idem, templum quod Deigenitrici dedicatum, ab ipso nomen sumpsit, ut Cyri templū dicatur. additq;, extruendi occasionem præbuisse imaginem Mariæ uirginis, in eo loco sub cupresso inuentam. Verùm ubi nam terrarū, Cōstantinopoli ne, an uerò in Smyrnensium agro illud templum sit extructum, ex illa narratione sciri non potest. Meminit etiam Euagrius libro primo, capite decimonono, cuiusdam Cyri, quem temporibus Theodosij iunioris clarum poetam fuisse dicit: & ad eam dignitatem apud Imperatorem euectum, quę Prȩfectura aulę appellationem habuerit, & maxima fuerit: & quòd Hesperijs copijs etiam præfuerit. atq; is ne sit præfectus de quo nos priora recitauimus, qui postmodùm tali (ut dictum) necessitate adactus, Smyrnęorum factus sit pastor, affirmare certò non audemus. Fit & apud Suidam mentio Cyri cuiusdam poetę, quem Panopoliten dicit. Et apud Theodosium præfectum fuisse prætorio, item præfectum urbi, cōsulem & patricium, & in magnā admiratione habitum apud Eudociam Augustam: qua Hierosolymis absente circūuentus sit ab aduersarijs, & Cotyæi in Phrygia episcopus factus, qui etiā usq; ad Leonis Imperatoris tempora superstes fuerit. Huius mentio habetur etiam in l. si quis. C. ut nemo ad suum patroc. libro II. Et ad hunc scripta est l. qui sub prætextu. C. de sacra Ecclesia.

PROTE-

PROTERIVS.

Cyro fortaſſe ſucceſsit ille Smyrnęorum episcopus cui Proterio nomen, qui Chalcedonenſi ſynodo interfuit: ut habetur capite decimoſexto lib. 2. apud Euagrium.

AETHERICVS.

Aethericus Smyrnæ Aſiæ ciuitatis episcopus fuit. eum hoc ſeculo inter Eccleſiæ gubernatores fuiſſe, tres Synodi, quibus interfuit, teſtantur: Conſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſis.

LYCAONIAE EPISCOPI.

VALERIANVS.

VAlerianus in Lycaonia Iconij fuit episcopus, cum Amphilochio. Contra Meſſalianitas, uagantes in ijs prouincijs, pugnauit. Hortatus etiam eſt patres Epheſinæ ſynodi, ut eos damnarent: propoſito decreto, olim à Siſinio contra eos in ſyno do Conſtantinopoli facto. Intereſt etiam poſtea ſynodo Conſtantinopolitanæ, & in damnationem Eutychetis conſentit, & ſuam ſententiam de duabus in Chriſto naturis ingenuè aperit: ut conſtat ex actis Synodicis. Fuit ei familiaritas cum Cyrillo: ut patet ex Liberati Breuiarij capite octauo & nono.

ONESIPHORVS.

Oneſiphorus Iconij Lycaoniæ metropolites, tempore duarum Synodorum præfuit eccleſijs ſuis: Epheſinæ alterius illius infamis, in qua præſens pro Eutyche ſuffragium tulit, ut eiuſdem Catalogus oſtendit: item Chalcedonenſis, cui quoque interfuit, eiuſdemque actis ſubſcripſit tum pro ſe, tum pro reliquis ſuæ diœceſeos episcopis abſentibus, quorum hæc in iſtius Synodi actis referuntur nomina: Eugenius Aranæ, Diomedes Ablatenſis episcopus: Etius Iſauriopolis, Euſtathius Ebagenorum episcopi: Hegemonius Gadarenorum, ſiue Gandarenorum episcopus: Conon Pertæ episcopus, Armatius Myſtij episcopus, Oneſimus Cyziſtrorum, Olympius Sadagenorũ.

MEONIAE.

DAPHNVS.

DAphnus episcopus Magneſiæ ad Meandrum, ſimiliter ætate concilij iſtius Epheſini primi uixit, eidemque & ipſe interfuit, & cum Cyrillo Alexandrino ſubſcripſit.

LEONTIVS.

Leontius eiuſdem ciuitatis episcopus, Daphni haud dubiè ſucceſſor, duabus huius ſeculi Synodis interfuit, Prædatoriæ Epheſinæ & Chalcedonenſi: ſicut utriuſq; acta coniuncta teſtantur, in primo tomo.

EVSEBIVS.

Euſebius Magneſiæ ad Sipulum episcopus hoc ſeculo quoque uixit, & interfuit Epheſino concilio primo contra Neſtorium. teſtis Catalogus in primo tomo.

STEPHANVS.

Theopolitanus Aſiæ prouinciæ episcopus, ex Epheſino primo concilio notus, ei interfuit. Teſtis catalogus eiuſdé concilij.

EVSEBIVS, & PROTERIVS.

Euſebius Clazomenæ ciuitatis Aſiæ, & Proterius Myrrhenæ eiuſdem prouinciæ episcopus, Chalcedonenſi ſynodo interfuerunt: atque inde ipſorum etiam in hominũ memoria noticia. Catalogi teſtes.

THEOCTENVS.

Theoctenus Theræ Aſiæ episcopus, concilio Chalcedonenſi interfuit. Teſtatur Catalogus in primo tomo.

CYRIACVS.

Cyriacus Aegaræ episcopus, Prædatoriæ ſynodo Epheſi interfuit, & pro Eutyche cũ alijs pronunciauit. Chalcedonenſi quoque interfuit, cuius acta utrunq; teſtantur.

EVPORVS.

Hypepenſis episcopus, primæ ſynodo Epheſinæ contra Neſtorium interfuit: teſtis Catalogus eiuſdem geſtorum, in primo tomo.

IVLIANVS.

Iulianus eiuſdem Eccleſiæ episcopus, quo tempore in eadem urbe poſterior celebrata eſt Synodus pro Eutyche, cui interfuit. Sed & Chalcedone poſtmodùm adfuit: ſicut utrumq; eiuſdem ſynodi, Chalcedonenſis ſcilicet, teſtantur acta.

PHRYGIAE EPISCOPI.

PHILIPPVS.

PHilippus Pergamenſis Aſiæ episcopus, ex Epheſino primo contra Neſtorium concilio cognitus eſt: nam eidem interfuit. Acta eiuſdem.

EVTROPIVS.

Eiuſdem eccleſiæ, ſcilicet quæ fuit in urbe Pergamo, episcopus fuit, quo tempore alterum in ea urbe Epheſo habitum fuit concilium, in quo & ipſe fuit: uelut acta eiuſdé, Chalcedonenſibus inſerta, tradunt.

THEODOSIVS & AGAPETVS.

Synnadenſium Pacatianæ Phrygiæ episcopi. Theodoſius quidem cum eſſet Synnadenſium paſtor partis ſanioris, eorũ quippe qui Orthodoxi & Catholici dicebantur, oppugnabat alteram eius Eccleſiæ partem, qui proprio ſibi conſtituto paſtore Agapeto, Macedonij errorem ſectabantur. Inſtabat autem apud magiſtratum, ut eos non modò urbe eijceret, ſed etiam ex agris pelleret. Sed erant illi ſegniores in eo ad actum perducendo, pro-

do, propterea quòd indicabant eum non tam zelo pietatis quàm auaricia, qua res exulum captabat, urgere. Quare negligentia eorum offensus Constantinopolim properat, ut Imperialia ibi edicta ad prouinciales magistratus exigat: ubi dũ morã trahit, Agapetus cõuocat factionis suæ cœtũ, eisq; persuadet, ut relicta hęresi, ad eos qui ὁμοουσίου fidem profiterẽtur transirẽt. Pia igitur eorũ uoluntate perspecta, cũ uniuerso suo cœtu Ecclesiã homousianorũ ingressus, reliquę se parti rectè & piè sentientium ac docentium coniungit. Ac more etiam consueto communibus precibus peractis, uniuerso populo pacem precatur: ipsorum quoque unanimi consensu Theodosij thronum occupat. Et Theodosius pòst reuersus, ab uniuersa Ecclesia repellitur. Agapetus uerò communis & primarius totius gregis pastor, deinceps uera & pia doctrina eam Ecclesiam pascit ac gubernat. Cuius episcopatum quamuis fraude partum, tamen Atticus Cõstantinopolitanus cõfirmat: quòd uideret, in Ecclesiæ istius loci utilitatem & incrementum istud cessisse. ipsum quoque Theodosium scriptis literis delinit, ac monet, ut quietus deinceps esse, eamq; iniuriã Ecclesiæ donare uelit. refert Socrates libro septimo, capite tertio: Nicephorus libro decimoquarto, capite undecimo.

MARINIANVS.

Marinianus fuit episcopus ecclesiæ Synnadensis. interfuit synodo Ephesinæ primę contra Nestorium, & secundę Prędatorię dictæ, in qua in Eutychis restitutionem consensit. Chalcedonensi etiam interfuit, ut patet ex actis Conciliorum. Metropolitanus fuit, & sub se aliquot episcopos habuit, quorum nomine in Chalcedonẽsi synodo subscribit. fuerunt autem hi: Helladius Thyatyrę episcop⁹, Paul⁹ Gamansę, Anxianõ Prepenissę, Otrei⁹ Cynnabarij, Auxianon Bysenorũ, Iacob Primessæ insulæ, Basilius Orei.

NVNECHIVS.

Laodiceę metropolis Phrygię Pacatianę Trimitariæ episcopus, celebris est ex Synodis duabus: Ephesina Prædatoria dicta, cui interfuit, & Eutychen receptum probauit, ueluti acta ostendũt in primo tomo Conciliorum: itẽ Chalcedonẽsi, in qua etiam pręsens fuit, & actis eiusdem subscripsit, suo & aliorũ suæ diœceseos episcoporũ absentiũ nomine, quorum ista referuntur nomina, ut Catalog⁹ subscriptionũ istius Synodi habet in primo tomo: Symmachus Antiquorum Bendos episcopus, Philetus Hierocepiẽsis, Epiphani⁹ Chologeus, Euagoras Zelissorũ, Zosimus Themisonij, Antiochus Neæ ciuitatis, Philadelphius Anthenusię, Arabius ciuitatis Simæ, Heraclius Cydissorum, Gaius Egarorum, Mathias Trimenothuritorum, Philippus Peltorum ciuitatis, Tacianus Philippopolis.

GENNADIVS.

Acmoniorum Phrygię Pacatianę ciuitatis episcopus.

THOMAS.

Theodosiopolis Pacatianę Phrygiæ ciuitatis episcopus, ex duab. Synodis suã hoc seculo memoriã relinquit, quib. interfuit: Cõstantinopolitana, quę sub Theodosio Imperatore contra Eutychen congregata fuit: & Chalcedonensi, ut huius acta ostendunt.

OLYMPIVS.

Olympius Theodosiopoleos episcop⁹ fuit. mentio eius fit in cõcilij Chalcedonensis actiõe undecima, in qua testatur de ordinatione Bassiani Ephesiorũ episcopi, quòd minus legitimè facta sit: cũ se solũ p̃sentẽ & repugnantẽ, armata multitudo in templũ abripuerit, & unà cũ Bassiano in sedẽ episcopalẽ collocauerit, ad ordinatiõis perfectionẽ. Sed mẽdacij à Bassiano redarguitur ibidẽ.

LVCIANVS.

Ipsensis, siue Ispensis Phrygiæ itidem ciuitatis episcopus.

ALBERTVS.

Hierapoleos eiusdem prouinciæ episcopus, similiter & Strategius Polydorum, item Paulus Derbæ, Chalcedone interfuerunt in magno illo Concilio, sub Marciano. testantur acta.

EVSEBIVS DORYLAEI.

Eusebius Dorylęus Cõstãtinopoli rhetorẽ qdẽ egit, sed nihilominus sacrarũ literarum insignẽ cognitionẽ habuit, ac fuit sinceræ doctrinæ studiosissimus, & corruptelis hæreticorũ infensissimus. Nestorij enim errorem primus deprehendit, & refutauit: ut Euagrius lib. 1. cap. 9. indicat: & Nicephorus lib. 14. cap. 47. Cũ Eutychete familiaritas ei aliquandiu fuit, cum iam Dorylęi Phrygiæ Salutariæ episcopus factus esset. Sed quamprimùm animaduertit eum parũ rectè sentire, monuit eum amicè & fraternè, ut ab errore discederet. Verùm ubi sensit se nihil proficere, gloriam Dei & Ecclesiæ utilitatem amicitiæ suæ prætulit: & Flauiano Constantinopolitano episcopo obtulit libellum, in quo Eutychetis errorem indicauit. Nicephorus libro & capite eodem.

Extant autem integra acta in primo Conciliorum tomo, in prima actione Chalcedonensis concilij. Eutyches, ut tertia Cõstantinopolitana actio declarat, Eusebium quidem criminatur, tantũ ex odio & deformandi sui studio se accusasse: qui cum lõgi temporis inimicitias gesserit, ac sibi magnã fieri iniuriã, ut qui expositioni fidei, quam olim Niceæ fecerint patres, & Ephesi pòst confirmata

mata sit, assentiatur. Verùm & euentus diuersum probauit. & Eusebius coràm in prima actione Constantinopolitana narrat, se quidem antea fuisse amicum Eutychi: uerùm quia animaduertisset, haud ita rectè eum in pietatis doctrina sapere, monuisse ipsum non semel atque iterum, sed sæpius, nec se quicquam profeciisse: idque se posse ostendere multis testibus, qui & præsentes fuerint, & simul audierint. Præbet Eusebio ueritatis testimonium etiam Liberatus in suo Breuiario, undecimo capite scribens, quòd fuerit orthodoxus Eusebius, & amicus prius Eutychi: ubi uerò docentem & prædicantem audiuisset de Christo, quòd neutiquam nobis secundum carnem esset consubstantialis, sed corpus suum è cœlo haberet: item ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post uerò adunationem unam factam esse, prohibuerit ipsum talia & per se sapere, & publicè docendo tradere. Sed Eutychen pertinaciter amici admonitiones repudiasse. Ibi eum in Synodo, quæ tum fortè alia ob negocia conuenerat Constantinopoli, retulisse ad Patres, & maximè ad præsidem synodi Flauianum Constantinopolitanum totam causam scripto: adiurasseque Patres, ut ipsum Eutychen citarent, eum se coràm ac publicè hæreseos conuicturum. In præambulis actionum Constantinopolitanorum disertè narratur, quòd Eusebius iste unus fuerit ex ijs qui ei Synodo interfuerint, & ex ipso confessu exurrexerit Eutychen accusaturus. Istud autem accusatorum scriptum, extat in prima actione Constantinopolitanæ istius synodi. Patres synodi Constantinopolitanæ Eutychen uocatum, & semel, iterum ac tertiò uenire detrectantem, quartò demum sistunt. Cum eo autem Eusebius congressus, palàm ex ipsius ore & confessione probat, quòd impiè de Christo sentiat. ob quod à Synodo Eutyches damnatur, ut patet ex septima actione Constantinopolitanæ synodi. Ferebat eam rem indignè Dioscorus Alexandriæ episcopus, Eutychetis summus patronus. Quare Chrysaphium Theodosij cubicularium contra Eusebium inflammat, eiusque præsidio synodum Ephesinam Prædatoriam postea dictam congregat. In ea autem crimine ficto, quasi Eusebius cum Flauiano fidem Nicenam corruperit, addendo & demendo quæ uoluisset, & confimarit Nestorianos, & occasionem præbuerit paganis & Iudæis irridendæ religionis Christianæ, non modò damnant eum, sed etiam ab officio remouent: ut patet ex Euagrio libro primo, capite decimo: & Nicephori libro decimoquarto, capite quadragesimoseptimo: & indicant singulorum patrum eius Conciliabuli sententiæ, quas in decernendo pronunciarunt. Recitantur autem ad finem primæ actionis Chalcedonensis concilij. atque hoc nomine etiam optimo Imperatori Theodosio impositum est, ut & ipse etiam proposito edicto damnationem ratificaret: cuius edicti exemplum est tertiæ actioni Chalcedonensis concilij insertum. Liberatus duodecimo sui Breuiarij capite meminit ideo damnatum, quòd dixerit esse duarum naturarum perfectarum Christum.

Iam uerò hoc modo innocentia pentus conculcata uidebatur, & quidem sub honesta pietatis specie. Verùm à Deo omnis iniusticiæ uindice paulo pòst iterum in sublime emersit, & pristinam dignitatem recuperauit, ac commenticio pietatis fuco detracto, uiolentia & iniusticia apparuit. Nam mortuo Theodosio Eusebius Marcianum Imperatorem excitat ad indicendam Oecumenicam synodum Chalcedonensem, in qua & sua & aliorum multorum causa denuò in iudicium reuocata dijudicetur: ut patet ex secundo secundi libri capite apud Euagrium. Nec erat iritus ipsius conatus. colligitur enim Synodus, & actoris partes unus & solus ipse sustinet, & omnes uires atque neruos intendit, eumque accusat, quòd per ipsum fides Christiana multis modis sit labefactata & deprauata. Flauianus pientissimus Cõstantinopolitanę ecclesię episcopus non tantum præter æquum & ius à sua gubernatione remotus, sed indignissimè tractatus, ac miserrimè tandem etiam peremptus: denique quòd & ipse sit iniustè ejectus è sua Ecclesia, sicuti duo eius scripta testantur, unum ad Imperatores Valentinianum & Marcianum, cuius exemplum extat tum in Euagrij libro eodem, capite quarto: tum ab initio primæ actionis Chalcedonensis concilij, in primo tomo Conciliorum Coloniæ editorum: alterum ad Patres, qui ex Imperatorum iussu Chalcedonem conuenerant, cuius exemplum est initio tertiæ sessionis illius Concilij in eodem tomo. Quibus scriptis utriusque supplicat tam Imperatoribus quàm Synodo, ut & fidei contra Dioscori corruptelas, & sui contra uiolentas iniurias eiusdem patrocinium suscipere uelint, &c. Et tantum quidem effecit, ut quæcunque Ephesi gesta essent abrogarentur, & ne nomine quidem Synodi digna conferentur: & ipse quidem Eusebius cum aliijs sibi coniunctis absolueretur à damnatione,

tione, ab uniuerso & omnium maximè lau-
datissimo illo Concilio: contrà uerò Dio-
scorus, & quotquot cum ipso sentiebant,
eandem pœnam inciderent, quam alijs ir-
rogauerant: Eusebius cum suis restituere-
tur in pristinum statum, Dioscorus uerò
cum suis manipularibus ab eodem deijce-
rentur ac condemnarentur: ut acta Syno-
di prolixius explicant, præsertim quartæ
sessionis in primo tomo. Euagrius ibi-
dem, & ultimo præterea eiusdem libri ca-
pite: Nicephorus item libro decimoquin-
to, capite secundo, & peculari tractatu ad
finem eiusdem libri. Insuper quemadmo-
dum Theodosius Imperator Eusebij huius,
& reliquorum qui cum ipso Ephesi fuerant
damnati, damnationem edito scripto pu-
blicauerat: ita uicissim Marcianus cum suo
collega Valentiniano Imperatore alio pu-
blico edicto priori contrario eiusdem resti-
tutionem denunciant, innocentiæque eius
testimonium perhibent. Habetur illud e-
dictum sub finem tertiæ actionis eius Con-
cilij. Quin & ipsa synodus prolixo scripto
ad pontificem Romanum Leonem, inter
alia eius quoque innocentiæ patrocinatur.
habetur & illud sub eadem actione. Ip-
se quoque Leo satis eius innocentiæ
patrocinatur, dum eum fidei causa multa
discrimina & labores toleraſse dicit: imò
& receptum ei præbuisse uidetur, interea
temporis dum sua Ecclesia eiectus fuit, &
ipso absente defendendo eius Ecclesiæ cu-
ram seriò iniungit Anatolio Constantino-
politano, epistola ad ipsum, quę est numero
quadragesima. Simile quid animaduerti
potest etiam ex epistola præcedente, ad Pul
cheriam.

SYLVANVS.

Syluanus Cheratapensis, seu uerius Hie-
rocepiensis Phrygiæ episcopus, primæ E-
phesinæ synodo interfuit, inde eius reliqua
memoria. Acta in primo tomo Conci-
liorum.

HELIAS.

Helias Blæandri magnæ Phrygiæ episco-
pus, Chalcedone in cõcilio interfuit. Testis
Catalogus.

SYLVANVS TROADIS Phrygiæ.

Syluanus primùm præceptore Troilo so-
phista artem oratoriam didicit, & postea
omne studium transtulit ad Christianis-
mum. Monasticam autem consectans ui-
tam, pallium eius ordinis insigne non tu-
lit. Cum autem Constantinopoli uiue-
ret coniunctissimus Attico, eius loci episco-
po, creatus est ab eodem episcopus Eccleſię
quę erat Philippopoli. In eius gubernatione
cum exegisset annos tres, nec hybernos i-
stius loci rigores bene ferre posset, propter
corpusculi, quod gracile admodum ipsi e-
rat, imbecillitates, rogauit Atticum, ut di-
scessione sibi concessa, alium in locum su-
um substitueret. Alio autem surrogato,
redijt ipse Constantinopolim, ubi aliquan-
diu in summa rerum inopia uixit: ita sanè,
ut in frequentissima urbe sparteis sandalijs
obambulare non erubesceret. Mortuo Tro-
adis episcopo, cum eius Ecclesiæ ciues a-
pud Atticum adessent, alium sibi pastorem
petentes, casu uisendi eius gratia aduenit
Syluanus. quo conspecto, statim ad illum
conuersus inquit: Omnis deinceps tibi ô
Syluane defugiendæ ecclesiasticæ functio-
nis præcisa est occasio. multus enim Troa-
de calor est, opportunusque ualde & com-
modus locus, imò ab ipso Deo tibi paratus.
Proinde facessat omnis excusatio: nec mo-
rare diutius, sed ptotinus ad iter accingere,
& eius Ecclesiæ gubernationem capesse.
Atque hoc pacto demandata sibi illa Eccle-
sia, pastor est declaratus: ut Socrates libro
septimo, capite trigesimoseptimo commemorat: & Nicephorus libro decimoquarto,
capite trigesimonono. qui de eo hoc addit,
quòd constituerit, ne quis ex clericis qui
sub ipso erãt, ullam in posterum causam iu-
dicandam sibi sumerent. Viderat enim il-
los quasi nundinationem quandam exercere, ex nugis & causis eorum qui in iudicio
contendebant. Causarum autem iudiciũ
reiecit ad aliquem ex ordine Laicorum,
quem iusti & æqui amantem arbitrabatur,
qui supplicantium libellos acciperet, &
inter partes cognosceret. Adscribit huic
idem author, ut est ipse quoque eiusmodi
nugarum mirè curiosus, etiam miraculum:
quemadmodum aliquando nauem one-
rariam ingentem, quæ immobilis steterit
dæmonis cuiusdam pręstigijs, precibus suis
tantum promouerit, &c. Meminit & Ni-
cephorus libro decimoquarto, capite tri-
gesimonono.

DALMATIVS.

Dalmatius uir pietate uerendus, & mo-
nachorum institutis exercitatus, ab Eccle-
sia Cyzicæna legitur episcopus: cum Con-
stantinopolitanus antistes (sub cuius diœce
sin ea ecclesia pertinebat) alium ei designas-
set Proclum nomine, Theodosio iuniore
imperij habenas adhuc moderante: Socra-
tes libro septimo, capite uicesimooctauo:
Nicephorus libro decimoquarto, capite
uicesimonono. Videtur hic Ephesinę sy-
nodo magnæ contra Nestorium coactę non
modò interfuisse, sed etiam in schismate ibi
oborto à partibus Cyrilli stetisse: & unus
præterea legatorum fuisse, quos factio Cy-
rilli ad Imperatores Constantinopolim ab-
legauit

legauit contra aduersam partem questus: ut in primo Conciliorum tomo in fine synodi Ephesinę scriptū quoddā adiunctū prodit.

DIOGENES.

Diogenes Cyzicenę ecclesię episcopus: Euagrius cap. ultimo, libri secundi. interfuit Prædatorię synodo Ephesinę, & disertè pronunciauit Eutychen restituendum. In Chalcedonensi tum suo, tum aliorum episcoporum suæ dicœceseos nomine subscripsit: ut patet ex actis.

De alijs episcopis in ecclesia Cyzicena.

Alexander Oceæ ciuitatis episcopus, Gemellus Melitopolis, Eustorgius Scepsiæ, Eutychianus Barensis, Acacius Proconesi⁹, Timotheus Germæ: sex hi episcopi in Chalcedonensi synodo ipsi presentes non fuerūt, sed per suum metropolitanum Diogenem Cyzicenum subscripserunt: ut patet ex sexta actione eiusdem Concilij.

BASILISCVS.

Basiliscus filius Harmatij, ut Nicephorus, siue Armati, ut Euagri⁹ nominat, cōsobrini Basiliscī eius qui Zenoni imperium eripuerat. Quem Armatium cum Basiliscus ille tyrannus ducem cum copijs misisset aduersus Zenonem Imperatorem, Imperium recuperare conantem, Zenō ipsum à Basiliscō abalienauit, & in suas partes pertraxit, donis & pollicitationibus: quòd hunc, de quo nobis instituta est narratio, Basiliscū filius eius Cęsarem uellet creare: quod etiam recuperato Imperio fecit. Sed paulo pòst sublato duce Armato (quòd nō magis sibi quàm Basiliscō consanguineo fidem seruaturū arbitraretur) hunc Cæsarea dignitate exutum, sacerdotij munus suscipere coegit: atq; ita ad Ecclesiæ Cyzicenæ gubernationem ille peruenit.

EVSTATHIVS,
seu Eustochius.

Eustathius, seu Eustochi⁹, Docimei Phrygię episcopus, in synodo Cōstātinopolitana ueram doctrinā de Christo contra Eutychē & Nestorium asseruit. Idem postea in Chalcedonensi fecit, ut patet ex actis.

BITHYNIAE EPISCOPI.

CYRINVS.

CYrin⁹ sub Arcadio Chalcedonēsis ecclesiæ episcopus fuit, & quidē primis eius imperij ānis, natione Ægyptius, patria Alexādrinus, ut ex Socratis lib. sexto, cap. 15. & Sozomeni libro 8, cap. 16 patet. Inimicissimus Ioāni Chrysostomo. Quapropter cū aduersum Chrysostomū ad synodū profecturi, Chalcedone apud ipsum prius de rebus cōsulturi cōuenissent pleriq; episcopi, qui hostili erga ipsum erāt animo, in quib. uel primas tenuit Theophilus Alexandrinus, prodijt in mediū hic Cyrinus, & multa acerbè in Ioannē absentē est locutus, superbū, arroganté & intractabilē appellans, hocq; faciebat partim priuato odio, partim ut Theophilo gratificaretur ob cōmunem patriā. Verùm nō impunè hoc habuit. Vn⁹ enim exillo cœtu Maruthas nomine, Mesopotamię episcopus, non uolens quidē, sed tamē casu, ipsius calcando lęsit pedē alterū, leuiter sanè in specié: uerùm in tantā malū illud paulatim fecrescendo excreuit corruptionē, ut nō illū pedē tantū, sed & alterū secandū præbere coactus fuerit: nec tamē etiā resectis ambobus pedibus mitius habere potuit, nisi lues illa totū corpus depascēdo, lento quasi igne eū tandē cōsumeret. Sozomenus lib. 8. cap. 22: Nicephorus lib. 13. cap. 14. Qui de ipso hoc subiūgit, quòd contumelijs suis in Chrysostomū acceptam tulerit hanc pœnam.

EVLALIVS.

Chalcedonēsis fuit episcopus, tēpore illo quo Cōstantinopoli cōgregatę synodi sententia dānat⁹ est Eutyches, testātur hoc eius synodi acta, in quibus ipse quoq; Eulalius numeratur inter eos qui in Eutychis damnationē sententiā dixerūt: In 1 tomo Cōciliorū, in prima actione Chalcedonensis concilij.

ELEVTHERIVS.

Eleutherius Chalcedonēsis ecclesiæ fuit antistes illo tēpore, quo in eadē urbe frequentissima celebrata est Synodus, authoritate Romani Imperatoris Marciani, ob Eutychetis hæresin. patet id ex actis eiusdē Concilij.

PANSOPHIVS.

Pansophium Nicomediensium ecclesiæ uel inuitę pastorem obtrusit Ioannes Chrysostomus prouincialis superintendens, ejecto Gerontio: quem ob doctrinā & alias uirtutes, præsertim in pauperes munificentiā, magno fauore prosequebantur, & ualde difficulter à se dimittebant. Fuerat aūt Pansophius coniugis Imperatoris pædagogus, uir doctrina & pietate præstans, ac moribus placidissimis, nec tamen Nicomediensibus gratus: uerùm authoritatem Chrysostomi reueriti, accipiunt illum quidem, sed præter sui animi sententiam: & tolerant, sed cum metu & odio, ut inquit Sozomenus libro octauo, capite sexto. Eadē recitat Nicephorus libro tredecimo, capite nono.

HIMERIVS.

Nicomedienſis metropolis ecclesiæ episcopus fuit etiam Himerius, tēpore synodi Ephesinæ primę: cui etiam interfuit comitatus primatem, metropolitanū Antiochenū Ioannem. Liberatus sexto capite sui Breuiarij. à cuius etiam partibus stetit in dissidio ibidem exorto. Cumq; eo & sua factione Cyrillum & Memnona, hunc Ephesinum, illū Alexandrinum episcopos damnauit. Et postea etiā inter legatos fuit, qui à suis Cōstātinopolim missi fuerūt ad Imperatorē Theodosium

dosium ostẽdit hoc mandatum, quod cæteri ipsorum complices legatis dederunt: cuius exẽplum refertur in primo tomo Concilio-rum, post istius synodi acta.

EVNOMIVS.

Eunomius Nicomediensis episcopus litigauit cũ Anastasio Niceno episcopo, de iure metropolitani. nã Anastasius ad Imperatores Valentinianum & Marcianum scripto eum accusauerat, quòd sibi parochias eripuerit, & quòd multa præterea alia fecerit, quę minimè fas sit aut consuetudo facere Nicomedien sem episcopũ. & petierat contra Eunomium, iura sua secundum antiquas regulas examinari. eius accusationis exemplum extat in decimatertia actione Chalcedonẽsi. Cum autem lis illa ad concilium Chalcedonense esset relata, patres Eunomio iura metropolitana super uniuersam prouinciã Bithyniam tradiderunt. Ephesinæ synodo, illi parum laudatæ, non quidẽ interfuit præsens, sed nihilominus tamẽ ut omnes reliq iniustitiæ suffragiũ tulit in restitutione Eutychis, & dãnatione Flauiani Constantinopoli, & Eusebij Dorylęi episcoporũ, p presbyterũ suũ Aristionẽ, qui ipsius ibi locum tenuit: sicut ex actis concilij Chalcedonẽsis liquet. Interfuit etiã synodo Cõstantinopolitanæ, ut constat ex epistola eius synodi.

ANASTASIVS NICENVS.

Anastasius Nicenus episcopus, ex Chalcedonẽsi cõcilio celebris est. Fuerat enim accusatus ab Eunomio Nicomediẽsi, quòd iura ac priuilegia Nicomediẽsis ecclesię ipse subuerteret, inuadendo ac usurpãdo ea quę sui essent iuris, nominatimq; quod excõmunicasset clericos ecclesiæ Basilinopoleos, quã Nicomediensis suę diœceseos esse uolebat. Verum Anastasius iste utrũq; negat, tũ quòd ecclesię Eunomij ministros excõmunicarit, tũquòd ius aliquod ipsi cedat Basilinopolis: & utriusq; rei probationẽ ei imponit. Etenim uterq; sibi metropolitanum ius totius prouincię Bithynię uendicabat. Quo pacto autem ea inter ipsos dijudicata sit cõtrouersia, suo loco recitatur ex decimatertia actione Chalcedonensis concilij.

PETRVS.

Petrus Niceę metropolitanus fuit, & ipse unus ex numero eorũ q Cõstãtinopolitanæ synodo sub Gẽnadio, eius Ecclesiæ summo episcopo celebratę subscripserũt: ueluti hoc ex epistola eius synodi est manifestum.

STRATEGNIS.

Strategnis & Eusebi⁹ Heracleę Honoriadis prouincię episcopi, Ephesino 1 cõtra Nesto rium cõcilio interfuere. Ostendunt Catalogi eius synodi in primo tomo.

THEODORVS.

Heracleæ Ponti episcopus, Chalcedonẽsi interfuit cõcilio: testãtur acta in 1 Tomo.

THEMISTIVS.

Amastridis eiusdẽ prouincię episcopus, in eodẽ Chalcedonẽsi cõcilio suũ locũ cõmendauit suo presbytero Philotimo, ipse absens. Eadem acta.

PAVLVS *Apolloniadis.*

Prouinciæ Bithyniæ episcopus nominatur: & inter iudices eos recẽsetur etiam ipse, qui Cõstãtinopoli in synodo cõtra Eutychẽ habita, eundẽ Eutychẽ hæreseos reum iudicarunt & dãnarunt. in actis eius Synodi, ex Chalcedonẽsi concilio primo tomo.

FAVSTVS.

Faustus Apolloniadę episcopus, eo tẽporẽ Ecclesiæ gubernator fuit, quo Antiochenus antistes Petrus Gnaphęus nouarũ opinionũ zizania in agrũ Domini disseminabat: quæ etiã ipse, ut alij multi, pro sua uirili in ipsa ad huc herba, & priusquã altius radices agerẽt, euellere studebat: ut testatur epist. ipsi⁹ in sẽcũdo Conciliorũ tomo, sub quinta Cõstantinopolitana synodo, scripta ad ipsum Petrũ Gnaphęũ: in qua etiã ipse ut cæteri hoc solũ agit, ut ei ob oculos ponat, quib. cũ hęreticis participet, si hymno dicto Trisagio adijciat clausulã, Qui crucifixus es pro nobis. monetq;, ut ab incepto desistat: ac obiter suam quoq; sententiã explicat de trib. diuinitatis personis, & Christi incarnatione. ueluti hæc satis lõga periodus indicat: Et ppter hoc enim plurimis deliramẽtis iaculata est ab infidelib. fides orthodoxa sexcentorũ triginta Patrũ in Chalcedone, quoniã dixerũt duas naturas esse in Christo: unã passibilẽ, mortalẽ, uisibilẽ & tractabilẽ, quæ est caro nostra: & unã impassibilẽ, immortalẽ, inuisibiiẽ, intractabilẽ, quę est Dei inuiolabilis natura. utrũq; ergo in Christo oportet nos confiteri, quorũ unioni nõ des distantiã: neq; scindas Deũ à carne, & nõ uocitaberis Nestorianus: neq; discretionẽ Christi naturarũ negabis, & nõ suspicaberis esse Eutychianista: & nõ cõfundas Deũ passionib. carnis, & non dicẽris Apollinarista: neq; impassibili & immortali superbè addas Christũ crucifixũ, & non asseueres quadrifactũ Deum, & nõ eris habitus Manichæ⁹. Neq; in Trisagio post Deũ patrẽ, & fortem ipsius filiũ, & immortalẽ spiritum Christũ crucifixũ, & nõ habebis Samosateni hæresin. Et nõ redarguaris quaternitatẽ sapiens, non Trinitatem: neq; Trinitatem in Christũ induplices, ipsum patrem & filiũ & spiritũ S. dicẽs, & non subibis Sabellij pœnã.

HELLESPONTI.

PAMPHILVS.

PAmphilus Abydarũ episcopus fuit, & uixit tempore Zenonis & Acacij Cõstãtinopolitani. Extat eius epist. in secundo tomo Cõciliorũ ad Petrũ Gnaphęum. Acriter

sese opposuit nouo errori à Gnapheo sparso, ut patet ex ea epist. Nam aliquoties eum monuit per literas de suo errore: & tãdem ei ominatur, quòd nisi rectè cõfiteatur patrem, filiũ & spiritũ sanctũ, nec deinceps ipsis uel addat uel adimat quicquam, fore ut ipsum communione priuet, licet sit ipse ministerij gradu inferior illo.

PALLADIVS.

Palladius Amasij, seu Amasiæ Hellespõti metropolis episcopus, Ephesinę synodo primæ cõtra Nestoriũ interfuit. ostendunt eius acta in primo tomo Conciliorum.

SELEVCTIS.

Eiusdẽ ecclesiæ episcopus, Palladij fortè successor, à trib. synodis quib. interfuit commendatus: Cõstãtinopolitana, in qua iudicans & subscribẽs Eutychẽ cũ cęteris dãnat: Ephesina secũda & infami, in qua cõtra priorẽ suã censurã eundẽ Eutychẽ, ut & multi alij, iustificat: tertia Chalcedonensi. Patent ista ex eiusdem Concilij actis, præsertim primæ sessionis primo tomo.

PALLADIVS.

Andraponẽsis Hellespõti episcopus fuit, cũ Ephesi primũ illud uniuersale celebratũ est cõciliũ cõtra Nestoriũ, cui etiã interfuit.

PARALIVS.

Andrapæ eiusdẽ ecclesiæ episcopus fuit, quãdo Chalcedone conciliũ illud institutũ fuit: eidemq; nõ quidem ipsemet interfuit, sed suo loco eò ablegauit Eucharium diaconum. testantur Acta.

ETIVS.

Peonienſis episcopus, Ephesi in prima synodo præsens fuit, & subscripsit. Acta.

EVLALIVS.

Eiusdem ciuitatis, Pioniæ scilicet, episcopus: Chalcedonẽsis cõcilij tẽpore fuit, & eidẽ interfuit. Indicãt acta eiusdẽ in 1. Tomo.

TIMOTHEVS.

Thermẽsis Hellespõti episcopus, Ephesinæ primæ synodo interfuit, & à partib. Cyrilli stetit, cũ eoq; in Nestorij dãnationẽ subscripsit. Fuit etiã unus ex illis qui in ea synodo ablegati sunt ad uocandũ Ioannẽ Antiochenũ, & suos gregales, ad reddẽdã rationẽ depositionis Cyrilli & Memnonis: ut refert Liberatus sexto capite sui Breuiarij, in secundo Conciliorum tomo.

PIONIVS.

Troadæ Hellesponti ciuitatis episcopus, Cõstantinopoli primùm in Eutychis dãnationẽ ad fuit, & cõtra eundẽ cũ cęteris sententiam tulit. postea etiã in illo Chalcedonensi cõcilio prẽsens adfuit. Vtrũq; ex actis Chalcedonensis concilij, ut in primo tomo Conciliorum referuntur, constat.

PETRVS Dardani, Thalassius Parij, Dauid Andrianę siue Adrianæ, seu etiã Anderę: Stephanus Primnesiæ, Theosebius Ilij, Hermias Abydi, Daniel Lampsaci, Patricius Adramytiorũ, eiusdem prouinciæ Hellesponti episcopi. omnes in Chalcedonẽsis concilij catalogo numerantur, quòd eidem interfuerint, in primo Tomo.

GALATIAE EPISCOPI.

LEONTIVS.

ANcyræ Galatiæ episcopus fuit Leontius quidam, tẽporibus Imperatorũ Arcadij & Honorij. Theodoretus lib. quinto, capite uicesimoseptimo. Nouatianis Ecclesiã abstulisse, cõmemorat Socrates libro sexto, capite uicesimosecũdo. Et propterea adijsse ad ipsum Cõstantinopoli agentem, Sisinium ibidem Nouatianæ sectæ episcopum, & orasse ut ecclesiã reddere suæ sectæ hominib. dignaretur. ibi tum acrius ab isto Leontio acceptum Sisinniũ, quòd uidelicet insignes essent Nouatiani cõuentibus ecclesiasticis, ut qui pœnitentiã & clementiã Dei è medio tollerent. Respondisse uerò Sisinnium, neminem omnium esse quem magis pœniteat, quàm sese. Quærente Leõtio, Quo pacto? mox intulisse Sisinnium: Ita nimirũ, quòd te aspicio. Sozomenus libro primo, capite uicesimo, dicit eum ad synodum Constantinopolitanam, in qua denuò ejectus est Chrysostomus, unà cum alijs nonnullis episcopis aduenisse.

THEODOTVS.

Theodotus episcopus Ancyranus, ex Ephesina prima synodo contra Nestoriũ cõacta celebris est, quòd eidẽ interfuit. Euagrius libro primo, capite quarto, Fuit haud dubiè Leontij successor. Eum Gennadius in Catalogo suo, si modò literatura nõ est deprauata, Theodorum uocat: aitq; ipsum adhuc Ephesi positũ, conscripsisse librũ Refutationis aduersus Nestorium, dialectica quidem arte dispositũ, sanctarũ aũt Scripturarum autoritate contextũ: atq; usum multis argumentationib. priusquam Scripturarũ testimonijs uteretur. Est & inter legatos illos, qui in Synodi istius disidio à parte Cyrilli Alexandrini missi sunt ad Imperatorem Constantinopolim: ut apparet ex mandato legatis dato in fine istius Cõcilij, in primo tomo Conciliorum.

EVSEBIVS ANCYRANVS.

Eusebius Ancyræ Galatiæ primæ episcopus, interfuit prophanæ Ephesinæ synodo Prædatoriæ dictæ, & cum reliquis Eutychẽ restituendum statuit, sicuti ex actis Calcedonensibus patet. Videtur & Constantinopoli contra Eutychen coactæ synodo interfuisse, ex eiusdẽ actis. Ac eũ in Chalcedonẽsi concilio fuisse, constat nõ tam ex Catalogo quàm ex eiusdem Concilij decimasexta sessione

sione:in qua ipse diserte meminit,se Cõstan tinopoli à Proclo eius Ecclesię antistite ordi natũ.Cumq; inter episcopos propter ordina tiones metropolitarum & episcoporum cõ tentiones essent,cõmemorat ipse, nõ ambire se eum honorem ordinãdi alios episcopos. idq;se reipsa iam antè cõprobasse,cũ ius hoc sibi delatũ ultrò à Gãgrena ciuitate repudi asset. Acorat præterea reliquos episcopos, ne ob ius ordinationis ciuitates inter se sol- ui uelint. Quod planè sit futurum,si uocati ad gubernationem Ecclesiarũ,nõ in illis ip sis locis solenni ritu ornẽtur,quib.præficien di sint,& à quib.sint electi.probatq; hoc suo exemplo,quòd parũ fausti sibi fuerit, quòd Constantinopoli sit ordinatus.

ANASTASIVS.

Anastasius Ancyræ episcopus, uixit sub Leone primo Imperatore,& Cõstãtinopoli- tanæ synodo à Gẽnadio celebratæ interfuit: ut patet ex subscriptione epistolæ missæ ad Romanum episcopum, & alios metropoli- tanos totius orbis.

MELIPHTHONGVS.

Huius Meliphthõgi Iuliopoleos episco- pi,ex trib.Synodis uiget apud posteros me- moria.Primũ enim adfuit Cõstãtinopoli, ac simul cũ alijs,quos Flauianus eius loci pri- mas inter Ecclesiasticos cõuocauerat, Euty- chen monasterij cuiusdã in ea urbe præsidẽ hæreseos dãnauit.Vocatur ibidẽ etiã in testẽ ab Eusebio Dorylęo Eutychetis accusatore, aduersum Eutychẽ.ac extat eius in istius sy- nodi gestis hæc sententia de dogmate, ob quod istius temporis Ecclesiæ horribiliter tumultuabãtur,de Christi persona, & natu- rarũ in eadem diuersarũ unione, secundum diuinum Apostolũ:Si angelus de cœlo, &c. Ioannes Dei amãtissimus episcopus ciuita- tis Hyrcaniorũ dixit; Nuper lectis, & pridẽ expositis à sanctis patrib. in Nicea cõgrega- tis,& orthodoxè prędicatis à sanctis episco- pis, cõsentio & acquiesco. Aliter autẽ sapi- entẽ.sicut insipientem auersor,& alienum iudico à uia recta, per gratiã Christi, cũ om- nib.patrib.stabilitus. Eusebius episcopus Dorylei dixit: Quoniã quidã uenerandissi- morũ episcoporũ in hac regia urbe degẽtiũ, quòd aut propter infirmitatẽ, aut ignorãtes ad cõuocationẽ sanctę synodi nõ conuene- rũt, peto absentes p reuerẽdissimũ presby- terũ & notariũ Asteriũ,& per religiosissimos diaconos & notarios cõmoneri, quatenus & ipsi agnoscẽtes quæ acta sunt, suã manife- stã faciat uoluntatẽ. Sanctissimus Flauianus archiepiscopus dixit:Reuerẽdissimi notarij, absentes Deo amãtissimos episcopos com- monefaciant,prælegentes eis quæ acta sunt, quatenus unusquisque propriam uoluntā- tem exponat. Rursum adfuit etiam in con- ciliabulo Ephesino,ubi ut pleriq; omnes, in Eutychis restitutionẽ & Flauiani damnatio- nẽ consentire cogitur. Interfuit & Chal- cedonẽsi illi laudatissimo concilio, sub Im- peratore Marciano,in quo si quid antea E- phesi non edendo liberam confessionis uo- cem deliquit, correxit, & suam cũ reliquo- rum numerosissimi cœtus consensu senten- tiam in omnibus coniunxit: ut patet ex a- ctione prima Chalcedonensis concilij,cui re liquarum synodorum gesta sunt inserta.

EVSEBIVS.

Eusebius Asponensis Galatiæ episcopatũ gesit,tempore Ephesini primi Concilij, cõ- tra Nestorium,cui etiam interfuit, ut habẽt eiusdem acta.

PETRVS.

Gangrę metropolis secundę Galatiæ epi- scopus,tempore Procli Cõstantinopolitani archipræsulis ad Ecclesiæ gubernationem uocatus est, & ab eodem etiam ordinatus: ut patet ex decimasexta actione Chalcedo- nensis concilij.Ephesinæ infami & Chalce- donensi percelebri synodis interfuit: testan- tur acta.

CALOGERVS.

Claudiopolis,metropolis Ponticę Hono riadis,ex duabus synodis equidem hoc se- culo notus est,ita tamẽ ut neutri interfuerit, sed in uttoq; habuerit qui partes ipsius ege- rint.in Ephesina proprium presbyterum O- lympium:Chalcedonensi uerò,Tij ciuitatis episcopum.Acta.

APRAGMONIVS Tij episcopus,Chal- cedone in concilio & pro se & pro Calloge- ro illo adfuit.ostendunt acta.

THEOCTISTVS.

Pessinuntis metropolis Ponti Galatię tẽ- pore duarum synodorum hoc seculo cele- bratarum uixit:Ephesinæ infamis, cui licet ob infirmitatem non interfuerit, attamen a- ctis eiusdem subscripsit per Cyriacum Tra- gmadensem,& Chalcedonensis,cui prẽsens ipse interfuit,ut Acta docent.

CAPPADOCIAE EPISCOPI.

FIRMVS.

Cæsareæ Cappadocum episcopus fuit tempore Ephesinæ synodi primę con- tra Nestorium collectæ,rerum Imperij poti- ente Imperatore Theodosio posteriore.nã ei nõ modò interfuit, sed & cõsentiens sub- scripsit expositioni Niceni symboli, à Cyril- lo Alexandrino factæ. narratur in prima a- ctione Chalcedonensis concilij, in primo Conciliorum tomo.

THALASSIVS.

Firmo seu Philino episcopo mortuo,cum Cæsareenses Cõstantinopolim ueniissent a- lium suæ Ecclesiæ pastorem petentes: ac

quem nam potisimùm ei populo præficeret, secum consilia agitaret Proclus Constantinopoleos superattendens: accidit cõmodùm, ut pleriq; omnes senatores uisendi gratia ad ipsum cõuenirent: quorum in numero erat & hic Thalassius, urbiũ quæ in Illyrico, præfecturam gerens. qui mox etiã in Orientem profecturus fuerat, cõmissum sibi ab Imperatore munus administraturus. In hũc subitò manus iniecit, eumq; præter non modò cæterorũ omniũ opinionẽ, sed & contra suam ipsius Thalassij animi sententiã, & nihil minus unquam expectantem, Cæsariensium episcopum decernit. Quod quidẽ tam subitum & inopinatũ Procli factum, tametsi etiam præter Imperatoris uoluntatem contigisset, ac ipse id satis ægrè ferret, comprobauit tamen postmodum sua sanctione. Thalassius autem cõmissum munus suscepit, & cũ pietate & fructu suorũ administrauit: ut refert Socrates lib. 7, cap. 48: & Nicephorus lib. 14, cap. 42. Nec ipsi postmodũ defuisse curam cõseruandæ & propagandæ rectæ doctrinæ, Imperatoris Theodosij testimonio quodámodo liquet, qui ipsum nominat feruentem amatorem & æmulatorẽ orthodoxæ fidei, in epistola ad Dioscorum: quę extat in prima actione Chalcedonensis concilij, in primo tomo Conciliorũ Colonienſi. Hic in synodo Constantinopolitana contra Eutychen instituta interfuit, ut apparet ex actionibus eiusdem synodi, quę in actis Chalcedonensis concilij repetuntur. & in Ephesina altera Prædatoria dicta, cum Dioscoro & alijs præsedisse, & Eutychen restituendum in integrum, cum cæteris definijsse, narratur in actis synodi Chalcedonensis. Et quòd in ea synodo iniquè iudicasset, multosque præter omnem culpam ab officijs & ministerijs Ecclesiarum reiecisset: propterea illi talionis pœna in Chalcedonensi synodo, sicut & alijs est illata: ut ex Euagrio libro secũdo, capite quarto constat: & ex actis Chalcedonensis synodi, quæ peculiari tractatu extant apud Nicephorum: & Conciliorum 1. tomo. Sed cum delictũ agnouisset, & ueniam petijsset, restitutus est in integrum.

THEODOSIVS.

Nazianzi episcopus. huius quoq; in eodẽ Catalogo recitatur nomen, ut qui & ipse interfuerit Chalcedone.

DANIEL.

Colonensis Cappadociæ secundę episcopus fuit tum, quum Ephesi primum uniuersale celebratum est Concilium contra Nestorium, ubi etiam præsens adfuit, ut habet Catalogus. Liberatus in suo Breuiario sexto capite meminit, hunc à parte Cyrilli Alexandrini archiepiscopi stetisse, in dissidio inter patres ibidem cum alijs oborto: missumq; fuisse à sua factiõe ad uocandũ Antiochenũ archipręsulẽ Ioannẽ, istius dissidij authorem: ad reddendam rationem, quare Cyrillum & Memnona deposuisset.

ARISTOMACHVS.

Eiusdem ecclesiæ, Golonæ scilicet, episcopus fuit, quando Chalcedone magnum illud celebratum est Concilium: cui etiam interfuit. Catalogus testis.

PATRICIVS.

Tyanorum secundæ Cappadociæ episcopus, ex aliquot huius seculi synodis celebris est. Constantinopolitanæ sub Flauiano contra Eutychen interfuit: Ephesinæ alteri & rectæ non quidem ipse interfuit, sed suo loco legatum ibidem habuit suum presbyterũ Anthimũ: Chalcedone aũt ipse præsens adfuit. testantur eiusdem Concilij acta.

DOROTHEVS.

Neocæsareæ episcopus fuit hoc seculo, & ex aliquot synodis ipse quoq; est cognitus. Constantinopoli, cum alijs in Eutychẽ ipse etiam sententiam dixisse memoratur. Prædatoriæ synodo Ephesi, item Chalcedonẽsi, non interfuit quidem ipse per sese, habuit tamen in utraque suum locum tenentem: in illa presbyterum Longinum, in hac uerò diaconum Photinum. testantur Chalcedonẽsis concilij acta.

PATRICIVS.

Neocæsareæ ciuitatis Augustæ Euphratesiæ prouinciæ episcopus, Chalcedonensi synodo interfuisse scribitur, in Catalogo eiusdem.

ASCLEPIADES.

Trapezopolitanus, Ephesinę synodo primæ aduersum Nestorium coactæ interfuit. Ostendit subscriptionum Catalogus, in primo Tomo.

ATARBIVS.

Trapezuntis episcopus, Chalcedonensi concilio interfuisse narratur in Catalogo.

GREGORIVS.

Gregorius Ponti Polemoniaci episcopus, interfuit in concilio Ephesi sub Theodosio iuniore, contra Nestorium. testantur acta eiusdem.

IOANNES Polemonij ciuitatis episcopus, item GRATIDIANVS Cerasuntis episcopus, Chalcedonensi cõcilio interfuere. Ostendunt acta.

ARMENIAE EPISCOPI.

IOANNES THEODOSIOPOLITANVS.

Politanus.

IOannes Theodosiopolitanus episcopus, accusatis Iba & Daniele, simul & ipse reus est actus à collegis suis: ut est uidere in scripto monitorio in causa Ibæ, legato Imperatoris dato, ad Orientẽ proficiscenti: in decima actio-

ma actione Chalcedonẽsis cõcilij. Cęterùm quamobrem ipse ad dicendã causam fuerit uocatus, diserte nusquam memoratur, neq; quid cum ipso actum sit. In Antiochena synodo locum & ipse habuit, ac cum cæteris consilia iunxit. & decreta fecit in causa Sauiniani episcopi Parensis, contra æmulũ suum Athanasium, quemadmodũ 14 actio Chalcedonensis concilij testatur in 1 tomo.

EVNOMIVS.

In urbe Theodosiopoli, temporib. posteritoris Theodosij Imperatoris episcopus fuit Eunomius, celebris hoc nomine, quòd pietate sua & precib. repressérit impetum Persarum, urbem eam duce Gororane obsidentium & oppugnantium. Maximè uerò eius hoc singulare celebratur factum, quòd cum unus ex barbaricis istis regulis Rabsacis ac Sennacherib in morem furore concitatus, minacia quædam & impietatis plena temere effudisset uerba, Ne templis quidem sacris se parsurum: mox episcopus tormentũ in Dei nomine, aduersus quem blasphemus fuisset, contra illum dirigi iusserit: & confestim saxum emissum rectà in illum illatum sit, eiusq; blasphematoris os & totum caput comminuerit: & hinc incussum terrorẽ hostibus, ut obsidionem soluerint. narrat Theodoretus libro quinto, capite trigesimo septimo.

PETRVS.

Theodosiopoleos Armeniæ ciuitatis episcopus Petrus nomine, interfuit Synodo Constantinopoli, temporibus eiusdẽm Imperatoris Theodosij iunioris, & Flauiani eius ecclesiæ antistitis, in causa Eutychis hęretici: ut ostendunt eius Synodi acta, quæ Chalcedonensi inserta sunt concilio.

ACACIVS MELITINENSIS.

Acacius Melitinensis Armeniæ episcopus, successit Otreio: ut ex Nicephoro libro decimoquarto, capite trigesimo colligi potest. Et primæ Synodo, & dissidio ibidem inter Patres super Nestorij damnatione oborto, interfuit: & à partibus Cyrilli Alexandrini steterit, ut ex actis eius Synodi patet. Euthymius monachus apud Nicephorum, eum unà cum Cyrillo columen & fastigium ueræ fidei appellat. Acerrimè dimicauit contra Nestorium & alios hæreticos. De ipso scribit Liberatus in Breuiario suo, capite decimo, quòd monuerit scripto Armenios, ne Theodori Mopsuesteni libros in ipsorum linguam translatos reciperent, eo quòd essent hæretici, ac præsertim Nestorij dogmatis authores. Verùm quòd hoc non ex sincero charitatis affectu, sed æmulationis atque contentionis studio fecerit, iam tum insimulatum eum à Ciliciæ episcopis fuisse. De eodem etiam hoc commemorat, quòd parum rectè fecisse Cyrillum Alexandrinum etiam ipse existimarit, quòd Orientalium confessionem de duabus naturis susceptisset. Et propterea Cyrillum eidem scripto respondisse, cuius partẽ recitat, & rationẽ facti sui reddidisse: & Orientalib. testimoniũ perhibuisse, quod rectè sentiant.

CONSTANTINVS.

Melitenæ ciuitatis episcopus, Acacij successor fuisse uidetur. Nam in catalogo Synodi, quæ ad excutiendum Eutychis dogma primùm Constantinopoli fuerat congregata, tempore Theodosij iunioris Imperatoris, & Flauiani eiusdem urbis episcopi, inter eos qui adfuerunt, hic quoque numeratur. Postea etiam Ephesi in illo conuenticulo, quod ob eiusdem Eutychis errorem confirmatum malè audit, adfuit. Demũ & in Chalcedonensis illius magni concilij gestis nomen eius recitatur, inter illos qui præsentes fuere.

IOANNES.

Nicopolis primæ Armeniæ ciuitatis episcopus, duabus synodis, Ephesinæ Prędatoriæ & Chalcedonensi, interfuit.

IOANNES SEBASTAE.

Ioannes Sebastę ciuitatis metropolis primæ Armeniæ episcopus, primùm ex Ephesina illa infami synodo notus est, quòd eidem interfuit, ut acta eius ostendunt. Postea etiam Chalcedone sub Marciano, sanctissimum illum cõuentũ sua præsentia ornauit: Acta eiusdem.

ACACIVS.

Acacius Ariarathiæ secundæ Armeniæ ciuitatis episcopus, Constantinopolitanæ synodo, quæ ad Eutychis blasphemias reprimendas erat instituta, interfuit: & in catalogo synodi Ephesinæ Prædatoriæ, qui refertur in prima actione concilij Chalcedonensis, memoratur, eidem profanæ congregationi, in Flauiani Constantinopolitani episcopi exitium institutę, non tantum suo, sed etiam Constantini Melitenæ ecclesiæ episcopi nomine interfuisse, & dicta sententia decreuisse cum cæteris Eutychen restituendum. Et Euagrius libro secundo, capite decimosexto narrat, hunc Acacium induxisse alios, ut in ea Synodo chartæ nondum literis exaratæ subscriberent: idq; cum uiolentia factũ, militib. ipsos circumdãtib. cum armis & mortiferis telis. Interfuit etiam celeberrimæ illi cõgregationi quæ fuit Chalcedone, & etiam unus ex illis qui mittunt uocatum Dioscorum ad Synodum.

SARMATIAE EPISCOPI.

PETRVS.

PEtrus Sarmatarũ fuit episcopus, quem ad Conciliũ euntem Euthymius mona-

chus hortatus est, ut Cyrilli Alexandrini & Acacij Melitinẽsis sententiã sequeretur. Nicephorus lib. 14, cap. 34.

AVXILIAVS.

Auxiliaus siue Auxolaus Hippodion gentis Saracenorũ fœderatorũ episcopus, Ephesinæ secundæ interfuit: & in reliquorum sententiam de Eutyche restituẽdo accessit. testantur eiusdem acta.

EVSTATHIVS.

Eustathius gentis Saracenorum episcopus, Chalcedonensi concilio interfuit. Patet ex actis eiusdem.

IOANNES.

Similiter gentis Saracenorum episcopus, eidem Concilio interfuit. liquet ex actis.

HIRCANIAE EPISCOPI.

IOANNES HIRCANORVM.

IOannes Hircanorum episcopus, posteritati commendatur ob Constantinopolitanam synodum contra Eutychis erroneum dogma institutam: cui non modò interfuit ueluti κῶφον πρόσωπον, sed diserta uoce etiam ipse Nicenam & Ephesinam fidei expositionem, simul & Cyrilli approbauit, & quæ ijs aduersarentur reiecit, & Eutychen damnauit: ut constat ex actis.

AFRICANI doctores.

CYRILLVS ALEXANDRINVS.

CYrillus Alexandriæ natus est, ut patet ex libellis Theodori & Athanasij contra Dioscorum, in tertia actione Chalcedonensis concilij. Theophili, cui ipse successit, ex sorore nepotem nominat Socrates libro septimo, capite septimo. Fratris Theophili filium fuisse, & patruo in præsulatu Alexandrino successisse, Theodoretus memorat libro quinto, capite uicesimoquinto. Qui cum & Nicephorus concordat, nominans Theophili decessoris ex fratre, non (ut Socrates) ex sorore, nepotem: libro decimoquarto, capite decimoquarto.

Vir fuit ingenio excellẽtissimo, & in omni doctrinarum genere, prophanarum simul & diuinarum institutus: ueluti doctissima ipsius opera, quæ posteritatis memoriam meruere, probant. Mortuo Theophilo, cũ de successore deliberationes instituerentur, populus in diuersa studia abijt: alijs Timotheũ quendã petentibus, Ecclesiæ istius archidiaconũ, cuius partes etiam militariũ copiarũ dux Abundantius multũ iuuabat: alijs uerò Cyrillum hunc postulantibus, qui & ipse ex ministerio eius Ecclesię fuit, ut apparet, licet locus & gradus non exprimatur. Cumq; res penè seditosè ageretur, prævaluit tandẽ pars ea quæ Cyrillũ, ob singularẽ doctrinã & uirtutem, quibus omnibus alijs præstabat, flagitabat. Tertia igitur post patrui obitũ die electus est episcopus. fuit ea decimaoctaua mensis Octobris, Consulatu Honorij IX. & Theodosij iunioris quinto: ut Socrates annotauit lib. 7. cap. 7. Quorũ cõsulatus est annus Christi quadringẽtesimus & tredecim⁹, iuxta Marianũ Scotũ: aut decimusquart⁹, iuxta Prosperũ. Nicephor⁹ loco iã antè memorato, simpliciter id quinto Imperij Theodosij anno factum narrat. at uerò pòst decimosexto eiusdẽ libri capite, ueluti sui oblitus, ait quartum episcopatus Cyrilli annum esse sextum imperij Theodosij.

Electum Cyrillum, ad inaugurationem progressum maiore pompa, & magnificẽtia, prophanorũ magistratuũ in morẽ, quàm aut Theophilũ aut reliquos decessores, ijdẽ authores cõmemorant: quàm uerè, uiderint ipsi. certè hinc initiũ factũ uterq; recitãt, ut deinde Alexãdrini: episcopi, præter res ministerij, & Ecclesiasticę gubernationis etiã potẽtiã exercuerint, & politica quoq; tractarint.

Donis haud uulgarib. ornatus fuit, qualia in doctore Ecclesiæ solent requiri. Puram enim & sinceram doctrinã non modò ipse tenuit, sed etiã dexteritate in docendo & enarrandis sacris literis multũ ualuit. Ac in conuincendis & refurandis cõtradicentibus, ethnicis & hæreticis, neq; facultas, neq; studium, neq; zelus ei defuit. Allegorijs interdum tractãdis plus uacat, quàm par erat. uniuersæ mundi historiæ, & omnium temporũ, ac totius antiquitatis eum habuisse cognitionẽ, cõstat ex libris cõtra Iulianũ. Pluri marũ enim antiquissimarũ historiarũ, autorũ & scriptorũ mentionẽ facit: ut Porphyrij, quẽ dicit amaros aduersus Christianorũ religionem effudisse libros, & eam tantũ non pedibus calcare. lib. 1.

Hermetis Trismegisti: de quo recitat, quis fuerit, quæ inuenerit & scripserit, lib. 1. cõtra eundem. quosdam etiam libros illius nominatim indicat.

Dynarchi poetę de actis Liberi, ibidem: & Pythagoræ, & Polycratis tyranni. libro decimo contra Iulianum.

Alexandri Polyhistoris, & Abideni: quos dicit historicos conscripsisse libros, contra Iulianum lib. 1.

Polemonis, Ptolemæi Mendesij, Hellanici, Philochori & Diodori, historicorũ mentionem facit lib. 1. contra Iulianum.

Orphei Oeagri filij, quẽ ait odas et hymnos falsò nominatis dijs cõposuisse, eodẽ libro.

Menedei Pyrrhæi, quem & ipsum quędã scripsisse apparet, meminit lib. 6.

Theopompi, eodem libro.

Dionysij Halicarnassęi, Romani historici, ibidem.

Timæi

Timæi,& eius librorum,ibidem.
Clementis Stromatum, ibidem, & libro septimo.
Eupolemij historici,qui librum de regib. Iudæ scripserit,libro septimo.
Empedoclis,quem turpissima scripsisse narrat in eodem libro.
Platonis,cuius uerba de uerbo Dei citat ex Epinomide: item epistolæ ad Hermian, Erastum & Coriscum,libro octauo.
Numenij,cuius quoq; sententiam de Trinitate allegat eodem libro.
Plotini, cuius & ipsius dictum de Trinitate citat.
Amelij Platonici,cuius de initio Euangelij Ioannis testimonium profert ibidem.
Pyramis,Xenophontis, & aliorum plurimorum.

¶ Serium fuisse in gubernatione, & scripta ipsius luculenter ostendunt, & ex posterioribus nostræ narrationis etiam satis apparebit:libet tamen eius rei hic præbere gustum. Capite tricesimosexto secundi libri Commentariorum in Ioannem,monet eos qui Ecclesiæ ministerijs præsunt,ne nimium cito ad diuinam mensam admittãt neophytos:nec antequam firmiores catechumeni sint,Christum ei, prius quàm oporteat, baptismi mysterio commendent.Ita etiam capite nonagesimonono monet eos qui docẽdi muneri præficiuntur,ex uerbis Christi,Ego sum qui loquor tecum, à minorib. prius esse incipiendum: quæ ubi Neophyti rumiauerint, tunc à paruis ad maiora ducendos. Illud etiam addens, eos in die iudicij rationem reddituros esse,qui rudioribus,& nix dum rectè catechumenis, sacerdotum ministeria commendent. Item capite uigesimoseptimo libri tertij submonet,qui Ecclesijs præsident, ne uerborum suauitate & adulationibus,quibus plerunque ij utantur qui minus rectè de fide sentiunt,sibi imponi patiantur,quo minus de errore eos arguãt: iuxta Paulum, Peccantes in conspectu omnium argue, &c.

¶ Inseruijt etiam Ecclesiæ scriptis suis, quorum alia edidit Exegetica, qualia sunt: Liber in quo ostenditur, quòd per omnes Mosis libros,Christi mysterium ænigmaticè significetur,cum græcè extare in Italia, tituli Cyrilli Alexandriæ archiepiscopi, Gesnerus refert in sua Bibliotheca.

In Leuiticum Commentariorum libri decem & sex, uersi incerto autore, Cyrilli nomini inscripti passim extant: sed Origeni rectius quàm Cyrillo tribuuntur. Nam decimotertio siue libro, siue homilia, meminit se in explicatione uersiculi, Lucerna pedibus meis Lex tua Domine, Psalmi centesimi decimioctaui, diuersitatem lucernæ & lucis pro uiribus ostendisse: quod Cyrillum præstitisse minimè constat, sed Origenem id feciſſe uolunt quidam. Quin & ipse sermonis & interpretationis character, uidetur non obscurè prodere authorem Origenem.in qua sententia est & Iohannes Brentius, in epistola nuncupatoria suorum Commentariorum in eundem Leuiticum.

Commentarij in prophetas,Esaiam,Oseã, Danielem: item explicatio Orationis prophetæ Abacuc: quæ græcè extare in Italia, Gesnerus refert in sua Bibliotheca.

In Iohannis euangelium Commentariorum libri duodecim extant latinè, Trapezuntio interprete: & ex ijs quatuor sunt Clithouæi.

Opus τὰγλαφυρὰ, scita seu elegantia: eius Nicephorus meminit libro decimoquarto,capite decimoquarto.& addit,in illo,ea quæ in ueteribus scripturis figuratè dicta sint,ad Christũ & Ecclesiam referri.extat & id græcè in Italia,Gesnero autore.

De adoratione & cultu in spiritu & ueritate,ad Palladium Dialogus. huius quoque meminit Nicephorus ibidem. Et extat etiam is tum græcè in Italia, secundum Gesnerum:tum latinè,Iohanne Oecolampadio interprete.

De exitu animæ,& secunda eius præsentia opusculum, cum Horis & Liturgia Mariæ, græcè aliquando Parisijs editum est: Gesnerus.

Sermo de eo,Quòd uerbum Dei sit factũ homo,editus aliquando Basileæ,extat.

Scholia de incarnatione unigeniti, latina extant in Ephesini concilij actis,primo Conciliorum tomo.

Homilias ipsum scripsisse, quas Græci episcopi ad declamandi usum memorię mandarint,refert Gennadius. Et in sacrum Symbolum ex Cyrilli interpretatione extare homilias quasdam græcas Gesnerus ait.

Niceni symboli interpretatio Cyrilli latina, inserta est gestis Ephesini concilij primi,in primo tomo Conciliorum.

Orationes septem græcè extare in Italia, meminit Gesnerus.

De ortu & laude Marię lib.1. Trithemius numerat.

De cyclo Paschali annorum nonagintaquinq; lib.1.idem recenset.

De defectu Synagogæ libros ipsum scripsisse,commemorat Gennadius.

¶ Alia dimicatoria,ut sunt: Opus insigne quod Thesaurus inscribitur,de consubstantialitate filij, & spiritus S. cum Deo patre,aduersus hæreticos. Græcum in Bibliothecis Italiæ:Latinum passim,Trapezuntio interprete.

Solutio-

Solutiones dogmaticarũ quæstionũ quas quidã ex libris Thesaurorũ obiecerãt, græcè in Italia supereſſe Gesnerus ait.

De Trinitate libri septem, cum appendice argumentorum, Quòd Spiritus sanctus sit Deus, extant uulgò, Ioanne Oecolampadio interprete, extant & græcè.

Contra Iulianum apostatam, pro Christiana religione, ad Theodosium libri decem, Oecolampadij interpretatione extant. Meminit & Nicephorus ibidem.

De recta fide in Christũ libri tres ad Theodosium, & reginas: eodem interprete.

De fide aduersum hæreticos, & peculiariter Nestorianos, edidisse ipsum librũ cui titulus ἔλεγχος, in quo omnia Nestorij occulta pandãtur, & prodita cõfutentur, Gẽnadius narrat. Græcè extare in Italia librum contra Nestorium, Gesnerus memorat.

Ad Nestorium tres scripsit epistolas, in initio certaminis: Liberatus quarto capite Breuiarij: & Nicephorꝰ decimoquarto, cap. trigesimotertio. Secundæ & tertiæ exemplа, unà cum duodecim capitulis, extant in prima actione Chalcedonensis concilij, in primo tomo Conciliorum. Fragmenta quędam de ijs recitat Euagrius libro secundo, capite ultimo.

Apologia, siue liber Apologeticus pro istis duodecim capitulis, ad episcopos Orientales. Extat & iste in primo Conciliorum tomo, in actionibus Ephesinis.

Interpretatio istorum capitũ, seu confutatio eorum quæ in illis capitulis Theodoretus reprehenderat, extat in Antidoto, cum epistola eiusdem ad Euoptium.

Extant duæ epistolę Cyrilli ad Successum Diocæsareæ Isauriæ episcopum, de negocio Nestorij, in Antidoto, latino idiomate, uersæ à Dionysio Exiguo Romano. Harum meminit Eustachius in actis Ephesinę secundę, in prima actione Chalcedonensi.

Ad Antiochenum episcopum Iohannem extat Cyrilli epistola gratulatoria, de resarta concordia post disidium illud ex Nestoriano dogmate, in prima actione Chalcedonensis concilij, primo Conciliorum tomo. Partem eius epistolæ uterque recitant, & Euagrius libro primo, capite sexto: & Nicephorus libro decimoquarto, capite tricesimoquinto.

Epistolas ipsum scripsisse, in quibus suæ cum Orientalibus rationem reddat reconciliationis, eorumque de fide sententiam ut Catholicam defendat, ad Eulogium Alexandrinæ ecclesiæ presbyterum & apocrisiariũ: item ad Acacium Melitinensem & Valerianum Iconij episcopos, Liberatus meminit in suo Breuiario, capite nono, qui earundẽ etiam fragmenta recitat.

Apud Nicephorum uicesimoseptimo decimiquarti libri capite, extat prolixa Cyrilli epistola ad Atticum Constantinopolitanũ, refutatoria epistolę Attici de inscribendo in episcoporũ catalogo nomine Chrysostomi.

Extat ipsius & ad Domnum, Antiochiæ Iohannis in episcopatu successorem, epistola intercessoria, pro Parenorum episcopo Alexandrino, epistola ad Augustinum de miraculis Hieronymi, post eius mortem: eamq; inter Augustinianas haberi numero CCVII. quæ tamen in nostris exemplaribus non reperitur. In Hieronymi quidem operibus extat, sed titulo Cyrilli Hierosolymitani.

¶ Alia mixti generis, qualia sunt: Concilium donensis concilij.

de concordia inter Græcos & Latinos. Græcè extare ait Gesnerus.

Practica ante tertiam Synodum à Cyrillo collecta: apud Hurtadum Venetijs extare græcè, idem affirmat ibidem.

Extat breue epistolium eius ad synodum Africanam, quo nunciat se mittere authentica exemplaria synodi Nicenæ, in primo tomo Conciliorum sub Bonifacio.

Synodicæ constitutiones authorib. Cyrillo, Theodoreto, olim Basileæ excusæ sunt.

Capita quædã à fratrib. Cyrillo appositа, haberi Romæ, Gesnerus narrat.

Opusculũ de dictionibus quæ accentu uariant significatum, cum lexico Græcolatino impressum extat.

Vocabularium græcum à Cyrillo conscriptum, in Italia haberi, Gesnerus meminit.

Ephesini concilij acta græca Cyrillo authore, unà cum eiusdem epistolis proprio tomo se inuulgaturum, Typographus promisit Anno 1528.

Sermo Synopticus Cyrilli, & aliorum de Trinitate, & alijs argumentis, græcè in Italia extat. Gesnerus.

Cyrillo præterea quatuor libros uiuenti adhuc adscriptos narrat Liberatus in Breuiario suo, capite decimo: tres quidem contra Dioscorum (Diodorum fortè) & Theodorum, quasi Nestoriani dogmatis authores: & alium de incarnatione: in quibus continuantur antiquorum patrum incorrupta testimonia, Felicis nimirum papæ Romani, Dionysij Areopagitæ, & Gregorij: uerùm à Catholicis iam tum reprobatos, ut qui neutiquam Cyrillum authorem agnoscerent. & rationem eos secutos hanc: Quòd Cyrillus neque publicè in Synodo, neque priuatim in epistolis contra uiuentem Nestorium usus fuisset eiusmodi testimonijs, qualia in illis libris ab eo in medium adferri referantur.

Tribuitur à quibusdam huic Cyrillo Alexandrino, epistola ad Augustinum de

Quanta

Quanta autem authoritas & pondus fuerit ſcriptorum eius, tum illo, tum etiam poſterioribus temporibus, iam dicemus. Sola ex omnibus ſcriptis duodecim illa capitula ſunt impugnata, primùm ab ipſo Neſtorio, qui contraria XII capita & anathematiſmos oppoſuit, qui tum in Antidoto, tũ etiã in prima actione Chalcedonenſis concilij primo tomo, deinde à Iohanne improbata ſunt: quòd perperã ab ipſo intellecta, Apollinaris hæreſin reſipere ſibi uiderentur. ac propterea confutandi eorundem negocium commiſit duobus quibuſdam ſui concilij epiſcopis, Andreæ & Theodoreto: Liberatus capite quarto Breuiarij ſui. Poſtea idem Ioannes Antiochenus in Epheſina ſynodo contra Neſtorium, cenſet unà cum ſibi conſentientibus, eadem capitula (ut quę ſint adueꝛſa Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ) anathemate explodenda. Liberatus ſexto capite Breuiarij. & extat ſingulorum capitum reprehenſio ſynodi Orientalis in Antidoto, & ſummaria damnatio ſub finem expoſitionis fidei datæ legatis ipſorum Cõſtantinopolim abeuntibus, quę habetur in actis eius Synodi, primo Conciliorum tomo. Extat & epiſtola de ea ipſa cauſa Antiocheni, & ſuorum ad Imperatores ſupplicatoria, in qua eorundem Maieſtates orant, ut ſua authoritate apud uniuerſi Imperij ſui Eccleſias, eaſdemq; gubernatores, confirmare uelint illorum capitulorum damnationem: in primo Conciliorũ tomo, in geſtis Epheſini primi concilij. Poſtremò accedit Theodoretus ille Cyri epiſcopus, uir etiam Cyrilli teſtimonio præſtantiſsimus. is motus ſui prima futationem iſtorum capitulorum. Liberatus capite nono: Nicephorus lib. decimoquarto, capite triceſimoquinto. Verùm & cõtra Orientales, & contra hunc ipſum Theodoretũ, ipſe optimè ſua defendit doctiſsimis & ſanctiſsimis interpretationibus, quæ (ut ex ſuperioribus liquet) Dei beneficio ſuperſunt. Etiam antè quoque potior ac ſanior iſtius Epheſinæ ſynodi pars, eodem capite, ut recta fidei normæ & ſacris ſcripturis conſonãtia receperat, ac cõſenſu firmauerat: ueluti perſpicuè intelligitur ex narratione Ibæ Edeſſeni epiſcopi ad Marin Perſam, cuius epiſtolæ fragmentum habetur in decima actione Chalcedonenſis concilij, in primo tomo: item ex fidei expoſitione quam Orientales Epheſi ſuis legatis Cõſtantinopolim abeuntibus dederant: & ex aliquot eorum ſupplici bus ad Imperatores literis: quæ omnia in primo Conciliorum tomo, Epheſini iſtius concilij geſtis inſunt. Ac omnino non ipſorum per ſe ſcriptorũ eueniſſe uitio ac errore, quod eis cõtradictum eſt, ſed tantum ſiniſtro quorundam intellectu, Euſtathius Beryti epiſcopus Epheſi in illa altera Synodo maligna rectè & piè cõtendit: & Cyrilli in explicatione ſuorum ſcriptorum magnopere cõmendat ſtudium, ut ut in cæteris ſeſe geſſerit. Sed ipſius uerba audiamus.

¶ Poſtquam lectę ſunt epiſtolę, neceſſariũ eſt manifeſtum facere ueſtræ ſanctitati, quia præſtitit Deus beatæ & ſanctę memoriæ patri noſtro & archiepiſcopo Alexandriæ Cyrillo, ut in uita ipſius dubitari de aliquibus quæ ab eo ſcripta ſunt, ab his qui bene dicta non rectè intelligunt, quatenus ipſe per ſapientiſsimam & doctiſsimam ſuam linguam manifeſtum faceret, uolentibus peruertere ſcripta bene compoſita, & ſequi ſuum pium dogma omnibus perſuaſit: ſed alijs quibuſdam præparantibus de epiſtolis in præſenti perlectis beatiſsimi & ſanctiſſimi uiri dubiam facere ſententiam, rurſus neceſsitatem habuit, magis autem audaciam. Omne autem ſuum tempus hoc pio labore conſumpſit, ut ſeipſum interpretaretur, ſuamque intentionem oſtenderet, & palàm omnibus faceret per ea quæ ſcripſit ad beatæ & ſanctæ memoriæ quondam epiſcopos, Acacium Melitinæ, & Valerianum Iconij, & Succeſſum Diocæſareæ Iſauriæ prouinciæ, quomodo oportet intelligi & nuper lectas epiſtolas, & cultum aduentus Saluatoris noſtri. ex actione prima Chalcedonenſis concilij, primo tomo Conciliorum.

Certè ipſe quoque Antiochenus cum reliquis Orientalibus, poſteaquam expoſuiſſet ſua capitula Cyrillus, eorundem ipſorum amplexus uidetur ſenſum, profectò apertè non reiecit. Et cum Cyrillo etiam in gratiam redierunt, & ipſe, & plerique alij: atque ideo etiam à ſuę partis quibuſdam reprehenſum Antiochenum, memorat Liberatus octauo ſui Breuiarij capite. Ea ipſa inſuper capita etiam in Conſtantinopolitana ſynodo approbata apparet. ita ſiquidem Baſilius Seleuciæ Iſauriæ epiſcopus ſententiã pronunciat in ſecunda eius actione contra Eutychen: Approbamus igitur omnia ab eo ſcripta (ſcilicet Cyrillo) & directa, ſicut uera & pia continentia. cuius ſententiam & cęteri epiſcoporũ eius Synodi ſequuntur, ut habetur in ea actione quæ primæ Chalcedonenſi, in 1 Cõciliorum tomo inſerta eſt. Ipſa quoq; magna & omniũ celeberrima Chalcedonẽſis ſynod⁹, omnes eas quas ad Neſtoriũ & Oriẽtales ſcripſit epiſtolas, quib. capitula illa etiã cohærẽt, non tantũ ut doctrinę fidei rectè congruentes approbauit, ſed & in acta publica retulit: & inſuper uniuerſali eius Synodi decreto ac ſolenni definitioni expreſsè inſeruit ſuæ de ijſdẽ ap̃bationis ſententiã,

ut libro

ut libro ſecundo, capite quarto Euagrius recitat, & acta eius Concilij oſtendunt. Quæ & apud Euagrium per totum quidem illum librum, ſed maximè ultimo capite eiuſdem libri: item Nicephorum ab initio decimiquinti libri, & poſt eum librum peculiari tractatu, in primo Conciliorum tomo prolixè deſcribuntur. Pòſt ſequenti tempore Gelaſius Romanæ eccleſiæ antiſtes, ſine diſcrimine Cyrilli opuſcula in Eccleſiaſticum canonẽ retulit, diſtinct. decimaquinta, Sãcta Romana, &c. Quinimò poſteriori ſeculo ab uniuerſali Synodo ſub Imperatore Iuſtiniano Conſtantinopoli conuocata, damnata ſunt, quæcunq; Theodoretus & alij contra iam ſæpius memorata Cyrilli capita ſcripſerant: ut triceſimo octauo capite libri quarti Euagrius enarrat. Ac ſunt profectò eiuſmodi ipſius ſcripta, ut ipſorum authoritate ac teſtimonijs alij plurimi & huius & poſteriorum ſeculorum doctores, etiam ipſi præſtantes, niti non erubuerint. In his eſt Vigilius martyr, & epiſcopus Tridentinus: is in quinto libro contra Eutychen, prolixam periodum Cyrilli de incarnatione Chriſti, transfert in ſuum ſcriptũ, ex epiſtola ipſius ſecunda ad Neſtorium miſſa. item Ruſticus Romanæ eccleſię diaconus, qui in libro contra Acephalos non unum, ſed plures Cyrilli locos, ex ipſius tam ad Neſtorium, quàm etiam ad Iohannem Antiochenum epiſtolis, pro ſui inſtituti confirmatione citat, & Cyrilli authoritatem, ac ſcriptorum contra concertatorem egregiè defendit ſinceritatem. Quin ipſum Cyrilli antagoniſtam, Theodoretum illum, non puduit huius ſui aduerſarij uſurpare uerba ex ijſdem ſcriptis, & alijs quoque teſtimonijs: ſicuti teſtatur ſecundus ipſius dialogus Inconfuſus dictus. Idem faciunt & alij, quorum teſtimonia recitare nimis foret prolixum.

Oratio ipſius eſt grauis, & tum ipſis rebus, tum eius dignitati ex æquo reſpondẽs. Differendi autem tanta ſubtilitas, & acrimonia, tantum rationum acumen & robur, tam exuberans doctrinæ copia, deniq; tanta conuincendi aduerſarios fidei energia & efficacia, ut ipſe exemplum optimo iure proponi mereatur omnibus qui de rebus ſacris diuinisq; myſterijs differere incumbunt, & quibus cum doctrinæ deprauatoribus res eſt.

Cyrilli dogmatica.

Doctrina Cyrilli ex ſuperioribus quarto Capite adductis poteſt deprehendi: ideo alij quot tantum capita hic attingemus.

De Trinitate rectè ſenſit, & eruditè ſcripſit, ut libro 4 in Iohannem, cap. 2: Nec dubita Patris & Filij & Spiritus ſancti unam eandemq; in omnibus rebus uirtutem eſſe, ac poteſtatem. Item: Vna Deitatis natura in tribus ſubſiſtentijs intelligitur, in Patre & Filio & Spiritu ſancto. Cyrillus lib. 8 contra Iulianum. Item: Sicut eſt unus Deus Pater, ex quo omnia: ita & unus Dominus IESVS Chriſtus, per quem omnia: unus itaque & Spiritus ſanctus. Cyrillus in libro ſecundo de recta fide ad reginas.

De lege inquit libro 8. in Iohannem: Omnes ſub lege condemnantur, propter peccatum. filius autem uenit non ut iudicaret, aut damnaret mundum, ſed ut ſaluaret mundũ: neq; ut rationem peccatorum exigeret, ſed ut peccatorum remiſsionem omnibus largiretur. Melior autẽ eſt qui iuſtificat, quàm qui condemnat: melior qui largitur, quàm qui exigit: melior qui peccatũ in carne damnauit, quàm lex quæ id facere non potuit.

De iuſtificatione inquit: Niſi quis peccati ſordes per gratiam meam lauerit, atq; abſterſerit, regni cœlorũ non erit particeps. libro 9. capite 5 in Iohannem. Item libro 4. capite 24 in Iohannem: Vides quomodo à peccatis, & à peruia iniquitatis uia nos remouet, ut delictorum remiſsionem per fidem Chriſti conſequi poſsimus. Iuſtificamur enim non ex operibus legis, ſed gratia Chriſti, quæ deſurſum nobis per miſericordiam Dei conceſſa eſt.

Quomodo ſint bona opera facienda, ſic docet libro 7. capite 1. in Iohannem: Nec ſapientia, nec obſeruatio legis, nec bona uita quicquam ualet, niſi per eum, per quem ſolum datur aditus & acceſſus ad ſalutem.

De baptiſmo ait libro 6. in Iohannem, capite 14: Aquis diluuij totius mundi expiata ſunt peccata: & qui in arca reconditi erant, per aquam ſalui facti ſunt. id baptiſmi typũ geſsit, per quem ſordes omnes peccatorum deponũtur, & uitę uetuſtas tollitur. Item: Catechumenus uerò inũgitur, ut docearur. nam Catechumenus græcè, latinè inſtructus dicitur. Baptizatur uerò, ut uerum lumen agnoſcat, et remiſsionem omnium peccatorum recipiat. Non itaq; exigua putetur lauacri baptiſmatis uirtus, quod dimotis animæ tenebris, lumen cœli infundit.

De cœna inquit: Saluator dicit, Qui manducat carnem meã, et bibit ſanguinem meũ, in me manet, & ego in eo. unde conſiderandum eſt, non habitudine ſolùm, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, uerùm etiã & participatione naturali. Nam quemadmodũ ſi quis igne liquefactã ceram alij ceræ ſimiliter liquefactę ita miſcuerit, ut unum quid ex utriſque factum uideatur; ſic cõmunicatione corporis & ſanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatẽ & uitã traduci, niſi naturalis uitæ corpus ei cõiungeretur.

Sic

Sic etiã de resurrectione & uita ęterna rectè sensit, ac professus est.

Næui.

Habet autem etiam suos quosdam næuos. In articulo de libero arbitrio, nimium tribuit uiribus humanis. sic enim inquit: Voluntarijs nutibus rationalis regitur creatura, ad hoc quod rectè se habeat, uel malè, liberis ad opus prorumpens impetibus. Cyrillus libro 3. contra Iulianum.

In doctrina de fide, affirmat fidẽ & opera saluare, neq; solam fidem sufficere: libro 10. capite 18. in Iohannem.

Certamina.

Ad certamina natus uideri potest. susceptit enim & multa, & difficilia, & quidem mox initio initi episcopatus. Primùm Nouatianorum ecclesias occlusit, & uniuersas eorum sacras opes ad se recepit. Ipsorum etiam episcopum Theopompum, omni sua quam habebat substantia spoliauit. Socrates libro septimo, capite septimo. Atq; nullã omnino prius hæresin publicè coli passum Cyrillũ, Nicephorus refert libro decimoquarto, capite decimoquarto.

Exegit mox & Iudæos ex urbe Alexandrina, non sine graui tumultu. Occasio & causę recitatæ sunt suprà, in loco De persecutione: ex Socratis lib. septimo, capite tredecimo. Eorundem quoq; cæcitatem & impietatẽ, subinde in scriptis suis oblata occasione taxat atq; accusat.

Iudæorum eiectio, origo extitit noui & grauis certaminis inter ipsum, & eius urbis nomine Imperatoris præfectum. Cum enim authore episcopo Cyrillo, per uim multis trucidatis, eiecti essent Alexandria Iudæi, contra Oreti præfecti consensum & uoluntatem, tantum ea re offensus est, ut implacabile deinceps aduersus Cyrillum gereret odium, nec ullas redintegrandę gratiæ rationes admitteret. Quas cum plurimas tentasset, demum & Euangeliorum codicem eidem præfecto offert episcopus, ratus istius se reuerentia placabiliore usurum præfecto. Verùm quòd is ne sic quidem iram remitteret, illud euenit, ut monachi finitimos mõres incolentes circiter quingenti. monasterijs relictis, Alexandriam cõuenirent, in defensionem episcopi: præfectum q; aliquando in publicum uehiculo progressum, conuicijs & contumelijs aggrediuntur: demum & lapidibus impetunt, ac uulnerant, ut ipsius facies sanguine manaret, apparitoribus ipsius facies sanguine manaret, apparitoribus ipsius passim & ministris fugatis: ita quidem, ut etiam populum confluere necesse esset, ad eripiendum præfectum, monachorum manibus. populo autem præfecto opem ferente, monachi quoque fuga sibi consulere coacti sunt. Comprehẽsus est tamen unus ex eis cui Ammonio nomen: qui quòd uulneris præfecto facti author haberetur, ad supplicium tract°, & multũ cruciatus, necatus est. Eum in quodam templo sepeliri curauit episcopus: ac mutato nomine, pro Ammonio Thaumasiũ appellauit, & pro cõcionib. ueluti Martyrẽ mirè laudauit, ut qui in pietatis certamine occubuerit. Quod ipsum tamen cum plurimos pios reprehendere animaduerteret, qui monachum illum tanto honore minimè dignum censerent, ac potius temeritatis ipsum pœnas dedisse cõtradicerẽt: ipse etiam obliuione paulatim causam sopiuit. Socrates lib. septimo, capite decimoquinto. At ne sic quidem dissidium illud inter præfectum & episcopum sublatum est: sed atrocioris etiam facti, & Christianis minimè digni causa extitit, quod quidẽ paulo pòst suo loco recitabimus.

Cum Constantinopolitano episcopo Attico acriter contendit. Scripserat Atticus ipsi, cum ob Chrysostomũ passim Ecclesias distractas, earũdem q; doctores distractos, & se propterea etiam in odio esse multorũ cernerent, ut & priuatę & publicę trãquillitati Ecclesiarum, & concordiæ instaurandæ cõsuleret: ac quod ipse fecerat necessitati obsecutus, idem etiã Cyrillus faceret: referretq; in episcoporum catalogum defuncti Chrysostomi nomen, eiusq; etiam in publicis precibus pro more mentionem faceret. uerùm prolixa epist. respondens Cyrillus, & Attici factũ improbat, & eius etiam consiliũ refutat, nõ quidem ratione ulla alia, quàm quòd contra Canones in ea re peccari asserit. neq; enim debere eum inter episcopos cẽseri, qui ob ea quæ designarit, iustè irrogatam pœnã tulerit. Sed neq; propter quorundam aduersus eũ sermones, penitus Ecclesiasticas sanctiones conuellendas, ut scilicet laicus inter sacerdotalis dignitatis uiros accẽseatur. Pacis quidem & nomen & rem tum rectè locũ habere, si Sanctorum sententijs non aduersentur, neq; ipsorum decretis repugnent. Extat autem ea epistola apud Nicephorum libro decimoquarto, capite uicesimoseptimo: ac manifestissimè ex ea epistola apparet, iniquiorem fuisse Cyrillũ Chrysostomo: sicuti etiam Nicephorus rectè monet, eiusdem libri præcedenti capite uicesimoquinto, Cyrillum hostiliter odisse Iohannem, non aliã ob causam, quàm quòd à patruo suo Theophilo dissensisset. Verùm narrat idẽ pòst cap. 18, redijsse demũ Cyrillũ ad mentẽ meliorẽ, reprehẽsum tũ quidẽ à multis alijs, tũ præcipuè ab Isidoro Pelusiota: ac monitũ insuper uisione, qua se à Chrysostomo, diuino satellitio stipato, diua quoq; uirgine Maria pro eodẽ interpellãte, sacris ædib. eiectũ, uidere uisus fuerat: atq; ideo causa secũ melius cõsiderata,

ſiderata, pœnitentia ductum Cyrillũ, quòd imprudentius in Chryſoſtomũ, uirũ ſanctũ, exacerbatus fuiſſet, redijſſe cũ eo in gratiã: coactoq; ſuæ prouinciæ conuentu, poſuiſſe etiam eum, ipſius Chryſoſtomi nomen in ſacrum epiſcoporum album. Ac utut cætera quæ narrat Nicephorus habeant, hoc certè, quòd ab alijs ipſum hoc nomine reprehenſum meminit, non omnino de nihilo fuerit. Sub finem namq; Breuiarij Liberati, breue additũ eſt epiſtoliũ Theodori Peluſiotæ, ad Cyrillũ iſtum, in quo obliquè ipſum Cyrillum perſtringere uidetur, ob contentiones quas cum demortuo exerceat: Depone (inquit inter cætera) contentiones ob iniuriæ proprię ultionem, quam tibi à mortuo deberi putas, ne uiuentem Eccleſiam diſſipes, & ęternam diſſenſionem ei ſub pietatis prętextu concinnes. Additum eſt ibidem & aliud ſiue integrum epiſtoliũ, ſeu fragmentum Iſidori, ad eundem Cyrillũ: quod & Nicephorus recitat lib. 14. cap. 53. in quo tamet ſi de Epheſina præcipuè ſynodo cũ eo agat, obiter tamen & partim factũ exprobrat, atq; eius eum ueſtigijs inſiſtere arguit.

Neſtorius Cõſtantinopolitanæ eccleſiæ Antiſtes, nouũ dogma inter ſuos tradebat, Mariam θεοτόκον nõ dicendam. Huius blaſphemijs primus occurrit Cyrillus, miſsis ad ipſum unis atq; alteris literis, quib. eũ & erroris amicè admonuit. Liberatus cap. 4. Breuiarij: item Nicephorus lib. 14, cap. 33. Et patrum inſuper qui Niceæ olim cõgregati fuere expoſitionẽ fidei, quo'nam pacto intelligi oporteat, declarauit: ut narrat Euſebius Doryląus, in prima Chalcedonẽſis ſynodi actione, 1. tomo Conciliorũ. Cui reſpõdens Neſtorius, ſimul & conuicijs & blaſphemijs rem egit: tantũ abeſt ut erroré emendarit. ibidem & Liberatus & Nicephorus. Cõgregauit igitur prouincialé Alexãdriæ ſynodũ Cyrillus, cui literas illas ultrò citroq; à ſe & Neſtorio miſſas exhibuit: factisq; decretis, tum eorundẽ, tũ & literarũ illarum exempla miſit ad Romanũ pontificẽ Celeſtinũ: & ſimul cũ illo, etiã Antiocheno pręſuli & nouã hęreſin, & eius authorẽ pãdit. Nec minus interea etiã ad Neſtoriũ tertiã mittit epiſtolã, cui ſui Concilij decreta adiungit, duodecim illa capitula de quib. paulo antè ſatis multa. Neſtorius aduerſus Cyrillũ incitauit etiam Imperatorẽ, cuius maieſtate ipſum repreſſum iri cogitabat. Verùm enimuerò ſic ipſe magis excitatus eſt: ac de recta fide & peruerſa Neſtorij opinione, libellos doctos ad ipſum Imperatorẽ & reginas, uxorẽ & ſororem eius, edidit: in quib. recitat & refutat uarias de Chriſti incarnatione opiniones: & cõſtanter aſſerens euincit, uerbũ ab æterno patre natũ, humanã naturã aſſumpſiſſe, & cũ ea mirabiliter & ineffabiliter uniuiſſe. tantũq; effecit, ut Synodus apud Epheſum cõuocaretur. Nicephorus eodem loco. Item Liberatus ibidem.

Synodo illi ipſe nõ tantũ interfuit, ſed & præfuit, eamq; gubernauit loco & nomine Celeſtini Romani epiſcopi. Euagrius lib. 1. cap. 4: Liberatus 5. cap. Nicephor. lib. eodẽ, cap. 34. Cũ Neſtorio contulit, non ut eum turbaret, ſed ut ueritatem eliceret, ac eum in rectã uiam reduceret. Socrates lib. 7, cap. 34. Cum aũt uideret Neſtoriũ in ſua hæreſi perſiſtere, autor fuit alijs, ut damnaretur: Liberatus in Breuiarij capite ſexto: Nicephorus lib. decimoquarto, capite triceſimoquinto. Ob Neſtorij aũt exauthorationẽ, cum graue in eadem ſynodo ortũ eſſet diſſidium inter Ioannẽ Antiochenũ & Cyrillũ, Cyrillus ab aduerſa factione etiam ipſe exauthoratus, & ſuo ſtatu deiectus eſt: eiusq; exauthoratio publicè in ſcripto propoſita eſt: pòſt etiã ad Imperatorẽ relata, qui eam ratam habuit: ut Iuti prę cęteris Liberatus in eo capite refert, qui & Imperatoris hæc uerba recitat: Neſtorij, Cyrilli, & Memnonis damnationem recipim⁹. Ac inſuper cuſtodię Epheſi traditus eſt à Synodi prętecto, Comite Sacrenſi: ſic uocatur in epiſt. eiusdẽ ad Reges, quę actionib. eius ſynodi in primo Tomo inſerta eſt.

Synodo uerò dimiſſa, cũ ut ſinguli, & ipſe etiam Cyrillus Alexandriã reuerſus fuiſſet, denuò depoſitus eſt à Iohãne Antiocheno, & eius cõcilio, quod ipſe quoq; domũ reuerſus ocyus in prouincia coẽgerat: ut ijdẽ authores ijſdẽ locis memorant. Exauthorationis aũt ipſius cauſas has ſibi fingebat pars aduerſa: Quòd eſſet diſſidij iſtius in ſynodo, & omnis turbationis author, dum nõ expectato reliquorum aduentu, nimis præcipitanter Neſtorium damnari procuraſſet. Item, quòd ipſius duodecim contra eundẽ Neſtoriũ edita capitula, nonnihil cõfine haberent cũ hæreſib. Arij & Eunomij, omniũ autem maximè Apollinaris. Cõſtant hæc ex Nicephoro, & habet eadẽ crimina ipſa etiã exauthoraitonis ꝓmulgatio, publicè Epheſi propoſita, quam Liberatus recenſet ſexto capite. Hoc nomine paſsim etiã ad alios diffamatus eſt. & in epiſtola Orientaliũ ad Calinorem regem, aduerſarij eum & natum & educatum dicunt ad Eccleſiarũ pernicié: & ſuis illis anathematiſmis ſe ipſum manifeſtè redarguiſſe hęreſeos Apollinaris. Additur & illud, Quòd, quo multitudine ſua ſtabilireture, receperit eos qui multo antè ſint depoſiti, & qui à ſuis metropolitanis ſint excommunicati: & quòd ad honores euexerit, qui uarijs criminibus fuerant obnoxij. Similia continent pleræq; etiam Orientalium periationes, ad Reges: quæ huius Concilij geſtis inſunt

insunt, in primo Conciliorum tomo. Non diuersa repetit & Ibæ ad Marin Persam epistola, quæ decimæ Chalcedonensi concilij actioni coniuncta est, in primo tomo.

Verùm hæc crimina maxima ex parte ipsi falsò sunt obiecta. Nã licet fortè uideatur occasionem præbuisse dissidio, tamen culpa uacare existimandus est, dum festinatione hæresin illam opprimere studuit. De hęresi uerò, manifesta est eius innocẽtia. nam & in ea ipsa synodo, statim à potiore parte (quæ uniuersalẽ se nominabat, & inter illos erant Romanus pontifex, uniuersus Occidens, Africa tota & Illyrij) absolutus est, unà cũ Mẽnone Ephesino, à condemnatione aduersæ partis: & ipsi contrà aduersarij ijsdem ex cõmunicationis uinculis sunt constricti. Euagrius lib. 1, cap. 4. Postea illa ipsa synodi pars, scriptis literis pro ipsius & collegæ ex custodia liberatione, magno studio intercessionem eius ut illegitimam, & contra Canonum rationem factam: damnatis nimirũ, neq; accusatis, neq; citatis, nedum de crimi-nibus convictis: cum ipsũ contrà & uocati & postulati fuissent ad dicendam causam, & reddendã rationẽ: de damnatione eorundẽ, Cyrilli & Mẽnonis scilicet, sed facere detrectassent: ut diserte habet Euagrius, & post eum repetit Liberatus. Postea in ijsdẽ literis, de ipsorũ in fidei doctrina sinceritate hęc subijciunt: Nam calũnia quę cõtra illos facta à Ioãne Antiocheno & socijs eius, ad omnes nos pertinet, eandẽ fidem habentes cũ præ-dictis, & cum eis sacerdotali ministerio fungẽtes: eo quòd & omnis Occidentalis synodus eorũ fidẽ: & nos quoq; de hoc certiores facti, cõmẽtariorũ scriptis ꝓmulgauim⁹, quòd sint orthodoxi, sanctorũq; patrum nostrorũ sententiã in dogmatibus Catholicæ & Apostolicę ecclesię habeãt. Oramus igitur uestrã maiestatẽ, soluite & nos & illos à uinculis. uinctis enim fratrib. & ꝑsidib. sanctæ nostræ synodi, etiã nos quodãmodo uincti simus.

Patrocinatur ipsi etiam euentus, & huius contentionis quasi catastrophe. nam & ipse tandem Antiochenus primas Iohãnes, & reliqui Orientales, misso legato, cum eo demũ in gratiam redierunt: & ut habet Socrates, alteri suas sedes restituerunt. Eius cõciliatæ amicitię testimonium extat epistola illa Cyrilli gratulatoria ad Iohannem, de qua in superioribus: Liberatus octauo capite, & Ibas in epistola sua ad Marin Persam. Cũq; intellexisset Cyrillus, à plerisq; se ideo maximè in suspicionẽ uocari, quasi doceret Christũ corp⁹ suũ è cœlo attulisse, nec ex massa diuę genitricis sumpsisse: de ea parte doctrinę, in ea epistola, pręter alia ipse sese dilucidè declarat, ne qua uspiam in posterũ prauę suspicionis hæreret macula, quę nouis dissensionibus postmodũ occasionem præberet.

Euagrius lib. 1. cap. 7. scribit, ipsum etiam in fatis iam existentẽ, decantari & prędicari clarissimum pręconem, & fortem rectorum dogmatum propugnatorem.

Vincentius Lirinẽsis affirmat, ipsum Cyrillum iurè meritoq; sacrosanctę antiquitati consentaneũ, ab Ephesina illa synodo iudicatum: ad libri sui aduersus profanas nouationes, finẽ. Prosper Aquitanicus, breui quidẽ, sed illustri admodũ elogio ornat, nominans eũ glorioſissimũ Catholicæ fidei defensorẽ: in fine libri de gratia Dei, contra Collatorẽ.

Posteaquam aũt cũ istiusmodi suis aduersarijs in gratiam redijt, ecce nonnulli ex ijs qui hactenus ipsius partiũ, & in eius castris fuerant, in ipsum incurrunt, reprehẽdentes, quòd confessionẽ Orientaliũ de duabus in Christo naturis recepisset. in his fuerũt quidam ex aula, utentes in eo negocio reprehensionis ministro quodã Alexandrino presbytero Eulogio. Fuerunt & quidam episcopi, Acacius Meletinẽsis, Valerianus Iconij, & alij. Verùm quoniam hi non hostili aut maligno id fecerãt animo, sed amico, facilior fuit eorundẽ placandi ratio. nam scriptis ad singulos literis, facti sui rationem reddidit: & Orientaliũ confessionẽ doctrinæ sanæ congruere ostendit. Liberatus cap. 8 & 9.

Non solum autem Nestorium, & eius hęresin, uoce & scriptis fortiter profligauit: sed etiam alios hæreticos, schismaticos, & quoscunq; rectorũ dogmatũ & Scripturarum depraua-tores, in omnibus suis scriptis passim acriter taxat, & obiter ipsorum prauas opiniones producens in medium confutat, quãdocũq; uel exigua admodũ sese occasiũcula obtulit. Nominatim uerò & ex ꝓfesso Arianos & Eunomianos: eorumq; uarias & blasphemas corruptelas acerrimè oppugnat, proferens ipsorum obiectiones, & cõtrarijs argumentis eas diluens, libris peculiariter in hoc scriptis, quibus titulum indidit Thesaurus: item de Trinitate dialogi, item de adoratione in spiritu & ueritate: in quibus hisce lucubrationibus omnibus aliud agit nihil, quàm ut ex ueris sacrę Scripturę & diuinĩ uerbi fundamentis euidentissimè demonstret, Dei patris, filij, & spiritus S. unam eandemq; & consubstantialem, æternam ac omnipotẽtem esse naturam & essentiam: & diluat ac refellat, quicquid à quoquam quomodocũq; opponi possit. Et de libris Thesaurorum ait ipse Cyrillus, in fine præfationis: Vt igitur apertè falsitatẽ dogmatũ eorũ (scilicet Arianorum & Eunomianorũ) omnes perspicere possint, ordine & breuiter ad

singulas eorum calumnias respondebimus.

Contra Iulianum Imperatorem apostatã, & totiꝰ Christianismi impugnatorẽ iniusto spiritus robore, dimicat libris decẽ: & quidem uerbo ad uerbũ Iuliani obiecta ponit, & copiosissimè refutat.

Atq; hoc maximè notatu dignum, quòd in refutandis hæreticis, & alijs quibus cũ ipsi res est, ualde est serius & uehemẽs, & ut plurimùm diuinarum Scripturarum fundamẽtis innititur, idq; magna orationis copia, præterquam in Iuliano refutando: qui cũ etiam rationibus philosophorum, & omnis gentiliciæ antiquitatis doctrina agit, atq; ex ipsa, qua tamen sola nixus Iulianus Christianæ doctrinę insultabat, petitis argumentis eius obiectiones euertit, & proprio quasi gladio iugulat: ueluti in illis libris est uidere.

¶ Quorũ amicitia familiarius usus sit, ex superioribus animaduerti potest: maximè uerò omniũ & in primis Romani pontificis Cyrilli, qui ei in Ephesina illa synodo, suũ locũ cõmendauerat. Et hinc Nicephorus memorat, accessisse Cyrillo, & istius sedi Alexãdrinæ successoribus, noua dignitatum insignia & titulos, nimirũ ut mitrã gestaret, & Papa atq; uniuersũ orbis iudex appellaretur. lib. decimoquarto, capite tricesimoquarto.

Memnonis Ephesini antistitis afflictionũ, quas ob Nestoriũ damnatũ pertulit, socij.

Iohãnis Antiocheni, ante & post disidiũ. nam ante disidiũ, nunciat ei Nestorij noua dogmata & pòst cũ eodẽ reconciliatus est.

Domni, Iohannis istius successoris testatur epistola ad ipsum scripta.

Acacij, Melitinensis episcopi.

Successi, Diocæsareę episcopi Isauriæ.

Euoptij, Ptolemadis episcopi.

Ibas Edessenus in epistola illa ad Marim ait, se à Cyrillo accepisse, & rursum dedisse ad eundem literas.

Proclo Cõstantinopolitano fuisse cognitum, epist. ipsius Procli ad Domnũ, pro Parthenorum episcopo intercessoria, ostendit. ea est in 14. actione Chalcedonensis concilij.

Plurimis præterea alijs Ecclesiæ doctoribus, ac in primis omnibus ijs qui synodo illi Ephesinæ interfuere, notissimũ fuisse oportet, & ob præsentiã, & insigne illud disidiũ quod uniuersi orbis Ecclesias toto quadriennio exercuit.

Isidori & Theodori, Pelusiotarũ monachorũ, qui ipsum arguerũt, &c. Isidorũ certè ad Cyrillum scripsisse, etiam Euagrius meminit libro primo capite, decimoquarto.

Nemesi no cuidam nuncupat suos Thesauroru m libros.

Hermian quendam introducit in dialogis loquentem, quem doctissimũ & æquissimum uirum appellat.

¶ Etsi plurimis & maximis eum uirtutibus ornatum apparet fuisse, ita ut de eo Nicephorus recitet, iam tũ priusquã ad episcopatum uocaretur, in omni uirtutum genere laudem & gloriam consecutũ: attamen, ut pote etiam ipse caro & sanguis, aliquibus peculiarib. animi morbis laborasse uideri potest. uidentur enim scriptores ipsum notare ambitionis & polypragmosynes, ad quas aliquid philoniciæ accesserit. Primùm enim maiore fastu & ambitione, quàm omnes alij qui in eius Ecclesiæ administratione præcesserant, suã fecisse inaugurationẽ, & quòd cuilis etiã potestatis ea res fuerit initiũ, antè diximus. Et addit Socrates tredecimo capite istius septimi libri, urbis præfectũ propterea exosam habuisse ipsorum episcoporum potentiam, eo quòd plerũq; sese exerexerit cõtra potestatem eorum, quibus ab Imperatoribus ciuilium rerum erat mandata gubernatio. Atq; ibidem eius quod cum Oreste habuit, pernicios certaminis occasionem referens, ex Cyrilli quadam curiositate originem traxisse ostendit: uidelicet quòd olim præfectus populo, publica quædam statuta in theatro recitari curasset, habuerit & Cyrillꝰ qui suo nomine interessent auscultatores, per quos cognosceret quid ageretur: atq; hoc ægrè admodum tulisse præfectum, quòd ea quæ ex officio ipse ageret, & ad episcopũ nihil pertinerent, ita exactè obseruarer. Chrysostomum hostili odio prosecutum ob nullas ueras causas, & uix demũ à multis reprehensum redijsse cum eo in gratiam, similiter suprà annotauimus. Nestorio fuisse inimicum, expresè Socrates habet: & Ibas quoq; scribit, ex odio ipsum causam inuenisse aduersus Nestorium, in suprà memorata epist.

Isidorus in literis suis ita Cyrillum compellat: Multi nanq; qui Ephesi tecum cõgregati fuerunt, publicè te traducunt, quòd inimicitias tuas perseçutus sis: & nõ rite atq; ordine, iuxta rectę fidei sentẽtiam ea quę [illegible] Christi sunt quæsiueris, &c. Verùm & Isidoru, snõ tam quę certò explorata habebat, aduersariorum fortè Cyrilli, arguit.

Ordini Ecclesiastico uniuersi sui episcopatus, ac in primis Alexandrinæ ecclesiæ ministerij collegio fuisse ualde acceptum, & tãtæ apud ipsos authoritatis, ut pro ipso pericula & certamina subire nõ modò non detrectarint, sed etiam infanda quoq; pro ipsius defensione peruerso quodam zelo perpetrare non erubuerint: tum monachorum ille cõtra præfectum tumultus, ut in superioribus narrauimus, manifestè ostendit: tum etiam aliud non minus atrox factũ, nec ullis Christianis, nedum ministris Ecclesiarũ dignũ, quòd mulierem Hypatiam in philosophicis studijs

ſtudijs excellentiſsimam, atrociſsimo necis genere interemerunt quidam ex clero Alexandrino, nullâ aliâ ob cauſam, quàm quòd in ſuſpicionẽ uocabatur, quaſi per eam ſtaret, quo minus urbis prẽfectus Oreſtes flecti poſſet ad reconciliationẽ cũ epiſcopo Cyrillo. Socrates lib. 7. cap. 15.

In epiſcopatu fuiſſe annos trigintaduos. commemorant uterq; in ſuis accuſatorijs libellis, quos Chalcedone in ſynodo contra Dioſcorum, huius Cyrilli ſucceſſorem, offerũt. Theodorus & Athanaſius, eiuſdẽ Eccleſiæ diaconi: & Liberatus in ſui Breuiarij cap. 10. Nicephorus lib. 14. cap. 47.

Moriturus teſtamentũ condidit, & plurima ex ſuis facultatib. legauit in epiſcopatu ſibi ſucceſſuro: & ſimul per ſacra etiã myſteria adiurauit eundem, quicunq; ille eſſet futurus, ut genẽ ac cognationẽ ſuã foueret, nec ullo eis modo moleſtiam crearet. Quo anno diem ſuũ obierit, expreſſum non eſt. Tertio anno poſt celebratã iſtam Epheſinã ſynodũ, in uiuis adhuc fuiſſe, Vincẽtij Lirinenſis teſtimonio patet ex fine libri ſui aduerſus omnium hæreſeon nouationes. Et Nicephorus illud diſsidiũ inter ipſum & Oriẽtales, quarto demũ anno compoſitum, narrat libro decimoquarto, capite trigeſimoquinto.

PROTERIVS.

Dioſcoro relegato, cõmuni ſynodi, Chalcedonenſis ſcilicet, ſententia Proterius Alexandrinũ epiſcopatũ ſortitus eſt. Euagrius quarto cap. lib. ſecundo. Eius ordinationẽ breuiter deſcribit Liberatus decimoquarto capite Breuiarij. Reuerſos quoſdam ex epiſcopis, & alios eccleſiaſticos uiros qui cum Dioſcoro ad ſynodum exierant, Alexandriã, ut cum ciuium conſenſu eligeretur epiſcopus, cum iam de eodẽ negocio præceſsiſſent ſacræ Imperatoris literæ. Conueniente ergo nobilitate ciuitatis, multam obortam dubitationem, ciuibus neminẽ prorſus Dioſcoro uiuente creandum adſerentibus, ne adulterium committerent: nouiſsimè tamen uniuerſorum ſententias conſenſiſſe in Proteriũ. idq; ideo magis, quòd eidem etiam Dioſcorus iam antè quoq; Eccleſiam commendauerat, (ad ſynodum fortè proficiſcens.) ordinatum itaq; ac inthroniſatum Proterium, præſentibus illis epiſcopis qui ſuo quoque loco nominantur.

Proterio partem Alexandrini populi aduerſatam, & Dioſcorum repetiuiſſe: partem rurſus firmiter eidem adhęſiſſe, & inde perniciоſum tumultum exortum, 5 cap. lib. 2 Euagrius refert. Ex illis autem aduerſarijs, duos ex miniſterio eius Eccleſiæ nominatim profert ſcriptum, cui titulus De prauitate Dioſcori, ſub finem Chalcedonenſis concilij: itẽ Liberatus in Breuiario, capite 15: nimirum Timotheum Aelurum presbyterũ, & Petrũ Moggum diaconum. quos, quia penitus ab Eccleſiæ reliquo cœtu receſſerãt, nec Proterio communicare uolebant, cũ nulla ratione reuocare poſſet, damnarit: ac fuiſſe quoſdã, qui ipſi Proterio communicare detrectarint, inde etiam colligi poteſt, quòd pœnas in eos ſtatuit Imperator Marcianus, ſicut oſtẽdunt literæ eius ad Palladium præfectũ prætorio. Et fit earum pœnarum etiam mentio in l. quicunq;. C. de hæreticis & Manichæis. In multis periculis Proterium uerſatum, quàm diu in gubernatione uixerit, ita ut opus ei fuerit protectionis gratia, militari cuſtodia, uſq; ad mortem Marciani, nec tamẽ potuiſſe inimicorũ euadere manus: Liberatus narrat. Item ad pontificem Romanum Leonẽ ſuæ fidei rationem reddidiſſe ſcriptis literis, quam etiam Leo acceperit & approbauerit. Ipſum quoq; Proterium ut orthodoxum & catholicum doctorem ab eodem receptum, & gratitudinis ergò antiqua iſtius ſedis iura iuxta Canones & priuilegia uiciſsim ei confirmata, oſtendunt epiſtolę duę Leonis. quarum prior ad Iulianũ epiſcopum, quę eſt numero ſexageſimaoctaua, ſic habet: Fratrẽ Proterium Alexandrinæ urbis epiſcopũ, gratulor ſatisfactionis plenas de fide ſua ad nos literas direxiſſe, & manifeſtè quid'nã teneat indicaſſe, cui me dignam gratiam pro fidei ipſius ſinceritate neceſſe eſt præſtare, ut honorẽ in nullo ſuæ prodat Eccleſiæ, ſed ſedis ſuæ priuilegia, paternæ antiquitatis exemplo, iuxta canonũ illibata iura poſsideat. Altera ad Imperatorẽ Marcianũ 69. ex qua inſuper & hoc apparet, Imperatorẽ quoq; teſtimonium præbuiſſe de doctrina Proterij, ad Leonem. Mortuo Imperatore Marciano, ſchiſmaticis iſtis duobus authoribus (ut Liberatus habet) rurſum pars iſta ſeditioſorũ & Dioſcoro adhęrentium, captata occaſione interregni, in optimum paſtorem incurrit, eumque occidit.

TIMOTHEVS SALOPHACIOLVS.

Aeluro per Imperatorem Leonẽ excuſſo, ſubſtitutus fuit ab Alexãdrinis alius Timotheus, quem quidam Salophaciolum, quidã etiam Baſilicum uocabant: Euagrius undecimo capite tertij libri. Liberatus ait, à quibuſdam etiam Asbum uocatũ, & Catholicũ fuiſſe: capite decimoſexto. Eiuſdem fidei & ſententiæ, cuius fuit Proterius, & hunc fuiſſe Nicephorus refert, decimoſexto capite libri decimiquinti. Commendat eundem à doctrinæ rectitudine, & animi manſuetudine, etiam Acacius Conſtantinopolitanus in literis ad Simplicium Romanũ epiſcopum. Tanta autẽ fuit huius manſuetudo, ut etiã uitio ipſi data ſit. Narrat enim ibidem Liberatus, eum propterea etiam à ſuis, & qui e-

iusdem cum ipso essent communionis, accu
satũ apud Imperatorẽ, quòd nimis remissè
& placidè sese aduersus hæreticos gereret.
Et ideo monitum ab Imperatore per literas,
ne cum hæreticis congressum aut baptisma
celebraret. Verùm nihilominus ipsum suos
mores retinuisse, & ita quidem, ut quàm diu
fuerit in gubernatione, nõ minus ipsum ad-
uersarij quàm suæ partis homines amore p-
secuti sint, & publicè in uijs ac Ecclesijs ei
acclamarint: Tametsi tibi non communica-
mus, tamen te amamus.

Porrò ubi Basiliscus imperiũ occupauit,
& Timotheũ reuocauit, abdidit se, ut saluti
suæ consuleret, in quoddam monasteriũ in
Canopo castello, ut idẽ Liberatus meminit:
& Euagrius libro tertio cap. undecimo. Po-
steaquã aũt Zeno rursum potitus est regno,
recepit ipsius mãdato etiam Salophaciolus
suam Ecclesiã, & per legatos Imperatori gra
tias egit, ac petijt ab eo, ut Petrum Moggum
diaconum remotũ penitus à Christiana so-
cietate, sed tamen Alexandriæ latitantem, &
Ecclesiæ insidiantẽ, longius aliquò in exiliũ
deportari curaret. Idem etiã ad Simplicium
papam scripsit. restituit Gennadium Hermo
poleos episcopum consanguineum, pulsum
ab Aeluro. Deniq; cum Ecclesiæ præfuisset
annos uiginti tres, & menses sex, mortem cũ
uita commutauit.

IOHANNES TABENNESIOTA.

Ioãnes presbyter fuit in Alexãdrina eccle
sia, & habuit simul demandatam curam œco
nomiæ templi cuiusdam, quod Iohanni Ba-
ptistæ sacrum fuit. Euagrius lib. 3, cap. 12. Ex
œconomo presbyterum factum Tabennesi-
otis & Talaidæ cognomen habuisse, Libe-
rat⁹ refert duodecimo capite: ac traxit illud
fortè cognomen à patrio loco, unde ortũ ha-
buit. nam idem Liberatus decimoseptimo
capite, nominat illum Iohannem de Tala-
ida. Nicephorus appellat eum presbyterum
Tabennesiotam: & Tabennesium, undeci-
mo capite, & decimosexto, libri decimisexti.

Venit in Imperialem urbem Constanti-
nopolim in legatione, petiturus ut Alexan-
drinis post obitum sui episcopi liceret, quẽ i-
psi uellent, in demortui locum sufficere: ac
simul una eademq; opera ipse sibi acquirere
tẽtauit episcopatũ, ut Euagrius ex Zacharia
cõmemorat. Verùm cum eius uersutię ani-
maduersæ ab Imperatore fuissent, eum iusi-
urandum dare coegit, nunquam se Alexan
drinãm sedem ambiturum esse. Nicephorus
undecimo capite libri 16. At uerò cum paulo
pòst diem suum obijsset Alexandrinus epi-
scopus, Timotheus ille Salophaciolus, Iohã
nes iuramẽtũ Imperatori præstitũ contẽpsit:
& datis pecunijs effecit, ut episcopus elige-
retur. Quo cognito, Imperator illũ expelli
iussit. Euagrius ibidem.

Liberatus decimoseptimo capite, nullam
interuenientis pecuniæ mentionẽ faciens,
scribit, ipsum ob fidem & gubernandi ratio-
nem, quam in eo cognitam habuerint, fuisse
ordinatum ab episcopis, clericis & mona-
chis. & de ipsius eiectione uerba faciens, nõ
statuit præcipuam ipsius expulsi causam, iu-
ramentum non seruatum: sed quòd episco-
pus creatus, nec exerit de sua ordinatione
literis commendatorijs certiorem reddere
Cõstantinopolitanum præsulem Acacium,
fretus amicitia cuiusdam aulici officiarij, ut
apparet (Magistrũ Liberatus appellat) quẽ
primùm sibi, dum illa legatione fungeretur,
de qua antè conciliauerat: postea etiam do-
mũ ad œconomiam reuersus, amplis donis
eiusdẽ officia emercatus fuerat. Hunc, post-
habito Acacio, de nouo suo episcopatu per
legatum certiorem fecerat, eumq; suam cau
sam apud Imperatorem agere cupiebat, ad-
ditis simul & ad Imperatorẽ literis proprijs.
Quia uerò eius legatus Magistrũ illũ Con-
stãtinopoli nõ reperit, ipse quoq; illicò inde
discessit, quæsiturus eum: nec literas ullas
uel Imperatori, uel alijs reddidit. Interea
uerò resciuit Acacius de ordinatione Iohan-
nis, & peracerbè tulit sui contemptũ, quòd
literas Synodicas mittere sibi intermisisset.
unà ergo cum Gennadio, Timothei con-
sanguineo, & apud Cõstantinopolim apo-
crisiario seu causidico, Iohannem apud Im-
peratorem accusauit: & accessere etiã patro-
ni Petri Moggi. Horũ impulsu Imperator Io
hannẽ, recens creatũ episcopũ, expelli man-
dauit. Sed quęcunq; etiã fuerint occasiones,
suo certè edicto fugatũ, & quidẽ ppter uio-
latum iusiurandum, ipse Imperator fatetur
in literis ad Simplicium & Felicem Rom.
episcopos, ut refert Euagrius eo ipso libro,
capite decimoquinto & uicesimo.

Iohannes pulsus primùm Antiochiam
abijt, ad illum suum Magistrum: cuius ami-
citia cõfisus, cuncta se obtinere apud Impe-
ratorem sperauerat. nam is tum negocio-
rum Imperialium gratia ibidem agebat. E-
ius etiam tum consilio usus, literas cõmen-
daticias & synodicas accepit ab Antioche-
no antistite Calandione, ad Simplicium Ro-
manum episcopum, & Romam ad eundem
perrexit: & ipso compellato impetrauit,
ut pro se Acacio scriberet Romanus episco-
pus: narrat Liberatus. Romam profugum
adijsse, decimoquinto capite Euagrius quo-
que meminit: & turbas conciuisse, ac dicti-
tasse, ob Leonis scriptum & Chalcedonen-
sem synodum se eiectum esse. Simplicium
igitur motum ipsius narratione, literas ad
Imperatorem Zenonem dedisse. Cui Zeno
in istam sententiam, quam paulo antè reci-
tauimus,

tauimus, reſponderit: Non ulla uidelicet alia ipſum, quàm periurij cauſa excuſſum.

Felici quoque poſt Simplicium Romanæ eccleſiæ gubernatori, eaſdē exhibuiſſe molestias Iohannem, & contra Acacium conciſſe, in Acacio narratur, ex Euagrij capite decimooctauo. Ac apparet ex epiſtola Felicis ad Acacium, qua eum excommunicat, Iohannem iſtum ex ſcripto accuſaſſe Acacium, de grauibus criminibus. Verùm & Felici ipſe Imperator Zenon in eandem ſententiam reſpondet, Iohannem ſuo merito eiectum, ob commiſſum ſacrilegium in iuramenti uiolatione: capite uicesimo, tertij libri.

Certè ſiue periurio ſiue quocunque artificio ad epiſcopatum peruenerit, tamen catholicè ordinatum, & pro catholico habitū epiſcopo ab epiſcopis, & alijs Eccleſiaſticis per Ægyptum, & præſertim monachis, imò & à monachis urbis Imperialis Conſtantinopoleos, manifeſtū eſt ex narratione Euagrij capite uicesimo, & uicesimoprimo. Romani autem epiſcopi non modò ut catholicum & legitimum epiſcopum receperunt, uerùm etiam eius defendēdi, & ipſi porrò prouidendi curam ſuſceperunt. Ita Felix crimina ab ipſo obiecta Acacio, cum ad ea non reſponderet, pro confeſsis accipit, & inter caulas etiā, ob quas Acacium damnat, meminit: teſtis epiſtola illa damnatoria in primo Conciliorum tomo, ſub ipſius decretis.

Eius in fide ſanitatē, Gelaſius Felicis ſucceſſor in epiſtola ad epiſcopos Dardaniæ in hunc modū defendit: Dicat Acacius, inquit, qua ipſe ſynodo, ſecundæ ſedis antiſtitem (hunc ſcilicet Ioannem) qualemcunq;, certè catholicū, & à catholicis ordinatum, nec de catholica fide & communione aliquatenus impetitum, duxerit excludendum, & hæreticum Petrum illi permiſerit ſubrogandum, &c. Et ab ipſo quoq; Felice demum Nolanæ eccleſiæ, quæ eſt in Campanijs Italiæ, præfectum, quam etiam per annos rexerit plurimos, atque in eadem tandem defunctus ſit, Liberatus in decimooctauo capite ſui Breuiarij refert. Nicephorus eodem libro decimoſexto, cap. 26 cōmemorat, hunc Iohanem Tabenneſiotam, ubi cognouiſſet poſt Zenonis obitum, Imperatorem factum Anaſtaſiū, quo Alexandriæ olim amico non uulgari fuerat uſus, reuerſum eſſe in Orientem, ad ſedem ſuam priſtinam recipiendam, fretum Imperatoris amicitia, quam peculiari aliquando beneficio demeruerat, cuius etiam ratione ipſe Anaſtaſius iure tam naturali quàm diuino, ad mutuā gratitudinem uicissim præſtandam tenebatur. Nam domo eum ex naufragio olim receperat, eiq; omnē curam & benignitatem impenderat. Verùm Anaſtaſiū ex ingrati animi uitio immemorem accepti beneficij, pro liberalitate exilij gratiam ei retuliſſe, ac proinde denuò profugum Romam fuiſſe reuerſum. Platina, & alij qui Pontificum uitas exhibent, ſcribunt in Gelaſio, hunc Tabenneſiotā ſub Gelaſio Romam profugum ueniſſe: à quo etiam perbenignè & comiter ſit acceptus. Atque ea eſt fortaſſe fuga, quam denuò ei ſub Anaſtaſio præter expectationem accidiſſe Nicephorus refert. Alioqui non uidemus, quomodo iſta cum ſuperioribus congruant: imò ne ſic quidem cogitare poſſumus, quomodo conueniat utrunque, & quòd ex Nicephoro de altera ipſius fuga, & quòd ſub Gelaſio quoque Romam profugiſſe ſcribitur, ad illud quod antè de epiſcopatu Nolano ei per Felicem tradito narratum eſt.

AMBROSIVS.

Ambroſius Alexandrinus fuit, auditor Didymi, & magnū uolumen aduerſum Apollinarium ſcripſit. In Iob etiam ediditſſe Commentarios, ex aliorum relatione, & ſuo tempore adhuc fuiſſe ſuperſtitem, narrat Hieronymus in Catalogo. Platina in Zoſimo, eum ſub Imperium Arcadij & Honorij reijcit. Petrus de Natalibus, tempore Theodoſij iunioris, in eadem urbe, in Domino ipſum quieuiſſe refert, capite ſeptuageſimoſexto, libri noni: & quidem ex Hieronymo de Illuſtribus uiris, quæ tamen appendix ibi non extat.

PRESBYTERI ALEXANDRINI.

ISIDORVS PRESBYTER

ISidorus in iuuentute monachum in Scethi egit: Sozomenus libro octauo, capite ſecundo. Presbyter poſtea eccleſiæ Alexandrinæ ab Athanaſio creatus eſt, & pauperum ac peregrinorum curam geſsit. Palladius ob egregias uirtutes plurimùm ipſum commendat: quòd fuerit mitis, benignus, & pacem cum omnib. coluerit. quin etiam gentiles in ſui admirationem conuerterit, ut etiam umbram ipſius reueriti fuerint, ob inſignem naturæ bonitatem. Tribuit etiam ei maximā cœleſtis doctrinę & ſacrarum Scripturarum cognitionem: cuius tamen (quod maximè culpandum) ne breuem quidem, & uel mutilam aliquam ſententiam profert, cum interim mirè occupetur in priuatis exercitijs ipſius: utpote quòd præter uittam nihil aliud ex lino contextum toto uitę tempore geſtarit unquam, quòd non balneo uſus, carnes non tetigerit, à menſa nunquam ad ſatietatem repletus receſſerit, & tamen nihilominus bona corporis habitudine fuerit: quòd cum abūdaſſet opibus, teſtamentū tamen moriens non inſtituerit, nec ſororib.

pe c uniam reliquerit,uerbo & fiducia diuinę boni tatis eas cõfirmãs. fore enim,ut qui eas cond idisset Deus,ipsis etiam uictum,ut sibi, prouideret.

Theophilus Alexandrinus,cum Theodosius bellum cõtra Maximũ tyrannũ gereret, eum Romam cum munerib. & gemina epistola ablegauit,ut Victori alteram epistolam gratulatoriã & munera offerret.Ibi proditus à suo comite, uix fuga periculũ declinauit. Hoc scelus ut recitat, Theophilus eum in precio & honore aliquandiu habuit: ac studuit eum ecclesiæ Constantinopoleos, post Nectarium, repudiato Chrysostomo,pręficere episcopũ.Sed paulo pòst magna atrocitate eum prosequutns est. Eius aũt offensionis causas uarias autores recitant. Vnam Socrates cõmemorat lib.6.cap.9,quòd ueritatis testimonium præbuerit cuidã Petro, eiusdem Alexandrinę ecclesię inter presbyteros præcipuo,aduersum Theophilũ: qui Petro infensus, ab ecclesia ipsum remouere tẽtabat: & propterea obijciebat,quòd mulierẽ quandam Manichęã ad cõmunionem admisisset, priusquam hæresin ritè abiurasset. Ille uerò Petrus, admisisse se eam non quidẽ negabat, sed sua ipsius Theophili uoluntate & sententia id factũ:cuius rei testem appellabat Isidorum,qui & pro ipso testimoniũ dicebat. Meminit huius causę etiã Sozomen⁹ lib. 8. cap. 12. Atq; idẽ subiungit etiã alias duas.prior cõmunis ipsi cum eodẽ presbytero, quòd uidelicet ambo detrectarint in Theophili gratiã testificari,ipsum à sorore sua hæredem fuisse scriptũ.posterior priuata, quòd pecuniã publicã, quæ in usus pauperũ piorũ liberalitate cõtribuebatur, & cuius ipsi distribuẽdi delegata erat cura, cũ esset xenodochij procurator,episcopo cedere noluerit,eã in pomposas tẽplorũ structuras impendere uolenti,aut sub isto potius prætextu in priuatũ usum cõuertere cupienti. Et laudabile est ipsius, quo episcopi redarguit cupiditatẽ, epiphonema,cum dixit:Rectius & magis pium esse,ut ea pecunia malè habentiũ, & cum uarijs ægritudinib. cõflictantiũ, reficiantur ac curẽtur corpora,quæ ueriora sint Dei ipsius templa, quorũ etiam gratia ea sit potissimũ collata, quàm ut in sumptuosè extruendis parietib us illa insumatur.

Antoninus titulo x. capite 9.§2. uidetur hãc eandẽ causam, sed aliter & plenius commemorare ex Palladio, qui Chrysostomi uitam cõscripsit.ita aũt narrat. Quædã istius ciuitatis ex primarijs fœminis uidua, Isidoro numerauerat prompta pecunia mille aureos,sumpto ab ipso iuramento,ut eã in nullos alios usus,præterquam pro uestiendis egenis & pauperibus bona fide erogaret. Idq; clã episcopo fecerat,&occultũ esse cupiebat, ne quo modo ipse rescisc ens, eam pecuniam arriperet,& emendis lapidibus impenderet. Theophilus id per suos exploratores rescit: & ab Isidoro postulat, ut sibi eam pecuniã tradat. Quod cum ille retulisset, male id uirũ habebat,& cogitabat de uindicta. Post duos itaq; menses cõuocat totũ collegium clericorũ: & prolata charta, narrat eã sibi ab annis octodecim à quodam aduersum Isidorum oblatã: uerùm quòd tum temporis negociorũ multitudine ita fuerit obrutus, ut actori iudiciũ dare non potuerit, reposuisse, & causam totã interea obliuioni tradidisse. Nunc uerò casu se incidisse in accusatorium illum libellum,qui quòd flagitiosum ipsi crimen, & in Ecclesiastica persona neutiquam ferendũ impingat, non posse se pro ratione sui officij,diutius silentio id premere.petere itaq;, ut ad intentatum sibi crimen respondeat. Charta aũt illa à Theophilo ipso erat cõficta,& de peccato Sodomitico cum quodam puero perpetrato, Isidorum accusabat. Isidorus iubet coràm adesse accusatorem. Quanquam autem Theophilus quindecim aureorum precio emercatus fuerat puerum quendã, qui hanc fabulam ageret, coramq; in iudicio Isidori accusator adesset: tamen is & propriæ conscientiæ metu perculsus, & periculo etiam pœnarum deterritus, si fortè res minus succederet fraude detẽcta, non cõparet in iudicio. Theophilus,tametsi deesset actor ac testis obiecti criminis,tamen aduersus Isidorum sententiam pronunciat, & Ecclesia eum eijcit. Isidorus episcopi furori cedendum ratus, relicta Alexandrina ecclesia, sese in montem Nitrię recipit,ad Lõgos fratres in Scethi habitantes. Illi eius querelas audita,adiunctis alijs quibusdam,pro Isidoro apud Theophilum intercedunt. Sed nihil magis efficiunt, quàm ut paulo pòst etiam ipsi ab eo è suis locis deturbentur. Et hoc modo Palladius, authore (ut dictum) Antonino ,causam disruptæ amicitiæ enarrat.Siue aũt hæc, siue priores,siue quæcunq; aliæ fuerint concepti odij causæ aduersus Isidorum: omnium tamen consensu certum est, remotum ipsum, ac loco pulsum à Theophilo,& inde recessisse ad Longos fratres in Scethim. Qui etiã nonnullis alijs adhibitis,coràm ad episcopũ pro Isidoro intercesserunt. Horum autem exilij comitem præbuit se Isidorus: & primùm quidem Hierosolyma,deinde Scythopolim,postremò Constantinopolim simul cum ijs concessit,ut de uiolentia episcopi, & maximis iniurijs cum socijs apud Imperatorem & episcopum Chrysostomum quererentur.

Porrò quid demum Cõstantinopoli egerit,nunquid episcopo reconciliatus, an nũ, scriptores (quod sciamus) non explicãt, sed in medio

in medio relinquunt. unus Palladius in eius uita scribit, eũ uixisse octogintaquinq; annos, & in pace obijsse.

PETRVS *Alexandrinus.*

Petrus Alexãdrinę urbis presbyter, notariorum in Ephesina synodo prima cõtra Nestorium quasi princeps fuit, quod acta testãtur, & Catalogi, qui sæpius repetũtur in prima actione Chalcedonensis concilij.

ATHANASIVS *presbyter.*

Athanasius presbiter Alexandrinus fuit, & inde etiam genus duxit. matrẽ habuit Isidoram, germanam Cyrilli. Auunculo aũt Cyrillo mortuo, grauissimis obnoxius fuit persecutionibus, ac unà cũ fratre eiectus est. Inde cum Constantinopolim concessissent, opem & auxiliũ à superiore magistratu petituri, sceleratis Dioscori artibus custodijs conclusũ, & durissimis afflictionib. subiecti sunt, tantisper dum omnibus quæ in rebus mobilibus habebant, cederent. Neq; satis hoc fuit, nisi pro redẽptione insuper ingentem pecuniarũ numerarent summã, quæ locupletissimorum hominũ census exhauriret: quã pecuniam grauissimis usuris à fœneratoribus corrogare quum oportuerit, factum est ut ad extremam mendicitatẽ sit redactus. Offert itaq; etiã iste Athanasius scriptam accusationem synodo Chalcedonensi contra Dioscorum, in qua, præterquã quod sibi de illatis maximis iniurijs satisfieri postulat, graphicè etiã ueluti in tabula ob oculos ponit Dioscori scelera, flagitia, & immanem feritatem. Extat hoc eius scriptũ in tertia actione Chalcedonẽsis synodi, in primo Conciliorũ tomo. Meminerunt huius & Euagrius, & Nicephorus: & uterq; eum Cyrilli nepotem dicit.

CHARMOSINVS.

Presbyter & œconomus, Euthalius item diaconus Alexãdrinæ ecclesię, & in collegio Ecclesiasticorũ istius urbis proculdubio primi. Nam Chalcedonẽsis synodus Dioscoro damnato, & remoto à rerum gubernatione, eis præcipuã gubernationis curam cõmittit, donec alius in amoti locum sufficiatur. Extat de hac re breue scriptum, ad finem ferè tertiæ actionis eiusdem Concilij, in primo tomo Conciliorum.

DIACONI ALEXANDRINÆ *ecclesiæ.*

ISCHIRION.

Ischirion diaconus Alexandrinæ ecclesię, in Chalcedonẽsi synodo offert libellũ, in quo grauiter accusat suũ pastorẽ Dioscorũ, impietatis & blasphemiarũ in sanctam Trinitatem; auariciæ itẽ, quòd quę Imperatorum liberalitate ad istius Ecclesiæ usum & egenorum solatium essent collata, ipse interceperit, & augẽdo rerũ precia, suos quasi quæstus fecerit: & tyrannidis, qua tũ alios plurimos, tum se præ cæteris persecutus sit, quòd statim à morte Cyrilli à ministerio amouerit, & ex possessionib. suis excusserit, eas q; insuper incẽdijs & uastationibus perdiderit, & ad extremam inopiam redegerit, &c. Ex eadẽ aũt relatione apparet apud Cyrillum Alexandrinũ, hunc Ischirionẽ in magno fuisse precio, & Cyrillũ hui⁹ opera plurimũ usum in legationib. Expressè enim dicit, frequentibus peregrinationibus uires suas fractas, & corpus languidũ ac debile redditũ. Et hanc unam causam etiã adducit odij Dioscori aduersum se, quòd uidelicet apud Cyrillum plurimũ ualuerit, &c. Formula accusationis seu libellus, uerbo ad uerbum recitatur in tertia actione Chalcedonensis concilij.

Euagrius ultimo secundi libri capite, mulierem facit hunc Ischirionem, & Ischiriam diaconissam nominat. Nicephorus tamẽ in tractatu de isto Concilio, addito ad finem libri decimiquinti, Ischirionis diaconi habet nomen: ut & Conciliorum tomi,

THEODORVS.

Theodorus itidem Alexandrinæ ecclesiæ diaconus, sub Cyrillo, quo defuncto & ipse ab eius successore Dioscoro, & ab officio remotus, propterea oblato libello Dioscorum in Chalcedonensi synodo obijciens grauiter accusat, eadẽ ipsũ obijciens crimina blasphemiarum, turpitudinũ, cędiũ ac persecutionũ omnis generis, etiã in inanimata, omniũ aũt maximè in Cyrilli amicos & fautores, sed & proprios hæredes. Extant & huius accusatoriæ tabellæ ibidem. Meminerunt etiã eius tum Euagrius, tum Nicephorus, ijsdẽ locis,

POSSIDONIVS.

Possidoniũ ecclesię Alexãdrinę sub Cyrillo fuisse diaconũ, caput quartũ Breuiarij Liberati indicat, quo narratur Cyrillũ eũ ad Cœlestinũ papã ablegasse, & certiorẽ p epist. de Nestorij recentib. blasphemijs, & Cõstãtinopolitanę ecclesię turbulẽtissimo statu fecisse.

PERGAMIVS.

Fuerat hic Pergamius Hyparchus Aegypti. Iohanne autem Tabennesiota Alexandrinę ecclesię œconomo per malas artes ad episcopatum anhelãte, & propterea pulso, ipsi œconomia illa quam Iohannes administrauerat, commissa est, ex sententia Acacij Constantinopolitani episcopi. Atque is Pergamius factus iam œconomus, & Alexandrinam ingressus, Petro Moggo suasor fuit, ut unitiuum seu conciliatorum scriptum Zenonis, & insuper dissidentes quoque receperit. Author Euagrius libro tertio, capite decimotertio.

ÆGYPTII

AEGYPTII EPISCOPI.

EVSEBIVS PELVSIVS

EVsebio Peluſij epiſcoporum monaſterij Eccleſiaſtici authoritatem ademerat Proterius Alexandrinus epiſcopus: ſed ob quod delictum, non explicatur. Quare ut ſe uiciſsim ulciſceretur, coniungit ſe Aeluro, qui Proterio, excuſſo legitimo paſtore primario, Alexandrinæ eccleſiæ adminiſtrationem per fas & nefas affectabat: eiq; in ordinando ſuum officium præſtitit, unà cum Petro Maiumenſi. Euagrius libro ſecundo, capite octauo. Et temporibus ſanè Marciani ipſum Euſebium ſuam gubernaſſe eccleſiam, ex eo patet, quòd ea quæ Proterio optimo uiro inſidiatore Aeluro acciderunt, ita tim à Marciani morte in ipſo interregno perpetrata ſunt: ſicut ex Proterij hiſtoria uidere eſt.

ATHANASIVS.

Buſiridis, ciuitatis Tripolis Aegypti epiſcopus, ex Epheſina Prædatoria ſynodo notus eſt, in qua ſententię cõmuni de Eutyche recipiendo conſenſit, ut eſt in actis eiuſdem. Fuit etiam in Chalcedonenſi concilio, ut patet ex Catalogo, in primo Conciliorũ tomo.

GENNADIVS HERMO *polis.*

Gennadius, Hermopoleos in Aegypto, ſiue inferioris ſiue maioris (in quo quidem ſcriptio uariat) fuit epiſcopus, temporibus Zenonis: & cõſanguineus Alexandrini epiſcopi, Timothei Salophacioli, & Catholici dicti. eum Timotheus Aelurus ſua eccleſia deiecerat. uerùm reſtituit eundem pòſt ſuus ille conſanguineus, cui deinde etiam operam in obeunda legatione præſtitit ad Imperatorem Zenonem Conſtantinopolim: ubi etiam moratus eſt, ipſius archiepiſcopi Timothei cauſidicum ac procuratorem agens, quem Apocriſarium dicebant. Poſtea mortuo Timotheo, & in ipſius locum Iohanne Tabenneſio ſubrogato, eius unà cum Acacio Conſtantinopolitano accuſator ad Imperatorem extitit: effecitq; ſimul cum collega Acacio, ut Iohannes ille per Imperatorem pelleretur. Liberatus in Breuiario capite decimoſexto & ſeptimo.

ANTHEON ARSINOES.

Antheonem Arſinoes Aegypti, ut arbitramur, epiſcopũ, tẽporib. Imperatoris Zenonis & Acacij Conſtãtinopolitani uixiſſe cõſtat: quo Antiochię Petrus Gnapheus nouas turbas in Eccleſia ciebat, ſemina errorũ ſpargebat, addendo ad hymnũ Triſagium, QVI CRVCIFIXVS EST. nam hic ſe Petro ſtrenuè oppoſuit. Extat eius ad eundem epiſtola in ſecundo Conciliorũ tomo Colonienſi, qua grauiter reprehendit, ut & alij, hominis intempeſtiuum ſtudium: oſtenditq; quàm tetra errorum offendicula ſint inde ſecutura ex iſtius clauſulæ adiectione: imò quàm ſit ipſe impius & blaſphemus in Chriſtum, ſi uerè ita ſentiat, & factum hoc ſuũ defendere pergat. Ac obiter ipſe ſuam de filio Dei incarnato ac crucifixo ſententiam, ſcripturis & uerbo Dei congruentem oſtendit: ſicut hæc dicta teſtantur. Neque enim diuinum dicimus paſsibilem, ſicut tu dicis, neq; mundum uerbum dicimus crucifixum, ſed Chriſtum IESVM. Et pòſt tum de Chriſto tum de tota diuinitatis Triade egregiam habet ſententiam, ex qua iudicium lumi poteſt, ipſum in hoc articulo non habuiſſe erroneam aliquam opinionem. Ita autẽ inquit: Dicis enim, Sanctus Deus: & quis neſcit, quoniã primus pater ſit ſecundum ordinem opinationis omnibus conſuetæ, licet non ſecundum eminentiam diuinæ dignitatis? Poſtea dicis, Sanctus fortis: & quis neſcit, ſecundum prophetam Eſaiam, natum nobis Chriſtum IESVM puerum, cuius principiũ fuit ſimul cum ipſo, & uocatur & eſt magni conſilij angelus, Deus fortis? Si enim crucifixus eſt, ex infirmitate, infirmum noſtrum aſſumens corpus, hoc paſſus eſt. Fortis autẽ Deus exiſtens, uoluntariè ad crucem propriũ exhibuit corpus, ſicut dicit Propheta: Ipſe infirmitates noſtras aſſumpſit. Deus aũt & homo, ab omnibus ſimul confitetur Chriſtus. Tu ſolam fortitudinem Chriſti Deitatis dicis: & percurrens hoc, ueniſti ad Spiritum ſanctum, & confeſſus fuiſti (ſicut eſt uerè) immortalem.

ARCHEBIVS PANEPHISI *Epiſcopus.*

Archebius Caſsiani ſcriptis debet, quòd eius aliqua apud poſteros hæret memoria. Fuit aũt (eo authore, Inſtitutionũ lib. 5. de ſtrimargia, capitib. triceſimoſexto, ſeptimo & octauo) non ignobili familia prognatus, in uico, ad urbem Aegypti Diolcos, ad Nili fluminis oſtia ſitam. In ipſa autem puericia parentum ſe poteſtati ſubducens aufugit, & in monaſterium abijt, quod ab oppido iſto abfuit quatuor milibus ſcilicet paſſuum, in quo ad annum quinquageſimum uſque ætatem ſuam exegit, ita quidem, ut non modò patriæ locum nũquam inuiſerit, ſed nec matrem uiderit. Cum autem interea parentum alter diem obijſſet, relicto matri alieni æris debito ad centum ſolidos, creditores que propterea matri interpellationibus ſuis moleſti eſſent, nec tamen ipſa ſoluendo eſſet: eam quam propter Chriſtum reliquerat (ita enim uideri uolebat genus hoc hominum) propter pietatem rurſum ſibi amplectendam cogitauit. Ergo monaſtiorum operum ſtatutum penſum triplicatum,

tum, diebus pariter ac noctibus desudans, quotidie absoluit: & quicquid inde ultra id quod pro consuetudine in publicum collegij ærarium erat reponendum, corrasit, id omne pro matre impendit, atque ita eam ab omni creditorum molestia liberauit. Pietas omnino celebranda. Relicto autem hoc uitę instituto, secessit in eremum: undecima collatione, capite secundo. Inde uerò præter suam uoluntatem pertractus est ad gubernationem ecclesiæ oppidi Panephisi. De cuius uel gubernatione, uel doctrina, amplius nihil quod referamus habemꝰ, quàm quòd peregrè abierit in oppidũ aliud, cui Thennelo nomen, quod ipsum quoq; ad mare situm fuit, creandi pastoris istius ecclesiæ gratia. Hoc deniq; addere uisum fuit, quòd idem de uitæ ac morum ratione, ad quam se assuefecerat, eremita nihil remiserit, ut ibidẽ traditur. Postremò hoc quoq; monere libet, quòd Arcadio & Honorio imperãtibus, episcopi munere functum, colligi potest ex peregrinatione Cassiani, quæ in horum tempora incidit.

IOANNES MAGILEOS.

Imperante Zenone persecutor fuit unà cum Amone abbate, & alijs inferioris Aegypti monachorum præsidibus, Petri Moggi Alexandrini episcopi, quem Acacius Constantinopoleos seu sua sponte, seu Imperatoris mandato restituerat. Liberatus in Breuiario, cap. 18.

SYNESIVS.

Synesium, quem Euagrius libro primo, capite decimoquinto Cyreneum uocat, ex illustri familia natũm, ex eo apparet, quòd dicit suum parentem genus referre ex ijs qui ab Eurysthene Doriensium duce, publicis tabulis sint honorati: epistola quinquagesimaseptima. Fratrem habuit Euoptium, epistola tertia: Diogenẽ consobrinum, epistola centesima trigesimaquarta.

Vt homo ethnicus, ab ineunte ętate ocio, uenationi, & philosophiæ operam dedit: ac sane multum in ea profecit. haud enim uulgatem cognitionem poëtices, physices, medicinæ, geometriæ, astronomiæ, & historiarum sibi cõparauit: ut patet ex monumentis autorum, quos passim in suis scriptis citat. Fuisse eum de secta Platonica, Nicephorus libro decimoquarto, capite quinquagesimoquinto indicat. Sed tamen ipse philosophum publicum, aut ludi literarij rectorem se fuisse negat, epistola quinquagesimasepti ma. Opera & consilio tamen eius sępe priuati, & magnæ ciuitates usi sunt, & omne tempus usq; ad sacerdotiũ, honore satiatus est, nec ignominiã gustauit: ut ipse testatur epistola 57.

Ad Christianismum à Theophilo Alexandrino cõuersus, & baptizatus est, autore Nicephoro. Floruit sub Theodosio iuniore, cũ Ptolemæenses, quos Dalmatas appellat epistola octuagesimaseptima, eum uocarent ad episcopatum.

Inter alias causas, cur non posset eo officio fungi, hanc præcipuè prætendit, quòd studio & ludo sit assuefactus, & non possit tolerare labores, & simul Ecclesiam & politica administrare: id enim sacerdotum fuisse indicat. & quòd non uelit in sacerdotio uxore sua carere, quam sibi Deus, lex, & sacra manus Theophili dederit: nec cum ea clàm habitare, ut mœchus: & quòd animam posteriorem corpore esse, & mundum interiturũ, & resurrectionem mortuorum fore, non credat: ut patet ex epistola eius centesima quinta. Sed cum populus instaret, Theophilus Alexãdrinus eum ipsis ordinauit episcopũ, sperans eum de resurrectione melius institutum, rectius iudicaturũ. quod & factum esse, Euagrius libro primo, capite decimoquinto indicat.

Inspectorem plurium ecclèsiarum eum fuisse, & ius habuisse congregandi Synodos, ex epistola decimatertia apparet. Sed tamen eius diœcesis ad Theophilum Alexandrinum pertinuisse uidetur, siquidem eius sępe expetit concilium: ut epistola sexagesimasexta, & sexagesimaseptima.

In gubernatione Ecclesiæ dogmata non occultauit, ut in epistola centesima quinta promisit. Contra hæreticos non ipse modò docuit, sed etiam hortatus est suos presbyteros, ut ecclesias fideliter defenderent cõtra hæreticos: ut patet ex quinta epistola.

In blasphemis & sceleratis excommunicandis zelum ostendit: ut constat ex epistola quinquagesimaoctaua, in qua Andronici excõmunicationem alijs episcopis indicat.

Pœnitentiã agentes etiam recepit, & absoluit: ut patet ex epistola duodecima.

Consolatur quendã, pulsum ob id quòd in Arij hæresin noluisset consentire: in epistola centesima uigesimaoctaua.

¶ Scripta ab eo edita, hæc referuntur.

Epistolarum uolumen centum duo sexaginta. De his hodie extant centum quinquagintasex.

De imperio administrando liber, ad Theodosium iuniorem.

Opusculum de insomnijs.

Ad Pæonium, de dono liber: cuius meminit epistola 154.

De prouidentia, libri duo.

De laude calui tij.

De regno, ad Arcadium Imperatorem.

Dion, siue de uitæ suę ratione.

Concio panegyrica.

Oratio-

Orationes panegyricas eum de regib. scripsisse, Suidas dicit. Ipse etiam aliorum quorundam meminit: ut Epigrammatum, epistola septuagesimaquinta. Librorum uenatoriorum, epistola decima, & centesima quinquagesimaquarta: Poëmatum, epistola centesima trigesima: Opusculi iambicis metris de Anima, epistola centesima quadragesimaprima: Librorum de imaginatiua natura, epistola centesima quinquagesimaquarta: & scripti de Globo sphærico, in epistola ad Orum.

¶ Doctrinam cœlestem, postquam ad ministerium accessit, subinde melius didicit, ac percepit.

Deo dicit etiam impossibilia esse possibilia, epistola undecima: eumque semper & ubique propitium adesse bonis, in libro de Regno ad Arcadium. Item, ut igni competat calefacere, & luci illuminare: ita Dei naturam non solùm benefacere, sed etiam utiliter ijs quæ uitiosa uidentur, uti. epistola quinquagesimaseptima.

De Christo dicit, quòd sit pro omnium peccato crucifixus: epistola quinquagesimaseptima.

Spiritum sanctum sentit esse spiritum hilarem, & hilares reddere ipsius participes: epistola quinquagesimaseptima. Ac eijci eum ira furoreque inconsulto, & contentiosa affectione: epistola sexagesimaseptima.

Diabolis epulas esse, mortalium calamitates. libro primo de Prouidentia. ac eos accedentes ad animos, commouere affectiones, per eas partes quæ ipsis sunt congruentes: libro eodem.

De homine dicit, quòd mens eius sit semen Dei: epistola centesima prima. Et quòd homo sit animal hydra monstrosius, dum non eodem modo intelligat, appetat, tristetur, irascatur, uoluptate afficiatur: ad Arcadium, de regno.

De libero arbitrio obiter dicit, quòd Deus studium, cupiditatemq; hominibus immittat, ut omni contentione salutem suam uindicent: libro secundo de prouidentia.

De peccato parum admodum tradit, nisi quòd pœnas æternas mereri indicat: epistola quadragesimaquarta.

Doctrinã de iustificatione ferè nusquam rectè attingit, nisi quòd propter hominem, Christum crucifixum dicit: epistola quinquagesimaseptima. Et melius esse ponere fiduciam in Dominũ, quàm in hominem: epistola quinta.

De oratione inquit: Vt corpus & anima benè ualeat, partim laborandum est, partim orandus est Deus: epistola quinquagesimaseptima. Ac se non amplius sentire consuetam in precationibus animi dulcedinem, queritur ibidem.

De ministerio rectè sentit, quòd oporteat episcopos ad omnẽ ludũ haud aliter, quàm Deũ, inflexibiles esse, & legitimè proloqui, & doctrina congruentem agere uitam: epistola centesima quinta. Ac taxateos qui uolebant, sacerdotium etiam in profanis rebus præsidere, omniumq; sese immiscere negocijs: epistola sexagesimaseptima. Ac laudat quidem eos, qui possunt utrumq; curare, sed uerò id posse negat: epistola quinquagesimaseptima, & centesima uicesimaprima.

Ecclesiæ nõ defuturos doctores, epistola quinta affirmat.

Crucem & calamitates pijs ob peccata sua inferri testatur: sed Deum postea eos, quorũ usus est ministerio in affligenda ecclesia, abijcere & perdere. quinquagesimaseptima epistola.

De coniugio honorificè sentit, dum sibi Deum, & legem, & sacram manum Theophili, uxorem suam dedisse affirmat: ac protestatur, se nunquam eam relicturum, neque cum ea clàm ut mœchũ rem habiturũ, licet ad sacerdotium adhibeatur: ac Deum precaturũ, ut sibi multi & probi gignantur filij: epistola centesima quinta.

Doctrinam de magistratu in libro de Regno ad Arcadiũ, mediocriter illustrat. Discernit enim regem & tyrannũ, seu pium magistratũ ab impio. quòd tyrannus sua quærat, rex uerò id agat ut honesta ordinet, & gregẽ seu subditos pingues faciat. Cõmemorat etiã uirtutes, quib. ornati debeãt esse pij magistratus: nimirũ pietatẽ, orationẽ, prudentiã, modestiã, beneficentiã. ac uitia cauenda monet, impietatẽ, contemptũ precum, impudentiam, luxum, superbiam, auariciam, tyrannidem.

De philosophia dicit, quòd multa contraria præcipiat diuulgatis dogmatibus, scilicet Theologiæ: epistola centesima quinta.

De Næuis eius.

Reperiuntur in eius scriptis quędã ethnicæ opiniones, quales sunt:

Opinio de Venere, quòd ex eius indignatione mulieres Libycæ grandes habeant mammillas, pectoraq; inconuenienter cõposita, ita ut infantes non per alas, sed per humeros lac sugant, mamma in humeros reiecta: epistola quarta.

Opinio de fortuna & fama, quòd deę sint: epistola quadragesimatertia & quadragesimaquarta.

De Mercurio, quem studiorum præsidem facit: epistola centesima prima.

De stellis, quòd eum libenter intueantur, quem uideant spectatorem sui esse cum scientia: epistola centesima prima.

De angelis dicit, quòd conuersantes cum hominib.

hominibus mali affectionem attraxerint ex sylua negociorum, & propterea oportuisse descendere filium Dei: epistola 57.

Peccata sentit purgari pœna, epistola eadē.

Animam esse corpore posteriorē, & mundum interiturum, & resurrectionē mortuorum, antequam ad sacerdotium accederet, non credidit: epistola 105.

¶Etsi amantissimus pacis & tranquillitatis fuit, tamen à certaminibus nō potuit esse immunis. Pugnauit autem contra hæreticos Eunomianos, ut cōstat ex epistola quinta: & contra Arianos, à quibus eiectum consolatur episcopum, epistola 128. Multum ei molestiarum & iniuriarum intulit Andronicꝰ præfectus Pentapolis, quem etiam excōmunicat solenniter: ut patet ex epistola 57. & 58. Dissidium etiam quoddam inter eum & Auxentium ortum esse, ostendit epistola 60: qua eum hortatur, ut secum in gratiam redeat. Fuit etiam illi certamen cum quibusdam sacerdotibus, quos candida & nigra pallia gestare dicit: propterea quòd rhetoricis figuris & poēmata scriberet, & de Homero, deque prehēdissent in eo, quòd libros uenatorios sient eum magis ad ludū idoneū esse, quàm ad sacerdotium. epistola 154.

Quòd ad eius uirtutes attinet, apertus & candidus fuit: ut apparet ex epistola centesima quinta. Maritus etiam in sacerdotio manſit: nec passus est sibi uxorem adimi: ut patet ex epistola 105. In rebus aduersis fuit satis muliebris, ita quidē ut parum abfuerit, quin ob amissum filiū sibi malum intulisset: epistola 57. ac pœnituit eum postea, quòd sibi passus fuit sacerdotij munus imponi: epistola 67.

Theophilo Alexandrino familiaris fuit, & multis alijs: ut patet ex uolumine Epist.

DE ALIIS AEGYPTIACIS.

Hieracus, Asinæ ciuitatis, uel Asintorum episcopus.

Sabinus, Doctitorum, siue Tuccitorum episcopus.

Ianuarius, Leontoń episcopus.

Apollonius Taneæ, seu Laneorum.

Ioannes, Pselthis episcopus.

Isaac, Taneorum.

Pasmeius, Paraliorum.

Eulogius, Athribitorum.

Iron, Teniſſæ.

Stephanus, Gerisorum.

Theophilus, Erithiæ.

Theophilus, Cleopatridis.

Isidōrus Sethraitorum. Horum ex Chalcedōnensi synodo uiget apud posteritatem memoria: quòd in eadem fidei suæ rationē reddentes, scriptum patribus exhibuerunt, in quo profitentur se amplecti doctrinam Niceæ expositam: similiter & ab Anastasio & Cyrillo, nobilibus olim ipsorum metropolitanis, amplius explicatam: atq; auersari & execrari omnem doctrinam pugnantem cum consensu catholicæ Ecclesiæ: nominatim uerò se damnare blasphemias Arij, item Eunomij, Manichæi & Nestorij. Cum autem grauiter à patribus exciperentur, quòd non adiunxissent Eutychis mentionē, subiunxerunt: Si quis præter ista quæ à nobis in petitionibus porrecta sunt, sapit, siue Eutyches, siue aliquis alius, anathema sit. Verùm cum patribus neutiquā hoc generali responsione satisfactum esset, & ad explicatam singularemq; Eutychis damnationem adigerentur, tandem hac uerborum forma patrū animos pacauēre: Anathema Eutychi, & credentibus ei. Porrò cum amplius urgerentur, ut etiam epistolæ Leonis Romani episcopi, in qua Eutychis errores refutauit, subscriberent sub pœna excommunicationis, sicut & cæteri omnes qui præsentes erant, fecerant: planè id recusarunt, prætendentes Nicenum canonem, quo peculiaris regula Aegyptiacis præscribatur, nimirum ut tota Aegyptus sequatur cōsensum archiepiscopi, neq; ab aliquo inferiore eiq; subiecto quicquā suscipiatur aut instituatur sine ipsius uolūtate. Et hanc consuetudinem usq; adeò religiosè in sua regione obseruatam, ut sibi satius sit uel ad quasuis pœnas patribus se subijcere, quàm cū iam destituātur archiepiscopo, subscriptionem eam in sē recipere. Nam certò se scire, si ea in re ipsis consentiant, uniuersas Aegypti nationes sese aggressuras, & necem illaturas. magis itaque sibi optatam futuram mortē, si ab ipsis patribus, uel mūdi dominis, quam à suis sibi inferatur. Vt primùm autem archiepiscopus detur, sine ulla se dilatione aut tergiuersatione eius sententiam sequi paratos esse. ferant igitur patres tantisper patiēti animo moram eam, donec eis archiepiscopus subrogetur. Atq; effecerunt demum hac sua cōstantia, ut ipsorum subscribendi dilatio toleraretur, dum archiepiscopum reciperent: ipsiq; fide data interea in urbe manere iussi sunt. Ex quarta actione eiusdem concilij, Conciliorum primo tomo. Meminit & Euagrius libro secundo, capite ultimo.

¶Hi quoq; Aegyptij uidentur cogniti ex Ephesina, posteriori ac infami illa synodo, cui interfuerunt, & Eutychis causam iuuerunt suis patrocinijs:

Caloſtrius, Arsinoitensis. Heraclides, Heracleæ. Iohannes, Ephestiæ.

Isaac, Elearchiensis, siue Libij. Et hic etiā in prima Ephesina cōtra Nestorium adfuit. Catalogus Archiensis.

Cyrus, Babyloniæ.

Photinus, Tentyrenæ, siue Teucrensis, seu etiam Teuchirensis episcopus.

Sosias, Solusæ episcopus.

Theodorus, Barcis.

Rufinus, siue Rufus, Cyrenensis episcop⁹.

Zenon, Rhinocorurensis.

Lucius, Zygrensis.

Iulianus, Mostenæ episcopus: qui tamen antea etiam Constantinopoli adfuerat contra Eutychen, ut habet prima actio Chalcedonensis concilij, in primo tomo.

EVOPTIVS PTOLEMAIDIS.

Euoptius Ptolemaidis Pentapoleos fuit episcopus, sub Theodosio. interfuit synodo Ephesinæ: & in disidio ibidem oborto stetit ipse à partibus Cyrilli: & fuit è synodo unus ex legatis qui mittebātur ad Imperatorem Cōstantinopolim, questū de discessione aduersæ partis, & iniurijs eiusdem, quòd Cyrillum & Memnona Ephesinum sine ulla ratione excōmunicasset. Meminit Euoptij Ptolemaidis Pētapoleos episcopi, etiam in suo Breuiario Liberatus, nono capite, quòd Cyrillo transmiserit quoddam scriptū Theodoreti, contrà sua duodecim capitula, quæ ad explodendum Nestorij dogma, & defendendā rectā & Scripturis cōuenientē sentētiam ediderat: Cyrillumq; mouerit, ut ad illud Theodoreti scriptū respōderet, & sentētiam suorū capitulorum planius exponeret.

PLAVTIVS.

Plautius Tripolitanę prouincię episcop⁹, legatus unus suæ ,puincię in Mileuitano cōcilio, cui tñ ipsi inter iudices locus est datus.

DVLCITIVS.

Tripolitanæ prouinciæ episcopus, & legat⁹ in cōcilio Carthaginensi sub Bonifacio.

CRECONIVS.

Creconius Nicensis, seu Cresconius Eensis episcopus, itidem Tripolitanæ prouinciæ, in persecutione Vādalica exilio multat⁹ est. Victor libro primo de persecutione.

CARTHAGINENSES
Episcopi.

AVRELIVS CARTHAGINENSIS.

AVrelium ex diacono Carthaginensis ecclesiæ factum episcopū, Augustin⁹ de ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. ostendit: & lib. 2. contra Pelagiū & Cœlestium, de peccato originali, cap. 11. & alibi passim. Concilijs aliquot, nimirū Zertensi sub Honorio contra Donatistas, (Augustinus libro secundo, capite 40. Retractationum: & epistola 152) & Carthaginensi, & Mileuitano, celebratis sub Innocentio (ut patet ex Epistolis apud Augustinum 90. & 92.) & 6. & 7. Carthaginensi sub Zosimo & Bonifacio (ut patet ex actis) interfuit. Inter primos habitus est, & pro ueritate contra Pelagium & Cœlestium, & Romanorū primatū acerrimè pugnauit. Familiariter notus fuit Augustino, ut patet ex epistolis eius 76. & 77. & 64. ac dedicauit ei Augustinus opusculum suum de opere monachorū: lib. 2. Retractationū, cap. 21. & librū de gestis Palæstinis cum Pelagio: ut liquet ex lib. 2. cap. 14. de peccato originali. Meminit eius & Paulinus Nolanus renetenter, in epistola 35. apud Augustinū, nominās ipsum sociū coronæ Alipij, & patrē suū, &c. Ipse quoq; Romanus episcopus Innocentio in utraq; epistola, quibus respondet patrib. Carthaginensis & Mileuitani conciliorum, eius honorificam mentionem facit. Venerio Mediolanensi episcopo notus etiam fuit, ad quem legationē ex Africano concilio missit. Cæterùm quamdiu Ecclesiæ suæ præfuerit, nulla habemus indicia: ad senectutem tamē in gubernatione eum peruenisse iustā, subin dicare uidetur Augustinus 14. cap. 2. libri de originali peccato, ubi ipsum nominat uenerabilē senē. Sub Celestino adhuc superstes fuit, ut cōstat ex epistola Africani concilij ad Celestinū. Vnde conijci potest, eius curriculū in ministerio pluriū quàm 30 annorū fuisse, si à Syricio (sub quo incipit eius memoria in historijs) usq; ad Celestinū cōputes.

CAMPOLVS.

Campolus Carthaginensis episcopus fuit tum temporis, cum Ephesi prima uniuersalis Synodus aduersus Nestorij blasphemias instituereturCumq; eo etiam diuus Augustinus uocatus esset ab Imperatore, sed iam tum fortè ex ęrumnis & tragicis calamitatibus, quæ Africā premebant, sublatus esset. ipse Campolus Imperatorē de obitu Augustini certiorem per literas facit. & quia ipse quoque ob persecutiones Vandalicas à sua ecclesia abesse non poterat, mittit tum ad sy nodum quendam ex suis diaconis Vestilla nomine, ex quo etiā ipse hominib. innotuit.

QVODVVLTDEVS.

Quoduultdeus diaconus primùm in ecclesia Carthaginensi fuit, ut patet ex Augustini libro de hæresibus, cap. 46. Extant eius epistolæ duæ ad Augustinū, ex quibus apparet eum ipsi fuisse hortatorē scribendi de hæresibus. Tentationibus ipsum exagitatum esse, contra quas sese tutatus est exuberanti Dei gratia, apparet ex altera eius epistola, ubi ait: Verùm quàm cōscius priorū semper fuerim peccatorū, nec tamen euidenter agnoui aspiciendo, aliquod exoraui moneri, meam toti ecclesiæ impedimentū esse personā. Sed omnino confido, quoniam qui per unici sui gratiā, humani generis dignatus est delere facinora, nec me in pernicie cunctorū prævalere permittet: potiusq; ubi abūdauit peccatū, gratiā faciet redundare. Deinde Carthaginensi ecclesię prefuit illo infelicissimo tempore,

tempore, quo urbē eam nobilissimā, æmulam Romani Imperij, tandē etiam obtinuit ac cepit Genſericus Vandalicus tyrannus: cuius calamitatis optimus iſte paſtor etiam non fuit expers. Magna enim cum turba Eccleſiaſtici ordinis ſpoliatus omnibus in fractas naues nudus impoſitus eſt, & maris fluctibus ad interitū cōmiſſus. Quē tamē, diuina clementia in præſentiſsima morte, felici nauigatione, unà cum ſuis comitibus, perduxit incolumē ad urbē Campaniæ Neapolim. Victor lib. 1. de perſecutione Vādalica.

DEOGRATIAS.

Deogratias presbyter, Auguſtino familiaris fuit: ut patet ex epiſtola Auguſtini 49. Poſtea Carthagini epiſcopū egit illo tēpore, quo Genſericus Romā cepit, 15. ſui regiminis anno: ut narrat Victor nō longè ab initio libri primi Vandalicæ perſecutionis. Quod uultdei, ut apparet, ſucceſſor fuit, ſed ab ipſi⁹ morte poſt longū temporis interuallū ei eccleſiæ ſubſtitutus: idq; ad interpellationem Rom. Imperatoris Valētiniani. Ob hoc maximè & meritò ad omnē poſteritatē celebrādus, quòd uniuerſa miniſterij uaſa ex auro pariter & argento impendit pro redemptione captiuorū, quorum maxima & innumera multitudo in Barbarorū manus uenerat, & iam uſq; ad littus Africanū abducta erat. Cū uerò propter hanc tantā pietatē multa à Barbaris perpeti cogeretur, qui uitę eius inſidiabātur, eripuit ipſum Deus è manibus impiorū, & in ęternā quietē traduxit poſtq; triēniū eccleſię iſti luctuoſiſsimo tēpore præfuiſſet.

THOMAS.

Etſi non ſatis clarū eſt, uidetur tamen etiā hic Thomas Carthaginenſis fuiſſe epiſcop⁹, & quidē Deogratiæ ſucceſſor, ex eiuſdē Victoris primo libro. Nec fuit re aliqua inſigni clarus, niſi q & ipſe ab Ariana hæreſi afflict⁹ eſt: & fuit fortaſſe ille ipſe, poſt cuius obitū interdictū fuit à Genſericho Vandalorum rege, ne deinceps ulli epiſcopi crearētur Zeugitanæ & proconſulari prouinciæ.

EVGENIVS *Carthaginenſis*:

Cum Carthaginenſis eccleſia deſtituta fuiſſet gubernatore, ob immanē truculentiſsimorum hominū Vandalorū ſæuitiā, ad annos 24. & uix demū ſub rege Hunericho ad interceſsionē & preces Romani Imperatoris Zenonis data eſſet facultas, ſub dura licet cōditione, creandi iterū paſtoris, qui diſperſas oues congregaret: magna omniū gratulatione & conſenſu lectus eſt Eugenius (ut autor eſt Victor de Vandalica perſecutione lib. 2.) uir, Chriſtianis uirtutib. ornatus plurimis, pietate in Deū & homines ſinceriſsima: beneficentia in egenos tanta, ut uix ſibi tantū ſeruaret, q ad tenuē ꝓprij corporis ualetudinē conſeruandā ſatis eſſet: tolerantia in afflictionibus maxima: charitate & dilectione ea, ut paratus eſſet pro ſuæ eccleſiæ ſalute uel uitā fundere: conſtantia in cōfeſſione inuictiſsima: fide deniq; & zelo pro domo dei, & pura ac incorrupta doctrinā conſeruanda, tali, ut maxima uitę diſcrimina, duriſsimos cruciatus, & innumeras afflictiones in ſe ꝓpterea recipere nunquā ſubterfugeret, ſicut narrationis ordo oſtendet. Videtur & cōcionandi dono ualuiſſe, ita ut ob inſignes animi dotes non tantū ſuæ religionis hominibus, ſed etiam barbaris admirationi fuerit, qui ipſius conciones frequentarunt. Eam ob cauſam inuidia exarſerunt barbari, qui Arianū dogma magna inuidia defendebant: & hortatores fuerunt regi, ut aut Eugenio interdiceret ad populū loqui, aut ſeriò mandaret ne quem barbarico habitu utentē in templū admitteret. Sed ille reſpondit: Domū Dei patēre omnibus: nec fieri poſſe ut quis arceatur ab ingreſſu, q barbarū habitū geſtet, eo quòd multi uerę Chriſtianę religionis tali ueſtitu utātur, cū ſint ex familia aulę regię. Idē Victor lib. 2. ab initio.

Sanationū etiam donum habuit. narrat enim Victor, fuiſſe quendā cæcum notiſsimū hominē Carthagine, Felicē nomine, qui ſemel, iterum ac tertiò monitus in ſomnis per uocē, acceſſerit ad Eugeniū, epiſcopū, obnixiusq; eum rogarit, ut cui⁹ ſibi ſpes facta eſſet cœlitùs, eius ſe uoti compotē faceret, ac uiſum ſibi reſtitueret. Quē ſępius quidē repulerit epiſcopus, dixeritq; ſe eſſe peccatorē maximū: neq; hoc ſuarū eſſe uiriū, ut ipſi prę ſtare poſsit. Verùm q importunè ipſi moleſtus eſſet cæcus, nec ſe miſſum ipſum factū rum epiſcopū ſanctè iuraret, niſi quā à Domino iuſſus de ipſius auxilio fiduciā concepiſſet, re ipſa ſibi exiberet: motū epiſcopū Eugeniū, etiam accerſiuiſſe cæcum ad locū fontis baptiſmi, atq; ingenti gemitu ardentiſsimas feciſſe preces. Quibus peractis, his uerbis cōpellaſſe cęcum: Iam tibi dixi frater felix, peccator homo ego ſum. Sed qui te dignatus eſt uiſitare, pręſtet tibi ſecundū fidē tuam, & aperiat oculos tuos. ac ſimul eius oculos crucis uexillo conſignaſſe, & ſtatim cæco uiſum redditū. Thuronenſis libro 2. cap. 3. dicit, Cyrolā epiſcopū Arianū Dei ultione excæcatū, cum pœnitentiā egiſſet, & facinus ſuū confeſſus eſſet, ab eo dē curatum eſſe, hac forma precationis: In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, ueri Dei, quem trinū in una æqualitate atq; omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui.

Extat eius nomine confeſsio fidei ad finē hiſtoriæ Victoris de Vandelica perſecutione: in qua articulū de tribus perſonis diuinitatis egregiè explicat, ex ſcripturis ſacris docens, unā & eandē diuinitatis eſſentiā, ętер-

nam, in tribus tamen personis distinctis, coessentialib. patefactã, & singularũ quoq; ꝓsonarũ proprietates & discrimina inter se perspicuè demonstrat. Omniũ aũt maximè cõtra Arianorũ blasphemias filij Dei ὁμοουσίαν, cõsubstantialitatẽ (hoc est, quòd unius eiusdemq; nõ diuersæ sit cum patre substantiæ, quẽ pater ab ęterno ex sese ipso ineffabiliter, & nõ aliunde genuerit) acerrimè ꝓpugnat, firmis sacrarũ literarũ testimonijs. Sicut de sacræ Triadis articulo hæ sententię testari possunt: Patrẽ ergo & filium & spiritũ sanctũ ita in unitate Deitatis ꝓfitemur, ut & patrẽ in sua proprietate personę subsistere, & filiũ nihilominus in propria extare persona, atq; spiritũ sanctũ personæ suæ proprietatẽ retinere, fidei cõfessione fateamur. Nõ eundẽ asserentes patrem, quẽ filiũ: neq; filiũ confitentes, qui pater sit, aut spiritus sanctus: neque spiritũ sanctũ accipimus, ut aut pater sit, aut filius: sed ingenitũ patrẽ, & de patre genitum filiũ, & de patre & filio procedentem spiritũ sanctũ, unius credimus esse substãtiæ & essentiæ: quia ingeniti patris, & geniti filij, & procedẽtis spiritus sancti, una est Deitas, tres uerò personarũ proprietates. Itẽ: Licet enim hæc uenerãda Trinitas personis ac nominibus distincta sit, nõ tamẽ ob hoc à se atq; à sua æternitate discrepare credenda est: sed manẽs ante secula diuinitas, in patre & filio & spiritu sancto, uerè ac propriè creditur, nec diuidi nostris interpretationibus potest, nec rursus uersa in unã personã Trinitas ipsa confundi.

De filij coessentialitate, eius hæc assertio testatur: Profitemur itaq; patrẽ de seipso, hoc est de eo qđ ipse est, sempiternè atq; ineffabiliter filiũ genuisse. Filium nõ extrinsecus, non ex nihilo, nõ ex alia subiacẽte materia, sed ex Deo natũ esse. Et qui de Deo natꝰ est, non aliud est quàm id q, pater est. Et idcirco unius substantię est: quia ueritas natiuitatis diuersitatẽ non admittit generis. Nã si à patre alterius substantiæ esset, non esset uerus filius: sicut Ioãnes ait, Vt simus in uero filio eius. Non est etiã degener, quia uerus Deus de Deo natus est uero. Et pòst: Vnde ęqualis est patri filius, non natus ex tempore, sed gignenti coæternus: sicut splendor ab igne genitus, gignenti manifestatur coæuus.

De filij quoq; incarnatione & duabus distinctis in una eademq; persona naturis, ita differit: Verùm quia duas in filio ꝓfitemur naturas, id est Deũ uerum & hominẽ uerum, corpus & animã habentẽ, &c. Et pòst: Filiꝰ enim Dei nullis conditionũ necessitatibus astrictus, sed libera diuinitatis potentia, ita quæ nostra sũt, mirabili pietate assumpsit, ut à suis quæ diuina sunt, omnino non destiterit, quia diuinitas nec augmentũ admittit, nec patitur detrimentũ. Vnde gratias agim⁹ Dño nostro IESV Christo, qui ꝓpter nostrã salutẽ descendit, sua passione nos redemit, sua morte uiuificauit. Qui sedẽs ad dexterã patris, uẽturꝰ est iudicare uiuos & mortuos, iustis ęternę uitę ꝑmiũ largiturꝰ, impijs atq; incredulis merita supplicia redditurus.

Extat & epistola Eugenij nomine, lib. 2. cap. 3. apud Turonensem Gregoriũ, scripta ad ecclesiã suã, cohortatoria ad constantiam præstandã in recta fide, aduersũ Arianorũ furores, & persecutionem. Verùm huius ne Carthaginensis episcopi sit genuina & propria, dubitandi propemodũ occasionẽ præbet illius epistolę exordiũ, qua meminit uocatũ se ad Carthaginensem synodũ: & præfatiuncula quã præmittit Turonẽsis, inęns ipsum in suæ ciuitatis suburbio repertũ, ui abductũ, nec prius suã alloquẽdi Ecclesiam facultatẽ sibi fuisse cõcessam. Quò igitur abductus est, aut quomodo alloquendi potestatẽ nõ habuit, si fuit Carthaginẽsis episcopus? Petrus de Natalibus 69. cap. 6. lib. narrat, Eugeniũ iam in exiliũ eiectũ, inde ad eã synodũ accersitũ cum uniuerso quod secum exilij ærumnarũ erat particeps ministerio: & huius suę narrationis autorẽ facit Victorẽ, quem & nos in plerisq; (ut legenti apparet) sequimur: tamẽ eadem ipsum hoc modo referentem scimus. Scriptum quidem legis, ut uideatur alicunde accersitus: sed unde, certò non exprimitur.

Gennadius uidetur hanc etiã epistolam cõprehendere, dum inquit: Iam uerò asportandus pro fidelis linguæ remuneratione in exilium, epistolas, uelut cõmonitorias fidei & unius sacri & cõseruandi baptilmatis, ouibus suis, quasi pastor sollicitus dereliquit. Atq; ille Gennadius scripsisse prætereà memorat Eugeniũ altercatiões, (ita nominat) quas cum Arianorũ pręsulibus per intermissos habuerit, & regi etiam legendas obtulisse. Similiter & preces ꝓ quiete Christiano rũ tanquã Apologias, atq; easdẽ obtulisse.

Pro doctrinæ puritate, aduersum blasphemias Arij inter medios hostes ferocissimæ gentis, maximis cum afflictionibus, ad extremũ usq; halitũ certauit, gestibus, uoce & scriptis. Testatur hoc paulo antè memorata cofessio & synodus, Carthagine ab Hunericho rege immanissimo inter suæ religionis homines impios, & ueræ ac Catholicæ doctrinæ defensores, instituta, non ad inquirendã, sed opprimendã potius ueritatem. In qua & præsens fuit: & cõfessio illa tum suo tum reliquorũ nomine sibi cõiunctorum, & Africæ, Mauritaniæ, Sardiniæ & Corsicæ (ut Gennadius ait) episcoporũ oblata est. Et in eo ipso iam antè memorato loco nominati Turonensis, scribit eum deuicisse Cyrolam Arianorum

Arianorũ episcopũ in doctrina de sacratissimæ Triadis mysterio. Victor inter cætera meminit sub finẽ ferè secundi libri, quòd pertinacià Rege immitissimo, ut non solùm Africę, sed etiã transmarinarum ecclesiarum doctores, synodo ei interesse curaret.

Quantã curã ac solicitudinẽ gesserit pro sua ecclesia, ne à semel agnita & recepta rectioris doctrinę ueritate recederet, fracta affligionibus uel sui ipsius, uel proprijs, argumẽto esse potest epistola ea cuius mentionẽ paulo antè fecimus. Neq; nudis tantũ & ininanibus uerbis ad constantiã suos adhortatus est, sed uiuũ se ipsis exemplũ exhibuit ueræ cõstantię: re ipsa in se cõprobans, q; illos docuerat: immotus persistẽs, Dei auxilio, inter durissimos affligentiũ dolores, exilia & uaria generis tentationes, quibus ad adijciendam ueritatem sollicitabatur.

Victor lib. 3. cõmemorat, eũ in eremũ Tripolitanę puincię, exulatũ missũ esse ab Hunericho, ad Antoniũ Arianæ blasphemiæ pastorẽ, hominẽ truculentissimũ, qui eũ uarijs supplicijs exercuerit. Cũ ad prębendã spicatori ceruicẽ statutus fuisset, ac prius interrogat⁹ esset, nunquid ꝑ fide Catholica mori sibi certũ esset: ipse uerò respondisset, Maximè. nã hanc uitã esse ętернã, mori ꝑ iusticia: cæsus de cõsilio Regis nõ est, ne eũ ut martyrẽ colerẽt orthodoxi: sed in exiliũ relegat⁹ ad urbẽ Galliarũ Albigensem, atq; ibidẽ demum uitã finijt. Turonẽsis loco memorato.

VRBANVS.

Vrbanus presbyter, ex epistola Augustini ad Marcellinũ (quæ est numero septima) nomine tantũ notus, ecclesiæ Carthaginensis, aut Hipponensis, minister proculdubiò. q; inde conijcimus: quia Hipponem, ubi erat Augustinus, literas ad eundem attulit è Carthagine, ubi erat Marcellinus.

DE ALIIS PROVINCIAE *Carthaginensis Episcopis.*

AVGVSTINVS.

Augustin⁹ natus est matre Monica, & patre Patricio, honestis hominib⁹, sed fortunæ tenuioris, & recẽs ad fidẽ cõuersis. Frater eius fuit Nauigius (libro de beata uita) Castidianus & Rusticus cõsobrini eius (libro eodẽ) in ciuitate Thagastensi: Augustinus libro Cõfessionũ nono, capite nono: & libro secundo Cõfessionũ, capite 3: & Possidonius in uita eius, capite primo.

In pueritia à matre institutus est de doctrina Christi: sed baptismus eius tum ab ipso, tum à matre est dilatus. quod factum improbat libro Confessionum primo, capite 11.

¶ Scholã frequentare ab ipsis fermè incunabulis coactus est: lib. eodẽ, cap. 12. Vterq; enim parens eũ literas nosse nimis exoptabat. Pręceptor eius fuit Mãlius Theodorus: lib. 1. de ordine, cap. 11. Græcas literas odit, sed Latinã linguã amauit: lib. eodẽ, cap. 13. & eas nõ à docẽtib⁹, sed loquẽtib., sine pœnali onere inter blãdimẽta nutricũ didicit: ca. 14.

In adolescentia, cũ natus esset ãnos 16. libidinũ æstu flagrauit: lib. 2. Confession. cap. 2. Furtũ cõmisit, adductus prauo cõsortio: lib. 2. Confessionum, cap. 4. & 8.

Madaurũ concessit, percipiendæ oratorię gratia: & paulo pòst Carthaginẽ parens eum misit, ac ultra uires rei familiaris sumpt⁹ suppeditauit: lib. eodẽ, cap. 3. Promouebat etiã studia eius Romanianus: lib. 2 cõtra Academicos, cap. 2. Carthagini spectaculis tragicis intererat: lib. 3. Cõfessionũ, cap. 2. & in foro inter causidicos uersabatur: cap. 3.

Circiter annũ ætatis undeuigesimũ, cum iã defunctus eius parens esset ante bienniũ, incidit in librũ Ciceronis Hortẽsiũ, eo q; excitatus est ad studiũ philosophię. cap 4. Cũ aũt inquireret sapiẽtiã, ad sacras literas quidẽ animũ cœpit applicare: sed ꝑpter stili simplicitatẽ, eas fastidiebat. cap. 5.

Annos natus uiginti, Aristotelis categorias solus legit, & intellexit. lib. Confessionũ 4. cap. 16. Ac oẽs artiũ liberaliũ libros euoluit, & artẽ differendi, Mathemata, Musicã, Arithmeticam, sine difficultate, nullo præceptore intellexit. libro 4. capite 16.

Paulo pòst incidebat in Manichęos, multum de ueritate gloriantes, eorũq; erroneas opiniones amplectebatur. lib. 3 Confessionũ, capitib. 6. 7. 8. Ac nouẽ annos, ab undeuicesimo ætatis usq; ad duodetricesimũ in ea hæresi perseuerauit, & multos seduxit. libro eodẽ, cap. 11. & lib. 4. cap. 1.

In patriã reuersus, docebat Grammaticã: & paulo pòst Carthagini Rhetoricã. Possidonius in uita eius. Et illegitimo thoro uni⁹ cõcubinę utebatur. lib. 4. cap. 2. Cũ aruspex ei ꝑ mercede polliceretur in certamine theatrici carminis uictoriã: respondebat, se nec muscã ꝑ uictoria sua uelle necari, nedũ alia animantia. lib. & cap. eodẽ. Alipiũ à ludis Circensibus abduxit ad studiũ Rhetorices, & Manichęorũ hæresin. lib. 6. cap. 7. Operã impensè nauabat Astrologiæ: & licet qdã homo senex, ꝑfessione medicus, & Nebridius, eum dehortarẽtur & irriderẽt: tamẽ nõ poterãt ei persuadere, ut id genus studij abijceret. libro eodem, capite 3.

Anno ætatis 29. audiebat Carthagini Faustũ Manichęũ, eũq; initiò præ multis laudabat: sed cũ ex collatione & disputatione agnouisset, eũ disciplinarũ liberaliũ esse expertẽ, & nõ nisi grãmaticã tenere, desperauit se ꝑ Manichęos posse de ueritate diuina, quã quęrebat, edoceri. li. 5. Cõfessionũ, ca. 3. 6. 7.

Carthagine disputationi Helpidij cum Manichęo interfuit: & nõnihil motus est eo,

quòd uideret eum talia ex Scriptura afferre, quibus resisti non posset: & audiret Manichęos dicere, Scripturas noui Testamenti à Iudæis falsatas esse, nec tamen exempla incorrupta proferri cerneret.

Transiens Liguriã, tandẽ Romã inuita ac miserè plorante matre sese conferebat: ibiq; profitebatur Rhetoricen, sperans isthic discipulos præceptoribus & obsequentiores & gratiores esse, quàm Carthagini. lib. eodem, cap. 8. Isthic corripitur febri, & periculosè laborat: & ualetudini pristinę restitutus, Manichęorũ quidẽ consuetudine utitur: uerùm aliquanto remissius doctrinã eorũ urgebat & tractabat, eo quòd iudicabat (iuxta Academicorũ opinionem) de omnibus esse dubitandum. libro eodem, capite 10.

A' discipulis ingratis desertus, cœpit cogitare de abitione. Cõmodùm aũt Mediolanenses à præfecto urbis Romæ petebãt magistrum Rhetorices. Manichęorũ uerò usus patrocinio, à Symmacho Mediolanũ mittitur. lib. eodẽ, cap. 12. & 13. Factũ id esse sub Valentiniano minore, Possidonius capite 1. indicat. Isthic calendis Ianuarijs orationem in laudem consulis Bantonis habuit. libro 3. contra Petilianum, capite 25.

Ab Ambrosio paternè susciptur, quem & ipse redamat, nõ ut ueri doctorẽ, sed ꝓpter beneficentiã. Audiebat eum studiosè, nõ ob cognitionẽ ueritatis: sed ut probaret, an ea esset facundia, qua uulgò prædicabatur. lib. 5. cap. 13. Quamuis aũt res negligebat, tamen cum uerbis, quorum captator erat, illæ simul in mentẽ incurrebant, ita ut paulatim inciperet Manichęorũ opiniones habere suspectas. li. eodẽ, cap. 14. Ac tandẽ id efficiebatur, ut neq; Manichęus, neq; catholic⁹ esset: ac planã inueniri uiam uitæ posse dubitaret. Ac uenit ad eum Mediolanũ mater, sperans ꝓ Ambrosiũ, filiũ suũ cõuersum iri. lib. 6. ca. 1.

Annos natus 30. de uxore ducẽda cogitat: & despõdetur ei, quæ biennio minor quàm nubilis erat, cuius nuptias expectare tãdiu cogitur. lib. 6. cap. 13. Deliberationes cum Romaniano, & alijs circiter decẽ, de uita cõmuni agitat: sed cognita mulierculariũ uoluntate, id abiecerũt consiliũ. lib. eodẽ, cap. 14. Concubina eius, cũ intelligeret eum ad uxorẽ ducẽdã adiecisse animũ, ab eo in Africã discedit, relicto ipsi filio suo. aliã igitur assumit. lib. eodẽ, cap. 15. Circa id tẽpus abiectis corporeis imaginibus, agnoscere Deum incorporeũ incipit. lib. 7. cap. 1. Et opinionẽ Manichęorũ, de gente aduersa, uanã esse deprehẽdit. lib. eodẽ, cap. 2. Vanas etiã Mathematicorũ diuinationes esse à Firmino ꝑsuadetur, eo quòd nõ secundũ artẽ, sed sorte euenirẽt, quæ ꝓnunciarẽtur. lib. eodẽ, cap. 6. Causam etiã mali inquirere cœpit. lib, eodẽ, cap. 7. Et in libris Platonicis notat, quę cum Christianorũ doctrina congruant. lib. eodẽ, cap. 9. Ac cœperũt ei diuina aliquanto magis innotescere: ac didicit Deum à creaturis separare: ac oẽs res creatas esse bonas, licet quibusdã nõ sint aptæ: & iniquitatẽ seu peccatũ nõ habere substantiã, sed peruersitatẽ à summa substãtia detortę in infima uoluntatis, proijcientis intima sua, & tumescentis foràs. In sacris literis etiã ea inuenire cœpit, quæ in Platonicis non poterat. lib. 7. capitibus 10. 11. 12. 13. 16. 21.

Venit tandẽ ad Simplicianũ, eiq; exponit circuitus erroris sui: & petit ab eo cõsilium, qua ratione ad ueritatis plenioré cognitionem posset peruenire. Ille eum cohortatur, ut sacras literas legat, & imitetur exemplũ Victorini rhetoris, qui diligenti lectione earum tandẽ factus Christianus, & professus publicè fidẽ suam, baptizatus sit. lib. 8. cap. 1. 2. Cupit quidẽ Augustinus id exemplum imitari, sed animus in diuersa trahitur. libro eodẽ, cap. 5. Fortè tum Potitianus quidam Antonij historiã ei recensẽt: & de duobus, qui apud Treuiros lecto codice de uita Antonij, in casa Monastica rebus omnibus, & quidẽ sponsis suis etiam neglectis, cõtinuò id uitæ genus amplexi sint: ea narratione adeò affectus est, ut sibi ipsi displiceret, & in hortũ cum Alipio secedens, lachrymas funderet, ob' perditè exactã ætatem, & pereret à Deo mentẽ & uitã meliorẽ. Audit aũt uocẽ de uicina domo, cũ cantu puerorũ seu puellarũ sibi dicentẽ: Tolle lege, tolle lege. Ac cum neminẽ uideret, diuinã admonitionẽ existimabat esse. Et arrepto codice, incidit in locũ Pauli: Nõ in comessationib. & ebrietatibus, nõ in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induite Dominũ IESVM CHRISTVM, & carnis prouidentiã ne feceritis in concupiscentijs. His lectis, omnes dubitationis tenebræ ei sunt excussæ. ac re cum Alipio cõmunicata, uterque statuit, ad Christianam transire religionem: non sine matris eius exultatione: quæ toto illo tempore quo Manichęus fuit, sedulò pro eius conuersione Deum inuocabat. libro eodem, capite 6. 7. 12.

Interea dentiũ dolore corripitur, sed suis & fratrũ precibus miraculosè sanatur. lib. 9. cap. 4. Post dies circiter uiginti, peractis uindemialibus, resignat ꝓfessionẽ Rhetorices, propter difficultatẽ spirãdi, & dolorẽ pectoris, & qđ ad studiũ sacrarum literarum adiecisset animũ. Scribit ad Ambrosium, eique & suos errores, & quòd eos agnoscat & damnet indicat, ac quid propositi habeat exponit: & petit consilium, quos sacros libros præcipuè legere debeat. Ambrosius ei Esaiæ lectionẽ suadet: sed cum ipsi uideretur ob-

tur obscurior, differebat eam in aliud tempus. lib. 9. Confessionum, cap. 5.

Recipiebat aũt sese cum omnib. suis in uillam Verecundi cuiusdã ciuis Mediolanẽsis, ibiq; uacabat lectioni sacrarum literarũ, seq; præparabat ad baptismum. libro 9. cap. 3. & 4. Acinde Mediolanum reuersus circa Pascha, baptizabatur cum Alipio & naturalisuo filio Adeodato, annos quindecim natos. libro 9. Confessionũ, cap. 6. & Possidonius capite 1. natus annos triginta tres, post Maximi tyranni mortem. libro 3. capite 25. contra literas Petiliani.

Cum reditũ in Africã adornaret cũ Alipio, & Euodio, & Adeodato, Monica mater eius apud Ostia Tyberina moritur. lib. 9. cap. 8.

Secessit aũt in domũ & agros proprios, ibiq; fermè triẽniũ exegit sacrarũ literarũ studio: ad q̃ orationẽ, ieiuniũ, exercitia collationũ & scriptionũ adiũgebat. Possidonius cap. 3.

In ecclesia Hipponensi Valerius eum presbyterum ordinauit: ac ei cõtra communem Africanarum ecclesiarum cõsuetudinẽ, qua soli episcopi, & non presbyteri solebant cõcionari, potestatem dedit publicè docendi. Possidonius, cap. 4 & 5. In hac functione cum sese & doctũ & fidelem, & salutarẽ Ecclesiæ ministrum probasset, propagando doctrinã purã, & instituendo scholam Theologicã, & hæreses Africanas expurgando: Valerio ob imbecillitatem id postulante, à Megalio Calamensi episcopo, primate Numidiæ, præsentibus alijs episcopis & presbyteris, designabatur cõsacerdos Valerij, inuitus quidẽ, sed tamẽ persuasus, quòd ea res exẽplis in trãsmarinis & Africanis ecclesijs non careret. Verùm posteaquam cognouit, in Concilio uniuersali prohibitum esse, ne quis uiuo episcopo ordinaretur coepiscopus, & uoce & scriptis testatus est, cõtra Canonem se consacerdotem ordinatũ esse: & ne suum exemplũ Canoni fraudem faceret, cõsuluit, ut omnia sacerdotum decreta ordinatorib. & ordinãdis, ac etiam ordinatis communicarentur. Possidonius capitibus 5. 6. 7. 8. & ipse in 3. collatione cum Donatistis.

Vt aũt id munus bene & utiliter administraret, Deus eũ donis haud uulgarib. exornauit. Valuit enim ingenij acumine, memoriæ tenacitate, dicẽdi & disputandi prõptitudine & dexteritate, & styli mediocri elegantia, ut ex sequẽtib. patebit. Linguas oẽs tres calluit: Latinã, Greçã, & Hebraicã. nã latinè scripsit: in pronunciatione tamẽ ab Italis sene reprehensum interdum esse, indicat lib. 2. De ordine, capite 17. In procemio libri 3. de Trinitate, & libro secundo contra literas Petiliani, cap. 38. ait quidem se græcæ linguæ perparum assequutũ esse, & propè nihil, sed tamen passim textum græcum allegat: ut libro 1. De peccatorum meritis, cap. 25. & libro 2. contra Maximinum, cap. 2. Et enarrans dictum ad Galatas 4. Factũ de muliere: quid Hebraicè propriè ea uox significet, indicat in libro de Gratia noui Testamenti, capite 3. Artium dicendi, Mathematum, Arithmetices, Musices, Physices, Astrologię ignarus nõ fuit. libros Philosophorum, Poetarum & Historicorum sedulò euoluit ante conuersionem. Citat Tulliũ, Salustium, Platonem, Aristotelem, Soranum medicinę autorem, Virgilium, Horatiũ, Lucanum: lib. 4. capite 3. & 12. 14. 15. & libro 5. cap. 9. contra Iulianum: & in Enchiridio ad Laurentiũ, cap. 7. & alibi passim. Sibyllæ etiã uersus recitat in libro contra Iudæos, cap. 16.

Postquam cœpit ueram amplecti doctrinã, sacris Biblijs omnem impendit operã. nec tamen prorsus Patrum neglexit scripta, id quod ex eorum allegatione constat. Nam Cypriani & Hilarij libro 4. cap. 4. & 8 cõtra duas epistolas Pelagij & Irenæi, Reticij, Olympi, Ambrosij, Innocẽtij, Gregorij, Basilij Magni, Ioannis Constantinopolitani, Hieronymi, libro primo contra Iulianum Pelagiũ meminit. Nec historiæ Ecclesiasticæ ignarum fuisse, apparet ex libro de gerenda cura pro mortuis, capite sexto: ubi ab Eusebio eam grecè scriptam, & à Ruffino uersam affirmat. Etsi autem ad ministerium Ecclesiæ satis egregijs donis instructus accesit: tñ & ipse sibi multa deesse nõ modò cõquest' est sæpe, sed expertus multo crebrius: ut patet ex prologo in librũ 1. Retractationũ. Ac in quęstionib. difficiliorib. exponẽdis sępe testatur se malle aliorũ audire, quàm suã afferre sententiã: ut capitib. 1 & 3 de quæst. Dulcitij: & lib. 1. de origine animæ ad Hieronymũ, cap. 12. Donũ etiã miraculorum Possidonius ei ascribit. nam oratione obsessos eum curasse, & ęgroto cuidã manus impositione sanitatem restituisse, narrat cap. 29.

Ad gubernationẽ aũt Ecclesiasticã q̃ attinet, rectè affirmari potest eum ueri episcopi officio perfunctũ esse. nã purã doctrinã non modò in sua ecclesia, sed ubicũq; rogabatur prędicąuit. Possidonius 9 cap. Ac ea docuit, quæ ex Apostolorũ scriptis didicit. lib. 3. cõtra Iulianũ Pelagiũ, cap. 21. In reb. obscuris suas opiniones non pro Canonica ueritate asseruit. cap. 1. & 3. de quæstionibus Dulcitij. Phrases etiã ethnicas abhorruit, & correxit in scriptis suis: ut libro 1. Retractationum, cap. 1. Errores refutauit, & contradicentes conuicit: ut ex ijs quæ de certaminibus postea dicemus, apparebit.

Vicia & mala opera grauiter reprehẽdit, & q̃ ad pietatẽ pertinẽt diligẽter inculcauit. Notorię peccãtes, aut hæresin defendẽtes claue ligãte cõstrinxit: & pœnitẽtiã agẽtes ad

Ecclesiam reduxit, eosq; gratia Dei consolatus est. Possidonius 19. Et patet ex actis sextę Carthaginensis, ac ex eius doctrina, de clauibus & ministerio, suo loco annotata: & libro 1 contra Cresconium, capite 1.

Nec suæ tantũ ecclesię Hipponensi, & uicinis in eadẽ regione, sed etiã multis alijs in Africa prępfuit, siue per se, siue per alios. Plurimos Manichæos, Donatistas, Pelagianos & Paganos conuertit. Possidonius cap. 18. Multi eius consilium de arduis negocijs & quęstionibus petierunt, quibus non defuit sua opera. lib. 3. de peccatorũ meritis, cap. 6. & in libro Solutionũ quęstionũ Hilarij. Nec piguit ipsum, aliorũ expetere de grauiorib. quęstionibus iudiciũ & sententiã. lib. 1. de origine animæ, cap. 5 & 6. & libro de quæstionib. Dulcitij, cap. 3. Tẽpus Paschatis, & ieiunij, solitus est etiã more aliorũ suis indicere. lib. Quęstionũ 120. & 121. In monasterio seu Ecclesiastica schola Hippone de reb. sacris instituit multos, quos postea prępfecit ecclesijs. Possidonius cap. 11. numerat decem, q̃ inde ad episcopatus uocati sint. Ordinauit ꝑ more alijs Ecclesijs presbyteros & episcopos. idẽ cap. 21. Interfuit multis cõcilijs Africanis, ac in ijs sedulò egit, ut puritas doctrinę cõseruaretur, & disciplina Ecclesiastica. idẽ cap. 21. In cõcilio Hipponẽsi, presbyter adhuc, de fide & symbolo disputauit, iussu patrũ. idẽ cap. 7. In sexta Carthag. fraudẽ Romani pontificis, adulterantis canonẽ Nicenũ, ad obtinendũ primatũ, detexit. In ęgrotorum uisitatione diligens fuit, ac insignes moriẽtium sententias solebat alijs cõmemorare. Possidonius 27. Cœnobia uirginũ non admodũ sæpe uisitauit, ad declinandã suspicionẽ. Ecclesiastica bona rectè administrari curauit, in usum pauperum: ac uetuit, morientes in fraudem hæredum nimium Ecclesiæ legare & donare: cap. 24.

Disciplinæ domesticæ inter clericos, custos diligens erat. Possidon. cap. 25. Causas etiam litigantium de rebus huius uitæ, rogatus lubens cognouit, & suam sententiam dixit. Interdũ etiã apud politicũ magistratũ intercessit per literas pro calamitosis & oppressis, cap. 19 & 20. Peregrinationes interdũ suscepit propter Ecclesiarum ædificationem. lib. 1. de gestis cum Emerito.

Profuit etiã Ecclesię scriptis suis. nã Possidoni⁹ inqt, tãta ab Augustino dictata & edita esse, tãtaq; in Ecclesia disputata, excepta atq; emẽdata, uel aduersus diuersos hęreticos cõscripta, uel ex Canonicis libris exposita ad ędificationẽ sanctorũ Ecclesię filiorũ, ut ea uix quisquã studiosorum nosse & perlegere studeat. Ac promittit ille quidẽ iudicem operũ eius, sed nõ extat: cap. 18. Et Augusti. ipse lib. 2. Retractationũ, cap. ultimo, & epistola 2. ad Quoduultdeum, testatur se opera nonaginta quatuor, in libris ducentis triginta duob. dictitasse: exceptis epistolis & tractatibus popularib. seu homelijs. Reseruntur autem ab ipso, hoc ordine:

Scripta ab Augustino, cum adhuc esset catechumenus.

Libri tres contra Academicos, in quibus improbat uoces quasdam ethnicas, quibus usus fuerat: ut sunt, fortuna, omen, & fabulã de Philocalia & philosophia: & quòd dixit summũ bonũ in mente esse, cũ in Deo dicere debuisset, itẽ quòd liceat deierare ꝑ omne diuinum, & quòd Academici nouerint uerum: item quòd nimiũ homines impios Platonicos & Academicos philosophos extulerit: libro 1. Retractationum, cap. 1.

Liber unus de beata uita, quem scripsit in die natali suo, & tridui disputatione cõpletum. In hoc improbat nimiã Mãlij Theodori cõmendationẽ, & uocis Fortunę usurpationẽ: & quòd senserit in solo animo sapientis beatã habitare uitã, cũ etiã corpus ad beatitudinẽ ptineat. lib. 1. Retractationũ, cap. 2.

Libri duo de ordine. In his etiã corrigitur sum uocis fortunę, & nimiã cõmendationẽ disciplinarũ liberaliũ: & quòd Musas deas appellarit: & philosophos non uera pietate præditos, dixerit fulsisse uirtutis luce, & q̃ duos mũdos, alterũ sensibilẽ, alterũ intelligibilẽ asseruerit, ex dicto illo: Regnũ meum nõ est de hoc mũdo. Et q, dixerit: Sũma opera dãda est optimis morib. De⁹ enim noster aliter nos exaudire nõ poterit. Bene aũt uẽtes facilimè exaudiet. Id enim dictũ esse, tanquã Deus nõ exaudiat peccatores. Et q, nimiũ laudarit Pythagorã, qui tamẽ plenus sit errorum. lib. 1. Retractationum, cap. 3.

Libri duo Soliloquiorũ, in quib. retractat quòd scripsit, Deũ mundos tantũ uerum sci re uoluisse: cum tamẽ certũ sit, multos non mundos, etiam multa scire uera, & sensum ignorare Deum: cum addendum fuisset, mortalẽ sensum. &, eum qui gignit, & quę gignit, unũ esse: cum debuisset dicere, Vnũ sunt. &, animam intellecto Deo beatã esse: quod non sit uerum, nisi de spe intelligatur. Et, nõ una uia ad sapientiæ cognitionẽ peruenire: cum tamen extra Christum nulla alia sit. Et, eruditos in disciplinis liberalibus, illas in se obliuione obrutas eruere, & quodammodo refodere: cum tamen Platonis sententia de innatis noticijs non sit uera, ac ipse eam refutarit libro 12. de Trinitate, ibidem, cap. 4.

De immortalitate animæ, liber unus, in quo retractat sententiam, animum non posse ab ęterna ratione separari: cum tamẽ scriptum sit, Peccata uestra inter me & uos fecerunt diuisionem. & planè testatur eum librum

librum obscurũ & perplexum adeò esse, ut uix à seipso intelligatur. libro eodem, cap. 5.

Libri disciplinarũ: hoc est, liber de Grammatica, quem Mediolani absoluit: de Dialectica, de Rhetorica, de Arithmetica, de Philosophia. libro eodem, cap. 6.

De moribus Ecclesiæ, liber unus.

De moribus Manichęorũ, liber unus: hos duos post baptismum Romę scripsit ad Manichęorũ refutationem. Retractat aũt in ijs, quòd codice mendoso deceptus, malè allegarit dictũ Psalmi 43. Propter te afficimur tota die, &c. cũ Mortificamur dicendũ fuisset. Ité Sapientiæ 6, Sobrietatẽ sapiẽtia docet, & iustitiã & uirtutẽ: itẽ, Vanitas uanitatũ: cum uanitantiũ græcus textus habeat. Deinde sententias quasdã improbat: ut quòd dixerit Deum plena charitate diligendũ esse, pro sincera charitate. Item quòd uisus sit asserere Pelagianorũ modo, in hac uita perfectionem esse. Item quòd uisus sit asserere cum Origene, deficiẽtia omnia tandẽ ad Deũ recurrere. item quòd dixerit scarabeos nasci ex fimo in pilam rotundatã, cum id nõ certò constet. libro eodem, capite 7.

De animę quantitate, liber unus in formã dialogi. Retractat in hoc, quòd asseruit animam omnes artes secum afferre, & discere nihil aliud esse quàm reminisci & recordari. Nam non esse omnino ueram sententiã: ac uideri ea confirmari delirium illud, animas in alia corpora transire, aut in alia uita didicisse quæ hic recordẽtur. libro eodẽ, cap. 8.

De libero arbitrio, lib. tres. Ex his retractat & explicat quasdam sententias, quas Pelagiani pro se facere interpretabantur: ac scopum indicat esse, refutationem eorũ qui negabant mali originem esse ex libero uoluntatis arbitrio, & Deum autorem mali asserebant. nihil autem de gratia Dei præparante uoluntates isthic dici. libro eodem, capite 9.

De Genesi contra Manichęos, libri 2. scripsit in Africa. In ijs dictum quoddam, Homines posse, si uelint, sese ad Dei præcepta implenda conuertere: declarat accipiendũ esse de diuinitùs donata & præparata uoluntate, ne Pelagiani eo uti possint. Sic illud etiam quod scripsit, nulli nocere peccata nisi sua, retractat, ne Pelagiani inde asserere surum errorem possent, infantes esse sine peccato. Dictũ etiã suum, Nullũ esse malum naturale, cõmodè interpretatur lib. eodẽ, cap. 10.

Libri sex de Musica, ex quibus quædam incommodè dicta declarat: ac inter alia corrigit, quòd affirmauerat, mũdũ animal esse, cum tamẽ id nõ posset probare: & quòd angelos sanctos animas appellauerit, cum in Scriptura ea appellatione nunquã notẽtur. libro eodem, capite 11.

Liber unus de magistro, in quo ostendit, solum Deũ uerã scientiã docere: in hoc nihil desiderat. libro eodem, cap. 12. meminit eius etiam libro 9. Confessionum, cap. 6.

De uera religione, liber unus. In eo corrigit, quòd animam pro uniuersa creatura posuerat: & quòd ausus sit, Christianã religionem ita suis temporibus esse gloriari, quasi in seculis prioribus ea non fuisset. & illud dictum (Intende diligenter, tales enim adiuuat Deus) nõ exclusiuè dictũ esse, ut ꝓ Pelagianis faciat, declarat. Et quod dixerat, Vsqueadeò peccatũ est uoluntarium malum, ut nullo modo sit peccatũ, si non sit uoluntarium: eleganter declarat, nõ tantum de actualibus peccatis, siue spontaneis, siue per ęoactionem commissis, sed etiam de originali in infantibus uerum esse. Emendat etiam id quod dixerat, Christũ nihil ui egisse. nam uendentes ex templo, & diabolos inuitos ab obsessis repulit. Sententiã illã qua asseruerat, miracula Christi ad sua tempora non durasse, commodè accipiendã monet: se enim non negare, quin adhuc hodie quędam miracula fiant. Planè abijcit illam sententiam, qua uisus fuerat asserere, primos homines, nisi lapsi essent, nõ fuisse generatu ros filios. libro eodem, cap. 13.

Libri quos Augustinus presbyter scripsit.

De utilitate credendi, liber unus. In hoc aliter interpretatus est dictum Pauli, Litera occidit, spiritus uiuificat: quàm in libro de spiritu & litera. Dictum illud, Omnes homines sapientes aut stultos esse, declarat, non de infantibus, sed adultis intelligẽdũ. libro eodem, cap. 14.

De duabus animabus contra Manichęos, liber unus. In hoc, quod dixerat, Nullã esse qualemcunq; uitã, quæ non eo ipso quo uita est, & in quantũ omnino uita est, ad summum uitæ fontem principiumq; pertineat: monet rectè accipiendum, & non eò torquendum, quasi uita creaturarum sit pars Dei. Et nusquam nisi in uoluntate esse peccatũ ita declarat, ne Pelagianis, qui in infantibus peccatum esse negabãt, patrocinetur. Declarat & alia sua dicta, quæ poterant scrupulum alicui inijcere. libro eodem, capite decimoquinto.

Liber disputationis contra Fortunatum Manichęum, de quæstione Vnde sit malum, an ex natura, aut uoluntate. In hoc indicat, se catachresticôs uocabulo animæ pro uniuersa creatura usum esse. Et dictũ, Peccatũ non est peccatũ, nisi propria uoluntate peccetur: interpretatur de primo lapsu parentum. libro eodem, cap. 16.

De fide & symbolo, liber unus. Monet autem, ea quę dixit de Pauli sententia, Caro & sanguis non potest possidere regnũ Dei: nõ

ita ac-

ita accipienda esse, quasi neget carnis resurrectionem. libro eodem, cap. 17.

De genesi ad literam liber imperfectus. de eius autem retractatione supersedẽdum sibi censet, cum postea libros 12 in eandem scripserit: ex quo corrigi queant, si qua desiderentur. libro eodem, cap. 18.

De sermone Domini in monte, libri duo. Monet autem, quomodo in his quędam minus cõmodè dicta, rectè accipienda sint. ut quod de pacificis dixerat, eos esse in quib. nullus motus aduersus rationẽ rebellis existat, nõ uult intelligi de plena in hac uita pfectione, sed de qualicunq;, quæ in renatis est. Ac corrigit quod putauerat, dictũ illud, Huic Spiritus sanctus nõ datur ad mensurã: de hominibus, & non potius de Christo intelligendum esse. Emendat etiam opinionẽ, quòd lex integrè à nobis impleri possit. Item indicat se non rectè appellasse Iesum hominẽ Dominicũ: nec rectè dixisse, quòd nullius hominis conscientia ferè Deũ potest odisse. libro eodem, cap. 19.

Psalmus contra Donatistas, oratione prosa. libro eodem, cap. 20.

Contra epistolam Donati, liber unus. in hoc corrigit, quòd dixerat supra Petrũ fundatã esse Ecclesiã: cum debuisset dicere, super petram, hoc est super Christũ, quẽ Petrus cõfitebatur. & quędã historica fatetur se de Donato Carthaginensi cõmemorasse, quæ ad aliũ Donatũ pertineãt. libro eodem, cap. 21.

Liber contra Adimantũ Manichęũ unus, cõtinens responsiones ad uarias quæstiones. In hoc improbat quod dixerat, in nouo Testamẽto nõ alia, neq; plura requiri & ꝑmitti, quàm in ueteri, cũ tñ in multis magna sit diuersitas. Et quòd asseruerit, uocabulũ filius tantũ tres significationes habere, cũ plures esse probari possit. Et quòd dictũ, Cũ induerit incorruptionẽ & immortalitatẽ, iam nõ caro & sanguis erit: interpretatur de carne corruptibili. Et sententiã illã, In potestate nostra est mutare uolũtatẽ in melius: exponit de potestate diuinitùs donata, & non de carnali. libro eodem, cap. 22.

Quarũdã propositionũ in epistolã ad Romanos expositarũ, liber unus. in eo corrigit errorẽ, quo somniauit illud dictũ Roman. 7. Lex spiritualis est, ego aũt carnalis: non de Paulo, sed de homine sub lege posito, intelligendũ esse. Itẽ negat se rectè dixisse, quòd credere, seu fides, sit opus nostrũ: cũ Scriptura testetur, fidẽ donũ Dei esse. Ac fatetur se minus rectè ac plenè de uocatione, quæ secundum gratiam sit nullis præcedentibus meritis, tractasse. libro eodem, cap. 23.

In epistolã ad Galatas, liber unus. In hoc inter alia reprobat, quòd dictum Caro cõcupiscit aduersus spiritum, tantũ de non renatis exposuerit, cum etiam de renatis uerum sit. libro eodem, cap. 24.

Epistolę ad Romanos inchoatę, liber unus. in hoc, quòd dixerat gratiã esse in remissione peccatorũ, pacem uerò in reccõciliatione Dei, monet nõ accipiendũ esse quasi pax & reconciliatio non pertineant ad gratiam generalem. libro eodem, cap. 25.

De quæstionibus octuagintatribus, liber unus: quẽ episcopus factus cõscribi curauit, cum diu antè, postquã in Africã uenisset, plerasq; quæst. pertractasset. libro eodẽ, cap. 26.

Vigintiunius quæstionum seu sententiarum, liber unus.

De mendacio, liber unus: quem propter obscuritatem & perplexitatem planè abolere iusserat, sed tamen postea incolumem esse uoluit. libro eodem, cap. 27.

De libris quos episcopus scripsit.

De diuersis quæstionib. libri duo ad Simplicianũ. libro Retractationũ secũdo, cap. 1.

Contra epistolam Manichęi, dictã fundamentum, liber unus. libro eodem, cap. 2.

De agone Christiano, liber unus, continẽs regulam fidei, & præcepta uiuendi. In hoc dixerat, non fore carnem & sanguinem, sed corpus cœleste post resurrectionem. uerùm id retractat: & exponit, non de carnis substãtia, sed de corruptione, quæ tum futura non sit, intelligendum esse. libro eodem, cap. 3.

De doctrina Christiana, libri quatuor. monet se non rectè in secundo libro dixisse, Iesum Syrach Sapientiam Salomonis & Ecclesiasticũ scripsisse. libro eodem, cap. 4.

Contra partem Donati, libri duo. In priore dixerat, sibi non placere, schismaticos ad cõmunionem uiolenter arctari legibus magistratuũ: sed id retractat lib. secundo, cap. 5.

Confessionum libri tredecim. Fatetur autem in decimotertio, non satis considerate se dixisse, quòd firmamentũ factum sit inter spiritales aquas superiores, & corporales inferiores. libro eodem, cap. 6.

Contra Faustum Manichęum, libri triginta tres. libro eodem, cap. 7.

Contra Felicem Manichęum, libri duo. libro eodem, cap. 8.

De natura boni aduersus Manichęos, liber unus. libro eodem, cap. 9.

Contra Secundinum Manichęum, liber unus. libro eodem, capite 10.

Contra Hilarium Tribunitium, liber unus. libro eodem, cap. 11.

Quæstiones Euangeliorum, libri duo. libro eodem, capite 12.

Annotationum in Iob, liber unus: quem obscurum & mendosum esse monet. libro eodem, capite 13.

De catechizandis rudibus, liber unus. libro eodem, capite 14.

De

De Trinitate, libri quindecim. libro eodẽ, capite decimoquinto.

De consensu euangelistarũ, libri quatuor. corrigit autem quod dixerat, Hebræos ab Abrahã, quasi Habraeos dici: cum ab Heber nomen trahant. libro eodem, cap. 16.

Contra epistolam Parmeniani, libri tres. Emendat autem quòd libro tertio dixerat: Auferte malum ex uobis ipsis: & non tantũ de uitijs expurgandis, sed etiã de excõmunicandis notorijs peccatoribus intelligendũ, monet libro eodem, cap. 17.

De Baptismo, libri septem, contra Donatistas. Quòd dixit Ecclesiã carere ruga, expunizato, in quarto libro adductũ, monet esse nit de futura gloria. Exemplũ de latrone baincertum: libro eodem, cap. 18.

Contra Centurij Donatistæ testimonia, liber unus. libro eodem, cap. 19

Ad inquisitiones Ianuarij, libri duo. Quòd in primo asseruit, Manna sapuisse unicuique in ore suo secundum propriã uolũtatem, nõ posse probari, nisi ex libro Sapentiæ quem Iudęi nõ recipiãt, indicat libro eodẽ, cap. 20.

De opere Monachorum, liber unus. libro eodem, cap. 21.

De bono coniugali, contra Iouinianũ, lib. 1. libro eodem, cap. 22.

De sancta uirginitate, liber unus. libro eodem, cap. 23.

De Genesi ad literam: hoc est, nõ secundũ allegoricas significationes: sed secundũ rerũ gestarum proprietatem, libri duodecim. Te statur ipse in eo opere plura quęsita, quàm inuenta esse. In sexto libro quòd dixerat, Adã imaginem Dei perdidisse peccato, ostẽdit non intelligendũ, quasi nullæ reliquię eius supersint. libro eodem, cap. 24.

Contra literas Petiliani, libri tres. libro eodem, cap. 25.

Cõtra Cresconium Grammaticũ Donatistã, libri quatuor. libro eodem, cap. 26.

Probationum & testimoniorum contra Donatistas, liber unus. libro eodem, cap. 27.

Contra quendam Donatistã, liber alius. libro eodem, cap. 28.

Admonitio Donatistarũ de Maximianistis, liber unus. libro eodem, cap. 29.

De diuinatione dæmonum, liber unus. libro eodem, cap. 30.

De sex quæstionibus contra Paganos expositis, ad Deogratias, liber unus. libro eodem, cap. 31.

Expositio epistolæ sancti Iacobi, liber unus. libro eodem, cap. 32.

De peccatorum meritis & remissione, ac de baptismo paruulorum, libri tres. libro eodem, cap. 33.

De unico baptismo liber unus. In hoc quędã historica corrigit. libro eodem, cap. 34.

De Maximianistis, cõtra Donatistas. liber unus. libro eodem, cap. 35.

De gratia noui Testamenti, ad Honoratũ, liber unus. libro eodem, cap. 36

De spiritu & litera, ad Marcellinum, liber unus. libro eodem, cap. 37.

De fide & operibus, liber unus. libro eodem, cap. 38.

Breuiculus collationum cum Donatistis, seu tres collationes. libro eodem, cap. 39.

Contra Donatistas post collationẽ, liber unus. libro eodem, cap. 40.

De uidendo Deum, liber unus ad Paulinam. libro eodem, cap. 41

De natura & gratia contra Pelagianos, liber unus. In hoc monet, se sub nomine Xysti intellexisse Romanũ episcopũ, cum postea resciuerit Xystum philosophum esse. libro eodem, cap. 42.

De ciuitate Dei, libri uiginti duo, contra Paganos, scripti eo tempore quo à Gothis Roma sub Alarico rege euersa est. Improbat autem, quòd in decimo libro pro miraculo asseruit, flammam inter diuisas uictimas in sacrificio Abrahæ discurrisse: cum in uisione id tantum ei monstratũ sit. Itẽ quòd in libro 17. de Samuele dixerit, eum nõ fuisse de filijs Aaron, cum dicendum erat, eum non fuisse filium sacerdotis. nam inter filios Aaron Samuelem reperiri. libro eodem, cap. 43.

Ad Orosium, contra Priscillianistas & Origenistas, liber unus. libro eodem, cap. 44.

De origine animę, liber unus: & de sentẽtia Iacobi apostoli, ad Hieronymũ, liber unus. libro eodem, cap. 45.

Ad Emeritũ Donatistarum episcopũ, liber unus. libro eodem, cap. 46.

De gestis Pelagij, liber unus. libro eodem, capite quadragesimoseptimo.

De correctione Donatistarum, liber unus. libro eodem, cap. 48.

De præsentia Dei, ad Dardanum, liber unus. cap. 49.

De gratia Christi, liber unus: & de peccato originali liber unus, contra Pelagium & Cœlestium. libro eodem, cap. 50.

De gestis cum Emerito Donatistarũ episcopo, liber unus. libro eodem, cap. 51.

Contra sermonem Arrianorũ, liber unus. libro eodem, cap. 52.

De nuptijs & concupiscentia ad Valeriũ Comitem. libri duo, cap. 53.

De locutionibus in quinq; libros Moysi, & Iosuam & Iudicum, libri septem. libro eodem, cap. 54.

Quæstionum libri septem. ex his quędam quæstiones aliquot retractat libro eodem, capite quinquagesimoquinto.

De anima & eius origine, libri quatuor. libro eodem, capite 56.

De adul-

De adulterinis coniugijs ad Pollentium, libri duo. capite 57.

Contra aduersarium legis & prophetarũ, libri duo. libro eodem, capite 58.

Contra Gaudentium Donatistarum episcopum, libri duo. capite 59.

Conta Mendaciũ, liber unus. capite 60.

Contra duas epistolas Pelagianorum, libri quatuor. libro eodem, capite 61.

Contra Iulianum libri sex. libro eodem, capite 62.

Enchirídion de fide, spe & charitate, ad Laurentium: libro eodem, capite 63.

De cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum, liber unus. capite 64.

De octo quæstionibus Dulcitij, liber unus. capite 65.

De gratia & libero arbitrio ad Valentinũ, liber unus. libro eodem, capite 66.

De correptione & gratia, liber unus. libro 2. Retractationum, capite 67.

¶ His accensentur etiam alij, ut sunt libri Retractationum duo.

Expositionis in Euangelium secundum Ioannem, tractatus CXXIIII.

Expositionis in epistolam beati Ioannis, tractatus X.

Expositionis in Apocalypsin beati Ioannis, Homiliæ 18.

Meditationum, liber unus.

Meditationum, liber alius.

Soliloquiorum animæ ad Deũ, lib. unus.

Manuale de uerbo Dei, liber 1: qui à quibusdã intitulatur, De contẽplatione Christi.

De triplici habitaculo, liber unus.

Scalæ paradisi, liber unus.

De duodecim abusionũ gradibus, lib. 1.

De assumptione uirginis Mariæ, liber 1.

De honestate mulierum, liber unus.

De uera & falsa pœnitentia, liber unus.

De contritione cordis, liber unus.

De conuenientia decem præceptorũ, & decem plagarum Ægypti, liber unus.

De cognitione ueræ uitæ, liber unus.

De fide ad Petrum Diaconũ, liber unus.

De spiritu & anima, liber unus.

De uita Christiana ad sororem suam uiduam, liber unus.

De definitionibus orthodoxæ fidei, siue Ecclesiasticis dogmatibus, liber unus.

De disciplina Christiana, liber unus.

De decem chordis, liber unus.

De obedientia & humilitate, liber unus.

De bono disciplinæ, liber unus.

De prædestinatione & gratia, liber unus: qui etiam intitulatur, De uoluntate Dei.

De prædestinatione sanctorum, & bono perseuerantiæ, libri duo.

De prædestinatione Dei, liber unus.

De essentia Diuinitatis, liber unus.

De mirabilibus sacrę Scripturę, libri tres.

De symbolo ad catechumenos, libri 4.

De cantico nouo, liber unus.

De quarta feria, liber unus.

De cataclysmo, liber unus.

De tempore barbarico, liber.

De incarnatione uerbi, libri duo.

De trinitate & unitate Dei, liber unus.

De fide rerum inuisibilium, liber unus.

De orando Deo, ad Probam, liber unus.

De amicitia, liber unus.

De substantia dilectionis, liber unus.

De continentia, liber unus.

De patientia, liber unus.

Ad sacras uirgines, liber unus.

De bono uiduitatis, liber unus.

De singularitate clericorum, liber unus.

De salutaribus documentis, liber unus.

De uisitatione infirmorum, libri duo.

De consolatione mortuorum, libri duo.

De contemptu mundi, liber unus.

De uanitate seculi, liber unus.

Speculi peccatoris, liber unus.

De pœnitentiæ medicina, liber unus.

De utilitate agendæ pœnitentiæ, liber 1.

De conflictu uitiorum & uirtutum, lib. 1.

De quatuor uirtutibus charitatis, liber 1.

De laudibus charitatis, liber unus.

De pastoribus, liber unus.

De ouibus, liber unus.

De rectitudine catholicę conuersationis, liber unus.

De Epicureis & Stoicis, tractatus unus.

De eo quod dictum est, Ego sum qui sum: tractatus unus.

De utilitate ieiunij, tractatus unus.

De urbis excidio, tractatus unus.

De creatione primi hominis, tractatus 1.

De arbore scientiæ boni & mali, tractatus (unus.

De pugna animæ, tractatus.

De Antichristo, tractatus unus.

Quæstionum ueteris & noui Testamenti, liber unus, & in tres partes distinctus.

Quæstionum Euangeliorum secundum Matthæum, liber unus.

Quæstionum LXV. dialogus, ad Orosiũ.

Quæstionum Hilarij solutiones.

De hæresibus, ad Quoduultdeum.

De quinque hæresibus, liber unus.

Contra Iudæos, Paganos & Arianos, liber unus.

Aduersus Iudæos, liber unus.

De altercatione Ecclesiæ & synagogæ, Dialogus.

De fide contra Manichęos, liber unus.

Contra Maximinum Arianorum episcopum, libri tres.

Contra Felicianum Arianum, liber unus.

Contra Petiliani Donatistę epistolã, lib. 1.

Contra Fulgentium Donatistam, liber 1.

Ad arti-

Ad articulos Augustino falsò impositos, Responsio.

Contra Pelagianos Hipognost. libri sex.

De perfectione iusticiæ cõtra Cœlestium Pelagianum, liber unus.

Speculum Augustini, liber unus.

De inquisitione Trinitatis, & alijs qbusdam sententijs, liber unus.

De uera innocentia, liber unus.

De seculo, liber unus, qui aliàs intitulatur Manuale.

Psalterium Augustini, quod matri suæ composuit.

Sup Magnificat, canticũ Marię, expositio.

Regulæ Augustini tres.

¶Erasmus opera Augustini in decem tomos digessit, & quibusdam censuras adiecit, quæ possunt apud ipsum cõmodius legi, quàm huc asignari.

De libris autem suis Augustinus sic iudicat epistola 7: Ego fateor me ex eorum numero esse conari, qui profitendo scribunt, & scribendo proficiunt. unde si aliquid uel incautius, uel indoctius à me positũ est, quod non solùm ab alijs qui uidere possunt, meritò reprehendatur, uerùm etiam à me ipso: quia & ego saltem postea uidere debeo si proficio, nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscẽdum atq; gratulandũ, nõ quia erratum est, sed quia improbatum. Eãdem sententiam in procœmio libri tertij de Trinitate, & primi libri Retract. repetit.

Tantum aũt fuit desiderium scripta eius legendi, non modò bonis, sed etiã hęreticis, ut interdum etiam quædã nondũ absoluta ei sint surrepta. Posidonius cap. 7. & in argumento librorũ quindecim de Trinitate.

Cum autem de doctorib. in Ecclesia Dei, præcipuè iudiciũ fieri soleat ex doctrina, capita quædam doctrinæ eius nunc erãt recitanda. Verùm cum suprà in Cap. 4. ex libris eius plurima testimonia de quolibet articulo sint collecta, hic breuiores erimus.

¶De Deo, quòd sit unus in essentia, & trinus in personis, non modò luculenter traditum, uerùm etiam constanter & prolixè contra hæreticos uarios asseruit, atq; defendit.

De fide ad Petrũ sic inquit: Quamuis aũt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint una natura, firmissimè tamẽ tene tres esse personas: patrẽq; solum esse q dixit, Hic est filius meus dilectus: & filiũ solum esse, super quẽ illa uox patris insonuit: & Spiritũ sanctũ solum esse, qui in specie colũbæ super Christũ baptizatũ descendit. Itẽ lib. 7. de Trinitate: Loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, dictũ est à Græcis, una essentia, tres subsãtię: id est, una usia, tres hypostases. Aliter enim Græci accipiũt subsãtiã, quàm Latini. A Latinis aũt dictũ est, una essentia uel subsãtia, tres personæ: quiã nõ aliter in sermone nostro, id est Latino essentia quàm subsãtia solet intelligi.

Idola damnat. nam sic inquit in Psalmum 113: Quid enim ostẽditis, nisi aurũ & argentũ? habẽt quidẽ ærea & lignea & fictilia simulacra, & huiusce modi alterius alteriusq; materiæ: sed precio sum eorũ maluit cõmemorare Spiritus sanctus: qa quũ in eo quisq; q illi charius est erubuerit, multo facilius auertitur à ueneratione uiliorũ. Nã dictũ est alio loco de simulacrorũ cultoribꝰ: Dicẽtes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti.

De creatione inquit lib. 1. cap. 1. de mirabili scriptura: Æternus & omnipotens creator rerũ, trinus & indiuiduus semp manens, sine ullo potentiæ suæ detrimẽto, solus sine tẽpore, cunctas præcellit creaturas. Ac deinde ut immẽsam bonitatẽ, ac potentiã & beneuolentiã, quas in se solo prius habuit, etiã per creaturas ostenderet, ex informi materia, quã ipse prius ex nihilo cõdidit, oẽs creaturę habẽt materiã cunctarũ uisibiliũ rerum, hoc est, sensibilium & insensibilium, intellectualium & intellectu carentium, species multiformes diuisit.

De diabolis inquit, de salutarib. documẽtis, cap. 9: Diabolus enim est angelus, per superbiã separatus à Deo, qui in ueritate non stetit, & doctor mẽdacij, & pater mendacij: quia ab ipso primũ inuentũ est mendaciũ, & ipse est mẽdaciũ, sicut uerissima ueritas Dominus noster Iesus Christus in Euãgelio Ioannis loqtur: quia ipse est caput & finis mẽdacij: & à semetipso deceptus, nos decipere festinat. Iste est aduersarius effectus generis humani, inuentor mortis, radix maliciæ, scelerum caput, princeps omniũ uitiorum, persuasor etiam turpium uoluptatum.

De libero arbitrio, in libro de Gratia & libero arbitio, cap. 16. inquit: Certũ est nos facere, cum facimus: sed ille facit ut faciamus, præbendo uires efficacissimas uolũtati, qui dixit: Faciã ut in iustificationib. meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis. cũ dicit, Faciã ut faciatis, qd aliud dicit, nisi, Auferã cor lapideũ, unde non faciebatis: & dabo carneũ, unde faciatis? Et hoc quid est, nisi, Auferã cor durũ, unde nõ faciebatis: & dabo cor obediẽs, unde faciatis? Et de correptione & gratia cap. 1: Liberũ itaq; arbitriũ, & ad malũ & ad bonũ faciendũ cõfitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisq; iusticię, seruus q; peccati: in bono aũt liber nullus esse potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, Si uos filiꝰ liberauerit, tunc uerè liberi eritis. Nec ita, ut cũ quisque fuerit à peccati dãnatione liberatus, iam nõ indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita po-

tius, ut ab illo audiens, Sine me nihil potestis facere, dicat ei & ipse, Adiutor meus esto, ne derelinquas me.

De peccato docet, nõ esse à Deo: ut ad articulos falsò sibi impositos, ad 5. Deũ iustũ, bonũ, sic humanæ substantiæ & interiorum exteriorũq; sensuũ nouimus creatorem, ut prsus ab illo sit, quicquid pertinet ad naturã: & prorsus ab illo nõ sit, quicquid est contra naturã. Peccatũ aũt contra naturã est, de quo mors: & omnia quæ mortis sunt, oriũtur. Ibidẽ: Nõ ergo cuiusquã peccati autor Deus est, sed naturæ creator: quę cũ potestatẽ habuerit nõ delinquẽdi, spõte deliquit, & deceptori suo propria uolũtate se subdidit. Nec naturali, sed captiuo motu, uersatur in uitio, donec moriatur peccato, & uiuat Deo. Quod sine gratia Dei facere non potest.

De legis fine, 83 Quęstionũ, quęstione 66 inquit: Quapropter legẽ, quãuis à peccãdo ꝓhibeat, nõ tamẽ sic dicit datã ut liberaret à peccato, sed ut demõstraret peccatũ: cui seruiens anima, debet se ad gratiã liberatoris cõuertere, ut à peccato liberetur. Per legẽ enim cognitio peccati. Et alio loco dicit: Sed peccatũ ut appareat peccatũ, per bonũ operatũ est mihi mortẽ. Vbi ergo nõ est gratia liberatoris, auget peccãdi desideriũ prohibitio peccatorũ. Quod quidẽ ad hoc utile est, ut sentiat anima seipsam nõ sibi sufficere ad extrahendum se à uirtute peccati: atq; hoc modo detumescente atq; extincta omni superbia, subdatur liberatori suo, sinceriterq; homo dicat, Adhæsit anima mea post te: qđ est, iam non esse sub lege peccati, sed in lege iusticiæ. Præclarè inquit de spiritu & litera, cap. 19: Lex data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex quæreretur.

De iustificatione docet Augustinus, nos gratis iustificari. ut in Psalmũ 67: Sine bonorum operum meritis, per fidem iustificatur impius, sicut dicit Apostolus: Credenti in eũ qui iustificat impiũ, deputatur fides eius ad iusticiã. ut deinde ipsa fides per dilectionẽ incipiat operari. Item de spiritu & litera cap. 13: Colligim⁹ ex multis testimonijs, nõ iustificari hominẽ præceptis bonæ uitę, nisi per fidẽ Iesu Christi: hoc est, non lege operũ, sed lege fidei: non litera, sed spiritu: non factorum meritis, sed gratuita gratia.

De bonis operibus, ait ad Circenses epistola 130: Nos si quid boni sumus, non hominũ, sed opus illius sumus. Item lib. 4. de Genesi ad literam, cap. 17: Desideremus post bona opera nostra, quæ in nobis agnoscimus, illius potius esse, quàm nostra: ut etiam sic post bona opera sua, ipse requiescat in nobis: cum post bona opera nostra, quæ ab illo iustificati fecerimus, in se nobis requiẽ præstet. Et expresè ait, bona opera sequi gratiam: de pœnitentia, cap. 21. Bona quippe opera eorum non præuenerunt misericordiam Dei, sed secuta sunt.

De pœnitentia rectè contra Nouatianos contendit, semper esse pœnitentiæ locũ. ut de fide ad Petrũ, cap 3: Proinde omni homini in hac uita potest esse utilis pœnitentia, quã quocunq; tẽpore homo egerit, quamlibet iniquus, quãlibet annosus, si toto corde renunciauerit peccatis præteritis, & pro eis in cõspectu Dei, nõ solùm corporis, sed etiã cordis lachrymas fuderit, & malorũ operũ maculas bonis operibus diluere curauerit, omniũ peccatorũ indulgentiã mox habebit. Hoc enim nobis Dominus prophetico promittit eloquio, dicens: Si cõuersus fueris, & ingemueris, saluus eris. Et alio loco dicitur: Fili peccasti, ne adijcias iterũ: sed & de præteritis deprecare, ut tibi dimittãtur. Nunquã peccãti esset indicta ꝓ peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedẽda.

De oratione docet, q̃ potius corde quàm multis uerbis orãdũ sit. Itẽ, quòd omni in loco orare liberũ sit. Ita ait Serm. 130 de tẽpore: Nobis uerò iã, quãdo Christus aduenies uniuersam terram expiauit, omnis locus oratorium factus est.

De baptismo, lib. 1. de peccatorũ meritis, cap. 15. inqt: Generãte carne illud tantũmodo trahitur, quod est originale peccatũ: regenerãte aũt spiritu, non solùm originalis, sed etiam uoluntariorũ fit remissio peccatorũ.

De coniugio docet q̃ sit à Deo, & habeat suos bonos fines: ut lib. 1. de nuptijs & cõcupiscẽtia, cap. 10: Quoniã sanè nõ tantũ fœcũditas, cuius fructus in prole est: nec tantũ pudicitia, cuius uinculũ est fides: uerumetiam quoddã sacramentum nuptiarum cõmendatur fidelibus coniugatis.

Contra purgatoriũ esse uidetur, quod dicit: Hic, sicut Dominus dicit, aut ligãtur, aut soluũtur peccata. In futuro aũt nihil aliud erit, nisi remuneratio, aut cõdẽnatio. Omnis aũt qui hic iure reprobatur, nõ poterit eligi, aut dignus in futurũ iudicari. in libro Quæstionũ ueteris ac noui Testaméti, quęst. 102. Cõtra purgatoriũ & hæc esse uidẽtur, ubi sic inquit: Primùm locũ fides catholicorũ diuina authoritate regnũ credit esse cœlorũ, unde nõ baptizatus excipitur. Secundũ gehẽnã, ubi omnis apostata, uel à Christi fide alienus, æterna supplicia experietur. Tertiũ penitus ignoram⁹, imò nec esse in Scripturis sanctis inueniemus. lib. 5. Hyp. contra Pelag.

Quòd oẽs homines sint resurrecturi, pãsim asserit. ut de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 7: Omniũ enim hominũ erit resurrectio. Si omniũ erit, ergo oẽs moriuntur: ut mors ab Adã ducta, omnib. filijs eius dominetur. Quomodo uerò resurgãt, exponit Serm. 34.

Hanc

Hanc enim etiã ipſam animã tũc habebim⁹, quã modò habemus: & in hoc ipſo quo nũc induimur, ſumus corpore reſuſcitandi. Nemo ergo, fratres mei chariſsimi, de reſurrectione deſperet, in qua Chriſtianorum ſpes tota conſiſtit. Plus enim eſt facere quod nũquam fuit, quàm reparare qd fuit. Tota etiam huius mundi adminiſtratio, teſtimonium eſt reſurrectionis futuræ. Et qui Dominũ Ieſum reſurrexiſſe à mortuis confitetur, nec de ſua poterit dubitare.

NAEVI.

¶ Næuos ex prioris ſeculi doctoribus nõ paucos retinuit Auguſtinus, licet in quibuſdam rectius ſentiret. Cum aũt ſuprà in loco de Inclinatione doctrinæ, quoſdam eius nęuos recenſuerimus, ideo nõ hic repetemus eoſdem prolixius.

In loco de Iuſtificatione hominis, etſi ſæpe percõmodè loquitur, tamẽ nõ rarò ita ſe inuoluit, ut qui uideatur ita ſentire, quaſi tãtum præcedentium operũ merita, & non etiam ſequentium, à iuſtificatione hominis coram Deo excludat. Sicut in 25 capite de ſpiritu & litera, & alibi uidere eſt.

Bonis operibus nimiũ in quibuſdã locis adſcribit, quòd nimirũ etiam aliquid ad ſalutem proſint. nam lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 5. inquit: Quare, niſi propter fidem? Quæ licet ſine operibus neminem ſaluat (ipſa enim eſt non reproba fides, quæ per dilectionem operatur) tamen peripſam etiam peccata ſoluuntur: Quia iuſtus ex fide uiuit.

Baptiſmo Ioannis omnẽ regenerandi effectũ tollit, in Enchiridio ad Laurentiũ, cap. 49. Et aſſerit, infantes aliena fide baptizari. Quòd innocenti, facto diuortio, nõ liceat rurſus matrimoniũ cum altera perſona contrahere, ut ſuprà annotatum eſt.

Martyrium baptiſmo comparat, ſine uerbo Dei: lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 7.

Defunctos etiam precib. piorũ ſubleuari, autumat in Enchiridio ad Laurẽtiũ, cap. 10.

Sed ne lectorẽ piũ moleſtemus, remittim⁹ eum in Quarti Capitis poſteriorẽ partẽ, ubi de inclinatione religionis, & opinionibus eſt dictum.

¶ Multa grauiſsima & acerrima ſuſtinuit pro cuſtodia ſacri depoſiti certamina, p totũ illud curriculũ quod in miniſterio Eccleſiæ cõſumpſit. Nam presbyter Hippone, cũ Fortunato Manichęo iſtic ciues & peregrinos ſeducẽte, diſputauit, eũq; in anguſtias ita redegit, ut oẽs agnoſcerent eũ neq; Catholico ru ſententiã infringere, neq; ſuam opinionẽ tueri poſſe. Nam ille cũ nõ poſſet reſpõdere, ſolum illud effugium inuenit, ſe collaturum ea de re cum ſuis maioribus: qui niſi ſatisfacerent ſibi, animæ ſuæ ſaluti melius proſpecturũ. Ac aliquanto pòſt Hippone diſceſsit, nec unquã reuerſus eſt. Poſsidonius cap. 6.

Epiſcopus factus, ſæpe Manichęorũ hęreſin refutauit, non ſine auditorũ fructu. Hoc modo negociatorẽ quendã, nomine Firmũ, conuertit: quemadmodũ ipſe ad pedes eius aduolutus, cõfeſſus eſt. Poſsidonius cap. 16.

Cum Felice, qui è numero electorũ Manichęorũ Hipponẽ uenerat propagandi erroris cauſa, in arenam deſcendit, eũq; poſt tertiam collationem lucratus eſt. Poſsidonius cap. eodẽ. Carthagini etiam unà cum alijs epiſcopis, de eiuſdem hæreſeos aſſeclis ad ueritatis agnitionẽ adducendis laborauit, ac ad confeſsionẽ blaſphemiarũ multos adẽgit, cum ex libris eorũ indicaſſet errores, & turpitudines demonſtraſſet, quas illi inter ſeſe ſolerent exercere: cap. eodem.

Donatiſtarũ etiã ſecta ipſi multũ exhibuit negocij, nec ſegniter eam impugnauit. Nam publicè docendo, adhuc presbyter eorũ errores refutauit. Poſsidonius cap. 7. Idẽ, epiſcopus maiori authoritate & acrius egit. cã. 9. Oppugnauit etiã eos diſputationibus, epiſtolis & libris. cap. eodem. Quod eos tã malè habuit, ut omnis generis calũnias de ipſo ſpargerent, ac ſeductorẽ & deceptorem animarũ appellarent, & ut lupum cum omnium peccatorũ uenia rectè occidi poſſe publicè & priuatim cõclamarent. cap. eodem. Circumcelliones etiam, non modò alijs ſacerdotibus, ſed ipſi quoq; Auguſtino inſidias eam ob cauſam ſtruxerunt. cap. 10. & 12. Autor etiam fuit, ut ſynodus Carthag. impẽrãte Honorio fieret, ac in ea cũ Donatiſtarũ epiſcopis diſputaretur: ac hæreſis illa condemnaretur, non modò ſynodi autoritate, ſed etiam legum Imperialium, cap. 13. ac poſtea ad Cæſarienſem Mauritaniæ ciuitatem profectus, cum Emerito diſputauit: ac luculenter demonſtrauit, longè à uero eius opinionem abeſſe. idem capite 14.

Colluctatus etiam eſt cũ Arianæ hęreſeos aſſertoribus. Nam cũ Paſcentio Carthagini contulit publicè, & ſuã fidẽ defendit, & Paſcentij aſſertiones refutauit. Cũ aũt ea diſputatio Paſcentij rogatu non eſſet excepta, ac ipſe poſtea gloriaretur ſe uiciſſe, duos libros ad eum ſcripſit, ac eius uanitatem demonſtrauit: ille uerò ſemel reſcripſit, & magis iniuriam facere, quàm ſuæ ſectæ rationem declarare uoluit. Cum Maximo Gotthorum epiſcopo Ariano Hippone diſputauit. cum autem etiam ille Carthaginem profectus, iactaret uictoriam, & multa ſplendidè mentiretur: Auguſtinus de obiectis & reſponſis utriuſq; librum edidit, ut conſtaret, quàm nihil ille ad obiecta reſpondere potuerit, licet ſua garrulitate totum diei ſpacium in fraudem aduerſarij occupaſſet. cap. 17.

Oppugnauit ac damnauit etiã Priſcilliani ſtas & Origeniſtas: ut patet ex libro eius ad Oroſium, lib. 2 Retractationũ, cap. 44. Item Marcioniſtas: ut cõſtat ex libris duob. cõtra aduerſariũ legis & prophetarũ. Apollinariſtas: in libro de gratia, cap. 4. Photinum, & Sabellium: libro Quęſtionum ueteris & noui Teſtamenti, quæſtione 72 & 91. Nouatianos, quæſtione 102.

Aduerſus Pelagianiſtas, nouos huius ſeculi hæreticos, & diſputatores callidos, arte magis ſubtili noxia ſcribẽtes, & priuatim & publicè uenenũ ſuũ diffundẽtes, ferè annos decẽ laborauit, cõcione, diſputatione & ſtilo eos expugnãs. Effecit etiã, ut in ſynodis Africanis, & ab epiſcopis Romanis, & legibus Honorij Imperatoris damnarẽtur, cum magno Eccleſiæ Dei incremento. Poſsidonius capite 18.

Oppoſuit etiã ſeſe alijs erroneis opinionibus: quales ſunt, opinio de animabus, quòd ob peccata in cœleſti habitatione commiſſa corporib. incluſæ affligãtur, aliæ magis, aliæ minus. lib. 1. de peccatorũ meritis, cap. 22. Itẽ opinio Gennadij, in infantib. nõ eſſe peccatũ originis: nec per baptiſmũ, eos accipere remiſsionẽ peccatorũ, ſed tantũ ſanctificationẽ quãdã. lib. 3 de peccatorũ meritis, cap. 6. Opinio Euſebij, Spiritũ ſanctum ignoraſſe myſteriũ natiuitatis Ieſu. lib. Quæſtionũ, 125. quæſtione. Item opinio de matrimonio, ꝙ ſit op⁹ ſordidũ & contaminatũ: quæſt. 127.

Contra Iudæos etiã ſtilũ ſtrinxit, ut patet ex libris eius aduerſus Iudæos.

Paganiſmum ſeu Ethniciſmum refutauit uoce, & libris uigintiduob. de ciuitate Dei. Poſsidonius cap. 18. & libro Retractationũ 2. capite 43. & libro de ſex quæſtionibus Paganorum: lib. 2. Retractationum, cap. 31. & libris tribus contra Academicos: lib. 1. Retractationum, quæſtione 114. Mathematicos refutat lib. Quæſtionum, quæſt. 115.

Maximè autem ſibi in refutandis aduerſarijs cauit à nimia acerbitate, ut ipſe teſtatur his uerbis: Ego quãdo cuiquã uel dicẽdo uel ſcribendo reſpõdeo, etiã contumelioſis criminationibus laceſsitus, quantũ mihi Dominus donat, frenatis atq; coercitis uanę indignationis aculeis, auditori lectori'ue conſulens, non ago ut efficiar homini conuiciãdo ſuperior, ſed errorẽ cõuincẽdo ſalubrior. lib. 3. cap. 1. contra literas Petiliani. Nec tamẽ defuerunt, qui reprehenderent eius pro ueritate feruorẽ: quos minus rectè in eo facere demonſtrat lib. 1. contra Creſconiũ, cap. 7.

¶ Poſt conuerſionẽ uitam ſuã ſatis piè inſtituit, & tranſegit: ut ex antecedentib. colligere licet. Acut de priuata eius uita ſeu domeſtica aliquid dicamus, beneficus fuit in pauperes. Poſsidonius capite 23. Non habitauit cum mulieribus, ne cognatis quidẽ, propter ſuſpicionẽ: cap. 26. Veſtitu uſus eſt non nimium nitido, neq; planè ſordido, ſed decenti. cap. 22. Menſa eius erat frugalis & parca, ac inter olera & legumina etiã carnes continebat, propter hoſpites & infirmos.

Vino utebatur ſemper. Cochlearia argẽtea erant: cætera uaſa omnia uel teſtacea, aut lignea, aut marmorea. In mẽſa lectionẽ & diſputationẽ magis, quàm epulationẽ & potionẽ curabat. cap. 22. Ab anaricię uitio alienus erat. Non tantũ interdiu laborabat, ſed etiam noctu lucubrationes exercebat. cap. 24. Hoſpitalis erat: cap. 22. Obtrectationis uitium impenſè oderat: id quod teſtabatur diſtichon menſæ inſcriptum:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere uitam,
Hanc menſam uetitam nouerit eſſe ſibi.

Et non rarò etiam coepiſcopos ſuos alijs obtrectãtes grauiter obiurgauit, ſeq; aut deleturũ uerſus illos, aut abiturũ minatus eſt: ut teſtatur Poſsidonius cap. 22. Nec gloriæ inanis cupidus fuit: ut patet ex libro primo contra Felicianum Arianum, cap. 2. Nec puduit eum errores ſuos fateri & corrigere: ut conſtat ex libris Cõfeſsionũ & Retractationum. & lib. 1. Soliloquiorũ, cap. 9. fatetur ſæpe metu rerum corporaliũ, in amore ueri Dei interturbari. & in Prologo libri 1. Retractationũ, rogat omnes, ne quis ſe errantem imitetur, ſed in melius proficientem.

Multis notus & familiaris fuit, nó modò in Africa, ſed etiam in Europa & Aſia: inter quos ſunt, Valerius, Megalli⁹, Aureli⁹, Quoduultdeus, Deogratias, Poſsidonius, Comes, Valerius, Zenobius, Honorat⁹, Ambroſius, Simplicianus, Innocentius, Zoſimus, Hilarius Arelatenſis, Proſper Aquitanicus, Oroſius Hiſpanus, Hieronymus, & plurimi alij: ut patet ex ſcriptis eius.

Vrbe Hipponenſi à Vandalis, Alanis & Gotthis ad tertium menſem obſeſſa, cum triſtiſsimus eccleſiarũ & rerũ omniũ eſſet ſtatus, ipſe uerò crebrò Deũ precatus fuiſſet, ut aut obſidionem diſſolueret, aut ſeruos ſuos ad perferendam uoluntatem corroboraret, aut ſibi felicem largiretur exitũ, in febriculam incidit, & lecto decubuit. Ingraueſcẽte autem morbo, pſalmos Dauidis de pœnitẽtia & legebat ipſe, & ab alijs legi curabat, & diligenter meditabatur, ac uacabat orationi ferè per dies decem: & tandem Poſsidonio & alijs præſentibus, pia inuocatione filij Dei obdormijt, cùm uixiſſet annos ſeptuaginta ſex. Curriculũ autem eius in functionibus Eccleſiaſticis fuit annorum fermè quadraginta. Poſsidonius capitibus 28. 29. 31.

EVODIVS.

Euodius in eodẽ municipio, in quo Auguſtinus, natus eſt ex ethnico milite: prior Auguſti-

Augustino cõuersus & baptisatus, cõiunxit se eidem: accum aliquãdiu in Italiæ partib⁹, ut apparet, hęsisset, cum eodẽ & Alipio in Africam tãdem remeauit: Augustino teste, in nono Confessionum lib. 8. cap.

Ad Ecclesiæ regimen, quando aut quib. occasionibus uocatus accesserit, incertum quidem est. Vzali, quæ colonia Vticæ uicina est, eum fuisse episcopum, colligi posse uidetur ex uicesimosecundo libro, capite octauo, de ciuitate Dei. Quædam ipsum scriptis posteritati cõmendasse, his uerbis narrat Trithemius: Fertur quędam scripsisse deuota opuscula, de quibus extat uolumen de factis in Africa miraculis per reliquias ab Orosio presbytero allatas S. Stephani martyris, lib. 1. Et plures epistolæ ad diuersos lib. 1. & quædam alia.

Cæterũm hominem fuisse disputatorem, acrem & uehementem, apparet ex epistola Augustini ad Proculianum episcopum, quæ est 147 numero. qui cum congressus Euodius, quòd pro defensione suæ sententiæ magno animi feruore, studio & contentione quædam dixisset, Proculianus iste partis (ut uideri potest) Donatianæ, offensus, in sui cõtumeliam accepit: cuius commotum spiritũ Augustinus ea epistola simul & placare cupit, & Euodium quoque defendere: quòd quæ uehementius dixerit, non ingenij petulantia, sed amore propugnandæ ueritatis fecerit. Et plurimæ sanè in Augustino epistolę argumento esse possunt, hominem fuisse mirè solertem in quæstionibus argutis excogitandis. Nam in sua ad Augustinum epistola, quæ est iuxta numeri seriem 98. has ei proponit quæstiones:

1. De ratione & Deo.
2. De corpore Saluatoris, quòd substantiam Dei uideat.
3. De anima Christi rationali.
4. De spiritibus quibus Christus ad inferos descendẽs, in carcere prędicarit. ex 1. Petri 3. Altera sequens, nonagesima scilicet nona ipsius Augustini ad Euodium, in qua respondet ad duas ex illis quatuor quæstionibus, de loco nimirum Petri, obscuro isto, & de anima Christi. Epistola item centesima eiusdem Augustini, ad eundem Euodium, ex qua apparet, duabus item alijs epistolis proposuisse Augustino quæstiones, de anima soluta corpore, & prodigiosis uisis: id est, utrum anima migrans è corpore, egrediatur cum aliquo corpore, quo ad corporalia loca ferri & contineri possit. nam ad eam ibi respondet Augustinus. Rursum epistola centesima prima, itidem Augustinus ad eandem respondet quæstionem sibi propositã, Quomodo anima cernat sine corpore. Postremò epistola centesima secunda, in cuius exordio quasi expostulans ostendit Euodio, nolle sibi negocium exhiberi quæstionibus minus necessarijs, & à rerũ magis utiliũ & necessariarum tractatione, qua occupetur, auocari. Postea dictũ Pauli eidẽ declarat: Qui ignorat, ignorabitur. quod in scripto suo adduxisse uidetur Euodius. Et demum de sacrosancta Triade diuinitatis breuiter disputãs docet, quid credere sufficiat. Extat inter Augustini opera Dialogus de libero arbitrio, in quo etiam introducitur persona Euodij loquens. Diuo quoque Hieronymo non incognitus fuit, qui per S. Augustinum eum salutat, epistola 26.

Concilijs aliquot Africanis, Carthaginensi & Numidiæ prouinciarum interfuisse, ijs præsertim in quibus de Pelagij & Cœlestij recens ortis hæresibus, in primo quasi flore conterendis agitatum est, coniecturam prębent epistolæ duæ: una ad Innocentium Romanũ episcopũ, priuatim de eodẽ negocio scripta à qnq; episcopis, in quib. & Euodij nomẽ recẽsetur. Altera ipsius Innocentij responsoria ad priorẽ, in qua etiã ipse disertè istorũ quinq; meminit. Et extat utraq; cũ in Augustini epistolarum opere, numeris 95. & sexto. E' cõcilio Africano sub Bonifacio celebrato, mittuntur legati ad Hipponẽsiũ ecclesiã, ad cõstituendũ pastorẽ: in illis Euodij quoq; nomẽ memoratur: qui iã antè quoq; ex quodã Carthag. synodi decreto legationẽ cũ quodã Theodosio obierat ad Imperatorẽ cõtra Donatistas. Et tandẽ etiã cęsus memoratur, unà cum isto suo legationis collega, à paganis & hæreticis.

PAMPINIAS VTICENSIS.

Pãpinias Vticensis episcopus, sub Genserichо laminis candẽtis ferri ustus est. Victor lib. 1. de persecutione Vandalica.

VICTOR VTICENSIS.

Victor præceptorem habuit Diaconum episcopum, uirum doctissimum. Vixit à temporibus Theodosij iunioris, quo primùm Vandali duce Genserico Africam ingressi sunt, usq; ad Zenonem, & ulterius. Appellatur Vticensis episcopus. Persequutionibus illis & ipse exagitatus est, & constantiam mediocrem præstitit. Sub finem eius persequutionis, circiter annum Christi 490, ut uidetur, historiam illam tribus libris complexus. Ascribunt ei Confessionis formulã, quam ipse tame 1 sub Eugenij nomine recitat: de qua in Eugenio. cuius siue ipse sit uerus author, siue minus, consensu tamẽ amplectitur. Hæc ex eius libris constant.

VINCENTIVS CVLVCITANVS *episcopus*, & FORTVNATIANVS *Neapolitanus.*

Vnà cum clero de prouincia Carthaginẽsi,

ex eorũ sunt numero, quorum terni ex singulis prouincijs lecti sunt iudices: & priores duo, etiam in Carthaginensi sub Innocẽtio celebrati Concilij catalogo recensentur. Et pòst sub Zosimo missi sunt ex sua prouincia (quæ proconsularis ibi dicitur, & eadem esse uidetur cum Carthaginensi) ad cõcilium Telense Bizacenæ prouinciæ: ut patet ex isto Concilio, in fine Syricij papæ. Interfuerunt etiam sexto & septimo Carthaginensi concilio uterque, ubi inter primos commemorantur.

EVANGELVS *Absuritanus.*

Euangelus Absuritanus, ex quodam Carthaginensi concilio notus & ipse: ex quo etiam cum alijs legatus missus est ad ecclesiã Hipponensem, ob causas Ecclesiasticas sub Bonifacio.

AVRELIVS ADRVMETINUS.

Interfuit Chalcedonensi synodo. Videtur is etiã Constantinopolitanæ synodo in Eutychis controuersia interfuisse. nam ad eum modũ cum alijs etiam huius nomẽ refertur in Catalogo eius synodi, sub actis Chalcedonensis concilij primo tomo.

FLAVIANVS.

Adrumetinus episcopus, in illa parũ laudabili Ephesi celebrata synodo fuit: & cum alijs etiam ipse multitudinis numerum sequens, decernit Eutychen loco suo pristino restituẽdum. Patet ex eius synodi actis, quæ referuntur in prima actione Chalcedonẽsis concilij, in primo Conciliorum tomo.

HELLADIVS.

Helladius Adrumetinus episcopus, interfuit primæ Ephesinæ synodo, & subscripsit Cyrillo, &c. ex Catalogo eius synodi, qui recensetur paulo ante finem primæ actionis Chalcedonensis concilij.

FELIX.

Felix Adrumetinæ ciuitatis episcopus, ad exiliũ relegatus est à Genserico. Victor lib. 1.

MAXIMIANVS VAGAIENSIS.

Maximianus Vagaiensis, literis Concilij Africani ab episcopatu remouetur, & Ecclesiæ eius facultas datur creandi alium: quinquagesimoquinto paragrapho, sub decretis Bonifacij. Augustinus in tertio contra Cresconiũ libro, cap. quadragesimotertio dicit, Maximianum Bagaiensem, seu Vagiensem episcopum, à Donatistis malè tractatum, & de excelsa turri deiectũ, Dei beneficio præter omnem expectationẽ restitutum esse sanitati, & ad loca transmarina sese contulisse. epistola 50. ad Bonifaciũ uirum militarẽ.

ASCLEPIVS.

De Asclepio ita scribit Gennadius in Catalogo suo: Asclepius Afer, in Baiensi territorio, uici non grãdis episcopus, scripsit aduersum Arianos: & modò aduersum Donatistas scribere dicitur. In docẽdo aũt extempore grandi opinione celebratur. Hæc Gennadius. Ex quibus uerbis apparet, ipsum Asclepium tempore Gennadij in uiuis adhuc extitentem, in uinea Domini laborasse. Themius dicit ipsum fuisse uirum eruditum, & insignem concionatorem, hæreticorum quoque acerrimum oppugnatorem. Et ex ijs quæ scriptis ediderit, meminit duorum librorũ contra Donatistas. Itẽ cõtra Arianos libri unius: Homiliarum quoq; libri unius. Et multa præterea alia scripsisse eum narrat, quæ fuerint sibi incognita. Additq;, circiter annũ Domini quadringẽtesimũ quadragesimũ ipsum fuisse clarũ, sub Theodosi iuniore.

VINCENTIVS, & PAVLVS *Sitmaritanus.*

Vincentius Vigitanus, uel (ut alibi) Gigitanus: & Paulus Sitmaritanus, uel (ut alijs) Sinnaritanus episcopus Quincię proconsularis, & Eugitanę, seu Zeugitanæ uerius. Illo tẽpore, cum Victor suam de Vandalica persecutione contexeret historiã, tantũ reliqui fuere ex numero episcoporũ istorũ istius prouinciæ centum sexagintaquatuor, posteaquam mitigata persecutione, aliqua uel modiocris reddita fuisset tranquillitas ecclesijs Africanis. Meritò igitur ad omnem posteritatem ipsorum conuersatur memoria, cum Deo ipsos protegente, & gubernante in tantis afflictionum procellis, quæ ipsos dubio procul durissimè concusserunt, non deserint. Victor lib. 1.

VALERIANVS ABENSIS.

Valerianus episcopus Habensæ ciuitatis, seu (ut alibi) Habensiæ, seu (ut alibi) Abensę, tradere renuit sacros libros, & alia quædam quæ ad ministerium pertinebant, persecutionis ministris, quibus id negocij à Genserico commissum fuerat. Itaq; extra ciuitatem pulsus est: & additum sæuum edictum, ne quis ipsi locum manendi alicubi concederet, uel in domo uel agro. Annos igitur natus amplius octoginta, sub dio nudus lõgo tempore publicè iacuit (Victor lib. 1.) & reliquum uitæ exegit: quod addit Sigebertus in Chronico.

FELIX ABBIRITANVS.

Felix Abbiritanus episcopus cum Ecclesiã suã ad annos quadragintaquatuor rexisset, & propterea annis iam grauior, & multis laboribus ministerij tanto tẽpore debilitatus: publicis uerò calamitatibus, quæ ad annos quadraginta iam duraũerant, penitus fractus esset: accedente etiam paralysi morbo, qui ipsum prorsum inhabilẽ, & ad omnia inutilẽ reddiderat, ab Hunericho in exiliũ cum alijs multis deduci iussus est, ut suprà cõmemorauimus prolixius.

HA-

Tamallunensis fuit episcopus Habetdeũ, ut ex tertio libro Victoris de persecutione Vandalica patet. Commendat aũt & ipsum præ multis alijs inuictum robur constantiæ, quam Christo uires suggerente præstitit, in ueræ fidei confessione, in grauissimis cruciatibus diuersarum afflictionum, quibus illum infestabat in exilio Arianus episcopus quidã Antonius, qui manib. pedibusq; labo rabat, ut hoc modo fractũ in suæ religionis sententiã pertraheret cõstantissimũ cõfessorem. Quod ni efficeret, nõ cupiebat esse qui erat. Quoniam uerò nihil promouebat illo modo, arripit tandem ipsum uinctũ manib. pedibusq;, & obturato ore conspergit eum fuii impij anabaptismi undis: atq; eidẽ deinde soluto persuadere conatur, ista uiolenta aspersione sui cœtus membrũ eũ factũ: quod tamen fortissimus athleta constanter negat atq; pernegat, inquiẽs, nihil sibi contagij ex ista uiolentia posse accidere, nec aliquid inde suũ ad mortẽ delictũ esse, cum animi sui & uoluntatis nõ accesserit cõsensus. Etenim & dum sibi confitendi facultas adempta fuisset, nihilominus tamẽ cordis sui gemitib. suã ad Deum transmisisse confessionẽ: cuius rei ipsi uel angeli sint testimoniũ exhibituri. Sed etiamnũ fidei suæ se esse tenacissimum, ac confiteri quæ credat & credidisset.

Quin nec coram ipso impio rege suã edere confessionem ueritus est. nam ex ipso deserto egressus Carthaginẽ, obtulit tyranno scriptum, in quo disertè ipsius impietatẽ & tyrannidem accusat, hoc genere sermonis: Quid quæso iam cum illis qui profecti sunt, negocij habetis? quid cum eis, quos exilio relegastis? Quotidie diuitiarũ substantiam abstulistis: ecclesijs, patria, domibusq; priuastis: sola autem remansit anima, quam capere contenditis. O tempora, ô mores: uniuersus hæc mundus intelligit, & ipse qui persequitur uidet. Si fides dicitur, quam teneꝫ, quid ueræ fidei mẽbra tantis persecutionibus agitatis? quid uobis cũ exilio nostro? quid uobis cum egenis in seculo, quorũ est uita semper in Christo? Liceat saltem gaudere consortio bestiarum, eis quos abiecistis à facie omnium populorum. Cumq; suo officio satis sibi perfunctus uideretur pœnitentiam concionando, nec tamen quicquã proficeret, sponte in exilij locum regressus est: ut ibidem Victor narrat.

CANDIDVS *Villaregiensis, &*
DONATVS *Macomadiensis.*

Candidum Villaregiẽsem & Donatũ Macomadiensem, à Donatistarum defecisse hæresi, & ad catholicam Ecclesiã transijsse, atq; in ea quoq; sui ordinis gradum retinuisse, & munere episcopali functos, narrat Augustinus lib. contra Cresconium secundo, cap. 10.

VRBANVS SICCENSIS,
& Apiarius.

Vrbani & Apiarij reliqua est memoria ex quodam Aphricano concilio, temporib. Bonifacij primi, Romani pontificis primũ instituti. Vnius aũt & eiusdem Ecclesiæ fuisse ministros apparet, sed diuerso gradu: Vrbanum episcopum, Apiarium presbyterum, ex epistola Concilij ad Bonifacium. Vrbanus Apiarium ob sua scelera, & ob ordinationem, qua fortè se ab hæreticis aut seditiosis ordinari episcopum passus est, ad Africanum concilium accusauerat. Patres cognita causa, ipsum excommunicant: & Vrbanũ absoluunt. Abit ille ad episcopum Romanũ Zosimum, & queritur de iniuria. Is eum statim absoluit, & mandat cõcilio Africano ut eum restituat, & Vrbanũ corrigat. Synodus in gratiam Romani episcopi, Apiario remoto reddit honorẽ presbyterij, ac concedit ut alibi presbyterij munere fungatur, & Vrbanum corrigit. Hac sententia non contentus Apiarius, iterum ad Romanũ episcopũ appellat: qui denuò missis legatis, tum pro Apiario, tum pro suo primatu instat apud patres in synodo. Adsunt Tabraceni, ac Apiariũ de multis grauissimis scelerib. accusant. Post longã concertationẽ synodi, & legatorũ Romani episcopi, tandẽ suæ causæ diffidẽs Apiari⁹, sese ad pedes patrũ abijcit, & cõfitetur sponte multo grauiora scelera quàm unquã putassent eum perpetrasse. quæ publica pœnitentia iussus est sanare: ac admonitus est Romanus episcopus, ne ius appellationis ab Africanis ecclesijs ad sese trahat, & cuiquam sceleratissimo patronum se præbeat: ut patet ex epistola Concilij ad Celestinum, ac ex actis sextæ synodi Carthaginensis.

PROFVTVRVS *Zertensis.*

Profuturũ Augustinus cum literis ad diuũ Hieronymũ ablegare uoluit: ut ex eius epistola octaua apparet. Verùm dum is se profectioni parat, uocatur ad episcopatũ ecclesiæ Zertensis: in quo breui, uita defungitur, ut patet ex Augustini epistola 10. 14. & libro de unico baptismo cõtra Petilianũ, cap 16. Extat & epistola Augustini 149. ad quẽdam Profuturum, quem apparet intimum sibi habuisse: nominat enim eum, alterum se. Vtrũ autem ille idem sit, an alius eo nomine, ambigimus.

ANTONINVS *Constantinien-*
sis episcopus.

Antoninum Cõstantinensem episcopum facit inscriptio cuiusdam epistolę, quę extat in uolumine cui titulus Antidotum, & ipsi tribuitur: in qua Arcadium quendam in exilium à Genzericho actum consolatur,

& ad constantiam præstandam hortatur, ex artificio quidem suasorij generis, argumentis tamẽ petitis ex fontibus cœlestis doctrinæ: in qua etiam ad extremum breuiter, sed tamen satis perspicuè, articulũ de sacratissima diuinitatis Triade, & singulis personis exponit. Gennadius hanc ipsam epistolam Honorato ascribit, istius quidẽ urbis Constantinæ scilicet episcopo: quam tamen expresse, non quidẽ ut in Palęstina, sed Africa collocat. Et ne quis dubitare queat de hac epistola, esse unã & eandẽ, cõueniũt optimè quę Gẽnadi⁹ narrat, nomẽ ipsum ad quẽ scribitur, Arcadij nimirũ, & argumẽtũ epistolę.

EPISCOPI PROVINciæ Bizanzenæ.

DONATIANVS.

DOnatian⁹ episcopus primę sedis ciuitatis Telensis, siue Teleptẽsis, prouinciæ Bizacenæ, siue Bizancenæ, concilio istius loci prędfuit. interest etiã Carthag. cõcilio, & qdẽ primo loco numeratur. interfuit & Mileuitano, in quo primatis ipsi appellatio tribuitur: & est un⁹ ex delectis iudicibus.

CRESCONIVS, Iocundus Sufetulensis ecclesiæ episcopus, Aemilianus, episcopi prouinciæ Bizacenæ, nõ modò Mileuitano concilio interfuerunt, sed & in numerum iudicum ipsi etiã adhibiti. & Cresconij nomẽ etiam in Carthaginensi memoratur cõcilio (ut & Aemiliani) item postea in Telensi sub Zosimo, in quo etiam Iocundus recitatur. Interfuit & sexto Carthaginensi concilio, in quo de seruandis Nicenis decretis ipse singillatim pronũciat. In alio quodam Carthaginensi cõcilio sub Bonifacio, scribitur Cresconius uillæ Rhegiensis episcopus, inuasisse ecclesiam Tubunensem, sua relicta: nec commonitus delictum corrigere uoluisse. Verùm an ille unus & idem sit, dicere nos non possumus. Et uidetur Numidiæ fuisse prouinciæ, siquidem primati Numidiæ mãdat Concilium, ut Cresconium citet ad futurum concilium.

MAXIMIANVS.

Maximianus Aquæ Regiensis episcopus, prouinciæ Bizacenæ legatus.

HILARINVS.

Hilarinus Otreocelensis episcopus, eiusdem prouinciæ legatus.

PHILOLOGVS, VENUstianus, Felicianus.

Episcopi prouinciæ Bizantinæ, legati suarum Ecclesiarum, in Carthag. concilio.

SEVERVS, MILEVITANVS episcopus.

Mileuitanę ecclesię antistitem Seuerum, & Augustini olim condiscipulum, tum uerò in ministerij gubernatione coætaneum fuisse, uel ipsius Augustini testimonio constat, qui eius nomine Paulinum & Therasiam salutat. epistola ad eosdem, quæ est ordine tricesimaquarta. Recitatur & inter eos qui Mileuitano concilio interfuerũt, Seueri cuiusdam nomen: sicut epistola eius concilij ad Innocentium, in quo recitatur Catalogus eorum, testatur, in primo Conciliorũ tomo, sub finem ferè Innocentij.

AFRICANI DOCTOres, de quorum Ecclesijs non certò constat.

IVNILIVS.

AFricanum fuisse episcopum, sed cuiusnam ecclesiæ, id uerò se reperire potuisse minimè, refert Trithemius in suo Catalogo. huius nomine hæc extant scripta.

De partibus diuinæ legis, liber unus, ad Primasium episcopum, in modum Dialogi discipuli cum magistro.

Commentarius εἰς τὰ πρῶτα τῆς γενέσεως, ad eundem, qui etiam in Orthodoxographis habetur.

In fine præfationis in Genesin, promittit se reliqua etiam pertexturum, insuper & ex Esdræ historia quædam in usum studiosorũ excerpturum. Nunquid uerò id præstiterit, atq; in hominum manus ea quoq; ipsa peruenerint, affirmare non possumus. Ipse certè Trithemius meminit, dici de ipso, quòd multa opuscula scripserit, quæ tamen neci pse uiderit, præter illud de Partibus legis diuinæ insigne. Atq; ea sanè, quãtulacũq; demũ sint monumẽta, satis de authoris sui ingenio atq; eruditione & doctrina testantur.

Artium & philosophię habuisse cognitionem, argumento est, quòd locum in Genesi de creatione cœlestium luminum, solis, lunæ & planetarum exponens: de ipsorum quantitate, lumine & periodis, item de æqq. noctijs & solstitijs, obiter quædam etiam interserit. Nec poeseos ac reliquæ humanitatis literaturæ prorsus ignarus fuisse uidetur. etenim Ouidij uersiculum non ita penitus ineptè accomodat suæ dissertationi, de homine ad imaginem Dei creato:

Pronaq; cum spectent animantia cætera terram,
Os homini sublime dedit, &c.

Eodem modo & Vergilij uersum de innocentia primæ conditionis allegat:

Nec lupus insidias explorat ouilia circum.

In sacris literis Paulo Persa Nisibi usus est præceptore, ut ipse testatur in præfatione ad Primasium: se ex eius ore expositionem epistolæ ad Romanos excepisse. His addidit ipse ardens studium legendi sacram Scripturam, & interpretes etiã alios atq; doctores. Id non esse uanum, ipsæ eius breues quidem

quidem illæ, sed doctæ explicationes perspicuè ostendunt, quibus Scripturâ Scripturæ interpretatur: & testimonijs doctorum dextrè utitur, ut Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Basilij Cæsariensis, ex quorum lucubrationibus suos se in Genesin contexuisse Commentarios ipse narrat, in epistola nuncupatoria ad Primasium. In ipso Commentariolo suo meminit etiam cuiusdam antiquæ Bibliorum translationis, qua usus sit. In ijsdem meminit & Clementis, ex quo narratiunculam quandam Petri apostoli recitat. Nec est obscurum, mediocri diligentia eius scripta legenti, dono interpretãdi Scripturas non infeliciter eum ualuisse.

Stilus eius planus & facilis est, ac cõcinna breuitate res maximas complectitur.

Iunilij dogmatica.

Diligenter discernit libros sacros, ac alios facit perfectæ autoritatis, alios mediæ, alios nullius. libro primo De partib. diuinę legis, cap. 7. Ac ex ordine rerum, & ueritate probat, eos diuina inspiratione scriptos esse: libro 2. capite 29.

De summa eorum dicit, quòd aut de Deo, aut de præsenti seculo, aut de futuro loquãtur: libro primo, capite undecimo. Et dilectionem Dei & proximi requirant: libro secundo, capite 28.

Vetat allegoricè in sacris literis omnia exponere, ne narrationis ueritas infirmetur, & inimicis licentia detur diuinos libros interpretandi prout uelint: libro primo, capite quinto.

De Deo docet, quòd ex creatione agnosci possit esse Deum: libro secundo de partibus, capite uicesimoseptimo. Quid autem sit Deus, comprehendi posse negat: libro primo, capite decimotertio. Tribuit autem ei omnipotentiam: commentario in Genesin. & immutabilitatem: libro secundo de partibus, capite undecimo. Ac sanè diligenter phrases Scripturæ de Deo passim discernit. nam octo appellationes Dei in Scriptura extare ait: nimirum, Deus, Dominus, Dominus Deus, Adonai, Sebaoth, Heli, Heloi, Est. Ex quibus tamen duæ, scilicet Deus & Dominus, nõnunquam abusiuè de aljs dicantur: reliquas uerò sex, soli Deo tribui. libro primo de partibus, capite decimotertio. Monet etiam, Scripturam quatuor modis de Deo loqui: primùm de essentia, secundò de personis, tertiò de operationes, quartò de collatione eius ad creaturas: libro primo, cap. 11.

De Trinitate etiam rectè sensit, ac in dicto: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinem nostrã, pluralem numerũ, Trinitatem: & similitudinem nostram, unam & æqualem substantiã Trinitatis significare indicat. libro secundo, capite decimonono: & commentario in Genesin. Patrem primam personam in Trinitate esse, docet libro primo de partibus, capite decimoquinto. Vbi tamen monet, Deum etiam patrem dici, respectu creaturarum. Et Christum, patrem futuri seculi, propter resurrectionem appellari.

De filio Dei, Scripturam quinque modis docet loqui. Aut enim solam Deitatem signari: ut, Vnigenitus filius, qui est in sinu patris. aut solam humanitatem: ut, Nouissimè loquutus est nobis in filio. aut simul utrunque: ut, Cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. aut humanitati eius attribui, quæ sint propriè Deitatis: ut, Filius hominis qui in cœlis est. aut Deitati adscribi, quæ specialiter ad carnem referenda sint: ut, Si cognouissent, Dominum gloriæ haud quaquã crucifixissent. lib. 1. cap. 16.

Duas in Christo naturas inconfusas in una persona esse, docet ibidem, ac eum mediatorem esse inter Deum & hominem. in commentario in Genesin.

Ac Christum incorruptibiliter & incõtaminabiliter ad imaginem Dei conditum esse, immunem ab omni delicto, & plenum omni gratia & ueritate. Commentario in Genesin.

Spiritum sanctum tertiam personam, cõsubstantialem & cooperatricem patri & filio esse, docet lib. 1. cap. 17.

De creatione sentit, temerariè magis quàm cautè quæri, quomodo Deus crearit ex nihilo mundum, cum nemo præter eum id scire possit, qui sit potentia & scientia par Deo. libro secundo, cap. 2.

Quædam autem ex nihilo, ut cœlum & terram, & cætera quæ primo die condita sunt, esse facta. Quædam uerò ex iam factis primo die, libro secundo, capite secundo monet. Ac propter hominem omnia esse facta, dicit commentario in Genesin. Ac uoluisse Deum ideo creare præsens seculum, ut rationales creaturæ prius discerent, & exercitarentur in dubijs, quàm æternis fruerentur: & plus glorificarent donatorem, & gratiora fierent reminiscentibus transacta certamina. lib. 2. cap. 26.

De angelis sentit, quòd in initio cum cœlo, terra & aere sint conditi, quia in laudibus & benedictionibus creaturis cæteris præponantur: & uerisimile sit cœlestes creaturas terrenas præcessisse: libro secundo, capite secundo.

Angelos diaboli ruinam perterruisse, & firmasse: indicat libro secundo, capite septimo.

De ho-

De homine asserit, quòd cum alia aut ex nihilo, aut ex iam factis facta dicantur, ipse solus ex utroq; componatur: lib.2.cap.2.

Ac hominẽ bonũ, iustũ, sanctũ, uerũ, secundũ Deũ, ad imaginẽ eius cõditũ esse docet cõmentario in Genesin. Itẽ dicit, Adã ita immortalem factũ esse, ut posset nõ mori, si non peccaret: si autem peccaret, moreretur.

Homines & diabolos libero arbitrio inordinatè utentes, maliciæ & pœnæ sibimet causam existere, monet lib. 2. cap. 28. Homines arbitriũ seu uires legem erudire, sed gratiã præparare, adiuuare, corroborare, & coronare, indicat lib. 2. cap. 12.

Legem diuidit in naturalem & positiuã: lib. 2. cap. 6. Ac alias leges immutabilia præcipere: ut dilectionem Dei & proximi. alias temporalia: ut circumcisionẽ, & similes ritus. item alia præcepta aliquid pręcipere, alia uetare: alia per se utilia, ut dilectio Dei: alia proper alia necessaria, ut Non occides. lib. 2. cap. 8.

Vetus ac nouum Testamentum ita discernit, ut ueteri figuras tribuat, quarum res in nouo sint exhibitæ. lib. 1. capite 10. & libro secundo, capite 16. &17.

De iustificatione pauca admodum tradit, nisi quòd Christum sanguinem suum pro salute mundi effudisse affirmat, in Commentario in Genesin.

De fide monet, quòd ea quæ ratio edoceat, fides intelligat: ubi uerò ratio deficiat, ibi fides præcurrat, ut fideli prudentia confiteamur, quòd ad plenum ratione nõ possimus consequi: lib 2. cap. 30.

Baptismo nos à peccato purgari, & filios Dei effici, docet lib.2.cap. 17.

De Ecclesia eleganter dicit, quòd sicut Deus de latere Adæ dormientis fœminam crearit, ita de latere Christi dormientis exiuerit sanguis & aqua: de quibus sacramentis nascatur & nutriatur Ecclesia, quæ sit mater omnium per orbem. in Genesin.

De cruce monet, bonis ideo æquè ut malis accidere mala, ut sciant restare aliud iudicium. libro secundo, capite decimo tertio.

Coniugium diuinitùs institutũ, & à scortatione & fœditate discernendum, monet in commentario in Genesin: ac damnat eos, qui nuptias prohibent. Commentario eodẽ.

Concupiscentiã carnalẽ intra licẽtiã coniugij refrenandam, monet lib. 1. cap. 5.

Animas piorũ à corpore auulsas, etiã ante resurrectionem gaudiũ uitæ perennis intrare, monet commentario in Genesin.

Nostræ resurrectionis, & futuræ in cœlo habitationis indicium & argumentum esse, Christi secũdũ carnẽ resurrectionẽ, & in cœlis habitationem: libro secundo, cap. 17.

In uita ęterna iustos angelis fore ęquales, nec mori ultrà, nec peccare posse, nec refecti one ciborũ opus habere, docet commentario in Genesin. Ac fore eam quietis ætatem, in qua Deus cum sanctis suis requieturus sit in æternum. eodem.

Næui.

Erroneas opiniones non multas in eo reperias. Singulari tamẽ opinione uidetur dixisse, creaturã omnẽ simul p̃ substantiã extitisse, sed nõ simul per speciẽ processisse: lib. 1. contrariorũ in Genes. interrogatione prima.

Et ante reatũ hominis nihil noxiũ terram protulisse, & nullam herbam uenenatam, & nullã arborẽ sterilẽ fuisse, nec aues raptu alirũ infirmarũ alitũ uixisse, nec lupos ouibus insidiatos esse: sed uniuersa animalia conborum uictitasse. commentario in Genesin.

Certaminũ nihil ex ijs scriptis quæ extãt, animaduerti potest. in Cõmentariolo in Genesin obiter tamen refutat illorũ interpretationes, qui putant Deum tenebras antè creasse, quàm lucem.

Cũ Primasio singularẽ fuisse cõiunctionis familiaritatem ei, adeò ut impulsor sibi fuerit scribendi, præfatio utraq;, maximè in libellũ de partib. diuinæ legis, docet. Ex qua & hoc perspici potest, quòd ad mores & uitæ ipsius innocentiã attinet, quòd fuerit uir modesti & demissi animi: cui cũ diuinæ doctrinæ studiũ & nõ mediocris cognitio cõtigisset, doctorẽ tamen se dicere reueritus sit.

PRIMASIVS.

Primasiũ Africanum episcopũ Isidorus in Catalogo appellat. Trithemius sub Theodosiũ posteriorẽ eũ collocat, anno Christi 440. Titulus Cõmentarij in Pauli epistolas Colo niæ editi, adiectũ habet Vticẽsis: uerùm ambiguum, nascendi ne ei ortum præbuerit Vtica, an uerò eum episcopum habuerit. Alter commentarius, in Apocalypsin nimirũ, Basileæ editus, præter nomen Vticẽsis, insuper & Iustinopoli ciuitatẽ in titulo addit: ut indẽ colligas, ipsum Vticensem fuisse patria, Iustinopoli uerò Africę ciuitate episcopũ. Vnde hæc habeant qui addiderunt, ipsi uiderint. Diui Augustini discipulũ fuisse, quidam uolunt, quem ad annos aliquot diligentia summa tam prælegentẽ quàm concionantem audierit: à quo etiam, quicquid sanę doctrinæ habeat, hauserit.

De ipsius scriptis narrat Isidorus, quòd scholastico sermone cõposuerit tres libros de hæreticis ad Fortunatum episcopum: in quibus ea explicarit, quæ olim B. Augustinus morte interueniente in hæresẽon libro imperfecta reliquerit. Huius scripti etiã Trithemius meminit.

Cõmentarij eius in oẽs Pauli epistolas, nostro demũ seculo in Gallijs sub Francisco rege pri-

ge primùm, è tenebris in lucẽ ꝓducti quodã Ioanne Gagneio Parisino Theologo, extãt. Cõmentariorũ itẽ in Apocalypsin libros quinq; ad quendã Castorem, quem author uirum nominat & illustrem & religiosum. Ponit & hos in suo catalogo Trithemi⁹: atq; extãt etiam ipsi nuper ab interitu uindicati.

Præstant hæc scripta authori suo eximiæ & multijugæ eruditionis euidens testimonium. Politioribus literis instructum accessisse ad docendam Ecclesiam, præterquam quòd etiam Trithemius meminit, hoc indicio est, quòd Tullij testimonio utitur, epistola ad Galatas capite sexto. Græcæ linguæ aliquam habuisse cognitionem, ostendit locus Cõment. epist. ad Hebræos, in fine 1. cap. in quo, ex Didymo græco scriptore dictũ citat, ex libro quem is de Spiritu sancto inscripserat. Hieronymi, ac in primis Augustini scripta diligentissimè legit. horũ simul quidẽ frequẽtibus testimonijs usus, suis interpretationibus fidẽ conciliat. Non oscitanter aũt & aliud quasi agentẽ, sed magno iudicio & mente præsentissima ipsum tum sacras literas tum aliorũ scripta euoluisse, id inde liquet, qđ in utraq; prefatione, & generali in oẽs epistolas Pauli, & speciali in epistolã ad Hebræos, de eadẽ ad Hebræos epistola eruditè iudicat, ex phrasi & tota compositionis ratione, cõgruente cum materiæ sublimitate, esse Pauli apostoli. Similiter & de Tychonij Donatistæ scriptis censuram fert manifestã, dicens multa in ipsius opere esse superuacua & inepta, sanẽ etiam doctrinæ contraria. Sed tamen etiã ipsius se interpretationibus uti, in expositione Apocalypseos: nec respuere, si quæ etiã ipse habeat, quæ sano sensui congruant. In præfatione super Apocalypsim.

Quantum in pietatis doctrina prẽstiterit, cõmentaria in Pauli epistolas docent: in quibus ita locos difficillimos tractat, ut nec propter nimiã breuitatem obscurus: utrobiq; tamẽ mirè facũdus & gratus. Certè in hoc ipsum sedulò dedisse operã uidetur, ut dextrè explicando textũ, quàm fieri posset maximè genuinam Apostoli sententiam exprimeret. Quòd si non omnia assecutus est, studium tamen & opera ipsius laudanda est, quo Ecclesiæ prodesse uoluit. Oratio ipsa est latina, suauis ac temperata, media quodammodo inter paraphrasin & homelias.

In Apocalypsin allegorias utplurimũ tractat. Non pauca uerò quę in Primasio extãt, in Sedulio Scoto de uerbo ad uerbũ etiã referũtur. Sed iã de singulis doctrinę partibus, quid tradiderit rectè uel secus, uideamus: quantũ id ex scriptis illius fieri potest.

De Deo dicit, quòd naturaliter posit sciri quòd sit, & quòd iustus sit, & quòd tota creatura ostendat Deum esse: in 1. caput ad Romanos. Ac esse eum omnipotentem, Rom. 11. Et ubiq; esse: sed tamen in ijs tantum habitare, qui eius beneficia sentiant, & credant ipsius dona esse: in 2. Corinth. 6. Ac esse eum ignem consumentem, non ut materiam quam fecit absumat, sed peccatum quod malitia hominũ intulit. in 12. ad Heb.

Vnum esse Deum, & tres personas, patrẽ, filiũ, & spiritũ sanctum: in 2. ad Timoth. & 1. ad Hebræos docet.

De Christo sentit, quòd sicut Adam sine coniugali Dei manibus est factus: ita ipse ex uirgine Deo operante ꝓcesserit. in 5. caput ad Rom. Ac sicut anima & corpus ex diuersa substantia unus est homo, ita Deum & hominem ex diuersa substãtia unum esse Christum, docet in 8. cap. ad Romanos.

Christũ nihil propter se fecisse, aut passum esse, sed ꝓpter omniũ salutem. in 2. ad Rom. Ac eum cũ anima descendisse in infernũ, & cum anima ac corpore ascendisse ad cœlos, monet in 4. cap. ad Ephes. & isthic eum assiduè orare ꝓ salute fideliũ: in 6. cap. ad Heb.

De diabolo sentit, quòd per superbiã id quod habuit, perdiderit. in 1. cap. ad Rom. Ac eum per mortem Christi uictũ esse: in 2. cap. ad Hebræos.

De creatione affirmat, Deum patrem, filiũ & spiritum sanctum ex nihilo omnem creaturam fecisse: in 8. & 11. ad Rom. Ac uerbũ seu filiũ Dei ubiq; esse, & omnes creaturas implere. 1. cap. ad Hebręos. Ac uirtute uerbi Dei cœlũ & terram subsistere, quia uirtute eius missionis omnia sint facta. 1. ad Heb. Item, Deum corpora hominum & aliorũ animaliũ ex elementis creare: animam uerò ex nihilo creatam in initio, & adhuc ita condi: in 12. ad Hebræos.

De peccato: Peccatũ originale uocat peccatum libidinis, lib. 3. cap. 12. in Apocalyp. Ac omnes reos esse per unum: Rom. 9. Ac habitare in se consuetudinem peccandi, per transgressionẽ primi parentis ex uitiata natura transfusam: in 7. cap. ad Rom. docet. Neminem periculosius peccare, quàm qui peccata defendat, in 2. ad Rom. monet.

De libero arbitrio, dicit id esse prõptissimum ad malum: in 1. ad Rom. Ac Deum in omnib. bonis nos præuenire, & prẽcedere, & fouere: ibidem. Ipsum etiam Deum, si qua bona sit in nobis uoluntas, eam operari: in 7. ad Rom. ac Deum, eum cui misericors sit, uocare, & inspirare ut credat: in 9. ad Romanos.

De lege, dicit legem esse à Deo: in 1. cap. ad Romanos. Legis iusticiam esse, iubere quod Deo placeat, & uetare quæ displiceant. in 10. ad Romanos. Ac legem peccata

non donare, ſed indicare: in 4. ad Romanos. non oblationē, ſed cognitionē peccati ex lege eſſe: nec eam datá eſſe ut tolleret, ſed ut demonſtraret peccatum. in 7. ad Rom.

De Euangelio: Definit eſſe bonum nuncium, de nato & paſſo & reſuſcitato Chriſto pro nobis. in 1. ad Romanos.

De diſcrimine legis & Euangelij, inquit: Lex auditores facit, gratia factores. in 2. cap. ad Rom. Et: Legem occidere, Euangelium uerò promittere præmium. ibidem.

De prędeſtinatione ſentit, filium Dei prędeſtinatū eſſe ut prior omnibus reſurgeret, & filijs Dei uitam reſurrectionis aperiret. in 1. cap. ad Romanos. Item inquit: Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia uerò ipſa iam donatio. in 11. ad Romanos.

De iuſtificatione dicit, ſine ullis præcedentibus meritis per baptiſmum nos iuſtificari. in 3. cap. ad Romanos. Item: Impium per ſolam fidem iuſtificat. in 4. cap. ad Rom. Iuſticiam Dei dicit appellari, nō qua ipſe ſit iuſtus, ſed qua dat hominibus Deꝰ, ut iuſtus ſit homo per Deum. in 2. cap. ad Galat.

De fide piè & uerè dicit, quòd fides à Deo donetur, & occulta Dei inſpiratione infundatur dono gratiæ Dei, & non labore humano, nec opere ueteris Teſtaméti acquiratur: nec ſit ex naturá, ſed fructus ſpiritus. in 3. & 4. & 8. & 12. ad Roma. Omne peccatum ex infidelitate deſcendere, in undecimum caput ad Romanos docet

De bonis operibus ſentit, quòd ex fide proficiſcantur. in 3. cap. ad Hebræos.

De oratione dicit, quòd multum ualeat. in 15. ad Rom. & quòd ſit infirma, ſi non adiuuetúr à Spiritu ſancto. in 8. ad Romanos. Orandum maximè pro ſpiritualibus. in epiſtola ad Epheſios.

De clauibus dicit, quòd pertineant ad totam Eccleſiam. in Apoc. lib. 3.

De Eccleſia docet, quòd ſit corpus Chriſti. in 6. ad Corinth. Et quòd in ea ſola ſtet ueritas firmata. in 3. ad Timoth. Et qꝫ boni & mali ſint immixti. in 2. ad Timoth.

De cruce affirmat, ideo ſanctos tentari, ut ipſi ſe agnoſcant. in 4. ad Rom.

De antichriſto dicit, regnum Romanum prius è medio remouendum, antequam reueletur Antichriſtus. in 2 ad Theſſal. Et perſequutionem poſtremam ſub eo fore, ac duraturam annos tres & ſex menſes. lib. 5. in Apocalypſin.

De reſurrectione docet, quòd generalis ſit futura. in 10. ad Rom. Ac cauſam eius eſſe, reſurrectionem Chriſti. in 1. ad Rom.

De inferno uetat dubitare, in 11. cap. ad Rom. Et ſub terra infernum eſſe, docet in 4. cap. ad Epheſ.

De uita æterna affirmat, in ea nos non caliter uicturos, in 5. ad Rom. Et in gloria futuros, in 12. ad Rom.

De næuis.

De iuſtificatione, cū exponit dictū Rom. 3. Non ex operibus legis, intelligit tantum excludi circumciſionem & ſabbatum. in 3. cap. ad Romanos.

Negat ſolam fidē ad uitam ſufficere, in 4. cap. ad Rom. & in 2. ad Galat. & ad Heb. 3.

Plus ieiunantē dicit maiorem mercedem habiturum: cum tamen fateatur, de ieiunio legē nullam eſſe poſitā. in 14. cap. ad Rom.

Heliam gladio Antichriſti necandum, affirmat lib. 4. in Apocalypſin.

¶ Cum hæreticis exprofeſsò etiā eum dimicaſſe ſcriptis, Iſidorus affirmat: qui (ut dictum) tres eum contra eos ad Fortunatum libros edidiſſe memorat. Atq; id amplius cōfirmāt Cōmentaria illa in Pauli epiſtolas, in quib. omnis gēeris hęreticos nominatim in arenā ꝓducit, Manichęos, Pelagianos, Arrianos, Photinū, Neſtoriū, Iouinianū, quorū prauas opiniones oſtendit doctrinæ Pauli aduerſari. Sed & hoc nō ſine iudicij dexteritate agit, ut inter enarrandū perſpicuè declaret, ubi & quibus Paulinæ doctrinæ locis ſingulæ ipſorū prauitates cōfutētur. Pugnat & cōtra alios, qui tametſi nō eſſent publicè renunciati hæretici, alias tamen inepras & minus per omnia ſanas opiniones alebāt ac ſpargebant. Ita in enarratione tertij cap. ad Romanos, magno conflictu eos aggreditur, qui per legē, & non per gratiam ſe iuſtificari uolebāt. Itē in 1. Corinth. 2. illos impugnat, qui cum Catholici uideri uellent, ſuis meritis aliquid tribuebant: ſicuti in 2. ad Epheſ. q ſuis ſe meritis ſaluari credebāt: in 4. capite ad Epheſios, contra eos hæreticos qui rebaptiſabāt. In 2 Timoth. 2. aduerſus eos diſputat, qui carnis reſurrectionē negantes, conſequenter etiam Chriſti negabant, imò nec Chriſtum in carnem ueniſſe.

De uitæ eius curriculo & morte, nihil eſt in literas relatum, quod nos ſciamus.

CASVLANVS.

Ad presbyterū Caſulanū ꝓlixa admodū ſcripta extat epiſtola Auguſtini, de *ἀδιαφόρῳ* ieiuniorū: quē apparet adoleſcentē fuiſſe pietatis & doctrinę ſtudijs deditū, nec uulgari eruditū: quæ in ipſo etiā Auguſt. cōmendat: eūq; prętерea de quęſt. ieiuniorū, quam ei motus alterius cuiuſdā importuni diſputatione ꝓpoſuerat, ita inſtruit, ut eum uelit in ea re ſuo paſtori cōſentire, & quod ipſum facere uideat ſequi, nec ab eo diſſentire.

DEVTERIVS.

Deuteri⁹ metropolitan⁹, Cęſariēſis, Ruſtic⁹ Cartēitan⁹, & Palladi⁹ Tigabitan⁹, epiſcopi, ex cōuētu quodā urbis Africę Cęſariēſis, cognīti ſunt poſteritati, in quo cū Emerito epiſcopo

scopo quodam Donatiano actum est. Quod factum Coss. Imperatoribus Honorio XII, & Theodosio VIII, memorat Augustinus ab initio lib. gestorum cum Emerito: qui Imperatorum consulatus cadit in annũ Christi quadringentesimum decimumnonum.

VICTORIANVS.

Victoriani Musticani episcopi catholici, ut plurimorum, ex Augustini scriptis superest apud nostræ ætatis homines memoria: qui eum unum ex illis qui Carthagini præsentes fuerunt, quando cum Donatistis collatio fuerat instituta, nominatim commemorat in collocatione primi diei, quæ duodecimo loco acta sunt.

AVXILIVS.

Auxilius, ab Augustino epistola 75 catechumenus & coepiscopus appellatur. Excommunicauit quendam Casicianum: qui publica potestate, ubi ipse episcopum agebat, fungebatur, unà cum tota domo sua: quod grauiter quidem, sed tamen modestè reprehendens diuus Augustinus, monet hominem, ut quę fortè concitatiore animi motu perturbatus admisisset, emendaret ocyus, rediretque cum eo, qui cum aliquando amice uixisset, in gratiam. Epistola septuagesimaquinta.

EQVITIVS.

Equitium improbitate quadam ius sacerdotij sibi uendicare uoluisse, queruntur episcopi Africani, in concilio Carthagine celebrato: ac per legationem quam ad Imperatores mittunt, eum inde pelli petunt, & sexagesimo actorum eius concilij. Fuisse damnatum ab aliquo episcoporum conuentu, idque suo merito, narratur paragrapho seu capite tricesimosecundo eiusdem Concilij. nec tamen ipsum quieuisse, sed circumuagãrem tranquillum Ecclesię statum perturbasse. Inde conijcitur, quòd in eo ipso conuentu huius rei gratia Romanum pontificem, per legationem etiam compellandum statuunt, ut si in ijs partibus reperiatur, inde quoq; ejiciatur.

BONIFACIVS.

Fratrem & coepiscopum uocat quendam Bonifacium aliquoties in suis epistolis Augustinus: nec solùm crebram ipsius mentionem facit, ut epistola ad Marcellinum, quæ est septima ordine: epistola ad Paulinum, quæ est quinquagesimanona, & alibi: sed extat etiam inter easdem peculiariter ad ipsum ab Augustino scripta epistola, numero ducentesimatertia: atque ea ostendit, hunc Bonifacium Augustino proposuisse quæstionem de baptismo infantum, Qui fiat quòd parentum fides ipsis baptisandis prosit, cum eorum impietas baptisatis non obsit? Et de sponsione seu fideiusione susceptorum, quo pacto ipsi fidem suam interponere ausint, & paruulos credere respondere, cum id sit incertum? Et hæc quidem digna sunt homine qui docendis alijs præfectus est non suæ fidere sapientiæ & eruditioni, sed aliorum etiam de rebus minus explicatis audire sententias. Cæterùm ubi locorum ecclesiæ gubernationem administrarit, diuinare non possumus. Duæ illæ epistolæ faciunt quidem, ut propemodum credamus Carthagine ipsum fuisse: sed tamen, ut simpliciter sine dubio pronunciemus, non audemus.

OCTAVIVS.

Octauius quidam, Africanus episcopus, interest Romano concilio sub Hilario. patet ex catalogo, qui recẽsetur sub decretis eius, primo tomo Conciliorum.

VICTOR, DONATVS, RVSTICVS, & PARDALIVS, Africani episcopi, tempore Felicis Romani, noti ex synodo Romæ coacta, ob res Africæ ecclesiasticas, quæ longis persecutionibus erant perturbatissimæ. ex decretis Felicis. j. tomo Conciliorũ.

QVINTIANVS.

Quintianus alicubi in proconsulari prouincia episcopus, sub Genserico, tempore tribulationis suam ecclesiam deseruit: & ad Edessam Macedonię urbem se contulit, ubi Victoris tempore adhuc in uiuis fuit. Victor libro primo de persecutione.

EPIGONIVS.

Epigonius hic cum quodam Vincentio legatus mittitur ex concilio eodem Carthaginensi, ad Imperatores: & uidetur aliqua fuisse huius authoritas, siquidem ipse in cõcilio de rebus statuendis proponit canones sub Bonifacio.

HONORIVS.

Hoc nomine recitatur quidam, qui Mileuitano adfuit concilio, & ex legatis illis qui ad Hipponensem ecclesiam à Carthaginensi concilio, quod Africanum simpliciter dicitur, fuerant ablegati pro constituendo pastore primario. Refertur etiam quidam eo ipso nomine, siue iam is ipse sit, siue alius.

IANVARIVS.

Ianuarius, unus ex legatis Carthaginensis concilij, ad Hipponensem ecclesiam, pro constituendo pastore, & ad disidia componenda sub Bonifacio.

MATERNVS, VALERIVS, AMBIVIVS, AMPELLVS, VICTORIANVS, ROGATIANVS, PLACIANVS. Hi simul omnes inter eos cõmemorantur, qui legati missi à Carthaginensi concilio, ad ecclesiam Hipponensem, ut rebus compositis episcopum ordinent.

INNOCENTIVS.

Innocentius presbyter, & Marcellus subdiaconus, celebres sunt legatione Africani concilij qua functi sunt: ille quidem ad Cyrillum Alexandrinum, hic uerò ad Atticum Constantinopolitanum, ut uterque ab utroque exemplaria authentica Niceni concilij referrent. Quibus allatis, simul unà ad Bonifacium Romanum episcopum ambo cum ijsdem ablegati scribuntur, in Bonifacio, in fine Africani concilij.

EPISCOPI NVMIDIAE.

XANTHIPPVS.

XAnthippus episcopus primæ sedis Numidiæ, posteritati cognitus ex Mileuitano concilio: item ex quodam Carthaginensi.

VALENTINVS.

Valentinus primæ sedis Numidiæ episcopus, unus haud dubiè ex præcipuis. nam & in Mileuitano, & Carthaginensi sexto, inter primas collocatur.

RESTITVTVS.

Episcopus ex Numidia, in Mileuitana synodo ipse quoque inter iudices lectus. annotatum est simile nomen in Telensi synodo. Interest quidam episcopus Africanus hoc nomine etiam Romano concilio, sub Hilario papa, ut testatur eius Concilij catalogus, sub decretis Hilarij, primo tomo. Mittitur etiam quidam hoc nomine episcopus, legatus ad paganos & hæreticos, ex concilio quodam Carthaginensi, sub Bonifacio.

MARIANVS.

Marianus Vlzibiritanus, Pentodius Carpitanus: episcopi interfuerunt septimæ Carthaginensi synodo.

MEGALLIVS.

Huius Megallij inde hoc seculo celebre est nomen, quòd Calamensis ecclesię episcopus, & totius Numidiæ primas fuerit, & diuo Augustino, ritu isti tempori usitato, episcopatus Hipponensis inaugurationem contulerit: sicuti scribit Possidonius in uita Augustini, capite octauo. Et ipse etiam fatetur Augustinus in Breuiculo collationum cũ Donatistis, in collatione tertij diei, quid tertio loco actum.

POSSIDIVS, SEV POSsidonius.

Possidius, partis Catholicæ seu ueræ Ecclesiæ doctor & gubernator fuit in urbe Chalama, ut patet hoc ex Augustini de ciuitate Dei libro uicesimosecundo, capite octauo: item initio capitis quadragesimisexti, libro contra Cresconium tertio. Quibus in locis, priori quidem disertè eius urbis episcopus nominatur, posteriori collegæ nomine eum dignatur Augustinus. Ab Augustino in pietatis doctrina & sacrarum Scripturarum institutus uideri potest, in epistola ad Memorium, quæ est ordine centesima tricesimaprima, & plerunque libris de Musica præfigitur, utpote nuncupatoria. Multa indigna & grauia passus est à Donatistis, & præsertim à quodam Crispino presbytero Donatista ecclesiæ Calamensis: cuius, cum aliquando iter faciens Possidius, positas insidias euitasset, deflectens in locum, quò ob alienam (ut uidetur) iurisdictionem, insidiatores accedere, & aliquam exercere uiolentiam non audere putabat, sed illi persecutores ocyus sequuntur, nec rationem habent ullam alienæ iuris: irruunt in ipsum locum, expugnant ædes, & prehensum Possidium male tractant. Cumque pòst presbyter iste Crispinus, de hoc uiolento facto & iniuria ad suũ episcopum eiusdem & nominis, loci & sectæ accusatus esset, & conuictus, nec ipse tamen in eundem animaduerteret ecclesiastico more, & propterea iam etiam episcopus ipse in politicias Imperatorum leges contra hæreticos latas incidisset, multamque decem librarum auri pendere deberet: intercessit pro ipso malè acceptus, & indignissimè tractatus Possidius, ne multam numerare cogeretur: declarauitque facto, non se cupere hostium suorum uindictam, sed (si fieri posset) conuersionem. Commemorat Augustinus eodem libro contra Cresconium tertio, capite quadragesimosexto, & sequente.

In septimo Carthaginensi concilio legatus prouinciæ Numidiæ fuit. Nomen eius etiam in Mileuitano, & in Carthaginensi, aduersum Donatistas sub Honorio & Arcadio, extat. Isidorus de illustribus uiris, eum dicit scripsisse librum de uita Augustini, licet titulus Possidonium referat. Edidisse etiam indicem omnium librorum & tractatuum & epistolarum, constat ex libro de uita Augustini, capite decimooctauo.

PLACENTIVS.

Placentius episcopus, legatus prouinciæ Numidarum in Carthaginensi concilio, qui etiam Mileuitano interfuit.

IANVARIVS.

Ianuarius Zatterensis, item VILLATICVS à Casis Medianis, Numidiæ episcopi: Bonifacius Foratianensis, Bonifacius Gazanensis siue Gatianensis, episcopi Byzaceni, ex synodo Carthaginensi, quem Hunerichus Tyrannius instituerat inter Arianos & homousianos, cogniti sunt posteritati: quòd in ea non solùm præsentes fuerunt, sed per illos ueluti legatos homousianorum confessionis formula, quæ extat in Victore * Tyranio, ut in dato ei⁹ cõfessionis annotatur.

Vndo

Vnde proculdubio ipsi etiã, sicut & reliqui Ecclesiastici ordinis, qui doctrinę puritatem defendendam susceperant, grauissimis afflictionibus fuêre obnoxij.

SERVVS.

Thubursuccurbure episcopus fuit Seruus, tempore Augustini, ex cuius tertij contra Cresconium libri quadragesimo capite posteritati notus est. Apparet autem, eum ob confessionem uerę doctrinæ & consensum catholicæ ecclesiæ, multa à Donatistis perpessum, & uix demum fuga cruentas ipsorum manus euasisse, & ad transmarina se loca contulisse, unde reuertendi ad propria facultas ei nulla fuit.

In Catalogo scriptorum recitat etiam cuiusdam episcopi nomen Gennadius Seruidei, nec tamen addit Ecclesiæ locum. Vnde certè affirmare non possumus, nunquid hic idem & unus sit, an uerò diuersi. Meminit Seruidei episcopi & Trithemius: sed & ipse disertè commemorat, non potuisse se uibis in qua ecclesiæ gubernationem sustinuerit, reperire nomen. Cæterùm ait uirum fuisse iugi Scripturarum tractatione doctum, lectione ueterum exercitatum, ingenio acutum, & eloquentia præditum. Gennadius ait, ipsum scriptum edidisse contra eos qui dixerint, Christum in hac uita agentem non uidisse carneis oculis patrem: sed post resurrectionem ex mortuis, & ascensionem in cœlos, quum translatus est in gloriam Dei patris, &c. Ostenderitque in eo scripto sana disputatione & Scripturarum sacrarum testimonijs, quòd Dominus IESVS ab ipsa sua in utero uirginis conceptione, & ex eadem in lucem hanc emersione, Deum patrem & sanctum Spiritum corporalibus suis oculis uiderit, per singularem Dei & hominis unionis societatem, utpote quòd DEVS uerus in homine uero, ipse quoque homo DEVS factus, natiuus sit. Trithemius huius scripti etiam initium ponit tale, Quòd filius uiderit patrem, &c. Et extare narrat, additque, quòd & alia quædam scripserit: & quòd sub Leone Imperatore, annum circiter quadringentesimum octogesimum post natum Christum claruerit.

ALIPIVS TAGASTENSIS
Episcopus.

De Alipij ortu & natalibus, indole item & præceptoribus, ita meminit Augustinus libro Confessionum sexto, capite septimo: Quorum Alipius, ex eodem quo ego oriundus municipio, parentibus primatibus municipalibus, me minor natu. Nam & studuerat apud me, cũ in nostro docere cœpi oppido, & postea Carthagini: & diligebat me multũ, quòd ei bonus & doctus uiderer: & ego illum, propter magnæ uirtutis indolem, quæ non in magna ætate satis eminebat. Manifestum igitur, Tagaste oppidum, quod eum postea episcopum habuit, ortum ipsi Alipio dedisse: & Augustino magistro usum, in primis iuuentutis artibus discendis.

Cumq; primis istis stulticiæ annis mirificè captus fuisset Circensium ludorum spectaculis, ab ea insania Augustini prælectionibus reuocatus est ad mentem meliorem, ut patet ex eo ipso loco. Vbi mirabilis sanè casus (ut hoc obiter quoque commemoremus) ei accidit. Ad tribunal in foro Carthaginensi cum solus ambularet cum tabulis & stylo, repetens quę mox in schola redderet, interim alius ex scholasticis securi armatus, de cancellis plumbum præcidere tentauit: uerùm cum strepitu excitatos sensisset, & mox adfuturos ut ipsum prehenderent, argentarios, qui subter istis locis habitabãt, relicta securi ipse inde se proripit. quẽ cùm aufugientem uideret, miratus quid designasset, accedit ad cancellos propius ipse Alipius, & inuentam securim dum intuetur, adsunt ministri, qui ipsum furem arbitrati apprehendunt, & ad custodiã seu supplicium ducunt. Dum autem ducitur, commodùm & ad ipsius salutem occurrit architectus ille ciuitatis, cui publicarum fabricarum cura demandata erat: qui agnito Alipio, semotis turbis, ab ipso seorsim gestorum ordinem scisciatur, atque eius indicio innocentem ipsum comperit, & uerum patratorem facti deprehendit. & hoc modo illius patrocinio liberatus tũ est Alipius: narrat Augustinus Confessionum libro sexto, capite nono. Posteaquam uerò artes illas quæ iuuentuti tradi solent, Augustino magistro percepisset, Romam se contulit, ut parentib. morem gerens, Legum studio & Iuri operam daret. testatur hoc octauum eiusdem libri caput. Quò cum nõ ita multo pòst ipse quoque se Augustinus contulisset, coniunxit se ei, & indissolubili necessitudinis uinculo adhæsit: & cum eodem postea Mediolanum concesit, & causas ibidem egit: ut caput decimum eiusdem libri, & sextum caput octaui libri Confessionũ ostendunt. Cæterùm gentilem fuisse, si nihil aliud, hoc plus quàm satis arguit, quòd narrat Augustinus libro Confessionũ nono, capite quarto: Christi nomen eum non dignum duxisse, ut in familiaribus literis inter se & Augustinum insereret. Sed Dei tamen misericordia ipsum conuersum, & catechumenum factum, ex eodem loco planum est.

Verùm prębet eius rei iudicium etiam illud quod narrat Augustinus, ipsum primis adolescentiæ annis Alipium, se uago con-

cubitu polluisse, nimirum Ethnico more. Sed addit & hoc, eum postea uehementer de istis pollutionibus doluisse, & execrasse easdem, ac continentissimè uixisse, adeò quidem, ut etiam Augustinum prohibuerit à legitima uxore ducenda, ad aures ipsius identidem occinens: Fieri nullo modo posse, ut securo animo simul in ocio & sapientiæ studijs uiuerét, si se uxoriæ seruituti manciparent. capite duodecimo, libro Cõfessionum sexto.

Manichæorum superstitione infectus uideri potest, præceptoris sui contagio, Augustini: ex capite octauo, libri sexti. Apollinaris quoq; errore fuisse inuolutum, Augustini narratio indicat libro septimo, capite decimonono Confessionum. Alipius autem inquit, DEVM carne indutum ita putabat credi à Catholicis, ut præter DEVM & carnem non esset in DEO anima, mentemq; hominis non existimabat in eo prædicari. Sed postea hæreticorum Apollinaristarum hunc errorem esse cognoscens, Catholicæ fidei collætatus & contemperatus est. Postremò unà cum Augustino, sacro regenerationis lauacro Mediolani ecclesiæ Christi penitus insertus est. testatur sextum noni libri caput Confessionum. Idem etiam Paulinus Nolanus indicare uidetur epistola ad ipsum scripta, quæ inter Augustini posita, tricesimum quintum ordinis locum obtinet: ubi expresse dicit, Mediolani ipsum Alipium initiatum.

Qua ratione uerò, & quo tandem tempore ad ecclesiæ suæ patriæ gubernationem peruenerit, non traditur. Tagastæ tamen inter pastores primum tenuisse locum, satis constat. Declarant hoc pleraque Augustini scripta, in quibus Alipij ut Tagastensis episcopi fit mentio: & nonnullæ Synodorum actiones, quibus interfuit, ut actio cum Emerito Donatistarum episcopo Augustini, in qua Alipius Tagastensis episcopus disertè numeratur inter eos, qui tum Cæsareæ præsentes adfuêre. Alipij præterea Tagastensis Numidię prouincię episcopi nomen quoque recitatur in Mileuitano concilio, cui non modò præsens interfuit, sed fuit unus ex ternis illis singularum prouinciarum delectis iudicibus, quibus causarum dijudicationes commissæ fuerunt, cæteris (ut apparet) domum dimissis. Est eius nomen celebre etiam ex aliquot Carthagine habitis concilijs, & maximè quod sextum numeratur, in quo pro ecclesiarum Africanarum libertate egregiè se gerit. Opponit enim se audacter Pontificio legato, qui super Africanas ecclesias superioritatem suo Domino stabilire conabatur, sub prætextu Nicenorum canonum, quos (ut manifestè apparet) falsatos obtulerat. Quapropter palàm arguere eos nõ ueretur Alipius, inquiens: se quidem paratos seruare Nicenorum canonum statuta: uerùm ea quæ ipse legatus obtulerat, neutiquam in græcis exemplaribus Niceni concilij reperiri. Proinde author est reliquis istius sextæ Synodi patribus Alipi⁹, ut missis proprijs legatis ad Constantinopolitanum, Alexandrinum & Antiochenum episcopos, curent authentica Niceni concilij acta adferri.

De eius certaminibus, hoc in genere dicere possumus, ipsum cum alijs Africanis præcipuis episcopis pugnasse pro ecclesiæ ueritate, contra Pelagij & Cœlestij seductiones. Eius rei argumentum esse possunt epistolæ illæ: prior, quam ipse cum alijs primatibus ecclesiarum Africæ ad Innocentium Romanum episcopum ea de re misit: altera, qua ipsis pontifex respondet. testatur Miletanum concilium, in primo Conciliorum tomo, sub decretis Innocentij. Qua in causa credibile est, ingenij uires ipsum intensa disse, disputando contra hostes gratiæ: quo disputationis dono ipsum ualuisse, adolescentię illud suæ exercitium demonstrat, cũ pro Academicis contra Augustinum disceptat: ceu hoc declarant libri Augustini contra Academicos scripti. Ac satis manifestum est, non fuisse leuem huius uiri, apud alios Ecclesiæ celebres doctores authoritatem, quorum etiam familiaritate multum usus est. Augustinus in epistola ad Paulinum Nolanum, quę est in ordine tricesima secunda, eũ hac breui, sed tamen ualde pia commendatione ornat, inquiens: Et uerè beati episcopi Alipij, quem toto pectore amplecteris, & meritò: nam quisquis de illo uiro benignè cogitat, de magna Dei misericordia & de mirabilibus Dei muneribus cogitat. In epistola octaua ad Hieronymum inquit, de se & Alipio: Non enim animo me atque illum, sed corpore duos, qui nouerit, dixerit, concordia duntaxat & familiaritate fidissima, non meritis quibus ille antecellit. Habuit & diui Hieronymi Bethleemitani presbyteri, doctoris excellentissimi noticiam, quam quidem priusquam ad gubernationem Ecclesiæ accederet, contraxisse præsens cum præsente, profectus ad illa loca, uideri potest ex ea ipsa Augustini ad Hieronymum epistola. Quam deinde etiam episcopus factus mutuis literarum salutationibus, non tam ipse, quàm etiam Hieronymus, conseruare studuit. testatur hoc epistola Hieronymi ad Augustinum, & hunc Alipium, simul & coniunctim scripta, ordinis serie uicesimaquarta in Augustini operibus. Testantur aliæ itidem epistolæ, in quibus per alios

alios eum officiosè salutare iubet: ut decimaseptima ad Augustinum, in qua Papam eum appellat: uicesima item sexta eiusdem ad eundem. Multum sibi de huius uiri amicitia gratulatus est etiam Paulinus Nolanus, adeò ut eius uitam posteritati commendandam, scriptis suis dignam iudicaret: cuius huc ex epistola ad ipsum, quæ inter Augustinianas & ipsa numeratur tricesimoquinto loco, animaduerti potest: & testantur aliæ epistolæ plurimæ. Iunxit & cum Bonifacio Romano episcopo præsens amicitiam, sicut initium primi capitis, libri primi, scripti contra duas epistolas Petiliani, ostendit.

Quàm diu in gubernatione fuerit, non liquet. Tempore illo, quo Honorius Imperator duodecimum cum fratruele Theodosio iuniore, qui tum octauum, gessit consulatum, suæ ecclesiæ in rerum administratione adhuc præfuisse, initium libri primi gestorum cum Emerito patefacit. Fuit autem illud, iuxta Mariani Scoti annotationem, sub annum Christi quadringentesimum decimumnonum.

DELPHINVS.

Delphini cuiusdam ex prouincia Numidiæ episcopi meminit Augustinus, quòd ob Ecclesiarum istius regionis quasdam necessitates legatus cum alijs plurimis missus fuerit ad quendam Marcellinum præfectum, ut apparet, alicubi in Africa Impp. nomine rebus politicis, quem ipse pòst Augustinus Tribunum appellat: cui etiam causam earum Ecclesiarum commendat epistola centesima quinquagesima. Hoc nomine recensetur etiam quidam inter illos qui Mileuitano concilio interfuerunt, temporibus Innocentij primi Romani episcopi: ut testatur epistola ipsius Concilij ad Innocentium,

MAVRITANIAE EPISCOPI.

CEREALIS CASTELLENSIS.

Extat liber uiginti capitum, qui titulum gerit Cerealis episcopi contra Maximinum. Eius libri exordium ostendit, Castellensem Aphricæ prouinciæ fuisse episcopum: & authorem istius libri ipsum esse, etiam Gennadij confirmat testimonium, qui & ipse in suo Catalogo eius, & scripti etiam disertè meminit. Explicat autem in eo libro breuiter & dilucidè, ex doctrina Prophetarum & Apostolorum ueteris & noui Testamenti, has sequentes quæstiones, à quodã Ariano episcopo Maximino sibi per ludibrium propositas:

Quòd patri æqualis filius.

De Dei unitate, quòd pater, filius, & spiritus sanctus unus Deus.

Quomodo pater miserit filium.

Quomodo pater clarificet filium.

Quòd filius omnipotens.

Quare dixerit filius, Pater maior me est.

Quare dictum sit, Pater tradidit filium.

De libera filij potestate.

De eo quòd dicitur, Maior est qui generat, minor est qui generatur.

De eo quod dicitur, Author est qui generat.

De eo quod dicitur, patrem imperasse filio ut faceret creaturam.

De spiritu sancto, quòd DEVS.

Quòd spiritus sanctus creator.

Quòd uiuificator spiritus sanctus.

Quòd & ipse proprię uoluntatis & potestatis, & quòd omnipotens.

De Trinitate & unitate.

Quòd filius inuisibilis.

Quare dicitur, Ex patre per filium & spiritu sancto facta omnia.

Quare prius pater, deinde filius nominetur.

De eo quòd dicitur, Quòd pater subiecerit ei omnia.

Atq; harum sanè explicatio quæstionum ostendit manifestè, doctorem fuisse ecclesiæ præclarum, qui magnam habuerit sacrarum Scripturarum & cœlestis doctrinæ cognitionem, nec minorem etiam in eius explicatione dexteritatem. Ex ultimo præterea eius scripti capite, uicesimo scilicet, apparet, ab isto Cereali uicissim & alias propositiones isti Ariano obiectas: sed neq; ad suarum quæstionum explicationem, neq; etiam ad illas obiectiones habuisse Maximinũ quod responderet. Hunc Cerealem & alia quædam scripsisse memorat Trithemius, & claruisse temporibus Leonis Imperatoris, circiter annum Domini quadringentesimum & sexagesimum. Ex ordine, quem in suo catalogo obseruat Gennadius, conijcere possumus, temporibus Zenonis, & sub initium Anastasij Imperatoris, cum egisse in humanis.

VOCONIVS.

Voconius Castellani Mauritaniæ oppidi episcopus, scripsit aduersus ecclesiæ inimicos Iudæos & Arianos, & alios hæreticos. Composuit & Sacramentorum egregium uolumen: author Gennadius. Hunc ipsum Trithemius nominat Victorianum Buconium, & urbem cui in episcopatu præfuerit Castellianam, illius ipsius prouinciæ: eumque multum commendat à studio & doctrina tum prophanarum tum sacrarum literarum: & peculiari titulo eum insignem reddit, Hæreticorum eum fortissimum malleum appellans, & fidelium populorum

egregium doctorem. Et scripta ipsius hoc ordine digerit:

Aduersum Iudæos librum unum.

Aduersum Arianos, lib. 1.

Aduersum omnes hæreticos, lib. 1.

De sacramentis, librum unum.

Additq;, sub Imperatore Marciano fuisse clarum, circiter annum Domini quadringentesimum & quinquagesimum.

VICTOR CARTENNENSIS.

Apud Cartennas Mauritaniæ ciuitatem, episcopum fuisse quendam Victorem, temporibus Genserici Vandalorum regis, Gennadius in Catalogo suo ostendit, ac tribuit ei hæc scripta:

Aduersum Arianos librum 1. prolixum, quem Genserico regi legendum obtulerit.

De pœnitentia publicani, lib. 1. in quo regulam uiuendi pœnitentibus iuxta Scripturas statuat.

Ab Basilium quẽdam, consolatorium super filij morte.

Homilias multas, quas in libros à fratribus digestas ait. Trithemius nominatim duos earundem numerat.

Præter hæc addit Trithemius, quòd etiam cõtra Donatistas lib. 1. scripserit. Theodosio autem iuniore, & sub eius quoq; successore in Imperio Marciano, clarum fuisse, ex Genserici historia colligi potest, circiter annum 540. habet Trithemius.

DONATVS.

Donatus Salacinensis episcopus, à Nouatianorum hæresi, cum uniuerso suæ ecclesiæ quem pascebat grege conuersus, ad ecclesiam transierat. Quapropter Leo Romanus ei concesit, ut eodem ministerij gradu deinceps etiam illi suo cœtui præesset, modò missa ad se scripta confessione plenè fidem faceret, damnare se Nouatianorũ errorem, & amplecti Catholicæ doctrinę ueritatem: ut patet ex epistola Leonis 87.

LVPICINVS.

Lupicinus Mauritanię Cęsarienſis episcopus, non modò à communione, sed etiam ab ecclesia sua exclusus, Leonis implorauit præsidium. Is autem ei statim communionẽ reddidit, eusq; causam cognosci in prouincia iubet: ac improbat insuper ordinationem illius qui Lupicino substitutus fuerat, ut præterius & æquum factam, lite nimirum pendente, nec dum certò cognito reus ne an uerò innocens esset. Ex epistola Leonis ad episcopos per Mauritaniam Cæsarienſem, quę est octogesimaseptima.

LVCIANVS.

Lucianus, itẽ Siluanus, Sitifensis Mauritaniæ episcopi, legati in Carthaginẽsi cõcilio: qui etiã ex Mileuitano cõcilio celebres sunt.

HONORATVS, ET VRbanus.

Episcopi Mauritaniæ Sitifensis, legatorum personam sustinent istius prouincię, in concilio Carthaginensi, sub Bonifacio. Et uidentur etiam cum alijs quibusdam missi legati, ab eodem cõcilio, ad ecclesiam Hipponensem, ut ei constitueretur primarius pastor, quæ ob turbas quasdam (ut apparet) gubernatore fuerat destituta. Honorati cuiusdam mentio fit etiam in Catalogo eorum qui in Mileuitano fuere concilio.

NIVELLVS.

Niuellus, siue Nicellus, Rusurienſis, siue Rusuccurensis episcopus, legatus prouinciæ Mauritaniæ Cæsarienſis.

LAVRENTIVS.

Laurentius Icositanus episcopus, eiusdem prouinciæ legatus.

NVMERIANVS.

Numerianus Rusgunienſis episcopus, siue Rungonienſis, de illa ipsa prouincia, cæterorum in legatione ad septimam Synodum collega.

LEO OSPINENSIS.

Leo Ospinensis episcopus, legatus prouinciæ Mauritaniæ Tingitanę, siue Sitifensis: qui & Mileuitano interfuisse concilio uidetur, quòd & ibi Leonis cuiusdam annotetur nomen.

NOVATVS.

Nouatus Sitifensis Mauritaniæ episcopus, Mileuitano concilio interfuit, & sexto Carthaginẽsi: ob id meritò posteritati commendandus, quòd & ipse Romano se legato opponere fuit ausus: & palàm profiteri, neutiquam in Niceno concilio legi ea quæ pro statutis Nicenis legatus proponebat, &c. Interfuit & septimo Carthaginensi concilio, & eius decretis cum cæteris subscripsit.

SEVERIANVS.

Seuerianus, Asiaticus, Donatus, episcopi Sitifensis Mauritaniæ, eodẽ nomine ut iam memorati etiam ipsi celebres: quòd in iudicium delecti subsellijs ipsi quoq; sederint, in eodem Mileuitano concilio. Donati nomen refertur etiam in Telensi concilio.

NICETIVS.

Nicetius episcopus primæ sedis Mauritaniæ Sitifensis, eodem cõcilio notus: item ex quodam Carthaginensi.

IN LIBYA

QVODVVLTDEVS.

QVoduultdeus Centurienſis episcopus, nominatur quinquagesimoquarto § concilij Africani, ex quo posteriti notus est. Quũ causa cũ quodam aduersa rio, à quo accusatus uideri potest, in iudicio suspen-

suspensa pẽderet, definitum est à synodo, episcopatum ei nullo quidẽ iure adimi posse lite pendente: neminem tamen interea episcoporum cum eo communicare debere, donec finem causa suum consequeretur.

INSVLARES IN MARI mediterraneo.

OLYMPIVS CONSTANTIÆ *in Cypro*.

OLympius Constantiensis Cypri ciuitatis episcop', scribitur interfuisse in Ephesina illa infami synodo, contra Flauianum coacta. in Catalogo eiusdẽ synodi, qui refertur in prima actione concilij Chalcedonensis, primo tomo: & sua quoque sententia dicta approbasse Eutychis restitutionem.

SAPRITIVS.

Sapritius Paphensis insulæ Cypri, interfuit etiam isti primæ & laudabili Ephesinæ synodo. testis Catalogus.

IOANNES RHODI.

Iohannes episcopus Rhodi insulæ metropolis, interfuit Ephesinæ synodo Prædatoriæ. patet ex Catalogo eiusdem, qui recitatur in prima actione Chalcedonensis concilij, & cum cæteris consensit in damnationẽ Flauiani.

HELLANICVS.

Hellanicus Rhodi episcopus, interfuit primo Ephesino concilio.

HESYCHIVS.

Parij episcopus, interfuit primo Ephesino.

TRYPHON.

Chij insulæ episcopus, interfuit Constantinopolitanæ synodo contra Eutychen, sub Flauiano: & disertè sententiam suam ipse etiam dixit, Niceam se sequi synodum, & approbare Cyrilli interpretationes: in prima actione Chalcedonensis concilij. & Eutychen etiam ipse, ut cæteri, manifestè damnauit. interfuit etiam synodo Chalcedonẽsi, tam suo nomine quàm aliorum.

PARALIVS.

Chij episcopus, interfuit & subscripsit cũ Cyrillo, in prima Ephesina synodo. Catalogus testis.

IOHANNES LESBI.

Iohannes Lesbi, & Tenedi, emporij Hellesponti & Lyciorum, interfuit primæ Ephesinæ synodo, & cum Cyrillo subscripsit.

FLORENTIVS.

Florentius, episcopus ciuitatis insulæ Tenedi, emporij Hellesponti & Lydorum, uel Lycorum.

TIMOTHEVS DOLICHES.

Timotheus Doliches insulæ ciuitatis episcopus, ob synodum Chalcedonensem etiã

ipse, ut plurimi, tãtum nomine nobis cognitus: quòd eius nomen inter ipsos numeratur, qui eidem interfuerunt.

SABINVS.

Deli insulæ episcopus, ex Chalcedonensis concilij actis cognitus.

MARTYRIVS.

Cortynæ Cretæ insulæ ciuitatis episcop', interfuit synodo Ephesinæ infami.

ICONIVS.

Cortynę Cretę ciuitatis episcòpus, primo Ephesino contra Nestorium concilio interfuit & subscripsit: ut patet ex Catalogo eiusdem concilij, qui ponitur in prima actione Chalcedonensis concilij.

Eusebius Apollonienſis, Cyrillus Subriti, Gẽnadius Gnosi, Demetrius Lappę, Euphrates Eleutheriæ, ciuitatum Cretæ insulæ episcopi, noti sunt ex Chalcedonensi synodo.

IVSTINIANVS SICILIÆ.

Iustinianus Sicilię episcopus, Petrũ Antiochenum ob errorẽ suum reprehendit: ostenditq; ei quàm impia sequantur, si in hymno Trisagio adderetur clausula, Qui crucifixus es pro nobis. Et maximè illustrauit doctrinã de Trinitate, de duarũ in Christo naturarum unione: ac refutauit errores Manetis, Valentini, Pauli Samosatensis, Arij, Nestorij, Eunomij, Macedonij, Eutychis. Vixit sub Zenone, & Felice tertio, ut apparet ex epistola eius ad Petrum Antiochenum.

HILARIVS SYRACVSANVS.

In opere epistolarũ Augustini extat breue epistolium cuiusdã Hilarij, qui Syracusanus uidetur fuisse doctor. nã inde ad Augustinũ scribit. Quo gradu aũt ministerij ecclesiæ seruierit, non exprimitur. Proponit Augustino quæstiones. 1. Hominem posse, si uelit, esse sine peccato & mandata Dei custodire. 2. Infantem nõ baptizatũ, morte præuentũ, nõ posse perire meritò, quoniã sine peccato nascatur. 3. De relinquẽdis facultatibus. 4. De non iurando. 5. De ecclesia, quæ'nam & ubi sit illa de qua dicatur, q; rugam & maculam non habeat. Harumq; quæstionum explicationem ab Augustino petit. Est autẽ illud epistolium numero octogesimumoctauum: sicut Augustini, in qua eas quæstiones explicat, octogesimumnonum. Et ad hunc Hilarium uidetur & altera esse eiusdem Augustini epistola numero nonagesimaquarta, in qua nunciat Pelagium duobus concilijs esse damnatum: nisi fortè quis magis ad Hilarium Arelatensem scriptam credat.

PASCHASINVS SICULVS.

Paschasinum ualde celebrẽ reddidit Chalcedonensis synodus, in qua princeps fuit eo

rum qui nomine & loco Leonis pręſederũt, ut ipſa acta oſtendũt. Libytaniæ autem in Sicilia eccleſiæ epiſcopum fuiſſe, Actorum iſtorum tertiæ cognitionis initium oſtendit. E' Sicilia ipſum euocatum à ſe, ut ſuo nomine concilio, unà cum nonnullis alijs ei coniunctis intereſſet, ipſe quoq; Romanus Leo meminit quidem pluribus epiſtolis ad Marcianum Imperatorem, ad Pulcheriam Auguſtã, ad Anatolium Conſtantinopolitanum, & ipſum etiam concilium Chalcedonenſe: in primis uerò ea ad Imperatorem Marcianum epiſtola, quæ eſt quinquageſima numero. Meminit ipſius & Euagrius, ſed nominat eũ Paſchaſianum, libro ſecundo, capite quarto & decimoſexto. Poſt finem actorum concilij iſtius, extat exemplar epiſtolæ Paſchaſini & collegarũ eius, de damnatione Dioſcori. Leonis epiſtolarũ operi inſerta eſt poſt ſexageſimãſecundã una, quæ titulũ gerit Paſchaſini: cuius exẽplar etiam ponitur in Marino Scoto, ſub annũ Chriſti 445. eadẽ inſcriptione, Paſchaſini nimirum, & tractat de ratione celebrandi Paſchatis: atque ea uidetur huic Lilybitano Paſchaſino rectè tribui, uel Bedę teſtimonio: qui de ratione temporũ in Theodoſio iuniore diſertè ait, Paſchaſinum Lilybitanum epiſcopum de ratione Paſchali ſcripſiſſe epiſtolam ad Leonem, in qua mentionem faciat captæ à Vandalis Carthaginis & Siciliæ. Etſi autem in ea quæ extat epiſtola nominatim atque expreſsè non fit mentio Carthaginis & Siciliæ, attamen cuiuſdã certè captiuitatis, cuius & ipſe fuerit particeps, meminit.

SYLVANVS PANOR-
mitanus.

Syluanus Panormitanæ eccleſiæ diaconus fuit, cognitus ex eadem illa Paſchaſini epiſtola de ratione Paſchali, quòd eius ibidem fit mentio.

LEVCADIVS.

Leucadius, Thunienſis inſulæ ciuitatis epiſcopus. neque hic aliter notus, quàm quòd ad eandem ipſe quoque ſynodũ Chalcedonenſem acceſsit, ut ex Catalogo eſt manifeſtum.

DOCTORES EVropæi.

DE HELLADIS EPI-
ſcopis.

NIceas Megaræ, Domnus Platæę, Oneſimus Argorum, Ophelimus Tegææ, Irenæus Naupacti, Anyſius Thebanus, noti ſunt ex Chalcedonenſi & Epheſina ſynodis.

ACHAIAE EPISCOPI.

PEREGRINVS CO-
rinthi.

PEregrinus Corinthi Helladis epiſcop', primæ ſynodo Epheſinæ interfuit, contra Neſtorium.

ERASISTRATVS.

Corinthi Helladis epiſcopus Eraſiſtratus, Epheſinę ſynodo Prędatorię interfuit, & Eutychis reſtitutionem probauit: ut patet ex actis.

PETRVS.

Petrus Corinthi epiſcopus, in Chalcedonenſi concilio Flauiani ſcriptum de duabus in Chriſto naturis approbauit, ſeque excuſauit, quòd non particeps fuerit damnationis Flauiani: ac indicat, ſe cum ijs qui cõtra Dioſcorum dimicabant, coniunxiſſe: in prima actione Chalcedonenſis concilij.

De alijs Achaiæ epiſcopis.

Athanaſius Opuntanæ ciuitatis Achaiæ, Ioannes Meſſenæ, nomina ſua habent in actis Chalcedonenſis & Epheſinæ Prædatoriæ.

EPIRVS.

DE EPISCOPIS EPIRI.

IN actis ſynodorum mentio fit Lucę & Euchenij, Dyrrachij nouę Epiri, & Dynati Nicopoleos ueteris Epiri, epiſcoporum.

ATTICVS NICOPOLI-
tanus.

Atticus Nicopolis in Epiro epiſcopus, interfuit Epheſinæ Prædatoriæ ſynodo, & dãnationem Flauiani & reſtitutionem Eutychis approbauit: & Chalcedonenſi, in qua (ut plurimi alij) reuocauit, quæ perperam & nefariè Epheſi geſta fuerant. Teſtantur eius ſynodi geſta, quæ in primo Conciliorũ tomo prolixè ualde recitantur: item breuius in Euagrio libro ſecundo, capite quarto & decimoſexto: item in Nicephoro, peculiari tractatu ad finem decimiquinti libri adiecto. ex quibus utroq;, Euagrio quidem obſcurius, Nicephoro uerò clarius quodammodo animaduertitur, quòd ipſe ſynodi iſtius ſtatuta in ſcriptum retulerit. Facit huius mentionem Leo in epiſtola octogeſimaquarta ad Anaſtaſium, Theſſalonicenſem, in qua obiurgat Anaſtaſium, quòd nimis dura in Atticum cenſura uſus ſit, nullam aliam ob cauſam, quàm quòd euocatus, ob corporis infirmitatem non ſtatim aduenerit.

THESSALIAE EPISCOPI.

RVFVS.

THeſſalonicẽſis archiepiſcopus fuit Rufus, ea tempeſtate, quum primùm Eccleſiæ Chriſti motus pararet exitioſos ſuo impio dogmate Neſtorius. Nam de eo ipſo negocio

negocio ad hunc suas dedisse literas Romanum episcopum Celestinum, quibus, ut a lios plerosque, ipsum quoque animauit, ut & ipse cum cæteris suas coniungeret uires, & quâtum posset Nestorij conatus reprimeret studeret. Liberatus in Breuiario cap. quinto narrat. Concilio illi Ephesino propterea coacto non quidem interfuit ipse præsens, sed tamen suas partes commisit Flauiano Philippensi archiepiscopo: ut recitat Catalogus eius synodi, qui semel atque iterum recenseatur in actione prima Chalcedonensis synodi.

ANASTASIVS.

Anastasius Thessalonicæ episcopus, temporibus illis uixit, quo ob Eutychis recens exortam hæresin duæ illæ synodi celebratæ sunt: prior infamis illa Ephesi, in qua iustificatus fuit Eutyches: posterior Chalcedonensis, in qua idem cum uniuersis suis assecliis, & quidem in perpetuum est damnatus. Quibus synodis tametsi præsens non interfuit, tamen utriusque gestis subscripsit per Heracleensem episcopum Quintillum: sicuti utriusque synodi acta testantur, quæ in prima cognitione Chalcedonensi recitantur. Extant Leonis Romani pontificis primi, ad hunc Anastasium duæ epistolæ: altera, quæ est uicesimanona, ipsi gratulatur, quòd Ephesinæ illi reprobæ synodo non interfuerit, cum in ea ueritati uis facta sit: ac monet insuper serio ac grauiter, ne suo consensu confirmet ipsius gesta, uel recipiendo blasphemo Eutyches dogmate, uel approbando Flauiani iniustissimam damnationem &c. altera octogesimaquarta, admodum acriter ab eodem Leone obiurgatur, ob nimis duram in Atticum Nicopolitanum episcopum censuram: ac deinde multis ipsum consilijs præscriptis instruit, qualem se in posterum in gubernatione gerere debeat, ita ut ipse suæ dignitatis locum retineat, & alijs quoque suum relinquat.

De *alijs Thessaliæ episcopis*.

DION Thebensis Thessaliæ episcopus, interfuit primæ synodo Ephesinæ, & damnauit Nestorium.

CONSTANTINVS Demetriadis, & Vigilantius Larissæ, ciuitatum Thessaliæ episcopi, ambo interfuerunt Ephesinæ Prædatoriæ synodo. In Chalcedonensi uerò solus Vigilantius uicem tum suã, tum etiam Constantini sustinuit.

MACEDONIAE EPISCOPI.

RVfus, Gerontius, Sophronius, Flauianus, Macedonius, Prosdoti⁹, Orisseus, seu Arisseus: ecclesiarum per Macedoniam hi pastores fuisse cognoscuntur ex literis Innocentij Romani pontificis, qui hoc eos nomine compellat primo Conciliorum tomo, in ipsius decretis.

His commemorantur & hi sequentes: Eusebius, Eustathius, Claudius, Maximianus, Eugenius, Iohannes, Polychronius, Hilarius, Callicrates, Zosimus, Profuturus, Hermogenes, Vincentius, Asiologus siue Axiologus, Terentianus, Herodianus, Marcianus, Nicetas: in epistola ad eosdem uicesimasecunda.

VITALIS.

Archidiaconus, superiorum nomine episcoporum attulit literas Innocentio Romano pontifici: in eadem epistola uicesimasecunda.

PHOTINVS.

Falsò ad sedem Romanam delatus, & propterea damnatus est. Sed cum alij episcopi Macedoniæ eum excusassent, absolutus est ab Innocentio, & in pristinam dignitatem restitutus.

QVINTILLVS.

Heracleæ Macedoniæ episcopus, interfuit Prædatoriæ illi synodo Ephesi. patet ex actis concilij Chalcedonensis, in primo tomo Conciliorum. In eadem uices etiam gessit Anastasij Thessalonicensis, & disertè calculo suo approbauit Eutychis restitutionem. postea etiam Chalcedonensi interfuit, ut patet ex actis.

Fit etiam aliorum Macedoniæ episcoporum mentio in actis synodi Chalcedonensis & Ephesinę: ut, Eusebij Topiris primæ Macedoniæ ciuitatis, Maximini Serres, Nicolai Stoborum secundæ Macedoniæ, Iohannis Parthenopolis primæ Macedoniæ, Hermogenis Cassandriæ, Lucæ Berhœæ.

DE DOCTORIBVS in Thracia.

CONSTANTINOPOLITANI EPISCOPI.

IOANNES CHRYSOSTOMVS.

IOannes Antiochię ad Orontem in Cœlesyria natus est, patre Secundo, matre Anchusa, ex familia nobili. Socrates libro sexto, capite tertio: Sozomenus libro octauo, capite secundo: Nicephorus libro decimotertio, capite secundo. Vsus est præceptoribus, Libanio in artibus dicendi, & Andragathio philosopho in studijs sapientiæ. Socrates & Sozomenus ibidem. Circiter annum ætatis decimumoctauum in academiã Athenienſem ſeſe contulit, ac tantum profecit ut omnibus esset admirationi, & à senatu præ Anthemio & alijs philosophis ob hu-

ob humilitatem honoraretur. Georgius patriarcha de uita Ioannis. Hactenus uidetur gentilis fuisse. nam Sozomenus libro octauo, capite secundo dicit: Libanium morientem questum esse, Ioannem à Christianis, ut prędam, à se abactum esse: alioquin utiliter scholæ præfici potuisse.

Conuersus autem & baptizatus est à Meletio, unà cum parentibus suis. Georgius in uita eius. Iuris scientia mediocriter excellebat, ac potuisset utilis esse in iudicijs: uerùm ille metuens molestias istius professionis, sacrum & ecclesiasticum uitæ genus sibi elegit: ac mutato habitu, ad lectionem sacrarum literarum animum intendit, præceptoribus utens Diodoro & Carterio, & condiscipulis Theodoro & Maximo, qui etiam sub Libanio eius commilitones fuerant. Basilio etiam Cæsareæ Cappadociæ episcopo non modò familiariter, sed etiam præceptore usus uidetur. Suidas; etiam Eusebium Emisenum eius præceptorem facit.

Zenon Gazæ episcopus Hierosolymis reuersus, Antiochenæ ecclesiæ eum lectorem constituit. Postea à Meletio diaconus ordinatus est, eo officio propemodum tribus annis functum esse, dicit Gregorius in uita eius. Mortuo deinde Meletio, ab Euagrio presbyter est ordinatus. Socrates libro sexto, capite tertio. Nicephorus ex Simone quodam, qui uitam Ioannis scripserit, refert, à Flauiano eum & diaconum & presbyterum designatum esse: & miraculum de columba aduolâte, & capiti eius insidête affingit, libro decimotertio, capite secundo. Et Georgius in uita eius, præter columbæ apparitionem, nugatur etiam, angelum Flauianum iussisse, Ioannem è monasterio educere, & presbyterum creare. Quin etiam Hesychium in somnis uidisse, Ioannem apostolum Chrysostomo librum, & Petrum claues afferre ac tradere fabulatur.

Mortuo Nectario, communibus suffragijs populi & cleri, & iussu Arcadij, Constãtinopoli episcopus electus, & inuitis Antiochenis abductus ab Imperatore, & synodo conuocata solenni ritu ordinatus est. Theodoretus libro quinto, capite uigesimooctauo: Sozomenus libro octauo, capite secundo. Georgius in uita eius refert exemplum literarum Arcadij & Honorij ad Flauianum, de uocatione Ioannis scriptarum.

Non autem tantùm istius ecclesiæ pastorem egit, sed & archiepiscopum seu inspectorem aliarum per Thraciam, quæ in sex præfecturas erat diuisa: & per Asiam, quæ ab undecim prætoribus regebatur: & per regionem Ponti, itidem in undecim præfecturas distributam: ut indicat Theodoretus libro quinto, capite uigesimoseptimo.

Donis haud uulgaribus claruit. nam præter artium, philosophiæ & linguarum cognitionem, etiam rerum sacrarum scientia excellebat, & ad docendum instructus erat: & facundia adeò ualebat, ut Chrysostomi cognomen inde acciperet: ac inerat uerbis eius quædam persuadendi facultas.

Phrasi sermonis perspicua & eleganti utebatur. Socrates libro sexto, capite secundo. Sozomenus libro octauo, capite secundo. Animo præsenti & constanti erat præditus, ut ex sequentibus patebit.

Georgius donum sanandi morbos omnis generis ei tribuit: & multa exempla commemorat, quorum pleraq; nõ carent superstitione, & laborant de fide.

In administratione autem episcopatus prębuit sese diligentem, fidelem, constantem & uigilantem ministrum IESV Christi. Conciones habuit crebrò, & in docendo se accommodauit ad captum auditorum: quorum cum tanta esset frequentia, ut multi sæpe propter loca in templo occupanda perriclitarentur, progressus in suggestu lectorum docendi gratia consedit. Sozomenus libro octauo, capite quinto. Peccata coripiebat perinde ac si ipse per iniuriam læsus esset: ac non rarò lachrymas excutiebat ijs qui sibi malè conscij erant. Nec plebis tantum, sed omnium ordinum taxabat peccata, magna linguæ libertate. Imperatricis etiam uitia perstrinxit: Sozomenus libro octauo, capite decimosexto. & ad statuam eius applausus solennes, qui à populo fiebant, reprehendit: Sozomenus libro octauo, capite uigesimo. Et ad uineam Callitropæ ademptam, restituendam hortatus est. Nicephorus libro decimotertio, capite decimotertio. Eutropium etiam, & Gainam, & alios aulicos grauiter increpauit. Socrates libro sexto, capite quinto.

Ad pœnitentiam omnes cohortabatur, ut qui cuperet omnes saluari. Homilia decima tertia in caput Ioannis, & homilia tertia in Acta apostolorum. Anxias & consternatas conscientias consolabatur adeò, ut etiam millies lapsis ueniam dari affirmaret. Socrates libro sexto, capite uigesimoprimo. Ad uitam inculpatè degendam omnes hortabatur. Georgius in uita eius. Et regem ac regi-nam, & alios magnates sæpe admonebat tu officij, tum erratorum. Sacerdotes iubebat secundum leges uiuere, & sectis agentes à sacris arcebat. Theodoretus libro quinto, capite uigesimo. Monachos, etiam Hlaacianos, malè uiuentes increpasse dicitur. Sozomenus lib. 8. cap. 9.

Nocturnas preces contra Arianorum insidias instituit. Socrates libro sexto, capite septimo & octauo.

Pro

Pro ecclesijs uicinis, quæ sub eius diœcesi erant, sedulò curam gessit: ac ubi necessitas postulauit, mortuis episcopis alios substituit. Sic Ephesi Heraclidem ordinauit: Socrates lib. 6. cap. 11. & Heraclidæ in Thracia Serapionem: lib. eodem, cap. 17. Aut si quos indignos sacerdotio, uel propter uitæ turpitudinem in exigendis idoneos surrogauit. Narrat enim Sozomenus lib. 8. cap. 6. eum, cum intellexisset in ecclesijs Asiaticis & uicinis, quosdã per gratiam, quosdam largitionibus episcopatus esse adeptos, Ephesum excurrisse, & tredecim deposuisse ab officio: aliosq; in Lycia, Phrygia & Asia substituisse, nec Gerontio Nicomediensi episcopo peperciisse.

Habuit etiam studium componendi dissidia, in ecclesijs orta. nam Theophilum multum orauit, ut suam sibi adiungeret operam in reconciliandis sacerdotibus Aegyptijs, & Occidentalibus propter Paulinum dissidentibus. Sozomenus lib. 8. capite 3. Ac postea cum Ammonius, Isidorus, Dioscurus rogassent, ut sibi opẽ ferret in dissidio inter se & Theophilum tollendo, facilem sese præbuit, ea de re ad Theophilum scripsit. Sozomenus lib. 8. cap. 13. ac pro pace politica, legatione ad Gainam functus est: Theodoretus lib. 5. capite 32. & 33.

Ecclesiæ non modò uiua uoce, sed etiam scriptis profuit.

Cum adhuc lectorem ageret, scripsit librum contra Iudæos: Socrates libro sexto, capite tertio. Georgius ait, eum præter alios libros, etiam tum edidisse homilias de monastica uita.

Diaconus factus, edidit libros seu dialogos de sacerdotio, & tres ad Stagirium Dæmoniacum, & de incomprehensibili Dei natura, & de catechizandis & initiandis: ibidem, & Suidas. De Anomeis subintroductis, libros sex: Georgius.

Presbyter factus Antiochiæ multas commentationes edidit: Georgius. Euangeliorum expositiones, Adriantas, id est statuas, consolationem, commẽtaria in Psalmos, de uirginitate, de misericordia: Nicephorus libro 13. cap. 2.

Cum ad episcopatum accessisset, edidit sermones tum à se scriptos, tũ à notarijs exceptos: Socrates libro eodem, cap. 4. Et homilias in acta Apostolorum: Nicephorus libro 13. cap. 2.

Epistolæ alterius ad Theodorum prolapsum, meminit Sozomenus libro octauo, capite secundo. Sermonum in Psalmos Davidis, & enarrationum in Euangelia Ioannis, Matthæi, Marci & Lucæ, meminit Suidas.

Literarum eius ad Innocentium, mentionem facit Nicephorus libro decimotertio, capite decimooctauo, & trigesimoprimo: & ad Constantium presbyterũ, de ijs quæ sibi in itinere accidissent, libro eodem, capite uigesimo: (earum exemplum Metaphrastes in uita Ioannis annotat) & Epistolarum quindecim ad Olympiadem, & ad Cyriacum: & libri de patientia in rebus duris, libro eodẽ, capite tricesimoseptimo: & orationis in laudem Imperatoris; Nicephorus lib. decimoquarto, capite 53.

¶ Hodie extant opera eius latinè in quinque Tomos digesta ab Erasmo Roterodamo. In primo continentur, ea quæ in uetus Testamentum commentatus est.

In secundo, ea quæ in Matthæum, Marcum, & Lucam.

In tertio, ea quæ in Ioannem, & acta Apostolorum, & conciones præterea festæ, & apologetica quædam.

In quarto, ea quæ in Pauli epistolas.

In quinto, homiliæ octoginta ad populũ Antiochenum, & quædam uaria didactica, & parænetica, & epistolæ octo.

¶ Quod ad eius dogmata attinet, recensuimus ea satis quidem prolixè in quarto capite. nunc uerò tantum quædam perstringemus.

Quòd sit Deꝰ, quòd unus & trinus, rectè & sincerè docuit. De Trinitate inquit in cõclusione sermonis de fide & lege naturæ: Agnoscito diuinæ Trinitatis theologiam, Patris & Filij & Spiritus sancti. Ista est increata natura, uera dignitas, indiuisum imperium, impartibilis honor, indiscreta spes, incomprehensibilis gloria Patris & Filij & Spiritus sancti, quam decet omnis gloria, honor & adoratio. Eundem articulum plurimis testimonijs Scripturæ aduersus hæreticos probat.

Quòd filius Dei sit coessentialis patri, docet passim. ut homilia sexagesima in caput decimum Iohannis inquit: Ego & pater unum sumus, scilicet secundum potentiam. nam de hac loquitur: Quòd si eadem est, cõstat etiam eandem esse substantiam. Item homilia septuagesimatertia in decimumquartum caput Ioannis: Cum hoc sit quod est pater, manens filius, meritò in se patrem ostendit, dicens ad Philippum de patre quærentem: Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouisti me? Deinde personas diuidens, inquit: Philippe, qui me uidet, uidet & patrem meum: ne quis diceret, quòd pater sit ipse filius. nam si ipse esset pater, non sanè dixisset: Qui uidet me, uidet & patrem: hoc est, qui substantiam meam nouit, nouit & patris substantiam. Homilia de fide inquit: Inconuertibilis

& sem-

& sempiternus filius in æterno atque incommutabili patre semper est, & secundum naturam inseparabilis substantia est. In sermone contra Anomæos ita unigeniti gloriam æqualem probat ex Genesi: Faciamus hominem ad similitudinem nostrã. non dixit, Fac: sed, Faciamus: ut ostenderet filij æqualem gloriam. Sic apud Esaiam consiliarius dicitur, non quòd pater eius consilio opus haberet, sed ut indicaretur ipsius gloria. Ibidem explicat prius dictũ latius. dicit, Fac est Domini ad seruum loquentis. quod probat centurione apud Matthæum capite 8. at Faciamus, uerbum est eius cui æqualis honor, &c.

De duab. in Christo naturis inquit: Quòd Christus in medio insidiantium nõ est comprehensus, inuincibilem se atq; inexpugnabilem significauit, & diuinitatis potentiam nobis indicauit: quod uerò delituit & fugit, incarnationem certò cõfirmauit. Chrysostomus homilia 47. in 7. caput Ioannis. Item: Christum cum audieris charissime, non solum modò Deum putes, sed Deum & hominem crede. scio namq; esurijsse Christum: & scio Christum de quinq; panibus & duobus piscib. satiasse quinq; millia hominum, exceptis paruulis & mulieribus. Scio Christũ sitisse, scio Christum super aquas pedib. ambulasse: scio Christum mortuũ, & scio Christum mortuos suscitasse: scio Christum Pilato adstitisse, & scio Christum ad dexteram patris consedisse: scio Christum lapidatum, & scio Christum ab angelis adorari. Et quædam quidem refero Deitati, quędam autem assigno humanitati: quia noui Christum de Maria natum, & scio Christũ ante omnia secula genitum, & apud Deum semper Deum esse Verbum, &c. Chrysostomus homilia de cruce Dominica. item in enarratione 7. capitis Esaiæ: Puerulus iste recens natus, quandoquidem neque simplex aut nudus homo erat, neque idem Deus solùm, sed Deus in homine delitescens.

Rectè etiã de creatione & angelis docuit.

De libero arbitrio rarò bene loquitur. Sermone primo de aduentu inquit: Ante peccatum liberum arbitrium habebamus bene operandi, non autem postea. quia non nostra uirtute post peccatum euadere possumus de manu diaboli: sed sicut nauis fracto gubernaculo, illuc ducimur, ubi tempestas uoluerit: sic à diabolo de peccato in peccatum ducimur, nec hactenus quicquã facere licebit, nisi quòd ipse diabol' uoluerit. Et nisi Deus ualida manu misericordiæ suæ nos soluerit, usque ad mortem in uinculis peccatorũ nostrorum permanebimus.

De peccato inquit: Peccatũ dęmone peius eijciamus. Dæmon siquidem non omnino spoliat, aut inficit homines, sed subinde fit ut & prosit modesto ac uigilanti: peccatum uerò omnino prosternit. Voluntarius quippe dæmon est peccatum, spontaneaq; insania. Sermone 28. in caput 15. epist. ad Rom. Originem peccati, & deriuationẽ in omnes, sic describit: Quisq;, inquit, sequentium hinc in impietatem delapsus est, quòd Dei affectarum arx erat, & radix, omnisque fons nequitiæ. homilia 6. in loca Matthæi.

De lege inquit 2. Corinth. 3: Non lex facit mortem, sed est administratio mortis. Ministrat enim in mortẽ, non item ipsam mortẽ. Nam quod gignit mortem, peccatum erat, hæc autem pœnam indixit: & peccatũ ostendit, non genuit. Retexit enim euidentius malũ, ac puniuit. nõ aũt impulit ad malũ. fuit q; minister non ut fieret peccatũ, aut mors: sed ut qui peccatum admiserat, daret pœnas.

De iustificatione sæpius malè quàm bene loquitur. In 3. caput ad Rom. sermone 7. inquit: Lex fidei per gratiam est. Præclarè inquit in 1. cap. ad Galatas: Ipse est qui nos recõliauit, qui donũ dedit. Neq; enim ex operibus iusticiæ salui facti sunt, quin potius & hæc illius sunt, & illa huius. Item: Iustitia ex fide Dei est, & ista à Deo datur. Dei est ista iusticia. Omnino donũ Dei est: donà uerò Dei magna mensura tenuitatem eorum rectè factorum, quæ nostro studio fiunt, excellunt. Quid uerò est, per fidem eum cognoscere? Ergo per fidẽ est cognitio, & sine fide cognosci nequit, &c. in cap. 3. ad Philippens. sermone 11. Item: Vnum hoc tantummodo donum Deo obtulimus, quòd futura nobis promittenti credimus, atq; hac solùm uia saluati sumus. Quòd si illã perdiderimus, uniuersum simul, quod illi pendere debemus, tributum perdidimus. in caput 8. ad Rom. sermone 14. Item: Nos, qui trahimur humi, infinitis peccatorũ sarcinis oppressi sumus, nostra in se fide liberos facit. in 13. caput Geneseos, homilia 34.

De bonis operibus etsi multa passim disserit, tamen plerunq; tribuit eis meritum salutis, contra uerbum Dei.

De pœnitentia inquit: Non tantos peccatum, quantos desperatio perdit. homilia 87. super Matthæum. licet de fide in Christũ parum doceat in hoc articulo, & magis quędam exercitia externa & monasticen commendet.

De baptismo præclarè scribit. In homilia de Psalmo 22. & 116. inquit: Hęc aqua primatũ tenet in elementis: sed cum istud elementum acceperit Spiritũ sanctũ, fit sacramentũ. & iam non erit aqua potationis, sed sanctificationis: nõ erit aqua cõmunis, sed refectionis. Per istam aquam educit, purgatos facit perfectos, ratione charitatis & gratiæ illumi-

nans &

nans & replens eos, ut ubi abundauerat peccatum, faceret diuites in gratia. Item: Venturus es ad baptismum. ô te felicem, qui renasciturus es in Christo, qui indumentum Christi accepturus es: qui sepeliendus es cum Christo, ut resurgas cum Christo. Dicebus ergo reliquis secundum ordinem, ea quæ ad mysteria pertinent, auditurus es. Nunc interim dixi uobis, ut sciatis, uobis à die crastina maximè laborandum. Deus autem omnipotens corroboret corda uestra, uos dignos faciat lauacro suo, ipse in ipse uos descendat in baptismate: ipse aquas sanctificet, ut sanctificemini. Nemo dubio cordе accedat. nemo dicat: Putás quòd mihi dimittuntur peccata? Qui sic accedit, non dimittuntur ei peccata. Melius est non accedere, quàm sic accedere. Maximè uos, qui sic accepistis baptismum, ut Deo seruiatis, ut fitis in monasterio. homilia decimatertia in Marcum.

De cœna sic inquit, in primæ ad Corinthios undecimo: Sacerdotis ore uerba proferuntur, & Dei uirtute consecrantur, & gratia, hoc uerbo quod dicit (Hoc est corpus meum) proposita consecrantur. Et sicut illa uox quæ dicit, Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidē dicta est, sed omni tempore sentit effectum, ad generationem operante natura: ita & uox ista semel quidem est, sed per omnes mensas Ecclesię, usque in hodiernum, & usque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.

De coniugio bene sentit. nam in sermone contra hæreticos inquit: Nuptias nō prohibere pietatem. Habuisse uxorem Moysen, Petrum, Centurionem, & alios.

Ita etiam de resurrectione docet, animam & corpus in nouissimo die, hoc est totum hominem esse resurrecturum. In libro contrā gētiles, etiā à uirtutibus Babilę, quę mortis eius secutæ sunt, resurrectionē adstruit.

NAEVI.

¶ Nunc de næuis ac incommodis opinionibus huius doctoris aliquid etiam adijciēdum esset: sed hanc etiam partem suprà in Quarto Capite attigimus. Immo dico librorum sactorum amore atque reuerentia, non uereturaffirmare, in quacunque domo Euangelium (intelligit uolumē historiam Euangelicam continens) aut libri spiritales sint, ibi diabolum ingredi non audere. idq; duobus locis asseuerat: nempe homilia trigesimaprima in quartum caput, & tertia & quarta de Lazaro concione.

Nimium uidetur allegoricis interpretationibus tribuisse. Homilia decima ex uarijs in Matthæum locis, inquit: Non historiam negamus, sed spiritalem intelligētiam præferimus.

Opinio est, quòd sentit Deum, quo ad Deitatem, non uincere. Ita enim inquit: Christus ductus est à spiritu, ut tentaretur, & uicit diabolum, non Deitas. Contumelia fuerit Deitati, dicere, Vici. Deus enim nunquā uincitur. neque uincit, sed semper præualet & dominatur. Nam si omnino uinceret, possibile esset & ipsum uinci. At qui semper dominatur, & præualet in omnibus omnipotens, & neque obtumultuantur ei subditi, neque ei negocium faciunt, homilia de Spiritu sancto.

Angelos non plenè Deum cognoscere, scribit homilia decimaquarta in primum cā put Iohannis. Item, didicisse angelos plurima ex concione Baptistæ; & aliorum uerbi Dei ministrorum, affirmat in prologo commentarij sui in Iohannem.

Synergiam uoluntatis humanæ manifestè defendit: sicut patet ex testimonijs, quæ suprà in loco de Inclinatione doctrinæ sunt expositā.

Doctrinam de iustificatione impurè tradit. Subinde enim bona opera inuoluit, sicut in loco de Inclinatione doctrinæ expositum est. Expressè enim dicit, solam fidem non satis esse ad salutem: sed in utroque uitam æternam esse affirmat, nempe in credere in Filium, & in bonis operibus: homilia tricesima in tertium caput Ioannis.

Ita etiam operibus nimium, uidelicet meritum salutis attribuit: Nihil proderit, inquit, nobis pijssimorum hominum gratia, si proprijs meritis uacui reperiemur: sed sola animæ uirtute opus est, ipsa nos saluos facere, & sempiterno igni liberare SOLA poterit, ipsa nos ad cœlorum regnum transmittet. homilia quadragesimaoctaua in septimum caput Ioannis. Item: Ideo oro ut ad agendā opera festinemus. neque enim aliter saluari nos possibile est. in uigesimumsecundum caput Gen. homilia quadragesimaseptima.

De baptismo eā habet opinionem, quòd ægroti nō sint baptisandi: homilia prima in acta Apostolorum.

Etsi non damnat secundas nuptias, tamē uidetur uelle, ne quis post secundas nuptias ad regimē Ecclesię euehatur. in caput primū ad Titum.

Patres fuisse in inferno asserit, priusquam Christus ex mortuis resurgeret: homilia quarta in Marcum, & Lucam capite decimosexto de diuite.

¶ Etsi tranquillitatis & pacis amans & studiosus naturà fuit, tamen cum in episcopatu Christo sese fidelem uoluit exhibere ministrum, diaboli per falsos fratres, uiros politicos & aulicos, & hæreticos & Ethnicos, expertus est insidias, & uexationes satis molestas & graues.

Ac ut de falsis fratrib. primùm dicamus: cum ratione officij suorum clericorum mores & uitam emendare studeret, eoque acrius uitia eorum reprehēderet, tulerunt id quidam ex ijs molestè, eumque nimiæ uehementiæ & austeritatis clàm insimulabāt, & undecunque poterant occasionem ei detrectandi arripiebant. Alij id calumniabantur, quod Serapion diaconus dixisset, eum non posse ijs dominari, nisi uno baculo cunctos expulisset. unde eum & superbum esse, & dominatum affectare clamitabant. Alij id carpebant, quòd solus, & non cum alijs cibum caperet: idque fastidio & contemptu aliorum. Verùm his conuicijs parum effecerunt aduersarij. nam omnes propter insigne donum docendi eum amplectebantur: ac innotescebat, eum propter aduersam ualetudinem, dolorem capitis & stomachi, & abstinentiam, cōuiuia uitare. Palladius in uita eius, referente Antonino, titulo decimo, capite nono, paragrapho quinto: Socrates libro sexto, capite quarto: & Sozomenus libro octauo, capite nono, monachis Isaacianis eas calumnias tribuit: & Nicephorus libro decimotertio, capite nono, monachis circumforaneis, & in plateis circumcursitantibus.

Cum Seueriano in absentia sua Ecclesiam turbante, etiam lis ei fuit: quam Serapion, falsò eum deferens (quasi dixisset Christum non esse hominem factum, cum tamen ille sic fuerat loquutus: Si Serapion Christianus fuerit mortuus, Christus homo non est factus) adeò auxit, ut illum urbe expelleret, & ab Eudoxia Imperatrice reuocatum, neq; uisum, neq; auditum uellet: ac uix tandem Theodosio iuniore, iussu matris ei supplicāte, cum eo in gratiam redi et. Socrates lib. 6. capite undecimo.

¶ Deinde cum Theophilo Alexandrino magna contentio ei fuit, quæ hac occasione orta est. Cum Dioscorus, & monachi Longi fratres dicti, uenissent Constantinopolim ad Imperatorem & Ioannem, ac questi essent de iniuria sibi à Theophilo facta: ille eos honorificè excepit, & ad preces communes admisit: à mysteriorū uerò cōmunione tantisper prohibuit, donec causa ipsorū cognita iudicataq; esset. Hinc fama ad Theophilum perlatum est, Ioannem eos ad mysteria quoq; admisisse, & patrocinium eorum suscepisse. Eam suspicionem confirmabant literę Ioannis ad Theophilum, quibus petebat, ut ipsis ut Orthodoxis redderet cō munionem: aut Constātinopolim aliquem mitteret, qui in iudicio causam ageret. Nicephorus libro decimotertio, cap. undecimo.

Excogitauit ergo Theophilus astutè modum ulciscendi, & ab officio deponendi Ioannem. Cum Epiphanio offenso redit in gratiam, ac eum ad damnandum libros Origenis incitat. qui dolum non animaduertens, ei paret: & ad Ioannem scribit, ut & ipse abstineat à lectione librorum Origenis, & coacto Cōcilio idē decernat. Paulo pòst Theophilus etiam Synodum conuocat, & Origenis libros damnat. Ioannes uerò Epiphanij literas contemnit, & quæ sui erant officij agit. Cum autem ij qui ex clero & aulicis intellexissent, quid Theophilus moliretur, adiunxerunt & ipsi suas operas, & Synodum Constantinopolim conuocari curabant. Socrates libro sexto, capite decimo.

Paulo pòst Epiphanius Constantinopolim uenit, & in martyrio Ioannis extra urbē synaxin celebrat, & diaconum ordinat: & episcopis quibusdam ad se uocatis, damnationem librorum Origenis recitat. Socrates libro sexto, capite duodecimo.

Ioannes eum in ædes episcopales inuitabat. uerùm ille respōdebat, se nec prius cum ipso oraturum, quàm Dioscorum urbe eiisset, & condemnationi librorum Origenis subscriberet. Ioannes econtrà ait, non esse quidquam temerè ante Catholicam cognitionem faciendum. Cum autem Epiphanius proditurus esset in publicum, & coram omni populo Origenis libros damnaturus, & Dioscorum abdicaturus, & Ioannem quoque traducturus, per Serapionem ei indicat: Præter canones, Epiphani, multa facis. primùm quòd in ecclesijs mihi subiectis ordinasti: deinde quòd sine meo iussu in illis publicum sacrorum munus, propria autoritate obiuisti: denique ultrò à me inuitatus recusasti, & iam eadem tibi permittis. Caue itaque tibi, ne excitato in populo tumultu, illius & ipse periculo inuoluaris. His auditis, Epiphanius ab ecclesia discedit. & cum abiturus esset, dixit: Spero te non moriturum episcopum. cui Ioannes respondisse fertur: Spero te non ingressurum patriam tuam. Metaphrastes refert, Epiphanium dixisse: Non peruenies ad uidendum locum exilij. & huic adstipulari uidetur Nicephorus libro decimotertio, capite trigesimoseptimo. Ac utriusque uerba comprobauit euentus: Socrates libro sexto, capite decimoquarto.

Multum ei negocij & molestiarum, & afflictionum, etiam uiri politici & aulici exhibuerunt. Hi autem nullam aliam ob causam ei erant iniqui, quàm quòd uitia eorum ratione sui ministerij liberius reprehenderet. Studebant autem eum falsis criminationibus deformare: ac sanè apud multos ad conuicia & mendacia inueniebant apertas aures. Eutropium eunuchū ad altare iacentem grauius perstrinxerat, quòd cum ipse legem

legem ferri curasset, ne parceretur sceleratis ad altaria confugientibus: tamen nunc ipse cuperet eo priuilegio uti, & uitam suam tueri. Hanc concionem proceres, in aula miris modis exagitabant, eumque ut immisericordem & ἐπιχαιρέκακον traducebant: libro eodem, capite quinto. Gainam ducem exercitus etiam habuit infensum, eo quòd cora Imperatore & episcopis quibusdam, cum ille petijsset ecclesiam unam Arianis Constantinopoli assignari, palàm ostendisset impium id esse: nec ab Imperatore, sine proditione domus Dei, & abrogatione legum à maioribus latarum, de Arianorum conuenticulis in urbe non ferendis, præstari posse. & simul Gainæ exprobrasset patriã, & fugam: & obiecisset perfidiam, & iurisiurandi uiolationem. Socrates libro sexto, capite quinto: Sozomenus libro octauo, capite quarto.

Eudoxia Imperatrix sese etiam illi opposuit, ac eum propter electionẽ Seueriani reprehendit: Socrates libro sexto, capite undecimo. & postea cõtra ipsum armauit Epiphanium: libro eodem, capite decimoquinto. Quod cum cognouisset Ioannes, data occasione contra mulierum uitia, in concione quadam uehementius dixit.

Aduersarij id arripientes ad aulam, ut inspectricem & uexatricem concionatorum, deferunt. Rem indignam esse exclamãt omnes adulatores, ac Ioannem criminis læsæ maiestatis reum faciunt. Augusta ad Imperatorem queritur, se contumelia esse affectam, ac petit suæ dignitatis haberi rationem. Imperatore annuente, synodus conuocatur. Theophilus Alexandrinus, & multi alij qui Ioanni erant infensi, ac quos depotauerat passim propter iustas causas, conflunt Chalcedonem. Isthic Cyrinus episcopus multa conuicia de Ioãne spargebat: esse eum arrogantem, & inflexibilem. quæ excipiebantur cum magno applausu ab episcopis. Cum autem in ea synodo, quia comparere recusaret, & ad uniuersalem appellaret, esset damnatus: statim in exilium mittitur, in oppidum maritimum, situm in faucibus Ponti, Hieron nomine. Sed multitudine tumultuante, reuocatur ab Imperatore, & restituitur suæ ecclesiæ. Socrates libro eodem, capite decimosexto: & Theodoretus libro quinto, capite trigesimoquarto.

Georgius in uita eius narrat, Honorium ab Innocentio Romano admonitum de Ioannis iniusta damnatione, scripsisse fratri Arcadio: & suasisse, ut eum reduceret, ne ubique malè audiret, ut persequutor piorum doctorum.

Haud ita multo pòst, cum ad statuam Imperatricis argenteam, penes ecclesiam Sophię collocatam, publici ludi exercerentur, & Ioannes id pro concione reprehendisset: Eudoxia in eius uindictam conuocabat denuò Synodum. Ille uerò homiliam illam, cuius est initium, RVRSVS Herodias insanit, rursus turbatur, rursus saltat, rursus in disco caput Ioannis accipere quærit, &c. in ecclesia perorat. Ac cum conueniissent episcopi, petit, ut fiat inquisitio de criminibus sibi ab aduersarijs obiectis. Illi alijs neglectis, id quod plausibilius erat, arripiunt: quòd nimirum post depositionem, sine synodali sententia, proprio arbitrio episcopatum inuasisset. Et licet Ioannes opponeret, se à sexagintaquinque episcopis restitutum esse, & canonem quem allegarent Arianorum esse contra Athanasium demonstraret: tamen damnabatur. Imperator, quòd bis esset in Synodo damnatus, ab ecclesia abstinet.

Ioanne à ministerio remoto, multi ex episcopis & presbyteris & plebe separatim cõuentus celebrant. Aliquanto pòst, cum Imperator ab Acacio & Antiocho esset persuasus, eum iustè depositum esse, ut referũt Metaphrastes & Georgius, in exilium eius edicto abducitur. Socrates libro sexto, capite decimooctauo: Sozomenus libro octauo, capite uigesimo, uigesimoprimo, uigesimosecundo, ad oppidulum in diserto Armeniæ Cucusum. Cum autem isthic Armenijs & uicinis multis prodesset, & ex Antiochia & Syria ad eum excurrerent non pauci, remotus est longius in Arabissum. Nicephorus libro decimotertio, capite trigesimoseptimo.

Seueriano autem & Porphyrio, & alijs episcopis Syriæ apud Imperatorem instantibus, Pityunta ad fines Romani Imperij & Ponti, in uiciniam Barbarorum traduci iubetur. Sozomenus libro octauo, capite uigesimooctauo: Theodoretus lib. quinto, capite trigesimoquarto.

¶ Nec mutum canem egit contra hæreticos, sed sese strenuè ijs opposuit. nam Marcionis pestem Antiochia, & ex alijs uicis Orientalibus pastorum cohortatione & edictis regijs pepulit. Theodoretus libro quinto, capite trigesimoprimo: & Georgius in uita eius. Marcionis, & Valentini deliri dogmatis meminit enarratione in caput septimum Esaiæ: ac confutat eorum errores, in secundum caput ad Philippenses.

Nouatianis etiam, & Quartodecimanis infensus fuit: Socrates libro sexto, capite undecimo.

Arianis Constantinopolitanis sese oppositi grauiter: Socrates libro sexto, capite octauo. Et ad Scythas Arij hæresi infectos

in uiam reducendos, subornauit presbyteros & diaconos, & lectores, qui lingua Scythica in ecclesijs ueram doctrinam tractarent, & propagarent, Theodoretus libro quinto, capite trigesimo.

Arium, Paulum Samosatenum, Marcellum, Sabellium, Manetem, Apollinarium, Photinum, Sophronium, refutat in secundum caput ad Philippenses.

In gentilium superstitione extirpanda etiam assiduus & acer fuit. Nam cum in Phœnicia cognouisset adhuc uigere cultum idolorum, corrogauit à mulieribus pijs & opulentis sumptus, & excitauit quosdam monachos, & regia edicta de templis idolorum euertendis & lucis excindendis impetrauit: ac eo modo idola & delubra & lucos destruxit. Theodoretus libro quinto, capite uigesimotertio. In Scythiam ad Istrum misit sacerdotes, qui de Christi religione Barbaros erudirent. idem libro eodem, capite trigesimoprimo. Refutat etiam Epicureos & Stoicos, Homilia trigesimaoctaua in acta Apostolorum: & scripsit librum contra gentiles.

¶ De uitæ eius sanctimonia, Sozomenus libro octauo, capite secundo refert, quòd castè uixerit, & accuratè conuersatus sit. à cõuiuijs prorsus abstinuit: idem libro octauo, capite nono. Ne seditionis autor esse uideretur, plebe tumultuante, sedulò cauit: Socrates libro sexto, capite decimoquinto.

In egenos & pauperes liberalis fuit: ac in ipso exilio, cum Olympias & alij ei sumptus mitterent, ab Isauris multos captiuos redemit. Sozomenus libro octauo, capite uigesimoseptimo.

Nosocomium eum Constantinopoli suis sumptibus ædificasse, refert Georgius in uita eius. Magis iræ quàm reuerentiæ eum indulsisse, & immoderata libertate in taxandis peccatis usum esse, Socrates libro sexto, capite tertio refert.

In magna existimatione apud doctos plerosque fuit. Theodoretus appellat eum Magnum Ioannem: libro quinto, capite uigesimooctauo. & Doctorem orbis terrarum: capite trigesimosecundo. Eodem titulo etiam eum Innocentius Romanus, in epistola ad Arcadium, dignatur: ubi Imperatorem in Ioanne Christum ipsum persequutum esse demonstrat, apud Nicephorum libro decimotertio, capite trigesimoquarto. Idem in literis suis ad ipsum, nominat eum fratrem, & collegam. Nicephorus libro eodem, capite trigesimosecundo. Ac eum causa indicta per iniuriam eiectum esse asserit palàm, in epistola ad clerum Constantinopolitanum. Nicephorus ibidem. Isidorus Pelusiota publicis scriptis eum defendit, ac Theophilum & Cyrillum acriter perstrinxit. Commendauit etiam stylum eius, quòd Atticismum saperet, Nicephorus libro decimoquarto, capite quinquagesimotertio. Ac Honorium bis pro reducendo Ioanne ab exilio scripsisse, sed ab Eudoxia literas interceptas esse, narrat Georgius in uita eius. Socrates in eo reprehendit, quòd in arguendis poteritiorum uicijs nimis apertus & præceps fuerit: libro sexto, capite quinto, & decimoquinto, & decimooctauo. & quòd etiam millies lapsis non denegandam pœnitentiam asseruerit: libro eodem, capite secundo.

Verùm quis non uideat, Socratem ea reprehensione suam hæresin prodidisse, & insciti am? Nisi enim Nouatianus fuisset, ac ignoraſſet illa dicta Pauli, Insta tempestiuè & intempestiuè, increpa eos seuerè: si insanimus, Deo: si modestè agimus, nobis: haud sic censuisset.

Postremò, cum in itinere esset uersus Pityunta, & Comana uenisset ad pontum Euxinum, dolore capitis & febri correptus, diem obijt, decimoquarto Nouembris. Socrates libro sexto, capite uigesimoprimo: Sozomenus libro octauo, capite uigesimooctauo: Anno Domini quadringentesimo octauo. Nauclerus generatione decimaquarta. Quod tamen cum Chrysostomi scriptis non congruit. nam in oratione tertia contra Iudæos dicit, nunc agi annum quingentesimum.

Quòd Petrus & Ioannes apostoli nostræ præcedenti apparuerint, & uictoriam contra dæmones prædixerint (ut Nicephorus libro decimotertio, capite trigesimoseptimo refert, & Georgius) & quòd Basiliscus martyr ei prædixerit, quòd in suo templo sit sepeliendus (ut Theodoretus & alij narrant) fabulosum magis, quàm uerum esse uidetur. Anno ætatis quinquagesimosecundo, episcopatus uerò quinto & dimidio mortuum, refert Zonaras tomo tertio.

Mortem eius secutum est dissidium inter episcopos, quorum alij eum damnabant, alij causam & innocentiam eius tuebantur. Alexander Antiochenus primus nomen eius in Commentarios Ecclesiæ retulit, & alijs idem suasit: Nicephorus libro decimoquarto, capite uicesimoquinto. quẽ secutus est Atticus: libro eodem, capite uicesimosexto. Cyrillus Alexandrinus diu rẽ-

diu recusauit nomen eius in Catalogum referre: sed ab Isidoro Peluſiota, & uisione quadam admonitus, mutauit sentẽtiam. Nicephorus decimoquarto, cap. uigesimooctauo. Reliquiæ eius, Proclo interpellante Imperatorem, (ne post obitũ uideretur adhuc exulare) Constantinopolim sunt translatæ. Zonaras tom. 3. Theodosio cum lachrymis orãte, ut ignosceret patri suo Arcadio, & matri Eudoxiæ, quòd eum in exiliũ expulissent. Sigebertus in Chronico.

ARSATIVS.

Arsatius, frater Nectarij, Chrysostomo in exilium ejecto, cùm mediocri laude presbyterij dignitatem diu gessisset, tandem anno ætatis suæ octuagesimo ecclesiæ Constantinopolitanæ præfectus est: ut narrant Socrates libro sexto, capite decimonono: Sozomenus libro octauo, capite uicesimotertio: Nicephorus libro decimotertio, capite uicesimooctauo. Minus autem ad eam functionem, propter senectam, idoneũ esse iudicarunt plerique. Nicephorus narrat, Simeonẽ quendam dixisse: Prò pudor, quis cui? Quasi quidam (ut ita dicam) uetus truncus, multa principum facilitate substitutus est? Virogesimum supergressus annum, tumulo magis appositus quàm throno, delirus quidem & desipiens, ad dicendum quidem ineptissimus, ad cogitandum aũt de rebus dicendis stupidissimus, ad faciendum uerò ignauissimus, parum admodum ab inanima tis disidens, lecto & angulo dignus. Antoninus quoque ipsius mentionem faciens, hoc illum elogio ornat, quòd fuerit homo quem pisces facundia, ranæ agilitate superarent: titulo decimo, cap. nono, Vnde haud dubiè factum, quod (ut ibidem recitatur) fratri Nectario iuramento promittere coactus fuit, nolle se ullam admittere electionẽ, qua ad Ecclesię gubernationem ipse uocaretur. animaduertit enim hominis ad res gerendas ineptitudinem. Socrates uidetur ea quæ ignauiæ fuerunt, mollius interpretari, & manſuetudinis titulo commendare. nam dicit, propter summam manſuetudinem pacatè ipsum gubernasse ecclesiam. Sed ex Sozomeno & Nicephoro liquet, episcopum fuisse illaudatum, parumque ecclesiæ gratum: tum hoc nomine, quòd ad res nullas esset utilis. quòd ipsius ignauia abutentes reliqui ministri, cum multa perperam & pro suo arbitrio facerent, pastori ea tribuebant. Huc illud quoque malum accesit, quòd populum, qui pastoris ejecti Chrysostomi desiderio secessionem fecerat, ui ad communionem adigere tentabat, propositis edictis Imperatorijs, turbatisque ipsorum conuenticulis per aulicos satellites. Quòd ipsum prorsus exosum apud omnes reddidit, ita ut etiam Occidentales episcopi, ne quidem sola compellatione ipsum dignati fuerint: ut trigesimoquarto capite, libro quinto Theodoretus: & uicesimosecundo capite Nicephorus ait. Non fuit autem diuturnum ipsius curriculum. nam post alterum ab exacto anno mensem, quo episcopus creatus fuerat (ut Nicephorus & Antoninus annotatum reliquerunt) diem obijt. ac post mortem eum Innocẽtius Romanus cum omnibus suis sectatoribus excõmunicauit, & nomen eius episcoporum Catalogo inscribi uetuit. Nicephorus libro decimo tertio, capite trigesimoquarto.

ATTICVS.

Atticum Sebastiæ Armeniorum ortum, communi consensu meminerũt Socrates & Sozomenus: ille quidem libro sexto, capite uicesimo: hic uerò libro octauo, capite uicesimoseptimo. Ac primis adolescentiæ annis ibidem in philosophia monastica institutus est, præceptoribus monachis, è schola Eustathij Macedonianæ hæreseos. Sed cum ad maturiorem ætatem uenisset, sese ijs qui uniuersalis ecclesiæ nomine censebantur adiunxit. Arsatio autem suo munere defuncto, quum ambitionibus in Constantinopolitana ecclesia certaretur, huic Attico, uni ex presbyteris cleri istius, demum eius gubernatio commissa est post contentiones plurimas: idque factum narrat Socrates, Arcadio VI. cum Probo Consulibus: qui, iuxta Prosperum, consulatum gessere anno quadringentesimo octauo: siue sexto, iuxta Marianum: triennio ante Imperatoris Arcadij obitum, sicut expressè ostendit idem Socrates libri sequentis, septimi scilicet, capite secundo: Cum, inquiens, Imperator Theodosius minor, octo esset annos natus, triennium iam Atticus in episcopatu Constantinopolitano celebris agebat.

Ingenio eleganti fuisse uolunt, & mirè felici in rerum uocabulis inueniendis, aptèque ac dextrè accommodandis. Eius rei exemplum unum atque alterum profertur. Fuit nauale siue statio quædam ad angustias Euxini Ponti, antiqua appellatione φαρμακία dicta. Eam mutato nomine βραχεῖαν appellauit, ne quid infamis illa & mali ominis denominatio obesset conuentibus, quos eo loci agere consueuerat. Rursum uni ex suburbijs Constantinopolitanis nomen indidit Argyropolis, ob non mediocrem loci eius amœnitatem: & quòd ex regione situm esset Chrysopoli peruetustæ nauium stationi, ualde celebri, quòd ibi de mercibus præteruehendis reddendum erat telonium: ut uicesimoquinto capite septimi libri Socrates commemorat.

Eloquentia ipsum ualuisse, Cyrilli testi-

monio clarum est, qui in epistola ad Atticum ita dicit: Sed noui pietatem tuam præclaram in eloquentia esse, &c. ea extat libro decimoquarto, capite uicesimoseptimo apud Nicephorum. Cæterùm commendant eum autores à prudentia in cauendis & struendis insidijs.

Docendi donum & habuisse & exercuisse, etiam priusquam ad gubernacula ecclesiæ capessenda electus fuisset, Socrates est author: qui elaboratis ipsum sermonibus docuisse ait, dũ adhuc fuisset presbyter. postea uerò ex industria parrhesian eum eiusmodi nactum, ut etiam extemporè populariter docere potuerit. Sermones autem siue conciones ipsius medij fuisse generis, qui quidem non prorsum eruditione & elegantia caruerint: non tamen tales qui digni habiti fuerint, ut ab auditoribus excepti essent: post Socratem & Sozomenum etiam Nicephorus refert, libro tredecimo, capite uicesimonono. Multum etiam studij ac diligentiæ posuit lectitandis ueterum libris, præsertim Græcorum oratorum: quibus, cum solidiore quidem eruditione per se non excelleret, tamen alieno supellectile ita se instruxit, ut neque per sophistas, neque per philosophos (ut Socrates habet) circumueniri potuerit: cum ipse contrà uiris eruditis plurimis, si quando cum ipso congressi essent, imposuerit, pro doctissimo se uenditando: ut post Sozomenum etiam Nicephorus commemorat ibidem. Vnde Socrates eundem mediocriter, libro sexto, capite uigesimo: & admodum doctum, libro septimo, capite secundo scribit fuisse.

Gubernationem suam ita instituit, authoribus Socrate & Nicephoro, ut res ecclesiæ inde multũ incremẽti ceperint. Fuit enim assiduus in docendo populo, & ad pietatis studium cohortando: neque suæ tantum ecclesię curam diligẽter gessit, sed & aliarum: utque illæ quoque pijs doctoribus non destituerentur fecit, qua in re non defugit molestias faciendorum itinerum. Sic Niceam ad ordinationem profectus est. Ac dignum sanè narratione est, quod ibi cum quodam habuit Nouatianorum episcopo colloquiũ, Asclepiade nomine: quem conspicatus annis grauem, cum interrogasset, Quot in episcopatu annos exegisset? illeque respondisset, quinquaginta: tum ipse, Multum felix es, ô homo, qui tanto tempore opus bonum administraris. Sed inter cætera eius sermonis, denique & hoc subiunxit: Ego Nouatum laudo quidem: Nouatianos uerò qui ipsum sequi uideri uolunt, minimè probo. Dictum hoc ut nouum, & ceu paradoxum quoddam, cum parum quid sibi uellet caperet, inquit Asclepiades: Quomodo hoc dicis episcope? Ibi Atticus: Propterea illum laudo, quòd eos qui idolis sacrificauerant, ad communionem non admisit: id etenim & ego feciſſem. Nouatianos uerò auersor, quòd exiguarum quarundam rerum gratiã, & ob lapsus admodum leues, laicos à communione excludunt.

Superstitionum occasiones, quantum fieri potuit, præcidere studuit. Nam cum ad Sabbatij sepulchrum Constantinopoli, eius factiones homines preces facerẽt, ac quosdam cultus demortuo, ueluti qui uir sanctus fuisset, præstarent, noctu missis certis hominibus, cadauer inde erutum, in alium locum transferri curauit. Vnde factum, ut sectatores ipsius deinceps eam superstitionẽ ceremonias que ad sepulchrum, cum uiolatum illud cernerent, posthaberent. Recitat Nicephorus libro decimoquarto, capite uicesimoquarto: & ante illum Socrates libro septimo, capite uicesimoquinto. Illud etiam ex eodem authore Socrate, capite uicesimooctauo addendum est: Tantam ipsius fuisse autoritatem, ut peculiari sanctione sit statutum, ne sine Constantinopolitani primatis sententia ullius pastoris fieret electio. eamque legem de sola persona Attici latam, perspicuè memorat. Ex epistola ad Cyrillum hoc manifestè apparet, tum in suæ ecclesiæ gubernatione, eum sedulò cauisse, ne commoda rerum administratio in ecclesia & religione à multitudinis iudicio pendẽret, illiusque ad arbitrium moderanda esset.

Diligentem etiam dispensatorem fuisse mysteriorum Dei, nec margaritas porcis & canibus proiecisse, inde existimari potest, quòd Iudæum quendam paralyticum baptizari cupientem, non prius admisit, quàm doctrinam sincerã Domini nostri IESV Christi didicisset, & confessus esset. Socrates libro septimo, capite quarto.

¶ Gennadius narrat, ipsum ualde egregium librum scripsisse ad reginas, Arcadij Imperatoris filias, de fide & uirginitate, in quo perfersum Nestorianum dogma impugnet: quod sanè mirum, cum Nestorius posterior ipso, nondum in arenam prodijsset, neque illud pestilentissimũ cõtentionis & innumerabilium turbarum pomum in medium proiecisset, suũ scilicet blasphemũ dogma, nisi fortè iã antè, priusquã palàm prodiret, paulatim & occultè quædã erroris sui semina disseminauit, quod tũ authores non meminerũt: imò contrarium quodámodo. nimirũ in itinere, cũ uocatus Constantinopolim ad susciplenda istius ecclesiæ gubernacula pergeret, tũ primũ istius blasphemi sui dogmatis habuisse uenenũ à Theodoro

Mopsuestieno

Mopsuestiensi pastore. Potest tamen fieri, ut in spiritu multo antè prçuiderit (sicut talia multa profectò pijs doctoribus reuelat Deus) quid'nam paulo pòst in Ecclesia illa sua euenturum esset malorum: & ita quasi de re præuisa suos præmonere uoluerit. sicut Bergomensis innuere uidetur, dum eadem repetens inquit: ipsum præueniendo Nestorianum dogma impugnasse. Trithemius, qui & ipse huius scripti meminit, partitur illud in duos libros, & extare dicit: additque, quod etiam quasdam epistolas scripserit, & quædam alia. Recitant etiam uterque, Socrates & Nicephorus, epistolam sub nomine Attici ad Callopium presbyterum Nicenum, de pecunia in egenos distribuēda, quam ipsi miserat. Nicephorus in capite uicesimosexto decimiquarti libri, ponit aliam quoque epistolam satis prolixam Attici huius, ad antistitem Alexandrinum Cyrillum, de Chrysostomi defuncti nomine, in episcoporum matriculam (ut dicunt) seu catalogum inserendo. Extat ibidem etiam alia, sed breuiuscula, ad Petrum & Aedesium Cyrilli in Ecclesiastico munere diaconos, de eodem negocio. Extat in primo Conciliorum tomo, in fine Africani concilij, breue epistolium eiusdem Attici, ad Cōcilium illud: in quo nunciat, mittere se integrè canones Nicenos, sicut patres ab ipso per legatum petierant. In fine Chalcedonensis synodi, in sermone quem habent patres ad Imperatorem Marcianum, fit mētio cuiusdam Attici epistolæ ad Eupsychiū, ex qua sententiam allegant.

In doctrina qualis fuerit, quid'ue de singulis articulis senserit, cum scriptis ipsius careamus, dicere nihil possumus. In Apologetico suo allegat Cyrillus Alexandrinus huius Attici testimonium, pro dogmate quod defendendum sumpserat, de Christi uidelicet incarnatione, & miranda diuersarum naturarum in una persona copulatione. est autem huiusmodi: Hodie Dominus Christus humanitatis natiuitatem suscepit. iuxta enim diuinam dignitatem prius extitit. Deinde illis iterum annectit: Humanitatis uerbum exinanitur, natura non exinanibile existens: seipsum enim exinaniuit, forma serui assumpta, qui absque carne propter te incarnatur. Verbum enim caro factum est: qui tactui non subiacet, propter incorpoream naturam palpatur: qui principio caret, sub principio corporali fit: qui perfectus est, crescit: qui inconuertibilis, proficit: qui diues, in diuersorio fit: qui operit cœlum nubibus, pannis inuoluitur: qui rex, in præsepio ponitur. At quod post unitionem subsistentias diuidere, deficto non careat, & sit planè subuertere uenerandum incarnationis sacramentum, nihilominus cognoscemus legentes sententias Iulij & Felicis, qui olim Romanæ ecclesiæ doctores fuere. Vsurpant idem testimonium patres Ephesinæ synodi primæ, qui cum Cyrillo contra Nestorium coniuncti, eius dogma uentilabant: ut in actis eius synodi sub finem ferè primæ actionis Chalcedonensis concilij refertur. Atque illi ipsi patres mox etiam aliud eiusdem Attici subiungunt, quod est huiusmodi: Si quem discernit incarnatio unigeniti, & partus uirginis, & passionum communio, & crux, & passio atque mors: discens cognoscat, prouisoria hæc uniuersalis salutis, sed non indigna diuinæ clementiæ. Si enim turpe est Deo, habitare in uirgine: turpius est omnino, creare. Si autem creans non sustinuit contumeliam, neque habitare in creatura, dignum uerecundia iudicauit. Et si pati malum est: quale est à passionibus liberare? Ideo & mortuus est, ut immortali morte mortem mortificaret: & resurrexit, nostram disponens resurrectionem. Et omnia hæc suscepit, non natura diuinitatis, sed susceptione carnis: illa quidem, in inuiolabilitate propriæ impassibilitatis permanens: has uerò omnes passiones sustinens, quatenus optimæ conuersationis fieret legislator & princeps. Aliud item, sed breue, in allocutione Imperatoris Marciani, in fine concilij Chalcedonensis: Quid igitur oportebat operari sapientissimum, mediationem assumptæ carnis, & unionem Dei uerbi ad hominem, qui ex Maria est? Nam utraque sunt facta ita, ut ex utroque unitum, Christum quidem fateamur in propria impassibilis naturæ dignitate persistere, mortem gustare simul, ut & socia sibi naturæ carnis ostenderet per mortem, mortis ipsius contemptum: pariterque etiam, ut noui Testamenti per obitum iura firmentur.

Ex epistola illa ad Cyrillum, unum hoc animaduerti potest, de traditionibus & canonibus Patrum mediocriter ipsum sensisse: quòd non ita exactè ipsorum obseruationi sit insistendum, sed interdū probabili aliqua ratione licere uti aliqua mitigatione. Sic autem scribit: Et cogitationibus nostris ad populi concordiam inclinati, canonibus quidem Patrum detrimentum nullū afferimus: exactæ autem uerborum obseruationi, uniuersi orbis pacem præferimus. Non ignorò equidem & Paulum, cum Ecclesiasticas ederet constitutiones, sapienter occasionibus prouida dispensatione usum esse.

Certaminibus multis implicatus fuit: & ipse etiam non paucorum author, fons & origo extitisse uideri potest. Primùm enim

Antoninus titulo decimo, capite nono, ex Palladio, non ueretur ipsum totius contra Chrysostomum machinationis architectum diserte nominare. Sozomenus & ipse, eundem unum ex inimicis Ioannis fuisse meminit, iam tum cum presbyter ad pastoris munus uocaretur. Eo autem quòd in locum Ioannis sese substitui, cum is in exilium ejectus esset, passus fuerat, multum turbarum excitauit. nam non modò suæ ecclesiæ homines offendit, sed etiam totius Europæ episcopos abalienauit: qui eum non prius in communionem receperunt, quàm Chrysostomi nomen in Catalogum reliquorum defunctorum episcoporum adscripsissent, & in publicis precibus mentionem eiusdem facere cœpisset: ut Theodoretus tricesimoquarto capite libri quinti commemorat.

Capite tricesimoquarto, libri tredecimi apud Nicephorum recitatur, quòd etiam ab Innocentio Romano episcopo sit accusatus, sed demum rem compositam. Ac comparent eius transactionis quædam obscurioris uestigia in epistolis Innocentij ad Maximianum episcopum, & ad Alexandrum Antiochenum, in quibus Attici expresse quidē fit mentio, sed ita, ut qui uideatur à communione fuisse suspensus per Innocentiū: quā ipsi restituere tamen etiam, ad intercessionem siue Maximiani, siue aliorum, uidetur renuere, nisi causis ob quas acciderat expiatis, & pacis conditionibus propositis impletis. Extant eæ epistolæ in primo Conciliorum tomo, in decretis Innocentij ordine decimasexta & decimaseptima. Quare tandē fortè læsus contentionibus ac priuatis calūnijs Atticus, considerans etiam damna suæ & aliarum ecclesiarum maxima ex tam diuturno dissidio: quod demum facere haud dubiè coactus fuisset, id ultrò fecit, Iohannisque memoriam publicis precibus admiscuit, ne si ui ad id præstandum aliquando adigeretur, malo exemplo id fieret. Hoc pacto omnem illam inuidiam, in quā ob Chrysostomum incurrerat, aboleuit, suam ecclesiam in mediocrem tranquillitatem restituit: ut uicesimoquinto cap. decimiquarti libri narrat Nicephorus. meminit & Socrates in suprà citatis locis. Non autem contentus suam pacasse ecclesiam, tentauit conciliationem & aliarum (nam illud ob Chrysostomi eiectionem dissidium passim ecclesias distraxerat) & in primis Alexandrinæ. Quare prolixè scripta ad eius Ecclesiæ primarium Cyrillum epistola, factum suum ipsi ostendit, eiusq; rationes explicat: eumq; seriò hortatur, ut ipse etiam communis pacis tranquillitatisque rationem habens, idem faciat, & Chrysostomum inter episcopos annumerare non grauetur, eiusque in precibus mentionem publicè faciat: ut ex eodem Nicephori loco planum est. Quòd tumultus in Sinnadensium Phrygiæ Pacatianæ, qui ob dissidentes pastores exorituri uidebantur, cum alter alterius ecclesiam occupasset altero absente, repressit, altero cui iniuria facta uidebatur per literas delinito, eoque adducto ut deinceps uitam priuatā amplexus, priuatis iniurijs publicam utilitatē ecclesiæ anteponeret, in ipsorum uitis est extositum, ex Socrate libro septimo, capite tertio: Nicephoro libro decimoquarto, capite undecimo. Cum hæreticis etiam ipsi negocium fuisse apparet. nam Prosper in tractu de argumentis contra Pelagium, non longè ab initio, nominatim narrat de hoc Attico, quòd Pelagianos confutarit, hisce uersibus:

Quid loquar & curam, magna quam gessit in urbe
Constantinopoli, docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide? de qua tunc impia corda,
Quamuis se obducto tegerent uelamine forma
Iudicij, & tacitæ tulerint tormenta repulsæ.

Et si quæ fides Gennadio, impugnauit etiam scripto Nestorianum dogma: de quo quid sentiamus, suprà exposuimus. Et conueniūt in hoc scriptores, Socrates, Sozomenus & Nicephorus, quòd erga suæ fidei consortes, qui unius eiusdemque cum ipso sententiæ sectatores essent, fuerit placidissimus, eosdemq; sibi conciliare studuerit. Erga eos uerò qui diuersum ab ipso sentirent, seu (ut explicatè habet Socrates) erga hæreticos, exhibuerit se austerum & formidabilem, ita ut illis terrori esset: idq; ea prudentia, ut rursum & mansuetum se ac comem ipsis præberet, si res postularet. Nam satis sibi habuit, formidine ac incusso terrore ipsos reprimere, nec præterea ulla alia molestia eos afficere studuit. Inter hæreticos autem præcæteris fauere uisus est Nouatianis: cuius rei non uanum indicium narrat Socrates libro septimo, capite uicesimoquinto. Cum nonnulli suæ Ecclesiæ homines ipsum hortaretur, ne pateretur intra mœnia ciuitatū suos agere conuentus Nouatianos, respondit: Ignorare mihi uidemini, quæ unà uobiscum hi perpessi fuerint, cum sub Constantio & Valente persecutionem pateremur. Adde quòd etiam ab ecclesia secesserint, tamen in fide nihil innouarint: imò sunt ueraces nostræ fidei testes.

Morum illecebris ac blandimentis talem fuisse, Socrates ex Sozomeno prædicat, qui se omnibus potuerit facilimè ac comiter accomodare. Ac plurimùm, & meritò quidem, commendatur insignis ipsius pietas & munificentia erga afflictos & egenos. nam nō tantum Christianos, qui ob grauissimas per-

persecutiones è Persia supplices ad ipsum ueniebant, percupidè ac benignè accepit & cõsolatus est, ac fouit rebus necessarijs: sed etiam Imperatori Theodosio iuniori hortator assiduus fuit, ut uniuersas ecclesias Persiæ in tutelam suam receptas defenderet: regisq; tyrannidem si minus intercessione flectere posset, saltem ui & armata manu reprimeret: ut Socrates libro septimo, capite decimooctauo: & Nicephorus libro decimoquarto, capite uicesimoprimo referunt. Celebratur & hæc ipsius benignitas, quòd Calliopio Niceno presbytero trecentos aureos miserit, quos egenis distribueret: ueluti eius rei extat epistola, ut suprà indicauimus. Vbi hoc notatu dignissimum, quòd rationem quodammodo ostendit dandarum eleemosynarum, cum iubet illis tantum largiri quos publicè stipem petere pudeat: & uetat illis erogare, qui ex mendicatione quęstum quasi faciãt, neq; uelint (cum possint) honesto aliquo manuũ labore uictum quærere, iuxta Dei institutum. Vitæ suæ finem ipsum præuidisse memorant. Niceę enim discessurus, ad Calliopium presbyterũ dixit: Si se uiuum rursum uidere cuperet, ante autumnũ se Cõstantinopolim conferret. nam si tardius accederet, futurũ ut ipsum superstitem amplius non offenderet. Et mortuũ tradit Socrates, posteaquam uigintiunũ annos ecclesiam rexisset, die undecimo Octobris, consulatu Theodosij x i. & Valentiniani i. qui incidit in Christi annũ quadringentesimum uicesimumoctauum.

SISINNIVS.

Attico successit Sisinnius. Electus est à populo post longam cõtentionem, ob insignẽ in pauperes liberalitatem: cum prius presbyter in suburbio eregionè Cõstantinopoli, Oleæ, seu Eleæ nomine, fuisset (ut narrat Socrates libro septimo, capite uicesimosexto) uicesimooctauo Februarij, consulatu Theodosij x ii. & Valẽtiniani iunioris Augusti ii. Ab ista autem sua pietate & singulari amore quo miseros complectebatur, nihil remisit, etiã iam ecclesiæ gubernatione impeditus: quare etiã tum suis unicè fuit charus. Cõmendatur etiam uitæ ipsius temperantia, & integritas, ac morum cãdor, quòd fuerit homo sine fuco, omnibus apertus & exposit⁹: & qui à negociorum multitudine abhorruerit. Quo nomine nõ defuerunt qui ipsum ignauiæ arguerent: homines nimirum, quib. uolupe est quadam curiositate omnib. sese sine fronte negocijs immiscere. Quorũ cum ipse polypragmosynẽ molestius ferret, acerbius illos interdũ accipere solebat: ut idẽ author narrat capite uicesimooctauo eiusdem libri. Additurq; ibidem, quòd priusquam integrum in rerum Ecclesiæ administratione biennium exegisset, uita excesserit, Consulatu Hierij & Ardaburij, uicesimoquarto Decembris: quorum magistratum Prosper refert, ad annum Christi quadringentesimum tricesimũ, Imperij Theodosij posterioris annum quartum, incidisse. Meminit & Nicephorus Sisinnij, eiusq; gubernationis, libro 14. capitibus 29. & 30.

MAXIMIANVS.

Cum Nestorius ob hæresin ab episcopatu Constantinopolitano esset remotus, post quartum demum mensem ei Maximianus successit: ut Socrates indicat lib. 7. cap. 35 & 57. Octobris die 25. Basso & Antiocho Coss. qui fasces gesserunt anno Domini 40. & 54. ut Prosper annotauit: à quo annis duobus inferior est Marianus. qui tamẽ utrique, his ipsis Coss. Nestorium depositum memorãt. Monachus olim fuerat, sed in presbyterorũ numerum adscriptus est: eam ob rem solam pietatis laudem adeptus, quòd proprijs sumptibus monumenta extruxerat, in quibus piè defunctorum conderentur corpora. Homo aliàs idiota, & doctrinę haud ita magnæ. ac proinde suę infantiæ gnarus, iam olim uitam quietiorem, & à rebus agendis alienorem elegerat. Quamobrẽ eccclesia ab externis rerum motibus tranquilla, multa pace & quiete sub ipso fruebatur: ut post cæteros etiam Euagrius affirmat libro primo, capite octauo. Liberatus in suo Breuiario, in secundo Conciliorum tomo, septimo capite, ad cætera ipsius pietatis hoc etiam subijcit, quòd fuerit fide constans. Ex octauo capite eiusdem Breuiarij apparet, hunc Maximianum ab Antiocheno metropolitano Iohanne, & nonnullis alijs ipsi coniunctis, non habitum episcopi aut legitimi pastoris loco, quamdiu dissidium illud quod in Ephesina synodo ob Nestorianam depositionem inter Antiochenum illum & Alexandrinum pręsules obortũ fuerat, durauit. Disertè enim in memorato loco scribitur, tũ demũ Maximianum hunc susceptum ab Antiocheno & suis, cum isti sibi sunt reconciliati. Post biennij autem & mensium quinque curriculum, uitam cum morte cõmutauit, die quinta hebdomadis ante Pascha: hoc est, Aprilis duodecima, Areobundo & Aspare consulatum gerentibus: anno, iuxta Prosperi Chronicon, quadringentesimo tricesimoseptimo: ut Socrates eodem libro, capite uerò quadragesimo recitat. Recitat & Nicephorus eadem de hoc Maximiano, libro decimoquarto, cap. 37.

PROCLVS.

Proclum ab ineunte ætate pręceptoribus usum Rhetoricæ, & dicendi artibus operam dedisse, narrat Socrates li. 7. capite quadragesimoprimo, Post exactã aũt adolescentiã in lecto-

in lectorum ordinem cooptatum Chrysosto mi sectatorem, ministrum, in scribēdis libris adiutorem, & corporis curatorem fuisse, Nicephorus est autor libro decimoquarto, capite tricesimooctauo. Qui & hoc subiungit, (ut solet huiusmodi fabulis suam condire historiam) quòd aliquando per rimam prospectās, uiderit Paulum Chrysostomo in aurēm dictantem, & suarum epistolarum sensum reuelantem. Chrysostomi discipulum eum nominat etiam Zonaras in Theodosio iuniore, tomo tertio. Aetate autem progressus, Attico iunctus est, cuius orationum scriba, & librorum amanuensis fuit: à quo etiam temporis successu diaconi ministerium ac gradum est sortitus, non ita multo pòst etiam presbyterij. Quorum in ordine cùm esset, designatus est à Sisinnio ecclesiæ Cyzicenæ pastor. Sed Cyziceni eum non receperūt: ut eodem libro Socrates uicesimooctauo capite refert. Quare in loco commorari coactus Proclus, nulli quidem ecclesiæ prefuit, nisi quòd docendo Constantinopoli clarus factus est, ut loco eodem narratur. Nestorio autem electo, Constantinopolitanus iam tum factus fuisset antistes, nisi ob priorem designationem qua Cyzicenus lectus fuerat episcopus, canon quidam Ecclesiasticus perperam intellectus obstitisset: sicut ex tricesimoquinto & sexto capite eiusdem clarum est, & Nicephori tricesimoseptimo libri decimiquarti. Maximiano autem iam mortuo, necdum sepulto, sine ullā deliberatione ulteriori ac mora coactis aliquot episcopis inauguratus, & in ecclesiæ Constantinopolitanę uacuam possessionem inductus est iussu Imperatoris Theodosij, ne rursum ob electionem cōtentionibus & turbis res ecclesiæ miscerentur. Accesserat interea etiam Canonis istius, qui priori ipsius electioni contrarius fuerat, mitigata interpretatio, per Celestinum Romanum pontificem, scriptis literis missa ad uicinos episcopos Antiochenum, Alexandrinum & Thessalonicensem. Solenni autem inaugurationis ritu absoluto, tum demum ipse Maximiani funus & exequias curauit, ut Nicephorus tradit. Fuit autem uir natura & moribus placidissimis, adeò ut quæcunque in Attico & Chrysostomo essent eximia, ipse maximè exprimeret: tum quòd Atticum & clementia ac malorum tolerātia superauit. Socrates & Nicephorus referunt, eum se omnibus exæquo placidum & lenem præbuisse: & nō admodum curasse, si quis non perinde ut ipse de Deo sensisset. Sed hac ignauiæ nota eum immeritò aspergi, postea dicemus.

In uolumine cui titulus Hæreseologia, extat epistola nomine Procli, quæ scripta est Coss. Theodosio Augusto v. & Valentiniano IIII. ad omniū ordinum Ecclesiasticos per Armeniam, episcopos, presbyteros, archimandritas, &c. de uerbi Dei incarnatione, & de duabus ijsdemque diuersis in Christi una eademq; persona mirabiliter & prętерquam humanæ mentis acies assequi potest, sine ramen confusione alterutrius, unitis naturis, cuius epistolę etiam non modò mentio, sed & occasio scribendæ commemoratur in decimo capite Breuiarij Liberati Carthaginensis archidiaconi, quòd in secundo Concilio rum tomo post tertium Aurelianense concilium insertum est: quòd nimirum Armenij episcopi habito conuentu, suos ablegarunt ad Proclum legatos, qui ipsius iudicium exquirerent, utrorum nam doctrina esset sana magis ac catholica, Acacij ne Melitinensis & Rabulæ Edessēni episcoporum, an uerò Theodori Mopsuestēni. Hac igitur epistola, quæ in Tomis ibi nominatur, Armenijs respondisse dicitur: eamque siue epistolam, siue tomum, approbatum subscriptionibus ab Antiocheno antistite Iohanne, ac toto ipsius ministerio, imò postmodùm ab uniuersa Chalcedonensi synodo. In expositione Niceni symboli, quæ Cyrillo Alexandrino tribuitur, & actis concilij Ephesini in primo Conciliorum tomo adiecta est, Proclus scripsisse memoratur Orientalibus episcopis. uerùm his uerbis, ista ne epistola ad Armenios missa designetur, an uerò aliud scriptum, dubium est: quòd dictum ibidem recitatum, non ita uerbo ad uerbum in illis ad Armenios literis reperiatur, licet sententia non discrepet. Ac fieri potest, ut Cyrillus totius scripti breuem summam reddere uoluerit potius, quàm singula uerba enumerare. Est autem ista periodus. Et incarnatus quidem est, absque conuersione, qui speciei expers: nascitur autem secundum carnem, qui principio caret: proficit uerò secundum corpus ætate, qui natura perfectissimus est: & passiones sustinet, qui passionibus superior, nō quo erat sustinuit contumelias, sed quo factus est, susceptis corporis passionibus.

Extat etiam epistola Procli nomine ad Domnum Antiochenum, apud quem intercedit pro Parentorum episcopo Athanasio, à suo clero electo: rogatque Domnum ac hortatur, ut operam det, ut Athanasius restituatur, punitis authoribus istius uiolētiæ: in decimaquarta actione Chalcedonensis concilij, in primo tomo Conciliorum.

Fit ibidem mentio etiam peculiaris epistolæ, quam ad eundem Iohannem Antiochenum dederit. Cuius etiam una periodus excerpta, atq; ibidem enarrata, argumento esse potest, quid ipse senserit de dogmate, ob quod tum uniuersæ ecclesiæ, in toto propemodum orbe grauiter concutiebantur, de Chri-

de Christi uidelicet in una eademque perso
na gemina natura. Sunt autem hæc uerba:
Dicentes autem iterũ passibilem Deũ, id est
Christum, confitemur eum, quia est secundũ
quod factum est, id est propria carne crucifi-
xũ: & ita prędicantes, nullo modo fallimur,
quoniã quidem & unum ex Trinitate secun
dum carnem crucifixũ fatemur, & diuinitatẽ
passibilem minimè blasphemantes.

Quin in illa ad Armenios epistola seu to-
mo egregiè illustrat, ut quisquam alius eius
temporis, locũ de uerbi incarnatione, & hu-
manæ rationi incomprehensibili unione di
uersarum in una persona naturarum: Deus,
inquit, uerbum factus, est homo perfectus,
non imminuta natura Deitatis. Item: Non i-
gitur alterum Christum, & alter Deus uerbũ
quod abest: duos enim filios natura diuina
non nouit, unus unigenitum genuit. Et ut
Nestorianorum subuerteret uersutias, sępiꝰ
repetit, unum ex Trinitate fuisse incarnatũ.
Sed & consilium istius mirandæ copulatio-
nis, & causas egregiè ostendit in hoc dicto:
Sed confitentes Deũ uerbum unum ex Tri-
nitate incarnatum, tribuimus intelligendi
materiam ijs qui fideliter sciscitãtur, cur in-
carnari dignatus est. Quia enim decreuerat
Deus uerbum destruere passiones, quarum
mors terminus habebatur, suscipere uerò
passionem inuiolabilis natura non poterat:
quia omnis passio rebus compositis proba-
tur inferre luctamen: in spirituali autem &
singulari substãtia compositio nulla est: nec
illuc passio pertingebat, ubi compositio nõ
erat: uolens, ut prędixi, destruere passiones,
quæ rationale corpus oppresserant: quan-
tum interitus erat suprema munitio, ut nõ
uitDNS uerbum, incarnatur ex uirgine, &
habitu inuenitur ut homo: quoniam sic exi-
nanire se uoluit, formam quodammodo ser
ui suscipiens, nullã tamẽ circũscriptionẽ suę
Deitatis admittens: per quã etiã salutẽ omni
humano generi cõtulit, carne sua passiones
exterminãs, Deitatẽ ꝓpriã impassibilẽ ser
uans. Ex his constat, eũ hęreticorũ opinio-
nib. contradixisse, & nõ mutũ canem fuisse.
Hoc tamẽ non negauerimus, magna ipsum
mãsuetudine in cõfutãdis aduersarijs usum,
sine ulla animi acerbitate: & singulari studio
hoc quęsiuisse, ut res ipsas ac cõtrouersa do-
gmata potius quàm personas exagitaret.

Populum eum etiam docuisse uerbi prædi
catione, hoc est iudicio, quod Socrates cap.
43. refert, quemadmodum conuocato eccle
się cœtu ad agẽdas gratias pro uictoria Theo
dosij aduersum Ioanẽ, & quos sibi habebat
adiũctos barbaros, locũ Ezechielis de Gog
& Mesech & Thubal interpretatus sit, inge-
niosa accommodatione ad pręsentem istius
temporis statũ: Et tu fili hominis uaticina-
re contra Gog, & principem Ros, Mesech &
Thobel. Meminit & Nicephorus: ecclesiam
suam, quę ob Chrysostomũ horribiliter fue-
rat scissa, & ab Attico (quòd nomen ipsius
in episcoporũ catologum retulerat) medio-
criter coaluerat, his prorsus pacauit, reconci
liauitque, sublato penitus disidio, eo quòd
autor extitit transferendi corporis pientissi
mi doctoris Chrysostomi Cõstãtinopolim,
ut 45. cap. refertur apud eundem: & quidem
post 35 ab eo annum, quo exauthoratus mor
tuusq; fuerat. Nicephorus, qui 43. cap. eius
etiam meminit, narrat factum id 5 anno epi
scopatus Procli. Id quod cum Socrate cõue-
nire uidetur, qui 6. & 10. cõsulatu Imperato
ris Theodosij hoc gestũ recitat. Fuit etiã au
thor ecclesię suę, psallendi hymni Trisagij,
SANCTVS Deus, sanctus fortis, sanctus im-
mortalis, miserere nobis: idq; fecit ex sugge
stiõe pueri miraculosè rapti in aera, sed inde
rursum demissi, periculo grauissimo terræ-
motus, q tamẽ statim ad modulationẽ istius
cantici conquieuit. narrat Paulus Diaconus
lib. 14. in Theodosio iuniore, cuius imperij
30 anno accidisse scribit. meminit & Nice-
phor. cap. 46. iam antè sæpius nominato lib.
Zonaras narrat, puerũ illũ è sublimi rursum
demissum, monuisse ex pręcepto, ne in hym
no illo ter sancto adderetur clausula, Qui cru
cifixus est pro nobis. Huc & illud adijcere
libet, quod 48. cap. Socrates, ut quiddã prę-
ter consuetudinẽ Ecclesiasticã & priscorũ e-
piscoporũ morẽ factum cõmemorat: q, Tha-
lassiũ quendã, principẽ pfecturæ Illyrij, desi-
gnarit episcopũ Cęsarien sib. Cappadocię, in
iecta inopinãti, nec quicq; tale suspicãti, ma-
nu, cũ aliquãdo cum alijs Senatorib. uisendi
gratia ad ipsum accessisset: & qdẽ tũ, cũ iam
iam profectionem in prouinciã ab Imperá-
tore sibi commissam adornaret. Id quod fa-
ctum meminit, XVII consulatu Theodosij.
recitat & Nicephorus cap. 42. lib. 14.

Basianum Ephesiorũ episcopum in com
munionem recepisse, eiusq; ordinationem
confirmasse, memoratur in undecima actio-
ne Chalcedonensis synodi.

Ordinasse aliquos episcopos, dicitur in a-
ctis eiusdem Concilij: Basilium Ephesinum,
ibidem: Petrum Gangrensem, item Eusebiũ
Ancyranum, in 16. actione.

Cum Cyrillo Alexandrino & Domno An-
tiocheno, & alijs familiaritatem habuisse, e-
pistola testatur ad Domnum. Cyrillus in ex
positione Niceni symboli, eius sententiam
allegat. Et Chalcedonensis synodus in ora-
tione ad Imperatorem Marcianũ, eius testi-
monio utitur: unde existimari potest, non le
uem eius fuisse autoritatem.

Constantinopolitanę autem eccleśię eum
pfuisse, scribit Zonaras, duodecim annos: in

Theo-

Theodosio, tertio tomo. Nicephorus, undecim habet annos. Mortuus autem est fermè eodē tempore, quo Cyrillus Alexandrinus.

Procli dogmatica.

Deum sine initio, incircumscriptum, & omnipotentem, incommutabilē, & impassibilem esse, docet in epistola ad Armenios.

Doctrinā de incarnatione filij Dei, & causis eiusdem, præcipuè illustrat epistola eadē.

Deum uerbo suo mundum condidisse, & creaturam quę non erat, produxisse ex nihilo, affirmat ibidem.

Angelos non habere potestatem componendi nouā dogmata, indicat ibidem.

Hominem à Deo rationalem conditum, & spontanea uoluntate in deteriora prolapsum, per inobedientiam ex paradiso eiectū esse, docet ibidem.

Propter fidem nos saluari, dicit ibidem.

FLAVIANVS.

Flauianus, ut author est Nicephorus 47. capite decimiquarti libri, presbyter fuit, & Ecclesiæ magnę Constantinopoli sacrorum denariorum custos. Datus est autem Proclo in ecclesię gubernatione successor. Euagrius libro 1. cap. 8: Et Liberatus in Breuiario, cap. decimo. Vir (ut Hilarius diaconus Rom. in quadam ad Pulcheriam epistola eum nominat) sanctissimus, & catholicæ fidei custos uigilantissimus. Quo testimonio ipsum cō mēdat Quintus Phocēsis episcopus, in Chalcedonensi synodo, actione tertia. Sed & martyr gloriosissimus. nam hoc ipsum elogio ornant Orientales episcopi in Chalcedonensi synodo, actione prima. Trithemius, græco ipsum sermone scripsisse quædam non contemnenda opuscula, narrat: è quibus ista recenset· Actorū cum Eutyche librum. Contra eiusdem errores librum 1. Ad Leonem papam, de eodem epistolam 1. Epistolarum ad diuersos librum 1. & nonnulla quæ nesciat. Cæterùm extant quædam epistolæ, insertæ tum ipsius Leonis primi Rom. pontificis operibus seorsim impressis, tum etiam eiusdē decretis: & in præambulis Chalcedonensis concilij, primo Conciliorum tomo. Duæ ad eundem Leonem de Eutychetis blasphemis errorib. & eiusdē condemnatione: tertia ad Theodosium iuniorem, in qua peculiari cōfessionis formula fidei suæ rationem reddit.

Illustrauit autem inter alia doctrinę capita maximè illud, quod est de uerbi Dei incarnatione, & de duarum naturarum diuinæ & humanæ unione personali, & ueram sententiā contra Nestoriū & Eutychen est tutatus.

Certamina haud leuia sustinuit in sua functione. nam Eutycheti Constantinopoli de Christi humanitate contra scripturam errorem spargenti sese opposuit: & cum priuatis admonitionibus nihil profecisset, tandem adhibitis prouincialibus episcopis, ad quadraginta numero, presbyterij gradu eū dejecit, & à monasterij administratione & Ecclesiastica communione remouit. Exercuit eum etiam non parum cacodæmon ille aulicus. nam Imperatorē cū uxore infensum habuit, eo quòd Pulcheriæ, sorori Imperatoris, per literas significauerat, sibi ab Imperatore mandatum esse, ut eam in conspectum sibi prodeuntem, Ecclesiæ designet ministram: & hortatus fuerat, ne sibi obuiam ueniret.

Chrysaphium etiam Palatij præsidem sibi inimicissimum sensit. Is enim contra ipsum patrocinium Eutychetis suscepit: & apud Imperatorem effecit, ut Ephesi synodus celebraretur, & in ea Dioscoro præsidente, Eutyches in integrum restitueretur, & Flauianus deponeretur: Euagrius libro primo, cap. decimo. ac insuper interficeretur: ueluti ex narratione Dorylæi episcopi apud Euagrium secundo lib. cap. secundo clarum est, cum uix biennio suam rexisset ecclesiā: ut Zonaras in Theodosio refert. Idque factum apparet ex epistolis Leonis, eius temporis Romæ episcopi, Cos. Asterio & Protogene: quorū fascibus Marianus tribuit annum Christi quadringentesimum quinquagesimum.

Finxerunt autem eius aduersarij crimina, ut fucū facerent imperitis, eum iustè & damnatum & interfectum esse, ut quòd Eutychē malè damnarit: Euagrius lib. primo, capite decimo: & Liberatus duodecimo. Et quòd Imperatori, postulanti ut quiesceret contra Eutychen certare, non obtemperarit: ut patet ex Theodosij literis ad cōuentum Ephesinum, in prima actione Chalcedonensi. Et quòd Nestorij hæresin sua doctrina confirmarit, docendo duas in Christo post adunationē esse naturas, ut patet ex eadem actione Chalcedonensi. Et uianum, in tertia actione Chalcedonensi. Et quòd perniciosæ nouitatis fuerit autor: ut patet ex literis Theodosij ad Valentinianum. Sed optimi uiri innocentia & iniusta damnatio multis modis probari potest. Primùm enim, formula Confessionis eius, & literæ ad Leonem, satis euidenter ostendunt, utrum cum Nestorio collusserit, an uerò minus. Deinde literæ Leonis plurimæ ad eum ipsum, & ad alios, fidei & innocentiæ ipsius liquidum testimonium perhibent. Et in epistola ad Pulcheriam, expresè innocentis & catholici sacerdotis, qui ecclesiæ benè præfuerit, laude commendatur. Testantur idem & aliorum epistolæ Imperatorum Occidentis, Valentiniani, item Augg. Gallæ, Placidiæ & Eudoxiæ: quæ omnes ipsius causæ patrocinantes, ad Imperatorem Theodosium pro ipso intercedunt, & quidem seriò:

& acta

& acta Ephesinæ synodi reprehendentes, ad aliam instituendam eum impellere conãtur, in qua, quæ perperã & nefariè Ephesi essent acta corrigerentur, & Flauianus restitueretur. Omnium autem maximè tum de fidei ipsius sinceritate, tum etiam de uitę sanctimonia testatur Chalcedonensis synodus, in qua ipse iam post sua fata non tantum à labe & crimine hæreseos ac iustæ damnationis est absolutus, abrogatis ab Imperatoribus Marciano & Valentiniano omnibus quæ uel per Conciliabulum illud malignum, uel etiam per Imperatorem Theodosium fuerant statuta aduersus eum: sed & ipse autor ac princeps factionis Dioscorus unà cum omnibus qui suis suffragijs calculum ipsius probauerant, in easdem pœnas inciderunt: præsertim ij quibus aliquæ superiores partes, unà cum Dioscoro demandatæ fuerant, in illo Ephesino conuentu: quemadmodum quarto capite libri secundi breuiter commemorat Euagrius. prolixius autem referuntur in actis concilij Chalcedonensis, in primo Conciliorum tomo. Quin redijt demum ad sese etiam Imperator Theodosius, & à Chrysaphio sibi impositum agnouit: pœnitentiaq; ductus, sceleratum illum ad pœnas rapuit. Pulcheria quoq; Imperatoris soror, quę etiã ipsa iam reuocata à fratre pristinum statum recuperauerat, statim missis legatis, sacrum Flauiani corpus ex Epheso Constantinopolim transtulit: ac religiosa ac celebri pompa, intra adyta templi Apostolorum ibidem condidit: ut post Nicephorum, qui huius meminit quadragesimonono capite, etiam ex literis Pulcheriæ ad Romanum episcopum Leonem (quæ in præambulis Chalcedonensis synodi extant) est uidere. Atque hoc modo pietas, quæ ad tempus profligata erat, tandem suą digna sortita est præmia, etiam post mortem.

ANATOLIVS.

Flauiano ob defensionem Catholicæ ueritatis perempto, Anatolium ipsius loco ordinatum, Liberatus in Breuiario suo refert, duodecimo capite: quem nominat diaconum, quique Constantinopoli Dioscori fuerit apocrisiarius. Cum autem ab Eutychianæ factionis hominibus esset ordinatus, tantisper eum suspectum habuit Leo Romanus de hęresi, & ab eius communione abstinuit, quoad euidentissimo testimonio probaret, se ab Eutychiana & Nestoriana hæresi esse alienissimum. Quod ille in hunc modum præstitit: nimirum Cõstantinopoli coram legatis Leonis, & omni clero ac populo subscripsit epistolis Cyrilli contra Nestorium, & Leonis ad Flauianum contra Eutychen: & scripto sese obstrinxit, quòd non cũ illis sentiat: & quòd persequutores Flauiani, & hæresi Nestorij & Eutychis addictos, uelit à cõmunione segregare, eorumq; consortia priuatim uitare. Constant hæc ex epistolis Leonis 53.54.57.33.34.35.40.41. & ex epistola Pulcheriæ ad Leonem, quæ extat in præambulis Chalcedonensis synodi, primo tomo Conciliorum.

Hoc modo ab hęreticorũ consortio auulsus, aliquandiu sincerum & fidelem se præbuit, ut patet ex epistola Leonis 54. ad Marcianum Imperatorẽ, & ex Pulcherię ad Leonẽ, ubi inquit: Sanctissimus igitur gloriosæ Constantinopolis episcopus Anatolius, in eadem fide permansit, atq; religione: & tuarum literarum Apostolicam confessionem complectitur, illo errore sublato qui ab aliquibus nunc ortus est, sicut ex eius quoq; literis clarius tua sanctitas cognoscere poterit, &c. Deinde etiam ipse Romanus antistes, Leo iste, in literis ad Pulcheriam, (quę est epistola in ipsius operibus quadragesima quinta) his uerbis: Sicut de statu Constantinopolitanę ecclesiæ gratulamur, cuius & sacerdos & populus Catholicæ puritatis fidẽ iam tenere cognoscitur. Attamen parũ sibi constans fuit, sed instar arundinis à uento agitatæ nunc huc nunc illuc uacillauit. Nam Leo epistola 56 Iulianũ Coensem episcopũ hortatur, curet ne Nestoriana atq; Eutychiana hæreses reuirescant, eo quòd in Constantinopolitano episcopo (hoc scilicet Anatolio) non sit Catholicus uigor: nec sit multũ aut pro sacramento humanæ salutis, aut pro suæ æstimatione sollicitus. Quin & eo ipso loco mox subiungit, conquerens quòd Anatolius sui erroris authores potius sequatur quàm Flauianũ. Accedit eius rei etiam hoc testimonium, quòd nõ eam quã oportuit seueritatem adhibuit in extirpandis hęreseon reliquijs, & coercendis earundẽ authoribus: quemadmodum ob hoc ipsum à Leone ad Imperatorem Leonẽ accusatur epistola 75, quòd etiam inter clericos ferat suos, qui consona hæreticorum sensibus proferant ac doceant, quiq; intra Catholicorum uiscera adsertionibus suis earundem partes adiuuent, & ꝓpterea epistola 76 ipsum Anatoliũ seriò hortatur, ut seueritate maiori utatur in ijs re primẽdis, & hac in re Imperatoris auxilia imploret. Ac epistola 77 ad ipsum Anatoliũ producit nominatim quendam Atticum presbyterum, ex istorum numero, quem à communionis gratia alienum esse uoluerat, nisi perfecta satis factione se de Eutychiana hæresi purgasset: & non uoce solùm, sed etiam propriæ manus subscriptione hæreticos damnasset. Idem Leo epistola 56 ad Iulianum episcopum queritur, quòd in Constantinopolitana ecclesia ij qui Flauiani fuerint accusatores, ad honores euehantur: contrà

uerò eius discipuli, & qui confessionis cum ipso fuerint participes, reijciantur. Atque exemplo res confirmatur, quòd episcopus Anatolius Etium, qui in istis hæreticorum motibus & constantiam in fide præstiterat, & etiamnũ Nestorianæ ac Eutychianæ blasphemiarum hostis erat acerrimus, ab officio archidiaconatus remouisset, sub specie tamen (ut apparet) amplioris prouectus: atque in eius locum substituisset quẽdam Andream, quem (hoc ipso authore Leone, & in hac & sequentibus duabus epistolis ad Imp. Marcianum & Pulcheriam) cõstat fuisse Eutychianum, & ob hæreticorum conuersationem reiectum, & quidem ab ipso Anatolio. Quod quidem ita reprehendit Leo, ut rectè pronunciet, eo ipso facto ipsum conuinci fauoris & inclinationis in peruersitatem hæreticorum. Quare magno studio agit, & cum ipso Coense Iuliano, & cum Imperatore Marciano ac Pulcheria, ut pastorem in uiam reducant: quorum etiam authoritate hauddubiè motus, redijt, ac correxit ista, Etium restituendo, Andream uerò rursum submouẽdo: ut ex epistola Leonis ad ipsum Anatolium patet, 71.

Apparet etiam, hũc Anatolium initio sui ministerij fortem: & priusquam ita uariare inciperet, intercessisse ad Romanum pontificem, pro quibusdam ex ecclesiastico ordine, qui nefariæ illius Ephesinæ aduersum Flauianum synodi suo consensu acta firmauerant: errore autem iam cognito ueniam admissorum petebãt, & in communionem Romanæ ecclesiæ, à qua exciderant, recipi flagitabant: epistola quadragesima ad Anatolium, item 41 ad Iulianum, item 44 ad Imperatorem Marcianum. Cui etiam rationes quasdam prescribit Ro. pontifex, quas obseruari uult in ijs quibus suo nomine societatem Romanę ecclesiæ redderet Anatolius: epistola 46 ad ipsum Anatolium.

Interfuit Anatolius etiã celeberrimæ illi Chalcedone congregatæ synodo, sicuti ex actis patet: & maximè primæ & secundæ, ut uocant, sessioni, ubi egregium perhibet Flauiano testimoniũ, quòd bene & orthodoxè patrum fidem exposuerit. Cumq; in eo cõcilio decretum factum esset, ut in posterum Constãtinopolitana ecclesia secundas post Romanam partes teneret, sicut in fine capitis quarti, & 16 secũdi libri apud Euagrium memoratur: ipse author, fons & origo istius constitutionis uideri potest: si qua fides isti Leoni habẽda est, qui istud oppugnans, Anatolium ambitionis palàm accusat: illud etiã obijciens, quòd non cessarit fatigare Imperatorẽ Marcianũ, donec perpulerit ut Maiestatis suę authoritate etiã ipse quasi abutere tur: sicut uidere est ex epistolis quinquagesi matertia, quarta & quinta, ad ipsum Anatolium, Imperatorem & Pulcheriam. Vbi hoc quoq; in Anatolio reprehenditur, quòd contra Canonum statuta, & ius consecrandi Antiocheni antistitis usurparit. Extant literæ Imperatoris Leonis apud Euagrium libro secundo, capite nono, ad hunc Anatolium, dictę Encyclicę siue circulares: in quibus petit, ut Anatolius conuocatis omnium Constantinopolitanæ urbis ecclesiarum pastoribus orthodoxis, sententias conferant, ac iudicium suum sibi scripto significent, quid ipsis uideatur de Aeluri Alexandrinæ urbis episcopi electione, qui uero ac legitimo pastore Proterio scelerate sublato, ut lupus in ouile irrepserat: item de Chalcedonensi synodo, quę passim turbas ingentes dabat in ecclesijs, cum nonnullæ eam reciperent defenderẽtq; cõstantissimè, rursum aliæ prorsus eam reijcerent, impugnarentq; atrocissimè. Meminit & Nicephorus libro decimoquinto, capite decimooctauo. Ipse quoque Anatolius misso suo diacono Asclepiade, cũ Magistrianis (ut uocatur) Leonis Imperatoris ad uniuersos Orientis episcopos, qui Chalcedonẽsi synodo interfuerant, eandem illis consultationem proponit, singulorumq; sententias scriptas requirit. Refertur in narratione de prauitate Dioscori, quæ est annexa in fine prorsus actionibus Chalcedonẽsis concilij, Tomo 1. itẽ capite 15, in Breuiario Liberati de causa Nestorij.

Cum autem circiter annos octo Ecclesiæ præfuisset, mortuus est, secundo Leonis Imperatoris anno: ut patet ex Zonara: & colligitur ex assignatione temporis, quo epistolæ Leonis scriptæ & datæ sunt.

GENNADIVS.

Gennadio post Anatolij obitum ecclesiæ Constantinopolitanę claues commissas, tradit Theodorus Lector libro 1 Collectaneorum: idq; suffragationibus Acacij orphanorum nutritoris factum, meminit Euagrius libro secundo, capite undecimo. Fuit uir ingenio acri, & lingua polita & facunda, & insigni doctrina præditus, & in autorũ lectione uersatus: ut indicat Gennadius in Catalogo de illustribus uiris.

Extat inter scripta Orthodoxographa, epistola Gennadij Constantinopolitani episcopi, & synodi ibidem celebratæ, ad Romanæ ecclesiæ episcopum, & alios metropolitanos, in qua acta synodi ipsis nunciantur. Sed huius ne Gennadij sit, pronunciare certò non possumus: cum nõ sit expressum, ad quem ex Romanis episcopis sit scripta: nec etiã ullæ aliæ circumstantiæ uel dati, uel rerum aliarũ, aliquod nobis eius iudicij præbeant: neq; etiã eius synodi mẽtio alibi fiat.

Scripsit commentarios in Danielẽ, & plu rimas

rimas homilias, teste Gennadio in Catalogo de Illustribus uiris.

Huic Gennadio tribuit Nicephorus, quæ Theodorus Lector Leoni pontifici: quòd uidelicet neminem ad ministerij ordines admiserit, qui non egregiè psalterium frequenti lectione familiare sibi fecisset.

Martianum quendam, qui relicta Catharorum hæresi ad ecclesiam transierat, œconomũ ecclesiæ fecit, ut Theodorus recitat. Idem refert, quòd precibus manum restituerit cuidam pictori, quæ ipsi exaruerat, proterea quòd Seruatorẽ habitu & forma Iuuis pingere ausus fuerat. Ad Eleutherium martyrem scribens, quendam ex ipsius ministerio, ob dissolutiorem uitam accusauit, tali uerborum forma: Miles tuus inconditè se gerit: aut corrige eum, aut abijce. Ad hæc uerba accusatus ille concidit, & mortuus est. Noctu aliquando spectrum uidit, cum altari orandi gratia astitisset, quod increpatum respõdit: se illo quidẽ uiuente secessurum, ac quieturũ: sed post eius obitũ, modis omnibus Ecclesiam uastaturum esse. Theodorus Lector.

Post annum decimumtertium discessisse eũ ex hac mortali uita, Zonaras tradit, sub Leone maiore Imperatore. Et Catalogus Gennadij habet, haud ita multo pòst spectrum ad altare conspectum, de quo suprà, ut Theodorus Lector annotat.

ACACIVS.

Acacius orphanotrophus, seu pupillorũ præfectus Constantinopoli erat: sed defuncto Gennadio, episcopus est creatus. Euagrius libro secundo, capite undecimo.

Huius extant duæ epistolæ in Conciliorum tomis: una in primo, sub decretis Simplicij, ad Simpliciũ Romanum episcopum, respõsoria ad ipsius literas, in qua de Petro Alexãdrino commemorat, quòd iam olim fuerit damnatus, & nunc rursum in æternã fugam sit conuersus: quem inter cætera etiã Noctis filium appellat, qui ab operibus lucis abhorreat, & tanta latrocinia congruas quærat. Altera est in tomo secundo, inter actiones quintæ synodi Constantinopolitanę, ad Petrũ Gnapheum Antiochenum: quòd in hymno illo Trisagij perperam adiecerit clausulam illã, Qui crucifixus est pro nobis. Et hæc ipsa epistola testimonium esse potest, ipsum de utriusq; naturæ in Christi persona unione rectè & piè sensisse. Sic autem de utraq; coniuncta dicit: Christum unigenitum filium Dei passionem sustinuisse carne, id est secũdum carnem. Quam sententiam confirmat dicto Petri, prioris epistolę capite tertio: Christus semel mortuus est pro peccatis, iustus pro iniustis, mortuus quidem carne, uiuificatus autẽ spiritu. Et de suo annectit: Absconditus enim hamum suæ Deitatis, intus animã sanctissimi corporis, sic inferno occultatus est, & ipsius omnium uoracem uentrem abscidit, & ab æterno mortuos uiuificauit. Item pòst: Negasti salutẽ, uerbi humanitatẽ, quã pro nobis ipse Deus & uerbũ redemptionẽ dedit morti, quam resuscitãs à mortuis adduxit ad cœlos. Rursum: Christum enim dicens filium omnipotentis Dei crucem sustinuisse, utrunq; dicis in uno: & ipsius deitatem, secũdum quam Deus est impassibilis, & consubstãtialis Deo patri: & humanitatẽ, secundum quam homo est mortalis, & consubstãtialis uirgini matri. Atq; hinc apparet, credidisse ipsum & docuisse, Christum esse uerum Deum ab æterno ex subst ãtia æterni patris, & uerum etiam hominẽ ex subst ãtia terrenæ matris animaprædituin, in una tamen eadẽq; persona. Quam doctrinã cum Gnapheus corrumpere, aut saltẽ confundere uideretur, acriter se ipsi opposuit, eiusq; opiniones cõfutauit. Cum etiã Basiliscus, qui Zenonem regno eiecerat, Imperiumq; occupauerat, Chalcedonẽsem synodũ persequeretur, & missis per orbẽ ad uniuersos episcopos literis abrogaret istius Synodi acta, opposuit se ipsi quoq; quàm acerrimè: collectisq; monachorum turbis (in quibus & Danielem Styliten fuisse, Nicephorus meminit lib. 16. cap. 9) & populo Constantinopolitano, ad Basiliscũ accedit, eumq; adigit, ut alijs literis, prioribus contrarijs, inducat atq; aboleat ea quę in prioribus cõtra Chalcedonensem synodum statuerat. cõmemorat Euagrius lib. 3. cap. 7. Episcopi etiã, qui prioribus Basiliści literis subscripserãt, missis pœnitentiæ libellis, delicti ueniam ab Acacio petebãt, quòd inuiti & coacti subscripsissent: seque Chalcedonensem synodũ approbare affirmabant. Eodem libro, cap. 9.

Hic Acacius à Romanis pontificibus mirè exagitatus est, adeò ut excommunicationis fulmine aliquoties repetito, non ministerij tãtum ipsi ac gubernationis officium, quantum in ipsis fuit, ademerint, sed etiam ex ecclesia ipsum penitus, & fidelium congregatione eiectum uoluerint. Nam Marianus Scotus, primùm ipsum ut Eutychianum à Simplicio Romano episcopo damnatum scribit, Cos. Seuerino uiro clarissimo, sub annum Domini 482, Zenonis Imperatoris 8. Eam repetentes ipsius successores Felix & Gelasius, multum exasperarunt, ita ut nec mortuo ecclesiæ communionẽ reddere uoluerint, imò in perpetuum damnarint, Imperatoribus Zenone & Anastasio, item Orietalium ecclesiarum episcopis frustra intercedentibus, imò grauiter sese opponẽtibus, & ipsius damnationem ut parũ legiti-

legitimâ minus ratâ habentibus: ſicut in primo Conciliorum tomo, ſub iſtorum decretis eſt uidere. Crimina quæ Romani pontifices ipſi impingunt, ſunt: nõ quòd ipſe noui ac peculiaris erronei dogmatis author extiterit, ſed quòd prauorum dogmatũ ſectatoribus ſe coniunxerit, & multa contra Eccleſię canones agere uiſus ipſis fuerit: ueluti hoc oſtendit decretũ, quod Felici aſcribitur, 24.q.1. Acacius non fuit noui uel proprij inuentor erroris, ut in eum noua ſcita ꝓdirẽt, ſed alieno facinori ſuam communionẽ miſcuit. Itaq; neceſſe eſt, ut in illã recideret iuſta lance ſententiam, quam cũ ſuis ſucceſſoribus per cõniuentiam ſynodalem ſuſceperat author erroris. Et diploma excommunicationis eiuſdem Felicis, quod ab ipſa * enumeratione exorditur, inquiẽs: Multarum tranſgreſsionum reperiris obnoxius, & in uenerabili concilij Niceni contumelia ſæpe uerſatus, alienarum tibi prouinciarum iura temerariè uindicaſti: Hæreticos & peruaſores, atq; ab hæreticis ordinatos, & quos ipſe damnaueras, atq; ab Apoſtolica ſede petiſti damnari, non modò communioni tuæ recipiendos putaſti, uerùm etiam alijs eccleſijs (quod nec de Catholicis fieri poterat) præſidere feciſti: atq; etiã honoribus, quos non merebantur, auxiſti.

Eorum autem, quorum ob coniunctionẽ in ea pontificum Rom. uincula incidit, præcipui feruntur duo Petri epiſcopi, unus eccleſiæ Antiochenæ Gnapheus, alter Alexandrinæ Moggus: qui utriq; ſanè parũ pio & honeſto titulo ſuas ſedes tenebant, ſicut in uitis eorum uidere licet. Gnapheus ſiquidem tũ noui dogmatis author extiterat, in quo refutando ipſe quoq; Acacius operam ſuam poſuerat, ſicut eius iam antè memorata epiſtola teſtari poteſt: tum etiam à miniſterio reiectus, & in exilium condemnatus fuerat. Imò de hoc ipſo Petro, quẽ Acacius denuò ſua eccleſia expulerat, ad eccleſiæ Rom. gubernatores ſcripſerat, eosq; monuerat, ſi fortè illum cũ ſuo complice, Iohanne quodam Antiocheno ad ipſos accedere cõtingeret, ne dignos ipſos haberent quos in conſpectum ſuum admitterent. Quòd ſi iam impetrata uenia aliquid indultum eſſet, ut idipſum irritum haberẽt, nec ullam eorum pœnitentiam recipere uellent: ſicut in narratione de prauitate Dioſcori refertur, quæ in fine actionum Chalcedonenſis concilij eſt addita: itẽ in epiſtolis Gelaſij Rom. pontificis, 1. Conciliorũ tomo. De Alexãdrino uerò Petro Moggo dicto, cõmemorant Pontificales libri, è quibus & Platina in uita Simplicij, q̃ hic Acacius eum ſemel atq; iterum hæreſeos, & quòd necis Proterij particeps etiã ipſe fuerit, accuſarit apud Simpliciũ: &, hoc Acacio petẽte, dãnatus fuerit à Simplicio. Ac Gelaſij epiſtolę amplius addũt, quòd Acacius ſententiæ ac damnationis Romanæ fuerit executor. Etiam Liberatus in ſuo Breuiario 17. cap. expreſsè narrat, quòd ſynodicam epiſtolã miſerit Acacius Romano pontifici Simplicio, ne adulterũ ac hæreticũ iſtũ Petrũ Moggũ in epiſcoporũ numero patiretur eſſe. Epiſtolę ad Simpliciũ, in qua hęreticũ uocarit hũc Petrũ, meminit etiã Euagrius lib. 3 cap. 21. Hos ergo antea à ſe damnatos, & ſæpius quidẽ (ut pontificũ ſcripta uolũt) ſibi reconciliari paſſus eſt, & eorũ deinceps miniſteria approbauit. Et ſi noſtrũ eſſet pronũciare, diceremus nõ malo eũ ſtudio id feciſſe: nec quòd praua aliqua & hæretica opinione ipſe etiã fuerit imbutus, aut quòd aliquid inde ſibi quæſierit aliud, q̃ ut eccleſiæ intra ſeſe diſturbatæ facilius coaleſcerent, ſublatis doctorum diſſidijs & inteſtinis tumultibus, quę exiſtis frequentibus paſtorũ eiectionibus & reſtitutionibus exoriebantur, ciuitatesq; grauiter concutiebant: quẽadmodũ eius rei indiciũ facit illud idem capput Euagrij 21. lib. 3. ubi mentio fit cuiuſdã epiſtolæ Acacij, tũ tẽporis ſcriptæ ad Ægyptios epiſcopos, clericos, monachos, & uniuerſam plebem, & ipſum Petrũ Alexandrinum, quę turbas diſſidiorum tollere, & cõciliationem inter ipſos inſtituere tentarit. Meminit eius & Nicephorus lib. 16. cap. 17.

Præbet illud etiam magnũ indiciũ, quòd ſtudium habuerit non modò rectè faciendi per ſeſe, ſed & ea defendendi quæ doctrinæ & pietati eſſent conſona, imò & inquirendi in eos qui ſecus facerent. Cum enim iſte Petrus delatus eſſet ad ipſum, etiã poſt reconciliationem, quaſi qui Chalcedonenſem ſynodum publicè damnaſſet, & corpus Timothei, qui ipſum in gubernatione pręceſſerat, offendiſſet: miſit certos homines eò, q̃ rem exactè explorarent: effecitq; ut Petrus iſte literis ſeſe de obiectis criminibus purgaret, nihil ſe eorũ admiſiſſe. Commemorat id ipſum Euagrius lib. eodẽ, cap. 16: & epiſtolę exemplũ, qua ſe Petr⁹ purgat, recitatur ca. 17.

Quomodo uerò & qua ratione cũ Petro Moggo Alexandrino epiſcopo in gratiam redierit, non eodem modo commemorant ſcriptores. Liberatus in ſuo Breuiario cap. 17 narrat, quòd Iohãnes Tabenneſiota communibus ſuffragijs poſt Salophacioli mortẽ Alexãdrinæ eccleſiæ gubernator cõſtitutus, neglexerit de ſua ordinatione Acacij literis conſueto more certioré reddere: fretus cuiuſdã Magiſtri aulici amicitia, quẽ muneribus ſibi deuinxerat, per quẽ apud Imperatorem negociũ ſuum agere confidebat. Eam rem ægrè tuliſſe Acacium, & Imperatori inſtigatorem fuiſſe pellendi Iohannis, ſub prætextu

prætextu uiolati iusiurandi: & eius loco sub stituendi Petrum, siquidem is reciperet litteras quas uocant Henoticas Imperatoris, id est unitiuas seu conciliationis, quibus Zenō in ecclesijs per Ægyptum, Alexandriam, Libyam & Pentapolim pacem restituere, & conciliatis inter se ecclesiasticis personis tollere conabatur. Quòd si facturus esset, ut multum occasiones & diuturna disidia eius rei testimonium exhiberet scriptis literis synodicis ad Acacium, Simpliciū Rom. episcopū, & cæteros archiepiscopos. Quod fecisse Petrum, apparet ex decimooctauo capite Liberati. Et ut egregiè suspectum reddat Acacium, addit Liberatus: quosdam, qui partium fuerant Moggi, ipsius nomine cum Acacio egisse de eo restituendo: & Acacium statim nomen Moggi in publicas tabulas relatum, recitari permisisse, uelut legitimi Alexandrinæ sedis & Catholici præsulis, priusquā ille rectè in ea q̄ proposita fuerant consensisset, necdum per omnia plenè ea de re cauisset, satisfecisset q̄ue. Sed Euagrius tertio libro, capite duodecimo & tredecimo: & Nicephorus libro decimosexto, capite undecimo, simpliciter narrat, & uternem illum quibusdam pecunia corruptis, que ex Zacharia uetusto scriptore, Iohan-Alexandrinæ ecclesiæ istius obtinuisse gubernationem, & quidem contra præstitum Imperatori Zenoni iusiurandum: atque ea re offensum Imperatorem, ipsum eiecisse. Vtut sit, hoc certum est, Iohannem hunc Romanos episcopos in Acacium concitasse primùm. Nam eiectus, Romam est profectus: & apud Simplicium, se propter Chalcedonensem synodum & Leonis scriptum eiectum, & alium eius aduersariū subrogatum conquestus est, ut Euagrius libro sępius iam memorato tertio, capite decimoquinto refert: Nicephorus quoque meminit eodem capite, libro uerò decimosexto. Et Felici, Simplicij successori, pòst supplici libello oblato, Acacium accusauit differtè, quòd cum Petro Moggo, quem antea ut hæreticum rejecerat, communicaret, eumq̄ue iam complecteretur, & quidem præterea res pleraque alias non ex præscripto Ecclesiasticarum sanctionum ageret. Deinde accesserunt etiam monachi quidam Constantinopolitani, & præsertim archimandritæ siue præfecti monachorum, & Ægyptiacæ prouinciæ tum episcopi tum monachi, tum etiam alij ex clero, qui ipsi quoque Petrum Moggum ut hæreticum infamarunt, eiusq̄; restitutionem culparunt: contrà uerò Iohannis ordinationem approbarunt, & de nomine orthodoxi, cuius doctrina esset pura & sincera, commendarunt. Illud quoq; adijcientes, ex quo Iohannes Alexandria sit pulsus, Petrum quouis supplicio digna aduersus orthodoxos commisisse: nec ea latêre Acaciū, sed administrū sese ei in omnibus præbere. His motus Felix, scripsit & ad Zenonē, & ad Acacium: missisq̄; legatis, qui plenius de re tota cognoscerent, petijt Chalcedonensem synodum confirmari, et Petrum sua ecclesia pelli: & (sicut Nicephorus subijcit) Acaciū aliquos Romà mittere, qui suo nomine cum Ioanne in iudicio cōtendant, rationēq̄; reddant eorum quę gesserit. Imperator Zenon, sicut antè Simplicio (ut 15 cap. li. 3. Euagrius refert) ita iam etiam Felici respondet, nullā aliā ob causam Ioannē pulsum, quàm ob sacrilegiū periurio commissum, quòd contra præstitū iuramentum episcopatum arripuerit: ac propterea frustra ei molestiam exhibere: Petrū uerò Moggum nō sine diligenti inquisitione ad sedem suam redijsse, ac inter alia, pprio autographo etiā subscripsisse Nicenæ fidei CCCXVIII Patrū, cuius uestigijs etiam Chalcedonēsis innitatur. Ad Felicem etiam Acacius misit, q eū moneret, ut eorum quæ Iohānes cōmiserat diligentē rationem exigeret. Verùm nihil profectum est, sed præualuêre Iohānis & monachorū delationes, adeò ut ipsi etiá legati Rom. qui æquitate forsan causæ moti in Acacij partes secesserāt Constantinopoli, ppterea etiā suis ministerijs spoliati, & ab ecclesiæ Romanæ cœtu segregati, pœnas dare coacti fuerint: sicuti omnia ista Euagrius enarrat illo 3. lib. capitibus 18. 19. 20 & 21. Excommunicatus ergo est Acacius à Felice, ut Nicephorus refert cap. 17. libri 16. Qui hoc etiam subiungit: Quum condemnationis sententia à monachis ipsi esset reddita, quosdam ex ipsius fautoribus & amicis illos adortos esse, ac abreptos custodijs inclusisse: nonnullos uerò etiá uulnerasse, imò & occidisse quosdā: & ipsum Acacium usq; adeò non motum ista condemnatione, ut non modò eam reiecerit, sed uicissim Romani pontificis nomen ex sacro ecclesię catalogo exemerit. Liberatus tradit, damnationis literas ipsum non accepisse ab ijs qui attulerāt, Imperatoris patrocinio fultum: sed quendam monachum Achimetensem ignotum, chartā eā suspendisse in pallio Acacij, cum ad rem diuinam faciendam ingressus fuisset: & mox discessisse ipsum: Acacium autem non propterea à ministerio suo submotum, sed ad uitæ usq; exitum eidem præfuisse, Imperatore ipsum defendente. capite decimooctauo in Breuiario: in secundo Conciliorum tomo.

Acacij à Felice damnati meminit etiam Marianus Scotus, sub annum Christi quadringentesimum octogesimumsextum, Zenonis Imperatoris duodecimo. Eius autem excommunicationis diploma extat in

primo Conciliorum tomo, sub decretis Felicis: in quo præter ea quæ iam recitata sunt crimina, memorantur etiam ista, quòd Iohannem Antiochia pulsum, & ab Apameen sibus catholicis non receptum, Tyrijs demum præfecerit, quem tamen olim damnarit. Similiter quòd & Himerium ab officio diaconi remotum, & pòst etiam Christiani nominis appellatione prorsum priuatum, ad presbyterij gradum prouexerit: ité quòd legatos Romanæ ecclesiæ iniurijs affici passus sit, & in custodias conijci: inde uerò emissos, in suas partes & Moggi pertraxerit, corruptos pecunia meminerunt Pontificales libri in uita Felicis, priusquam Constantinopolim ueniissent. Atque ijdem bis ab eodem Felice damnatum Acacium scribũt: primùm quidem, ad quorundam relationem, qui è Græcia Pontifici de restitutione Petri nunciarant, ac fuisse eam excommunicationem loco admonitionis, qua emendationem Acacij quæsierint: ac post triennium tum demum missos legatos, & posteriorem adhibitam. Certè Gelasius quoque in suis epistolis triennij meminit, quod ueluti secum deliberandi spacium, Acacio fuerit concessum: ac interea crebrò ipsum admonitum, in uiam redire ut uellet. Liberatus decimooctauo capite quinquennij meminit, intra quod crebrò sit sollicitatus à Rom. ecclesia, sed ipsum nunquam quicquam respondisse. Et Gelasius in literis ad Faustum Magistrum disertè fatetur, se quoque per quendam illustrem uirum Andromachum egisse cum Acacio, ut deposita contumacia resipisceret, & ad Romanæ ecclesiæ consortium remearet. Quare etiam hic Pontifex eum atroci excommunicationis fulmine percusit, idque perpetuo: sicut hoc in uita ipsius memorant Libri pontificales, si quid ipsis tribuendum est. Nam Ioannem illum Alexandrinum ob periurium inde amotum, sub hoc primùm Romam ueniisse, in eius uita commemoratur: quod suprà ex Euagrio & Nicephoro sub Simplicio factum narrauimus, sicut idem etiam ex Liberati capite paulo antè citati liquet. Pontificibus autem ita aduersus ipsum frementibus, ipse hos tumultus relinquens, ad quietiorem uitam, ut sæpius excommunicatus, haud dubiè tamen secesisit, & quidem Zenone Imperium adhuc tenente: ut patet ex Nicephori libro decimosexto, capite decimoseptimo & decimooctauo: item Liberato. cum Ecclesiam gubernasset (ut author est Zonaras in Anastasio) annos circiter septendecim. Si quis autem rem recta reputet uia, & diligenter singula expendat ac conferat, planè intelliget nullam aliam iustiorem ob causam ipsum condemnatum, quàm quòd cum primis sui episcopatus annis reuerenter uideretur habuisse, ac multam authoritatem detulisse Romanæ sedi, temporis progressu immutatus, eam non ita magnifecerit, imò propemodum extremè contempserit. Nam præsidium ipsum Romanæ ecclesiæ in damnandis illis duobus Petris, & alijs quæsiuisse: imò ipsum quasi ministrum extitisse episcopi Romani in executione irrogandæ censuræ ecclesiasticæ, ex superioribus patet. Et Pontificij certè parasiti (inter quos & Platina) ex hoc Acacij facto astruunt Romanæ ecclesiæ principatum, ut quàm fortissimè. Postea uerò Petros illos ambos, & alios quos episcopi Romani nomine & authoritate excommunicauerat ipse, illorum non modò authoritate non interueniente, sed ne quidem consultis ipsis recepit ultrò, hoc quàm molestissimè tulerunt Romani: sicuti ex Liberato euidenter cernere licet, de Simplicio, qui tamen inter eos uidetur fuisse mitissimus: quem commemorat contristatum scripsisse Acacio, & reprehendisse eius factum, quòd perperam fecerit, contra sententiam Apostolicæ sedis, hominem (scilicet Petrum Moggum) susciendo. Apertius enim se communi decreto damnatum, tanquam adulterum, communi concilio à damnatione liberari. Eadem euidentissimè apparebunt etiam ex epistolis Gelasij, qui omni conatu digladiatur pro authoritate Apostolicæ sedis: ac satis confidenti ore asserit, non licuisse Acacio recipere Petrum absque sedis suæ approbatione. Et miris modis debacchatur non in Acacium iam mortuum, cuius tam gubernationem ut ostenderet impiam & sceleratam, & omnia eius gesta plus quàm improbè facta, totius ingenij uiribus laborat, & præsertim in epistola ad episcopos Dardaniæ, superiorum criminationes suprà quàm dici potest exaggerans: sed in omnes Orientis episcopos, in ipsos etiam Imperatores, quotquot Acacij causam defendendam susceperant: ac plus quàm satis pro imperio addit, non Imperatores, non ullos episcopos eam habuisse potestatem soluendi uel Petrum, uel Acacium, à nexu uinculorum sedis Apostolicæ.

PHRAVITAS, *seu* FLAUITAS.

Rerũ ecclesiç Constantinopolitanæ statu ita fluctuante, Phrauitas eius gubernationem susçipit: ut Euagrius author est libro tertio, capite uicesimotertio. Eundem Nicephorus lib. decimosexto, cap. decimooctauo, Flauitã nominat: & quãuis presbyterũ fuisse

fuisse dicat, tribuit ei tamen summam audaciam cum improbitate coniunctam, idque profectò non temerè: siquidem uera sunt, quæ de ipso commemorat, quorum nec Euagrius tamen, nec alij meminerunt: qua uidelicet fraude ac impostura usus, ad Ecclesiæ istius regimen euectus, sub insignis maximè pietatis specie, qua uelut diuinitùs & miraculoso iudicio ad hanc functionem designatus uidebatur. Etenim Imperator Zenon, ut tolleret occasiones turbarum quæ in electionibus plerunque exoriri solebant, chartam puram obsignatam in altari repositam fuerat, & in alia scripta Deum orabat, ut ipse in mundam illam notis designare uel præfectum cupiat. Hic ergo Flauitas ædituo pecunia corrupto, fecit ut suum nomen papyro inscriberetur. Sed hac fraude parta felicitate nõ diu ipsi frui licuit. Sui enim nominis illusionem non ferens diuina Maiestas, breui ipsum è medio sustulit, cum nondum quatuor integros menses gubernationem tenuisset: sicut idem Nicephorus recitat. Euagrius eodem capite & libro, hunc Phrauitam synodicas literas ad Petrum Alexandrinum dedisse narrat: & uicissim Petrus ad Phrauitam dedit, quæ tamen successori sunt redditę, cum mors ipsum præripuisset interea. Zenonis atque Acacij sententiæ hunc fuisse, memorat & Zonaras, ab initio Anastasij: ac tres menses cum semisse tantum præfuisse. Liberatus in suo Breuiario, decimooctauo capite narrat, post Acacium mortuum, ordinatum Flauianum presbyterum à S. Tecla, qui noluerit sine Romano episcopo inaugurari, sed conciliationis siue consensus literas (Synodicas uocat) Felici papæ miserit. Hęc sententia quomodo cum Euagrio & Zonara conueniat, non uidemus. Sicut nec illud cum ueritate rectè conguere arbitramur, quòd ad Felicẽ eas literas dedisse narratur: cũ sub Gelasio Acacius adhuc uixisse uideri possit, siquidem ea quoq; quæ in uita Gelasij de Acacio recitantur, in libris pontificalibus non cum historia pugnant. Ad Felicem ipsum scripsisse, & Nicephorus refert, decimonono eiusdem libri capite: & significasse eiusdem se cum ipso esse communionis, & Petri coniunctionem auersari. Rursum & Petro diuersi generis literas misisse, ipsius se communionem recipere, Romani autem episcopi reijcere. Quod ubi Felix per quosdam cognouerit, Flauitæ legatos Roma cum ignominia expulisse.

EVPHEMIVS.

Phrauita sic breui, diuina hauddubiè uindicta è uiuis sublato, mox Euphemius generе Alexandrinus (ut Liberatus in suo Breuiario decimooctauo capite, in secundo tomo Conciliorum ait) ecclesiæ isti suffectus est. Euagrius libro tertio, capite uicesimo tertio. Presbyterum iam antè in istius ciuitatis ministerio fuisse, narrat Nicephorus lib. decimosexto, capite decimooctauo. Orthodoxæ fidei ac rectę doctrinę studiosissimum uirum, ab eruditione & nominis claritate etiam Euagrius ibidem commendat.

Huic redditæ sunt literæ illæ synodicæ Petri Moggi ad Phrauitam scriptæ: in quibus cum animaduerteret Chalcedonensis synodi acta ab ipso damnari, conturbatus est, ac se ab eius communione subduxit, ac nomen Petri è sacris tabulis expunxit, & Felicis Romani episcopi repo suit. Sed & more recepto ad eundem Felicem synodales epistolas misit, ubi primùm episcopatum inijt. quæ à Romano episcopo receptæ quidem sunt: ipse tamen Euphemius ad episcopalem communionem minimè est admissus, propterea quòd non eadẽ opera simul etiam Acacij & Flauitę priorum episcoporũ Cõstantinopolitanæ urbis nomina deleuisset, cum aliàs ipsum Felix ut orthodoxũ fauore prosequeretur. Ex hoc aũt nouo Euphemij cũ Petro dissidio, nouę ac maiores turbæ in Ecclesia etiã exorituræ fuerant. Siquidem alter alterũ ad persequendũ conuocatis synodis sese armabant, ni iustus arbiter Deus singulari cõsilio calamitatem eam auertisset, Petro opportuna morte abrepto, & Euphemio quoq; paulo pòst in exiliũ eiecto. Causa aũt eiectionis Euphemij hęc apud eosdem cõmemoratur: & in Euagrio sanè trigesimo cap. Imperator Anastasius, quo Ecclesię tranquillitas magis conseruari posset, non ferebat, si qui inconsulta temeritate, uel minus impudẽter Chalcedonensem synodum pro concione damnarẽt, uel nimium etiam deprædicando defenderent, idque præter morem loci cuiusquam: & sua quadam importunitate nouis motibus occasionem præberent. Quare eos ecclesijs eijciebat. atq; ita etiam Euphemiũ hunc expulsum, sicut expresè habet Euagrius, Anastasiũ cogere uoluisse ad cõciliationem, ob eruditionis & nominis famam, Euphemium. Verùm, ut ijdem meminerunt, fuit hic prætextus magis, quo suæ occultæ in Euphemiũ iræ satisfacere cupiebat, quàm iusta causa. Erant enim alia, quæ à parte Euphemij, Imperatoris animum exulcerauerant: insignis nimirum pietas eius, & constantia, qua paulo antè Anastasium Ecclesia excluserat: eo quòd opinionem de se præbuisset, quasi Dioscori contagio infectus esset: item quòd turbam concitare uolens, Euphemio comminatus fuerat, se illi accepta à Zenone potestate caput tonsurum, cathedramque eius euerterat: ut uicesimosexto capite eiusdem libri Nice-

phorus,præter omnes ſolus enarrat. Item, (quemadmodum idem ibidem, & conſentiens etiam Euagrius capite triceſimoſecundo libri tertij,tradunt) quòd electioni Imperatoris ipſe ſeſe oppoſuerat, nec ſtatis illis ceremonijs eam confirmare uoluerat: priuſquã ipſe Anaſtaſius graui iuramento & proprio autographo dato,ſeſe obſtrinxiſſet,confirmaſſetq; fidem ſe inuiolatam ſeruaturum, neq; quicquã rei nouæ in Eccleſiam ſui Imperij tempore introducturum, ſed Chalcedonẽſis ſynodi (ut Nicephorus & Zonaras annotant) decreta defenſurũ. At uerò Anaſtaſium iam imperio potitum, haud ita longè pòſt illud ſcriptum repetijſſe: quod cum reddere noluerit Euphemius,ſolum uertere coactus ſit:imò & uitæ ipſius inſidiatũ eſſe, Nicephorus addijcit: & quendam ex familiaribus Euphemij Paulũ, in ſe excepiſſe ferrum, quod in eum ſtrictum fuerat. Conſilij autem ſui, quòd ita Imperij candidatũ Anaſtaſium aſtrinxerit Euphemius,habuit rationes, tum eas quæ modò antè recitatæ ſunt: tum etiam, quòd pleriſque uidebatur Anaſtaſius Manichæorum hæreſin fouere: præſertim cum eius progenitores,mater, auunculus, & frater,& iſtius ſectæ prauitate & Arianiſmi blaſphemijs polluti fuiſſent. Euagrius etiam de magia ipſum ſuſpectum fuiſſe dicit.Extat inter Gelaſij decretales, epiſtola ſcripta ad Euphemianum, quem fratrem nominat:ſed non planè conſtat, alius ne,an hic fuerit.

SOCRATES.

Tametſi liquidò non conſtet,in Eccleſiaſticáne functione etiam aliquando fuerit Socrates ille ſcriptor,nec ne: tamẽ cum res Eccleſiæ hiſtorica narratione poſteritati legendas dederit,locum meritò inter reliquos doctores ſortitur.

Fuit autem Græcus natione, natus Conſtantinopoli:ut libro quinto, capite uiceſimoquarto ipſe indicat. Iuuenis admodum bonis literis ibidem operã dedit, apud duos Grammaticos, Helladium & Ammonium, gentiles:libro eodem, capite decimoſexto. idque factum, Conſtantino Magno Romanum imperium moderante,narratio ibidem & ſequentibus capitibus ſatis oſtendit.

Gentilis ne fuerit, & ad Chriſtianiſmum cõuerſus,an uerò ex Chriſtianis parentibus natus,minimè certũ: ut multo minus illud, num aliquam in miniſterio Eccleſię functionem obierit. Hoc certum, & gentilibus præceptoribus uſum, & in uirum iam grandæuũ progreſſum in Chriſtiana doctrina optimè & rectiſsimè edoctum fuiſſe,rerum quoque eccleſiæ fuiſſe longè ſtudoſiſsimum.

Eloquentia etiam eum polluiſſe non uulgari,hiſtoria eiꝰ Eccleſiaſtica abũdè teſtatur.

De ſcriptis.

Quanquam autem nonnulla, ut habet Trithemius,ſcripſiſſe dicatur, tamen præter Eccleſiaſticam hiſtoriam hodie nihil extat.Græcè author eam ſcripſit,in qua reliquũ rerum in Eccleſia geſtarum, à tempore Cõſtantini Magni,ubi deſijt Euſebius,pertexit, uſq; ad ſuum tempus:ut in primo primi libri capite, quod proœmij locum habet, ipſe narrat. Incipiens autem à primo anno ducenteſimæ primę Olympiadis,in qua Conſtantinus Imperator eſt inauguratus, & deſinens in alterum annum trecenteſimę quintę Olympiadis,qui cum decimoſeptimo Theodoſij iunioris conſulatu coincidit, cõplectitur temporis periodum centum & quadraginta annos:ita quidem numerantur ultimo ultimi libri capite. Verùm quo pacto hæc inter ſe conueniant, ne quidem ipſe Oedipus diuinet. Eſt itaq; manifeſtiſsimum mendum in aſsignatione Olympiadum,etiam in Græco textu.Quin nec ipſi ſingulorum librorũ ſyllogiſtici numeri eam periodum,centum ſcilicet & quadraginta annorum exactè complent, ut ſupputanti patebit. Ad xvii Theodoſij poſterioris conſulatum eam hiſtoriam deductam,illud ipſum ultimum ſeu quadrageſimumoctauũ libri ſeptimi caput perſpicuè oſtendit.

De hoc ſcripti genere ipſe author propriã fert cenſuram. ac primùm de orationis ſtilo, lib.1.cap.1.ait,ſe elegantiæ dictionis non ſtudere. Et primo capite tertij libri idem monet,ac expreſsè addit:cum Chriſtianam contexat hiſtoriam,ſe etiam humili & depreſſo, ſed tamen perſpicuo ſermone uti.Idem facit etiam in proœmio ſexti libri,inquiés: Scias autem,nullam nos diligentiam impendiſſe dictioni, metuentes, ne ſi dictioni ornandæ intenti eſſemus,à ſcopo dilaberemur,&c. Et poſtea ſubijcit: Eiuſmodi phraſi operam dedimus, quæ & perſpicua eſſet, & ſubmiſſior. Ad res autem ipſas quod attinet(inquit idem de ſeipſo) omnem diligentiã impendi,ut à ſingulis qui rerum gnari eſſent, quæ geſta eſſent cognoſcerem, & exactè ſinueſtigarem, ne quid alienum à ueritate ſcriberem. libro quinto,capite decimonono. Et de ſuæ ætatis geſtis conſtanter etiam affirmat, ſe ea ſcribere,quę uel ipſe uiderit,uel ab ijs qui uiderunt cognoſcere potuerit: in Præfatione ſexti libri. Atque eam ipſam hiſtoriam ad cuiuſdam Theodori cohortationẽ ab ipſo ſcriptam,eadem Præfatione conſtat.

Socratem Nicephorus ut Nouatianum, ſemel atque iterum traducit, primùm libro 6.capite 56.ita inquiens: Quamuis Socrates, qui & ipſe ex Nouatianis res Eccleſiaſticas ſcripſit.item capite tredecimo libri noni,his uerbis: An uerò ille certè in pietatis ſince-

ritate

ritate sit, sicut iste (Socrates scilicet) qui quidem Nouatianus est, dicit, &c. Recténe auctem ac uerè ei hoc erroris impingat Nicephorus, non satis compertum habemus. libro certè quarto, capite uicesimooctauo, ubi istius sectæ originem describit Socrates, nonnihil tale animaduerti potest.

Certamina

Certaminis speciem refert, quòd integro & prolixo capite tertij libri in Libanium sophistam inuehitur, quòd Iulianum Imperatorem apostatam miris encomijs extulerat, & hanc cumprimis laudem tribuerat, quasi firmis argumentis & prolixa dimicatione ridiculam, & meras nugas: quæ ille contrà grauiter reprehendit & refellit libro secundo. capite uigesimo, seu uigesimoprimo. nã sunt in unũ confusa, etiã in græco. Certaminis locum & ista occupent, quòd capite primo libri secundi reprehendit scriptorem Ruffinum, quòd is in sua Ecclesiastica historia tempora rerum gestarum confuderit ex ignorantia, præsertim in historia Athanasij. Item Eusebium Pamphili, Cęsareæ Palæstinę olim episcopum, grauiter defendit, quòd non fuerit Arianus, quemadmodum à plerisq; audiebat: libro eodem. Sed in eo rursum & ipse Socrates reprehenditur à Nicephoro libro sexto, capite tricesimosexto: item libro nono, capite tredecimo.

Huc & illud referemus, quòd licet ipse Socrates suam in contexenda historia diligentiam prædicet, & non nisi comperta se tradere narret, tamen etiam ipsius oscitantia taxatur ab Euagrio: qui illum quædam de dissidio in Ephesina prima synodo posteriore loco recitare scribit, idque per ignorantiam, quæ priori facta fuerint. libro primo, capite quinto.

Porrò quàm diu uixerit, aut ubi demum, ac quando, & quo euentu ætatem suam clauserit, nihil explorati habetur. Hoc ex historia illa colligi potest, post Theodosij Magni obitum, sub Imperatoribus Arcadio & Honorio, ipsius filijs, & Theodosio iuniore nepote, eum fuisse celebrem, &c.

DE PRESBYTERIS CONSTANTINOPOLITANIS.

PHILIPPVS SIDENVS.

PHilippus patriam Sidam, ciuitatem Pamphiliæ, ac Troilum, sophistam hoc tempore famosissimum, cognatum habuit: ut refert Socrates libro septimo, capite uicesimoseptimo. à Chrysostomo autẽ gradu diaconi insignitum, narrat Liberatus archidiaconus Carthaginẽsis in Breuiario cau. sa Nestorij, capite septimo, in secũdo tomo Conciliorum. Multùm certè cum Ioanne Chrysostomo fuisse, etiam Socrates annotauit. Eo autem tempore quo Atticus ex hoc seculo migrauit, iam inter presbyteros accensum constat, & unà cum Sisinnio ex competitoribus fuisse unum: cui tamen Sisinnius est prælatus. quod ipse ægerrimè tulit: sicut ex eius scriptis ostẽdit Socrates memorato libro, capite uicesimosexto. Cæterùm uarios ipsum collegisse libros, & proprijs lucubrationibus multa scripsisse, idem narrat: ac nominatim meminit operis cuiusdam, quod Christiani historiam inscripserit, & in trigintasex libros diuiserit, quorum singulos in plures sectiones distribuerit, & singulis suam hypothesin seu argumentum præfixerit: & quidem eo consilio ediderit, ut refutaret libros Iuliani Imperatoris. Fert etiam Socrates de eo opere suum iudicium, & reprehendit quòd multa & uaria complectatur, & subinde intertexat geometrica, astronomica, musica, arithmetica: situs quoq; ac descriptiones insularum, montium, arborum, & huiusmodi quamplurima, quæ ad instituti operis argumentum planè nihil faciant, tantumq; ad ostentationem ingenij sint addita, ut ostenderet artium & philosophiæ se non esse imperitum. deinde etiam, genus orationis esse Asiaticum, tumidum & inflatum. ac propterea id opus parum usui esse doctis pariter & indoctis affirmat: quòd eruditiores ostentationem oderint, & minus eruditi turgidum illud dicendi genus non perspiciant. Sed & tempora historiæ ipsum confundere quoq; scribit. additq; exemplum, quòd in Theodosio repetat, quæ prioribus temporibus cum Athanasio gesta sint. Meminit etiam Nicephorus libro decimoquarto, capite uicesimonono. Sed is non unum scriptum facit, sed duo distincta: unũ, quòd ut opus magnificum prædicat, in quo ea quæ Iulianus contra sacra Biblia ediderit, refutet: alterum, illud historicũ, de quo ad eundem modum ut Socrates differit.

POLYCHRONIVS.

Polychronius presbyter fuit Cõstantinopolitanæ ecclesię, sub Proclo. Eius opera inuentæ scribuntur reliquię Quadraginta militum, qui apud Sebastam Armeniæ sub Licinio martyrium perpessi fuerant: author Sozomenus libro nono, capite secundo. Meminit etiam Nicephorus libro decimoquarto, capite decimo.

THEOPHILVS.

Theophilus Constantinopolitanus presbyter, ex Chalcedonensi concilio notus, in quo præsens, nomine & uerbis cleri illius urbis testimonium perhibet Basiano Antio-

Antiocheno episcopo, quòd Proclus ipsum receperit in communionem, literisque synodicis eundem honorãs dimiserit ad suos, & nomen eius in Catalogo episcoporum recitari publicè iusserit: ex undecima actione eiusdem concilij.

ABRAHAM.

Abrahamus presbyter in Septimo Constantinopoleos suburbio, & archimandrita, in Synodo in eadem urbe celebrata contra Eutychen, primùm causam eius egit. Sed postea iussus exponit patribus, quemadmodũ Eutyches librum composuerit de fide, & miserit hinc inde ad archimandritas, & petierit subscriptionem. In suffragia ac in condemnationem Eutychis consensit, ut patet ex prima actione Chalcedonensi: & postea unà cũ alijs contra monachos Dioscori & Eutychis sectatores scriptum synodo obtulit, actione quarta Chalcedonensi.

MAMAS ET THEOPHILUS.

Mamas & Theophilus presbyteri, ex synodo Constantinopolitana à patribus ablegantur ad Eutychen secundò uocandum, ut se synodo sistat: ex eiusdem quarta actione, quæ in Chalcedonensi synodo repetitur prima actione, in primo tomo, & undecimo capite Liberati Breuiarij, secundo tomo Conciliorum. Extat in sexta Constantinopolitana actione bella cum Eutyche disputatio, de utraque Christi natura: quòd tametsi in scripturis non reperiatur phrasis ista DV AB NATVRAE, sicuti nec uocabulum HOMOVSION, sed olim ad rei explicationem à sanctis doctoribus sit tantum confictum: ita nihil iam obstet, quo minus Christus ex duabus naturis unus filius dicatur, præsertim cum ipse etiam confiteatur se perfectum Deum uerbũ, & perfectum incarnatum hominem, & duo perfecta unum perficiant filium.

ASTERIVS.

Asterius presbyter, monachus, & notarius in Constantinopolitana synodo.

MARTINVS.

Martinus presbyter, & monasterij Dionysij, ut uidetur, præfectus siue archimandrita Constantinopoli. Hic fidei formulam ab Eutyche compositam, sibique ab eodẽ missam, ut subscriptione eam sua cõfirmaret, non recepit, neque eidem subscripsit: rationem adijciens, suum nõ esse subscribere, sed episcoporum. Ibidem. Sed in ipsius Eutychis damnatione, synodi sententiæ subscripsit per fratrem Philippum.

DE DIACONIS CONSTANTINOPOLITANIS.

VIGILIVS.

PONit inter reliquos sui catalogi Gennadius, etiam quendam Vigilium diaconum, quem memorat ex patrum traditione composuisse monachorum regulam, breui quidem, sed tamen aperto sermone, tocius monasticæ professionis disciplinam continentem: quæ etiam in fratrum congressu in cœnobio ad eorundem profectum legatur. nec tamen addit, ubi aut quando uel uixerit, uel scripserit. Trithemius eum sub principibus Honorio & Theodosio claruisse narrat, sub annum Christi quadringentesimum & uicesimum. Petrus de Natalibus, ipsum sub Leonem, primum Orientis Imperatorẽ refert, & apud urbem regiam Constantinopolitanam in pietate diem extremum claussisse: lib. 6 cap 13.

SERAPION.

Serapion Aegyptius natione, à Iohanne Chrysostomo Constantinopoli archidiaconus constitutus, homo iracundus, & ad contumelias procliuis. Sozomenus libro octauo, capite nono. Intempestiuo quodam sermone, suo pastori iam antè Ecclesiastico ordini inuiso, maius conciliauit odium, quòd in uniuersorum aliquando cœtu insolẽtius hæc uerba effutire non fuisset ueritus: Nunquam patieris dominari poteris ô episcope, nisi uno baculo cunctos expellas. Socrates libro 6. cap. 4. Suo pastori arctissimè adhæsisse, & pro ipso etiam zelo laborasse contra æmulos, & fidem præstitisse etiam absenti, tum ex alijs quæ de uita Chrysostomi commemorantur cõstat, tum etiam ex hoc facto. Cum Chrysostomus uisitaturus ecclesias in Asiam fuisset profectus, & interea curam sui gregis cõmendasset Seueriano Gabalensi episcopo: is uerò suũ negociũ ageret, ac in hoc seduliò incũberet, quomodo suã eam ecclesiã faceret: illicò hoc Chrysostomo legitimo pastori absenti nunciauit, eumq; mox ad ecclesiã reuocauit: ut idẽ Socrates eodẽ lib. ca. 11. Sozomenus lib. 9. cap. 9. refert. Vnde etiã factum, (ut ibidem Socrates meminit) multam sit ipse uicissim libertatem ac fidem Serapion apud Chrysostomum consecutus: sed ea res ipsum insolentiorẽ fecit. Nam cum aliquando ipso sedente præteriret Seuerianus Gabalensis, ipse honoris gratia ei minimè assurrexit. Eum autem cõtemptum indignè ferens Seuerianus, ut uicissim Serapioni ægrè faceret, in has uoces animi dolore erupit: Si Serapion Christianus fuerit mortuus, Christus non est homo factus. Hanc arripiens occasionem Serapion, ad episcopum suum Chrysostomũ de blasphemia ipsum defert, quòd dixisset Seuerianus, Christum nõ esse hominem factum: fraudulenter priorem ac conditionalem dicti partem occultans, Si Serapiõ Christianus obierit. Et ut rei fidem faceret, producit quidem testes, sed suæ farinæ homines, qui in ipsius gratiã eadem cum ipso, sed

sed perfidè testificabantur: effecitque hac sua perfidia, ut Seuerianus pelleretur: sicut suo loco quoq; est dictum. Hic etiam Serapion Epiphaniũ, multa præter sui officij rationẽ agentem Constantinopoli in Synodo: uidere ne, si quæ in populo ob turbulentas ipsius actiones, turbæ aut seditiones exoriantur, ipse tanquam author in discrimen ueniat. & hac ratione etiam ipsius conatus tum repressit. recitat Sozomenus cap. 14. eodem libro 8. In Synodo contra Chrysostomum Constãtinopoli coacta, ipse quoq; unà cum suo pastore uocatur, ad dicendum causam. capite decimoseptimo. Idem. Demum ab eodem suo antistite Chrysostomo, ab exilio priori reuocato constitutum episcopum ecclesiæ, quæ fuit Heracleæ in Thracia, referũt Socrates decimoseptimo capite, Sozomenus decimonono, libris ijsdem.

GERMANVS ET *Cassianus.*

Ex literis Innocentij ad clerum Constantinopolitanum, apud Sozomenum libro octauo, capite 26 apparet, Germanum & Cassianum ex clero Constãtinopolitano fuisse, & legatione ad Innocentium functos esse: ac ad eum de Chrysostomi electione, & afflictione cum eo sentientium retulisse.

DEMETRIVS, CYRIACVS, *& Eulysius.*

In fine earundem literarum mentio fit etiam horum, Demetrij, Cyriaci, Eulysij, tituloepiscoporum, qui partium Chrysostomi Romam Constantinopoli nõ unà simul, sed diuerso temporum interuallo concesserant: quorũ narratione iam antè omnia se cognouisse scribit Rom. episcopus, quæ Iohanni acciderant, prius quàm clerus per legatos illos ea de calamitate certiorẽ se reddidisset. Nicephorus eadem commemoratus, omisso Cyriaco trium tãtum reliquorum meminit, capite 32. libri tredecimi. Sequenti tamen capite, ipsum etiã reliquis adnumerat, qui pontificiam legationem in Græciã ad Imperatorem sequentes, unà cum ipsis legatis in insidiatores ab Imperatrice subornatos incidérũt, ac in custodias coniecti, persecutionum sui pastoris participes sunt facti: sicut in superioribus est annotatum. Cæterùm quando emissi, aut quid demũ cum ipsis actum, non constat, authoribus hoc ipsum silentio prætereuntibus. Fieri etiam potest, ut & hic Demetrius sit Pelsinuntius ille episcopus, qui fidem & studium erga Chrysostomum iam antea declarauerat. nam cæteris omnibus ex suis ministris deficientibus, quos suo nomine synodo in Quercu reponsum referre miserat Chrysostomus: hic solꝰ nullis uel minis aduersariorum Chrysostomi, uel blanditijs motus, ad ipsum est reuersus. recitat Sozomenus libro octauo, capite decimoseptimo. Meminit & Nicephorus capite decimoquinto, libro decimotertio.

AETIVS.

Aetius archidiaconus in cõcilio Constantinopolitano, sub Flauiano contra Eutychen celebrato, notarium egit. In concilio uerò Chalcedonensi, primicerius notariorum uocatur: ut patet ex Euagrio libro secundo, capite decimosexto, & Nicephoro libro decimoquinto, capite ultimo. Anatolius eum ab officio suo remouerat, sub specie tamen amplioris conditionis: & creatum presbyterum cuidam cœmiterio præfecerat. in rerum autem Ecclesiæ administrationem ipsius loco substituerat quendam Andream, qui ob Eutychianismum malè audiebat. Hoc ubi resciuisset Leo Romanus, indignissimè tulit: & causam Aetij agens, grauissimè id factum reprehendit, scriptis literis ad episcopum Iulianum Coensem, Apostolicæ sedis Constantinopoli legatum, & ad Imperatorem Marcianum, & Pulcheriam Augustam: eosque grauissimè adhortatur, uelint dare operam ut quæ perperam à suo pastore Anatolio facta essent, ocyus corrigantur. In illis autem scriptis egregium testimonium præbet Aetio, quòd Flauiani non solùm fuerit discipulus, sed eiusdem confessionis coniunctissimus: qui tumultuantibus hęreticis, constantiam in fide præstiterit eam quidem, ut nunquam uel huc uel illuc inclinarit, imò etiamnum blasphemiarum Nestorij & Eutychis hostis existat infensissimus. Effectum igitur tandem est, ut remoto Andrea Aetius in pristinum officij sui statũ restitueretur, ut patet ex epistolis Leonis 56. 57. 58. & epistola 71. ad Anatolium.

ASCLEPIADES.

Asclepiades diaconus Constantinopoli fuit. legationem obtinuit nomine sui episcopi Anatolij ad episcopos Orientis, unà cum legatis Leonis Imperatoris, ad colligendas singulorum sententias, quid de Chalcedonensi synodo, & Aeluri Alexandrini episcopi electione sentirent. Refertur in narratione de prauitate Dioscori, in fine Chalcedonensis concilij, in Breuiario Liberati, capite decimoquinto.

BASILIVS.

Basilius diaconus eiusdem ecclesiæ sub Proclo fuisse uidetur, ex decimoseptimo capite Liberati Breuiarij. Is scriptum quoddã, quod Proclus Armenijs miserat, ad quæstionẽ ipsorũ de doctrina & libris doctorũ Diodori Tarsensis & Theodori Mopsuesteni, obtulit Cyrillo Alexandriã profectus: eiq; hoc

modo

modo occasionem præbuisse uidetur, ut aduersus eosdem doctores Diodorum & Theodorum scripserit, tanquam Nestoriani dogmatis authores. Constãtinopolim rediens idem Basilius, scripsit quędam etiam ipse, & obtulit Proclo, cum nonnullis quæ iam antè etiam Cyrillo obtulerat. Sed quia iam Armenijs suam respõsionem miserat Proclus, intellexeratq; Basilius in eâdem nullam uel minimam reprehensionem Theodori factã: mox ipse arrepto calamo, peculiare edit scriptum, in quo indicat, Theodori libros uitandos, non minus quàm Arij & Eunomij blasphemias. Cæterùm illud scriptum non caruisse reprehensione, præsertim sapientum, ex eodem Liberati loco manifestum est: idque ideo, quòd parum appositè Theodorũ cum Ario & Eunomio contulerit, ut qui nihil cum ipsis in dogmate commune habeat: cum hi unam tãtum in Christo naturam, & quidem degenerem à patris substantia tradiderint: ille uerò duas econtrà in Christo doceat naturas. Postea cum sub Flauiano excitata esset hæresis Eutychis, ad Romanum episcopum legatione functus est, ut patet ex epistolis Leonis ad Flauianum, numero 21. & 22.

THEODOTVS.

Theodotus diaconus à Proclo Antiochiã missus, obtulit Iohanni archiepiscopo librũ, quem ad quæstionem quorundam ex Armenia episcoporum contra Nestorianũ dogma scripserat: ut Liberatus meminit in suo Breuiario, capite decimo.

MARCIANVS OECONOMVS *ecclesiæ Constantinopolitanæ.*

Quo tempore Gennadius Constantinopolitanæ præfuit ecclesię docendo & gubernando, memoratur ibidem fuisse uir quidã perquàm celebris humanitatis & misericordiæ operibus Marcianus: eiq́ue, cum relicta Catharorum hæresi ad Ecclesiã transijsset, à Gennadio commissam curam œconomię ecclesiasticæ. Theodorus Lector libro primo. Prehensis Euangelijs, lachrymis & precibus domũ ab incendio seruasse, idem addit. Mortuos ipsum excitasse, & multa templa proprijs sumptib. cõstruxisse, Nicephorus narrat libro 15. cap. 22. Cõstituisse pręterea eum, uterq; meminit, ut quæ in unaquaq; ecclesia offerrẽtur munera, ea cuiusq; loci clerici acciperẽt. Meminit ipsius etiam Metaphrastes, in Auxentio.

SINELITIVS.

Videtur esse diaconus ex ministerio Constantinopolitanę ecclesię, per quem Euphemius literas misit ad Gelasium. Patet ex epistola Gelasij, quæ est in ipsius decretis, in primo tomo Conciliorum.

EVLOGIVS.

Eulogius diaconus ecclesię Constantinopolitanę, à Flauiano episcopo missus est unà cum Imperatoris legato, ad urbem Berytũ, ut sui episcopi nomine cõmitteret causam Ibæ Edesseni episcopi, cum suis ministris sibi aduersarijs, cognoscẽdam certis quibusdam in Oriente episcopis, & simul etiam actioni interesset: ueluti ex gestis istius translationis liquet, quæ recitantur in decima actione Chalcedonensi.

DE MONACHIS CONSTANTINOPOLITANIS.

NILVS.

NIlus uir generis nobilitate, & uirtutũ ornamento præclarus monachus, urbis Constantinopolitanæ indigena, & præfectus, postremis iunioris Theodosij temporibus. Cumq́ue potentia & opibus affluret, atque etiam isto modo Ecclesiæ & Reipublicæ rectè & multum seruire prodesse-que potuisset: tamen ex sinistro Scripturarũ intellectu, & peruersa istorum temporum superstitione, relicta legitima sua eaq; præclara uocatione, monasticen est amplexus: authore Nicephoro libro decimoquarto, capite quinquagesimoquarto. Chrysostomi discipulum fuisse, meminit idem capite tricesimo, item capite quinquagesimo tertio. Tribuit ei idem author uim eloquentiæ, qui diuinæ gratiæ neruis ualidis fuerit, & scriptis præterea uarijs suam posteritati memoriam commendarit. Scriptorum autem inter cætera hæc commemorat.

De monasticæ uitæ exercitijs.

De diuinorum patrum in monte Sina oribitu & martyrio.

Libros ad græcæ superstitionis homines scriptos, hosq́; inter omnia reliqua eius scripta primas tenere.

Libros ad Eulogium.

Videtur & locos communes scripsisse, dũ ait Nicephorus capita ipsum quædam collegisse, in quibus nonnulla fusius, pleraq; uerò compendiosius tractarit. De his scriptis author addit, eam fuisse tum in uerbis tum in sententijs compositionem, ut incredibili gratia lectoris recrearint animum.

Nili monasticas orationes extare græcas Romæ in Vaticana, item opuscula quindecim Theologica, & capita φυσικῶν: item librũ ad Chariclen episcopum, nimis asperum in peccatores, & dicentem, quòd non sola pœnitentia sufficiat ad confessionem, refert Gesnerus in sua Bibliotheca. Nunquid autem huius Nili, de quo nobis sermo, istæ sint lucubrationes, indubitanter affirmare non possumus. Præbet tamen propemodum coniecturam, quòd hic scriptum quoddam, capita

capita φωτινῶς nominatur, & Nicephor⁹ quoque capita eum collegisse memoret.

Maritum fuisse ante monastices professionem, & persecutiones quoque passum, inde colligitur, quòd narrat Nicephorus, Nilum in scripto de Martyrio patrum in Sina, commemorare suas quoq; & filiorum res, captiuitatemq;, quum Barbari Blemmyæ excursione quadam ingentem cædem fecissent. Vita defunctum, transtulit Iustinus posterior, & reposuit in fundamento sacratioris mensæ, in templo ab ipso ad Orphanotrophium cõstructo, Petro & Paulo apostolis.

CYRILLVS.

Constantinopoli in monasterio Acæmetorum, præfuit Cyrillus, tempore Zenonis Imperatoris. Hic pontificem Romanum Felicem incitauit aduersum Acacium Constãtinopolitanũ episcopum, propterea quòd Petrum Moggum Alexandrinum recepisset, ab ipso antea damnatum. Euagrius libro tertio, capitibus decimonono, uicesimo, & uicesimoprimo.

THRACIAE EPISCOPI.

EVTROPIVS, BYZES, & Arcadiopolis.

CYRILLVS Cælensis.

EVtropius episcopus Byzes & Arcadiopolis, & Cyrillus episcopus Cælensis, prouinciæ Thraciæ, ut apparet, uterq; ex Ephesina synodo prima cogniti, in qua oblatis supplicatorijs libellis petũt uetusta quædam suarum Ecclesiarum in alias iura, facta constitutione confirmari. Exemplum ipsorum supplicationis inter acta concilij Ephesini primi refertur, primo tomo Conciliorum.

LVCIANVS.

Episcopus Byzes Thraciæ, Chalcedonensi concilio interfuit. Mittitur cum alijs à synodo ad Dioscorũ, tertiò euocandum ad synodum, in tertia actione, in causa Ephesini episcopi Bassiani cõtra Stephanũ ipsius aduersariũ. Gnauiter defendit partes Bassiani: & disertè pronunciat, non posse ipsum rectè amoueri, cum eius episcopatus sit confirmatus ab Imperatore, & illo archiepiscopo quius in Ephesinã ecclesiã habuerit, nempe Cõstantinopolitano: effecitq; hac sua libera uoce unà cum Iuliopolitano episcopo, ut & patres reliqui oẽs in illorũ inclinarẽt sentẽtiã, & de restituẽdo Bassiano pronũciaret: ex 11. actione Chalcedonensis concilij.

Phrinclas Heracleæ.

IN illo ipso supplicatorio scripto mentio fit cuiusdam Phrinclæ, seu Phriniclæ episcopi Heracleæ, qui à synodo ad Nestorium deficiens, apostata factus sit.

CYRIACVS *Heracleæ.*

Cyriacus Heracleæ Thraciæ episcop⁹, tẽpore eiusdem concilij: cui tametsi nõ interfuit, eius tamẽ in Catalogo fit mentio, quòd locum ipsius etiam simul cõpleuerit Lucianus prædictus. Ibidem.

FRANCION.

Francion Philippopolis Thraciæ metropolis episcopus, Chalcedonensi concilio interfuit: ex legatis, ut apparet, primus, qui tertiò ad accusandũ Dioscorũ à synodo mittuntur. ex tertia actione eiusdem Concilij.

ROMANVS.

Eudoxiopolis, id est Selimbriæ ciuitatis prouinciæ Thraciæ episcopus. Interfuit synodo Constantinopolitanæ, cõtra Eutychẽ, eiusq; dãnationi subscripsit. Idem in Chalcedonensi etiam fuit, ut constat ex actis.

DOCIMASIVS.

Maroneæ ciuitatis Rhodopæ Thraciẹ episcopus fuit, in prima Ephesina contra Nestorium, & sensit cum Cyrillo.

De alijs Thraciæ episcopis.

FIt mentio & aliorum quorundã, in actis synodorum: ut Basilij Traianopolis, Eutychij Adrianopoleos, Claudij Anthiaxi, Eudoxij Bosphori, Dynati Nicopolitani, Luciani Topirẽsis, Aetij Nicopolis, Iouini Deueltensis, & similium. Ad Sarmationem & Corathonẽ & Desiderium Thraciæ episcopos extat epistola Leonis.

Dorotheus.

Dorotheus Marcianopolis secundæ Mysiæ episcopus, primæ Ephesinæ synodo contra Nestorium interfuit, seq; cum Ioanne Antiocheno coniunxit: & subscripsit mandato, legatis ad Imperatorẽ ab Oriẽtalibus commisso, ut patet ex actis.

Diogenes.

Diogenes Remissianensis Daliæ episcopus, interfuit synodo Ephesinæ, & approbauit Eutychis damnationem: ut patet ex actis Chalcedonensis synodi.

DE EPISCOPIS ROMANIS.

ANASTASIVS.

SIricio papẹ successit Anastasi⁹, tricesim⁹ nonus Romanus episcopus, iuxta Augustinum in epistola 165 sed iuxta Prosperũ tricesimus septimus. Patrem habuit Maximũ nomine, Romanũ, ut habet Põtificalis liber. Ad episcopatum uenit circa annum Domini 401, Honorio & Eutychiano consulibus, iuxta Prosperũ: seu 402, iuxta Marianũ Scotũ, Arcadij uerò & Honorij Imperatorũ anno 4. Extant in lib. Conciliorũ duæ eius epistolẹ, quarũ prior inscripta est Germaniẹ & Burgundiæ episcopis, in qua ad quẹstiões quasdam respondet. Posterior uerò ad Nerianũ nobilem uirum, & continet consolationem de obitu parentum ipsius; ubi de spe resurre-

ctionis diligenter monet. Non autem præterrem dubitatur, an hæ epistolæ sint Anastasij. nam epistolarum data minimè conueniunt tempori. Prior enim scribitur esse data Arcadio & Bautone consulibus, qui secundum Cassiodorum, Prosperum & alios, circa annum 388. sub Theodosio seniore consulatu functi sunt. & hi anni in Syricij episcopi initium incidunt, qui circiter annos sedecim ecclesiæ Romanæ præfuit, ut Prosper dicit. posterior autem Theodosio Augusto septimò, & Palladio, consulibus scripta legitur. Verùm hi fuerunt consules anno Domini 418, ut est in Prospero. Marianus annotat 417, qui quidem anni sub Innocentij finem cadunt. Patet igitur, tempus epistolarum omnino plurimis annis ab Anastasij episcopi regimine discrepare, easque omnino suspectas facere. Fit mentio & epistolæ Anastasij de Donatistis, in cõcilio Africano recitatæ: cui quid tribuendum sit, pius lector iudicet.

De doctrina eius proferre nihil possum, quia neque scripta eius certa extant, neque ex epistolis suspectis quicquam de articulis doctrinæ eius petere licet.

Consilia eius ex prædictis epistolis breuiter recitabimus, ut auido lectori satisfaciamus. quid enim de ijs sentiendum sit, iam est dictum. Primùm censuit: sacerdotes debere stantes Euangelij lectionem recitare, & auditores similiter stantes cum quadam inclinatione seu ueneratione audire. epistola prima, & liber Pontificalis. Secundò: Ne peregrini, & maximè transmarini in clerum recipiantur, nisi suorum, aut (ut quidam scribunt) quinque episcoporum chirographa seu testimonia haberent: idque factum est propter Manichæorum hæresin in Africa tum grassantem. prima epistola, liber Pontificalis, Bergomensis in Arcadio. Tertiò: Ne debiles, seu mutilati aliquo membro, in clerum recipiantur: ut Gratianus & Platina annotant.

Obseruandum & hoc est, quòd Anastasius audet Germanis & Burgũdis suum morem, quòd sedendo & legerint & audierint Euangelij recitationem (quem quidem ex maiorum traditione acceperant) temerè & insigni quodam fastu abrogare. Nam ait, se Apostolica autoritate eis mandare, ne in posterum eum morem seruent.

Apparet ex eius epistola prima, sicut ea quidem habetur, Manichęos etiam hoc tempore Romæ fuisse, & doctrinam corrupisse: contra quos non tantum dimicarit ipse, sed etiã alios monuerit, ut sibi ab eo contagio diligenter cauerent.

Anastasij meminit Hieronymus in epistola ad Marcellinũ, numero uigesimaseptima, & dicit, Ruffinum libellum ad eum scripsisse. Meminit eius etiam Augustinus libro secundo, capite quinquagesimoprimo, contra literas Petiliani.

Basilicam Crescentianam Romæ in uia Mamertini eius tempore extructam esse, liber Pontificalis narrat. Ordinationes dici tur in Decembri feciſſe complures, nempe octo presbyteros, sex diaconos, decem episcopos. liber Pontificalis: Bergomensis in Arcadio. Mortuus, sepultus est in cœmiterio ad ursum pileatum, 5. Calendas Maij. Vixit in episcopatu annos tres. Socrates lib. septimo, capite nono. Sozomenus libro 8. capite uigesimoquarto. Quibus addit Prosper dies 21. Marianus Scotus tribuit ei annos quinq;, dies uigintiseptem.

INNOCENTIVS.

Successor Anastasij Innocentius fuit, ut Sozomenus libro octauo, capite uicesimoquarto & alij scribunt. Italium autem fuisse, & quidem Albanum, genitũ patre Innocentio, Platina & Pontificalis liber memorant. Cuius initium refert Prosper in Chronico, sub annum septimum Imperatorum Arcadij & Honorij, qui est annus Christi quadringentesimus quartus.

De gubernatione huius, ut & aliorum plurimorum, præter constitutiones siue cõsilia, pauca reperias. Extant autem sub huius nomine uigintiocto circiter epistolæ, in primo Conciliorum tomo. Gennadius in Catalogo meminit decreti ad ecclesias Occidentales & Orientales, aduersum Pelagianos.

¶ De doctrina eius pauca quædam ex ipsius scriptis annotare uisum est.

De Deo & sacra personarum Triade recte sensit, ut plerique omnes. De hominis lapsu sic inquit inter alia: Liberum ille (homo) arbitrium olim perpessus, dum suis insultius utitur bonis, cadens in præuaricatiõis profunda demersus est, & nihil quéadmodum exinde surgere posset inuenit, suaque inæternùm libertate deceptus, huic ruinæ iacuisset oppressus, nisi eum postea Christi per suam gratiam releuasset aduentus, quæ per nouæ regenerationis purificationem præteritum omne uitium sui baptismatis lauacro purgauit. Epistola uigesimaquinta.

De Libero arbitrio docet, omnes homines in rebus spiritualibus, sine Dei auxilio nihil posse: idque & suis argumentis, & proprio omnium sanctorum testimonio ac exemplo probat. sic enim scribit: Cum putes te ei debere quòd uiuis, quomodo te non putas illi debere quòd (quotidianam eius cõsequendo gratiã) taliter uiuis? Ac paulo pòst dicit, Ad resistendum humanis errori bus, nequaquã nos pates facere liberũ arbitrium,

trium,sed magnis precibus imploratam gratiam,Deiq; auxilium,&c. Et rursum: Necesse est,ut quo auxiliante uincimus,eo nõ iuuante uincamur.Ibidem.

De lapsorum per pœnitentiam recuperatione dicit:Ecclesiam non negare curam lapsis,si resipuerint,ut à suis reuocati præcipitijs,intra ouile Domini redigantur.ad finem in rescripto ad Carthaginense concilium. Item in rescripto ad Mileuitanum concilium: Vt durum arbitror conniuentiam prębere peccantibus,ita impiũ iudico manum negare conuersis.

De baptismo dicit:Per baptismum totum quod uetus homo gesserat,putatur auferri. Epistola 22.ad episcopos Macedonianos.

De cęteris articulis doctrinę,nihil in eius epistolis ex professo tractatur.

Næui.

Cæterùm eius in epistolis nõ pauci,nec leues næui occurrunt. Nam sanctis uidetur tribuere honorem diuinum,quòd aliquam in eos fiduciam collocat,& ab eis auxilium optat.nam in epistola secunda ad Victriciũ Rothomagensium episcopum inquit: Inciamus adiuuante Deo,& sancto Dei apostolo Petro.

In eadem epistola malè quoq; asserit,ministrorum Ecclesię non eandem esse potestatem.Dicit enim,solis episcopis licere infantes baptizatos consignare:presbyteris uerò, tametsi & ipsi sint sacerdotes, tamen cum pontificatus apicem non habeant,minimè concedi ut uel consignent,uel spiritum paracletum tradant.idq; consuetudine Ecclesiæ confirmat,& exemplo de Petro & Iohanne ex actis Apostolicis sumpto,ab Apostolis ad Samaritanos missis. Quod exemplum quàm dextrè sit accommodatũ,iudicet lector.Certè apparet,ipsum maiorem uim & efficaciam tribuisse consignationi,quàm ipsi baptismo.Quia contendit,presbyteris licere quidem baptisare,uerùm non cõsignare: id quod uerbo Dei non est consentaneum. Præterea baptismi uirtutem & Spiritus sancti exhibitionem pendêre à persona baptisantis,affirmare uidetur in epistola decimaocta ua ad Alexandrum Antiochenum episcopũ, ubi inquit:Baptisma Arianorum quia sit factũ in nomine patris,filij & spiritus S. ratum quidem habere Ecclesiam: nec tamen ex eo baptismate tales spiritum S.habere posse,eo quòd ipsorum authores à fide catholica deciscentes,perfectionem spiritus quam acceperant,amiserint:ac propterea eius plenitudinem nec ipsi dare possint,quæ maximè in ordinationibus operetur,quam ipsi sua perfidia perdiderint.

Vnctionẽ chrysmatis appellat sacramẽtũ, epistola prima ad Decentium Eugubinum.

De coniugio uidetur interdum rectè sentire,interdum uerò minus cõmodè. Piè scribit,nuptiarum copulam quæ Dei mandato perficiatur,non posse dici peccatum. In epistola 22.ad episcopos Macedoniæ. At epistola 2. ad Victricium Rothomagensem,itẽ 3.ad Exuperium Tolosanum,minus piè sentit:quòd tametsi primum coniugium,præsertim cum uirgine,concedere ministris ecclesiarum uideatur,tamen à consuetudine cõiugali illos,& præsertim sacerdotes,prorsus arcet.Item,quòd eum qui aut secundam uxorem,aut uiduam duxisset,nunquam in ministerij ordinem recipiendum statuit.quã ad rem abutitur Scripturis.

Pro primatu Romanę ecclesiæ strenuè laborauit:id quòd patet ex omnibus eius epistolis.Vt epistola prima ad Decentium,satis pro imperio & minaciter mandat,ut sibi indicentur,qui sint qui alterius Ecclesiæ potiꝰ quàm Romanæ consuetudinem seruandam existiment. Epistola secunda ad Victricium scribit:Nulli liceat sine præiudicio Romanę ecclesiæ,cui in omnibus causis debetur reuerentia,ad alias conuolare prouincias: item, ut causæ quæ à prouinciæ episcopis determinari non possint,referantur ad sedẽ Apostolicam.Item epistola 18. non obscurè cum Alexandro pro primatu Romanæ ecclesiæ prę Antiochena retinendo depugnat.Et hac ratione paulatim iam mysterium iniquitatis maiora increméta accepit.2.Thess.2. In traditionibus autem humanis coaceruãdis,nimis curiosus,imò potius superstitiosus fuit, ut decreta ac ceremonialia ab ipso instituta demonstrant.Nam pacem,siue pacis osculũ dandum ante sacramenti perceptionem singulis solennibus festis,ordinauit in ecclesijs. epistola prima ad Decentium Eugubinum,de consecratione,distinct.2.c.pacem igitur.

Catalogum nominum qui eleemosynas obtulerunt,post preces,quibus illę oblationes cõmendantur,recitari instituit sub ipsis sacris mysterijs:epistola prima ad Decentiũ. de cons.distinct.1.de nominibus recitandis.

Non presbyteris modò,sed omnibus Christianis licere uti oleo ab episcopo consecrato,ad ungendum pro sua suorumq; necessitate:eadem epistola de cons.distinct.4.presbyteris.Clericum uiduam ducere nõ debere.quia sit scriptũ:Sacerdos uirginẽ uxorem accipiat,non uiduam,non eiectam (Leuit. 21. Ezechielis 44.) Epistola secunda ad Victricium.Qui uerò duxerint, remoueantur ab officijs. Epistola ad episcopos Macedonianos,ubi potissimùm hac de re disputat: item epistola ad synodum Toletanam.

Laicum siue ante siue post baptismum uiduam accipientem, non admittendum ad

clericatum:quia in baptiſmo crimina admittantur,non acceptæ uxoris conſortium relaxetur.eadem epiſtola, Item diſtinct.trigeſimaquarta: Siquis uiduam. Eodem modo ſi quis ſecundam ducat uxorem, in cleri ordinem neutiquam recipiendum: quia ſcriptum,Vnius uxoris uirum. Item epiſtola quarta ad Felicem Nucerianum,item epiſtola ad epiſcopos Macedonianos,de catechumenis:item diſtinct. uigeſimaſexta: Deinde opponitur. Item epiſtola uigeſimaquarta ad ſynodum Toletanam. Sacerdotes & Leuitas cum uxoribus non debere, ut ipſe loquitur,miſceri:quia ſcriptum, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.& prolixè argumentatur ab honeſto,ab exemplo Zachariæ parentis Baptiſtæ,& lege Numeri decimooctauo. Item à Scripturæ, præſertim Pauli teſtimonijs,malè detortis.1.Corinth.7:Abſtinete ad tempus,ut uacetis orationi.Tit.1 item 1. Timoth.3.Rom.8. Qui in carne ſunt. Epiſtola ſecunda ad Victricium. item diſtinctione trigeſimaprima, Tenere debemus. Eadem prolixè & ijſdem Scripturæ teſtimonijs tractat epiſtola 3. ad Exuperium Tholoſanum, de incontinentia ſacerdotum & leuitarum. item epiſtola 5.ad Maximum & Seuerum epiſcopos.

Sacras uirgines uelatas,ſi nupſerint, aut publicè uel occultè corruptæ fuerint, non admittendas ad pœnitentiã,illo cui iunctę fuerant uiuente:epiſtola 2. ad Victricium. Item c.27.q.1.Quæ Chriſto ſpiritualiter,&c. Ac argumentatur à conſuetudine recepta Eccleſiæ,de adulteris politicis.

Sacras uirgines, quãmuis non uelatas, ſi nupſerint,tamen aliquo tempore pœnitentiam agere debere. Eadem epiſtola. Item can.97.q.1.Hę uerò quę nondum.Argumentatur à ſimilitudine contractus bonæ fidei.Item à dictis Pauli 1.Timoth.5. Quæ priorem fidem irritam fecit:Phil.2.

In diuortio partem alteram, aliud contrahentẽ matrimonium,definit adulteram eſſe, iuxta illud: Qui dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam,mœchatur:ſimiliter & qui dimiſſam duxerit,mœchatur. Et ideo eiuſmodi à communione piorum prohibendos:epiſtola 3. ad Exuperium.

Laicos maritos & baptiſatos, qui non cõcubinas aut pellices aluerunt,& pię uitæ teſtimonium habent,ad clericatum admittendos cenſet:ita tamen,ſi iuſta in ſingulis gradibus tempora legibus conſtituta obſeruauerunt.epiſtola 4. ad Felicem Nucerianum: item diſtinct.23.Laici qui habentes.

Vt nullus contra ordinationem Canonũ ad epiſcopatum admittatur, ex abrupto quaſi,& qui non per gradus ordine progrediendo aſcendat.epiſtola duodecima, ad Aurelium Africanum epiſcopum.

Antiochenam eccleſiam primatum tenere tantum ſuper ſuam diœceſin,non ſuperaliquã aliam prouinciam affirmat: ad Alexandrum eius eccleſiæ epiſcopum,epiſtola 18.

Non debere eſſe duos metropolitanos epiſcopos,tametſi Imperiali cõſtitutione ſint duæ metropoles:eadem epiſtola.

Clericos ab Arianis & ſimilibus hæreticis ordinatos,ad Eccleſiam redeuntes,recipiendos quidem,ſed ita ut ipſorum ordinationes ſint irritæ, nec ipſi ad ſolita ſuorum, graduũ miniſteria admittantur. epiſtola eadem:itẽ epiſtola ad epiſcopos Macedonianos 22.ubi de eadem cauſa diſputat:item c. 1.q.1.Arianos præterea cæteros.

Statuit monachum ad clericatum pertinentem, priſtinum ſtatum debere retinere, nec licere ei uxorem ducere.epiſtola ſecunda,& Can.19.q.1.de monachis.

Ex curia homines & cauſidicos, & qui magiſtratus geſſerunt, & qui poſt baptiſmũ militiæ cingulum cœperunt, in clericorum numerum minimè recipiendos,conſulit epiſtola ſecunda ad Victricium: item epiſtola quarta,ad Felicem Nucerianum:item uigeſimaquarta ad ſynodum Toletanam:item diſtinct.51.Deſignata ſunt.

Eum qui uolens partem ſui corporis mutilauerit,ſtatuit non poſſe eſſe clericum: cui autem prętер uolũtatem id acciderit, poſſe. Epiſtola 4.ad Felicem Nucerianum,diſtinct. 55.Qui partem:item Nicen.ca.1.

Clerici, ſine epiſcopi conſenſu ordinati, cẽſuit irritam eſſe ordinationem: epiſtola 2. ad Victricium:itẽ diſtinct.71.Si quis auſus.

Publicè pœnitentes in clericorum ſortem adſciſcẽdos negauit, epiſtola 6. ad Agapitũ, Macedonium & Maurianum epiſcopos Apulos.item diſtinct.quinquageſima, Canones:item Nicen.ca.10.

Extra cõſenſum metropolitani, nõ ordinandos epiſcopos:epiſtola 2.ad Victricium: item diſtinct.64.Extra cõſcien. item Nicen. canone 4.

Epiſcopos qui præbendas, uel prioratum, uel decanatũ,aut honoré uel dignitates, ſeu aliquod ſacramentũ,utputa oleum ſanctũ, chriſma, conſecrationes altariũ uenderent, pro Simoniacis puniendos,ſtatuit 1.q.3.Si quis prębendas.referente Bergomenſe.

Eccleſiam ſemel conſecratam, deinceps non eſſe cõſecrãdam,uoluit 68.diſtinct.Eccleſijs ſemel.Bergomenſis.

Voluit quoque, ut prima ſedes alterius iudicio non ſubderetur.9.q.ſecũda: Nemo. Bergomenſis.

Ex Chriſtiana natum,nihilominus tamen per baptiſmum renaſci oportere. Pontificalis liber.

Sabbato

Sabbato celebrandum esse ieiunium, epistola prima, ad Decētium Eugubinum: item Pontificalis liber.

Tulit & quasdam leges de Iudæis, Paganis, ded; monachis, ut habetur 26. q. 2. nunquid. item Pontificalis liber.

Qui post baptismum toto uitæ reliquæ tempore uoluptatibus dediti incontinētes uixēre, si tamen ad extremum uitæ pœnitentiam agant, communionem eis non negandam uoluit: & propter Domini misericordiam, & ne Nouatianorum uideretur proba re dogma. epistola tertia ad Tholosanum Exuperium.

Pœnitentibus quinta feria ante Pascha est remittendum, ubi iuxta pondus delictorum ad iudicium sacerdotum congruè satisfecerint: nisi interea in morbū aliquem incíderint, tum uel ante Pascha eis relaxandū. Epistola prima: item distinct. 3. De pœnitentibus uerò.

Causas clericorum, quæ à prouinciæ episcopis finiri non possunt, ad sedem Apostolicam esse referendas. epistola secunda. item 11. q. 1. si quæ causæ uel inter laicos, uel inter clericos.

Et hæ quidem traditiones ex ijs epistolis potissimùm excerptæ, num uerè tribuantur Innocentio, dubitare non immeritò possis: quòd nulli prętereà hoc seculo doctores celebres, in quibus uel inter primos Augustinus, in causa Pelagiana Innocentij nomen, talium meminerunt: cum tamen idem Augustinus, non semel mentionem faciat. Accedit hoc quoque, quòd interdum integri paragraphi & in superiorum & sequentium episcoporū epistolis, nō similes modò, sed planè ijdem reperiuntur.

Cum hæreticis etiam tum neruo Ecclesiasticæ potestatis, tum scriptis depugnauit. Etenim Cataphrygas urbe expulisse ipsum, memorat post Platinam etiā Sabellicus, Eneadis septimæ libro nono. Eijcere cœpisse etiā Nouatianos ex urbe, & multas eis ecclesias ademisse, author est Socrates libro septimo, capite nono. Et quia eius temporibus, autnō ita multo antè, Pelagius & Cœlestius noui dogmatis authores prodierant, damnauit eos hęreseos: quòd diuinam gratiam minoris quàm liberum arbitrium facerent, uoluntatemq; ad diuina iussa exequenda satis esse docerent: sicuti hoc, prętereà Prosperum in Chronico, Platinā, & Sabellicū, etiam propria ipsius scripta testantur, quæ extant de hac controuersia in primo Conciliorum tomo, sub titulo decretorum Innocentij. 1. Rescriptum ad synodum Carthaginensem, quod est in epistola numero uicesimaquinta. Rursum aliud ordine uicesimumsextum, Rescriptū ad synodū Mileuitanam. Item 111. ad quinq; episcopos, Aurelium, Alipium, Augustinū, & alios, de numero uicesimumseptimum. Et Augustinus non modò aliquoties Innocentij, & ipsius in causa Pelagiana actionum meminit, in libris quos ex professo cōtra Pelagium & Cœlestium scripsit: sed etiam libri secūdi no no capite, eius rescripti in quo ad quinq; episcoporum illorum literas respondet Innocētius, bonam partem uerbo ad uerbum repetit. Imò scribit amplius capite septimo & decimo eiusdem libri, Pelagium misisse Romam literas ad Innocentium, in quo se de obiectis criminibus, quasi paruulis baptismum neget, purgarit: quę literę, quòd interea Innocētius decessisset, Zosimo sint redditæ. Meminit & epistola quadragesimaseptima ad quendam Valentinum. Excepit illū & aliud certamen, quod subijt pro Ioanne Chrysostomo, qui eiectus ex sua Ecclesia erat. Mittit igitur ad Imperatores Honoriū & Arcadium quinque episcopos, & duos presbyteros Romanæ ecclesię, postulans synodum indici, in qua ista causa legitimè cognosci & dijudicari posset. Sozomenus lib. octauo, capite uicesimosexto & uicesimooctauo. Quia autem literæ interceptæ erant, legati iniuria affecti, & Arcadius uideretur hāc causam negligentius agere, Innocētius Imperatorem cum coniuge, Atticū Constantinopolitanum, & Theophilum episcopum Alexandrinum, excommunicauit. Nicephorus libro decimotertio, capite trigesimotertio.

Quia porrò ob hanc Chrysostomi eiectionem nō solùm Cōstantinopolitana, uerùm etiam aliæ passim scissæ & distractę erant ecclesiæ, in hoc quoque maximè incubuit, ut eæ reconciliatæ coalescerent. Antiochena quoque ecclesia multo tempore diuisa, ipsius opera ad concordiam redacta uideri potest: sicut hoc ex epistolis quibusdam colligi posse arbitramur, ut est decimaquarta, decimaquinta, decimasexta, decimaseptima.

Epistola uigesimasecunda ad episcopos Macedonianos, refutauit quorundam opinionem de ordinatione, quòd in ordinationibus omnia uitia auferri per benedictionē non rectè crederent.

Ad seruandum leges in Nicena synodo institutas, hortatorem eum fuisse sedulum ac diligentem, inde apparet, quòd ualde eius labefactationem reprehendit in aljis episcopis: & omnes intra limites statutorum Niceæ à Patribus sanctorum retinere conatur. Ita scribit seuerè ad uniuersos Macedoniæ episcopos, item ad episcopos in Toletana synodo coactos: quos acriter certè accusat ob corruptam in ordinandis clericis disciplinam. Obiurgat & Florentium Ti-

burtinensem episcopũ, quòd alterius parrochiam inuaserit: epistola octaua. Laurentiũ episcopum Senienſem reprehendit, quòd ferat hæreticos Photini uenena sectãtes, quos Bonosiacos titulus appellat, in suo territorio conuenticula agere: epistola uigesima ad eundem.

¶ Plurimorum & celeberrimorum suæ ætatis doctorum habuit noticiã & amicitiã: ut Decentij episcopi Eugubini, epistola 1. Victricij Rothomagẽsis episcopi, epistola 2. Exuperij Tholosani episcopi, epistola 3. Felicis Nuceriani, epistola 4. Maximi & Seueri episcoporũ per Brutias, epistola 5. Agapiti, Macedonij et Mauriani episcoporum Apulorum, epistola 6. Rufi, Gerontij, Sophronij, Flauiani, Macedonij, Prosdotij & Oristei episcoporum Macedonię, epistola 7. Florẽtij, episcopi Tiburtini, epistola 8. Enodij, Posidonij, qui in uita Augustini eius honorificam facit mentionem, cap. 18. Aurelij Carthaginẽsis episcopi, ad quem priuatas scripsit literas de ratione Paschali. Et cũ primis Augustini, qui sancti eum papę et beati nomine dignatur, libro secundo De peccato originali contra Pelagium, capite 7. & 8. & 9. epistola Innocentij ad hos quinque episcopos peculiariter scripta: item 10. 11. 12. itẽ epistola concilij Carthaginensis 25. item epistola concilij Mileuitani. Habuit & cum Alexandro Antiocheno episcopo familiaritatem, ut testatur epistola decimaquinta, decimasexta, decimaseptima, & decimaoctaua. Maximiani Constantinopolitani episcopi, ut conijcimus ex epistola decimasexta. Attici Berrhœæ episcopi, epistola 19. Laurentij Senienſis episcopi, 20. epistola. Marciani Nerẽsitani episcopi, epistola 21. Macedonianorum episcoporum, quorũ plurima recensentur nomina, qui ipsum consuluerunt, epistola uicesimasecunda. Et Thessalonicensis episcopi Anisij: quod testatur ipsius Innocentij ad eundem epistola, cuius meminit Nicephorus lib. 13. cap. 33.

Ioannem Chrysostomum ei familiarem & charum fuisse cõstat. nam consolatorias literas ad eum scripsit, & de eo restituẽdo plurimùm laborauit: ut testatur Sozomenus libro octauo, capite 26. Et ipse Chrysostomus in epistola quæ extat tomo quinto, testatur se consolationibus Innocentij in suis calamitatibus esse confirmatum.

Postremò omnium (ut cæterorum more etiam hoc non negligamus) cum in urbe Roma per Decembrem quater habitis ordinationibus creasset episcopos 54. presbyteros 30, diaconos 15. obijt quinto Calẽdas Augusti, ac sepelitur in cœmiterio Priscillæ, ad ursum pileatum, ad annum Christi quadringentesimum decimumoctauũ, ut Prosper & alij numerant, cum gubernasset ecclesiã annis 15. mens. 2. diebus undecim: à quibus uno tantum anno diſsidet Marianus.

ZOSIMVS.

Vtut Theodoritus & Nicephorus contra omnes álios diuersum tradant, tamen uel unius Augustini testimonium instar cęterorum omnium esse potest, qui libro secundo de peccato originali contra Pelagium & Cœlestiũ, capite septimo et nono, expresse Zosimum Innocentij successorem dicit: atque idipsum etiam confirmant duæ epistolæ Africani concilij, primo Conciliorum tomo, sub decretorum Bonifacij primi finem. Et quidem tricesimumnonum in ordine facit Prosper, Marianus uerò quadragesimumprimum. Græcæ nationis homo, patre Abrahamo natus, ut Platina & Pontificalis liber annotant: ad episcopatum ascendit sub annum Christi quadringentesimum decimumoctauum, Imperatorum Theodosij posterioris cum fratruele Honorio octauo anno, authoribus Prospero & Mariano.

De gubernatione eius, propter breue quod habuit curriculum, nihil sanè adferre possumus. Vnum hoc clarè animaduerti potest ex actis Carthaginensis synodi sextæ, quæ sub ipsius episcopatu instituì cœpta erat, sedulò eum (ueluti decebat myſterij iniquitatis ministrum) in hoc incubuisse, ut Romanæ ecclesiæ primatus firmaretur. Quare ut declararet, nihil quod in rebus sacris tractaretur ratum fore, nisi Romani episcopi authoritas accederet: misit eò legatos cum scripto & mandato, qui pro Domino suo summa fide laborant, ut ius aliquod Romanæ ecclesiæ super Africanas extorquendo consequatur. Nam ipsius nomine & disertè postulant appellationem ad sedem Apostolicam, tum probandam, tum firmandam: idque autoritate canonum Nicenæ synodi, quos tum falsatos eò misisse, rerum euidentia & euentus postea probauit. Et Apiarium quendam ab Africanis episcopis propter flagitia reiectũ, ipse omninò restitutum uoluit.

Scriptorum eius extat epistola ad Hesychium Salonitanum episcopum, de ordinationibus, per gradus ad singulos ascendendum, & de singulorum gradu tum temporibus. Extat & alia ad clerum & presbyteros Rauennatium, in qua excommunicat quosdã rebelles. sub ipsius decretis, primo Conciliorum tomo.

Gennadius in Innocentio ait, ipsum sui anteceſſoris Innocentij decretum contra Pelagium, latius promulgasse.

Fit mentio & alterius epistolæ, quam ille ad totius

ad totius orbis episcopos scripsisse dicitur de controuersia, ut uideri potest, liberi arbitrij, sub decretis Celestini, in epistola eiusdem ad Galliæ episcopos: quæ tamen non extat. In actis sextę Carthaginensis synodi, & in epistola cõcilij Aphricani ad Bonifacium, fit mentio scripti Celestini, quod Commonitoriũ nominatur, ad suos in concilio legatos, Faustinum episcopum, Philippum & Asellos presbyteros. Verùm nec hoc scriptum integrè extat: suppressum fortasse studiò, ob falsatos Nicenos canones: fragmenta tamen & partes eius quædam repetuntur in modò numeratis locis. Et præsertim in epistola illa ad Bonifacium 4, postlatorum capita disertè exprimuntur.

1 De appellationibus episcoporum ad sedem Apostolicam.

2 Ne ad comitatum episcopi importunè nauigent.

3 De tractandis causis diaconorum & presbyterorum apud finitimos episcopos, si à suis temerè excommunicati fuerint.

4 De Vrbano Siccensi episcopo excommunicãdo, seu Romam euocando, nisi quæ corrigenda erant emendaret.

Doctrinæ ipsius de uno tantum articulo, Libero uidelicet arbitrio, quæ hoc tempore maximè agitabatur cõtrouersia, una tamen eaq; breuis sententia repetita recitatur in epistola Celestini ad Galliæ episcopos, §9. Quod tẽpus interuenit, quo Dei non ege amus auxilio? In omnibus ergo actibus, cautor orandus est. Superbum est enim, ut quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio cum carne, &c.

Næuum huius ut maximi momenti, ita omnibus deinceps sequentibus ueluti hæreditarium, & Antichristi certissimum τεκμήριον, reticere nequaquam debemus: quòd ecclesiæ Romanæ primatum, tentauit summo scelere, falsatione nimirum canonum Nicenorum, & diabolico mendacio confirmare. Sed eius & successorum dolus & deprauatio à patribus est animaduersa, detecta & refutata: ut patet ex actis synodi sextæ Carthaginensis.

Deinde etiam ipse superstitiosis ceremonijs & decretis onerauit Ecclesiam. Nam statuit, ut diaconi inter celebrandum, lenas tectas haberent linostimis: Platina, & liber Pont. Concesit, ut sabbatho Paschatis cerei in parochijs benedicerentur: Platina, Liber pontificalis.

Clericis, ne in publico biberent, uetuit: in cellis piorum, maximè clericorum, non prohibuit. Platina, liber Pontificalis, I distinctione quadragesimaquarta. c. non oportet.

Ne serui in clerum recipiantur, statuit. Huiusmodi enim uiros, liberos & integros esse oportere: Platina, liber Pontificalis, quinquagesimaquarta distinctione, ca. Episcoporum.

In primo Conciliorum tomo, inter ipsius decreta seorsim ex Gratiano etiam hoc annotatur, eum censuisse: Contra statuta Patrum condere aliquid, uel mutare, ne quidem Apostolicæ sedis authoritatem posse. Verùm huius sentẽtiæ minimè memor fuit, cum canones Nicenos deprauauit, & contra Patrum uoluntatem & decreta Romanę ecclesiæ primatum arrogauit.

Fuit & certaminum non prorsus expers. Nam contra Pelagium, ipsiusque hæresin iam passim grassantem, ipsum etiã pugnasse, constat ex eo, quòd epistolam ad totius orbis episcopos scripsit: & his uerbis meminit Augustinus, Quæ literis suis (inquiens) quas cõscripsit per orbem Catholicum perferendas papa Zosimus, &c. cap. uigesimoprimo, libro secundo cõtra Pelagium & Cœlestium, de Originali peccato. & epistola 47 ad Valentinum eadem adfert: item cap. 2. eiusdem libri scribit Augustinus, Cœlestium Pelagianum Zosimo papæ suum quendam Romæ dedisse libellum. item capite 7. 8. 9 & 17 eiusdem libri meminit, Pelagium ipsum Romam misisse literas ad Innocẽtium, quæ sint Zosimo redditæ. Et accedit his omnibus Marianus Scotus, qui refert, anno Imperatorum Honorij & Theodosij decimo, sub Christi uerò 419, Carthaginensis concilij acta ad Zosimum perlata, & ab eodem approbata esse. & inde per totum mundum Pelagianam hæresin damnatam: quod Platina quoq; annotauit.

Cum Augustino familiaritatẽ habuit: id quod ex epistola Augustini 157 ad Optatum liquet, ubi narrat, quemadmodum Cæsareã tractus sit quidẽ, Ecclesiastica necessitate sibi iniuncta à uenerabili papa Zosimo, Apostolicę sedis episcopo. Habuit & Hesychiũ Salonitanum episcopum amicum, sicut epistola ad ipsum scripta testatur.

Cum autem hoc tempore Gotthi Italiam & urbem uastarent, fieri non potuit quin ipsum quoq; hæ calamitates exercuerint. Per Decembrem itaq; ordinatione creatis presbyteris 10, diaconis 3, episcopis 8, diẽ obijt: conditusq; est uia Tiburtina, iuxta corpus Laurentij martyris, 7 Calend. Iannarij (Platina, & liber Pontificalis) posteaquã rexisset ecclesiam annum 1, menses 8. dies 25. ut habent liber Pontificalis & Marianus Scotus. Prosper nouem menses, & dies 8 numerat. Beda, referente Henrico de Erfordia, duos integros annos eius regimini tribuit.

BONIFACIVS PRIMVS.

Qua ratione Theodoritus libro quinto, capite 38. & Nicephorus libro decimoquarto, capite trigesimo, ordinem inuerterint, & hunc Zosimo præposuerint, ipsi uiderint. Nos Augustini autoritate moti, eam enumerationis seriem seruamus, quam alij plerique, ut Bonifacium hunc Zosimi successorẽ constituamus, in ordine XL, iuxta Prosperũ. Marianus quadragesimum secundum numerat, à Petro. Sabellicus quadragesimum quartum, Enneadis octauæ lib. 1.

Fuit autem Romanus, ex patre presbytero Iocundo: sicut hoc post Platinam, & lib. Pontificalẽ, etiam distinctione 56. cap. Osius papa, ex epistola Damasi ad Hieronymum annotatum legitur.

Ad annum autem decimum Imperij Honorij, cum fratruele Theodosio iuniore, ad gubernationem ecclesiæ Romanæ ascitum, Prosper & Scotus sunt autores. is fuit annus Christi quadringentesimus uicesimus, iuxta eundem Prosperum.

In huius electione schisma Romæ in clero ortum est. nam cum hic in basilica Iulij crearetur, interim & alius quidam Eulalius nomine, in Constantiniana electus ei obijciatur: archidiaconus is fuerat Romanæ ecclesiæ. Placidia autem cum filio Valentiniano, apud Honorium Mediolani agente sollicitante, ipsius imperio ambo electi urbe sunt expulsi. Septimo tum pòst mense reuocatus Bonifacius, solus confirmatus est Romanę ecclesię præsul, altero facta synodo deposito. Platina, & Pontificalis liber.

Gubernationis huius quædam indicia præstare potuissent, si extarẽt, scripta ipsius, de quib. inquit Platina: Scriptis ipsum multum iuuisse Ecclesiam, eaq; in precio & honore fuisse, ita ut nullius magis lecta sint, præsertim ab eruditis. Extant quidem eius tres epistolæ in primo Conciliorũ tomo: uerùm ut de illis Platina locutus uideatur, apud nos dubium est. Prima est ad Honorium Augustũ monitoria, ut constitutione caueat, ne deinceps per ambitionem antistites in urbe creentur. 2. Ad episcopos Galliæ septẽ prouinciarum, de quodã Maximo Valentinę ciuitatis episcopo Manichęo, ut apparet: quem ob uaria crimina accusatum, & sępius ad iudicia uocatum, quòd nunquã comparuerit, merito suo damnare debuisset. Ne quis tamen præpropera ipsum festinatione circumuentum causari possit, breuẽ interponit moram: ac certum tempus designat, quo citatus sese iudicio in prouincia sistat. 3. Est ad Hilariũ Narbonensem ut nullus cõtempto metropolitano ordinetur episcopꝰ. Et harum Epistolarum data, ad historię tempora congruere uidentur.

De doctrina fortè quoq; nobis testimonia præbuissent scripta: nunc uerò, præter consilia quędam, & nonnullas constitutiunculas, maximi (si dijs placet) momenti, nihil habemus. Quia uerò & istæ pars quędam sunt gubernationis, eas quoque subijciemus.

Ante tricesimum annum nemo presbyter aut sacerdos ordinetur: eo quòd & Christus tricesimo primùm anno baptisatus docere cœperit. distinct. septuagesimo octaua: Si quis triginta.

Controuersias inter eiusdem Concilij episcopos, metropolitanus cum alijs quibusdam eiusdem concilij dijudicet. Indicatis, si partes non acquiescant: primas illius regionis cognita causa iuxta Canones definiat, & leges, cuius calculo pars nulla contradicere audeat. sexta quæstione quarta, si inter episcopos eiusdem.

Qui ea quæ Domino fuerint consecrata, & ad ius pertinent sacerdotum, siue homines, siue iumenta, siue agri, siue res aliæ fuerint, uiolare ausus fuerit, inuadendo, uastando, uel eripiendo, sacrilegij crimine teneatur: & nisi emendauerit, ecclesiæque satisfecerit, excommunicetur. duodecima q. secunda, nulli liceat.

Sacerdotum simultates & inimicitias inter se alentium, oblationes non recipiantur: nec ipsi, nisi reconciliati in gratiam redierint, & illo quo inter se inimici fuere tempore geminato satisfecerint, ad communionem admittantur. Sed tamen reconciliandi cupidum induerint, siue ambo simul, siue alter eorum tantum. Exlibro quarto librorum quinque, capite uigesimo primo.

Si episcopus expulsus ciuitate, eandem ingredi, uel etiã de loco quo degere iussus, egredi ausus fuerit, in monasterium alterius prouincię mittatur: ut qui in sacerdotio peccauit, degens in monasterio corrigatur. Ex eodem libro, capite 37.

Et hæ quidem constitutiones sumptæ ex decretis Gratiani, & ex uetustis codicibus alijs, primo Conciliorum tomo referuntur.

Recitantur ab alijs & aliæ quædã, quas tamen tantum confirmationes decretorũ Soteri esse dicit Bergomensis, & Stella: nimirũ, Ne qua mulier etiã sacris initiata, quas monachas uocant, sacratam pallam contrectet, thura ue adoleat. Platina.

Ne seruus, uel obæratus, in cleri ordinem legatur. Platina.

Addunt nonnulli: Absentem iudicio non esse neq; accusandum, neque damnandum, allegãtq; cap. Decernimus. 3. q. 9. Quod tum Felici papæ tribuitur. Certa-

Certamen quod Zosimus, canonum Nicenorum falsator, de iurisdictione Romanæ ecclesiæ in Africanas susceperat, cum sexta Carthaginensi synodo, hic continuauit, & multo acriùs ac impudentius missis legatis pro primatu bellauit. Sed cum patres Synodi fraudem olfacerent, ac sese latus, eo modo in græco autentico exemplari non extaret, & differrent assensum usque ad exemplarium autenticorum inspectionem: & paulo pòst per Innocentium presbyterum & Marcellum subdiaconum autentica exemplaria Constantinopoli & Alexandria petita ei mississent, & demonstrassent in ijs aliter canonem esse quàm ipse allegasset: non potuit id quod uolebat obtinere, ut patet ex actis sextæ synodi Carthaginensis.

Quorundam episcoporum Galliæ familiarem habuisse noticiam, epistola ad eos ipsos testatur: in qua mentionem facit Patrocli, Remigij, Maximi, Hilarij, Seueri, Valerij, Iuliani, Castorij, Leontij, Cõstantini, Iohannis, Montani, Morini, Mauricij. Augustinus ei dedicauit libros suos, quibus duas Pelagianorum epistolas confutat.

Oratorium feciſſe in cœmiterio Felicitatis martyris, eiusque sepulchrũ ornasse marmoribus & argento: item munera addidisse argenteas patenas, scyphos, coronas, calices, & alia, omnia argentea non leui ponderę, Platina & Pontificalis liber memorant. Beda addit, etiam Syluani sepulchrum eum ornasse. Adon Viennensis, etiam sancto Iohanni apostolo oratoriũ satis honesto opere erexisse affirmat: ętate sexta, in Honorio. Quæ quidem non obscura superstitionum signa esse animaduertuntur.

Quoniam autem & hic crimen falsi commisit, ideo Deus eum ut falsum testem extinxit: cum annos tres & nouem menses, iuxta Prosperum: seu annos quatuor, iuxta Marianum, mysterij iniquitatis architectus fuisset.

CELESTINVS I.

Hunc Italum fuisse, genitum patre Prisco, communi cõsensu tradunt, qui Pontificum uitas scribendas sumpsere. Cæterùm Campanum nominatim faciunt Platina & Pontificalis liber manuscriptus: quos recentior sequitur Balæus, Centur. 1. secundæ Classis Rom. pontificum. Rursum uerò alius manuscriptus liber Pontificalis, Romanum fuisse memorat: qui cum congruunt ea quæ in primo Conciliorũ tomo de eius uita narrãtur. quibus cum accedunt recentiores plerique, & præsertim omnium recentissimus Panuinius. Fuerat autẽ Eulalius ille, qui cum Bonifacio per dissensionem unà creatus erat, & Imperatoris autoritate remotus, statim à morte ipsius, in urbem ab omni clero & populo reuocatus ad pontificatum, Neapoli, ubi episcopum agebat. Verùm cum acceptæ forsan ignominiæ memor, in urbem redire nollet, substitutus est hic Celestinus, successionis ordine quadragesimusprimus Rom. ecclesię episcopus: ut habet Prosper in Chronicis, quadragesimusterti⁹: ut Marianus, anno Christi quadringentesimo sexto & uicesimo: Impp. Honorio cum Theodosio ultimo, qui est Prospero decimussextus. Marianus ipse quoque sub ultimum horum Imperij annum, Celestini initium statuit, quem tamen decimumquintum Imperatorum istorum computat, post uerò Christum natum quadringentesimum uigesimumquartum.

Extant tres eius epistolæ, duæ ad quosdam episcopos, una ad episcopos Apuliæ, in Conciliorum tomo primo. Est ibidem & fragmentum epistolæ ad synodum Ephesinam: quæ utrum rectè ei attribuantur, iudicent alij. Certè undecunque capita, quæ post tertium paragraphum in prima epistola ad Galliæ episcopos sequũtur, ab alio inserta potius quàm à Celestino composita uidentur.

Cæterùm licet pleraq; insignia mysterij iniquitatis gerat, tamen de quibusdam capitibus doctrinę mediocriter scripsit. Apud Nicephorum lib. 14. cap. 39 fit mentio Secretorum Celestini, quę & ipsa scriptum quoddã fuisse uidentur.

De lapsu hominis dicit, in præuaricatione Adæ omnes homines naturalem posse bilitatem & innocentiam perdidisse: & neminem posse de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit. In epistola ad episcopos Galliæ.

Neminẽ etiã baptismatis gratia renouatũ, idoneum esse ad superãdas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.

De libero arbitrio sic docet, Quòd nemo nisi per gratiã Christi libero bene utatur arbitrio. 7 §. Item: Quòd ita Deus in cordibus hominum, atq; in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium cõsilium, omnisq; motus bonæ uolũtatis ex Deo sit, quòd per illum aliquid boni possimus, sine quo nihil possumus. § 9.

De iustificatione dicit, se amplecti quod in Mileuitana synodo constitutum est: uidelicet Gratiã Dei, qua iustificamur per IESVM Christum Dominum nostrum, ualere non ad solam remissionem peccatorum quę cõmissa sunt, sed etiam esse adiutorium ut nõ committantur. § 10.

De bonis

De bonis operibus rectè dici uidetur, Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participatione sui ille donet qui solus est bonus. § 5. Item, Deo neminem placere, nisi ex eo quod ipse donauerit. § 8. Item, Omniũ bonorum affectuum atq; operum, & omniũ studiorum, omniumq; uirtutum quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateatur authorem: & non dubitet, ab ipsius gratia omnia hominis merita pendêre, per quẽ fit ut aliquid boni & uelle incipiamus, & perficere. § 12. prima epistola ad Galliæ episcopos.

De pœnitentia: Horremus tantę impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere, quo se ille expedire desiderat, & liberari. Quid hoc rogo aliud est, quàm morienti mortem addere, eiusq; animam suã crudelitate, ne absolui possit, occidere? cum Deus ad subueniendum sit paratissimus, & inuitans ad pœnitentiam sic promittat peccatori, inquiens: Quacunque die conuersus fuerit, peccata non imputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortem, &c. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam ei denegauerit. § 2. per totum: epistola secunda ad episcopos Galliæ.

¶ Iam ad decreta ipsius, quorum in primo Conciliorum tomo peculiaria quædam ex Gratiani corpore annotantur.

1. In alterius parochia, nisi eo uocato, nulli aliquid agere licere, non primati, non metropolitano, non alicui reliquorum episcoporum. 9. q. 2. nullus primas.

2. Sacerdos cum sua spirituali filia fornicatus, ab omni officio depositus, peregrinando 12 annos pœniteat: quibus euolutis, monasterium ingressus, reliquum uitæ Deo seruiat. Mulier uerò, si laica, omnibus suis facultatibus pauperibus erogatis: & conuersa, ipsa quoque, quod uitæ reliquum est, in monasterio transigat, Deo seruiendo. 30. q. 1. si quis sacerdos.

3. Ad eundem modum si quis episcopus aut presbyter, cum sibi confessa fuerit fornicatus, pœniteãt, episcopus quindecim, presbyter duodecim annos, & deponantur. Ibidem, cap. non debet.

4. Vxorem, quę contra interdictum & ordinem Ecclesię ducitur, non esse uxorem uoluit. Quare si quis priore uiuente duxisset aliam, eam relinquendam, ut inordinatè ductam. Item, in matrimonijs siue contrahendis siue dirimendis rectè adhiberi parentes & cognatos utriusq; sexus, ut testes. 35. distinct. 6. uidetur nobis.

Præter hos, eidem à nonnullis etiam aliæ ascribuntur rituum ac traditionum ordinationes, ut mysterij iniquitatis in hac quoq; re patronus agnosci posset.

Ante sacrum primus hic psalmos Dauidicos alternis choris, antiphonatim (ut scriptores dicunt) canendos instituit. Platina, liber Pontificalis, Bergomensis, & alij.

Ordinauit item, ut rem facturus diuinam, prius quàm ad aram ascendat, Dauidicum carmen pronunciet: Iudica me Deus, & discerne causam meam. Platina, ex Martino Casina.

Hymnum, Sanctus sanctus sanctus, ad hũc ipsum quoq; refert Vrspergensis.

Præcepit item, ut sacerdotes ecclesiasticos canones exactè cognitos haberent. epistola tertia ad episcopos Apulię & Calabrię. 38 distinct. c. nulli sacerdotum.

Nulli ultimam pœnitentiam esse denegandam. 26. q. 6. agnouimus. epistola secunda ad episcopos Galliæ. § 2.

Per gradus ecclesiasticos ordine esse ascendendum ad episcopatus fastigium. § 3. epistola eadem. item distinct. 59. ordinatos.

Vnamquanq; prouinciam suo metropolitano debere esse contentam. § 4. ibidem.

Inuitis nullum obtrudendum episcopũ: sed cleri, plebis & ordinis consensum debere inquiri. Item: Ex alia in aliam Ecclesiam non eligendum episcopum, nisi de ipsius ciuitatis cui creandus est episcopus clero, nemo reperiatur idoneus. 5. 6. item distinct. 61. nullus inuitis. Item distinctione 63. cleri plebisque.

Clericis ecclesiarum contemptis, laicos ordinare episcopos non liceat. 2. 5. epistola 3. ad episcopos Apuliæ & Calabriæ, ité 61 distinct. quid proderit.

Laicum nullum, digamum nullum, nullũ etiam qui sit aut fuerit uiduæ maritus, ad ordines admittendum. epistola 2 ad episcopos Galliæ. § 6. Ac similes constitutiones eatiam à superioribus factas, iam antea quoq; recensuimus.

Populum item esse docendũ, non sequendum, monuit epistola 3. ad episcopos Apulię & Calabriæ, § 3. item distinctione 62. docendus est populus.

¶ Certamina contra hæreticos susceptit. Gratiam Christi contra Pelagium & alios liberi arbitrij assertores defendit: ueluti hoc epistolę ipsius, prima maximè ad episcopos Galliæ, testantur. Eam ob causam misit Germanũ Antisiodorensem episcopũ in Britanniam, Palladium uerò in Scotiam, quæ loca Pelagius iam cum suis polluerat, ut inde Pelagianam hæresin profligarent, ecclesiasque illas repurgaret: ut referunt Prosper in Chronico, item Marianus Scotus, & alij.

Et quoniam eius temporib. Constantino polita-

politanus episcopus Nestorius, & ipse nouum quoddam, & in Christum blasphemum dogma in Ecclesia disseminare cœperat: dedit ipse quoque Celestinus sedulò operam unà cum alijs, ut in prima statim herba, & priusquam altius radices agerent, ista blasphemorum zizania euellerentur: ipseque disseminator si non reduceretur, at saltem reprimeretur: ut est apud Euagrium libro primo, capite tertio, Marianum Scotum, Liberatum in suo Breuiario, & alios. Quare cum primùm ea de hæresi certior est factus ab Alexandrino episcopo Cyrillo, illicò scriptis ad Nestorium literis dehortatus est illum seuerè, ut ab impietate ista desisteret: quod ni faceret intra dies decem, fore ut non modò à communione piorum reijceretur ipse, sed etiam ex sacerdotum catalogo eximeretur penitus: illique adeò ad communionem reciperentur, qui propterea quòd in fide recta perstitissent, ab eo excommunicati essent. Hoc suum studium in reprimenda hæresi, communicauit etiam cum alijs. Nam unà cum Cyrillo suas dedit literas etiam ad episcopum Antiochenum Iohannem, & ad Hierosolymorum Iuuenalem. Liberatus in Breuiario addit etiam Ruffinum Thessalonicensem & Flauianum Philippensem, canone quinto. Quibus & ipsis hoc recens ecclesiæ bellum, quod Nestorius inferebat, exposuit, eosque haud dubiè ad commune certamen pro retinenda doctrinæ puritate exciuit: ut Nicephorus libro decimoquarto, capite trigesimotertio meminit. Rursum cum huius hæreseos gratia Concilium coactum esset Ephesi, tametsi propter nauigationis pericula corpore præsens ipse non interesset, scriptis tamen literis interfuit, quibus & partes suas & locum Cyrillo Alexandrino commendauit. sicut Nicephorus author est, libro decimoquarto, capite trigesimoquarto. Narrat præterea Socrates libro septimo, capite undecimo, hunc Celestinum Romæ Nouatianorum ecclesias abstuliisse, & Rusticolam illorum episcopum domi suę se continere coegisse. Iuuit & alios consilijs & censuris, aliarum ecclesiarum ministros ac doctores. Ita ad Galliæ episcopos, duas epistolas scribens de rebus uarijs in Ecclesiarum inspectione necessarijs eos instruit. Similiter & Apuliæ & Calabriæ episcopos. Contra eius temporis monachorum superstitionem non segniter eum pugnasse, quòd per literam Deo potius, quàm per Spiritum sanctum seruirent, author est Iohannes Balæus in Appendice quadragesimitertij episcopi, referens ipsius Celestini uerba, ex secunda epistola ad episcopos Galliæ: Discernendi, inquit Celestinus, sumus à uulgo doctrina, non uestę: conuersatione, non habitu: mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiemus nouitati, traditum nobis à patribus ordinem calcabimus, ut locum uacuum superstitionibus relinquamus. Postremò, cum post eiectum Constantinopoli Nestorium de successore substituendo, qui erat Proclus, contentio esset, quasi is propter canones legitimè subrogari non posset, quia iam antea alicuius Ecclesiæ pastor primarius designatus erat, scribens Cyrillo Alexandrino, Iohanni Antiocheno, & Russo Thessalonicensi episcopis, suffragatur Proclo: docetque nihil obstare prorsus, quo minus, qui alterius urbis aut iam sit episcopus, aut saltem delectus, in aliam transferatur: sicut refert Nicephorus libro decimoquarto, capite trigesimoseptimo.

Pro primatu Romanæ ecclesiæ impudentius quàm antecessores pugnauit, cum sexta Carthaginensi synodo. Nam licet sciret à synodo esse missa authentica canonum Nicenorum exemplaria, & fraudem manifestatam: tamen mittit legatos, & petit Apiarium ab ipsis excommunicatum in communionem recipi: & flagitat, ut Romanæ sedi sese subijciant iuxta priorum Paparum postulata, & sanctæ synodi Nicenæ decreta. Sed Africani sese acerrimè opponunt legatis, & planè negant se Apiarium in gratiam recepturos, nisi agat pœnitentiam. negant etiam, se ullam iurisdictionem aut potestatem Papæ in Africanas ecclesias concessuros: & grauissimè per literas eum monent, ne fumosum typum seculi in Ecclesiam Christi inducat: ut patet ex epistola Africani concilij ad Celestinum, & actis sextæ synodi Carthaginensis. Porrò cum Hierosolymorum episcopus Polychronius intellexisset, Romanum episcopum ad uniuersalis Ecclesiæ primatum aspirare: constanter ipse asserere cœpit, si eò redeundum esset, Hierosolymorum potius urbem primam Ecclesiæ sedem esse, quòd ea ciuitas sit illa sancta, quam Deus olim elegerit, in qua Christus docuerit, passus sit, resurrexerit, Spiritum sanctum discipulis miserit, &c. unde etiam Ecclesia Christi primum ortum habeat: ubi docuerint ecclesiæ columnæ, Iacobus, Petrus & Iohannes: de qua etiam à patribus sit prophetatum, quòd de Sion ac Hierosolymis Dei mandatum & doctrina in uniuersum orbem propaganda esset. Malè hoc habuit Romanos, & repressérunt sese nonnihil,

nihil, aliam occasionem captantes: nec est dubium quin Sixtus, tertius successor Celestini, uindictæ cupidus, subornarit Euphemium illum sacerdotem, qui prætextu uiolatorum per synoniam canonum, bonum illum Polychronium reum egit, ut suo dicetur loco, &c. Meminit Balæus Cent. 1. capite quadragesimotertio, in Appendice.

Familiaritas ei intercesit cum Cyrillo Alexandrino, Iohanne Antiocheno, Iuuenali Hierosolymorum episcopo: sicut ex historia de Nestorio hoc optimè colligi potest: item ex Nicephoro libro decimoquarto, capite trigesimotertio, & sequentibus. Et cum Thessalonicensi episcopo Rufo: ut eodem authoris libro, capite trigesimoseptimo & trigesimonono habetur. Meminit ipse in prima epistola aliquot episcoporũ Galliæ, Venerij, Marini, Leontij, Auxonij, Arcadij, Sillucij, &c.

Basilicam dedicasse scribitur Iuliam nomine, cui præter solita illa & consueta, ut in nonnullis nominatim recensuimus, munera argentea ac magnifica, etiam postem Sethicũ obtulisse, narratur à Platina, & in Pontificum uitis. Obtulit etiam Petro & Paulo apostolis sua dona: ijsdem authoribus.

Fecit ordinationes in urbe tres per Decembrẽ, creauitq; presbyteros 32, diaconos duodecim, episcopos per diuersa loca quadragintasex. Mortuusq; est ac sepultus in cœmiterio Priscillæ, uia salaria, octauo Idus Aprilis, ut Platina & Pontificalis liber tradunt: cum sedisset annos octo, menses decẽ, dies septendecim, eorundem calculo. Prosper & Marianus annos ponunt nouem.

XYSTVS, *siue* SIXTVS *tertius.*

Sixtus, Ecclesiarum ditator dictus, XLII. iuxta Prosperum Romanus episcopus: homo fuit Romanus, patre cognomine Sixto prognatus. Cum adhuc esset presbyter, Augustino familiaris erat. sibi enim inuicẽ scripserunt, & contulerunt de Pelagianorum errore: ut patet ex epistola Augustini 46. 47. 104. & 105. Ad ecclesię Romanę regimen accessit post Celestinum, Anno Christi 435. iuxta calculũ Prosperi. Marianus, qui successionis locum huic tribuit 44 post Petrũ, sub annum post natum Christum 433 collocat. Vterque tamen, & Prosper & Marianus, ipsius primã inaugurationẽ referunt ad annũ Imperij iunioris Theodosij nonum.

Decretum quoddam synodi aduersus Nestorium, uolumina ipsum descripsisse, in quibus confirmarit duab. manentibus in Christo naturis, unam filij DEI personam credendam, idq; scriptum ad Occidentis pariter & Oriẽtis ecclesias misisse, Gennadius author est in Catalogo.

Extat hodie sub nomine eius epistola ad episcopos Oriẽtales, in qua exponit, quemadmodum accusatus ipse à quodam Basso, à synodo propterea coacta sit absolutus. Extat etiam eius synodi examinatio & processus, in primo Conciliorum tomo, inter decreta Sixti.

Videtur Funccio mirum, quòd nullam hic ediderit constitutionem. Rursum alijs mirũ uideri possit, quare ipsum nullam fecisse autscribat, aut putet: cum in illa ipsa ad Orientales epistola quatuor articulatim ponatur. Verùm aut epistolam ipsam, aut ipsa decreta pro non ueris ipsius Sixti haber, idq; fortè non temerè: cum eadem aliquoties iam etiam alijs sint suprà adscripta.

Sunt autem decreta ista:

1. Qui non sunt bonę conuersationis, quorumq; uita ipsa est culpabilis: uel quorũ uita, fides & libertas est obscura: ij nõ possint Domini sacerdotes accusare. Item: Viles personæ ad eorum accusationem non admittendi. item: Qui ipsi aliquibus criminibus sunt obnoxij, uel qui sunt suspicacce, uocem aduersus maiores natu non habeant accusandi.

2. Peregrina iudicia, salua in omnibus Apostolica authoritate, generali sanctione prohibemus. Quia indignum est ut ab exteris iudicentur, qui prouinciales & à se electos debent habere iudices: nisi fuerit appellatum. Vnde oportet, si aliquis episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus qui sunt in prouincia episcopis audiatur. Quia nõ oportet accusatũ, aliubi quam in foro suo, audiri. Quòd si quis iudicem sibi aduersum senserit, liceat ipsi appellare, & uitiatam causam appellationis remedio subleuare. Liceat etiam in causis criminalibus appellare. Nec appellationis uox denegetur ei, quem supplicio sententia destinarit. Item: Pulsatus, ante suum iudicem causam dicat: & ante non suum iudicem, si uoluerit, taceat. Item: Pulsatis, quoties appellauerint, induciæ dentur. Item: Si quis iratus crimen aliquod cuilibet temerè obiecerit, conuicium non est habendum pro accusatione, nisi permisso tractandi spacio, id quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur.

3. Quicunque alicui crimen obiecerit, ipsi probãdi necessitas incumbat. Quod ni probauerit, ipse, quam intulerat, pœnam patiatur. Item: Causæ ibi, ubi crimen admissum est, agantur.

4. Placuit etiam, ut si episcopus accusatus, appellauerit Apostolicam sedem, id statuatur, quod eiusmodi sedis pontifex cẽsuerit. Item: Neminem sacerdotum in causis sententia constringat, à nõ suo iudice dicta. Postre-

Postremò, hoc quoq; monuit, unumquenque piorum miseros ac calamitatibus oppressos concilijs iuuare debere.

¶ Iam ad certamina ipsius, quę aliqua etiã subijt non tam pro reprimendis hęreticis, & puritate doctrinæ cõseruanda, quàm pro infamiæ nota à propria persona repellenda, & dignitatis authoritate retinẽda, maximè uerò pro Ecclesiæ suæ primatu proferendo. Quanquã enim & Prosper & Marianus scribant, Iulianum Athelenẽsem iactantissimũ Pelagiani erroris assertorem, in omni suo conamine à Xysto repressum: tamẽ hoc quoq; rei ueritas ipsos addere coegit, factũ id esse hortatu, arte & cõsilio Leonis diaconi ut appareat, ipsum in publica Ecclesiæ causa, ubi de salute multorũ actum fuit, satis fuisse negligentem: qui in priuata nõ fuit prorsus oscitans & deses, ut famæ integritatem uindicaret. Namq; à Basso & quodam alio accusatum de adulterio: uerùm quòd sese corã synodo sufficienter purgasset, absolutum fuisse, ipsis accusatoribus damnatis: Platina & liber Pontificalis meminerunt. Panuinius unus ex recentissimis, accusatores quidem damnatos & ipse scribit: cæterùm ipsum adulterij reum pœnam luisse. In Conciliorũ tomo primo, inter Xysti decreta, quædam huius iudicij processus sunt annotata: uidelicet, cum congregati iam in synodo consedissent ad inchoandum iudicium, Imperator Valentinianus & alij, tum quendam exconsulem, aut superstitiosè in pontificem pium, aut corruptione fortasse adulatorem, statim exclamasse: Non licere aduersus pontificem ferre sententiam. quod pontifex opportunè arripiens, seriò confirmat dicendo: Esse quidem in suo positũ arbitrio, patiatúrne se iudicari, an' non. Veruntamen (fortè ne iudicium defugere uideretur) nolle ut suo iudicio ueritas abscondatur. Qua sanè pietatis specie ipse quoque Imperator deceptus, in exconsulis illius sententiam accedit, omneq́ue iudicium in arbitrium unius pontificis committit, ipseq́; discedit cum suis è conuentu. Quo facto, pontifex iam & pars & iudex simul constitutus, aduersarios suos ambos accusatores damnauit, ita quidem ut à cõmunione eos perpetuò reijceret, nec quãuis pœnitentiam agere cupientes recipere ullo modo uellet: id quod ex historia colligi potest. Bassum enim sua prædia Ecclesiæ obtulisse narratur, ut ad communionem reciperetur. Alterum uerò etiam ex uerbo Dei cum pontifice egisse, & allegasse dictum: Dimittite & dimittetur uobis. Verùm Xystum, ipsorum delictum interpretatum, esse peccatum in Spiritum sanctum, quod nec in hoc nec in futuro seculo dimittatur. Quare ipsum preces eorum aspernatum, sic eos reliquisse: qui etiam sic à communione exclusi, ex hoc seculo migrarint.

In authoritate autem Apostolicę sedis roboranda fuisse mirè sollicitum, præter eam quæ iam primùm recitata est actionem, etiã gesta cum Polychronio Hierosolymorum episcopo testantur. Quamuis enim scribatur, propter Simoniacas actiones ad Pontificem ipsum delatũ fuisse: tamen uerisimile est, & actorẽ studiosè, ut antè diximus, subornatum fuisse, & causas alias quoq; occultas, magisq́ue irritatrices fuisse, quę Xystum extimularint: quòd scilicet bonus ille Polychronius dixerat, Hierosolymorum urbem potius primas tenere debere, sibiq́ue potius superioris quasi pontificis summiq́ue sacerdotis nomen tribuendũ: item quòd episcoporum, presbyterorum & diaconorum ordines etiam ipse, uocatis ad ministeria personis contulerat. Hoc nimirum illud est, quod maximè pontificis exulcerauit animum. Quare de æmulo opprimendo consilia capere necesse putauit. nam illud de Simonia quale quale fuerit, tamen non ex omni parte fuisse uerum, res ipsa loquitur. Quia & accusator non omnia quæ Polychronio intenderat crimina probare potuit: & propterea etiam communi Ecclesiastici senatus consilio Hierosolymis est damnatus. Quanquam autem huius damnatio innocentiæ Polychronij patrocinari debuerat: tamen & ipse primùm quidem Romæ per synodum est damnat⁹. Postea eius synodi legatis Hierosolymam missis, ac ibi etiam synodo coacta, etiam ab officio ad tempus est remotus. Cuius tum paulo pòst pietas suæ ipsum Ecclesiæ restituit. Tota rei gestæ narratio habetur in primo Conciliorum tomo, inter decreta Sixti.

Contra Nestorium noui dogmatis hæresiarcham & proprijs scriptis, ut ex Gennadio liquet, & publicis actionibus non impigrè dimicauit: ueluti Ephesini concilij primi cõtra hunc ipsum Nestorium gesta abundè testantur. in quo Concilio legatos suos habuit, & suo loco præsidentiam commisit Cyrillo Alexandrino episcopo.

Narrant eum, suum illum accusatorem Bassum, non ita multo pòst diuina uindicta mortuum, suis proprijs manibus sepulturæ condidisse, immemorem iniuriarum sibi illatarum. Flores temporum, & Hermannus Gigas. Amplius & hoc adijcere non piget, eum fletu & oratione resuscitasse suum criminatorem Bassum, & ad ueram pœnitentiam adduxisse. Verùm non uideas quomodo hęc conueniant cum historia modò enarrata, quæ meminit quòd etiam uiuũ, & pœnitentiam agere maximè cupientem, tamen admittere noluerit.

Hic etiam, iuxta Danielis prædictionem, cœpit mysterij iniquitatis deos auro & argento & magnificis ædificijs honorare. Nam extruxit basilicam sanctæ Mariæ matris Domini, quæ ab antiquis Liberi cognominabatur, iuxta macellum Libyæ: & postmodum Maria Maior dicta est. cui adiecta magnifica & numerosa dona, Pontificalis liber recenset. Struxit etiam Laurentio basilicam, addiditq; etiam huic pro consuetudine munera. Fecit & Platoniam in cœmiterio Calixti, uia Appia, ubi episcoporum & martyrum nomina in ipsorum memoriam adscribi curauit. Liber Pontificalis. Omnium autem maximè memorabile est, quòd aliquam etiam suggesti curam habuit. nam & hunc ornasse, & quidem porphyreticis lapidibus, Platina refert.

Posteaquam autem pleraque omnia impendisset aut in Ecclesiarum exædificationes, reparationes, exornationes, aut pauperum eleemosynas, creauissetq; solito more presbyteros 28. diaconos 12. episcopos per diuersa loca quinquagintaduos, uiuendi finem & ipse fecit, quinto Calendas Aprilis. Est autem humatus in crypta, uia Tyburtina, iuxta corpus Laurentij: cum præfuisset Romanæ ecclesiæ octo annos, dies octodecim. Platina, Pontificalis liber, Marianus.

DE LEONE.

Leo primus ex patre Quintiano natus est. Atauus eius Fronto à Sidonio in epistola ad Leonem celebratur, ob singularem eloquẽtiam. Ingenio felici & ipse præditus fuit, quod in adolescentia bonarum literarũ studio excoluit. Copiâ latini sermonis sibi maximè comparauit, & declamationibus multum ualuit. Theodorico regi Gothorũ cum à consilijs secretioribus fuisse, quidam uolunt: & coniecturam aliquam eius rei præbet epistola Sidonij ad Leonem libro quarto, ubi inquit: Quotidie namque præpotentissimi consilia Regis, totius solicitus orbis, pariter eius negocia & iura, & fœdera & bella, loca, spacia, merita cognoscis. Item alia libro octauo: Sepone pauxillum inclamatissimas declamationes, quas oris Regij uice conficis.

Sacra studia potissimùm amauit, in quibus discendis nec labori, nec diligentiæ pepercit: ac profecit in ijs plurimùm, sicut scripta eius testantur.

Cum idoneus esset ad publicas Ecclesiæ functiones, non repentè ascendit in summum fastigium, sed ad diaconi partes adhibitus est primùm: id munus etiam cum autoritate obiuit. Celebratur enim hoc nomine quidam diaconus sub Sixto, cuius linguæ patrocinio ipse pontifex fuerat usus in defensione sui, in actione contra quendam Bassum. Idem quoque diaconus communi Romani concilij consensu mittitur cum quibusdam alijs in Palæstinam. Primùm quidem ad remouendum Hierosolymorum episcopum Polychronium, pòst uerò ad restituendum eundem, in quibus actionibus rursum ipse aliquas loquendi partes habet.

Missus etiam est in Gallias, pro sarcienda pace inter illustres Romani Imperij uiros, Aetium & Albinum. Ex ea legatione cum nondum esset reuersus, absens electus est episcopus Romanus, anno Christi quadringentesimo quadragesimotertio, Theodosij uerò Iunioris decimoseptimo. Factus episcopus, ipsemet doctrina ecclesiam suam erudijt, sicut eius sermones argumento sunt.

Ac de tota eius gubernatione testari possunt epistolæ ipsius ad diuersos scriptæ, ad Imperatores, ad concilia, ad Ecclesiasticas diuersarum prouinciarum, & Ecclesiasticas publicas & priuatas personas, in quibus illos aut instruit, ac docet de fide & pietate & disciplina ecclesiastica: aut confirmat eos, & ad constantiam præstandam hortatur. Item aduersum hæreticos & pseudodoctores eos armat atque extimulat, officij unumquemque suo ordine & loco commonefaciens: aut reprehendit etiam, si quæ perperam admissa erant aduersus Dei & Ecclesiæ statuta: & ad pœnitẽtiam & emendationem incitat, conuocat & celebrat etiam synodos.

Scriptorum autem ipsius quę iam extant, hæc recensentur capita.

¶ *Catalogus omnium sermonum, homiliarum & epistolarum D. Leonis.*

SERMONES 3.

In anniuersario die assumptionis suæ ad pontificatum, Sermones tres.

De collectis, Sermones quinque.

De ieiunio decimi mensis & collectis, Sermones 8.

Insolennitate natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Sermones 10.

In solennitate epiphaniæ Domini nostri Iesu Christi, Sermones 8.

De quadragesima, Sermones 12.

De passione Domini, Sermones decem & nouem.

De resurrectione Domini, Sermones 2.

De ascensione Domini, Sermones 2.

De Pentecoste, Sermones 4.

De ieiunio Pentecostes, Sermones quatuor.

In natiuitate apostolorum Petri & Pauli, Sermones 2.

In octaua apostolorum Petri & Pauli, Sermo unicus.

In nati

In natiuitate sanctorum Septem fratrum Machabæorum, Sermo.
In natiuitate sancti Laurentij martyris, Sermo.
De ieiunio septimi mensis, Sermones 9.
Contra hæresin Eutychetis, Sermo siue tractatus.

HOMILIAE.

De transfiguratione Domini, Homilia.
In festo omnium Sanctorum, Homilia.

EPISTOLAE.

Ad episcopos per Campaniam, Picenum & Thusciam constitutos, epistola 1.
Ad episcopos per Italiam constitutos, epistola 2.
Ad Iulianum Aquilienſem episcopum, epistola 3.
Ad episcopos per Siciliam constitutos, epistola 4.
Ad Dorum Beneuentanum episcopum, epistola 5.
Ad Eutychen Constantinopolitanum abbatem, epistola 6.
Ad Theodosium Augustum, epistola 7.
Ad Flauianum episcopum Constantinopolitanum, epistola 8.
Leonis ad Theodosium Augustum, epistola 9.
Ad Flauianum Constantinopolitanum episcopum, epistola 10.
Ad Iulianum episcopum, epistola 11.
Ad Theodosium Augustum, epistola 12.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 13.
Ad Faustum, Marcianum & reliquos, epistola 14.
Ad Ephesinam synodum secundam, epistola 15.
Ad Flauianum Constantinopolitanum episcopum, epistola 16.
Ad Theodosium Augustum, epistola 17.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 18.
Ad Iulianum episcopum, epistola 19.
Ad Flauianum episcopum, epistola 20.
Ad Flauianum episcopum, epistola 21.
Ad Constantinopolitanos episcopos, epistola 22.
Ad clerum & plebem Constantinopolitanæ urbis, epistola 23.
Ad Theodosium Augustum, epistola 24.
Ad Theodosium Augustum, epistola 25.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 26.
Ad Flauianum episcopum, epistola 27.
Ad Faustum & cæteros, epistola 28.
Ad Anastasium episcopum Thessalonicensem, epistola 29.
Ad Iulianum episcopum, epistola 30.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 31.
Ad Marcianum Faustiniq́ue presbyteros, epistola 32.
Ad Theodosium Augustum, epistola 33.
Ad Faustum, Marcianum, & reliquos, epistola 34.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 35.
Ad Martinum presbyterum, epistola 36.
Ad Leonem episcopum Rauennatẽsem, epistola 37.
Ad Marcianum Augustum, epistola 38.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 39.
Ad Anatolium episcopum Constantinopolitanum, epistola 40.
Ad Iulianum episcopum, epistola 41.
Ad Marcianum Augustum, epistola 42.
Ad eundem, epistola 43.
Ad eundem, epistola 44.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 45.
Ad Anatolium episcopum, epistola 46.
Ad synodum Chalcedonensem, epistola quadragesimaseptima.
Ad Anatolium episcopum, epistola quadragesimaoctaua.
Ad Marcianum Augustum, epistola 49.
Ad eundem, epistola 50.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 51.
Ad episcopos Galliarum, epistola 52.
Ad Anatolium episcopum, epistola quinquagesimatertia.
Ad Marcianum Augustum, epistola 54.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 55.
Ad Iulianum episcopum Coensem, epistola 56.
Ad Marcianum Augustum, epistola 57.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola 58.
Ad Marcianum Augustum, epistola quinquagesimanona.
Ad Pulcheriam Augustam, epistola sexagesima.
Ad synodum Chalcedonensem, epistola sexagesimaprima.
Ad Maximum Antiochenum episcopum, epistola 62.
Ad Theodoricum episcopum, epistola sexagesimatertia.
Ad Marcianum Augustum, epistola sexagesimaquarta.
Ad Eudociam Augustam, epistola sexagesimaquinta.
Ad eandem, epistola 66.
Ad Iulianum Coensem episcopum, epistola 67.
Ad eundem, epistola 68.
Ad Marcianum Augustum, epistola sexagesimanona.
Ad eundem, epistola 70.
Ad Anatolium episcopũ, epistola septuagesimaprima.
Ad Iuuenalem episcopum, epistola 72.
Ad Leonem Augustum, epistola 73.
Ad eundem, epistola 74.
Ad eundem, epistola 75.
Ad Anatolium episcopum, epistola 76.

Ad eundem, epistola septuagesimaseptima.

Ad Leonem Augustum, epistola septuagesimaoctaua.

Ad Nicætam episcopum Aquileiensem, epistola 79.

Ad uniuersos episcopos per Campaniam, Samnium & Picenum, epistola octuagesima.

Ad Dioscorum episcopum Alexandrinũ, epistola 81.

Ad Iulianum Coensem episcopum, epistola 82.

Ad episcopos per Palæstinam cõstitutos, epistola 83.

Ad Anastasium Thessalonicensem, epistola 84.

Ad Septimium episcopum, epistola octuagesimaquinta.

Ad Nicætam Aquileiensem episcopum, epistola 86.

Ad episcopos Aphricanos, epistola octuagesimaseptima.

Ad episcopos Germaniæ & Galliæ, epistola 88.

Ad episcopos per Viennensem prouinciam, epistola 89.

Ad Rauennium episcopum, epistola nonagesima.

Ad Theodorum episcopum, epistola nonagesimaprima.

Ad Rusticum Narbonensem episcopum, epistola 92.

Ad Turbium episcopum, epistola nonagesimatertia.

Ad Rusticum episcopum, epistola nonagesimaquarta.

Ad episcopos Galliarum & Hispaniarũ, epistola 95.

Ad episcopos & presbyteros intra Thraciam, epistola 96.

Ad Leonem Augustum, epistola nonagesimaseptima.

Ad Faustum presbyterum, epistola nonagesimaoctaua.

De Martyribus, Sermo.

¶ Commendatur autem omnium maximè epistola eius ad Flauianum Cõstantinopolitanum episcopum missa, quæ est decima: qua ex instituto Eutychis hæreticum atque blasphemum in DEI filium dogma impugnat, & sinceram doctrinam de miranda filij Dei incarnatione rectè tradit. Eam fabulatur Nauclerus ab ipso apostolo Petro emendatam, cum ad sepulchrum eius postã Leo ieiunijs & orationibus petijsset corrigi: ac quadraginta dies Petrus per uisionem ipsum monuisset, esse emendatam. Sed hæc nugis quàm ueritati similiora sunt.

A Leone missa ad synodum, approbata quidem est à plerisque, sed tamen non paucos etiam habuit reprehensores: ut apparet ex actione quarta Chalcedonensis synodi, & ex Liberati capite decimotertio. Quinetiam hæretici quidam eam uersuta nequitia deprauarunt, ut haberent occasionem eum hęreseos Nestorij insimulare: ut Leo ipse epistola sexagesimanona ad Marcianum Imperatorem commemorat. Euagrius libro tertio, capite quarto & quinto, eam epistolam Tomum uocat. Gennadius de uiris illustribus, eius autorem Prosperum creditum esse indicat. Basiliscus, inuasor Imperij, iussu Timothei Alexandrini eam damnari curauit. Rusticus diaconus Romanus in suo Dialogo, eam contra Acephalos defendit. Idem Vigilius Tridentinus peculiari libro facit. Gelasius uerò eam inter canonicas scripturas retulit, distinctione decimaquinta: sancta Romana ecclesia.

¶ Decreta ei plurima adscribuntur, quorum alia quidem bona sunt, alia uerò notas mysterij iniquitatis apertè præ se ferunt.

Eos qui dubitarent an baptisati essent, cum facta inquisitione nihil certi cognosceretur, baptisari iussit. Epistola ad Rauennatem episcopum, capite primo. Item de consec. distinctione quarta: Cum itaque baptismi. Et epistola nonagesimasecunda ad Rusticum Narbonensem episcopum, capite decimoquinto. Et eadem distinctione, de consec. his de quibus.

Baptisatos ab hæreticis, non rebaptisandos, sed manus per episcopum imponendas censuit, capite secundo eiusdem epistolæ. Item epistola ad Nicætam Aquileiensem episcopum, capite septimo: item 1. q. 1. hi qui baptisma.

Ecclesijs per Siciliam abrogare conatur consuetudinem conferendi baptismi Epiphaniorum solennitate: & ad duo tantum tempora restringere, Paschę & Pentecostes, per totam epistolam ad eosdem, quæ est quarta in ordine. item de consec. distinctione quarta: duo tempora. Et propriè in morte. Item ecclesijs per Campaniam, Samnium & Picenum: epistola octuagesima, ad eos episcopos. Idem conatur etiam in prouincia Viennensi Galliarum: restatur pars epistolæ ad episcopos istius prouinciæ.

Sed tamen necessitatis, & quolibet tempore periclitantibus, non negandum baptismum petentibus, citra respectum legitimorum temporum iubet: capite sexto eiusdem epistolæ: itẽ de cons. distinctione quarta, Si qui necessitatem.

Lauacrum (scilicet regenerationis) semel initum, nulla unquam iteratione uiolãdum

dum: capite septimo eius epistolæ: item 1. q. hanc regulam.

Abolet ritū publicę pœnitētię, qua crimina publicè reorum recitabantur ex libellis: quæ primùm Deo, deinde & ministro peccata patefaciebat. Epistola ad episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenū: item de pœnitentia, dist. 1. quamuis plenitudo. item, sufficit pœnitenti.

Pœnitentię seu reconciliationis gratiam, ac communionis, nemini denegandam tempore necessitatis, etiamsi linguę officio destituatur, modò aliquod indicium uel nutu præbeat. epistola nonagesimaprima, ad Theodorum Foroiulienſem episcopum: & uigesimasexta q. sexta. his qui tempore necessitatis.

Ex ministerio quocunque gradu ad hæreticos aut schismaticos lapsi, eorumque communione polluti, modò non rebaptisati, resipiscere cupiētes, & ad Catholicę eccleſiæ communionem & ad priora sua ministeria admittendos, si & palàm ac manifestè tum ipsos suos errores, tum eorundem autores damnarint, & legitimè satisfecerint, ad ampliores uerò ordines neutiquam promouendos: epistola tertia ad Iulianum seu Ianuarium Aquileiensem: item epistola ad Septimium Altimum episcopum: item prima q. septima, saluberrimum. item 1. q. 1. omnis cuiuslibet.

Rebaptisatis siue metu siue errore, & delictum agnoscentibus, redireque cupientibus, non negandam pœnitentiam: sed eos per impositionem manus episcopi recipiendos in Ecclesiæ communionem, impositio tempore pœnitentiæ pro ratione ætatis & pietatis personæ: capite sexto epistolæ ad Nicetam: item uigesimasexta q. 7. tempora pœnitudinis.

Qui captiuitatis tempore aut metu aut fame compulsi, immolaticios cibos sumpsisſent, concedendam eis esse pœnitentiam: epistola ad Nicetam.

Presbyteros aut diaconos, quorum noxia sunt crimina, non posse per manus tantum impositionem pœnitentiam consequi: capite secundo eiusdem epistolæ, distinctione quinquagesima: alienum est à consuetudine.

Ecclesiarum inferioris gradus ministris non conferendos ordines, nisi in die resurrectionis Christi, & nisi prius ieiunijs se exercuerint: cap. primo epistolæ ad Dioscorum Alexandrinum.

Episcopos eligendos non laicos, non neophytos, non secundæ coniugis aut uiduarum maritos: capite tertio, ibidem. & distinctione trigesimasecunda: omnium sacerdotum.

In electionibus gubernatorum Ecclesiarum, & plebis & cleri consensum concurrere oportet. In partium distractionibus metropolitani iudicio eligendum eum, quē iuuant maiora studia & merita. Sed inuitis, & non petentibus, neminem obtrudendū: capite quinto, ibidem. Item distinctione 63. si fortè.

Plebis & cleri consensum in electione primarij pastoris metropolitanus ad primatem Ecclesiarum referat, qui & ipse sua autoritate confirmet electionem. capite sexto, ibidem. item distinctione sexagesimaquinta: de persona autem.

Laicos ad ministeria Ecclesiæ primi, secundi & tertij gradus nullo modo admittēdos, nisi per legitima incrementa ordine ascendant. Epistola ad episcopos per Mauritaniam Cæsarienſem: item distinct. 61. miramur tantum.

Minoribus, & minus celebribus locis nō ordinandos episcopos, sed tantum presbyteros: capite secundo, ibidem. item. distinctione octuagesima: illud sanè.

In ordinandis episcopis, si qui Canonum statuta excesserint, ordinandi ius illos ordinatores amittere oportere: capite secundo, ibidem. Item prima quæstione prima. & uigesimaquinta q. secunda: si qui episcopi talem. Item Canone sexto Sardicensis concilij.

Inter episcopos legitimos minimè censendos, quos nec ministerium elegit, nec populus expetiuit, nec prouinciales episcopi cum metropolitani consensu inaugurarunt. Horum tamen ordinationes ratas esse, si præsidentium accesserit sententia: capite primo epistolæ ad Rusticum Narbonenſem, distinctione sexagesimasecunda: nulla ratio. item 1. q. prima: si qui à pseudo episcopis.

Ministris ecclesiæ superiorum graduum, licet quidem uxores habere, consuetudine tamen coniugali minimè uti. capite tertio ibidem. & distinctione trigesimaprima: lex continentiæ.

Aliud esse concubinam, aliud legitimam uxorem: capite quarto, ibidem. Et trigesima secunda q. 2. non omnis mulier. Item 27. q. 2. cum societas.

Causas ministrorum Ecclesiæ siue cum sui ordinis hominibus, siue cum laicis coram Ecclesiasticis iudicibus dijudicandas: aut si necesse sit ad politicum magistratum referre, ut id fiat cum episcopi consensu. epistola ad episcopos per Thraciam, quæ est antepenultima omnium.

Pastor ad amplioris sese Ecclesiæ administrationem transferre uolens, utraque priuetur, & illa quam spreuit, & altera quam ambiuit. Canone sexto, ibidem. & 7.q.1.si quis episcopus.

Alienæ ecclesiæ ministrum, ipsius pastore inuito, nemo uel solicitet, uel etiam recipiat. capite nono, ibidem. Item decimanona quæstione secunda: alienum clericum.

Seruos, & qui alieni sunt iuris, nisi eorum quorum in potestate sunt, consensus interueniat, ad sacros ordines non admittendos. capite primo epistolæ ad episcopos per Campaniam, Picenum & Tusciam. & distinctione quinquagesimaquarta: admittuntur.

Qui uiduas duxissent, aut polygami essent, eos & nomine & officijs ministrorum priuandos. capite secundo eiusdem epistolæ. item capite primo epistolæ ad episcopos per Mauritaniam Cæsarienſem.

Ministris ecclesiarum nec suo, nec alieno nomine fœnus exercere licere. capite tertio, & quarto illius ipsius epistolæ. item decimaquarta quæstione quarta: nec hoc prætereundum. & distinctione quadragesimasexta: sicut non suo.

Præter sacerdotes, neminem sibi docendi munus atque concionandi usurpare debere, siue monachus, siue ille sit laicus, quantacunque etiam doctrina præstet. epistola ad Theodoricum Cypri episcopum. Item decimasexta quæstione prima: adijcimus illud.

Innocentij, & omnium qui ipsum in Romanæ ecclesiæ gubernatione præcesserunt, decreta confirmat, & tam sua quàm reliquorum sub pœna excommunicationis obseruari mandat: capite quinto istius epistolę. Et distinctione decimanona: si Romani pontifices.

Ternos quotannis ad synodum Romam prętò adesse ex Sicilię episcopis, mandat in fine eiusdem epistolæ.

Metropolitanis antiqua iura conseruanda: capite secundo epistolæ ad Anastasium Thessalonicensem. item uigesimaquinta q.2. igitur.

Ad electionem metropolitarum conuenire oportere prouinciales pastores, ad eam cui præficiendus est ecclesiam, & ex consensu cleri & plebis de ministerio illius ipsius ecclesiæ eligendum: cuius electio itidem primati intimetur. ibidem. & distinctione sexagesimatertia: metropolitano. Item distinctione septuagesimaseptima, in princ. dist.

Constitutionem Patrum (Nicenorum) repetit, de habendis singulis annis binis conuentibus, in quibus causæ & controuersiæ inter status Ecclesiasticos leuiores componerentur, grauiores ad primatem referrentur: quæ si transigi non possent, reijciendas ad Romanam sedem. capite septimo ibidem: item distinctione decimaoctauo, de Concilijs.

Mulier marito è captiuitate reuerso, si eam cupiat, id quod ipsius uoluntati permittitur, reddatur, repudiato illo cui interea fortè nupserat, nunquam rediturum arbitrata priorem. Epistola ad Nicetam Aquileiensem. item trigesimaquarta quæstione prima & secunda: cum per belicam.

Quæ uerò mulierum ad priores maritos reuerti nolunt, Ecclesiæ communione priuandas esse. ibidem.

¶ In canone missæ addidit particulam, Hoc sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, &c. Platina.

Sepulchris Apostolorum addidit custodes ex clero Romano, quos cubicularios appellauit. Platina.

Item, ne ulla monacha uelamen capitis benedictum acciperet, nisi approbatum fuisset, eam annis quadraginta castè & integrè uixisse. Idem. & Marianus Scotus. Nauclerus addit generatione decimaquinta, uolumine secundo: & Balæus prima Centuria, in appendice de Patricio, quadragesimoquarto. statuisse eum etiam, ut quicunque imagines sanctorum parum reuerenter tractaret, excommunicaretur. Etut in Missa diceretur, Orate pro me fratres & sorores: & in fine, Deo gratias.

Certamina.

Certamina non pauca, nec exigua sustinuit. Nam cum adhuc esset diaconus sub Sixto, Iuliani Atelenensis machinationes, qui Pelagij errorem spargebat, maturo consilio & solerti opera repressit, ut indicat Prosper in Theodosij anno decimosexto: Marianus uerò Scotus decimoseptimo. In episcopatu constitutus Manichæos, qui eò usque in urbe delituerant, in apertum adduxit, eosque suæ hæreseos turpitudines prodere & damnare coegit, ac libros eorum exusit, anno uigesimo Theodosij: ut Prosper annotat.

Hæresin etiam Eutychianam acerrimè oppugnauit. Cum enim Eutyches à Flauiano refutatus, Leonem conaretur insidiosè trahere ad suas partes, obducens Nestorianam hæresin (ut patet ex epistola Leonis ad Eutychen, & Theodosium)

sum) ipse uerò Leo Eutychetis errorem & fraudem ex Flauiani narratione intellexisset, contra Eutychen sua arma uertit, ac scriptis eius hæresin infregit, quæ extant: in quibus plerunque tum ex testimonijs Scripturæ sacræ, tum ex uniuersali consensu piorum doctorũ, qui superioribus seculis uixerunt (quales sunt Iohannes Chrysostomus, Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Theophilus, Cyrillus, Nazianzenus, Basilius & similes) erroneas opiniones refutat.

Incitabat etiam alios, & maximè Imperatorem Theodosium, ueluti epistolæ ad ipsum scriptæ testantur. Cumque propter eam hæresin instituta fuisset synodus Ephesina secunda, habuit in ea etiam suos legatos, cum scripto Eutychis errorem explicante. quod tamen abiectum, & non propositum est: ut libro decimo quarto, capite quadragesimoseptimo Nicephorus narrat: & in actionibus Chalcedonensis concilij uidere est: quorum præcipua narrantur apud Euagrium libro secundo, capite quarto & decimosexto: plenius autem recitantur in Conciliorum primo tomo.

Rursum cum in ea synodo ueritati doctrinæ rectioris uim factam intellexisset, excitauit Valentinianum Imperatorem Occidentis, & Placidiam sororem, & Eúdoxiam Theodosij filiam, ut ipsi ad Theodosium intercederent, eique autores essent cogendæ alterius synodi, in qua deinterò rebus iudicatis, patrocinium ueritati fieri posset: ut testantur huius Valentiniani ad Theodosium epistolæ, quæ partim in Conciliorum tomo sub Leone positæ referuntur, partim etiam Leonis scriptis inserræ sunt: & Nicephorus libro paulo antè memorato, capite uerò quadragesimo nono: & Liberatus in suo Breuiario, capite duodecimo. Interea uerò cum Theodosius cessaret, ipse prouincialem celebrauit conuentum, in quo Eutychen unà cum Dioscoro & cæteris asseclis damnauit: Nicephorus libro quinto, capite quarto. ob quod uicissim à Dioscoro excommunicatus est. & ad synodum Chalcedonensem accusatus, ut patet ex Euagrij libri secundi capite quarto: & tertia ac quarta actione concilij Chalcedonensis. Theodosio autem rebus humanis exempto, instabat apud Marcianum, eumque ad cogendum Chalcedonense concilium extimulabat, ut capite secundo libri decimi quinti Nicephori, & capite secundo libri secundi Euagrij commemoratur. In eo qualem se gesserit per suos legatos & scripta, & quantum zelum habuerit pro domo Dei, ut doctrinæ puritas conseruare-

tur, gesta eius synodi, quæ suo loco referuntur, ostendunt: ipsaque eius scripta luculentissimè declarant, in quibus elucet summa uis ingenij ipsius, & mira in repellendis hæreticorum ictibus dexteritas, & refutandis aduersariorum argumentis perspicuitas: ita ut ipsa synodus disertè pronunciare non dubitet, Deum ipsis prouidisse impenetrabilem contra omnes errores propugnatorem: in peroratione ad Imperatorem Marcianum, post concilium finitum, in primo Tomo.

De primatu Romanæ ecclesiæ etiam ipse certare exemplo suorum maiorum non intermisit: licet non esset nescius, quomodo sui antecessores ab Aphricanis essent refutati in sexto Carthaginensi concilio. Sed astutius rem egit, sicut & antecessor eius Sixtus. missos enim fecit Africanos: & tentauit alijs interea persuadere, Romanam ecclesiam esse omnium summam, atque eo modo paulatim alias sibi subijcere: ut testantur pleræque epistolæ ad Anastasium Thessalonicensem, & ad episcopos Germaniæ & Galliarum: item ad episcopos per prouinciam Galliæ Viennensis: item ad Anatolium Constantinopolitanum plures, & aliæ. ubi ualde anxiè hoc euincere conatur, Petro præ cæteris Apostolis singularem concessam præeminentiam: atque inde etiam ortam distinctionem episcoporum, & præsertim primatum Romanæ ecclesiæ, ideoque se obligari ad curam uniuersarum ecclesiarum: quod tamen falsum, & sacris literis minimè congruens est.

Platina meminit, eum etiam Acephalorum hæresin, qui Chalcedonensem synodum damnabant, confutasse. Nam cum Leo Imperator eius sententiam tum de illa synodo, tum de Timothei Aeluri ordinatione requisiuisset, ipse Imperatori per literas indicauit, Timothei ordinationem esse illegitimam: & synodum Chalcedonensem defendit, ac hortatus est eum ne autoritatem illius synodi à quoquam permittat labefactari. Euagrius libro secundo, capite decimo: Nicephorus libro decimoquinto, capite decimonono.

Gotthorum regi Attilæ, Italiæ & aliarum prouinciarum uastatori, iam etiam ad urbem Romam euertendam accedenti, occurrit cum altero consulum, & parte senatus non modica: eique persuasit, præter omnem opinionem, ac contra uoluntatem suarum copiarum, urbi ut parceret: uelut multi quidem alij, sed in primis Platina in Leone, & Sabellicus recitat libro primo Enneadis octauæ, ubi

ei ad Attilam hanc tribuit orationem: Senatus populusque Romanus quondam orbis uictor, nunc uerò uictus, suppliciter abs te ueniam & salutem precatur, Rex regum Attila: nihil tibi in tanta rerum gestarum gloria contingere potuit, aut ad præsens decus pulchrius, aut ad posteros memorabilius, quàm ut is populus supplex ad tuos pedes iaceret, ante quem olim omnes gentes & reges supplices iacuerunt. Subegisti quidem Attila omnem terrarum orbem, cui Romanos omnium uictores gentium subigere tributum est. Nunc tantum precamur, ut te ipsum uincas, qui uincis cætera. Nec est quando iam omne humanitatis fastigium transcendisti, in quo Deo immortali similior esse possis, quàm ut quo plures uiceris, eo plures per te saluos esse uelis. Senserunt mali flagellum tuum, sentiant nunc supplices clementiam: uel quia se uictos fatentur, uel quia sunt ultrò imperata facturi.

Idem etiam postea Vandalorum tyrannum Gensericum, hominem ferociſsimum in Orthodoxos & Catholicos, ad urbem uocatum ab Eudoxia in ultionem sui perempti coniugis Valentiniani, ita demulsit, ut spolijs & direptionibus contentus, à cædibus & incendijs abstineret: ut Platina autor est.

Plurium doctorum habuit noticiam, ut patet ex epistolis eius, tum Asiaticorum, ut Iuuenalis Hierosolymorum, & aliorum Palæstinæ episcoporum: epistola sexagesimasecunda, septuagesimasecunda, & octuagesimatertia: tum Africanorum, epistola octuagesimaprima & octuagesimaseptima, nonagesimatertia: tum Europæorum, inter quos sunt Thessalonicenses, epistola uigesimanona, & octuagesimaquarta: Thraces, nonagesimasexta: Constantinopolitani, epistola sexta: Itali, epistola prima & secunda & octuagesima: Siculi, epistola quarta: Germani, octuagesimaoctaua: Galli, nonagesimaprima, nonagesimasecunda: Hispani, epistola 95.

De eius uitæ sanctimonia nihil Pontificij commemorant præter meras nugas. quale illud est, quòd Nauclerus recitat generatione decimaquinta secundi uoluminis: quòd cum mulier quædam manum ipsi, dum sacrum faceret, osculata aliquando esset, atq; inde ipse carnis titillationem sensisset, mox sibi ipsi manum amputarit, quam postea ei restituerit beata uirgo. Cuius generis & illud est, quod idem ibidem recitat: oraſſe ipsum aliquando ad Petri tumulum, pro impetranda sibi à DEO peccatorum uenia: & responsum tulisse ab apostolo Petro, dimissa sibi peccataalia omnia, tantum memoria repeteret, si cubi alicui temerè manum impoſuiſſet.

Ex proprijs scriptis hoc animaduerti potest, abstinentissimè, & (si uera sunt quæ ex Nauclero modò narrauimus) etiam continentissimè eum uixisse. nam & de ieiunijs multa in homilijs monet: & ipsa conſilia eius ostendunt, non ita fuisse æquum coniugio.

Narrat Platina, eum renouari curasse quæ in clade Vandalica labefactata fuerint: ac tandem cum sedisset annos uiginti unum, & mensem unum, & dies tredecim, mortuũ & sepultum esse.

HILARIVS PRIMVS.

Hilarius, huius nominis primus, Sardis oriundus, patre Crispino: ut Platina & liber Pontificalis referunt. Panuinius Caritanum fuisse scribit, Romanorum episcoporum in ordine XLV: Leoni ad meliorem uitam translato subrogatus, ut Palmerius narrat, anno post Christum quadringentesimo sexagesimoquarto, Leonis uerò Imperatoris quinto. Marianus hunc quadragesimumsextum recenset, sub anno Imperij Leonis quarto, Christi uerò quadringentesimo sexagesimoprimo.

De huius gubernatione obiter tantum & breuiter quædam delibat Platina, cum inquit, præstitisse ipsum quæ ad optimum Pontificem pertinuerint in extruendis & ornandis templis, tum etiam docendo, admonendo, castigando, eleemosynasque ubi erat opus præbendo. Quæ si uerè de ipso scripta sunt, merentur laudem. Sunt enim partes officij boni pastoris, & quidem non postremæ: quas etiamsi mediocriter præstitit, habuit illud cum paucis certè peculiare. Nam illud de templis, quod in pleriſque ut minus superstitiosum meritò reprehenditur, in hoc Hilario laudi dandum uidetur. Cum enim Romæ in ijs barbararum gentium, Vandalorum, Hunnorum, Gothorum direptionibus, etiam congressuum loca miserè essent lacerata & uastata, pietatis certè officium præstitit, si ipse aut quiuis alius, ea restituere ac repa-

rare uoluit.

Platina & Pontificalis liber referunt, fecisse hunc decretalem, & per uniuersum orbem misisse. Sabellicus narrat, ipsum Pontificij iuris decreta in unum contulisse, publicasseque omnibus terris: Enneadis octauæ libro secundo. Huc referendum uidetur illud quoque, quod Marianus recitat sub annum Christi quadringentesimum sexagesimumtertium: hoc Hilario iubente, Victorinum Paschalem circulum composuisse.

Epistolas

Epistolas tres ipsum scripsisse de fide Catholica, author est Platina: quibus confirmauit synodum Nicenam, Ephesinam & Chalcedonensem: item sui antecessoris Leonis tomum, ut habet liber Pontificalis. Sabellicus in memorato paulo antè loco dicit & ipse, hunc Hilarium multi ponderis epistolas scripsisse. num autem hoc elogium tribui rectè possit ijs epistolis quæ hodie in primo Conciliorum tomo inter ipsius decreta extant, & num ea sint eadem, ambigi potest. quæ enim ibidem extant, sunt tãtum intimationes, quibus publicat ea quæ publica Romæ synodo habita statuerat, pro confirmandis decretis superiorum Romanorum episcoporum.

Quod ad doctrinam eius, mirum herclè uideri potest, siquidem uera sunt quæ paulo antè ex Platina de gubernatione retulimus, quòd docuerit, tamen nihil de ipsius doctrina ad posteritatem peruenisse: & tam peruersa hominum fuisse studia ac iudicia, ut qui in excipiendis constitutiunculis tam seduli, in annotanda uerò pietatis doctrina tam crassè fuerint negligentes.

¶ Tribuuntur ei aliquot decreta, quæ etiam superioribus sunt adscripta: de quibus esto iudicium penes lectorem, an utrisque eadem rectè, an huic aut illis falsò attribuantur. Hoc sanè negari non potest, ea mysterij iniquitatis uicario non esse indigna.

Constitutiões, uel Apostolicę sedis decreta nulli fas sit sine status sui periculo temerare. 25. quæstione 1. c. nulli fas sit. Næuus haud dubiè.

Pœnitentes, literarum ignaros, & aliquo corporis membro carentes, sacris non sunt ordinibus initiandi. distinctione 55. ca. pœnitentes uel inscij.

A defuncto episcopo ordinata illicitè, à successore sunt emendanda.

Nulli episcoporum fas sit, sibi ipsi successorem eligere.

Nullus episcopus sine sui metropolitani episcopi consensu ordinetur.

Vna ecclesia relicta, ad aliam se conferre, istiusque gubernationem sumere, non licet.

In una eademq; ecclesia, duos episcopos non constituendos.

Qui uxorem non uirginem duxerit, aut bigamus fuerit, ad sacros ordines non adspiret.

¶ Contra hæreticos pugnauit. nam Platina testatur, eum Eutychen, Nestorium & Dioscorum hæreseos damnasse. & Sabellicus authorem ipsum fuisse scribit, ut triplici concilio, Ephesino, Chalcedonensi & Niceno, Eutychiani & Nestorij impietates damnarentur: Enneadis octauæ, libro 2.

Hispanos & Tarraconenses episcopos inter sese disidentes, propter quasdam (ut conijcitur) ordinationes, reconciliare studuit, cum eius ea in causa operam nonnulli imploraſſe uisi sint. Verùm ita eam ille rem agit, ut magno studio primatum suæ ecclesiæ uindicet, & imperium in Hispanos confidenter usurpet. Nam cum Barchinonensium ciuitatis episcopus Nundinarius, migraturus ex hac ærumnosa uita, successorem sibi dari non sine iudicio optasset, quendam Irenæum, eiusque iudicium uniuersus clerus, populusq; omnis ciuitatis, & plurimi ac optimi quique præsertim ex nobilitate uiri ex prouincia etiam suo consensu & uoluntate approbassent, atque ipsi quoque (ut uideri potest) prouinciæ episcopi eundem Barchinonensium ecclesiæ præfecissent, peterentque hanc suam ordinationem à Romano episcopo confirmari: tantum abest ut ille hoc fecerit, ut etiam prorsus factum ipsorum rescindi, Irenæumque remoueri seriò & cum reprehensione episcoporum mandarit. Quemadmodum ex epistola ad Ascanium, & reliquos Tarraconẽsium episcopos est uidere. Vnde iam etiam Pontificales libri qui nobis Põtificum uitas exhibent, disertè ac manifestè huic tribuere non erubescunt, quòd dominationem & principatum Romanę ecclesiæ Hilarius iste confirmarit. Apparet tamen etiam in Hispanijs fuisse uirum quendam cordatum, Syluanum nomine, in ultima parte istius prouinciæ Calaguræ episcopum, qui haud ita magni Romani episcopi imperium & authoritatem fecerit. Nam & suas peculiares ordinationes habuit, & ab illis qui episcopis Romanis addictiores erant, ad hũc Hilarium delatus est, ueluti hoc ex eadem illa epistola animaduerti potest, quę sub decretis Hilarij in primo Conciliorum tomo inserta est.

Basilicas nouo quodam ædificiorum genere exornare cœpit, additis nimirum sacellis, seu oratorijs, ut alij uocant. Ita Constãtinianę basilicæ tria sacella addidit, diuersis dicata sanctis: unum Iohanni Baptistæ, alterum Iohanni Euãgelistæ, tertium sanctæ Cruci: distinxitque auro & gemmis, authore Platina. Lateranensi baptisterio adiecit sacellum sancti Stephani. Struxit ibidem duas Bibliothecas. Struxit quoque monasteria: unum in urbe ad Lunam. Quibus omnibus dona pro magnificentia & consuetudine adiecit, alia alijs: quæ in Platina & alijs legantur, si cui placent.

Quibus peractis, cum & ipse decurso spacio ad metam peruenisset, moritur: cum tamen & pro more unam prius feciſſet ordinationem,

tionem, creasſetq; & presbyteros & diaconos & episcopos. Cum gubernationem tenuisset (iuxta Platinam, & Palmerij Chronicon) annos septem, menses tres, dies decem. Pontificalis liber manuscriptus annos septem tantum habet: Marianus sex ipsi annos tribuit, ac menses itidem sex.

SIMPLICIVS PRIMVS.

Simplicius patre Castino Tiburi natus, XLVI Romanus episcopus, secundum Palmerium: iuxta Marianum, à Petro XLVII. Hilario succesſit anno Christi 470. Leonis imperij duodecimo.

Sub eius nomine quatuor epistolę extãt. una ad Zenonem Spalensem. 2. Ad Ioannem Rauennatensem episcopum, obiurgatoria acris, quòd disciplinę Ecclesiasticæ minus sit obseruans in ordinationibus. 3. Ad Florentium, Equitium & Seuerum episcopos, quibus mandat, ut omnem ordinandi potestatem auferant cuidam Gaudentio, qui contra statuta Canonum ordinationes fecerat. 4. Ad Acacium Constantinopoleos episcopum: quem hortatur, ut apud Imperatorem opportunè instet, ut ecclesiæ Alexandrinæ pax reddatur,

Euagrius libro tertio, capite quintodecimo: Nicephorus libro decimosexto, capite decimoquinto, narrat ipsum etiam ad Imperatorem Zenonem dedisse literas pro Alexandrino episcopo, & reprehendisse illegitimam eius ab episcopatu deiectionem: cui Imperator responderit, merito suo ipsum reiectum, eo quòd periurio & fraude ad episcopatum peruenerit.

Sanxisse eum, Platina & Volaterranus uolunt, ne clericus sacerdotij possessionem à laico accipiat. Item, Ne quis inuitus ad episcopatum pertrahatur.

Tribuunt etiam ei Platina & Sabellicus Ennead. 8 libro secundo, quòd urbem Romanam in quinq; parochias, siue (ut authores habent) regiones presbyteris sit partitus: Petreiam nimirum, id est Petri: Paulinã, id est Pauli: Laurentij, Iohannis Laceranensis, & sanctæ Marię maiori. & distribuerit uicisitudinarias operas presbyteris ad tria templa, Petri, Pauli & Laurentij, ordinans ut semper per hebdomadas ad ista templa præstò essent, propter pœnitẽtes, & eos qui baptismum poscerent.

Petrum Alexandrinum episcopum hæreseos Eutychetis sectatorem damnauit, idq; ad criminationem & postulata Acacij Constãtinopolitani, & Timothei. Marianus sub annum 482, scribit ab eodẽ Simplicio postmodum etiam hunc ipsum Acacium damnatum esse hæreseos.

Epistolæ superius relatæ non illorum habent inscriptiones, qui ipsi familiariter noti fuisse uidentur: ut Zenon Spalensis episcopus, Ioannes Rauenantensis episcopus, Florẽtius, Equitius & Seuerus episcopi. Acacij primùm singulariter usus amicitia fuit: ac temporis progressu hostis ipsum loco habuisse, historia ostendit.

Basilicas struxit sancti Stephani in Cælio monte, Andreæ apostoli non longè à templo Mariæ maioris. Item Vinianæ martyris, ad palatium Lucianum: Platina. Et cum ecclesiam Romanam (ut Platina inquit) non institutis modò, sed etiam donis auxisset, creasſetque per menses Decembrem & Februarium presbyteros 58, diaconos 11, episcopos 36, siue 86. ut alij: cursumq; suũ peregisset, obijt, conditusq; est in basilica Petri 6 Nonas Martij, ut Pontificalis liber, & Platina: cum in administratione fuisset annos quindecim, mensem unũ, dies septem. quos annos etiam Marianus habet, qui ad annum quoq; Christi 484, ipsum mortuum refert.

FELIX TERTIVS.

Felix tertius Romanus fuit, & quidẽ presbyteri filius Felicis, Romanæ ecclesiæ cardinalis, tituli Fasciolæ, de nobilissima domo Anicia, quæ postea Fregepanum appellata est: Gregorij Magni atauus, ut Panuinius eum describit. Est autem is numero quadragesimus septimus, uel octauus: sicut iam antea monuimus discrepare inter se authores. Electus est autem ad episcopatum, anno quo Simplicius obijt, quadringentesimo octogesimoquarto, Imperij Zenonis decimo, ut Marianus recitat. quem Palmerius in annis Christi uno tantum superat, decęterò congruens. Incidit autem huius gubernatio in tempora regum Italiæ Odoacris & Theodorici, quemadmodum Platina annotauit.

Quandoquidem autem rebus alijs destinamur, quæ de ipsorum administratione dicendæ erant, hoc unum referemus. Quia in Africa multo tempore iam grassabatur immanis persecutio, qua pij & de sacra diuinitatis Triade uerè & catholicè sentientes à Vandalis Arianis horribiliter affligebantur omnis generis infandis ac inauditis cruciatibus: factum est, ut interdum uicti aliqui (quæ carnis est infirmitas) succubuerint, defecerintq;: alij inuiti etiam ad baptismã per uiolentiam tracti sint: rursum nonnulli (quibus tantum uenter deus, nec de altera uita multum sunt soliciti) sponte se ac ultrò ipsis coniunxerint: & uerò multi hoc modo dispersi, ad uicinas transmarinas ecclesias migrarent, si quando effugij locus concederetur: uisum est Romano episcopo, de eiusmodi

modi examinandis & recipiendis deliberationes instituere. Quare coacta Romæ in basilica Constantiniana synodo cum centum & amplius episcopis & presbyteris, statuit quædam obseruanda in recipiendis ijs qui in persecutione illa defecerant: quæ mox ordine recitabuntur, ubi prius de scriptis eius monuerimus.

¶ Scriptorum ipsius extant tres epistolæ: Vna, decretalis eius synodi de qua iam mentionem fecimus. Alia, ad Acaciũ Constantinopolitanum episcopum, qua illum post enumerata crimina perpetuò excommunicat. Tertia, ad Zenonem episcopum (Spalensem fortasse episcopũ, de quo prius in Simplicio) commendatoria cuiusdam Terentiani, &c.

¶ Sed iam ad Statuta synodi recitãda reuertamur.

1. Est habenda ratio in recipiendis lapsis in persecutione. Grauiore quippe castigatione recipiendi, qui sponte, quàm qui coactè defecêre: Item, qui in ministerijs, quàm alij.

2. Episcopi, presbyteri, diaconi, pœnitentiam agant usque ad finem uitæ: nec orationibus non modò fidelium, sed ne catechumenorum quidem interesse ijs liceat. Et morti uicinis laica reddenda communio. de cons. distinctione quarta: eos quos episcopus.

3. Clerici, monachi, moniales etiam, item homines politici, qui nullo periculo aut necessitate coacti, rebaptisari se passi sunt, tribus annis sint inter audientes, septem inter pœnitentes: duobus annis oblationes offerre non sinantur, sed in oratione cum fidelibus tantum socientur. de cons. distinctione quarta: eos quos. Item, Nic. con. c. quadragesimoprimo.

4. Pueris uerò, puellisq; ijs, siue laicis siue clericis, quos ætas aliquo modo excusare uidetur, detentis aliquandiu sub manus impositione, reddenda est communio, non expectata ipsorum pœnitentia.

5. In mortis periculo receptus, si postea conualescat, numero eorum habeatur, qui sola oratione communicant, quod spacium ad pœnitendum sibi præfinitum complet iuxta Nicenos canones. can. 13.

6. Catechumeni simili casu baptizati, annis tribus sint inter audientes, postea cum catechumenis ad communem orationem admittantur, per manus impositionem Catholicæ communionis gratiam percepturi, iuxta Nicenos canones: canone 14.

7. Eorum qui quacunq; ætatis alibi quàm in ecclesia Catholica baptisati aut rebaptisati sunt, ad ecclesiasticæ militiæ munia nunquã admittãtur. 1. q. 7. qui in qualibet ætate.

8. Pœnitentem, aut sub manu sacerdotis positum, aut qui se reconciliatum dicit, nemo in aliena ciuitate aut diœcesi recipiat, sine episcopi aut presbyteri, ad cuius parochiam pertinet, testimonio ac literis.

¶ Tribuuntur ei etiam alia quædam ab alijs. Ecclesias tantum ab episcopis consecrandas: Platina & Volaterranus. Addit Baleus, festum Dedicationis ecclesiarũ ipsum approbasse.

Accusato apud iudicem dãdas inducias, refert Nauclerus generatione decimasexta, uolumine secundo. & cap. Orosius. distinctione quinquagesimasexta, Bergomensis recitat ex canone secundæ q. ca. de inducijs.

Iudices & accusatores à suspicionibus alienos esse debere uoluit Petrus de Natalib.

¶ In Gratiani decreto etiam hæc duo decreta ei attribuuntur:

In causis Dei, iuxta ipsius cõstitutionem, regiam uoluntatem Christi, sacerdotibus postponendam, non præferendam. distinctione 10. certum est hoc.

Qui hæresin amplectitur, incidit in eandem pœnam, qua author eius erroris cum successoribus iam antè damnatus est. 24. q. 1. Acacius non fuit.

Quid de singulis doctrinæ cœlestis capitibus rectè aut secus senserit, non possumus affirmare, cum eius non multa extent scripta.

¶ Certamen pro Romanæ ecclesiæ primatu more suorum anteceſſorum acre suscepit, contra Acacium Constantinopolitanum episcopum: eumq; ideo excommunicauit, quòd sine Romani episcopi autoritate Ioannem Alexandrinum ab officio remouerat Imperatoris iussu: & Petrum Moggũ ob hæresin excommunicatum, agẽtem pœnitentiam recepisset & absoluisset, non expectans sententiam Felicis. Sed Acacius nihil curabat eius iram, ac uicissim nomen Felicis ex sacro albo expungebat.

Deinde Felix Roma cum ignominia expulit legatos Flauitæ, qui Acacio succesſerat, quòd compererat ipsum diuersæ sententiæ literas scripsisse, ad se quidem, quibus fingebat suam se amplecti communionem, Petrum uerò Alexandrinum reijcere: rursum ad Petrum, se Romani pontificis respuere, suam uerò recipere communionem, professus fuerat. Nicephorus libro decimosexto, capite decimonono. Cum etiam Flauitæ successor Euphemius suas ad ipsum dedisset literas, accepit eas quidẽ, & ipsum quoq; ut Orthodoxũ amplex⁹, quod Petri nomen ex sacris tabulis expunxisset, & Felicis reposuisset. Verùm quòd non simul & Acacij & Flauitæ nomina induxisset, ita

set, in episcopalem ipsum communionem non admisit. Nicephorus ibidem.

Postremò, ut ipse quoq; ad cultum Maozim aliquid conferret, basilicam ædificauit Agapeto, non ita procul à basilica Laurentij martyris, ut Platina refert.

Tandem cum ordines Romæ sacros celebrasset mense Decembri, creassetq; presbyteros & diaconos, mortuus est. Sepultus autem est in basilica Pauli, cum sedisset annos nouem, secundum Palmerium: mortuus quidem anno 493, ut Marianus scribit. Balæus recentior unum addit.

GELASIVS PRIMVS.

Gelasius natione Afer, patre natus Valerio episcopo: ut Volaterranus, & ex recentioribus Balæus & Panuinius annotarunt. est autem is 48, iuxta Palmerium: quadragesimus uerò nonus, iuxta Marianum. Panuinio, qui Pontifices in seriem collocat, qui interdum per schismata bini aut trini simul unà creati sunt, est quinquagesimus tertius. Felici succesit, Palmerio referente, post Christum natum 495, qui est eidem annus Imperatoris Anastasij tertius. Ac fuit sanè hic Pontifex illis ipsis temporibus, quo Theodoricus rex Italiæ bellum intulit Clodoueo socero regi Francorum, ut Platina meminit: quo continuis aliquot annorum bellis miserè Italia afflicta est.

De gubernatione huius, hoc tantum ex relictis monumẽtis colligere possumus, quòd habuerit magnum studium instaurandæ disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ dissoluta & collapsa utplurimùm fuerat, propter crebros, imò continuos multorum temporum bellicos tumultus, quibus boni mores & disciplinę seueritas apud omnium ordinum homines tum labefactari, tum quædam barbaries & liberior peccandi licentia prouenire solet: quod ut corrigeret uel mediocriter in Ecclesia, summam dedit operam, ut sequentia testabuntur.

Libros quinque ipsum edidisse contra Eutychen & Nestorium, duos item contra Arium: Orationes præterea ipsum habuisse elegantes & graues: epistolas quoque misisse ad amicos & domesticos fidei, non minus graues quàm doctas: & ea opera omnia in bibliothecis prostetisse suo adhuc tempore, recitat Platina. Qui & hoc subijcit, composuisse ipsum etiam hymnos ad imitationem Ambrosij.

Ex istis autem quinque contra Eutychen & Nestorium libris, fortasse est fragmentum illud, quod extat in uolumine cui Antidoto titulus est: quòd habet inscriptionem, Gelasij episcopi Romani de duabus naturis in Christo aduersus Eutychen & Nestorium.

In Conciliorũ tomo primo, sub eius decretis ponuntur quædam epistolæ, quarum ipse sit autor. Prima, ad episcopos per Lucaniam & Brutios & Siciliam decretalis, cuius decreta infrà recitabuntur.

Alia ad episcopos Siculos, & ipsa decretalis, unum tantum atque alterum decretum habens.

Tomus de anathematis uinculo, cuius est summa: Acacium Constantinopolitanum episcopum, quòd non resipuerit, uerè & legitimè damnatum decessisse: nec Petrum Alexãdrinum fuisse absolutum, quòd ij qui eos absoluissent, ipsi rei fuerint: nec Imperatorem hoc præstare potuisse, quod non sit ipsius officij.

Epistola ad Faustum magistrum, fungentem legationis officio Constantinopoli, criminatoria aduersus episcopos Orientales, quòd in causa Acacij obstinatè persistant (uidelicet quòd se iugo Romanorum pontificum subijcere nolint.) Nam quanto labore in hac epistola primatum defendat, mox dicetur.

Epistola ad Anastasium Augustum, de pace sarcienda inter se & Orientales episcopos: quam consistere firmam non posse asseuerat, nisi Acacij nomine è medio sublato.

Epistola ad episcopos Dardaniæ prolixa, de Acacij condemnatione, quam ab Apostolica sede factam dicit esse rectam & legitimam.

Alia de eadem causa, Acacij uidelicet condemnatione ad episcopos Orientales, quæ tamen mutilata uidetur.

Epistola ad Euphemianum, alterum ab Acacio Constantinopolitanum episcopum, responsoria de concordia inter ecclesias Orientales & Romanam, propter Acacij causam disidentes.

Est & in Liberati Breuiario epistola, quæ inscriptionem habet ad Dardanios, sub finem, de Eutychis errore, quem mira breuitate refutat.

Postremò extat in illo ipso Conciliorum tomo etiam iudicium & censura Gelasij de libris ueteris & noui Testamenti Canonicis & Apocryphis: & de nonnullorum Patrum scriptis, quæ cum Canonicis, & quæ minus conueniant.

Pontificales libri tradunt ipsum etiam quædam gradualia, præfationes (quas uocant) nonnullas, etiam collectas siue orationes composuisse.

¶ In doctrina, de uno atq; altero loco nonnihil materiam suppeditat historiæ.

De Christo, contra Eutychis errorem breuiter quidem, sed tamen piè & rectè docet, utrumque & uerum esse Deum, & uerum hominem, ex Maria genitum mundi redempto-

demptorem, passum, resuscitatũ ex mortuis, ascẽdisse in cœlum, redituru esse ad iudiciũ. rij Liberati est, cum alijs annexa.

De pœnitentia ita sentit: Nullum esse peccatum, quod resipiscenti non dimittatur. Ita peccatum in Spiritũ sanctum interpretatur esse irremissibile, uidelicet in eo perseuerãtibus: resipiscẽtibus uerò fieri remissibile. idq; exemplis probat hæreticorum, qui hæresib. suis blasphemi in Spiritum sanctum fuerint: quorum tamen nonnulli reuersi, remissionẽ sint consecuti. Item ex 1. Iohan. 5. Est peccatum ad mortẽ, scilicet in eodem peccato manentibus: Et est peccatum non ad mortem, scilicet ab eodẽ peccato recedentibus. Nullum est quippe peccatũ, inquit, pro quo aut non oret Ecclesia remittendo: aut quod data sibi diuinitùs potestate, desistentibus ab eodem non possit absoluere, uel pœnitentibus relaxare, iuxta illud: Quæcunque dimiseritis super terram, &c. in tomo de anathematis uinculo.

De sacramento Eucharistię quid senserit, testatur decretum ipsius, quod extat de cõs. distinctione 2. Cõperimus, quod seriò mandat, aut integram cœnam Dominicam sumẽdam, aut ab eo prorsum abstinendũ, nec unã partem tantum accipiendam. Reprehendit quę grauiter, ut superstitiosum, quòd à caliceſacrati cruoris (ita loquitur) quidã abstineant. Ac diserte adijcit, sine grandi sacrilegio eiusmodi diuisionem fieri nõ posse. Sed ponamus ipsum Canonem: Comperimus autem, quòd quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant: qui proculdubio, quantũ nescio qua superstitione docentur adstringi, aut integra sacramenta percipiãt, aut ab integris arceantur: quia diuisio unius eiusdẽq; mysterij, sine grandi sacrilegio non potest peruenire. Ac ut eius etiam lectorem commonefaciamus: Quamuis magna sit huius Canonis perspicuitas, & diserte de sumptione uerba fiant: tamen nescio qua temeritate quidam (falsi meritò accusandi) Chronographi, inter quos etiam Bergomensis, Canonẽ corrumpentes, scribere non uerentur: statuisse Gelasium, ne unquam corpus sine sanguine conficeretur.

De potestate Ecclesiastica & politica docet, utraq; illa mundum regi: sed Ecclesiasticam hic principatum tenere, eo quòd qui sunt in ministerio, etiam pro ipsis regibus sint rationem reddituri in diuino iudicio. ac pie monet Imperatorem, ut in negocio pietatis ac salutis, ac sacramentorum perceptione, ijsq; rebus disponendis sese potius submittat iudicio eorum, penes quos est ministerij authoritas, quàm eos ad ipsius uolun-

tatem religionẽ attemperare uelit. Quantũ uerò ad externam ac ciuilem disciplinã attineat, sese pontificẽ, & omnes religionis ministros, Imperatorũ quoq; legibus parêre. epistola ad Anastasiũ. Dicit in eadem, de obedientia erga ministerium: Cunctis generaliter sacerdotibus & rectè diuina tractantibus fidelium corda conuenit submitti. Rursum in tomo de Anathematis uinculo, ita utrunque coniungit, ministerium & politiam, ut ostendat neutrũ altero carere posse, sed alterum alterius indigere ope. Nam ipsos quoque Imperatores opus habere ministerio, pro consequenda æterna uita: ministros uerò, seu (ut suo more loquimur) ipsos pontifices, ciuilium ordinationum ac Imperalium legum adminiculis pro huius corporalis uitæ cursu. ac prudenter iterum monet de cauenda polypragmosyne, ut uidelicet qui utrobiq; cõstituti, utriq; suę uocationis propria agant, nec qui in ministerio Deo militant, ciuilibus sese negocijs implicent: contrà uerò, qui ciuili rerum gubernatione implicati sunt, ministerio leges nõ præscribãt.

Cæterùm in huius loci tractatione subest quoq; uulgaris iste næuus, qui manifestissimè mysterij iniquitatis uestigia ostendit: nimirum quòd, cum rectè dixisset pios Ecclesiæ ministris sese debere submittere, accommodet hoc per argumentũ à minori ad maius, ut quàm maximè ad Romanã ecclesiam, eamq; iure diuino contendit esse omnium primam, sicut ex epistola ad episcopos per Brutios & Lucaniam inter cætera ita scribit: Dominum totius Ecclesiæ principatum ibi, scilicet Romæ, posuisse. Dicit prętereа, à Romana ecclesia omnium cæterarum pendere debere iudicia, ab ea nusquam deinde appellandum: sed huius sententias esse habẽdas firmas, ratas ac indissolubiles, ipsamque omni iudicio esse superiorem: ac pro isto superbo ac planè diabolico dominatu acerrimè depugnat per omnes istas epistolas. Sicuti præter alia dicta innumera, hoc ex epistola ad Faustum Magistrum clarè ob oculos ponit, ubi ita scriptũ est: Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen uoluêre deferri. Ab ipsa uerò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudiciũ, nec de eius unquam iudicio iudicari præceperunt: sententiamq; illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius decreta sequenda mãdarunt. Ponitur hoc dictũ uerbo ad uerbũ etiam in decretis, 9. q. 3. Ipsi sunt Canones. Diabolica sanè audacia & impudentia canones iactat: sed cum sciret in sexta Carthaginensi deprauationem Nicenorum canonum esse animaduersam, & mani-

festatam, nõ addit qui canones id ius Romanæ ecclesiæ concedant.

¶ Iam ad ipsius decreta:

Sanxit, propter Ecclesiarum in bellis uastatarum instaurationem, posse in disciplinę seueritate quædam ad tempus remitti & laxari.1.q.7.notoria.

Proinde propter rerum & temporum (saluis aliàs maiorum institutis) necessitatem, licere uti aliqua dispensatione in ordinandis ijs qui ad clericatus officia accersuntur. distinctione 55.Priscis.

Ex monachis ad clericatũ admitti põt, cuius uita ꝓbata: q bigam⁹ nõ fuit, nec q desertã ab altero duxit: q nõ egit publicã pœnitẽtiam: qui corpore non uitiatus: qui non seruus: qui nexibus curiæ absolutus: qui literarum non ignarus. His rebus instructus, statim lector aut notarius creetur. Post menses tres, modò per ætatẽ liceat, acoluthus: sexto mense subdiaconus, nono diaconus: cõpleto uerò anno, presbyter. distinct. 77. si quis de religioso, cum eam sequenti.

Ex laicis ad clericatũ admittantur, si metæ iam de monachis enumeratæ obseruentur: & addatur insuper ad ordinationis annum, tempus semestre. distinct. 77.c.fi.§. si uerò locus.

Bigami, desertarum ductores, pœnitẽtes, illiterati, mutilati, serui, publicis muneribus occupati, iusta temporum expectatione nõ probati, nõ admittantur. distinct. 50. non cõfidat. item distinct. 36. illiterati.

Si qui uerò eiusmodi iam in ministerijs, illi ad ulteriores ordines non promoueantur. 1.q.7.si qui uel propria.

Basilicæ nouæ non petitis ex more præceptionibus, à nemine dedicentur, nec episcopi uendicent alienæ potestatis clericos. de cons. distinct. basilicas nouas.

A' baptizandis & consignandis nulla precia exigenda.1.q.1.baptis.

Presbyteri nihil faciant eorum officiorũ, quæ sunt episcoporum propria: ut chrisma conficere, consignare, orationem uel sacram actionem supplere: episcopo præsente, nisi iussi, acoluthum aut subdiaconum, sine summo põtifice creare. distinct. 95. presbyteros.

Diaconi nihil eorum quæ primis ordinibus decreuit antiquitas, suo ministerio expediant, nec absq; presbytero uel episcopo baptisent, nisi extrema cogat necessitas: quando & laicis Christianis id conceditur. distinctione 63. dicat. Nic. Co. c. 18.

Extra tempora Paschatis & Pentecostes baptisare non liceat ulli, nisi extremo mortis periculo. de Consec. distinctione 4. baptizandi.

Ordinationes presbyterorum & diaconorum exerceantur quarti mensis ieiunio, Septimi item, & decimi, & quadrigesimæ initio, ac medio sabbati ieiunio sub uesperam. Presbyterum item seu diaconum minimè præferendum his qui ante ipsos sunt ordinati. distinct. 75. ca. fi.

Virginibus initiandis sacrũ uelamen non nisi Epiphaniorum die, aut in albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitijs imponendum, nisi morbo correptis de uita periculum esset. 20. q.1. deuotus.

Viduas, pontificum nemo prorsus uelare attentet.

Serui & originarij fugitiui, nisi scripto testimonio aut legitima transactione manifestum sit, à suis dominis eos manumissos esse: non retineantur, neq; recipiantur uel in monasteria, uel ad cætera Ecclesiastica officia. distinctione 54. generalis.

Negociationes inhonestas & turpia lucra clerici nõ exerceant. distinct. 88. cõsequens can. Ap. c. 44. Et Nicen. concil. c. 17. Et Laodic. c. 15.

Qui se ipsos castrarũt, à clericatu reijciantur. Nic. con. c. primi in Cano. Ap. c. 23.

Facinorosi siue ante, siue post assumptos ordines, submouendi. Nic. con. canonibus nono & decimo.

Dæmoniaci, & similibus passionibus obnoxij, remouendi & ipsi. distinctione trigesimaquinta, usqueadeò.

Sacrarum uirginum uitiatores penitus à sacra communione reijciantur: nec nisi per publicam, eamq; probatam pœnitẽtiam recipiantur. Ex hac tamen uita migraturis uiaticum non denegetur, si quidem pœnituerint.

Viduæ sua sponte continentiam seruaturas professæ, custodiant pudicitiæ fidẽ Deo promissam. Quòd si nupserint denuò, uidentur in pœnas quidem incidere: sed talibus tamen laqueum ullum inijci non placet, tãtum spe præmij sempiterni, pœnisq; propositis diuini iudicij, cohortentur. 27. q.1. de uiduis.

Secundæ nuptiæ hominib. ciuilibus cõceduntur quidem, uerùm ad clericatũ post eas nullus istorum admittatur.

Qui recipit eum qui sine causa suã deserit Ecclesiam, uel etiam promouet eum, uterq; eorum, tum desertor tum recipiens, uel promouens, in Canonum pœnas incidit. Nic. conc. cap. 15. 16. Can. Ap. c. 15. Chalced. conc. c. 20. Antioch. can. 3.

Ex monachis qui precio mercati fuerint dignitates, conuicti remoueãtur. 1.q.1. quos constiterit.

Fœminæ sacris altaribus ministrare, aut ea quæ uirorum ministerio congruunt, agere minimè permittatur.

De Ecclesiæ reditibus, piorumq; oblationibus,

tionibus, quatuor fiant portiones: quarum prima sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis Ecclesiasticorũ ędificiorũ impẽdatur. 12. q. 2. quatuor autem.

Qui clericorum uiderit ac norit harum constitutionum transgressorem episcopum, presbyterum, diaconum, nec detulerit, non habeatur impunè. 2. q. 2. qui propter. Can. Ap. c. 40. & 41. Antioch. ca. 25.

In epistola ad episcopos Siciliæ, duo reperiuntur decreta. 1. Facultatum Ecclesiæ administrationem penes episcopos esse debere, ut distribuant inde uiduis, pupillis, pauperibus, item clericis sua stipendia.

2 Facultates & diœceses iure sibi uendicare episcopos, propter ius tricennalis præscriptionis. 16. q. 3. præsulum authoritas. itẽ § Gelasius. & 13. q. 2. facult.

In decretorum uolumine etiam alia quædam sub Gelasij nomine recitantur, in quib. hoc est uel præcipuũ, quòd statuit de integri sacramẽti usu: utramq; nimirũ partem, corporis pariter ac sanguinis esse sumendam. de cons. distin. 2. comperimus. sicuti antea, de ipsius doctrina, plura de hoc diximus.

In hæresi decedens, nisi illius nomine refutato, cæterisq; eius erroris consortibus, cum nullo prorsus eorum participãda mẽsæ Dominicæ puritas. 24. q. 2. nec quisquam.

Episcopi à suo metropolitano tantum, & ipse uicissim ab eis ordinetur. distinct. 64. qui per ambitiones.

Constituit gradus ordinationum, ut uide licet initiandus primùm fieret hostiarius, pòst lector, inde exorcista, acoluthus, subdiaconus, diaconus, demum presbyter, postremò episcopus. distinct. 77. illud nos.

Instituit & alia quædã ceremonialia: prẽfationem Missæ: clausulam, Verè dignum & iustum est. Petrus de Natalibus.

¶ Sed iam ad certamina ipsius. Nisi nimia dominandi libido, qua remota omni uereundia pro primatu omnib. uiribus decertauit, suspectum hunc redderet, poterat uideri magno pietatis zelo laborasse, & contra hæreticos pugnasse. Nam contra Eutychen, Nestorium, item Arium libros scripsisse, ex Platina paulo antè retulimus. Manichæos in urbe deprehẽsos exilio damnasse, eorumq; libros ad basilicæ diuæ Mariæ fores eius mandato crematos publicè, idem Platina author est. cui concinunt Pontificales libri. Messenum ab ipsius antecessore Felice à cõmunione exclusum, post illud temp⁹ quod ipsi ad pœnitendum fuerat pręscriptum, Ecclesiæ suæ restituit, cum in synodo oblato libello sese purgasset, satisfecisset q; : sicut ijdem authores cõmemorant. Cum intelexisset Gelasius, in ecclesijs Græciæ multa flagitia & parricidia commiti, Petri Alexandrini & Acacij Cõstantinopolitani seditionibus: misit eò legatos suos, ut eos qui non statim pœniterent, perpetuò damnarent. ac certè damnatos ab hoc quoq; Gelasio appareret ex epistolis, quæ ei in primo Conciliorũ tomo tribuuntur. Prætextus speciosus est, quòd Acacius Petrum illum Moggum Alexandrinum, Dioscori Eutychianæ hæreseos damnati sectatorem, restitui passus sit per Imperatorem, & cum eo ipse quoq; communicarit, quẽ tamen ipse etiam antea ad pontificem Simplicium accusauerat hæreseos. Verùm in animo dominãdi cupidissimo uidetur causam exacerbasse, quòd fortasse Acacius pœnitentia ductus, quòd primatum Romanæ ecclesiæ detulisset, reuocato consilio, cum uideret pessimè cecidisse, ac ad tyrannidem euadere Rom. episcoporum potestatem, noluit deinceps eos ut primarios agnoscere. Siquidẽ & Petrum istum sine authoritate Romanæ ecclesiæ, nec communicato cum Romano episcopo consilio recepit: & Felicis quoque damnationem sibi redditam contempsit, ac uicissim eius nomen ex Catalogo episcoporum erasit, ut in Felice quoque indicauimus. Nam qualis qualis fuerit Acacius, quantum tamen ex illis suprà memoratis epistolis colligi potest, uidentur Orientales episcopi ut plurimùm ab ipsius stetisse partibus, ac pro mortuo etiam magno studio intercessisse ad hũc Gelasiũ. Et multis præterea ut non legitimè excõmunicatũ uisum fuisse, eadem illa scripta testantur: in quibus pleriq; ipse Gelasius hoc unum cũ primis agit, ut legitimè condemnatũ ipsum demonstret. Testantur amplius, ipsos Orientales magnis animis pro libertate suarũ Ecclesiarum contra primatus seruitutem depugnasse. nam diserte fatetur ipse Gelasius, se ab ijsdem uocatũ difficilẽ, durũ, asperũ, superbũ: & cõqueritur sibi ipsos nolle parêre. Est q; hoc maximè perspicuũ, hunc Gelasiũ non ut cæteros, occultè ac insidiosè, sed aperto marte principatum ac imperium in uniuersas ecclesias adserere uoluisse: ita sanè, ut deinceps ad Romani episcopi uel nutum cuncta, nec sine eius authoritate quicquam prorsus ageretur. Sicut hoc testatur canon, Cuncta per. 9. q. 3. Quod ni esset, & sub specioso pallio aliud quæreret, rectè, piè & laudabiliter agere uideri poterat, quòd Orientalibus de concordia per amnistiam sarciendа cum ipso agentibus, sese difficilem præbet: nec ullam concordiã firmã statui posse dicit, nisi ueris discordiarũ causis & seminibus prorsus sublatis & euulsis, Acacij scilicet nomine penit⁹ sublato, oẽs ipsius fautores & sectatores pœnitentiam agãt. Narrat Platina, scribi à quibusdam, ab hoc Gelasio etiã Imperatorẽ Anastasiũ, Zenonis successorem,

sorem, excommunicatum, quòd hæreticis & Acacio faueret. Vsum præterea hunt Romanum episcopum suo isto neruo etiã aduersum Vandalos, eorumq; regem: quòd Ariana hæresi infecti, Catholicos cruciatibus & supplicijs afficiebant, idem author est, item & Sabellicus.

Quòd Ecclesiarum ministros paterno amore sit prosequutus, studiumq; habuerit augendi numerum ipsorum, & quòd mira beneuolentia & charitate cõplexus sit pauperes, ac maxima calamitate famis urbem Romam eripuerit, narrant Platina & Pontificales libri.

Dedicauit etiam ipse basilicas, Euphemię martyris in ciuitate Tiburtina, item Nicandri & Eleutherij uia Lauicana, item S. Mariæ uia Laurentiana in fundo Crispi, 20 ab urbe lapide.

Posteaquam autem presbyteros creasset, diaconos ac episcopos, mortuus est anno 497, ut Marianus annotat: conditus in basilica B. Petri apostoli, x i. Calend. Decembris.

SEDVLIVS.

CLarus fuit in Italia temporibus Theodosij posterioris Sedulius presbyter, circiter annum decimumquartum eius Imperij, ut habet Henricus de Erphordia, Domini uerò quadringentesimum quadragesimumquintũ. Fuit is natione Scotus (Scotigenam enim ipse se nominat initio cuiusdam epistolæ ad suos auditores) ab ineunte ætate Hildeberti Scotorũ archiepiscopi doctissimi discipulus. Quo defuncto natale solum reliquit, & discendi studio amoreq; ampliora cognoscendi, peragrauit Hispaniam, Galliam, Italiam, Græciam, & Asiam. Ex Achaia inde, ubi primùm quædam suorũ monumentorum ipsum edidisse memorat Henricus, Valentiniano & Theodosio Impp. redijt in Italiam, & in urbe Roma eam quam sibi multis itinerum sudoribus ac difficultatibus comparauerat doctrinę excellentiam, ad usum traduxit, aliosq; cum laude docere cœpit. Fuit autem uir ingenio præditus præclaro, sacris pariter ac prophanis literis & doctrinis eruditissimus, carmine excellens iuxtà & prosa: sicuti ei testimonium prębẽt, quæ hodie adhuc supersunt ex eius monumentis reliquiæ. Ipsemet de se scribit ad Macedonium, impatiens sibi contigisse diuinitùs ingeniũ. Henric⁹ iste in Italia ipsum philosophiæ studijs operam dedisse, laicum adhuc, refert. Ex quadam eius epistola patet, scholã etiam ipsum alicubi aperuisse, & habuisse auditorũ cœtus, quibus græca simul & latina tradiderit: & dubio procul Philosophica & Ethica. Nam prophanis studijs multum ipsum fuisse occupatũ prius, ipsemet queritur initio epistolę ad Macedoniũ, quam Paschali carmini præfixit. Arguunt etiam collectanea illa in Paulum, philosophorum & aliorũ Ethnicorũ scripta ipsum diligenter lectitasse: ita Aristotelem uocat Dialecticorum principem, in 3. cap. ad Titũ. Platonis quoq;, ut postea dicetur, quoddã dogma impugnat. Ex Salustio etiam elegantem γνώμην citat, Corde lætante uultus floret: 2 Corinth. 12. Dialectices & Rhetorices eum fuisse peritum, argumẽto est, quòd sub finem explicationis secundi ad Romanos capitis, & initio tertij expressè affirmat, Paulum ex arte Dialectica & Rhetorica proponere, assumere, confirmare & cõcludere: & licet ipsa artium uocabula, Syllogismorum scilicet, & partiũ eorundẽ & schematũ non exprimantur in Paulo, res tamẽ ipsas reuera in eius doctrina contineri. Exemplũ etiã ex initio tertij ad Rom. cap. producit:

Omnis ueracis fidem nullius incredulitas euacuabit. Deus autem uerax est.

Dei igitur fidem nullius incredulitas euacuabit.

Linguæ quoq; Græcæ & Hebraicæ non prorsus ignarum fuisse, ostendere uidentur interpretationes quarundã dictionũ, quas iuxta suarum linguarũ origines examinat: ut Apostoli, Euangelij & aliarũ. itẽ, quòd annotat diuersitatẽ lectionis Hebręorũ & Græcorũ, & dicit uariare Hebraica à Græcis: ut in 3. cap. ad Rom. & in 10 eiusdẽ epistolæ, & passim alibi. Tandẽ aũt professione Theologiæ relicta, totum se cognitioni cœlestis & sacrarũ literarũ doctrinæ dedidit, ut ipse de se narrat in illa ad Macedoniũ epistola. Atq; in eo studiorũ genere nonnihil se adiutũ etiã ab illo Macedonio, testatur ibidem. Nec est in sacrarũ literarũ studio infeliciter uersatus, ut patet ex eius elucubrationibus: nec est inepta censura eius, qua iudicat epistolã ad Romanos maxima ex parte structã esse è ueteri Testamento: in 3. ad Rom. cap. Item, ibi quoq; monet, octo uersus, quos in eo loco citat ex scripturis Apostoli, non haberi neq; apud Hebręos, neq; in Septuaginta, neque apud quẽquã interpretũ. Et pòst in 11. eiusdẽ epistolę cap. similiter annotat, illũ uersum, Fiat mẽsa eorũ in laqueũ, & in captionẽ: non esse scriptũ in Psal. neq; in Hebræorum, neq; in ipsorũ Septuaginta interpretũ exemplaribus. additq;, Apostolicã authoritatẽ nunquã fidẽ facere Hebræorũ exẽplaribus, nec uerbis semper interpretũ seruire, sed Scripturarum sensum uerbis accõmodis explicare. Itẽ, epistolã ad Hebręos rectè Paulo ascribi, rationibus probat. Diligẽter etiã explicat Scripturę phrases: ut Seruire in ipsius, Cor durum, Thesaurizare, Anima, Mũdus, & huiusmodi plurima.

Patres diligentissimè etiã legit, Origenẽ, Augustinũ, Hieronymũ, Ambrosiũ, Eusebiũ & Gen-

& Gennadiũ. Nam ex horũ interpretationibus suarũ ipse in Paulũ explicationum collectanea congesit, & ex alijs proculdubio. Sunt enim integræ interdum periodi in illis collectaneis, quæ eædem etiam in Primasio reperiuntur, ut alter ab altero quædam mutatus uideri possit: uter tamen id fecerit, non certò possumus pronunciare, cum non satis constet uter scribendo præcesserit.

De functione eius Ecclesiastica parũ certi habetur. Presbyterũ eũ pleriq; nominãt. Trithemi⁹ ex Sigeberto refert, eũ episcopatũ gessisse alicubi: sed nomẽ loci nõ est annotatũ.

¶ Multa ipsum scripsisse & soluta & ligata oratione cõstat, autorib. Henrico Erphurdensi, Trithemio, & Balęo, ex quodã Bostone Buriense, ex quib. hæc hodie supersunt:

In omnes Pauli epistolas, breues annotationes, quibus titulus est Collectaneorum.

Libri quatuor carmine hexametro scripti, quibus author titulũ fecit Paschale carmen: & tot ipse disertè numerat, uelut i intelligitur ex epistola præfixa, qua carmẽ illud dedicat cuidã Macedonio, quẽ in epigraphe beatissimũ patrem uocat: Trithemius abbatem nominat. Qui libri etiam inscriptionem habent, Mirabilium diuinorum, &c.

His subnectitur elegia exhortatoria.

Additur his & Hymn⁹ iuxta toti⁹ Alphabeti literarũ seriẽ, A solis ortus cardine, &c.

¶ Præter ista commemorat Trithemius etiam alia eius scripta, ut sunt:

Carmen ad Theodosiũ Imperatorem, cuius tale sit initiũ: Romulidũ ductor cla. lib. 1.

De miraculis Christi prosaicè, lib. 2.

In maius uolumen Prisciani, lib. 1.

In secundam editionẽ Donati, lib. 1.

Epistolas plures ad diuersos, cuius initiũ sit, Sedulius Scotigena.

¶ Iis, ex quodã Bostone Buriense, hęc sequentia addit Balæus, suæ patriæ Scriptorũ celebrator diligẽtissimus pariter, & doctiss.

De signis & uirtutibus, lib. 1. cuius initiũ: Domino meo charissimo.

Gesta & miracula Christi, lib. 4. quorum initiũ facit: Expulerat quondam quale exordium est lib. 2 carminis Paschalis. Et sunt fortasse illi ipsi lib. Paschalis carminis, quos tamen diuersos facit & numerat, & quidem quinq; Balæus, contra expressum ipsius authoris testimonium: nisi fortè elegiã illam pro libro etiam computet.

Super utroq; Testamento, lib. 2.

In psalmos Dauidicos, lib. 1.

Carmina diuersi generis, lib. 1.

Græcolatinas quasdã sententias in quoddam Cõpendium congessit, ut patet ex epistola ad Macedonium.

Ex his scriptis carmen Paschale Ecclesiastico canone dignũ iudicatum est à Gelasio: ut habetur 15. distinctione, Sancta Rom. Et Balęus narrat Paterium, Gregorij magni discipulum, & Remigium Antisiodorensem, qui etiam cõmentaria in Sedulium ediderit, opera eius pręconijs ornasse & cõmendasse. Et est sanè elegans author, felicior tamen in carmine quàm prosa, cuius asperior est oratio, & affectata nonnihil, ac duriorib. trãslationib. & poeticis phrasibus propemodum (ut Sidonij) crebrò interspersa: quales sunt, Paruo tyro lintre cucurrerim: itẽ, Deuotũ in pectoris tui portũ blanda tranquillitate recipias: itẽ, Meam lenificis mediocritatem pulsauit suadelis: & eiusmodi alia. Cõmẽtariorum certè in Paulum mirè est uersicolor dictio: sed ipsa eius operis inscriptio authorẽ excusat, quòd Collectaneorũ nomen palàm præ se ferat, non omnia esse authoris gnesia & ꝓpria, sed undelibet corrogata, quæcũq; alicubi ad usum eius scriptionis facere uisa sint. explicat enim potissimùm textũ Pauli.

De singulis aũt Christianæ doctrinæ articulis, ex ipsius scriptis testimonia suprà sunt commemorata.

Doctrinã de sacra Scriptura, & uerbo Dei obiter tantum perstringit: ac in ea, uitia damnari, & sacramentum unius Dei contineri, pro salute humana, in 1. ca. ad Rom. indicat.

De Deo sentit, quòd natura eius sit immunis à passionibus: in 1. cap. ad Romanos. Et quòd omnia solus sciat, & nullius indigeat: nec mensurari, nec comprehendi possit. in undecimum caput ad Rom. Et quòd ubiq; cum sit, tamen ab impijs longè abesse dicatur. in 2. cap. ad Ephes. Et non tantum ipse bonus sit, sed etiam efficiat ut alij mali esse desinant. libro septimo de prouidentia. Et quòd natura sit Deus omnium, uoluntate uerò paucorum. in 6. cap. 2. ad Corinth.

De Christo rectè dicit, quòd sit factus secundum humanitatẽ, sed genitus secundũ diuinitatẽ. in 1. cap. ad Rom. Et quòd Deus triplici modo in ipso fuerit: primùm generali modo, quo est in omnibus creaturis: secũdò, iuxta sanctificationem, & peculiarem inhabitationem, sicut est in sanctis: tertiò, secundum plenitudinem diuinitatis. in 2. Corinth. 5. Ac non pro uno, sed pro utroq; sexu eum passum esse. in 1. ad Corinth. 11.

De Spiritu sancto dicit, eum credentibus dari. in 4. cap. ad Ephes. eius q; substantiam contristari non posse: sed quia in sanctis habitet, eos contristari aliorum peccatis, quos ex dilectione cuperent rectè agere. ibidem.

De diabolo sentit, eum per superbiam id malũ, quod antea non fuerat, sibi inuenisse: & quod habuit bonum, perdidisse. in 1. ad Romanos. Et quòd astutè incautos decipiat, & pœnitentiam in desperationem conuertat. 2. Corinth. 3.

De creatione dicit, unũ Deũ oẽs creasse, & unũ mediatorẽ oẽs recreare. in 2. ad Timoth.

De peccato: Peccatũ originis per Adam in nos transfusum esse dicit, ac habitare in nobis quasi hospitem: & quasi aliud in alio, nõ quasi accidentia non naturalia. in 7. cap. ad Romanos. Ac infantes à peccato originali immunes esse non posse. in 5. cap. ad Romanos. Deum non adiuuare, sed relinquere peccantes. in 1. cap. ad Romanos.

De libero arbitrio, affirmat hominem malè utentem libero arbitrio, se perdidisse: & nunc non sufficere uoluntatem solam, si nõ sit misericordia Dei. in 9. ad Rom. Et Deum operari in cordibus hominũ, ad inclinandũ eorũ uoluntates quocunq; uoluerit. in primum ad Romanos.

De lege: legem triplicem facit. unã, de sacramentis diuinitatis: alteram, quæ cõgruit legi naturali: tertiã legem factorũ, ut sabbata, neomeniæ. in 3 cap. ad Romanos. Legẽ iram operari, quia dãnet, & non donet peccata: docet in 4. ad Rom. Legem non posse impleri à quoquam, in cap. 7. & 10 ad Rom. Opus legis fidem esse, quia quòd illa mãdet, hæc ultrò faciat, ut credat in Christum. in 2. ad Romanos.

De euangelio: Euangeliũ definit esse bonũ nuncium, quo peccatores ad indulgentiam conuocentur. in 1. cap. ad Romanos.

De prædestinatione, dicit eam esse alicuius rei multo antè in mente eius qui destinat, quod futurum sit, præfigurationem: ad Rom. 8. Item ante mundi omnia tempora apud se proposuit, per filium saluare credentes. in 1. cap. ad Titum.

De iustificatione docet, Iesum nobis sua redẽptione cõparasse salutẽ. in 1. & 2. cap. ad Rom. Ipsam uerò iusticiã dicit esse sanctificationẽ per fidẽ, & remissionem peccatorũ. in 3. ad Romanos. Ac ideo Dei iusticiã appellari, quia de promissione habeat originẽ. promissionem enim, cum reddatur, Dei iusticiam dici. ibidem.

Applicationem aũt sola fide fieri, & non operibus. in cap. 4. ubi & Abrahamum per solam fidẽ iustificatũ docet: ut in 10. cap. ad Rom. inquit: Credentibus sola datur remissio peccatorum.

De oratione sentit: quenquam præter patrem, & filium & spiritum sanctum adorare, crimen esse impietatis. in 1. ad Romanos.

De baptismo, quod à damnatione per Adam acquisita liberet nos. in 5. cap. ad Rom. Baptismũ non sub nomine Trinitatis factũ, dãnat. in 6. cap. ad Rom. Non esse iterandũ baptismum, docet in 6. cap. ad Hebræos.

De cœna sentit, quòd panis benedictus & calix Dominicus nihil iuuet infideles. in primum ad Titum.

De Ecclesia sentit, quòd caput eius sit Iesus. in 6. cap. ad Corinth.

De iudicio extremo dicit, Iesum uiuos & mortuos iudicaturũ. in 14. cap. ad Rom.

De nœuis.

De angelis fabulatur, quòd crux Christi etiam illis profuerit. in 3. ad Ephesios.

Negat Deum bona & mala æquè præscire. in 8. cap. ad Romanos.

De iusticia ita loquitur, ut non obscurè ostendat, se etiam opera immiscere. in 3. & 4. ad Romanos. Et omnẽ iusticiam fide & charitate constare, docet in 5. ad Philipp.

Solam fidem ad salutem sufficere, negat 5. ad Ephes.

¶ Non modò autem uera tradidit, sed etiam falsa & hæretica refutauit. nam Ethnicorum uanitatem & idololatriam statim in exordio carminis Paschalis taxat.

In 2. Timoth. 2. disertè perstringit præstigias de metempsychosi, id est transitu animarum in alia corpora, & errorem uocat Platonicum.

In primum ad Romanos caput taxat nominatim Babylonios, qui figmentum de mortui hominis Beli, qui aliquando inter ipsos tenuerit principatum, numinis loco coluerint. Similiter & draconem, quem Daniel interfecerit. Taxat & Aegyptios, qui Apim in uaccæ similitudine coluerint.

Marcionis hæresin, quæ Christo uerum corpus denegabat, impugnari dicit ipso Pauli ad Romanos exordio, cum se Christi Iesu (unius & eiusdem) seruum nominet. Ita contra Valentinianos esse dicit, qui duo baptismata asserebant, quod Apostolus ait ad Ephes. 4. Vnum baptisma: licet nomine trium personarum detur.

Arij & Sabellij hæresin non tantum perstringit, sed breuibus aliquot Scripturæ dictis refutat: lib. 1. Paschalis carm.

Hæc est uera fides, hanc spreuit habere salutem
Arius, &c.

Ex dicto Pauli Rom. 8. Qui interpellat pro nobis, &c. argumentum Arianorum ibi quoque refutat. Confutat eundem ipsorum errorem etiam in 3. ad Thess.

Roman. 1. illo Pauli dicto, Euanuerunt in cogitationibus suis, dicit perstringi Anthropomorphitas, qui in semetipsis imaginem Dei perdiderint, dum formas & imagines corporeas requirant in Deo.

Noticiam inter alios habuit Macedonij, Vrsini antistitis, Laurentij presbyteri, Gallicani presbyteri, Vrsini presbyteri, Felicis: ut patet ex epistola eius ad Macedonium. Isidorus Hispalensis & Iunior dictus, meminit ipsius in Catalogo.

PETRVS ILLYRICVS.

Petrus natione Illyricus, presbyter Romanus,

manus, in monte Auentino templũ ædificauit diuæ Sabinæ, non longè à monasterio S. Benedicti. idq; cum alij sub Sixto factũ asserant, Platina ad Celestini episcopatũ refert, motus his uersibus:

Culmen Apostolicum cum Celestinus haberet,
Primus & in tota fulgeret episcopus urbe,
Hæc quæ miraris fundauit presbyter urbis,
Illyrica de gente Petrus, uir nomine tanto
Dignus, ab exortu Christi nutritus in aula:
Paupertas locuples, sibi pauper qui bona uitæ
Præsentis fugiens, meruit sperare futura.

Meminit huius etiã Antoninus tit.11.ca.1.

CONSTANTIVS.

Constantius Romæ pro gratia Dei Pelagianis sese opposuit, ac ab eorum factione tandem interfectus est, anno Christi 420. Prosper in Chronico.

FLORENTIVS *Tiburtinus.*

Hunc posteritati notũ reddidit epistola Innocentij, qua Romam euocatur ad dicendam causam aduersus alium episcopũ, Vrsum nomine: cuius dicœceseos partẽ inuasisse, in eadẽ memoratur, q, uidelicet incõsulto ipso, in eius ecclesia rem diuinam fecerat.

PAVLINVS NOLANVS.

Paulinus Nolanus Gallus natione fuit, ut patet ex epistola Eucherij ad Valerianum. Burdegaliæ, quæ Aquitanæ Galliæ urbs fuit, baptizatus est, à Delphino: ut ipse testatur in epistola ad Alipium, quæ inter Augustini epistolas numero tricesimaquinta est. Ambrosium Mediolanensem in pietate habuit præceptorem. Ingenio excellenti, & copiose ac purè dicẽdi facilitate præditus fuit, teste Hieronymo in epistola ad eundẽ. Philosophiæ studijs magnã partẽ suæ ætatis cõfecit, ut ipse testatur in epistola ad Augustinum 31. Sapientiã mũdi (inquit) miser huc usq; miratus sum, & p inutiles literas reppba tamq; prudentiã Deo stultus & mutus fui.

Poeticis etiam fuisse deditum studijs, ipse de se scribit ad Licentiũ, in epistola ad Romanianum, quæ inter Augustini est 36: imò & res ipsa declarat, cũ cõstet carmine ipsum quædam (ut pòst dicetur) edidisse. Græcæ quoq; linguę aliquã habuisse cognitionem, apparet ex eo, quòd Clementẽ à se translatũ uidetur subindicare in epistola quadam ad Ruffinum. Sed & Senatorio munere functũ, ex illa ipsa Hieronymi paulo antè memorata epistola putari possit, cum dicit ipsum cõsilia, ut prius habuit Senatus. Diuitiarũ eũ excelluisse opulentia, disertè Augustinus meminit libro de ciuitate Dei primo, cap.10. Tribuit ei & Eucherius ille ingentes diuitiarũ census, in epistola ad Valerianum. Similiter & Prosper, ingentia ipsum possedisse prędia scribit, capite nono, lib.2. de uita contemplatiua. Ad sacrarũ literatũ studiũ per Hieronymum & Augustinũ ac alios incitatus, sua prædia uendidit, & pauperibus erogauit. Prosper lib.2. de uita contemplatiua, cap.9. Et monachus factus est: ac pręscripsit ei Hieronymus eius uitæ regulas, ac cohortatus est ut in ea perseueraret. Ambrosius eum in cleri numerum adsciuit, ut quocunq; locorũ uiueret, eius presbyter diceretur. Cum autem esset in Hispania Lampius quidam, eũ ad Barcinonam per uim inflammatæ plebis subitò sacrauit, ut narrat ipse epistola ad Alipium, & epistola 31 ad Augustinum.

Sed Nolas Campanię urbem qua ratione ad regendam Ecclesiã accesserit, dicere non possumus. Isthic autem eum episcopũ egisse, Augustinus testis est epistola suprà citata, & 41, ubi ait: Vade in Campaniã, disce Paulinum egregium & sanctum Dei seruũ, &c. & Gennadius, & Gregorius lib.3. Dialogorũ, & alij. & quidem Marciano imperante, cum occiso Valentiniano Gensericus ab Eudoxia attractus Romam, & uicina loca, Campaniam & alia uastaret: ut patet ex Pauli Diaconi libro decimoquinto.

Scripta etiam utroque genere orationis uersu & prosa edidit. Epitaphiũ ad Celsum episcopum, & Bergomensis in Honorio refert, in quo consolatus est eum de morte baptizati infantis.

¶ Epistolas multas ad Seuerum Sulpitiũ.

Panegyricum ad Theodosium de uictoria tyrannorum: Librum de Sacramentis, &c.

Librum Hymnorum, diuerso carmine.

Epistolas multas ad sororem, de contemptu mundi.

Tractatus uarios, & disputationes, de uarijs & diuersis rebus ac causis.

Librum de pœnitentia & laudibus omniũ martyrũ. Gennadi⁹. Addit Trithemius, Epistolarum libros ad diuersos. Et Petrus de Natalib. nomina quorundam recitat, ad quos literas dederit: Delphinũ, Amandũ, Victriciũ, Aprũ, Florentiũ, Eusebiũ, & Vincentiũ, idq; ex Gẽnadio de uiris illustribus: quę tamẽ in Catalogo Gennadij nõ reperiuntur.

Petrus de Natalibus, et Trithemius, & Vincẽtius, addũt, q, etiã uitas Ambrosij (& qdẽ ad Augustinũ) itẽ Felicis Nolani presbyteri cõscripserit. Quod ad uitã Ambrosij attinet, extat qdẽ etiãnũ hodie tractat⁹ de uita ipsi⁹, titulo Paulini episcopi, q operib. Ambrosij p̃mittitur: uerùm si qd Erasmi iudicio est tribuendũ, nõ est Paulini. Felicis Nolani presbyteri uita carmine Elegiaco qnq; libris cõscripta, addito 6. lib. de Niceta, carmine Sapphico, circũfertur qdẽ, sed ita deprauatè exarata, ut inde sẽsum nõ passim elicere queas.

Quis uerò istius carminis sit author, num Paulinus iste Nolanus, qui hoc genere studiorum

diorum etiam præstitit, an alius quis, penes alios esto iudicium. Trithemius ascribit ipsi etiam librum de Benedictionibus patriarcharum. Sed is rectius Ruffino tribuitur. Ex epistola Paulini ad Ruffinum patet, eum epistolas Clemētis trāstulisse: licet ea uersio aliàs soleat Ruffino adscribi. In operibus Augustini inter ipsius epistolas insertæ sunt nonnullæ etiam Paulini epistolæ: tricesima prima ad ipsum Augustinum, in qua gratias agit pro quinq; libris contra Manichæos, dono sibi missis: item tricesimatertia, ad eūdem, in qua eadem penè agit ut in priori, cū non recepisset responsum ab Augustino: ité tricesimaquinta ad Alipium, de ijsdem Augustini contra Manichæos libris, cupitq; edoceri de statu Alipij: & uicissim de rebus quoq; suis, & animi cōsilio, quod uidelicet ipsius Alipij uitam in literas referre cogitet, significat. item ad Romanianum simul & Licentium coniunctim, gratulans ecclesiæ Hipponensi, quę Augustinum episcopi collegam meruerat: & Licentiū cohortans, idq; tam prosa quàm carmine, ut contempto aulæ fastu, se dedicet Christo. & est ea tricesimasexta in ordine.

Scripta eius hominibus doctis & pijs uehementer probata sunt. Nam de eius Panegyrico Hieronymus in epistola ad eundē sic iudicat: Librū tuū quē pro Theodosio principe prudenter ornateq; cōpositum transmisisti, libēter legi: & præcipuè mihi in eo subdiuisio placuit. Cumq; in primis patrib. uincas alios, in penultimis teipsum superas. Sed & ipsum genus eloquij pressum est, & nitidū: & cùm Tulliana luceat puritate, crebrū est in sententijs. Iacet enim (ut ait quidam) oratio, in qua tantum uerba laudantur. Præterea magna est rerum consequentia, & alterum pendet ex altero. Quicquid assumpseris, uel finis superiorū, uel initiū sequentiū est. Felix Theodosius, qui à tali Christi oratore defenditur. Illustrasti purpuras ei⁹, & utilitatē legū futuris seculis cōsecrasti. Macte uirtute, qui talia habes rudimenta, qualis exercitatus miles eris? Ipse quoq; Augustinus epistola tricesimasecūda ad Paulinum, dicit literas eius fluere lacte & melle, &c.

Dogmatica Paulini.

¶ Etsi autem Paulinus ex instituto nō directè tractet multa dogmatica, tamē attingit interdum quædam capita doctrinæ.

De uerbo Dei rectè sentit, quòd in eo unicum hoc subiectū, nempe Christus sit quærendus, sicut præclarè inquit de ueteri ac nouo Testamento:

Sed uetus atq; nouum coniungit gratia Christi.

in 12. epistola ad Seuerum:

De Trinitate cum patribus huius seculi rectè docuit, sicut hoc uersu expressit:

Atq; ubi Christus, ibi Spiritus & Pater est.

in 12. epistola ad Seuerum.

De Christo docet, q̄ sit uer⁹ De⁹ & homo, q̄ nos redemerit, & sit inuocādus, sicut inq̄t:

Christe apud æternum placabilis assere patrem,
Saluator Deus ac Dominus, mens, gloria, uerbum,
Filius, & uero uerum de lumine lumen.
Æterno cum patre manens, in secula regnans.

in precatione matutina.

Hominē lapsum esse tradit, & quidē sine Christo perditum, ad Ausoniū ita scribens:

—— Breue quicquid homo est, ut corporis ægri,
Temporis occidui, & sine Christo puluis & umbra.

Peccata contra Decalogū inculcat, sicut inquit: Non ergo auaricia, nō concupiscētia oculorū, & noxius temporaliū rerum amor in nobis ardeat igne pestifero, q̄ ignis alien⁹ est Deo. Paulinus in 2. epist. ad Delphinum.

De pœnitentia inquit:

Vertite peruersas conuerso pectore curas,
Monstrat flere fides utilibus lachrymis.

in obitu Celsi.

De fide etsi ualde parū dicat, tamē monstrat, eam in Christo fixam esse: ad Iouium.

De effectu baptismi rectè sentit, esse lauacrum regenerationis. Ita etiā de materia cœnæ Dominicæ inquit, esse carnē & sanguinē Christi. in 12 epist. ad Seuerū. Et cōmentū de una specie laicis eripienda, penitus ignorat.

De resurrectione & uita æterna etiā rectè sentit. Ac plures quidē articulos doctrinæ in suis scriptis nō attingit, nisi ualde obscurè, & obiter duntaxat.

Næui.

¶ Habet tamē Paulinus suos crassos quosdā nęuos. Nā de lege inquit, supra eā aliquid fieri ab homine posse. epistola 1. ad Victricium.

De iusticia p̄ Christū parū habet: causa est, q̄a opinio de opū meritis nimiū inualuerat.

Sanctos defunctos inuocat, & ipsorū meritis subleuari cupit: cōtra mandatū Dei, Dominum Deum tuum adorabis. Verùm ista iam dololatria ita cœpit grassari, ut in 6 natali Felicis scribat in hunc modum:

Humanam desperat opem, & pietate repletus
Adspirante Deo depressam in pectore fracto
Erigit in cœlum mentem: & mox corde refecto,
Præsumente fide spem uoti compotis haurit,
Sanctaq; Felicis rapido petit atria cursu.
Ingressusq; sacram magnis cum fletibus aulam,
Sternitur ante fores, & postibus oscula figit,
Et lachrymis rigat omne solum, pro limine sancto
Fusus humi, & raptos nocturna fraude iuuencos
A Felice, pio uelut à custode reposcit
Increpitans, miscetq; precantia uerba querelis:
Sancte Deo Felix, inopum substantia semper:
Pro miseris Fœlix, & semper diues egenis,
Te requiem fessis Deus, adflictisq; leuamen,
Te posuit mœstis ad saucia corda medelam.
Propterea tanquam gremio confisa paterno,

Inte

In te pauperies caput inclinata recumbit,
Felix sancte meos semper miserate labores, &c.

Sentit quoq; exercitijs quibusdam posse expiari peccata, in epist. ad Seuerũ: id q, contra meritũ Christi est, & extenuat cõtra Dei iudiciũ, hominũ peccata, quæ sunt multo atrociora quàm homo possit intelligere.

Spontaneam castitatem nimium extollit: ac prædicat coniugem, quæ religionis ergò à marito discesserat: epistola 3. ad Apriũ, contra mandatum Dei, ne uinculum illud dissoluatur nisi morte, & ob adulterium.

Superstitio magica est, quod inquit, librũ epistolarum Apostolicarũ admotum mederi morbis: ad Cytherium.

Et ut breuiter dicamus, hic author etsi indoctus non fuit, tamen articulos præcipuos de iustitia coram Deo per fidẽ in Christum non intellexit: sed nimium tribuendo operibus humanis, potius obscurauit.

Certamina.

¶ Vt alij doctores, ita & ipse contra eius seculi grassantes hæreses pugnauit. Bergomensis narrat, eum in captiuitate sua apud Vandalos, multos ab Arij hæresi ad uerã sententiam reduxisse. Celeberrimis etiã fuæ ætatis doctoribus ecclesiæ notus & familiaris fuit, ut Hieronymo, Augustino, Alipio, Ruffino, Ausonio. Viduæ cuiusdã filium ex captiuitate, sui ipsius pro eo traditione liberauit. Quod exemplis insignis pietatis celebratur passim à scriptoribus, maximè uerò à Gregorio primo, qui Dialogorũ li. 3. cap. 1. sic scribit: Cum sæuientium Vandalorum tempore fuisset Italia in Campanię partibus depopulata, multiq; essent de hac terra in Africanam regionem traducti, uir Domini Paulinus cuncta quæ ad episcopi usum habere potuit, captiuis indigentibusq; largitus est. Cumq; iam nihil omnino superesset quod petentibus dare potuisset, quodã die quædam uidua aduenit, quæ à regis Vandalorum genero suum filium in captiuitatem fuisse ductum perhibuit, atq; à uiro Dei eius precium postulauit, si fortè illius dominus hoc dignaretur accipere, & hunc cõcederet ad propria remeare. Sed uir Dei magnopere petenti fœminæ quid dare posset inquirens, nihil apud se aliud nisi se ipsum inuenit, petentiq; fœminæ respõdit: Mulier, quod possim dare non habeo, sed me metipsum tolle, seruum me iuris tui esse profitere: atque ut filium tuum recipias, me uice illius in seruitium trade. Quod illa ex ore tanti uiri audiens, irrisionem potius credidit, quàm compassionem. At ille ut erat uir eloquentissimus, atq; apprimè exterioribus quoque studijs eruditus, dubitanti fœminæ citius persuasit, ut audita crederet, & pro receptione filij sui in seruitium episcopum tradere non dubitaret. Perrexêre igitur utriq; ad Africã. Procedente autem regis genero, qui eius filium habebat, uidua rogatura se obtulit: ac prius petijt, ut ei filiũ donare uellet. Quod cum uir barbarus typho superbiæ turgidus, gaudio transitoriæ prosperitatis inflatus nõ solùm facere, sed etiam audire despiceret, uidua subiunxit dicens: Ecce hunc hominem pro eo uicariũ præbeo, solũmodo pietatem in me exhibe, mihiq; unicum filium redde. Cumq; ille uenusti uultus hominem conspexisset, quam artem nosset inquisiuit. Cui uir Dei Paulinus respondit, dicens: Artem quidem aliquam nescio, sed hortum bene excolere scio. Quod uir gentilis ualde libenter accepit, cum in nutriendis holeribus peritum esse audiuit. Suscepit ita seruum, & roganti uiduæ reddidit filium. Quo accepto, uidua ab Africana regione discessit. Paulinus uerò excolendi horti suscepit curam. Cumq; idem regis gener crebrò ingrederetur hortum, suumq; hortulanum quædam requireret, & sapientem ualde hominẽ uideret, amicos cœpit familiares deserere, & sæpius cum suo hortulano collo qui, atq; eius sermonib. delectari. Cui Paulinus quotidie ad mensam holera, uirentesq; herbas deferre consueuerat: & accepto pane, ad curam horti remeare. Cumq; hoc diutius ageret, quadam die suo domino secum secretius loquenti ait: Vide quid agas, & Vandalorum regnum qualiter disponi debeat prouide, quia rex citius & sub omni celeritate est moriturus. Quod ille audiẽs, quia ab eodem rege præ cæteris diligebatur, ei minimè tacuit: sed quòd à suo hortulano, sapiente scilicet uiro, agnouisset, indicauit. Quod dum rex audisset, ilicò respõdit: Ego uellem hũc, de quo loqueris, hominem uidere. Cui gener eius, uenerabilis Paulini tẽporalis dominus, respondit dicens: Virẽtes herbas mihi ad prandium deferre consueuit. Has itaq; ad mensam eum deportare facio, ut quis sit qui mihi hęc est locutus agnoscas. Factumq; est. Et dum rex ad prandendum discubuit, Paulinus ex suo opere holera quæque & uirentia delaturus aduenit. Cumque hunc rex subitò conspexisset, intremuit: atque accersito eius domino, sibi per filiam propinquo, ei secretum quod prius abscõderat indicauit, dicens: Verũ est quod audisti. nam nocte hac in somnio, sedentes in tribunalibus contra me iudices uidi, inter quos iste etiam simul sedebat: & flagellum quod aliquando acceperam, eorum mihi iudicio tollebatur. Sed percunctare quis nam sit. nam ego hunc tanti meriti uirum, popularem, ut cõspicitur, esse nõ suspicor. Tũc regis gener secretò Paulinũ uocat, & quis nã esset inquisiuit. Cui uir Domini respondit: Seruꝰ tuus sum,

sum, quem pro filio uiduę uicarium suscepisti. Cumq; instanter ille requireret, ut non quis esset, sed quis in terra sua fuisset, indicaret: atq; hoc ab eo iteratione frequentis inquisitionis exigeret, uir Domini cõstrictus magnis coniurationibus, iam non ualẽs negare quid esset, episcopũ se fuisse testat⁹ est. Quod possessor eius audiẽs, ualde ptimuit, atq; humiliter obtulit dicẽs: Pete quod uis, quatenus ad terram tuam à me cum magno munere reuertaris. Cui uir Domini Paulinus ait: Vnum est quod mihi impendere beneficium potes, ut omnes ciuitatis meæ captiuos relaxes. Qui cuncti ptinus in Africana regione requisiti, cum onustis frumento nauibus pro uenerandi uiri Paulini satisfactione in eius comitatu laxati sunt. Post nõ multos uerò dies Vãdalorum rex occubuit, & flagellum quod ad suã perniciem dispensante Deo pro fideliũ disciplina tenuerat, amisit. Sicq; factũ est, ut omnipotentis Dei famulus Paulinus uera prędiceret: & qui se in seruitiũ solum tradiderat, cũ multis à seruitio ad libertatẽ rediret: illũ uidelicet imitatus qui formam serui assumsit, ne nos essemus serui peccati. Cuius sequens uestigia Paulinus, ad tempus uoluntariè seruus fact⁹ est solus, ut esset postmodũ liber cũ multis.

Pleuresi mortuus tandem uideri potest, eodem authore, qui in tertio primi capitis § dicit, lateris dolore eũ tactũ, ad extrema perductũ, decimo Calendarũ Iulij. Addit Petrus de Natalibus & hoc, in sua ipsum ecclesia sepultum quiescere. Gregorius in eodẽ loco, meminit in eius obitu etiam miraculi, quòd nimirum ipsius anima è sui corporis domicilio emigrante cubiculum, in quo decubuerit, ingenti motu concussum tremuerit, reliqua tota domo in soliditate sua firmiter persistente. Ex quo factũ, ut maximus stupor inuaserit oẽs qui præsentes adfuerint. Cæterùm quàm diu in gubernatione Ecclesiæ fuerit, quo ue anno, quibus ue Impatorib. Rẽpublicã administrantib. uita excesserit, certò definire nõ possumus. Sub Honorio & Valẽtiniano Imperatorib. celebrẽ eum fuisse, Gẽnadius narrat. Trithemius adijcit annũ 420. Bergomensis meminit eius sub annũ 413. in Imp. Honorio: & ea sanè quæ ipsi accidisse retulimus Gensericho ex Africa euocato, & Italiã uastante, ille refert ad uastationẽ Gothicã: quã duce Alaricho temporib. Honorij factam, ad annum Christi 412. explicatè tradit Blondus, libro primo decadis primæ, de inclinatione Rom. Imperij. Et hæc haud dubiè cum ueritate rectissimè cõgruunt, & confirmari etiam possunt ex Augustino, si quis conferat ea quæ lib. 2. cap. 43. Retractationũ narrat, cum Bergomense: quòd uidelicet ea Gotthorũ per Alaricum deuastatio occasionem Augustino præbuerit scribendorum librorum de ciuitate Dei: in quib. di- sertè de Paulino isto meminit, factũ ipsum ex opulentissimo pauperrimum, & omnino Paulinum.

Cum Augustino & Hieronymo coętaneũ uixisse, uel ipsorũ testimonijs suprà positis perspicuũ est. Eam uerò quæ per Genserichũ recitatur illata esse Romæ urbi & uicinis locis clades, quæ ipsum etiã Paulinũ inuoluerit, multo pòst factã constat, cum nimirũ diuus Augustinus annis uigintitribus, & eo amplius, in uiuis esse desijsset. Huc facit, q recẽtius exẽplar Diaconi nullã prorsus Pauli ni Nolani episcopi facit mentionẽ, ubi illius Romanæ urbis direptionis à Genserichо factæ meminit. Ac ꝓfectò, ipsa quoq; diui Gregorij frigida satis historię istius antè memoratæ recitatio, nõ caret suspicione, si quis aduerat rerũ gestarũ historiã respiciat. neq; enim gener Genserichi, ut illa Gregorij narratio innuere uidetur, sed proprius filius, ut historici tradunt, in regno ipsi successit.

AEMYLIVS, CATHEGIVS, *Gaudentius, Valentinus & Bonifacius.*

Aemylium Beneuenti episcopum, Cathegiũ & Gaudentiũ cum Valentio & Bonifacio presbyteris, Romanos legatos, missos ab Innocẽtio Byzantiũ, in causa persecutionis Chrysostomi, & ab insidiatoribus exceptos, narrat Nicephorus lib. 13. cap. 33. Acpriùm etiam literis & rebus alijs quas secum tulerant ablatis, carceribus inclusos, & tormentis afflictos, deinde etiam oblata pecunia aureorum nummorum millibus tribus tentatos, ut cum Attico Constantinopolitano communicarent. Verùm quòd constantissimè persisterent, nec uel cruciatibus fracti, uel munerib. corrũpi possent, quo minus hoc solum, cuius gratia missi fuerant, agerent, dimissi tandem sunt: sed ita, ut uiderunt ipsorũ in summo uersaretur discrimine. Nam rimoso & uetustate squalido nauigio impositi, & mari commissi, Romam reuerti iussi sunt. ac ipsi sanè maximo cum periculo nauigantes, Deo tamen nauiculam gubernãte, Lampsacum demũ salui peruenẽre: & inde mutata naui, Romã tandẽ sunt reuersi, & quæ ipsis euenerant Innocentio singillatim renunciauerunt.

DORVS.

Dorus Beneuenti episcopus, à Leone reprehenditur ob depositionẽ Pauli presbyteri: ac per legatũ monetur, ut eum restituat.

HESYCHIVS.

Hesychius Salonitanus episcopus fuit, & uixit tempore Augustini, qui eius meminit libro quinto de ciuitate Dei. & in epistolis 78. & 80. Scripsit epistolam ad Augustinum, quæ est 79. inter Augustini. Vaticinium Danielis

Danielis de 70 hebdomadibus uoluit accõmodare ad ultimum Christi aduentum, ac scrupulosè de tempore extremi iudicij quędam indagare conatus est. Sed Augustinus eum monet, non esse illa nimis anxiè indaganda. Extat epistola Zosimi ad ipsum. Paulo ante id tempus quo Augustinus scripsit libros de ciuitate Dei, inter uiuos esse desijt, circiter annum Domini 420.

MAXIMVS & SEVERVS, *episcopi per Brutios.*

Maximus & Seuerus Brutiorum episcopi, Innocentio quędã (ut apparet) excutiẽda p. posuerant, de quib. missis literis respondet.

CRISPINVS.

Crispinus, Ticinẽsis fuit episcopus. Imperante Martiano, subscripsit epistolæ Leonis contra hæresin Eutychis, ad Chalcedonense concilium missæ, hac formula: Ego Crispinus ecclesię Ticinensis episcopus, in omnia suprà scripta consensi, & subscripsi, anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ Sacramento impia senserunt. Circiter tertium annum Seueri, Occidentem moderantis mortuus est, ut ex narratione Euodij de Epiphanio colligitur.

EPIPHANIVS.

Epiphanius Ticini ex parentib. ingenuis prognatus est, patre Mauro, matre Focaria, quæ Myrodetis confessoris & episcopi prosapiã attingebat. Cũ infans in cunis adhuc esset, ostentum accidit. uisa enim sunt cunabula fulgere lumine superno. Hominẽ fuisse forma admodũ liberali & peruenusta, & statura decenti, perhibent. Indole aũt fuisse ualde bona & felici, ita quidẽ, ut in ipsa puritia honestas literas perceperit. Illud non leue est indiciũ, quòd sub ętatis annũ octauũ non modò in Ecclesiasticorum ordinem est assumptus, sed iam tum etiam lector creatus à Crispino episcopo. mox etiam, quòd in scribendo expeditus, compendijs notarum & uerborum uarijs figuris uti calleret, in exceptorum numerũ est adhibitus. Et hoc genere officiorum seruiuit Ecclesiæ isti ad annos decem. nam decimooctauo ætatis anno secũdum à Leuitis locum obtinuit: post uerò biennium, anno scilicet uicesimo, factus est diaconus: & simul unà etiam pauperum ei œconomia cõmissa est, in quo gradu & ministerij genere integrum octennium exegit. Et præsertim erga suum episcopum ita se gessit, ut ipse liquidò confiteatur, se huius Epiphanij laborib. ac meritis debere, quòd eò usq; ætatis processerit grandæuus & debilis. Nam ipsius solidas tum corporis tum animi uires suam portasse imbecillitatem, & id quidem sine fastidio, eius se pedib. ambulasse, manibus cõrectasse, oculis uidisse, eius deniq; oratione cuncta ordinasse. Cũq; iam optimus ille Crispinus suę resolutionis tẽpus instare animaduerteret, profectus scribitur in ipso mortis limine Mediolanum, & nobilitati ibi commendasse hunc Epiphanium, illo modò dicto & ampliori etiam testimonio, & successorem sibi petijsse.

Eo igitur mortuo, Epiphanius omniũ ordinũ nõ Ticinensis tantũ, sed Mediolanẽsis quoq; & aliarũ finitimarũ ciuitatũ cõsensu, ad regimẽ ecclesiæ Ticini flagitatur: & repugnans reluctansq; manibus pedibusq; Mediolanũ ducitur, atq; ibidẽ inauguratur, prę ter animi sui uoluntatẽ: idq; circa annũ ætatis uicesimumoctauum, quo tempore in Oriente Leo iam aliquot annos, in Occidente uerò Seuerus imperium tenebant.

Episcopus factus, non tam alijs quàm omniũ primùm sibi ipsi uitæ leges præscripsit, easq; exactissimè obseruauit. Nec tam uerbi ministerio Ecclesiã sacras Scripturas docuisse traditur, quàm re ipsa præstãdo ostendisse, quæcunq; uerbũ seruanda præciperet. Loquendi fuit parcissimus, & in uictu temperatissimus. Dæmones fugasse ex obsessis, quæ egredientes pietatis ei testimoniũ perhibuerint, memoratur. Incidit aũt ipsius gubernatio in Reipub. statũ turbulentissimũ, quando multo sanguine & uniuersæ Italiæ exitio Romani inter se principes de Occidẽtis Imperio cõflixêre. Ideoq; fuit difficilior, & magis impedita, & periculis ac rerum & uitæ discriminibus uarijs & innumeris obnoxia: quæ cum etiam fortissimum quenq; frangerent, ipse tamen Dei spiritu roborãtus, fortiter perstitit, ac tum suis ciuibus, tũ aliarum urbium plurimis præsidio ac salutĩ fuit rebus desperatissimis. Est enim ipso epĩscopo urbs Ticinum bis capta & direpta, & incendijs miserabiliter deformata: semel ab Odoacro Herulorum principe, iterum à Theodorico Gotthorum rege. In illis calamitatibus, cum soror quoque ipsius capta fuisset, eam sua pietate & authoritate, quæ apud hostes etiam ualuit, liberauit, cum multis alijs.

Cum præsidium à Theodorico impositum fuisset urbi, feroces barbarorum animos ita oratione deliniuit, ut sese eius authoritati submitterent, qui regibus parêre graue ducebant: imò & in sui amorem pellexit, ut cum ipsis egrediendum esset, non sine querelis & lachrymis ipsi ualedicerent. A Ricemero Romano principe legatus abit ad Anthemium Imperatorem, interq; eos, cum uterq; iam arma aduersus alterum capturi essent, litem cõponit, eosq; conciliat. Nepos, qui & ipse ad dies aliquot Romanum Imperium rapuerat, sibi Gotthorum regem conciliat Euricũ: eumq; in pace continet per Epiphanium, Tolosam missum

missum legatum. Ad Odoacrum non semel, sed sæpius, suorum ciuium nomine, & aliquando etiam in rebus minus apud principes fauorabilibus legationem obijt. Similiter & ad Theodoricũ Gotthorũ regẽ. Quin & ipse Theodoricus eo quoque legato usus est ad Gundobaudũ regẽ Galliæ, Lugdunũ, pro redimendis captiuis Liguribus: neque unquam ab istis magnis & potentibus uiris dimissus est, rebus non ex uoto & sententia expeditis. Ita ab Odoacro capta urbe, à uictore ciuibus suis fiscalium tributorum immunitatem impetrauit ad annos quinq;. A Theodorico durissimæ legis, in oẽs quotquot consultò & sponte ipsius se hostib. cõiunxerant latę, relaxationem extorsit. Apud Gundobaudum, pręter eos quos argento & auro redemit, ad sexies mille Ligurum, sine precio, tantũ precib. & pietate ex captiuitate sibi donatos liberauit, & patriæ restituit.

Denique cum oppidum Ticinum binis istis captiuitatibus miserè esset afflictum, habitatoribus orbatum, & incẽdiorum ruinis horribiliter uastatũ: ipse nullis uigilijs, nullis laboribus, nullis sumptibus parcens, ubi paululum primi tumultus & impressiones, quæ solent esse turbulentiores, conquieuissent, hoc unum maximè operam dedit, quo pacto ciuitas ea & ædificijs & ciuibus instaurata pristinam faciem recuperaret. Ac instaurationis sanè suæ ex istis ruinis, ei potissimã partem acceptum ferre debet Ticinum. Siquidem in hoc molestissimo restituendarũ Ecclesiarum & totius Reipub. negocio, ætatem & se ipsum quoque confecit.

Habuit uirtutum ac laborum suorum approbatores et adiutores quosdam ex episcopis, & Ecclesiarum aliarũ gubernatoribus, Laurentiũ Mediolanensem, Victorem Taurinatem, Rusticum Lugdunensem, Auitum Viennensem, episcopos.

Postremò ex legatione ad Theodoricum, altera domum rediens, in itinere graui & letali catharro correptus, mortẽ obijt, posteaquam eam ecclesiam rexisset episcopus annos triginta. Ac incidit eius obitus sub initium ferè Anastasij, Orientis Imperatoris. Narrat Euodius in uita Epiphanij.

BONOSVS *presbyter,*

SYLVESTER *Archidiaconus.*

Presbyter Bonosus, & archidiaconus Syluester, fuerunt eo tempore, quo Crispino in episcopatu suffectus est Epiphanius Ticini. celebres istius eccleſiæ ministri: & Bonosus sanè tam morum sanctitate, quàm sanguinis claritate nobilis Gallus: Syluester uerò in ueteris disciplinæ instructione probatissimus. Narrat Euodius in uita Epiphanij.

FAVSTINVS.

Faustinus episcopus plebis Potentinæ, prouinciæ Italiæ Piceni: item Philippus & Asellus presbyteri, hoc nomine celebres, quòd in sexto & septimo Carthaginensi concilijs legati sedis Romanæ adfuerũt, & magna fide sui domini Rom. episcopi mandata expedierunt, seduloq; operam dederunt ut authoritatem Romanę ecclesię gnauiter defenderent, ne quid ullo modo non prius consulto Rom. episcopo à Synodo agendum susciperetur. Philippus etiam in Ephesina magna synodo contra Nestorium coacta, Celestini nomine fuit. Estq; unus etiam ex eorũ numero, qui legati è synodo emandãtur ad Imperatores, à parte eorum qui cum Cyrillo stabant, & Nestorium deposuerant, contra Iohannem Antiochenum episcopos, & reliquos qui cum ipso sentiebant. Testatur hoc acta eius Synodi, actis Chalcedonensibus inserta, in primo tomo: item sexto capite Liberati in Breuiario, secundo Tomo.

FELIX NVCERIANVS.

Felici Nuceriano episcopo scribit Innocentius consilia quædam ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia, de quibus ipse iudicium eius petiuerat, in primo Conciliorum eius tomo, sub Innocentio. Præbet autem egregium pietatis testimonium his uerbis: Scripsisti ergo, quòd feruore fidei quo polles, & amore sanctæ plebis, uel reparaueris Ecclesias Dei, uel nouas quasque construxeris: sed in his clericos, quos constituas, non habere.

LAVRENTIVS.

Laurentius Senensis episcopus, reprehẽditur ab Innocẽtio Romano põtifice, quòd ferat Photini hæreseos sectatores, quos titulus Bonosiacos nominat: epistola uicesima Innocentij, in 1. tomo Conciliorum.

ZENOBIVS FLO*rentinus.*

Zenobius Luciano patre, matre Sophia, ethnicis, Florentiæ natus, pueritiæ annos in studijs philosophiæ cõsumpsit: progressu autem temporis Christianismum amplexus, ab episcopo istius ciuitatis Theodoro baptisatus est. Ab episcopo in sacris literis institutus tantum profecit, ut non tantum in cleri numerum adscitus, sed etiam Canonicus primarij templi creatus dicatur ab Antonino, titulo decimo, capite duodecimo. Quare hauddubiè de sui temporis consuetudine locutus est Antoninus, cum hoc seculo neque res neque nomen Canonicorum cognitum fuerit. Post archidiaconatus ordine tandem populi consensu factus est episcopus Florentinus. In ea functione non tantũ suæ Ecclesiæ doctrina & pietatis exemplis profuit: sed etiam uicinarum in Tuscia curã gessit. Dono miraculorum claruit. tres enim mortuos

mortuos excitauit, ac dæmones fugauit. Petrus de Natalibus narrat, quòd Ecclesiastico rum bonorum raptorem impœnitentẽ grauissua increpatione, ut Petrus Ananiam & Saphiram, enecauerit. Paralyticum etiam restituit pristinæ sanitati, ut Antoninus refert. Cum hæreticis ipsi rem fuisse, inde liquet, quòd Antoninus hoc eum elogio ornet, quòd eos refutarit. Qui præterea hoc quoque addit, quòd demum sermonis suauitate etiam suos cognatos conuerterit, ita ut per sacrosanctum baptismatis symbolum etiam ipsi Ecclesiæ sint inserti. Familiarem eum fuisse diuo Ambrosio Mediolanensium antistiti, expresse etiam narrat sepius iam memoratus author Antoninus. Ex quo & hoc manifestum est, quòd & Damasus papa hoc Zenobio familiariter usus sit. siquidem narrat, eundem Damasum Romanorũ pontificem adhibuisse sibi comitem hunc Zenobium.

Pugnauit contra hæreticos. suos cognatos ab Ethnica superstitione ad Christum conuertit. Ambrosio & Damaso familiaris fuit, ut patet ex uita Ambrosij, quę Paulino non rectè adscribitur.

De peculiarib. eius exercitijs Antoninus narrat, quòd episcopus factus, cõmoratus sit ante ciuitatem in Ecclesia S. Laurentij prope portas, unà cum archidiacono suo Eugenio, & Crescentio subdiacono, quasi heremiticam uitam ducens. Mortuus autem est annõ ætatis suę nonagesimo, Christi uerò quadringentesimo uicesimoquarto, temporib. Innocentij, die Maij uicesimoquinto. Cæterùm quæ de ulmo in media hyeme ad tectum feretri, cum quinto anno eius reliquiæ transferrentur, efflorescente narrãtur ab Antonino, & Petro de Natalibus libro quinto, capite quadragesimoprimo, aut fabulosa sunt, aut ad signa mendacia (secunda Thes. secundo) pertinent.

GREGORIVS MVTINAE.

Gregorium à Iohanne Rauennatensi inuitum & præter animi uoluntatẽ alicui Ecclesiæ, & Mutinensi fortasse, designatum episcopum, cuius administrationem suscipere noluerit, apparet ex epistola Simplicij papæ ad Iohannem illum, quæ factũ id uehementer reprehẽdit: & comminatus Iohanni pœnas, statuit, ut Gregorius iste Mutinensem quidem ecclesiã gubernet, sed ita ut libero-rum reddituũ trigintaei solidi in diẽ cedant, ex possessione quadã uel Rauennatensi, uel Bononiensi (est enim, propter obscuritatem textus, non satis certum) & ius itidem ei redeundi ad ecclesiam Rauennatensem, altero mortuo, saluum & integrum maneat. Vnde suspicari possis, Gregorium istum Rauennæ antè alicui præfuisse ecclesiæ, à qua inuitus

auulsus sit: sed remotum tamen ab isto Iohãne sub specie amplioris prouectus. Quod quidẽ ex his Simplicij uerbis satis clarè colligi potest, quem (inquiens) non prouectum constat esse, sed pulsum. Cum aliàs totum illud scriptum ualde sit obscurum, &c. ex primo Cõciliorũ tomo, sub decretis Simplicij.

PETRONIVS BONONIAE.

Petronius, Græcus natione, ex stirpe Imperatoris Cõstantij & Constantini, patre Petronio natus, ut Petrus de Natalibus lib. nono, capite uicesimo indicat. Monasticæ exercitijs deditus in adolescentia fuit, & Basilij habitũ ac regulam amplexus est. Gẽnadius, & Antoninus titulo undecimo, capite undecimo, § quinto. Literis græcis & latinis eruditus, etiam sacris nauauit operam. In cleri numerum adscitus, in Theodosij palatio cunctis præfectus est.

Constantinopoli in Italiam missus ad extirpandas hæreses, uenit Bononiam, ibique episcopus à Celestino in somnis monito cõstitutus est. Miraculorum ipsum habuisse donum, Petrus de Natalibus scribit. Quędam autem hunc Petronium etiam scriptis posteritati mãdasse, tradit Gennadius. ac primùm quidem narrat, uitas patrũ monachorum Ægypti ab eo esse cõscriptas, creditum fuisse suo tempore. Idq; scriptum apud monachos omnes in maximo fuisse precio, ueluti quoddam suæ professionis speculum & normam. Dicit etiam, se legisse scriptum sub eius nomine de episcopi ordinatione librũ eruditum, quem eum ob styli elegantiam minimè ipsius ingenij fœturam esse, sed potius parentis eius, uerisimile sit, & pleriq; etiam in earũ fuerint opinione. Horum meminit & Trithemius: & ita quidem, ut appareat ipsi fuisse cognita. Nam adijcit, quòd & alia quędam scripserit, sibi tamen incognita. Petrus addit, & quidem sub Gennadij nomine, quòd etiam multas Euangeliorum homilias scripserit. Vincentij Speculũ (in cuius lib. uicesimi capite 25. huius Bononiẽsis Petronij quoq; fit mentio) commemorat ex Actore, quòd is in librum quendam Petronij inciderit, qui partim carmine, partim soluta oratione scriptus fuerit: ex quo quædã carmina & sententiæ aliæ morales excerptæ ibidem recitantur. dubitari tamen potest, num ea rectè huic Bononiensi tribuantur: cum non certò cõstet, neq; Gennadij, neque alterius celebris scriptoris testimonio, hoc scriptionum genere hunc usum: & alter quidem huic cognominis, Petronius Arbiter, hoc scribendi genere sit celebris.

De huius gubernatione, doctrina & certaminibus, unum hoc colligitur, quòd ipsi cũ hæreticis Arianis plurimum negocij fuisse apparet. Siquidem hac occasione primùm

& in Italiam ablegatus,& postea etiam Bononiensi ecclesiæ prælates factus est.Et Petrus de Natalibus liquidò narrat, multas ecclesias ab Arianis dirutas, eum reparasse: sed & nouam basilicam Stephani construxisse, & Ecclesiarum instaurationi sedulò ipsum dedisse operam:quod nõ tam de templorũ structuris,quàm gregis commissi institutione intelligi rectè arbitramur. Et Theodosij posterioris sanè temporib.eum fuisse clarũ, idem Petrus tradit. Gẽnadius,Theodosio Arcadij filio & Valentiniano imperantibus mortuum scribit. Vnde in Trithemij exemplaribus librariorũ incuria cõmissum mendum uideri poterat,in annorũ numero, una litera C,id est uno centenario prætermisso, cum eosdẽ ipse Imperatores ponat, sed annum tantum trecentesimum octogesimum quintũ: nisi etiá Prosper in Chronicis eius obitũ ad annũ Christi referret 386, Imperij Gratiani cum fratre Valẽtiniano quinto anno. Platina in Zosimo ex aliorum relatione scribit,eum cũ Chrysostomo & Theophilo Alexãdrino celebrem fuisse temporibus Arcadij & Honorij Imperatorũ. Fuisse sibi coętaneum meminit Eucherius Lugdunensis episcopus, in epistola Parænetica ad cognatũ Valerianũ, his uerbis:Et in Italia nũc antistes Petronius,&c.

FELIX BONONIAE.

Felix discipulus Ambrosij, ex clero Mediolanensi episcopus tãdem ibidem factus est,eo tempore quo Zenobius Florentinam rexit Ecclesiam,ut patet ex uita Ambrosij.

PETRVS.

Petrus Rauennæ episcopus, eruditus, & uitæ sanctimonia & miraculis clarus fuit, tempore Marciani,circa annũ 450. Virtute uerbi plurimos cõuertit. Scripsit librum unũ sermonũ & homiliarũ,epistolas plures. Item epistolã ad Eutychen presbyterũ,quæ extat in initio Chalcedonensis concilij,1.tomo Conciliorũ:Trithemius.Germano Altisiodorensi familiaris fuit. Vincentius libro uicesimo,capite decimoquarto.

IOANNES.

Ioannes Rauennæ episcopus,charus Imperatori Valentiniano fuit, qui eum donauit usu peculiaris pallij:quod ex candida lana textum,Imperatoris duntaxat hactenus proprium fuerat: ut refert Blondus primæ decadis libro secundo.

Certamẽ ei fuit cum Simplicio Romano, de iure ordinationis in ecclesia Mutinensi: ut patet ex epistola Simplicij, in qua eũ reprehendit: & nisi pareat, minatur se ei ius ordinationis,etiam in Rauennatẽsi & Aemiliana ecclesia adempturũ. Mẽtionem etiam eius facit Gelasius in epistola ad episcopos per Lucaniam,Brutios & Siciliam, 1 capite.

VENERIVS MEDIOLANENSIS.

Venerius olim Ambrosij diaconus:Simpliciano in episcopatu Mediolanẽsi successit: ut patet ex Euodio. Antoninus titulo decimo, capite nono, & septimo, narrat eum suas coniunxisse literas unà cum Imperatoris Honorij & Innocentij, & Aquileiensis antistitis,ad Imperatorem Arcadium,in causa Iohannis Chrysostomi iam per reprobum conciliabulum condemnati, & in exilium denuò eiecti:& cum reliquis pro Chrysostomo intercessisse,ut legitimo,pio acutili Cõcilio coacto, causa Iohannis deintegrò cognoscatur.Ex quo mirum,qua ratione constare uelit,quòd de Simpliciano retulit Trithemius,sub Theodosio & Honorio ipsum fuisse clarum.

LAVRENTIVS & EVSEBIVS, *Mediolanenses.*

Mediolanensem facit episcopum Laurentium,coætaneũ Epiphanio Ticinensi, Euodius in narratione de uita Epiphanij:eidẽq; Epiphanio adfuisse comitẽ in legatione ad Theodoricum regem Gotthorum, memorat.Est inter Euodij scripta etiam oratio habita,ut apparet, post ipsius mortẽ, in huius Laurentij natali,encomiastica. Extant & in illis eiusdem authoris Euodij scriptis & Epigrammata quædam,quibus uidetur Mediolanensis ecclesiæ successores ordine, ab Ambrosio incipiens,numerare: quod tamẽ certum affirmare non audemus. In illis Epigrammatis Laurentium præterit,nec ullam eius facit mẽtionem:nisi fortè ille idem sit, quem ibidem Lazari nomine celebrat.Certè quem Lazaro immediatè subiungit,Eusebium,Graiumq; uocat,& Ligurum doctorem,inquiens:

Eusebius Ligurum successit finibus hospes.

Fuisse Mediolanensis ecclesiæ rectorem tempore Chalcedonẽsis cõcilij,Leonis scripta produnt,in quibus extat epistola missa è conuentu quodam (ut apparet) Mediolanensi ad Leonem, in qua subscriptionibus singuli comprobant scriptũ Leonis contra Eutychen, in quibus subscriptionibus Eusebius Mediolanensis episcopus disertè, & quidem primo loco,ut præses ponitur.

AVITVS PLACENTIAE.

Auitus Aruernensis ciuis & senator fuit, ut refert Gregorius Turonensis libro secundo, capite undecimo.Fuit amicꝰ Aetij, adeò ut sine eo Aetius nihil,sine Aetio ipse plurima gesserit.A Maximino Valentiniani parricida lectus est magister militiæ, equitum, peditũq;, & prefectus Gallię prętorio, Vesagetis amicissimus:quos etiam in fide cõtinuit,icto fœdere cũ ipsorũ regib. Theodorico

rico iuniore & Eurico fratre, apud urbẽ Tolosſam. Ipſis aũt partes eius adiuuantibus, in Gallijs apud Treuiros induit purpurã, Maximo occiſo: & à Gallis, ſenatu, populoque Romano Auguſtus appellatus eſt. inde cũ patrib. cõſcriptis & Gallis deducentib. Romã profectus, cũ Marciano Orietis Imperatore fœd⁹ inijt: fretus q; auxilio Theodorici Veſſogothorum regis, Pannonias amiſſas poſt multa ſecula reſtituit Romano imperio. Cũ aũt poſt Marciani obitũ Leo Magnus Orientis Imperator ſaluatus eſſet, & Maioranus Occidẽtis declaratus eſt Cæſar, is eductis in aciem copijs cum Auito manus conſeruit, et uictũ imperij dignitate depoſita Placentiæ priuatũ uiuere coegit. Auentinus libro ſecũdo annaliũ Boiorũ, ex Sidonij Panegyrico, & epiſtola prima ad Auitũ libro tertio. Factũ aũt ibidẽ eſſe ex Imperatore epiſcopũ, Gregorius Turonenſis libro ſecundo, capite undecimo: Paulus Diacon⁹ libro decimoquinto, in fine Marciani: & Iuo in Chronico referunt. Cum aũt ſenatus uoluiſſet in eius uitã inquirere, Aruernũ ad baſilicam Iuliani martyris cum muneribus iter adornauit: ſed in eo mortuus eſt. Gregorius Turonẽſis ibidẽ. Nicephorus libro decimoquinto, capite undecimo, ſcribit ipſum poſt octauum ſui imperij menſem perijſſe fame, de Epiſcopatu eius mentionem nullam faciens.

PHILASTRIVS BRIXIENSIS *epiſcopus.*

Philaſtrius diſcipulus Ambroſij fuit, & apud eum aliquandiu Mediolani egit, cum & Auguſtinus iſthic eſſet. Epiſcopus Brixienſis poſtea factus eſt, ut patet ex epiſt. Auguſtini ad Quoduultdeum, catalogo de hæreſibus præmiſſa. Quædam præclara opuſcula eum ſcripſiſſe Trithemius narrat. Hodie extat opuſculum eius, titulo Hęreſeon catalogus: ex quod quid ſenſerit de quibuſdam doctrinæ articulis, breuiter recitabimus.

De ſacra Scriptura rectè dicit, Legem & Prophetas, uetus ſcilicet & nouũ Teſtamentũ, Canonicas ſcripturas dici: ac Apocrypha, nõ ab omnib. ſine diſcrimine legi debere, propterea quòd ab hæreticis multa ſint inſerta.

De Chriſto inquit: Duplex Chriſti eſt generatio, una diuinitatis indefinita ac ſempiterna, altera incorporationis per uirginem temporalis. Item dicit corpus Chriſti diuino ſpiritu, diuinaq; potentia, in utero uirginis creatum atq; conſummatum eſſe.

De diabolis ſentit, quòd non ſint humanæ naturæ ſimiles, & quòd in animas hominum intrent, & hominibus, ut contra legem Dei faciant, perſuadeant.

De creatione docet, rerum naturam ſoli Deo adſcribendam eſſe.

De homine dicit, animas à Deo, poſt angelorum creationem, ad imaginem Dei factas eſſe ex nihilo.

De iuſtificatione dicit: Non aliunde ſalutis remedium, niſi ex fide hac, in patrem, filium, ſpiritum ſanctum, humano generi cognoſcimus affuturum.

De miraculis & prodigijs rectè monet, Deum per iſta ad pœnitentiam peccatores inuitare, & cohortari.

De coniugio rectè dicit: Legitimum ius coniugij, à Deo promulgatũ, laudatur quotidie, ac benedicitur conſuetè.

¶ Habet autem etiam incommodas quaſdã opiniones. Nã de mundo malè cõputat, eũ uſq; ad ſua tempora duraſſe annos 5771.

De homine dicit, ſi legis mandata ſeruaſſet, angelis ſimilem fuiſſe.

De ieiunio, uidetur ad quatuor ieiunia, nimirum in Natali, Paſchate, Epiphania, & Pentecoſte, Eccleſiam alligare.

De libero arbitrio non ſatis cõmodè dicit, niſi de renatis accipiatur: Et currere & uelle nos docet Apoſtolus, inq; noſtra uolũtate eſſe, ut in ipſo curſu bonorum operũ, in humilitate perſeuerem⁹, ac tũc demũ ſperemus ſalutẽ poſſe ab ipſo Domino adipiſci.

Tametſi Auguſtinus hũc authorẽ poſt pönit Epiphanio: attamẽ hominẽ fuiſſe doctũ, & qui iudiciũ de rebus habuerit, itẽ antiquitatis & ueterũ hiſtoriarũ, etiam gentiliũ, omniũ uerò maximè ſacrarũ Scripturarũ magnã cognitionem, manifeſtũ eſt ex illo ipſo ſcripto, in quo omnis generis hæreſes mira breuitate & dexteritate dum refutat, multa obiter cognitione digna admiſcet.

Librũ Geneſeos uocat librũ creaturę mũdi, in hæreſi qua Paganiſmum à Deo inſtitutum aſſerit.

Libri Canticorũ explicat rationẽ appellationis, quare ſit nominatus Cantica canticorum. In hæreſi quæ de iſto libro ambigit.

De Bibliorũ uerſionib. Septuaginta duorũ, itẽ Aquilę, cẽſurã agit, & illorũ huius prę-fert & cõmẽdat. Quòd de ſacra Triade rectè ſentiẽtes, unã ſubſtantiã, diuinitatẽ & maieſtatẽ ſingulis perſonis tribuãt: ſecus uerò Aquila, qui de filio tantum, ut de propheta loquatur. In hæreſi quæ Septuaginta duorum interpretationem reijcit.

Græcæ linguæ fuit peritus. nam Græcos authores citat, Solonem, Platonẽ in Timęo: in hæreſi eorum qui de terræ diuiſione non rectè ſentiunt. Heſiodum: in hæreſi quæ dicit Paganos naſci naturaliter. Hermen Triſmegiſtum: in hæreſi quæ pecudum paganorum uanitate ſiderum diuerſa nomina profitetur: item in hęreſi quę dicit, nomina dierum Solis, Lunæ, Martis, &c. à Deo poſita à mundi origine. Democritum: in hæreſi quæ multos dicit eſſe mundos.

Certamina.

In illo suo Hęreseon catalogo magno studio certat contra omnis generis uanitates, superstitiones & errores Gentilium, Iudæorum & Christianorum. Nam centum quinquaginta sex hæreses enumerans, tam eas quę ante Christi aduentum, quàm quę post, & in populo Dei & inter gentes extitêre, pleraſque earundem refutat: præsertim eas quæ post Christum glorificatum in populo Christiano exortę sunt, breuiter quidem, sed tamen dilucidè, & perspicuè satis. Et huius scripti uerè esse authorem Philastrium, Augustini testimonio confirmatur illo ipso loco, ubi ita inquit: Philastrius quidam Brixiensis episcopus, quem cum sancto Ambrosio Mediolani etiam ipse uidi, scripsit hunc librum, nec illas hæreses prętermittens, quę in populo Iudæo fuerunt ante aduentum Domini, easque uiginti & octo commemorauit, & post Domini aduentum centum uiginti & octo, &c.

¶ Vt autem in conspectu sint, quos ille hęreticos aut hæreses in lucem producit, recitabimus breuem eorum nomenclaturam, & primùm eorum qui ante aduentum Domini extiterunt.

Ophitæ, Serpentini, qui colubrum uenerati sunt, qui Euam decepit.

Caiani, qui Cain fratricidam laudarunt.

Sethiani, qui Seth coluerunt.

Dositheus Iudæus, qui in lege secundum carnem uiuendum docuit, resurrectionem & futurum iudicium non credidit.

Sadducæi, à Saddoc Iudæo homine, secũdum carnem uiuere, circumcidere & baptisare corpus docuerunt.

Pharisæi, resurrectionem confessi sunt, legem & prophetas receperunt, Christum ut iustum hominem expectantes.

Samaritani, à Samario seu rege, seu Chanaan filio, quatuor libros Moysi amplexi sunt: resurrectionẽ, præter eam quæ fiat quotidie per prolis procreationem, non credide runt, neq; iudicium, neq; Christum, &c.

Nazaræi comam nutrierunt, in eo & alijs obseruationibus iusticiam consistere arbitrati: & Samsonem malè imitantes, legem & prophetas acceperunt.

Esseni in recessibus habitantes, monasticen exercuerunt: delicias auersati sunt, nihil possederunt, bonis operibus institerunt: Christum ut prophetam, non ut Dominum expectarunt.

Heliognosti, qui & Denictiaci, Solem adorarunt: à quo omnia, ac etiam homines illuminari uolebant.

Ranarum cultores, à plaga Ægypti, quam isto cultu se auertere putarunt.

Musoritæ, sorices coluerunt, à plaga Philistinorum, ob captam ab ijs arcam, sanata, cum aureos mures feciſſent: Legem & Prophetas receperunt.

Musca Accaronitæ, Muscam ciuitatis Accaron coluerunt, à Iudęorum rege Ozia, qui sui corporis inde salutem petierat, non à Deo suo.

Troglodity, in speluncis idola coluerunt.

Cultores reginæ, seu Fortunæ cœli.

Bahalitæ, nomen & idolum regis Tyriorũ Bahal memoria & sacrificijs celebrarũt.

Astharitæ, Asthar & Astharoth, & Camos, Cananæorum & Sidoniorũ idola coluerũt.

Cultores Moloch & Remphan idolorũ.

Immolatores propriorum liberorum, in ualle filij Ennon.

Puteoritæ, puteorũ cultores, quos altius fodientes, salutis inde aquam se hausturos arbitrati, errore non intellecti dicti Prophetici: Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ.

Cultores serpentis ænei in deserto erecti.

Cultores sculptilium diuersarum formarum, quibus sub terra in spelunca sacrificarunt, cuius Ezechiel meminit.

Cultores Thamur, quod fuit simulachrũ regis Aegypti, qui Mosis tempore imperauit, cui Iudaicæ mulieres cum planctu sacrificabant.

Belitæ, in speluncis absconditis uarijs idolis hominum sacrificant, à Belo Orientis rege, &c.

Bahalitæ, seu Balaamitæ, idolum coluerunt Prophetæ illius, à Balac Moabitarum rege ad malcedicendum populo Israelitico accersiti.

Pithonissarum hæresis: operiebant cultores mulierem uestimentis, & inde ab ea responsa exigebant: à Pithonissa, quæ Samuelem excitasse scribitur.

Herodiani, ab Herode rege ab angelo percusso, quẽ ut Christũ expectãt. Legę & prophetas recipiũt, & resurrectionẽ credũt. Et hæc de hæresib. ante Christũ. nũc de ijs quæ pòst exortæ, quæ quoniã sunt notiores, nuda tantũ nomina recitabimus.

Simon Magus, Menãder, Saturninus, Basilides, Nicolaus Antiochenus, Iudę traditoris hæresis, Carpocras, Cerinth?, Hebion, Valentinus, Ptolemęus, Secundus, Heracleon, Marcus, Bassus, Cerdon, Marcion, Lucanus, Apelles, Tacianus, Cataphryges, Theodot?, Metanniste, Melchisedechiani, Noetiani, Sabellius, Seleucus & Hermias, Prodianitæ, Floriani siue Carpocratiani, Quartodecimani, Chilionetitę, Non recipientes Euangeliũ Iohannis & Apocalypsin, Manichæi, Patriciani, Symmachiani, Paulus Samosatenus, Photinus, Ariani, Semiariani, Eunomiani, Animam in Christo negantes, Tropitæ, Negantes cum carne ascendisse in cœlum Christum,

stũ, Aerij, Borboriani, Artotyritæ, Ascodrogitæ, Passalorinchitæ, Aquarij, Coluthiani: asserentes mundum non mutatum iri, sed in suo statu semper permansurum: Nouatiani, Montanistæ, Abstinentes, Circuitores, Apocryphi, Melitiani, Rhetorij.

Præter hos autem, multas insuper hæreticas sectas, quibus peculiaria nomina non tribuit, enumerat: & eorundem erroneas, prauas, sinistras & impias recitat: & nomina tim mathematicos uehementer exagitat, uanisimos eos, totiusq; erroris & sceleris adsertores nominans, in hæresi eorundem. Hermen quoq; Trismegistum acriter taxat, uanum ipsum quàm magnum potius iudicandum dicens: in hæresi quæ sideribus pecudum nomina imponit. In hæresi quæ dicit nomina dierum Solis, Lunæ, Martis, &c. à Deo posita à mundi origine, nominat eundem Hermen fallacissimum. Dumque ipse ad uiuum omnia resecat, & ad amussim omnium doctrinas exigit, ipse profectò non rarò etiam impingit, ita ut inter quosdã, quibus ipse hæretici nomen tribuit, aliquem locum habere posset.

Theodosio, Magno scilicet, res Imperij gubernante, eum clarum fuisse, circiter annum trecentesimum & octuagesimum, Themius refert. Ex ipso autore, si non deprauati sunt numeri, constat ipsum adhuc anno tricesimo post quadringentesimum in uiuis fuisse, quo anno catalogum istum composuit. Etenim in hæresi quæ ambigit de anno acceptabili, cuius Esaias meminit, expressè ait, iam tum amplius quadringentis annis elapsum à tempore aduentus Christi. Et in hæresi quæ incertum numerũ statuit annorum mũdi, disertè triginta annos ultra illos quadringentos numerat præterijsse, inquiens: Et inde à Domino usque nunc anni quadringenti triginta plus.

MAXIMVS TAVRINENSIS.

Taurinensis episcopus Maximus, scriptor & ipse non inelegans, claruit Leone Romanam ecclesiam gubernãte, quo tempore Eutyches suo blasphemo dogmate nouas turbas Cõstantinopoli dederat. id patet ex Catalogo eorum, qui subscripserunt epistolæ Leonis contra Eutychen, inter quos recitatur expressè & Taurinatis episcopi Maximi nomen. Et Gallicæ prouinciæ disertè meminit catalogus Romani conuentus, de quo infrà. Multa eum scripsisse Gennadius cõmemorat, ex quibus hodie extant aliquot homiliæ hoc ordine impressę:

De aduentu Domini, 2.
In Vigilijs natalis Domini, 1.
In natali Domini, 6.
In circumcisione Domini, siue de Calendis Ianuarij increpatio, 1.
In Theophania Domini, 8.
In die Cinerum, 1.
De ieiunio quadragesimæ, 4.
In ramis palmarum, 1.
De accusatione Domini apud Pilatum, 2.
De Iuda traditore, 1.
De passiõe, cruce & sepultura Domini, 4.
De sancto latrone, Petro apostolo & ancilla ostiaria, 4.
In solennitate Paschali, 5.
In letanijs ac Niniuitarum ieiunijs, 1.
In solennitate Pentecostes, 3.
In natali D. Stephani, 1.
In natali D. Agnetis, 1.
In natiuitate D. Ioannis Baptistæ, 3.
In natali sanctorum Petri & Pauli apostolorum, 5.
In natali D. Laurentij martyris, 3.
In natali D. Eusebij Vercellensis episcopi, 2.
In natali D. Cypriani episc. & martyris, 2.
In ferijs diui Michaelis, 1.
In natali sanctorũ Tauricorũ martyrũ, 1.
In communi Martyrum, 1.
De expositione Symboli, 1.
De non metuendis carnalibus hostibus, & gratijs post cibum agendis, 2.
De auaricia uitanda, 2.
De eleemosynis largiendis, 2.
De hospitalitate, 1.
De defectu lunæ, 1.
Super illud Esaiæ, Caupones tui miscent aquam uino, 1.

Hæc autem scripta palàm declarant, multis donis eum fuisse præditũ, & maximè scientia Sacrarum literarum. ac sanè Gennadius dicit, extemporè eum populum docere potuisse. Est sermo ipsius purus, nec insuauis, & qui lectorem suo quodam genio retinet, sententijs acutus, in argumẽtando ualidus, obiurgando seuerus, exhortando grauis, in allegationibus sacræ Scripturæ copiosus. Alios etiam authores Ecclesiasticos pariter & Ethnicos legit. nam fabulam Vlyssis religati ad nauigij malum, quò Syrenum cantus sine discrimine uitæ audiret, cõfert cum Christo ad crucis palum ligato: Homilia de passione & cruce Domini, prima.

In gubernatione non prorsus fuisse oscitantem, sed obseruasse cœtum sibi diuinitùs commissum diligenter: & dedisse sedulò operam, ut mores suæ Ecclesiæ conuenirent professioni, hoc unũ non est leue argumentum, quod uehementer admodum & grauiter reprehendit morem gentiliũ, quem quidam ex Christianis nondum penitus relinquentes, personati in Bacchanalibus currebant, ut apparet: à quo ipsos summo opere & studio dehortatur, multis argumentis. Vocat lusum dęmonum, mendacium, turpitudinem,

tudinem, & tenebras, & miniſtros dęmonũ, quorum furor omnẽ excedat inſaniam, qui talia agãt, &c. In homilia de circumciſione, ſeu uerius de calendis Ianuarijs.

¶Quod ad doctrinam eius attinet, medio criter de præcipuis capitibus ſcripſit.

Deum miſericordẽ & ſanctũ eſſe, dicit in Letanijs, & de ieiunijs Niniuitarũ Homilia.

De Chriſto dicit, quòd duplicem habeat generationem: unã, qua ex patre genitus ſit: alteram, qua uirgo Deo cooperante eum cõcepit & peperit. Homil. 1. in natalem Domini. Et dictum illud, Generationẽ eius quis enarrabit? accommodat etiam ad natiuitatẽ ex uirgine, Homil. 3. de Chriſto. Ac id myſterium credendũ & admirandũ, & non diſcutiendum, monet Hom. 4. de Chriſto.

Ac eum paſsione ſua redemiſſe genus humanum: Hom. 1. de paſsione. Ac eum dicit ſedere ad dexteram patris, non quo præferatur patri, ſed ne inferior eſſe credatur. Hom. 1. Pentecoſtes. idq; priuilegium eſſe diuinitatis, & indiſcretę cõſortium charitatis: in Hom. de diuerſis.

De diabolo dicit, quòd ſit * fons omnium peccatorum. Hom. hyemali.

De creatione rectè monet, Deo ſingulis dieb. cum è lecto ſurgimus, gratias agendas eſſe, quòd nos cuſtodierit. neminẽ enim prę ter Deum, homines dormientes cuſtodire: in Homilia de diuerſis.

De homine aſſerit, eum initiò à Deo conditum eſſe: Homil. de Iuda traditore.

De fide dicit, quòd ex latronibus faciat innocentes: in Hom. de latrone.

De oratione ſentit, quòd ſit colloquiũ cũ Deo, & quòd oratione prematur hoſtis noſter diabolus: Homil. 2. de cruce & ſepultura Domini.

De baptiſmo dicit, Ieſum baptizatum ut aquas ſanctificaret: Hom. 7. de baptiſ. Baptiſmum uiuificare animas: in Homilia de diuerſis.

De clauibus rectè dicit, quòd ſit poteſtas iudicandi à Chriſto data.

De antichriſto dicit, quòd ante aduentum Chriſti ſit regnaturus, & tenebras oculis ſpiritualib. exhibiturus: Hom. 1. hyemali. eumq; Chriſtũ extremo aduentu deleturũ. ibidem.

De reſurrectione docet, reſurrectionẽ noſtram ſolam fuiſſe cauſam Chriſto naſcendi: Homil. de diuerſis.

De extrèmo iudicio, uiuos & mortuos iudicandos monet: in Hom. de diuerſis.

De uita ętterna, q, ꝓpter Chriſtũ donetur: Hom. hyemali, in uigilijs natalis Domini.

De næuis.

Periculoſè & ineptè de pœnitentia loquitur, & confeſsionem & ſatisfactionẽ immiſcet, in Homil. Chryſoſtomi.

¶Certaminũ uidetur aut fuiſſe expers, aut nõ multũ de ijs ſolicitus. Nã in genere uix ſe mel atq; iterũ hęreticorũ meminit, ut in homil. Dominicę palmarũ, ſuper Pſalmũ 22. ubi ueſtimentorũ Chriſti diuiſores dicit eſſe hæreticos. Et homil. ſecunda de Chriſto ad Piſtum accuſato, dicit eandẽ futurã hæreticorũ pœnã, quæ fuerit & Iudæ. Arij tamen hæreſin diligenter ex ſacris Scripturis refutat: homilia de Euſebio Vercellenſi. Inuehitur & in Iudæorum perfidiam & pertinaciam ſemel atq; iterum: ut homilia 1 & 2 de Epiphanijs.

Aliquot Gallicis cõuentib. interfuiſſe uidetur, nimirũ Rhegienſi ſub Celeſtino, & Arauſicenſi, Vaſenſi ſeu Vaſatenſi bis, & Arelatenſi ſub Leone. Nam recitatur cuiuſdã Maximi nomẽ in catalogis eorundẽ cõuentuũ, in primo Cõciliorũ tomo, ſub Leonis geſtis. Romę etiam cuidã ſynodo interfuit, diſertè etenim, & quidẽ ordine, primus inter multos refertur: ut uel inde cõijci etiã poſsit, nõ fuiſſe exiguã hominis exiſtimationem. Fuit aũt illud Hilario Romanæ eccleſiæ ſimul & Synodi præſide, conſulib. Baſilico & Hermenerico, quib. annũ tribuit Marianus Scotus 465. poſt Chriſtũ natũ, Leonis Romani Imperatoris ſeptimũ. Vnde ſanè mirum, quòd Gennadius Honorio & Theodoſio iuniore regnantibus ipſum mortuum ſcribat.

VICTOR TAVRINENSIS.

Victor epiſcopꝰ Taurini, ſub Zenone legationẽ cum Epiphanio Ticinienſi epiſcopo, rogatu Theodorici, ad Gundobaudum Galliæ regem, pro redimendis captiuis Liguribus, obijt: teſte Euodio, in uita Epiphanij.

IVLIANVS, *ſeu* IANUARIUS.

Iulianus, ſeu Ianuarius Aquileienſis epiſcopus fuit. ſcripſit ad eum epiſtolam Leo, quæ eſt tertia, qua ipſius egregiè commendatur uigilantia & cura, quam pro Chriſti ouili fidus paſtor gerat, ne ſub pelle ouina lupi rapaces irrepentes, gregem Chriſti falſa & erronea doctrina lacerent.

NICETAS.

Nicetas Aquileienſis epiſcopus fuit: ſucceſsit fortè Iuliano. ad eum Leo ſcripſit epiſtolam, quæ numero eſt 79. Vixit circiter annum Domini 459, iuxta Marianum Scotum.

SEPTIMIVS ALTINVS.

Septimius, Eccleſiæ Chriſti quæ fuit Altini urbis prouinciæ Veneticæ epiſcopus, ut colligitur ex epiſtolis Leonis octogeſimaquinta ad ipſum Septimium, & ſequente ad Nicetam. Ob hoc meritò poſteritatis memoria dignus, quòd uideatur ſtudiũ habuiſſe, ut doctrinæ puritas illibata & ſine fermento conſeruaretur. idq; uel hoc ipſo declarauit, quòd diligenter attendit, ne qui ex

Pela-

Pelagiana & Celestina hæresi, simulata conuersione Ecclesiæ imponant, & sub nomine piorum ac rectè sentientium doctorum suos errores occultè in uulgus spargant, & simpliciores seducant. & propterea hortator Leoni Romano extitit, ut apparet, ut cum Niceta quædam in hunc usum constitueret, quibus palàm deprehẽdi posset, ueréne ac seriò, an uerò simulatè ac fraudulenter ad Ecclesiam reuersi essent, qui hoc errore aliquando deuiassent.

VIGILIVS TRIDENTINVS.

Vigilius patria fuit Romanus, Maxentia matre nobili natus, ab ipsa pueritia Christianis honestis & liberalib. disciplinis, ac simul in doctrina pietatis institutus est: ut Petrus de Natalibus libro sexto, capite decimo: & autor uitæ Vigilij indicant. Tridentum uenit unà cum matre, & duobus fratribus, ibique paulo pòst defuncto istius Ecclesię episcopo Asterio suffectus est à populo, anno suæ ætatis uicesimo. In ea functione magno studio, fide & constantia Euangelium Christi prædicauit, & conuertit tum suæ ciuitatis populum uniuersum, quæ maiori parte adhuc idolis seruiebat, tum etiã in alijs passim locis plurimos, ubi paganismus adhuc grassabatur, ad quæ pfectus est jcũ Sisinnio, Martyrio & Alexãdro. Ac dono miracula edendi præditus fuit.

Extãt hodie sub nomine eius hęc scripta:

Disputatio inter Sabellium, Fotinum, Arium & Athanasium, de Christo & fide sanctæ Trinitatis, liber unus.

Libri 5. cõtra Nestorij & Eutychis hæresin, de duab. in Christi unica psona naturis.

Tribuit etiam Petrus ei, quòd episcopum Gennadius Vigilium quendã scripsisse meminit, ad quendam Simplicianum, in laudẽ martyris. Item epistolam continentem gesta martyrum sui temporis apud Barbaros. Meminit Petrus & alterius epistolæ, quam scripserit ad Chrysostomũ, de passionibus Sisinnij, Martyrij & Alexandri.

Et ad scriptum disputationis Athanasij cum Sabellio & cæteris hæreticis, quod attiner, sciendum est, illud hactenus Athanasio adscriptũ, & inter eius lucubrationes in ipsius operibus relatũ, fuisse mutilum, imperfectum & deprauatum. Verùm non esse Athanasij Alexãdrini, & doctissimi quique propemodum non dubitarunt: & est illud etiam nõ difficile adeò iudicatu, si quis modò & styli fluxum, & temporis rationem diligentius consideret, quorum neutrum ullo modo Athanasio congruit. Huc accedit ipsius authoris testimoniũ non obscurum, quòd eius disputationis expressè mentionem facit sub initium quinti libri contra Eutychen, his uerbis: Et quanquam de Conciliorum diuersis sanctionibus & nominum religiosè additis nouitatibus plenissimè in ijs libris quos aduersus Sabellium, Fotinũ & Arium, sub nomine Athanasij, tanquam si præsentes cum præsentibus agerent, ubi etiam cognitoris persona uidetur inducta, conscripsimus.

His iam tertio loco addi potest styli conuenientia, inter hanc disputationẽ, & libros contra Eutychen, quæ tanta est, ut non ouũ ouo sit magis simile. Nec refert quòd ipse author eam disputationem non librum, sed libros nominat. potest enim fieri, ut quæ continuato iam sermone, librariorum fortè incuria leguntur, olim in partes unam atq; alteram fuerint diuisa, atq; alterius diei disputatio, quæ in Athanasij exemplaribus etiamnũ hodie diuisim collocata est, alterius libri initium extiterit.

Videtur etiam Vigilius sub persona Athanasij sese constituere authorẽ, & alterius cuiusdã libri aduersus quẽdã Arianę hęreseos diaconum Maribaudũ. hęc enim ipsius sunt uerba paulo ante finẽ disceptationis illius: Sicut in libro quẽ aduersus Maribaudũ nefandæ hæreseos uestræ diaconũ edidimus, plenissimè constat expressum, &c.

Rursum in fine eiusdẽ disputationis etiã adhuc alius cuiusdã libri author esse uidetur, cõtra quendam Palladium, qui Ambrosij iam defuncti quędam dicta calumniabatur, cui se uno libro respondisse sub Athanasij persona affirmat.

Et hæc de scriptis ipsius: ex quibus ea quorum nobis est copia, satis arguunt, doctorem fuisse non omnino indoctum, nec prorsus mutum, sed eloquentem satis, eo quidem orationis genere: quod tunc fuit in usu. Est quidem dictio ipsius asperior paulo, & impolitior, quòd uerbis interdum sordidioribus ac putidioribus utitur: cõpositionis tamen elegantia & numerorum uetustas nõ penitus inepta. Rerum certè sacrarũ & Ecclesiasticorũ dogmatũ cognitio neutiquam ipsi defuit: ueluti testimoniorũ quæ tam ex Prophęticis & Apostolicis, quàm etiam Patrũ & Cõciliorũ scriptis coaceruat, multitudo ostendit. Ex quibus sunt, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Athanasius, Theophilus, Cyrillus, Hilarius, Eusebius, Ambrosius, Augustinus, & Hieronymus: Nicena, Sardinensis, Syrmiensis, Ephesina prima, & Chalcedonensis, synodi.

Dogmatica Vigilij.

In uerbo Dei prædictum esse monet, de multitudine & uarietate hæresium: libro quinto contra Eutychen.

Doctrinam de Deo, & de Christo, præcipuè illustrauit. unũ enim Deum, & tres personas Diuinitatis esse, docet libro primo

contra Eutychen. Et personas proprietatibus suis (quales sunt, gignere, gigni, nasci, & procedere) discernit libro eodem.

Christum docet habere diuinam naturam de patre, & humanam de matre: libro tertio contra Eutychen. Et tamen non duas personas, sed unam esse: sicut homo duabus naturis, carnis & animæ constans, una tantum sit persona, libro quinto. Et passionem eius ad carnem & naturam, & ad uerbum secundum personam refert, quia & uerbi & carnis sit una eademq; persona: libro secundo. Ac ostendit, ideo eum Deum & hominē esse oportuisse, ut officio mediatoris fungi posset: libro quinto contra Eutychen.

Libero arbitrio ante conuersionem eum nihil tribuisse, inde apparet, quòd indicat falsos doctores, etiamsi ueritate & testimonijs certissimis Scripturę adeò conuincantur, ut errores palpare possint: tamen contra manifestam ueritatem à diabolo fascinati, suas opiniones defendant. Libro quarto contra Eutychen.

Ecclesiam magis Christi uerbis, quàm cōcilijs credere, indicat libro quarto.

Falsam ecclesiam errores defendere, refert libro quinto. Quamuis etiam interdum cōsona uerbo Dei uideatur dicere, lib. quarto. Aliud enim eam ore, aliud corde gestare, & mutilatas in patrocinium sui erroris sententias ex Scriptura detorquere: ibidem. Et plerunq; eam maximam eruditionis & pietatis formam præ se ferre: libro quinto.

Certamina.

Contra hęreticos, Sabellium, Photinum, & Arium, peculiari scripto pugnauit acerrimè. Ad eundem modum & cōtra Nestorij, & maximè Eutychis impia dogmata, eorūdemq; propugnatores, uehementissimè dimicat libris quinq;, ex professò in hoc ipsum scriptis: in quorum quarto libro, etiam Leonis 1. epistolam contra Eutychen scriptam: & quinto, Chalcedonensis cōcilij de fide decretum acerrimè defendit, ita sanè, ut argumentorum soliditate, rationum firmitate, sententiarum grauitate & orationis uehementia nulli profectò in hoc genere scriptorum inferior extiterit: nisi quòd hoc cū plurimis commune habet Ecclesiasticis, quòd in hæreticis refutandis non tam laborat, ut aptissima quæq; testimonia deligat, quàm ut multa in unum congerat: atq; ita non acumine solùm, & firmitate aduersarium cōfigat, sed etiā pondere ac multitudine quasi obruat.

Maritum fuisse Balæus refert, in Appendice de Siricio papa, Cēturia prima, sub 41. Anglicano scriptore.

Vitam martyrio finijsse, Petrus tradit, hac occasione. Quia ardenti pro domo Dei zelo flagrans, penitùs extinctum cupiebat Gentilismum, accidit ut aliquando hoc nomine expaciaretur cum fratribus germanis Claudiano & Maiorino, & quodam presbytero Miliano, ad quendā sui episcopatus locum in alpib. situm, cui Radenna nomen, in quo solo ex ipsius iurisdictione Ethnicissimus erat reliquus. Cumq; ibi Christum prædicaret, & simul etiam Saturni idolū euertisset, à rusticis lapidibus obrut⁹ est, solis socijs sinis incolumibus elapsis: ad VI calend. Iulij, nicesimo sui episcopat⁹ anno. Cuius postea corpus ad ecclesiam suam delatum, & in templo illo quod ipse extruxerat, piè conditum est: nomine quoque templi uersoj, ut Vigilij diceretur, quod Geruasij & Prothasij hactenus nominatū fuerat. Sepulturā ipsius secuta miracula, idem memorat. Quo anno à Christo passo, ipse quoque sit passus, non satis explicatum est. Ex superiorum cōmemoratione constat, totius eius uitæ curriculum fuisse quadraginta annorū, non amplius. Si igitur uel ultimo Gratiani anno saltem natus fuit, tum eius passio in quadringentesimum & uicesimum circiter, post natū Christū, annū incidit: à quo Leo Rom. episcopus primus eius nominis, & Chalcedonense cōcilium porrò absunt triginta amplius annis. At uerò si rectè ei tribuuntur libri illi contra Eutychen, necesse est post Leonem & Chalcedonensem synodum eum uixisse. Autor uitę Vigilij circiter annum quingentesimū, quo tempore Anastasius Romanum Imperium, Gelasius Romanam ecclesiam gubernauit, eum claruisse indicat.

INGENVVS.

Ingenuus, Ebredunensis prouinciæ alpiū maritimarū metropolites fuit, tempore Hilarij Romani. id testatur epist. eiusdem Hilarij ad Leontium Veranum, & Victurium, Gallię (ut opinamur) episcopos. Alicui⁹ autem existimationis fuisse ipsum, uideri potest, quòd ualde honorificam eius mentionē faciat Pontifex. Apparet aūt ob ius quarundam ecclesiarū, Gemelensis & Niceensis uidelicet, ipsum cōtendisse cum alio quodā episcopo: quod tum quale fuerit, aut quis aduersarius, num fortè Anxamius iste, cuius ibidem sit mentio, & quæ actiones instituręe, non est clarum. In urbe Roma synodo cuidā eodem Hilario præsidente interfuit, sicuti Catalogus eiusdem testatur. in decretis Hilarij, in primo loco numeratur.

EPISCOPI ITALI,

incertæ ecclesiæ.

VITALIVS & MISINVS.

VItalius & Misinus (ut Euagrius lib. tertio, capite decimoquarto) seu Siminus (ut Nicephorus lib. decimosexto, & capite decimosexto)

decimosexto)seu Messenus(ut Platina in Felice habet)episcopi fuerũt alicubi in Italia. Felix tertius eos in Græciam, ad Imperatorem Zenonẽ ablegauit,in causa Acacij Constantinopolitani, ut operam darent apud Imperatorem quò Chalcedonẽsis synodus confirmaretur, & Petrus Alexandrinus episcopus sua administratione deponeretur:ue luti Euagrius & Nicephorus meminerunt. Sed illi,siue aperta ui, siue munerib. corrupti,ad partes Acacij accesserũt:& id quod in mandatis habebant,non sunt rectè exequuti. Quare à monachis accusati in synodo, excommunicati & depositi sunt. Euagrius libro tertio, cap.uigesimo, & uigesimoprimo:& Platina, & Liberatus capite decimooctauo.Messenũ autem culpam & agnouisse,& deprecatum esse, & ad pœnã se obtulisse, cui etiam pœnitẽdi tempus ascriptum fit,& à Gelasio (postquam satisfeciset) absolutum, ac Ecclesiæ suæ restitutum fuisse, Platina author est in Felice & Gelasio, & Põtificales libri. A Felice damnati Messeni, & à Gelasio restituti, Marianus etiã Scotus meminit,sub annũ Anastasij Imperatoris quartũ,Incarnationis uerò Dominicæ quadringentesimum nonagesimumquintum.

ARCHIDAMVS.

Archidamus ab Innocentio in Africam missus est,ut patet ex epistola Innocentij ad Aurelium.Meminit etiam eius Zosimus in epistola ad clerum Rauennatium. A Sixto ex concilio Romano Hierosolymam,ob Polychroniũ etiã ablegatur,ut patet ex actis.

BONIFACIVS.

Ad hunc Bonifaciũ scribit Innocentius, certiorem reddens eum de Antiochena ecclesia,ad coniunctionem Romanæ reuersa. Vnde apparet,ipsum etiam alicubi in Italia Ecclesiæ curam gessisse: quod tamen incertum est.In eadẽ epistola, quę est ordine decimaquarta, fit mentio Pauli Diaconi, per quem Bonifacio literæ fuerant missæ.

FALCIDIVS.

Falcidius Romanę ecclesię minister fortè fuit, ex Augustini scriptis cognitus inde, quòd moto certamine Leuitas sacerdotib', diaconos presbyteris ęquiparãdos uoluerit.Cuius opinio,quęstione cẽtesima prima ueteris & noui Testamenti in Augustini Quæstionum libro confutatur.

GERMANI DOCTORES.

SEVERVS.

SEuerum discipulum Lupi, Trecensis episcopi,narrat Treuiris ordinatũ, Germanię populis prędicasse,Vincẽtius in Speculo libro uicesimo,capite decimosexto.

SOLENNIS FRANCORVM.

Sub annũ Imperatoris Zenonis decimũ septimum,narrat Sigiberti Chronicon, claruisse quendã Solennem Carnotensium episcopum,qui Francis Christum prædicarit magno studio & assiduitate.

FRIDELINVS.

Fridelinum uiatorem nominat Balęus in decimaquarta Centuria,ubi ipsum quoque inter Scoticos locat scriptores,ordine decimum.Regis Scotorum & Hiberniæ olim fuisse filiũ memorant. Peregrinationes suscepit magnas & difficiles, & Christum prædicauit passim.instituit etiã cœtus & collegia docentium,per quos porrò Christiana religio propagaretur ad posteritatem.

Ac nominantur quædam loca, ubi & docuerit:& monasteria,quę tum erant officinę scholasticæ,instituerit: & in primis quidem Galliæ, in quibus circumquaq; concionatorem egit.tandem uerò Pictauiam ad Hilarium uenit,ubi postea in eiusdẽ cœnobio pater monachorum extitit, & Hilariũ transtulit, ac magnificum ibi cœnobium Clodouei subsidijs erexit.inde pòst discedẽs, idem fecit in Belgis, & aliud monasteriũ inchoauit in honorem Hilarij, non procul ab amne Mosella.Hoc quoq; loco relicto,paulo pòst in altis Vosagi cacuminib.eidem Hilario templum erexit.Idem fecit & Argentinæ,Curiæ Rhetiorum, & alibi per Burgundiæ prouincias. Postremò appulit ad Insulam Rheni,ubi hodie oppidum Saccingũ est, uulgò *Seckingen*, in finibus Septentrionalibus Heluetiorũ, sedecim millibus passuum supra Basileam, ut ibi quoq; ędiculam cõderet.uerùm ab habitatoribus prehẽsus, uirgis cęsus,& ex insula eiectus est.Adijt ergo regem Clodoueum,eiq; aliquoties concionatus,ab eo mox totius istius insulæ donationem accepit liberrimã. Instituit ergo ibi collegium fœminei sexus, quod hodie adhuc durat:& collectis aliquot discipulis, sacras eis literas explicauit,usq; ad uitę finẽ. Testatur autem eius historia,ipsum etiã miraculorum dono fuisse clarum.Nã rege Clodoueo è uiuis sublato,accolę eiusdem insulæ iterum aduersus illum tumultuari cœperunt.Vt igitur contra tumultuantium uim, & toties illatas iniurias sese muniret, Rhenum ex dextro ac ueteri alueo, precibus ad Deũ fusis,in sinistrum conieciisse legitur, ac ita tutũ sibi receptaculũ fecisse. Quo miraculo omnium incolarum animos in sui admirationem ac amorem pellexit. Mortuum quoq; resuscitasse scribitur,hac occasione·Fuerunt illa tempestate duo germani fratres,nobilitate & diuitijs pollentes, in Clarona,uulgò Glaris,Heluetiorum urbe habitantes, Vrso ac Landulphus:ex quib. Vrso, Fridolini piam uitam & honestam cum discipulis suis conuersationem uidens, suarũ possessionum

possessionum integram partem, à fratris patrimonio seiunctam, Fridolino, eiusq; cœnobio dicauit: scriptisq; diplomatibus, perpetuò possidendam tradidit & cõfirmauit. Mortuo Vrsone, cum Landolphus auariciæ studio bona Vrsonis monasterio legata ad se rapere conaretur, S. Fridolinus cũ eo coram Baldeberto Landtgrauio de recuperãda possessione certauit. ubi cum audiret, nihil se effecturum, nisi coram iudicibus sisteret Vrsonem donatorem: abijsse uir Dei Claronam, & magna uirtute omnipotẽtis uerbi Vrsonẽ ex mortuis resuscitasse, secumq; eũ ex Clarona ad pagum Rheticum Rancquill usq; per sex miliaria adduxisse, ut corã Landgrauio cum fratre Landulpho exposturaret iniuriam, legitur. Landulphus talib. miraculis exterritus, non solùm hoc cœnobio reddidit, quod Vrsonis prius fuerat, sed suũ etiam adiecit.

Extant eius historię in illo monasterio hodie hi uersiculi:

Prædia pro Domino dant fratres: hic Fridolino.
Tempora post multa negat alter, fratre sepulto:
Suscitat hunc testem Dominus, ducitq; benignus:
Turba timore tremit, sanctus sua iura redemit.

Extant & Henrici Glareani uersus, qui ad hanc historiam alludere uidẽtur, in sua Heluetia, de Glareana:

Sunt tibi in æthereo duo numina maxima cœlo:
Inclytus effugiens noctem Fridolinus opacam,
Hillarion Gallus, Pictonæ gloria gentis, &c.

Exhortationum ad sacras uirgines librũ unum scripsisse fertur. Quando claruerit, ex superiorum narratione deprehenditur: nimirum Hilarij Pictauorũ episcopi, & Clodouei seu Lodouici primi Francorum regis temporibus. Ac fit in eius uita, cuius descriptionis author fuit Noggerus abbas S. Galli in Heluetijs, mẽtio, anni quadringentesimi nonagesimiquinti, quo Seccingẽse illud monasterium cõdidit. Cęterùm regi Clodoueo superuixisse eundem Fridolinum, ex historiola de translato per miraculum Rheni alueo, manifestum quoq; est. at is circiter annum post Christum natum decessisse scribitur, quingentesimum & decimumquartũ, à Sigeberto: cum, iuxta Hieronymũ, Hilarius iste Pictauiẽsis obierit anno trecentesimo septuagesimosecũdo. Amplius ergo annis cẽtum & triginta Christum peregrinando populis annunciasse colligitur. Confectus autem senio, & longa ætate, demum Saccingi sepultus est, ad sinistram chori partem, eregi onè Vrsonis illius, qui ad dextram cubat. Postea uerò, ex eo loco Fridolinus in summũ eius aræ collocatus est. Fridolini sepulti Saccingi Glareanus meminit in sua Heluetia:

Vltima Rauriacam portendit brachia ad urbem
Sacconium attingens, Fridolini nobile busto.

Historiam uitæ Fridolini à Noggero conscriptam, in Heluetijs extare, animaduerti potest ex Ægidij Tshudi Alpina Rhetia, capitibus duodecimo & decimoquinto.

SEVERINVS EPISCOPVS *in Bauaria & Austria.*

Seuerinum ex Africa oriundum fuisse, & hominem professionis monastičę, ex Eugypio constat, homine Norico, Seuerini discipulo & comite: iuxta Auentinum libro secundo Annalium Boiorum, in Imperatore Anthemio, sub finem. qui Eugypius sui prędceptoris Seuerini uitam cõscripsit, ut habet Isidorus Hispalensis. Rauennatensium episcopum nominat Otho Phrysingensis: & tamen iuxta Comogenis radices in cella à se cõstructa habitasse, & uerbũ Dei prædicasse, ostendit libro quarto, capite trigesimo. Ad ulteriorem Danubij ripam in Noricorum finibus cœnobium habuisse eũ, Paulus quoq; Diaconus meminit, duodecimo capite primi libri de Longobardorum gestis. Post mortem Attilę eum ad Vindelicos & Noricos, Romanorũ adhuc tum prouincias, cõcessisse, unà cum fratre Victorino, Vandalorum fortè crudelitatem deuitare cupiẽtem, ex Eugypio (Auentino ibidem referente) liquet. Primùm autem aliquandiu moratus est Bathauiæ, quæ nunc urbs est episcopalis præclara inferioris Bauariæ, ad confluentes Danubij & Oeni: ubi etiamnũ hodie fanum extat eius nomini dicatum, in ripa partis ciuitatis quę Oenana (*die Instadt*) dicitur, ad cõgressum Oeni & Boiotrę. Egit aliquantisper & in Quintianis, seu Quintianorũ colonia, quæ nunc uillæ sunt *Kyntzen* dictæ, supra Bathauiã, inter Vilissouiam (*Vilschouen*) & Austrauiam (*Osterhouen*) postea uixit apud Fabianã, quæ nũc est Vienna Austriæ, sub monte Cęcio, qui mons Calu' (*der Kalenberg*) hodie dicitur: ubi hoc quoq; tẽpore loca sunt, huius uiri nomen referentia.

Quæcunq; autem causæ fuerint, quæ in ista loca illo tempore eum cõiecerint, & undecunq; etiam aduenerit, satis ex ipsius gestis manifestum est, diuinitùs illum istis terris missum fuisse. Sua enim fide, pietate, uirtute, iusticia & precibus, non iaculo, aut arcu, nec armis ullis alijs, crebrò ea loca abiminentibus maximis calamitatibus seruauit, & tutatus est.

Propheticũ spiritũ habuisse, euẽtus multi declarauerunt. Cum enim diuinitùs præsentiscęret, impẽdere istorum locorum incolis grauissimas calamitates, tametsi nullá peculiarem publicæ gubernationis (ut apparet) functionem teneret, nec quéquá ex sua excuteret: tamen ex charitatis officio hinc inde passim itinera fecit, & de imminentib. periculis pręmonuit, pœnitentiamq; cõcionatus est

natus est ferè omnibus omnium statuum & ordinũ hominibus, Ecclesiasticis & politicis, gubernatoribus & subditis, episcopis, clero, regibus, principibus, diuitibus & pauperibus, quorum omnium erat status corruptissimus. Ecclesiarum gubernatores & ministros omnis generis luxus coarguit, officij admonens, non ad quæstum aut fabulas: sed Christum mundi redemptorem ad hominum salutem prędicare, eundem quoque uitæ innocentia sequi, pauperibus eleemosynas distribuere, & reliquis bono exemplo præire iussit. Politicos monuit, hostes Reipub. & religionis non armis, nec telis solùm, sed pietate & liberalitate uincẽdos. Diuites, qui in istis bellorum tumultibus frumenta coemebant, & futuræ fami (quæ in eiusmodi rerum alea crebrò accidebat) referebant, ad benignè liberaliterq; elargiendũ pauperibus hortabatur. Deniq; unumquemque in sua uocatione officij commonefaciebat, & omnes in communi ad meliorem frugem Christianæ pietatis, & uerę pœnitentię reducere conabatur: eam solam & unã esse uiam ad placandam iram Dei dictitans. Omnium uerò maximè dehortatus est singulos à curis & sordibus rerum terrenarum & caducarum, ne illis implicarentur, quæ haud usui esse possent: imò quę magis oneri, & nõ rarò multis exitio esse solerent: ea potius omni studio meditanda, quæ cœlo homines asserent. Futurũ enim prędixit, ut haud ita longo tempore post suam mortem, illæ Romanorum prouinciæ, Noricũ & Vindelica perirent, & Romanum nomen penitus in illis extingueretur, oppida excinderẽtur, & cuncta in uastissimam solitudinem redigerentur: nec fore immunia ipsa templa, nec sacerdotes, imò nec ipsa cadauerũ sepulchra, &c. Talia pręmonuit. & quotquot pij ipsius monitis paruêre, quoad ipse uixit, incolumes & salui euasere, nec quicquam incommodi accepêre: cõtrà qui salutaria ipsius prę cepta contempsere, illis sua temeritas exitio fuit. Quorum autem solùm ciuitates cõmorantur, quæ eum ut uatem insanum irriserũt, ideoq; deletę sunt, tres quidem ab hostibus, una uerò à ciuibus aliò commigrantib. exusta: Asturi, in confinio Norici ripensis & Pannonię, etiam horam exitij indicasse fertur in templo, & ut resipiscerent obnixè obsecrasse. Verùm cum irrisus esset ab ijs, inde abijt: & cum uix egressus fuisset, irruerũt hostes Germani, ac capta urbe omnes trucidarunt. Idem ciuibus Iuuauij, (quæ nunc est Salisburgũ) accidit, quos diu fruſtra monuerat Seuerinus, ut abiecta fiducia suarum uirium, urbe excederent. E Comagenis uocatus, Boiodurum, quæ Bathauia nunc est, migrauerat: eamq; urbem iam semel atq; iterum sua pietate & consilijs à uiolentia & insidijs Alemannorũ seruauerat. Verùm cũ & his ob impœnitentiam extremum imminere fatum intelligeret, suadet omnibus, secum Laureacum demigrare, qui saluti suæ consulere cupiant. Atenim cum omnibus persuadere non posset, reliquit ipse ciuitatẽ: & cum nonnullis, qui eum audiebant, Laureacum secesset, & haud ita multo pòst oppidum illud per Alemannorum regem Hunimundum funditùs deletum est. Quintanorum urbis incolæ moti priorum oppidorum excidijs, & tantis calamitatibus, communi suffragio urbe sua excesserunt, & cum uxoribus, liberis, & omni suppellectile Bathauiam commigrarunt: & proprijs tectis sui oppidi egredientes, ignem iniecerunt, & solo æquarunt: idq; ante Bathauię excidium factum, in quo postmodùm tamen pereundum ipsis fuit, quotquot sancti illius Prophetę salubria monita spreuêre. Tiburina, Norici tum caput, diserte celebratur, quòd authoritate sui pastoris, paruerit Seuerini monitis, pœnitentiamq; egerit: eamq; triduano ieiunio ostenderit, & hostium manus incolumis euaserit: similiter & alia castella plurima, quæcunq; ipsius Tiburinæ pœnitentiã amplexæ fuissent, cũ interim in agris omnia passim uastarentur.

Cum rex Rugorũ Laureacum cum exercitu peteret, occurrit ei, & flexit Regis animum, ut inito cum oppidanis æquis conditionib. fœdere, urbem saluam relinqueret. Et hæc circiter annum Domini quadringentesimũ septuagesimumsextum, septimum & octauum, ab eo gesta memorantur.

Tanta autem fuit eius authoritas, ut Noricorum & Vindelicorum oppida certatim eum accerserent: & quocunq; aduentaret, eius aduẽtus saluti esse pro certo habebatur. Episcopi istarum prouinciarum eum ut patrẽ reuereri, ad ipsum accedere, nũcios mittere, & sine eius cõsilio nihil agere. Et quãdiu ipsius consilia sequebantur, omnia feliciter eis cedere: ubi uerò ea repudiabant, infausta & exitiosa omnia euenire. Romanos illorum adhuc locorum dominos, in tantis tumultibus sæpius suis reb. diffisos, ceu parens consolando erexit. Nec rarò ipsis eius pietas præsidio fuit, cum à suis Imperatoribus, qui de Occidẽtis imperio ipsi inter sese cum maxima Reipublicę pernicie conflictabantur, destituerẽtur. Ipsi Germanorum reges & principes, Romanorum hostes infensissimi, tamen eum obseruarunt & coluerũt plurimùm. ad illos non semel profectus legatus est, & sua authoritate ab incursationibus repressit, & societate & fœderibus coniunxit. Hibuldus Alemannorum rex cum exerci-

exercitu Bathauiam properabat, simulans se Seuerinum uisurum, reuera autem ut urbem occuparet. quod animaduertēs, obuiā ei procedit, ne urbs tanti regis aduētu quid detrimenti caperet: eumq; tanta constantia alloquitur, ut rex eius authoritate permotus, inceptum relinqueret: ac abiens, Seuerino ultrò optionē postulandi quicquid uellet, offerret. ille nihil aliud ab opulētissimo rege petijt, quàm ut gentem suam à Romanorum infestatione cohiberet, pacem cum ijsdem seruaret, captiuos ipsi condonaret.

Odoacer, siue Odagrius Rugorū regulus, qui postea Italię regno & Roma potitus est, cum eius iam tum in animo consilia uolueret, ad eum uenerabūdus uenit, & eius uaticinio non parum confirmatus est. cuncta enim quæ ipsi postea euenēre, ueraci spiritu prædixit: ut & Phrisingensis tricesimo capite libri quarti, hauddubiè ex Eugypij quoque narratione annotauit.

Sanationum & miraculorum donis etiā celebris fuit. Habebat Filitheus Rugiorū rex, Flacithei filius, coniugem Gisam, mulierem auaram, crudelem & imperiosam, quæ Romanos non solùm captiuos abduci iubebat, sed grauissima seruitute quoque, uelut uilissima mancipia premebat, & ad ergastula condemnabat. Hoc nomine cum eam Seuerinus obiurgasset, arrogantius illa respondit: Quid tu homuncio aliena, quæ nihil ad te attinent, curas? quin in conclaui preculas immurmuras? Cum seruis nostris quid nam iure nostro agamus, ne cogitare quidem tibi fas est. Ita quidem illa: ac mox filius eius morbo correptus est. Tum ipsa à Seuerino ueniā petens, omnes Romanos carcere soluit, & liberos postliminio redire dimittit. Seuerinus, ut ei uicissim gratum faceret, precibus filium sanitati restituit. Eidem præterea & marito regi futurum prædixit, ut diuinitùs punirentur, ni ab impietate desisterent: id quod exitus etiam comprobauit, per regē Theodoricū, qui eos extinxit: sicut & Paulus Diaconus assignauit libro primo de gestis Longobardorum, capite duodecimo.

Fertur & leprosum Mediolano ad se adductum mundasse: item mulierem seminecem incolumitati reddidisse. Ad oppidum superioris Norici Cucullū, locustas ab agris uniuersis fugasse scribitur: uno tantum excepto, possessoris cuiusdā, qui ad ipsius monita cum reliquis ad templum & preces ire contempserat.

Deniq; ostendit ipsius historia uniuersa, hoc unum cum primis spectasse, quo pacto saluti in tam luctuosissimo rerum statu omnibus foret: & tantis pœnis diuinitùs grassantibus, homines ad agnitionem peccatorum deduceret, & à rerum temporalium & momentanearum amore & fiducia auullos, ad amorem cœlestium & futuræ uitę, & maximè ad Christi propitiatoris uerā cognitionem reuocaret, eumque ut unicum in tantis necessitatibus, ac uerum & infallibilem opitulatorem monstraret, qui maiores ipsorum sępius etiam in maximis periculis seruasset: eundem ipsis quoq; non defuturum, modò in uera pœnitentia ad eum ipsi quoque accederent.

Si eius exceptæ cōciones in scripta essent relatæ, de multis doctrinæ articulis illustria testimonia in medium proferri potuissent.

A Laureaco Fanium discesserat, ut ibi cōfectus iam senio, Deo & religioni uacaret. Post paucos annos, cum sibi uitę finem adesse intelligeret, ad se uocauit Filitheū, Gisam, Fridericum, Rugorum principes: eisq; Romanos, istorum adhuc locorum incolas, cōmēdauit: utq; fœdus cum eis obseruent, obtestatus est. Vicinos deinde Romanos, quiipsius turbati erant morte, consolatus scribitur, ac bono esse animo iussisse: & prædixisse, ea loca ab hominibus tum quidem satis frequentata, tamen paulo pòst in solitudinē uastissimam redigenda. Ipsis tamē bene sperandum. Fore enim breui, ut in Italiam omnes incolumes traducantur. & tamen orare se, ut sua quoq; ossa secum auferāt. Decessit autem sexto Idus Ianuarij, anno à restituta salute quadringētesimo octogesimoprimo, ut Auentinus annotauit libro & loco suprà signato. Bruschius libro primo de Laureaco, in sexto eius Eccleſiæ episcopo, annum ipsius Seuerini obitus assignauit nonagesimumquartum post quadringentesimum, quando Romanæ eccleſiæ præfuerit Gelasius.

Paulo pòst autem, cum iuxta ipsius prædictionem ex illis locis Romani in Italiam secederent, ipsius simul ossa translata sunt, et in regno Neapolitano recondita: ut ex Eugypio istarum rerum scriptore constat. Corpus eius Neapoli retineri, etiam Paulus Diaconus loco iam suprà quoque citato meminit: tametsi uitam omnem in Noricorum finibus exegerit.

Petrus de Natalibus, qui & ipse quædam de eius uita recitat, locum quò eius corpus sit translatum, nominat Castellum Lucullanum, iuxta Neapolim: & factā eam translationem per manū Victoris (episcopi Neapolitani fortè) iussu Gelasij papæ. atque ibidem nomine Seuerini monasterium constructum: libro secundo, capite quinquagesimosexto. Atque inde fortasis est, in annis obitus ipsius discrepantia: ut Auentini numeri reuera ad ipsius obitum spectent, Bruschij ad translationem.

LVCIL-

LVCILLVS, VALENTINVS, *Syluinus, myſtæ Vindelicorum: Conſtantius, Paulinus, & Maximus, Noricorum epiſcopi.*

HOrum ſit in hiſtoria Seuerini mentio, & apparet eos fuiſſe ipſius diſcipulos, atq; ex collegio ad Fabianam prodijſſe, ad docendas illarũ prouinciarum eccleſias, & refutãdas Arianorum blaſphemias, quę ſimul cum alijs corporalibus malis ibi graſſabantur, & turbas dabant.

Et Lucillus quidem uir pius, & doctus in Chriſti & pietatis doctrina, aliquãdiu in urbe Patauienſi cõcionatus eſt. deinde circa annum Domini quadringenteſimum & ſexageſimum deſignatus eſt epiſcopus Fabianẽſis, poſt quendam Marcianum: Bruſchius in Conſtantio ſeptimo Laureacenſi epiſcopo, libro primo. Videtur ex Auentini narratione iuxta eiuſdem uaticiniũ, cum Romanis populis ex iſtis ſedibus in Italiam migraſſe dicitur, tametſi Lucilius ibi nominetur.

SYLVINVS, Quintianorũ hauddubiè fuit myſtes, & in miniſterio uerbi doctor. Extat enim & hodie in illis locis templũ eius nomini conſecratum.

CONSTANTIVS excellus Seuerini euocatus, & à papa Celeſtino Laureacẽſi epiſcopatui præfectus legitur: ad cuius gubernaculum ſedit anno Chriſti quadringenteſimo uiceſimoſeptimo, Theodoſio iuniore imperãte: Bruſchi⁹ autor. Sub hui⁹ gubernatione, cum iam Seuerinus quoq; eò è Bathauia conceſsiſſet, oppidum ab hoſtibus expugnatũ quidem: ſed precib. & cõſilio Seuerini fruſtra id tentatũ eſt, & periculũ oppidani euaſerũt: idq; factum circiter annum Domini 477, ut in Seuerino dixim⁹. Deniq; ad annũ quadringenteſimũ & octogeſimũ ſeptimũ, ipſum deceſsiſſe, Bruſchius habet.

PAVLINVS, Tiburinæ (quę caput erat Norici) epiſcopus fuit, illo quoq; ipſo tẽpore, quo Germaniæ populi illas terras, Romanorũ exoſi imperium, miſerè lacerabãt. Hũc, ut & alios, monuerat Seuerinus, de imminentibus malis. Eam monitionem neutiquam ſibi contemnendam ratus pius paſtor, triduanum indicit ieiunium per diœceſim ſuam: Deumq; pœnitentia, cuius ea ieiunia erant ſymbolũ, placare conatur. Nec eũ pius ipſius conatus fruſtratus eſt. Dei enim protectione, ipſius, cuius paſtorẽ agebat, ouile defenſum eſt: & alia caſtella plurima, quæ eius monitis paruerãt, & pœnitentiã imitata fuerant, cum cętera loca paſsim uaſtarentur.

MAXIMVS, comes fuit Lucilli, & ab ipſo Seuerino emiſſus, & Iuuauenſium dominum doctor conſtitutus, uerbum Dei prædicauit: & ab Arianorum impietate & furoribus, in ueritatis uiam incorruptam reducere ibi homines, ſedulò operam dedit. Seuerinus hunc monuerat, miſsis priuatis à Bathauia nuncijs duobus, uno mox alterũ inſequẽte, ut urbe excederet cum omnibus, quotquot ſalui eſſe cuperẽt: impẽdere náq; extremũ urbi fatum, & inexorabile exitiũ: ac ſubſequenti nocte interituros, quicũque non eueſtigiò aufugerent. Verùm ille fortè à reliqua multitudine ſeductus, uiribus ſui populi & urbis munitionibus cõfiſus, aut ſuis quibuſdam rationib. falſus, loco nõ receſsit. Altera erga nocte adſunt exinopinatò hoſtes Heruli & Oſtrogoti, duce Vidomaro: urbemq; captam diripiunt, incendũt: & populo captiuo abducto, Maximũ in crucem agunt: & alios eius ſymmiſtas amplius quinquaginta quinq; è rupe montis, quò ſeſe abdiderant, pręcipitant. Factũ anno quingenteſimo & ſeptuageſimo ſexto. In æde Amandi Salisburgi, quę tamen nunc eſt Margaretę ſacra, humati referuntur: atq; ibidẽ hæc in tabula ſcripta publicè leguntur: ipſæ quoq; cauernæ adhuc ibidem in monte ad monaſterium Petri uiſuntur.

PAVLVS PANNONIVS.

Paulum Gẽnadius celebrat, uocatq; preſbyterum, & natione Pannoniũ fuiſſe refert, & quædam etiam ſcriptis edidiſſe: De uirginitate ſeruanda, & contemptu mundi, ac uitæ inſtitutione, uel morum correptione, orationis quidem genere mediocri, ſed diuino tamen, libros duos ſale conditos, ad quãdam nobilem & Chriſto deditam uirginem Conſtantiam.

GLYCERIVS, SALONAE *epiſcopus in Dalmatia.*

Fuit Glycerius Dalmata, iuxta Euagrium, & unus ex Romanis principib. qui aliquãdiu de Occidentis imperio cũ ſumma Reipublicę pernicie inter ſeſe acerrimè dimicabãt. & Rauennę imperio potitus fuerat, Olybrio remoto: quẽ poſt quinquenniũ (ut habet Euagrius libro ſecundo, capite decimoſexto) Nepos rurſum ea ſublimitate exuit, & apud Salonas Dalmatię urbem epiſcopũ fecit: ut recitat Nicephorus libro decimoquinto, capite undecimo. Idẽ refert & Palmerius Florentinus, in ſuo Chronico. Eadem eſt etiam hauddubiè ſentẽtia Euagrij quoq; loco antè memorato, tametſi ſcriptio uideatur deprauata. Paulus Diaconus Portuẽſem eum epiſcopum ordinatum, poſtquam regno etiam ipſe priuatus eſſet, ſcribit: libro quarto de geſtis Romanorum.

DOCTORES GALLICANI.

GRAECVS.

GRęcus Maſsilienſium epiſcopus, à fratrib⁹ ſuis multa perpeſſus eſt: ut patet

ex Sidonij epistola quarta libri noni. Reprehendit eum Sidonius epistola septima libri septimi, ob initã pacem cũ Gothis: & quòd in Concilio cum suis collegis non tam curam gerat publicis medendi periculis, quàm priuatis studendi fortunis. Extant plures epistolę Sidonij ad ipsum: ut quarta à fine libri sexti, & secunda ac septima ab initio libri septimi. In epigraphe literarum Lucidi, etiã nomen eius extat.

HONORATVS.

Honoratum Massilienſem fuisse episcopum tempore Gẽnadij, quod tempus in Gelasij Romani episcopi gubernationem incidit, ex ipso Gennadio manifestum est, qui eũ inter reliquos Ecclesiasticos scriptores etiã celebrat: & ab eloquentia ita commendat, ut scribat, cum extemporè concionari potuisse, sine ullo linguæ impedimento: & quòd mira ipsius fuerit in prædicando libertas & constãtia. Narrat ipsum etiam composuisse quædam in modum homiliarum, ad excolẽdam fidei rationem, & confutandam hæreticorum peruersitatem: & uitas patrum collegisse, ac pręsertim nutritoris sui S. Hilarij Arelatensis episcopi: & letanias cum sua Ecclesia egisse, & Gelasium Romanum episcopum fidei ipsius integritatem scripto approbasse.

MVSAEVS.

Musæus Massilienſis ecclesiæ presbyter, uir in diuinis Scripturis doctus, & in earũ sensibus subtilissima exercitatione limatus, lingua scholasticus: hortatu Venerij episcopi excerpsit ex sanctis Scripturis lectiones toti⁹ anni, festiuis aptas diebus: respõsoria, Psalmorum etiam capitula tempori & lectionibus congruentia: ac probauit Ecclesia eius ea in re operam. Scripsit uolumen egregium Sacramentorum ad Eustasium episcopũ, successorem (ut apparet) Venerij. Edidit etiã homilias quasdam, quę magno in precio fuerũt apud multos. Leone & Maioriano regnantibus obijt, ut Gennadius in Catalogo refert.

GENNADIVS.

Gennadius presbyter Massilienſis, latinè & grecè eruditus fuit, & sacrarum literarum haud uulgarem habuit cognitionem: scripta etiã plurimorum autorum, præsertim sua ætate illustrium, diligẽter euoluit, & memoriæ prodidit. Trithemius narrat, eum in fine sui catalogi hoc ordine recensere suas elucubrationes:

De fide sua ad Gelasium papam, lib. 1.
Aduersus Nestorium, lib. 6.
Aduersus Pelagium, lib. 3.
Aduersus Eutychen, lib. 9.
Aduersus omnes hæreses, lib. 8.
De illustribus uiris.

De hæresi mille annorum. Ita quidem Trithemius. Verùm in opusculo illo De illustribus uiris, sic sanè ut hodie extat, nullam ipse de sese & suis lucubrationibus expressam mentionem facit, nedum quòd illas ita diserte ac ordine recenseret: præterquam quòd obiter interdum meminit, se quædam ex Græcis in Latinum trãstulisse, ut in Eusebio monacho & alibi. Et in Vigilatio mentionem facit Catalogi hæreticorum, quem aut iam tum se scripsisse, aut porrò scripturũ quodammodo innuit.

Sub Anastasio Imperatore clarum fuisse, anno Domini quadringentesimo & nonagesimo, Trithemius in fine asserit. Sanè Leone & Zenone Imperatoribus iam tum fuisse celebrem, ex ipsius Catalogo apertè deprehendi potest, pluribus quidem in locis, sed in primis de Timotheo Alexãdrino, & Theodulo Cœlosyrensi, &c.

SALVIANVS MASSILIENSIS.

Saluianum Gallum natione fuisse, patet ex eius libro sexto de Prouidentia, ubi Galliam solum patrium appellat. Massiliensis autem prius ministerij presbyterum, pòst eius Ecclesiæ etiam fuisse episcopum tempore suo, Gennadius narrat in suo catalogo: cui etiam tribuit cognitionem diuinæ & humanæ literaturæ. Ac sanè si quis mediocri diligentia eius, quæ nunc extant, euoluerit scripta, dicet ei ad absolutam eruditionem defuisse prorsum nihil. Primùm enim totius philosophiæ, & omnium illarum artium quas sub ea comprehendi uolunt, habuisse eximiam peritiam, inde patet, quòd asserturus Dei prouidentiam, non solùm sacrarum literarum monumentis, sed etiam philosophiæ & illarum meliorum artium præsidijs utitur: & ita quidem utitur, ut dubites propemodũ, fortior ne sit in demoliendis impiorum argumentis, an expeditus magis in suis adstruendis. Sacras certè literas ita acommodatè & elegantes tractat, ubi usus aliquis est, ut multum inde non suis modò disputationibus, sed uniuersæ Christianæ pietati authoritatis & fidei accedat. Historiarum fuit obseruantissimus, non tam priorum quàm suorum temporum, ita ut de ipso scribat Iouianus Pontanus: Saluianus Gallicæ gentis episcoporum magister, de Christo ita scripsit, rebusque Christianis, ut nihilominus historias plurimas, resque temporum illorum gestas, ijsdem & coniunxerit, & interdiserendũ explicauerit. Dum enim Dei optimi maximi res, mysteriaq; admirabilia compro bare nititur, & suorum & præteritorũ temporum res in exemplum adducit.

In guberna-

In gubernatione qualis fuerit, inde conie ctari potest, quòd tantopere insectatur sui temporis omnis generis uitia, ac probabilibus argumentis ostendit, calamitates, exnobis ipsis, qui ueluti Cæcias nubes, ita nos nostris peccatis, stulticia & sceleribus atrahamus nobis omnis generis mala: & propterea ad emendationem magna seueritate adhortatur omnes omnium statuum ac ordinum homines. Et ut est sanè mirus in castigando artifex, ita est in docendo ac formando magister acerrimus.

¶ Hæc ipsum scripsisse memorat Gennadius:

De uirginitatis bono ad Marcellum presbyterum, lib. 3.

Aduersum auariciam, lib. 4.

De præsenti iudicio, libros quinque. Et pro eorum merito satisfactionis, ad Saloniu epiſcopum, lib. 1.

Expositiones extremę partis Ecclesiastis, ad Claudianum episcopum Viennensem, librum unum.

Epistolarum, librum unum.

Et in morem Græcorum, de principio Geneſis, usque ad conditionem hominis, uersu quasi Hexameron, lib. 1.

Homilias multas, postquam episcopus factus esset.

Sacramentorũ uerò tantas, quantas non recordetur.

Hodie extant à blattis & tineis non ita pridem erepta, opera Iohannis Alexandri Brasicani, octo libri de uero iudicio & prouidentia Dei, ad Salonium episcopum Vienneńsem, cum scholijs eiusdem: in quibus hanc summariã tractat propositionẽ, Deum non deposuisse curam humani generis, neque negligere cœtum piorum: & quicquid accidat malorũ ac miseriarum, id totum nostra euenire culpa.

Extat sub huius nomine & præfatio simiſiter ad Salonium, quæ præmittitur quatuor illis libris, qui titulum gerunt Timothei episcopi ad Ecclesiam catholicam toto orbe diffusam: in qua ostendit, nomen illud Timothei esse ficticium, nec certi autoris. Et rationem reddit, quare occultato proprio nomine, author istorum librorũ Timothei inscriptionem apposuerit. Sunt autem isti quatuor libri in eo uolumine impressi, quod inscribitur Antidotum. Et si in re dubia diuinare liceret, pronũciaremus propemodum, istorum librorum uerum autorem esse ipsum Saluianum, moti argumento istius præfationis. Est autem in illis ipsis libris (ut & hoc obiter moneamus) aliud propemodum nihil, quàm perpetua quædam exhortatoria concio, ad liberaliter & benignè, imò cum superstitione propè præstandas eleemosynas, non tam pauperibus, quàm ipsi Ecclesiæ, & præsertim Ecclesiasticis personis, ac in primis qui peculiaribus institutis religionem profitentur, ex utroque sexu generis humani. Et uidetur profectò eò ipsius ferè uergere oratio, ut morituris persuadere uelit, non hæredibus, sed Ecclesiæ relinquendas esse possessiones & facultates suas, idque iure quodammodo diuino: & sic sub specie pietatis defraudandos suo iure hęredes. Certè expressè & disertè eleemosynis adscribit meritum remissionis peccatorum.

Tribuit autem ei Gennadius sermonem scholasticum & apertum: quòd sanè etiam ex eius scriptis liquet. Satis latinè scribit, præter paucas admodum dictiones, quibus non tam ingenij quàm seculi uitio usus uideri potest. Quòd si ad artificium compositionis respicias, est ordo elegans, transitus exquisiti, argumenta minimè implicata, epiphonemata felicia, paranomasiæ festiuæ, contentiones arduæ, nec minus iucundæ, graues sententiæ, exclamationes uehementes: & quis omnes suasorij generis partes, colores & schemata, quibus ipsius oratio scatet, enumeret?

Quod attinet ad doctrinam eius, inter alia maximè illustrauit caput de creatione & prouidentia. Nam eam multis exemplis probat libro primo de prouidentia: & cuncta quotidie nutu diuinitatis regi, & incessabiliter à Deo omnia gubernari dicit libro secundo. Et furiosum esse, affirmare Deum creatorem omnium rerum, & negare tamen eum gubernatorem: se uerò probare, etiam antequam Deus crearet, habuisse curam creaturarum, lib. 4 affirmat.

De lege dicit, bonam esse quidem, sed eam nobis nihil prodesse, si uita nostra & conuersatio sit mala: lib. 4. de prouidentia.

De iustificatione obiter dicit, nos in sanguine Christi saluos esse: libro quarto de prouidentia.

De fide dicit, eum non habere fidem, qui infidelis est: nec Christum credere, qui eius mandata conculcet.

De oratione dicit, semper aures Domini paratas esse ad audiendas preces sanctorum: lib. 2 de prouidentia.

De cruce sentit, pios non affligi negligentia aut incuria Dei, sed consilio ac dispositione eius permitti: libro primo de prouidentia. Item, nos esse nostrarum calamitatum autores, nihil Deo imputari posse: libro septimo de prouidentia.

De extremo iudicio asserit, Iesum iudicaturum genus humanum: libro primo de prouidentia.

¶ Cum Galliarum ſtatus multo iam tempore fuiſſet triſtiſsimus, ob continuas uaſtationes Barbararum gentium, Gotthorum, Vãdalorum & ſimilium, multos fuiſſe apparet, qui ex euentu iudicantes, temerè contenderint, Deum nihil minus quàm actus hominum curare, propterea quòd boni non defendantur, nec mali reprimantur. Contra hos acre certamen inſtituit octo integris illis libris, quibus de uero iudicio & prouidentia Dei, inſcriptionem indidit. Quibus eas querelas, ut uanas, fortiſsimè refellit: & quicquid inſuper ab aduerſa parte obijci poteſt, magnis ingenij uiribus & iudicij dexteritate, non tam retundit, quàm ſua firmiſsimis rationibus contrà aſſerit & defendit: Deum neutiquam abieciſſe curam humani generis: ſed quòd tantis ac præſentibus afflictionibus inuoluantur, id iuſtiſsimo iudicio Dei accidere, qui ſua natura clementiſsimus, & ad benefaciendum promptus, inuitus & nolens quodammodo ad infligendas pœnas, noſtra improbitate excitetur. Nam omnes omnium ordinum homines uias ſuas immutaſſe: & magnam ſcelerum ac flagitiorum eſſe licentiam paſsim, etiam inter eos qui Chriſtianorum nomine cenſeantur, ac præ alijs in fidei & pietatis doctrina rectius inſtituti uideri uelint: nihilo tamen eſſe eos meliores barbaris illis & incultis populis, imò multis nominibus deteriores. Atque ibi ceu in tabula, graphicè admodum corruptiſsimum ſui ſeculi ſtatum, Galliarum præſertim, Italiæ & Africæ exprimit, libris ſexto & ſeptimo.

Confutauit & Socratis Platonici ſententiam de communibus uxoribus, honeſtiſsimis & inuictis argumentis, libro 8.

Arctiſsimam ipſi interceſsiſſe neceſsitudinem cum Salonio, inde conſtat, quòd ſuos ei de prouidentia libros dedicat: & quòd in illa in Timothei libros præfatione ipſum miris blanditijs compellat, ſuam charitatem, decus & ſubſidiũ eũ nominans. Item Claudiano Viennẽſi epiſcopo, cui & ipſi, iuxta Gennadium, aliquid ſuarum lucubrationum nuncupauit.

Curriculum ſatis longum habuit. nam uſque ad Anaſtaſij tempora uixit, ad annum nonageſimum ultra quadringenteſimum. ſub Zenonẽ potiſsimùm clarum fuiſſe, Trithemius annotauit.

IOANNES CASSIANUS.

Ioannes Caſsianus natione Scytha fuit, ut Gennadius teſtatur: & ciuis Conſtantinopolitanus, ut ipſe in fine ſeptimi libri de incarnatione indicat. Ab ipſa propemodũ infantia inter monachos eum adoleuiſſe, & in utroque genere tam heremitarum quàm cœnobitarum ad extremam uſque uitæ ſuæ metam perduraſſe, manifeſtum eſt ex eius ſcriptis. Nam in prima præfatione librorum de inſtitutis cœnobiorum inquit: Quia ea quæ à pueritia noſtra interea eoſdem (patres & cœnobitas) conſtituti, atque ipſorum incitati quotidianis adhortationibus & exemplis, uel agere tentauimus, uel didicimus, uel uiſu percepimus. Et capite trigeſimoprimo, libro quarto de inſtitutis renunciantium, diſertè de ſui monaſterij, in quo primùm inſtitutus eſt, mentionem facit, inquiens illud in Paleſtina fuiſſe, non longè à ſpelæo illo, in quo Dominus noſter IESVS Chriſtus ex uirgine naſci dignatus eſt, &c. Et primo capite primæ collationis ait: Cum in eremo Scythiæ abbatem Moſen inſtitutione eius fundari cupiens expetiſſem, unà cum ſancto Germano, cum quo mihi ab ipſo tyrocinio ac rudimentis militiæ ſpiritalis, ita indiuiduum deinceps contubernium tam in cœnobio quàm in eremo ſuſcepi, &c. Imò ſtudio monaſtices ſuſcepit it, &c. Imò ſtudio monaſtices ſuſcepit uarias, difficiles & longinquas peregrinationes, ſicut in primo capite decimæ extæ collationis ipſe obiter refert. Peragrauit Paleſtinam, Meſopotamiam, Cappadociam: id quod ex illa ipſa præfatione colligitur. & præterea ex tertio tertij libri capite, de canonico nocturnarum orationum & pſalmorum modo: item ex decimonono capite quarti libri de inſtitutis renunciantium, & capite primo collationis ſextæ. Inuiſit Ægyptum, ac Thebaidos deſerta: teſtes illi ipſi, de inſtitutis monaſticis, libri quidẽ uniuerſi: præcipuè tamen primus à quarto per aliquot capita: item ſecũdus, capitib. tertio & quarto: item quartus capitis primi. Peruenit & ad Nili oſtia: cap. 1. collatione decimaoctaua. Scythiæ quoq; deſerta perluſtrauit: capite primo collationis primæ. Et hæc quidem non uoluptatis gratia tantum, aut inani quadam curioſitate feciſſe ipſum, ſed cognoſcendi ſtudio, & diſcendi auiditate, tum peregrinationis difficultas atque diſcrimen arguit, tum etiam res ipſa declarat. Nam in illis locis, cum uiris doctrina & ſanctimonia celeberrimis de rebus ad fidem & pietatem pertinentibus tam diligenter contulit, atque ea poſtmodùm in ſcripta retulit.

A Iohanne Chryſoſtomo ad eccleſiæ Conſtantinopolitanæ miniſterum gradu diaconi adhibitus eſt, ut refert Gennadius: & adſtipulatur Sozomenus libro octauo, capite uigeſimoſexto: & narrat ipſe libro ſeptimo de incarnatione Domini, ſub finem. Verùm inde poſtea Maſsiliam Galliæ urbem

conſeſ-

concessisse, relicta Constantinopoli, hinc liquet, quòd Gennadius & Prosper, ambo, alter Massilienſem eum presbyterum, alter apud Massiliam insignem scriptorem nominant. Istius autem discessionis causa non traditur. Plerique, in quibus Sigebertus primus est, sub annum Theodosij secundum commemorant, ipsum à Chrysostomo ejectum, Massilienſibus ordinatum presbyterum esse: quod cum Sozomeni modò memorato loco haud bene congruit, ubi Chrysostom⁹ eius ministerio usus dicitur in suis calamitatibus, in legatione ad Romanum episcopum.

Donis haud uulgaribus ornatus fuit. nam Prosper in Chronicis, commendat eum à facundia. & initio sui libelli aduersus eundem dicit, eum sanctarum Scripturarum studio præstare, & disputandi usu excellere. Sic & aliorum Doctorum prioris seculi lucubrationes diligentissimè etiam ipsum euoluisse, inde constat, quòd ut nihil eorum quæ assertit, non priori loco diuinæ Scripturæ testimonijs fulcit: ita posteriore deinde loco eandem Patrum & Ecclesiæ consensum addit, ad ostendendam ueritatis euidentiam. Sic ex Basilio dictum citat: Mulierem ignoro, & uirgo non sum. libro sexto, capite decimo nono de spiritu fornicationis. Libro septimo de incarnatione Domini, in causa contra Nestorium, utitur etiam Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Ruffini, Augustini, Gregorij, Athanasij, denique & Chrysostomi sui præceptoris testimonijs, &c.

¶ Hæc autem eius extant scripta:

De institutis cœnobiorũ, & de octo principalium uirorum origine, qualitate & remedijs, ad Castorem episcopum, libri duodecim.

Liber uigintiquatuor collationum, quas cum eremitis in sua peregrinatione habuit.

Libri septem de incarnatione Domini, ad Leonem.

Quæ autem fuerit horum scriptorum autoritas olim, iam dicendum. Casiodorus de libris institutionum, ita ad sui monasterij fratres scribit: Cassianum presbyterum, qui conscripsit de institutione fidelium monachorum, sedulò legite, frequenter audite, qui inter ipsa sancti propositi initia octo principalia uitia dicit esse tugenda. Hic noxios motus animarum ita competenter insinuat, ut excessus suos hominem penè uidere faciat, & uitare compellat, quos antea confusione caliginis ignorabat, &c. Idem tamen paulo post hæc subiungit: Qui tamen (scilicet Cassian⁹) de libero arbitrio à B. Prospero iure culpatus est. Vnde monemus, ut in rebus talibus excedentem sub cautela legere debeatis. Cuius dicta Victor Mahariticanus episcopus Aferita, Domino iuuante, purgauit, & quæ minus erant addidit, ut ei rerum istarum palma meritò conferatur, &c. Rursum in expositione primi uersus Psalmi sexagesiminoni, idem Cassiodorus eundem non in omnibus sequendum monet. Atque extat sanè etiamnum inter Prosperi opuscula libellus, titulum gerens de gratia Dei contra Cassianum collatorem, in quo impugnat acerrimè tredecimam Cassiani collationem cum abbate Cheremone, quæ habet inscriptionem, De protectione Dei: quòd in ea ex sacris Scripturis sibi ipsi contraria colligat, & de libero arbitrio secus doceat qũàm catholicorum doctorum consensus ferat: & præsertim Augustini sententiæ congruat, approbatæ Synodorum aliquot gestis, & in primis Romanorũ pontificum speciali commendatione. Quanquam autem Cassiodorus emendatam scribat istam disputationem à Victore illo: tamẽ satis apparet, neque sibijpsi fuisse copiam tunc temporis eius correctionis, cum post cętera hæc in eo ipso scripto subijciat: Quem librum emendatum scilicet, inter alios de Africæ partibus, citò nobis credimus esse dirigendum. Sed uos charissimi fratres, Deo iuuante, eas partes legite, quas salubriter cognoscitur ille laudasse, &c. Berno quoque Angiensis abbas, qui uixit Henrici primi temporibus, circiter annum Christi millesimum & uicesimũ, qui & ipse de Cassiani erroribus ex Prospero capita recitat, in libello ad Fridericum capellanum, negat ibidem etiam, isto suo tempore partem illam Cassiani de libero arbitrio correctam fuisse. Extat insuper & in decretis Canon Gelasij dist. decimaquinta, Sancta Romana ecclesia: qui Cassiani opuscula inter apocrypha reijcit. Quod tamen planè mirum, id sine ullo fieri discrimine, nec haberi rationem eorum quos de incarnatione Domini ad Leonem edidit librorum, qui sunt eruditissimi, & de Christi Domini sacratissima & ineffabili incarnatione sanctissimè & rectissimè docent. Quin nec reliqua scripta, præter illam solam de libero arbitrio disputationem, à quoquã (quod sciamus) reprehensa sunt, & continent sanè multas de uirtutibus non penitus inutiles disputationes: licet pro istius seculi de monachatu superstitione, nęquos quoque suos habeat, ut dicetur. Eucherius certè, scriptor & ipse non ignobilis, digna ea iudicauit, ut in compendium contraheret, quæ ab ipso in illis uberius & prolixius erant disputata, ut Gennadius refert.

Genus orationis est mediocre, rebus conueniens, & latinum satis: nec monstrosum adeò, & obsoletis penitus aut peregrinis Gal-

lici idiomatis uerbis & phrasibus (ut Sidonij, & nonnullorum aliorum istius prouinciæ doctorum) horridum. In libris tamen de monachorum institutis, ad res quas describit exprimẽdas, peregrinis, aut etiam ex rerum usu confictis quibusdam appellationib⁹ utitur: ut colobium, rebrachiatorium, mauors, melotes, paximacium, pſiathium, embrimium, & similia. In disputationibus etiam cum monachis interdum peculiaria quædam habet, à Latina proprietate abhorrentia: ut renuncians pro monacho, item destinatio, discretio, perfectio, & huiusmodi plurima speciali quadam significatione, recepta isto tempore in Ecclesiastici sermonis cõsuetudine. At uerò in libris de Domini incarnatione, stilus est tersus & purus, & rerum dignitati respondens.

Dogmatica Cassiani.

¶ Deum esse, ex operibus creationis probat: collatione prima, capite decimoquinto.

Tres esse personas in diuinitate, patrem, filium, & spiritum sanctum, æquales honore & potentia: libro septimo de incarnatione Domini.

Christum docet esse filium Dei, per quem omnia sint condita: collatione octaua, capite septimo. Et uerum hominem, sed tamen absque peccato: collatione uicesimasecunda, capite undecimo. Ac doctrinam de mirabili unione duarum naturarum, prolixè tractat in septem libris de incarnatione Domini.

Et in assumptione humanæ naturæ, filium Dei hominem suum sibi creasse: libro septimo asserit.

Deum omnes creaturas condidisse per filium suum, indicat collatione octaua, capite septimo. Ac easdem gubernare, & conseruare: collatione decimatertia, capite octauo.

Angelos cœlestes q; uirtutes à Deo creatos esse, dicit collatione octaua, cap. 7.

Angelos quosdam suam præstantissimam stationẽ reliquisse, & superbiẽdo lapsos esse, narrat collatione octaua, capite decimo.

Diabolos sensibilibus iudicijs forinsecus, scilicet ex dispositionibus, aut uerbis, aut studijs & inclinationibus, hominum cogitationes percipere posse adfirmat: sed non illas quę necdum de internis animę prodierũt. collatione septima, capite decimoquinto.

Item, dæmones alios alijs uicijs incubare: collatione eadem, capite decimoseptimo. Et alios ferociores, fortiores, & nequiores alijs esse.

Homini ante lapsum in creatione Deum legis scientiam insseuisse, indicat collatione octaua, capite uicesimotertio.

Deum alios quidem uolentes currentes q; suscipere, alios uerò nolentes renitentes que pertrahere, & ad bonam uoluntatem cogere: collatione decimatertia, capite decimooctauo.

Sentit peccatum aliud esse originale, aliud actuale: aliud mortale, aliud ueniale: aliud ignorantiæ, aliud obliuionis: collatione uicesimasecunda, capite decimotertio. Ac ibidẽ, nullos iustos & sanctos uiros à culpa immunes esse dicit.

De iustificatione rectè dicit: omnes patres affirmare, summam salutis nostræ non operum nostrorũ merito, sed cœlesti gratię deputandam esse: collatione decimatertia, capite decimooctauo.

Inuocationis quatuor species facit: obsecrationem, orationẽ, postulationem, & gratiarumactionem: eas q; ordine definit collatione nona, capite nono, undecimo, duodecimo, decimotertio, decimoquarto.

Animas piorũ non in nihilum resolui, sed manere, ac intellectũ & sensus retinere: nec affectibus, scilicet spe, tristicia, gaudio, metu carere, adfirmat collatione eadem, capite decimoquarto.

In uita æterna exercitia monastica cessatura, & carnem nõ amplius aduersus spiritum pugnaturam, docet collatione prima, capite decimo.

Næui.

¶ Inseruit etiã suis scriptis opiniones quasdam singulares. nam asserit, quòd cum incipientibus atq; infirmis Christianis, infirmiores spiritus cõmittantur: quibus superatis, gradatim robustior pugna succedat: collatione septima, capite uicesimo.

Doctrinam de libero arbitrio corrupit, & Pelagij sententiam amplexus est, ac propagauit: in disputatione de protectione Dei, cum Cheremone, ut constat ex Prosperi libro contra Collatorẽ. dicit enim eum hęc affirmare: Quòd Adam peccante, anima eius læsa non fuerit, sanum q; in eo mãserit unde peccauit. Siquidem scientiam boni, quam acceperat, non amiserit: nec potuerint posteri eius id perdere, cuius damnum nec ille pertulerit. Ineſſe autem omni animæ naturaliter uirtutum semina, beneficio creatoris inserta, ut posſit, qui uoluerit, iudicio naturali Dei gratiã prẽuenire, & adiutoriũ eius quo facilius ad perfectionem perueniat, promereri: quia nullius sit laudis ac meriti, qui donatis bonis, non proprijs adornatur. Cauendum quoq; esse, ne ita ad Deum omnia sanctorũ merita referantur, quasi per se nihil boni possit agere ipsa humana natura: cũ tãta sit uirtũ eius integritas, ut cõtra ipsum diabolũ, sequitiam q; eius usq; ad extrema supplicia, sine auxilio Dei, ualeat dimicare. hãc autem possibilitatem in omnibus esse hominibus naturalẽ, sed non omnes ingeneratis sibi uti uelle uirtutibus.

uirtutibus. Tantâ aũt circa uniuersos homines bonitatẽ esse creatoris, ut alij ab eo, quia sponte ueniant, suscipiãtur laudati: alij, quia resistunt, attrahantur inuiti. atque ideo uolentium susceptor, nolentium uerò saluator sit. Et cũ pars Ecclesiæ ex gratia, pars aũt ex libero iustificetur arbitrio: glorioſiores sint quos natura prouexerit, quàm quos gratia liberarit: quia ad omne opus bonum tam libera sit uoluntas in Adæ posteris, quàm in Adam fuit ante peccatum.

Doctrinam de pœnitentia deprauatè tradit. nam de contritione, confessione & satisfactione multa nugatur, de fide uerò prorsus est mutus: ut apparet ex collatione uicesima, capite quinto, sexto & octauo.

Operib. charitatis, eleemosynis, lachrymis, sanctorũ intercessiõi remissionẽ peccatorũ & salutẽ adscribit: collatione uicesima, ca. 8.

Traditionibus humanis & uitæ monasticæ tribuit puritatem cordis, & uitam æternã: collatione prima, capitib. secundo, tertio quarto, quinto, septimo & decimoquarto.

Certamina.

¶ Contra Nestorium certamen acre & uehemens susceptit, septem libris eius blasphemias mira iudicij dexteritate, & perspicuitate refellens, ex fontibus Propheticorum & Apostolicorum scriptorum, nec non & celebrium Ecclesię ac probatorum doctorum omnium temporũ unanimi consensu: imò etiam ex symbolo Antiocheno, in quo baptisatus & institutus fuerat Nestorius, eũ erroris redarguit & cõuincit. Porrò, tametsi cum Nestorio solo id certaminis susceperit, eam tamen causam ita agit, ut nec ueteres hæresiarchas silentio prætereat, quin & ipsorum quoque fanaticas & exitiosas opiniones perstringat: Ebionis uidelicet, Sabellij, Arij, Eunomij, Macedonij, Fotini, Apollinaris, Pelagij in primis: cuius errorem non obtertãtum, sed mediocri diligentia, in primo libro etiam refutat, addens illud: Nestoriũ non nouæ hæreseos, sed ueteris, id est Pelagianæ nouum autorem existere: ut inde propemodum suspicari possit, priorem suum errorem ipsum correxisse.

Præter illos, quos sibi in peregrinationibus istis conciliauit monachos & eremitas, etiam aliorum plurium habuit noticiam. Nam præfatio in libros Institutionum, mentionem facit cuiusdã episcopi Castoris Galli (ut apparet) in cuius gratiã eos libros cõscripsit. In præfatione in decem collationes patrum in eremo Scythiæ, Leontij item & Helladij anachoretæ episcoporum meminit, quibus eas decem collationes dedicat. Honorati episcopi quoq; Gallicani, & Eucherij, quibus nuncupat septem collationes in Thebaide Aegypti habitas, testatur præfatio in easdem. Iouiniani, Mineruij, Leonti & Theodori, Gallorũ monachorum in cœnobijs præsidum, aut anachoretarum. nam eis adscribit septem alias collationes patrũ ulteriorum Ægypti: ut testatur prefatio in easdem. Quos inter omnes uel primum amicitiæ locum tenuit Leo ecclesię Romanę tum in ministerio diaconus, pòst etiã pontifex: qui author ei fuit conscribendorũ librorum de Dominica incarnatione, ut prefatio ostẽdit in eosdem. Vt interim taceamus Germanum illum, quem habuit omnium itinerum & profectionum coniunctissimum comitem: quem ipse etiam ait, ab ipso suæ monasticæ conuersationis exordio, eum indiuiduum sibi fuisse contubernalem: quodque de ipsis homines communi sermone iactarint, unam esse in duobus corporibus mentem & animam: capite primo collationis primæ.

De uitæ ipsius sanctimonia, & peculiaribus exercitijs hoc restat, quod Gennadius memorat, ipsum Massiliæ duo monasteria extruxisse, unum mulierum, alterum uirorum. quæ uerisimile est eum instituisse ad ea doctrinæ, pietatis ac uirtutum exercitia, quæ ipse peregrinationis usu addiderat. quorum collegiorum ipse ueluti communis doctor atque prœceptor fuit, tradens cœlestem doctrinam ex monumentis sacrarum Scripturarum, suis conuictoribus: & temporis quoque aliquid scriptionibus impendens. sicut idem Gennadius ait, ipsum simul & scribendi & uiuendi finem feciſſe apud Massiliam, Theodosio & Valentiniano regnantibus.

EVCHERIVS LVGDVnensis episcopus.

Eucherius Gallus fuit: id quod ex ipsomet constat. De Paulino enim Nolano dicit: Peculiare & beatum Galliæ nostræ exemplum, &c. in epistola parænetica. Lugdunum autem eius fuisse patriam, Petrus de Natalibus autumat: qui eum de genere Senatorio ortum, & in agro suo ad flumen Durentiam (seu uerius Druentium) in spelunca inclusum, Deo seruiuisse nugatur.

Temporibus Valentiniani secundi claruit, ut ex Gennadio liquet. Ad episcopatũ uerò quando peruenerit, non est certum. De occasione quidem, Petrus de Natalibus narrat, quòd clerus Lugdunensis & populus omnis, defuncto suo episcopo, triduanis ieiunijs & orationibus pro more diuinam uoluntatem requisierint, de subrogando alio pastore primario: ac tum per puerum quendam indicium factum, eligendum esse Eucherium senatorem: qua reuelatione, ut diuina, accepta, mittuntur ilicò ex clericis qui

dam,& archidiaconus, qui ipsum adducāt. At uerò Eucherius cognita aduentus ipsorū causa, cū nihil minus facturus esset quàm ipsorum obsequi petitionibus, imò spontè se inde egressurum nullo modo, sanctè deierasset, effringūt ipsi speluncæ ianuam, eumq; inuitum ac renitentem secum abducūt, episcopumq; suæ Ecclesiæ creant.

Præstantis autē, & non uulgaris eloquentię hominē fuisse, scripta ipsius loquuntur. In explicatione sacrarum literarum satis sincerus, dexter & expeditus fuit. Hebręæ quoque linguæ non fuit ignarus: ut apparet ex libro secundo in Genesin, capite decimoseptimo. De nomine enim Salem disputans, quòd non sit Hierusalem, ait: Nec refert utrum Salem uel Salim nominetur, cum uocalibus in medio literis perrarò utantur Hebræi, & pro uoluntate lectorum ac uoluntate regionum eadem uerba diuersis sonis atque accentib. proferant. Et talia quidē se ab eruditissimis gentis illius didicisse affirmat.

Scripta.

Scripta ipsius quæ extant, Basileæ in uno uolumine impressa in officina Frobeniana, hæc sunt:

In Genesin, Commentariorum lib. tres.

In Libros Regum, Commentariorum lib. 4. ad fratres episcopos Salonium & Veranium. Et hos numerat etiam Isidorus.

Formularum Spiritualium, liber 1. meminit Trithemius.

Quæstiones in uetus & nouum Testamentum.

Nominum Hebraicorum, ac aliorū etiam quæ in sacris literis habentur, interpretatio. numerat Trithemius quoq;.

Epistola parænetica ad Valerium cognatum suum, de contemptu mundi, cum scholijs Erasmi Roterodami. hanc & Gennadius recenset. Pręter hæc uerò commemorant authores etiam alia. De laude eremi luculentissimū ipsum composuisse opusculum ad Hilarium Arelatensem episcopum, Isidorus refert: atque idem addit, in multos libros sacros Eucherium commentaria edidisse, non minus necessaria quàm utilia.

Cassiani quædā opuscula fusius tractata, Eucherium in unius uoluminis breue compendium contraxisse, recitat Gennadius. Id uocat Trithemius Cassiani Epitomen.

Epistolarum ad diuersos, librū unum: addit Trithemius.

Vt autem de ipsius scriptis pro mediocritate nostra aliquid dicamus: apparebit Cōmentaria ipsius diligenter legenti, idem fecisse Eucherium, quod mulieres uterum gestantes, qui ut feliciorem de se sobolem gignant, intuentur subinde oculis fixis & uehementius in imagines exquisitè uenustas: id quod Lacedęmonijs ualde usitatum fuisse tradūt. Ad eundem planè modum Eucherius quoque, ut aliquid laude dignum effingeret, uidetur sibi duorum maximè præcellentium uirorum non informes proposuisse imagines, nimirū Augustini & Hieronymi: quorum imitatione, siue assiduo aspectu, penitioriq; contemplatione, suos sic informauit Commentarios, ut illis nihil sit uel doctius, uel absolutius. De eius scriptis Erasmus ad Amstelredamū, in præfatione quā Epistolæ paræneticæ præfixit, sic censet: Nihil uideo, inquit, profectum à nostræ religionis hominibus, qui eloquentię quoque gloria floruerint, quod cum huius phrasi sit conferendum. Vt nusquam non præstat egregiū artificem, siue spectes ordinē, siue transitus subinde nouos, siue non uulgarē ingressum, ueluti limen argumentationis. Nullam suasorij generis partem non tractat. nusquam desidet in locis communibus. magis urget & instat argumentis, mirè pungit epiphonematis: delectat iuxtà ac mouet sententijs. Quodq; magis etiam mirandum est, sic Isocratis schematibus moderata, structa, picturataq; est oratio, ut nusquam frigeat, aut ineptiat: sic arguta, ut interim neruosa: sic elaborata, ut tamen dilucida: sic noua, sed ut tædio careat affectationis: sic festiua, ut nihilo secius grauis ac seria: sic Rhetorica, ut γνησίως tamen Christiana. denique sic acris ac uehemens, ut sui tamen ubiq; similis, pari intentione ad extremū usque calcē properās, sani uidelicet uegetiq; ingenij argumentum.

Iam ad doctrinam ipsius.

De Scriptura rectè docet, esse diuinitùs inspiratam, sibimet cōsentientem, & eius scopum quasi esse Christum Deum & hominē. ita enim inquit: Per uiros misericordię, quorum pietati non defuerunt uires, unctione Spiritus sancti illustratos, diuini conscripti sunt libri. Item: Omnis scriptura Prophetica sibimet est consentanea, utpote uno Dei spiritu condita: in tertio libro Regum, capite uigesimosecundo. Item: Nisi unigenitus Dei filius incarnatus esset, Scripturæ sacræ profunditas non patêret. lib. 2. in Genesin, capite quadragesimo.

De Deo: Deū loco nō moueri dicit, quòd ubiq; sit totus semper. Dici tamen interdum descēdere, quum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiā quodammodo eius ostendit. lib. Genes. 2. capite 6.

De sacra Triade scribit: Trinitas unus est Deus, in cuius uisione cūcta spei nostrę desideria suspenduntur. lib. 3. Regum, cap. 8.

Patrem & filium tam natura quàm personis esse inseparabiles, tradit in Commentario in uicesimumprimum caput Genes.

his

his uerbis: Totus ubi est filius, ibi est & pater. Et nō potest esse pater sine filio, nec filius sine patre. Quia scilicet sicut inseparabiles sunt in natura, ita & inseparabiles in psona.

De Spiritu sancto in hanc docet sententiam: Spiritus sanctus est incommutabilis cum patre & filio. in librum nonum Regū, capite decimosexto. item in primum caput libri primi in Genesin dicit: Spiritum sanctū Deum, qui non loco contineatur aut distendatur, nec temporū mutationib. subiaceat, sed qui sit ubiq; præsens ac totus.

De Christi naturis utrisque & officijs recte & piè sanè scripsit: Melchisedech, Dei filio Domino nostro assimilatur. ipse est enim solus de patre sine matre genitus, per diuinitatem. Ipse de matre sine patre, per humanitatem. Iple quoque sacerdos æternus: ipse iustitia & pax, rex & sacerdos. Rex ex Deo patre, sacerdos ex uirgine matre: in Genesin libro secundo, capite decimooctauo. Item de redemptione humani generis: Christus posuit carnem suam moriendo in patibulo crucis pro Ecclesia. in caput uicesimumprimum in Genesin, libro 1. Item: Dominus noster IESVS Christus soluit inimicitias inter Deum & hominem in carne sua. lib. 3. Regum, capite trigesimosecundo.

De prædestinatione differit, nihil homini accidere fortuitum: Nulla, inquit, quæ in hoc mundo hominibus eueniunt, absque omnipotentis Dei occulto cōsilio fiunt. Nam cuncta Deus futura præsciens, ante secula decreuit, qualiter per secula disponantur. Statutum quippe iam homini est, uel quantum hunc mundi ꝓsperitas sequatur, uel quantum unumquemque aduersitas feriat, ne electos eius aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Statutum quoque est in æterna ueritate, quantum in ista uita mortali unusquisque temporaliter uiuat. In quartum librum Regum, capite decimooctauo.

De creatione inquit, rerum originem simul creatam esse, sed simul specie formatam non esse. Et quod simul extiterit per substantiam materiæ, non simul apparuisse per speciem formæ. in caput undecimum libri primi Geneseos.

De hominis conditione docet, hominem ad imaginem & similitudinem Dei esse conditum: sed interiore homine esse imaginem conditoris sui: & imaginem quidem esse in immortalitate, similitudinem in moribus. in libro primo, capite octauo in Genesin. Item: Cum homo per superbiam Deus esse appetijt, usque ad beluarum mortalitatem deiectus est. in libro primo Geneseos, capite trigesimo.

De libero arbitrio hæc ipsius est sententia: Deum in ipsis hominum uoluntatibus facere quod uelit, & cum uelit. libro quarto Regum, ante initium primi capitis.

De peccato hanc tradit sententiam: Nulli in hac uita commoranti, tribui ut sit absque peccato. id siquidem donum futuræ uitæ beatitudini reseruasse Deum. in librum tertium Regum, capite uicesimoseptimo.

Item: Ex pœna peccati euenisse homini, ut sua ipsius ei rebellis esset caro: quia ipse rebellis extiterit creatori suo, in actibus suis. in caput uicesimumtertium libri secundi in Genesin.

De lege docet, sine gratia eam impleri non posse. in primo libro Regum.

De discrimine ueteris & noui Testamenti dicit: In Testamento ueteri adumbrari nouum. in caput uicesimumsextum Genesis, libri secundi.

De iustificatione mediocriter certè & satis commodè dicit: Deus dat homini iusticiam, qui solus est iustus ac iustificans. in primum librum Regum, capite secundo.

Item: Hoc autem peruersum uidetur peruersis, quòd confitentes peccata sua saluos facit. libro secundo Regum, capite decimo.

Item: Rectam fidem sanctis ad iusticiam deputari, scribit capite decimooctauo in librū primum Regum.

De bonis operibus sic tradit: Vnusquisq; ergo nostrûm primo conuertitur à peccato, & ex conuersione generantur opera iusticię. capite primo, in primum librum Regum.

Item: Sed non sufficit præteritorū remissio peccatorum, si non quisque bonis deinceps insistere studuerit operibus. libro tertio Regum, capite uicesimoprimo.

De pœnitentia rectè, piè & perspicuè confitetur, si qui à fide uel bonis operibus ad mendacia sua desideriaq; labentur, non despicere tamen Deum illos, sed etiam adhuc ut redeant, ad pœnitentiam uocare. Quia nolit Deus mortem peccatoris: ac propterea non esse desperandum quibusuis peccatoribus. in Genesin libro primo, capite uicesimooctauo.

Baptismum nominat salutare lauacrum, quo membra summi sacerdotis efficiamur, quodq; nos in fide sacrosanctæ passionis eius à peccatorum omnium labe purificet, ac purificatos ad uisionem gloriæ ipsius perennis intromittat. libro tertio Regum, capite uicesimoprimo. Asserit etiam Spiritum sanctum non solùm Apostolos, sed cunctos credentes per lauacrum regenerationis in Dei sacrificium absumere, & sanctificare. in libro quarto Regum, capite sexto.

De clauium quoque potestate piè docet, Apostolis & Apostolicis uiris datas esse claues regni cœlorum, qui accepta à Domino

potestate

poteſtate ligandi atque ſoluendi, dignos intra regni ianuam admittat: contumaces uerò, impuros ac ſuperbos excommunicando, uel anathematiſando, ab ingreſſu uitæ perennis eliminent. in librum tertium Regum, capite decimoſeptimo.

De ſacrificijs in genere egregiè meminit, acceptiſsima Deo eſſe ſacrificia, iuſticiã & miſericordiam. in epiſtola Parænetica.

Eccleſiam conſtrui à Chriſto ex omnibus gentibus in ęternum uicturis, eamq́; ſaluam fieri per lignum in quo pependerit mediator Dei & hominum: refert in libro primo Geneſis, capite quadrageſimoprimo. Item libro tertio Regum, capite ſeptimo ait: Eccleſiam per orbem dilatatam una eademq́; fide & ueritatis catholicæ ſocietate conſiſtere.

Chriſti regnum ſpirituale eſſe, ſentit libro primo Regum, capite duodecimo & decimoquinto: Populus Iſrael regnum adeptũ fuerat amiſſurus, Chriſto per nouum Teſtamentum non carnaliter, ſed ſpiritualiter regnaturo.

De cruce narrat, his à quibus recipiatur Chriſtus, diabolum inducere tribulationes & mortem. in librum primum Regum, capite 23. Item: Eccleſiam ſanctam dicit in exilio huius peregrinationis patienter aduerſa quæq; tolerare, donec ad patriã quam expectat perueniat. in librũ 3 Regum, cap. 8.

De coniugio egregiam hanc & ſanctam profert ſententiam: Illa, inquit, benedictio nuptiarum, primorum hominum, ut creſcerent & multiplicarentur, quamuis & delinquentibus manſerit, tamen antequam delinquerent, data eſt: ut cognoſceretur procreatio filiorum ad gloriam cõnubij, non ad pœnam pertinere peccati. in Geneſin libro primo, capite decimooctauo.

De loco animarum ait, ibi eſſe ſpiritus defunctorum, ubi non uideant quæcunque aguntur aut eueniunt in iſta uita hominum. in libro 4 Regum, cap. 31.

De reſurrectione inquit: Per fidem & myſteria noſtri redemptoris, de præſenti Eccleſię cõuerſatione ad requiem animarum poſt mortẽ aſcendimus. Rurſumq́; de requie animarum: Adueniente die iudicij ad immortalitatem quoq; corporũ, quaſi in tertium cœnaculũ ſublimiore profectu penetrabimus, ex quo magna amborum corporis & animæ beatitudine perpetua uiuemus, &c. in libro tertio Regum, capite decimo.

De extremo iudicio ita tradit, ut præſentẽ mundum, qui per metas temporũ uoluitur, in ſua extremitate à Domino iudicandum aſſerat. in tertium librum Regum, capite 33.

Vitæ æternæ quaſi ſtatum adumbrat his uerbis: Quia nimirũ ita nos in illa patria diuinæ præſentia claritatis adimplet, ut nihil aliud uiſus noſter, nihil auditus, nihil olfactus, nihil guſtus, nihil tactus dulce habeat, niſi diligere Dominũ Deũ noſtrũ ex toto corde, tota anima, tota uirtute, & proximũ tanquam nos ipſos. In libro tertio Regum.

De æternis pœnis ad hũc modũ loquitur: In nouo Teſtamento pœna inferorũ gehenna cognominatur, quia nimirũ ſicut in conualle Ennon, qui idolis ſeruierunt, in ea perierunt: ita peccatores ex his quæ peccauerunt, ęterna damnatione puniuntur. libro 4 Regum, capite 31.

De Antichriſti tyrannide egregiè ac diſertè præmonet, ipſum aduerſum piorum uitã gemina uſurum armatura, morſu uidelicet peſtiferæ doctrinæ, & cornu poteſtatis. lib. 3 in Geneſin, cap. 49.

Poſtremò de mũdi philoſophia ita tradit, ut eam legi Dei neq; cõtrariam in omnibus, neq; conſonam prorſus dicat. libro 2 in Geneſin, capite 51.

Næui & opiniones uel minus commodæ, uel ex quibus doctrinæ certitudo haberi non poteſt.

¶ In creatione loquens de diuiſione lucis à tenebris, lucem interpretatur bonos angelos, tenebras malos ab alteris ſeparatos. additq́;: Quia Deus pręſcierit quoſdam per ſuperbiam caſuros, ideo per incommutabilitatem præſcientiæ ſuæ diuiſiſſe inter bonos & malos. Amplius addit, à Deo factos angelos ante omnem creaturum, quia prior omniũ ſit creata ſapiẽtia. Eosq́; propterea dici ſapientiam, quia æternæ ſapientiæ inhęreant. in Geneſin capite 2 libri 1.

De Angelis item dicit, illos leuitate ſpiritalis naturę eſſe pręditos, ita quidem ut ubicũque uoluerint, ſtatim quaſi uolando perueniant: & cum alis olim figuratos, & prophetis oſtenſos. in librum Regum tertium, capite decimoquinto.

In articulum iuſtificationis uidetur hæc eius ſententia impingere: Ea fide in fonte uitæ lauamur, ut per opera iuſticiæ ad uitam mereamur intrare æternam. in librũ Regum tertium, capite uiceſimoſecundo. Item: Quicunque utriuſque Teſtamenti plenitudinem cuſtodiunt, æternæ ſalutis pręmium conſequuntur, ac per legis conſummationẽ & Euangelij plenitudinem ad uitæ æternæ beatitudinem tranſeunt. in librum Regum quartum, capite uiceſimooctauo.

De operibus non incommodè modò, ſed etiam perplexè eſt hoc dictum: Prophetia ſine charitate, non perducit ad regnum Dei: charitas uerò ſine prophetia, utique perducit. in librum Regum nonum, capite 21.

In pœnitentia uidetur aliquid tribuere ſatisfactioni, in hoc dicto: Per panem ſubcinericium (uiduæ Sareptanæ) quem ſibi uerus Helias,

Helias, Dominus noſter, nationum Eccle-
ſiam præcipit exhibere, quid aliud accipien-
dum eſt, niſi pœnitentium ſatisfactio? idi-
ipſum Pſalmographo ſub perſona pœnitẽtis
canente, cum dicit: Quia cinerem ſicut pa-
nem manducabã, & potum meũ cum fletu
temperabam. His enim ſatisfactionibus Do
minus ſe paſci hortatur. in librũ Regũ quar-
tum, capite quinto. Item paulo pòſt: Poſt-
quam enim quis fidelis priſtinis uitijs per
pœnitentię ſatisfactionẽ ſua mortificauerit.

De ſacramenti Euchariſtiæ uero uſu, ſi
rectè ſenſit, minus tamen commodè & hu-
ius ſeculi more locutus eſt: Sed, inquiens,
oblationem panis & uini, id eſt, corporis &
ſanguinis eius ſacramentum, in ſacrificium
offeramus. Ibi quippe primùm apparuit ſa-
crificium, quod nunc à Chriſtianis offertur
Deo, toto terrarum orbe. In Geneſin libro ſe
cundo, capite decimooctauo.

De oratione expreſsè ſcribit, pro mortuis
Deo ſupplicari: capite trigeſimoprimo, in li-
brum Regum quartum.

De animarum ſtatu poſt hanc uitam, eſt
hæc eius opinio, quam recitat de hiſtoria La
zari in librum Regum quartum, capite tri-
geſimoprimo ſic inquiens: Proinde faten-
dum eſt, neſcire quidem mortuos quid hic
agatur: poſtea uerò audire ab eis qui hinc ad
eos moriendo pergunt, non quidem omnia,
ſed quæ ſi nuntur indicare: & illa tantum
meminiſſe, quæ illos quibus hæc indicant,
oportet audire. Poſſunt & ab angelis, qui re-
bus quæ aguntur hic præſtò ſunt, audire
aliquid mortui, quidquid unumquenque
illorum audire debere iudicat, cui cuncta
ſubiecta ſunt. Item: Poſſunt etiam ſpi-
ritus mortuorum aliqua quæ hic agantur,
quæ neceſſarium eſt eos noſſe, non ſolùm
præſentia uel præterita, uerùm etiam fu-
tura, ſpiritu Dei reuelante cognoſcere. Si-
cut non omnes homines, ſed Prophetæ,
dum hic uiuerent, cognoſcebant. nec i-
pſi omnia, ſed quæ illis eſſe reuelanda, Dei
prouidentia iudicabat. Item dicit, mit-
ti quoque ad uiuos, aliquos ex mortuis,
ſicut econtrariò Paulus ex uiuis in paradi-
ſum raptus ſit: idque ex Scriptura confir-
mari uult, uidelicet exemplo de reſuſci-
tato Samuele. de quo tum addit, eſſe non-
nullos qui exiſtiment, non fuiſſe Samue-
lem, ſed malignum aliquem ſpiritum, ipſius
ſimilitudinem figuraſſe. libro quarto Regũ,
capite trigeſimoprimo.

¶ Cæterùm non tantum ſacras literas di-
ligenter legit, ſed etiam aliorum Eccleſia-
ſticorum, tum ſui temporis, tum priorum
ſcripta. nam ſubinde eorum ſuis in ſcriptis
mentionem interſerit. Ac de Hieronymo
quidem, ac Auguſtino, iam antè diximus,
quòd præ ceteris omnibus hos ſibi imitan-
dos propoſuerit, ut qui alijs antecellant.
Nunc de alijs dicemus. Theodotionis, A-
quilæ & Symmachi interpretũ meminit li-
bro primo in Geneſin, capite trigeſimoſe-
cundo, & alibi. Origenem citat eodem li-
bro, numero quadrageſimo. Euſebium li-
bro ſecundo in Geneſin, capite decimoter-
tio. Gregorij papæ Moralium mentionem
facit in fine libri primi in libros Regum.
Caſsiodorum citat libro tertio, capite deci-
mooctauo in libros Regum. Iohannis Con-
ſtãtinopolitani epiſcopi meminit libro quar
to, capite trigeſimoprimo in libros Regum.
Ibidem & carminis Sedulij de aſcenſu He-
liæ mentionem facit. Auguſtinum & Pau
linum, monachos, nimirum in Britanniam
miſſos à Gregorio Romano epiſcopo, ad
gentem eam conuertendam: libro tertio, ca-
pite uiceſimoſecundo in libros Regum. Me
minit & Cypriani martyris: item Dionyſij
Areopagitæ. & hunc quidem dicit melius
potuiſſe confutare falſa Ethnicorũ dogma-
ta, quàm ipſum Paulum, eo quòd ex genti-
liſmo conuerſus, nouerit cuncta eorum ſe-
creta, ſuperſtitiones, argumenta & ſyllogiſ-
mos. libro tertio, capite quarto in libros Re-
gum. Clementem Apoſtolorum principis
(Petri nimirum) ſucceſſorem dicit, ex uetu-
ſta ſenatorum proſapia & ſtirpe Cæſarum
ortum, omni ſcientia refertum, omniumq;
liberaliũ artium peritiſsimum fuiſſe. in epi-
ſtola parænetica ad Valerianum.

Meminit item Gregorij è Ponto (Neocę-
ſarienſis, putat Eraſmus) item alterius Gre-
gorij, eiuſdemq; familiaris Baſilij (ambiguũ
eſt, utrum de Gregorio Nazianzeno, an uerò
de Niſſeno Baſilij fratre loquatur) item Pau
lini Nolani, Hilarij (Euagrij legendũ putat
Eraſmus) & in Italia Petronij ſuo tempore.
Item Firmiani, (Lactantij ſcilicet) Minutij
cuiuſdam, cui Felici cognomẽ tribuit Eraſ-
mus: Hilarij, Iohannis (Antiocheni presby-
teri, Eraſmus) Ambroſij: in eadem illa paræ-
netica epiſtola.

Non ſolùm autem Eccleſiaſticos uerſauit
ſcriptores, ſed etiam Iudaicos & Gentiles. Io
ſephi enim crebrò meminit in libros Regũ
libro ſecundo, capite duodecimo, & aliàs
ſæpe. Herodoti & Beroſi, Chaldaicarum
rerum ſcriptorum: libro quarto, capite uige-
ſimoſeptimo in libros Regũ. Quintiliani,
item Hippocratis. mẽtionem habet libro ter
tio, capite quinto in Geneſin.

Gennadius mortuum ſcribit Marciani &
Valentiniani temporibus. Quàm uerò id ſit
ueritati conſonum, non immeritò dubitari
poteſt. Ipſe ſiquidem Eucherius libro tertio,
cap. uigeſimoſecũdo, diſertè indicat, uixiſſe
ſe paulo poſt Gregorium Romanum ponti-
ficem,

ficem, qui Augustinum & Paulinum ad Britannos, illius insulæ populos in fide instituendos misit: qui eius nominis fuit primus, & Magnus dictus communi scriptorum cõsensu: quẽ sub Mauricio Imperatore ad Ecclesiæ gubernationem uocatum, & sub Phoca Mauricij parricida Romanam adhuc gubernasse ecclesiam, non tantum scriptorum consensus probat, sed ipsius propria etiam scripta testantur. Quomodo igitur hæc conuenient, ut Eucherius unus & idem clarus fuerit sub Valentiniano, qui circiter annum quadringẽtesimum quinquagesimumquintum interfectus, in uiuis esse desijt, iuxta Marianum & Palmerium? Et rursum superuixerit Gregorio, Phocæ temporibus, qui demum sub annum Christi sexcentesimum ac tertium, aut quartum, ad Imperium peruenit: cum sit interuallum centum annorum & quinquaginta ferè? Eius Lectorem hic commonefacere uoluimus. Petronio Italiæ, Bononiensium nimirum episcopo, se fuisse coætaneum, ipsius uerba testantur, cum dicit: Et in Italia nũc antistes Petronius, &c. in epistola parænetica ad Valerianum cognatum. Saluiano fuisse synchronum, & ex studiorum similium sacris arctissima amicitia coniunctum, Brasicanus in præfatione refert. Meminit Eucherij cuiusdam Gallię doctoris excellentis, & sibi coętanei, libro secundo, capite decimo, etiam Claudianus Mamertus de statu animæ: nunquid autem hic iste sit, affirmare non possumus.

PATIENS.

Patiens Lugdunensium episcopus, ut Sidonius libro secũdo, epistola ad Hesperium refert: inspectionem & curam Ecclesiarum uicinarum gessit, & in Cabillionum oppido cum alijs prouincialibus episcopis pastorẽ ordinauit. Sidonius epistola ad Dumnulũ, libro quarto. Idem commendat eum à sedulitate & diligẽtia in ministerio, quòd Barbarorum mẽtes mansuetiores reddiderit, & ex profundis tenebris ad summam ueritatis lucem adduxerit assiduitate cõcionũ: & quòd non modò Lugduni templũ extruxerit, sed etiam aliàs autor fuerit, ut potius noua struerẽtur ędificia, quàm uetera repararẽtur. Deinde à beneficentia erga pauperes. nam cum Gothicæ uastationes rerum omnium, ac prę sertim annonæ, extremam penuriam ac famem maximã creassent per Galliarum prouinciam, Arelatensis, Regiensis, Auenniacæ, Arausionensis, Albensis, Valentinę & Tricastinæ urbium, sed & Aruernensis, misericordiæ affectu tactus horrea sua aperuit, & fame cõtabescentib. populis succurrit, missis passim per loca illa frumẽtis. Ob insignem eam & meritò celebrandam pietatem indignum ratus Sidonius, cum ijs eũ componere, quos in hoc genere Ethnici commendant, cum Iosepho patriarcha ipsum confert: & suæ ciuitatis nomine, Aruernensis uidelicet, ei pro sua ista summa beneficentia immortales gratias agit. Insignis huius pietatis Patientis meminit etiam Turonensis, capite uigesimoquarto libri secundi. Tertiò celebrat eius sanctitatem & continentiá. Epistola ad ipsum libro sexto. Ad doctrinam eius quod attinet, hoc saltem affirmare possumus, cum cum Fausto sensisse de libero arbitrio: ut patet ex subscriptione Epistolæ illius ad Lucidum, quæ inter Orthodoxographa extat.

RVSTICVS LVGDVnensis.

Rusticus cum adhuc laicus esset, & priuatus, uita egit sacerdotem: ad officia uerò politica adhibitus, Ecclesiæ gubernationem sedulò promouit: & tandem episcopus Lugduni factus est, cum isthic aulam haberet Gundobaudus Galliæ rex. Epiphanium Ticinensem pro captiuis Liguribus legatum, officijs quibus potuit adiuuit, ut testatur Euodius in uita Epiphanij Ticinensis.

EVPHRONIVS.

Euphronius alicubi in Gallijs episcopus, collega fuit metropolitani Lugdunensis, nomine Patientis, ac cum eo in oppido Cabillionum Ioannem episcopum ordinauit: ut patet ex epistola Sidonij ad Dumnulum libro quarto. Et cum Sidonius Bituricas euocatus esset, ad creandum alium gubernatorem, sine eius consensu hoc muneris sibi sumere, minimè decere arbitratur: sed prius ipsi negocium significans, eius consilium flagitat, & quid ipse decernat faciendum, in eo se obtemperaturũ. epistola ad ipsum, libro septimo. Et tota sanè Epistola illa ostendit, quòd reuerenter Sidonius Euphronium obseruarit. Extat ad eundem etiam alia Sidonij epistola libro nono, ex qua apparet, quòd Sidonio Euphronius iniũxerit genus quoddam scriptionis, quod ipse tamen pro sua modestia recusarit. Epistolæ Fausti ad Lucidum subscripsit: quod argumẽto est, ipsum quoq; eius erroris de libero arbitrio fuisse participem.

CLAVDIANVS MAmertus.

Claudianus Mamertus ex nobili familia natus est. Adon Viennensis ętate sexta, sub Iustino iuniore, In adolescentia, Græca & Latina didicit, & in sacris literis multum profecit: ut ex Sidonij epistola ad Apium, & epitaphio, libro quinto colligi potest. In utroque genere orationis, soluto scilicet & ligato, excelluit: ut testatur Sidonius in epistola ad Nimphidium, quæ est secunda in libro quin-

bro quinto. Episcopus Viennensium creatus est à Paschasio quintus, ut ex Adonis ætate sexta constat. Sidonius libro quarto, epistola ad Petreium indicat, fratrẽ eius natu maiorem fuisse Viennę uerũ episcopũ, sed Mamertum collegam & coepiscopũ eius sustinuisse onus gubernationis.

De ipsius excellenti doctrina & summa eruditione in omni disciplinarum genere, multus est Sidonius. Posteaquam enim eũ contulisset, in sua cuiusque professione, cum excellentibus disciplinarum artificibus Græcis, nimirum cum Orpheo, Aescu-lapio, Archimede, Euphrate, Perdice, Vitruuio, Thalete, Athlante, Zeto, Chrysippo, Euclide: deinde & cum Philosophis & Oratoribus Græcis pariter & Latinis comparasset, Pythagora, Socrate, Platone, Aristotele, Aeschine, Demosthene, Hortensio, Cethego, Curione, Fabio, Crasso, Cæsare, Catone, Appio, Tullio. tandem etiam ad Ecclesiasticos scriptores descendit, quibus ut eum singulis in suo quoque genere æquiparet, attexit: Instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius, astruit ut Augustinus, attollitur ut Hilarius, summittitur ut Iohannes, ut Basilius corripit, ut Gregorius consolatur, ut Orosius affluit, ut Ruffin⁹ stringitur, ut Eusebius narrat, ut Eucherius sollicitat, ut Paulinus prouocat, ut Ambrosius perserat. Et res certè ipsa loquitur, summæ eruditionis & ingenij fuisse uirum, & immensæ lectionis: qui & gentilitatis & Philosophorum, ac præterea Ecclesiasticorum autorum innumerabiliũ indefatigabili studio lectitarit scripta, magno cum iudicio. Sitionem faciens, de singulis breuem, uno interdum addito epitheto, censuram fert. utq; de Ethnicis sileamus, citat Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Hilarium, & alios.

Vir equidem fuit prouidus, prudens, doctus, eloquens, acer, & hominum, æui, loci, populi sui ingeniosissimus, quiq; indesinenter salua religione philosopharetur: & licet crinem barbamq; non pasceret, pallium & pallam nunc irrideret, nunc etiam execraretur: à collegio tamen Platonicorum solo habitu & fide sociabatur, &c. Sidonius in epistola ad Petreium, libro quarto. Frequentes ad eum homines studiosi conuenerunt, quos disputationibus exercuit. Ac eum omnes actiones suas ad publicam utlitatem retulisse, idem testatur in epistola ad eundem libro quarto, inquiens: Proinde nihil uidelicet, profectò nihil est, tam infœcundũ actionum tuarum omnium, quod uni soli tantum, & non alijs quoq; multis tecum uberem fructum ferat.

Extant eius de animæ statu tres libri ad Apollinarem Sidonium scripti, cum duabus epistolis: una in libri fronte nuncupatoria, altera in fine, qua libros ipsi Sidonio emendandos offert. Et hos sanè libros rectè ei adscribi, uel Sidonij testimonio manifestum est, qui epistola libro quarto ad ipsum (quæ etiam libris illis in Orthodoxographis adiuncta est) agnoscit ipsum eorundem authorem, & sibi quoque addito proœmio nuncupatos inquiens: Adstipulatur iudicio meo uolumen illud, quod tute super statu animæ, rerum uerborumque scientia diuitissimus propalauisti: in quo dum ad meum nomen proœmiaris, &c. Ex eadem epistola apparet, ipsum etiam hymnum quendam edidisse. nam de illo suum, quid sentiat, iudicium profert: id quod Mamertus uidetur flagitasse. Trithemius Epistolarum quoque librum ipsum, & quędam etiam alia scripsisse meminit. Quid autem de utroque istorum scriptorum sentiendum sit, eiusdem Sidonij in eadem epistola luculenta extat censura. Epistola quoque ad Nimphidium, quæ est secunda libri quinti Sidonij, parcè quidem, sed tamẽ egregiè, ijdem libri commendãtur. Librum de statu animæ tribus uoluminibus illustrem, Mamertus Claudianus peritissimus Christianorum philosophus, & quorumlibet primus eruditorum, totis sectatis philosophiæ membris, artibus, partibusque comere & excolere curauit, nouem quas uocauit Musas, disciplinas aperiens esse, non fœminas.

Dogmatica Claudiani.

¶ Christum uerum hominem, & uerum Deum, ex duplici substantia, in una persona esse, & nostrum pontificem, apud diuinitatem summę Trinitatis agere, docet libro primo De statu animæ, capite tertio. Item, animam eius ad inferos adeundo & redeundo referasse infernum: libro tertio de statu animæ, capite decimotertio.

Deum omnes creaturas, corporeas & incorporeas, ex sola bonitate creasse, indicat libro primo, capite quarto & quinto, de statu animæ.

Hominem ad imaginem Dei, secundum animam quæ incorporea est, conditum esse, docet libro primo, capite quinto.

Neminẽ ad patrem uenire, nisi per Christum, & nisi eum quem pater attrahat, effundendo Spiritum sanctum in corda credẽtium: libro primo de statu animæ, capite uicesimosexto.

Animam non esse corpus, contra Fausti opinionem docet libro tertio, capite decimosexto: Quia Deus, cuius imago est homo, sit

incorporeus, & quia omne illocale sit incorporeum. Animam autem illocalem esse, inde probat, quia in omnibus membris corporis uiuentis agat, & tam magna sit in toto, quàm in aliquo: & quòd ratiocinatio, quę illocalis, ei insit substantialiter: & quòd uolũtas sit substantia animæ, quæ non possit esse corp⁹: & quòd memoria, quæ pars sit animę, non sit corporalis, &c.

Infernum corporeum non esse quærendum dicit, cum ipsum sepulchrum Domini sit locus inferni. libro tertio de statu animæ, capite decimotertio.

Certamina.

¶ Non est dubium quin sese opposuerit etiam hæreticis, & corruptelis ueræ doctrinæ. Nam in illis tribus libris de statu animę, dimicat contra quendam, qui suppresso suo nomine scriptũ quoddam ediderat, in quo astruere cupiebat, Animam esse corp⁹. Quod ipse confutat, & dogma illud penitus explodendum, grauiter monet. nam eius sentẽtiæ assertores moliri, ut diuinitas passibilis credatur: libro primo, capite tertio. Istius autem scripti autorem, cui se opponit, Faustum esse uolunt, & ipsum Gallicanum episcopum. Et quidem istud scriptum quod confutãdum suscepit Mamertus, esse illud ipsum uidetur, quod in Orthodoxographorum uolumine eam confutationem antecedit, titulo de Creaturis, quòd illis nihil incorporei insit, & Fausti etiam inscriptionem gerit. De quo tamen dubitari potest, si conferantur inter se initium istius scripti, quod Fausto tribuitur, & ea quæ in tertio capite primi libri Mamerti proferuntur. Libro secundo, capite decimo dicit, quosdam eò usque prolapsos, ut extraneos malint cum falsitate præeligere, & Eucherium cum ueritate damnare: se uerò malle cum Eucherio reijci, quàm cum istis à ueritate damnari.

Celebratur passim à scriptoribus, quòd in maximis periculis urbis suæ, ueluti σωτὴρ quidam & conseruator extiterit: idque præsidio nullo alio quàm oratione, fletu, ieiunijs, & litaniarum seu processionum ritu instituto. Cuius rei perspicuum maximè testimonium præbet, illa aliquoties iam memorata Sidonij ad ipsum Mamertum prima libri septimi epistola. Ad amplius testimonium facit, quòd de occasione & institutione litaniarum, ac ista insigni liberatione prolixè enarrat etiam Alcimus Auitus, in peculiari homilia de festi Rogationum prima institutione: Et quidem terrorum temporis illius causas multos nostrũm adhuc recolere scio. siquidem incendia crebra, terræmotus assidui, nocturni sonitus, cuidam totius urbis funeri prodigiosum quiddam minitabantur. Nam populosis hominum conuentibus domestica sylueſtrium ferarum species obuersabatur: Deus uiderit, an ludificans oculis, an adducta portẽtis. Quicquid tamẽ ex ijs duobus foret, perinde monstrosum intelligebatur, seu sic ueraciter immania bestiarum corda mansuefieri, seu tam horribiliter conspectibus territorum fallæ uisionis phantasmata posse confingi. Inter hæc, diuersa uulgi sententia, dispariumque ordinum uariæ opiniones: alij quòd sentiebant dissimulando, quæ fletui nolebant dare, casui dabant: alij spiritu salubriore, abominabilia noua quæque congruis malorum proprietatis significationibus interpretabãtur. Quis enim in crebris ignibus, ignes Sodomiticos non timeret? Quis trementibus elementis, aut decidua culminum, aut diſrupta terrarum imminere non crederet? Quis uidens, certè uidere se putans, pauidos naturaliter ceruos, per angusta portarum usq; ad fori lata penetrantes, non imminentem soli tudinis sententiam formidaret? Quid multis? Tracta sunt hæc inter timores publicos, & rumores priuatos, usque ad imminentem uigiliarum solẽnium noctem, qua celebrari festum Dominicę resurrectionis annua consuetudo poscebat: siquidem hanc omnes laborum opem, malorum finem, metuentium securitatem, communibus animis operiebãtur. Affuit igitur nox illa uenerabilis, quę ad spem publicæ absolutionis uotiuum solennę patefecerat. Sed mox illic multo uehemẽtior strepitus ictu flagelli grauius ferientis intonuit, utpote quem iam emẽſis gradibus superlatiuũ nihil sequi aliud quàm gladius intelligeretur. Ædes namq; publica, quæ pręcelso ciuitatis Viennensium uertici sublimitas in immensum fastigiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur itaque nuncio discriminis iucunditas solennitatis, pleno timoribus populo Ecclesia uacuatur. Omnes namque simulem facultatibus uel domibus proprijs casum de quadam pręminentis incẽdij arce metuebant. Perstitit tamen coram festiuis altaribus inuictus antistes sanctus Mamertus, & calorem fidei suæ accendens flumine lachrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Igitur desperatione depositа reditur ad Ecclesiam, & restincta flammarum luce clarescit luminum pulchritudo. Ex huius liberationis occasione, ceu gratiarũ loco instituit annuam deinde celebrandarum supplicationum festiuitatem triduo, quod inter Dominicæ Ascensionis & diem Dominicum interiectum est, sicut in sequentibus Alcimus exponit.

Familiaritatem

Familiaritatem habuit cum Sidonio, ut patet ex literis eius in quarto libro: in quibus expostulat cum Mamerto, quòd rarius scribat. Cum Eucherio amicitiam priuatis disputationibus sibi conciliauit: ut memi nit libro secundo, capite uigesimo. Salui anus Massilienſis ei dedicauit librum, teſte Gennadio. Et hæc quidem de Mamerto. Qui quamdiu in gubernatione fuerit, aut quando ex hac miseriarum ualle emigrauerit ad cœlestia, incertum. Sub Theodosio iuniore clarum ipsum fuisse, & ea quæ de ista per eius preces liberatione recitauimus accidisse, meminit Iuo in suo Chronico. Adon Viennensis sub duos eum Imperatores reijcit, Marcianum & Leonem, ætate sexta: neque id, quantum conijci potest, temerè prorsum. Nã & Martini Chronicon, sub Leone, ab ipso Letanias institutas narrat Verum Adon quasi oblitus priorum, postea rursum in Imperatore Iustino minore clarum ipsum fuisse dicit. Quòd si rectè dicit, fuit eius curriculum longissimum: quomodo tamen hoc fieri potuerit, non uidemus, cum ab initio Anastasij primi Imperatoris Auitum Viennensem clarum fuisse scribat: qui tamen Auitus, uel suo proprio testimonio, tertius à Mamerto eius Ecclesiæ gubernator extitit, patre nimirum Auiti inter se & Mamertum successore intermedio, ut Auitus ipse commemorat in epistola de prima Litaniarum institutione, quę suis opusculis in fine est adiecta. Fortè & Salonius intermedius fuit, ut pòst dicetur. Ante Sidonium decessisse, dubium non est. Extat enim Sidonij funebris epistola, qua eius obitum plangit, lib. quarto ad Petreium. cui adhæret Epitaphium, quod eidem posuit, eiusmodi:

Germani decus & dolor Mamerti,
Mirantum unica gemma episcoporum,
Hoc dat cespite membra Claudianus.
Triplex bibliotheca quo magistro,
Romana, Attica, Christiana fulsit.
Quam totam monachus uirente in æuo
Secreta bibit institutione.
Orator, Dialecticus, Poeta,
Tractator, Geometra, Musicusq;
Doctus soluere uincla quæstionum,
Et uerbi gladio secare sectas,
Vi quæ catholicam fidem lacessunt.
Psalmorum hic modulator & phonascus,
Ante altaria fratre gratulante,
Instructas docuit sonare classes.
Hic solennibus annuis parauit,
Quæ quo tempore lecta conuenirent,
Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce leuans episcopali.
Nam de pontificis tenore summi,
Ille insignia sumpsit, hic laborem.
At tu quisq; doles amice Lector,
De tanto quasi nil uiro superstit:
Vdis parce genis rigare marmor,
Mens & gloria non queunt humari.

Quinto idus Maij obdormiuisse, Petrus de Natalibus refert, libro quarto, capite centesimo quinquagesimo secundo.

ISITIVS VIENNENSIS.

Isitius Senatorij ordinis homo, ad episcopatum ecclesię Viẽnensis uocatus est, & successit Mamerto, ac fuit sextus à Paschasio. Episcopus coniunx fuit, & pater Auiti, ac usque ad Zenonis tempora floruit: teste Adone Viennensi, ætate sexta, in Marciano.

SALONIVS VIENNENSIS.

Salonium Viennę ciuem, aut Ecclesię ministrum fuisse, ex epistola Sidonij ad eundem, quæ libro septimo extat, apparet. Saluianus in præfatione in libros de prouidentia Dei, episcopum eum nominat: inscriptiones elucubrationum eius illum Viennensem episcopum uocant. Verùm apud alios scriptores qui Catalogos illustrium uirorum conscripserunt, is titulus non reperitur. uidetur Isitio successisse. Extant inter orthodoxographa duo eius scripta: Explicatio parabolarum Salomonis, & explicatio Ecclesiastis, utrumque in modum dialogi, ipso Salonio & Veranio fratre interlocutoribus.

Amicitiam cum Eucherio coluit: ut patet ex Eucherij epistola ad ipsum, & fratrẽ eius. Saluiano Massiliẽsi charus etiam fuit: quod testatur dedicatio libri de prouidentia Dei. Aranſicensi conuentui interfuit, circa annum Domini quadringentesimum quadragesimumquartum, iuxta Prosperum.

Dogmatica Salonij.

¶ De sacra Scriptura sentit, neminem debere aliter interpretari q, uàm iuxta autoris intentionem. In Prouerbia Salomonis.

Diuinitatis arcana, & mysteriorum cœlestium secreta, nimis scrupulosè inquirere uetat, cũ penetrari & intelligi ab homine in hac uita nõ possint. In Prouerbia Salomonis.

De Christo filio Dei docet, explicans uerba Salomonis, Sapientia sibi domum ędificauit, quòd in utero uirginis ipse hominẽ creauerit, quẽ in unitate suę personę assumpserit. Ac eũ perfectũ Deũ & hominẽ appellat, Dialogo primo in Prouerbia Salomonis.

De libero arbitrio & electione rectè eum sensisse, ex hoc dicto colligi potest: Sãcti & electi uiri opera sunt Domini. quia nemo sua uirtute, nemo suo merito electus est à Domino ut cœlesti ędificatione esset aptus, sed sola gratia & misericordia ipsius. Dialogo primo in Prouerbia Salomonis.

De peccato sentit, quòd alia sint leuia, alia atrocia delicta, & quòd nullus Sanctorum sine peccatis fuerit: Dialogo primo in Prouerbia Salomonis.

In baptismo nos filios Dei fieri per fidem, & adoptionem percipere. Dialogo primo in Prouerbia Salomonis.

Ecclesiam catholicam ideo mulierem fortem dici affirmat, quia generet multos spirituales filios, ex aqua & Spiritu sancto: & cuncta seculi huius aduersa simul & prospera, propter fidem & amorem sui conditoris ac redemptoris contemnat. Dialogo primo in Prouerbia Salomonis.

Impios magistratus propter peccata populi Deum regnare permittere, indicat Dialogo primo in Prouerbia Salomonis.

Diem iudicij & regnum Dei æstati comparari ostendit, quia tunc omnia tristiciæ nubila sint transitura, & dies uitæ claritate æterni solis effulsurus. Dialogo primo in parabolas Salomonis.

Næui & opiniones eius.

Singulari opinione asserit, Christum occultasse uerbũ, seu diuinã naturã, ne à diabolo agnosceretur esse filius Dei. Diabolum enim eum non crucifixurum fuisse, si agnouisset quòd esset filius Dei. Dialogo primo in Prouerbia Salomonis.

Bonis operibus fratres idiotas asserit mereri uitam æternam in cœlis. in Parabolas Salomonis dialogo primo.

SEVERVS VIENnensis.

Seuerus natione Indus, gradu presbyter fuit: qui cum esset ipse in fide Christi feruentissimus, eandem ubique propagari quoque cupiebat, hac gratia peregrinando itinera faciens, ut apparet. demum & Viennam Galliæ peruenit, tempore illo quo Isitius episcopus eius loci Ecclesiam gubernabat: ut Adon Viennensis ætate sexta, in fine Marciani meminit. & uerbi prædicatione plurimos, ac miraculis etiam, ad fidem Christi ex paganorum multitudine conuertit: ut Petrus de Natalibus refert, qui eum etiam postmodùm Viennensis ecclesiæ episcopum factum addit. Atque ex Adone uerisimilis propemodum coniectura eius argumenti haberi potest, quòd & ipse narrat, eundem miraculis clarissimum, ante urbem Viennam destruxisse idolorum quoddam templum, in quo insigni ac maximè celebri cultu, centum Dij gentiles adorati sunt: ac in locum demoliti phani struxisse ecclesiam, nomine B. Stephani protomartyris, &c.

PATROCLVS.

Patroclus à Luctenensis ecclesiæ clero ad pontificem Romanũ accusatus est, quòd in aliena prouincia contra patrum statuta substituerat quendam pastorem in defuncti locum, neglecto metropolitano istius ecclesiæ: & propterea Hilario illo Narbonensi commissario, ut loquuntur, cõstituto, actio aduersus ipsum in prouincia instituitur. Et uidetur uir fuisse Patroclus autoritatis non leuis. siquidem in literis Bonifacij ad episcopos septem prouinciarum Galliæ scriptis, ipse primum inter reliquos locum obtinet, in decretis Bonifacij primo tomo Cõcilio rum. Fit huius mentio etiam apud Leonem primùm Rom. pontificem, in epistola ad episcopos per prouinciam Viennensem. Et si consideres narrationis circumstantias, dicas ipsum propemodum Viennensis fuisse Ecclesiæ metropolitanum.

CELIDONIVS.

Celidonius in Gallijs alicubi episcopus, ab Hilario, quòd haberetur uiduæ maritus, remotus est ab officio. Prouocauit autem ad episcopi Romani iudicium. Ille cognita causa, cum Hilarius non probare posset crimen obiectum, eum ut innocentem absoluit, ut Leo ipse narrat in epistola octuagesimanona ad episcopos per Viennensem prouinciã.

HEROS.

Heros, Arelatensis episcopus, discipulus olim Martini, celeberrimi Turonẽsiũ episcopi, fuit: uitæ sanctimonia etiam ipse præclarus, & ob doctrinam egregiam in precio habitus, temporibus quo primùm ad Imperij regimen accessit cum Honorio patruele Theodosius iunior, ut in Chronicis Prosper annotauit. Pulsus est autem insons planè, & criminibus nullis obnoxius, à ciuibus suis, tantum in gratiam militiæ magistri Cõstantis: ad cuius fauorem & beneuolentiam amplius demerendam, ipsius amicum, quo familiariter uti solebat, Patroclum in locum subrogant eiecti. Quæ res, ut idem Prosper ait, magnarum inter episcopos discordiarũ causa fuit. meminit etiam Bergomensis in Bonifacio primo Romano pontifice, qui illum etiam postea nonnulla cõposuisse narrat: & Platina in eodem.

HILARIVS ARELAtensis.

Hilarius quidã monachus relictis parentibus suis, & bonis suis pauperibus distributis, episcopus Arelati factus est (ut pater ex Prosperi libro secundo de uita contemplatiua) in prouincia Narbonensi: unde etiam cognomen accepit. Gennadius scribit, eum in sacris literis bene fuisse institutum, & pertatis amantem, adeò ut contra uires suas rusticationis opera exercuerit, quo suppeteret quod reficiendis pauperibus præstaret. Interim tamẽ nec sui ministerij proprios labores neglexit, uerbi scilicet prædicationẽ: qua in

qua in re eã dexteritatẽ adhibuit, ut si quando opus esset in annũcianda lege, nulla uteretur prosopolepsia erga quenquam. Edidit uitam sancti Honorati, sui antecessoris. Extat eius epistola ad Augustinum, in qua itidem ut Prosper, ei nunciat, primùm quosdam ipsius scriptis abuti ad stabiliendas prauas de prædestinatione sententias: deinde hortatur, ut consilium capiat, quomodo rebus sit consulendum. Et hac sanè epistola occasionem unà cum Prospero præbuit Augustino, scribendorum librorum de prædestinatione: id quod exordium primi libri testatur. Præfigitur autem ea epistola illis Augustini libris. Hilarium Narbonensem episcopum nominat salutatio literarum Bonifacij primi Romani pontificis, ad eundem: quibus ipsi authoritate Apostolica committit cognitionem actionum cleri Luctenensis ecclesiæ, contra episcopum Patroclum. Videtur hic Hilarius idem esse ille, quem pòst Bonifacij successor Celestinus multum cõmendat in epistola ad Galliæ episcopos, à solicitudine quam gerat pro conseruatione puritatis doctrinæ. Hoc enim nomine ad ipsum Celestinũ quosdam Galliarum presbyteros detulerat, quòd cum ueritate pugnãtia docerent. atque inde apparet, quàm tueri ipse Romanorum episcoporum tum obseruans. in primo Conciliorum tomo, sub horum Pontificum decretis. Interest quidam hoc nomine etiam uni atque alteri Gallicano conuentui: ut Rhegiensi, sub Celestino Romano pontifice: item Arausicensi, sub Leone primo. Numeratur insuper Hilarius etiam in Catalogo eorum Galliæ episcoporum, qui gratulatoria epistola comprobant scriptum Leonis, missum ad Chalcedonensem synodum, sub Marciano. Epistola autem ea præcedit in operibus Leonis quinquagesimamsecundam. Ipse quoque Leo, iste Romanus, in epistola ad episcopos per Veinnensem prouinciam, meminit cuiusdam episcopi Hilarij, de quo quędam ualde odiosè commemorat: uidelicet quòd affectarit principatum super omnes Gallię ecclesias: quodq; earum episcopos suæ uoluerit subijcere iurisdictioni, eorundemq; iura ordinationum sibi ceu uniuersali totius Galliæ superintendenti uendicare, & reliquorum mętropolitarum priuilegia & iura in se unum transferre: utq; magis inuidiosum reddat, comprobat narrationem uno atque altero exemplo eorum quæ perperam & indignè in quosdam collegas cõmiserit: quòd quendam Celidonium coepiscopum iniuste sua sede eiecerit, nec potuerit fidem facere in iudicio Romæ, ijs quorum gratia illum reum egerat Hilarius: rursum quodam Proiecto, coepiscopo & ipso, ob corporis infirmitates decumbente, ipsius parœciam in alium transtulerit, moxq; illum nouum pastorem subintroduxerit contra tum pastoris Proiecti, tum etiam eius ecclesię consensum & uoluntatem: ac propterea ad sedem Romanam grauiter accusatum ab utrisque: quòd stipatus militari manu prouincias circumcursitet, & si quę ecclesiæ pastoribus & gubernatoribus careant, per uim ac uiolentiã quoscunque intrũdat, ignotos etiam, cõtemptis usitatis ritibus electionum, uocationum & ordinationum: quod indicat Synodales conuentus, turbet iudicia ecclesiastica, sese passim inserendo. item quòd, cum Dei iudicio Romam fuisset pertractus, & iam ad dicendam causam se sistere debuisset, turpi se fuga subtraxerit. item, quòd pro leuissimis quibusque commissis quosdam excommunicarit, &c. Et talia quidem Hilario illi non modò impingit crimina Romanus iste pontifex, sed etiam propterea eundem damnat, ac omni suæ gubernationis administratione exuendum seriò censet: ac in primis Viennensis prouincię, cuius præter fas & ęquum sibi iurisdictionem usurparit: solius autem suæ ciuitatis ministerij functionem ei permittens, idque ex mera tantum Apostolicæ sedis gratia & pietate. Vtque hanc suam in Hilarium censuram ratam esse uelint, & quam primùm executioni dare reliqui Galliæ episcopi, id uerò est cuius gratia manibus pedibusque laborat: alium quendam episcopum Leontium eis proponens, senem uenerandum, quem alterius loco habere uelint, nec sine ipsius authoritate conuentus instituere. Vtrum autem uerè reus fuerit eiusmodi criminum Hilarius, an secus, non est clarum. Imò si fuit iste Hilarius Narbonensis ille, mirum etiam est qua ratione tam repentè immutatus, ex amicissimo sedis Romanæ, factus sit inimicissimus, & contemptor infensissimus. Euidentissimè namque ex ipsa Leonis criminatione appareret, Hilarium hunc ne nauci quidem fecisse Romanæ ecclesiæ authoritatem, imò extremè contempsisse: & quidem etiam in præsentia, cum esset coràm, insolentius in eam uerbis illusisse. Ita enim inter cætera de Hilario narrat Leo: Vbi postquam Hilarius rationabile quid in sanctorum concilio sacerdotum posset respondere, non habuit, ad ea se occulta cordis ipsius transtulerat, quę nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum posset audire. Doluimus (fateor) fratres, & hũc eius mentis tumorem medelis patientię nostræ curare tentauimus. Nolebamus etenim ea illi exacerbare uulnera, quæ suæ animæ insolentibus subinde sermonibus infligebat, &c. Vidit fortasse bonus iste Hilarius, Romanos episcopos sub specioso, sed falso

falso prætextu authoritatis apostoli Petri, dominationem moliri etiam in Ecclesias Galliarum: ideo se ab ipsis auulsit, eorumque se conatui opposuit. id quod Leonis uerba præ se ferre uidentur, quibus se ab hoc crimine expurgare conatur, inquiens: Non enim uobis ordinationes uestrarum prouinciarũ defendim⁹, quòd potest forsitan ad deprauandos uestræ Sanctitatis animos, Hilarius pro suo more mentiri: sed propter uestram sollicitudinẽ uindicamus, ne quid ulterius liceat nouitati, nec præsumptori locus ultrà iam pateat priuilegia nostra cassandi. Ecce ipsorum gratia hæc se facere affirmat: interim uerò sua priuilegia iactat, eaque cassari minimè uult. Quæ nam quæso priuilegia? nimirum dominatum super ipsos. Nam & mox ab initio epistolæ, expressè etiam hoc Hilario crimini dat, quòd nolit apostolo Petro se subijcere. Quapropter non immeritò suspecta pleraque uideri possunt, quę ei uitio uertit. Certè ipsa actio cum Celidonio, ita ut eam breuiter perstringit Leo, quodammodo ostendit, non coactum, sed sua quodammodo sponte ipsum Romam cõcessisse: nec defugisse iudicium, imò strenuè & intrepidè contra Romanum episcopum dimicasse, etiam coràm: nec formidasse excommunicationis eius fulmen, imò etiã expetijsse, (per ludibrium fortasse) id quod Leo quasi de ipso queritur, ut cum ipse frequentius temerarijs & insolentib. uerbis sententiam damnationis expeteret, &c. Atq; hoc iam nomine Gallus iste celebris est, quòd Romanum iugum à ceruicibus ecclesiarum Galliæ reijcere uoluerit. Vnde Balę⁹ in Appendice quadragesimaquarta, de Patricio, Cẽturia prima scribit: Anno Domini quadringẽtesimo quinquagesimo Hilarius Viennensis claruit. solitus erat disputare, Petrum nõ fuisse Apostolorum principem, neq; Romanum pontificẽ ullũ ius habere in ecclesias Gallicas, aut alias exterarum terrarum prouincias. Contra quẽ Leo scripsit ad Galliæ episcopos epistola septuagesimaseptima, affectati dominij eum insimulans. Videtur autem Leo Patrocli ipsum facere successorem, quem Viennensem metropolitanum (ut diximus) esse conijcimus: ac fieri potest, ut relicta Narbonẽsi, post Patrocli obitum, Viennensem occuparit ecclesiam Hilarius: aut certè, si in sua sede mansit, eius tum ecclesiæ iura ad suam transferre uoluerit, sicut hac una re etiam eum subinde criminatur Romanus: nec etiam temerè prorsum, præ Gallicanis ecclesijs alijs, Viennensis prouinciæ præcipuè episcopos aduersus eum armat atq; concitat.

RAVENNIVS.

Rauennius Arelatensis fuit episcopus. scripsit ad eum epistolá nonagesimam Leo Romanus, in qua ei gratulatur ob episcopatum, monetq; insuper ne superbiæ sese efferat: sed meminerit, proximum esse superbiæ casum. Mentio eius fit in epistola quinquagesimasecunda, & precedenti, & in nonagesimaquinta: ubi Leo ei & Rustico ac Venerio commorat de actis Chalcedonensis synodi.

RVSTICVS.

Rusticum Narbonensis ecclesiæ episcopũ facit inscriptio literarum Leonis istius Romani ad ipsum, quę est nonagesimasecunda: atq; ostendit, hunc Rusticum uictum tædio gubernationis, & molestia turbarũ atq; offendiculorum, quæ subinde in Ecclesia nascuntur, cupiuisse se functione sua abdicare. Cuius ægrum animum leui reprehensiuncula emollit, atq; paulatim confirmat: & abiectiusmodi cogitationib. reuocare conatur, ex uerbo Dei ipsum instruens, eam esse legẽ ac communem omnium quidem piorũ forsiæ, ut uarijs persecutionibus impetantur: nec propterea tamen mox cedendum: imò contrà audentius eundũ, & fortiter (Christo iuuante, qui unà se futurum promisit) persistendum: ac tum maximè doctorum, & eorũ qui cæteris loco & dignitatibus præstant, elucere oportere fidem, ut eam Christo & Ecclesiæ probent, si quando ingruunt tentationes & pericula. Ac de gubernatione rectè instituenda pulcherrima & pia sententia ipsum monet, inquiẽs: Peccata odio habenda esse, non homines. Apparet etiam quasdã Leoni proposuisse cõsultationes Rustici, de Ecclesiasticis traditionib. quarũ explicationẽ per capita respondens, eidem exhibet, &c.

VINCENTIVS LIRINENSIS.

Vincentius natione Gallus, primos uitæ suæ annos in seculari militia & negocijs poliricis exegit. Sed postea in monasterium se contulit, siue in insula Liria, quæ in mari Icario est, iuxta Strabonem lib. 4: siue in Lerone, quæ sub Varo flumine adiacet Galliæ Narbonensi, iuxta Ptolemæum. Comparauit autem solerti studio sibi insignem sacrarum literarum & dogmatum Ecclesiæ cognitionem, & gradum presbyterij adeptus est, ut patet ex Gennadij Catalogo. Nec solùm docẽdo, sed etiam scriptis Ecclesię profuit. nam librum aduersus hæreticos edidit, sub nomine Peregrini, qui hodie extat hoc titulo: Liber Vincentij Lirinensis Galli, pro catholicæ fidei antiquitate & uniuersitate, aduersus profanas omnium hereseon nouationes. Hoc autem consilio eum librum scripsit, ut doceret aduersus prauas & hæreticas opiniones armari oportere pios, autoritate canonicæ Scripturæ, & uniuersali omnium temporum ueræ Ecclesiæ de singulis doctrinæ capitibus cõsensu. Ac in primis hoc agit, ut de

ut demonſtret, quo quicquam recens eſt magis, & ab antiquitatis cõſenſu plus recedẽs, hoc minus eſſe ueritati congruum. Atq; ea eſt propemodũ ſummaria totius ſcripti propoſitio: quam deinde exemplis euentuum declarat, enumerans omnium temporũ hæreſes, & authores earundem. De toto ſcripti genere ipſe author egregia animi, & pietati conueniente modeſtia cenſuram fert huiuſmodi. Sed iam in nomine Domini, quod inſtat, aggrediar, ut ſcilicet à maioribus tradita, & apud nos depoſita deſcribam, relatoris fidẽ potius, quàm authoris præſumptione: hac tamẽ ſcribẽdi lege ſeruata, ut nequaquã omnia, ſed tantum neceſſaria quęq; perſtringam: neq; id ornato & exacto, ſed facili communiq; ſermone, ut pleraq; ſignificata potiꝰ quàm explicata uideantur. Scribant ij lautè & accuratè, qui ad hoc munus uel ingenij ducia, uel officij ratione ducuntur: me uerò ſubleuandæ recordationis, uel potius obliuionis meæ gratia commonitoriũ mihimet paraſſe ſuffecerit: quod tamen paulatim recolendo quæ didici emendare, & implere quo tidie, Domino præſtante, conabor.

Et hæc quidẽ ille de ꝓprijs laborib. Quod ſi quis diligẽtius penſitabit, dicet ſcriptũ eſſe eruditũ & acutũ, quodq; hęreticorũ fraudes clarè in apertũ ꝓducat, detegat, atq; egregiè impugnet, quin & preſens ualde remediũ & antidotũ quaſi cõtra eorundẽ uenena miniſtret: in quo ipſius ſcriptoris uis ingenij elucet, & doctrinę ipſiꝰ magnitudo. Antiqtatis enim ipſum fuiſſe ſtudioſiſsimũ, manifeſtè deprehenditur, & tã in Greęcorũ quàm Latinorũ lectiõe uerſatũ: in Scripturarũ tractatione ar gutũ, facilẽ & perſpicuũ. Genus orationis eſt mediocre, ęquabile: & licet ipſe ꝓ ſuo cãdore miniꝰ ornatũ & exactũ eſſe uelit, eſt tamẽ latinũ & purũ, dictione quidẽ, ut ipſe etiã fatetur, facili, nec tamẽ inuenuſta: & cõpoſitione præterea non aſpera, ꝙ pauci ex Gallicis Scriptorib. cũ ipſo commune habent.

Hoc quoq; meminiſſe libet, huius ſcripti primũ duas fuiſſe partes, ſeu libros partiales, quib. ipſe author titulũ indiderit, Cõmonitoria: ſed alterã horũ partẽ ipſo adhuc uiuo intercidiſſe, ꝓter Epilogũ. uelut ipſe narrat paulo ante finẽ, his uerbis: Quod quo cõmodius fiat, hic ſit iã huiꝰ Cõmonitorij finis, ut cætera quę ſequũtur, ab alio ſumamus exordio. Secundũ cõmonitoriũ interlapſum eſt: neq; ex eo ampliꝰ quicquã, quàm poſtrema particula remanſit: ideſt, ſola recapitulatio.

Dogmatica eiuſdem.

¶ Vnũ eſſe Deũ, & tres ꝓſonas, paſsim docet in lib. cõtra ꝓfanas nouatiões hęreticorũ.

Doctrinam de duabus naturis in Chriſto, ueritatem in Eccleſia, tum ſacrarum literarũ, tum doctorum probat teſtimonijs: ibidem.

In Eccleſia uniuerſitatem dogmatum, antiquitatem & cõſenſionem ſpectari debere, docet libro eodem.

Item dicit Eccleſiam ſedulam & cautã depoſitorum apud ſe dogmatum eſſe cuſtodẽ: nihilq; eam in ijs permutare, nihil minuere, nihil addere, &c. ibidem.

De cõciliorũ fine elegãter inquit: Quid unquam aliud cõciliorũ decretis enixa eſt Eccleſia, niſi ut quod antea lentius prædicabatur, hoc idẽ poſtea ſollicitius excoleretur? Hoc inquã ſemper, neq; quicquã præterea, hęreticorũ nouitatib. excitata, cõciliorũ ſuorũ decretis catholica ꝓfecit Eccleſia, niſi ut quod priꝰ à maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris etiã p Scripturę chirographũ cõſignaret: magnã rerũ ſummã paucis literis cõprehendendo, & plerũq; ꝓpter intelligentiæ lucem, non nouũ fidei ſenſum nouæ appellationis proprietate ſignando. libro eodẽ.

Certamina.

De certaminib. ipſiꝰ priuatis & ſingularib. nihil quidẽ extat, præter hoc ipſum ſcriptũ. quod tamẽ ſatis cõiecturæ præbet, ipſum nõ unũ aliquod, ſed omnis generis hęreticos in ſeſe cõcitaſſe: cũ omniũ temporũ hæreticos uſq; ad ſuę ętatis Neſtoriũ, nominatim ac palàm impugnet, nimirũ Donatiſtas, Arianos, Photinũ, Apollinarẽ, Manichæos, Pelagiũ, Cœleſtiũ, Sabelliũ, Nouatianũ, Priſcillianũ, Paulũ Samoſatenũ, Eunomiũ, Iouinianũ, Iulianũ, Pelagianũ, Neſtoriũ: imò nec Origeni ac Tertulliano parcat, ſed & ipſorũ nõ tã proprios quàm ſub ipſorũ nomine & authoritate promulgatos errores oſtẽdat, & uiã mõſtret qua deprehẽdi poſsint. quę res & ipſius zelum pro domo Dei indicat.

Celebris aũt fuit ſub Theodoſio iuniore, triennio poſt celebratã ſynodũ Epheſinã cõtra Neſtoriũ, quo tẽpore Alexandrinã guberna uit eccleſiã Cyrillus, Romanã uerò Xiſtꝰ, ut diſertè ipſe in epilogo narrat ſub annũ Chriſti 435, ac circiter.

PROSPER AQVITANICVS.

Proſper natus eſt in urbe Limonũ: ut Petrꝰ de Natalib. lib. 6, cap. 7 indicat: in Gallia Aquitana, ut refert Gennadiꝰ. uel ſub Arcadij, uel paulo ante Imperiũ: ut patet ex eius libro de ꝓmiſsionib. & prædictionibus, tertia parte, cap. 34, & 38. Ingenij facũdiſsimi fuiſſe uirũ, ipſa eius quę poſteritati reliquit monumẽta teſtatũ faciunt. ex quib. & hoc deprehendere nõ eſt difficile, quę ipſiꝰ iuuẽtutis fuerint ſtudia, nimirũ honeſtę literę, & ingenuæ artes, & non in poſtremis poetices exercitatio: in qb. Dei beneficio ac naturæ bonitate eò uſq; ꝓgreſſus eſt, ut inter excellentes Latinę linguę ſcriptores meritò locũ habeat: nec ſolùm in ſoluta oratione, ſed etiã in ſcribendo carmine. quam ad rem plurimũ cõtulit ipſi dili

gens bonorum authorum lectio, atque imitatio : ut Ciceronis, cuius locum usurpat ex Tusculanarum quæstionum libro tertio de uita contemplatiua, capite trigesimoprimo. Hermæ Trismegisti, cuius recitat prædictionem de idolorum destructione: ubi paulo pòst & Varronis meminit, de gentilium Deorum multitudine. Platonis & Academicorum philosophorum, quorum recitat unam atque alteram sententiam capite quadragesimo tertiæ partis, de promissionibus: quo loco & ex Sallustio sentẽtiam profert. Nec non Vergilij, cuius multis in locis uersus citat, & mythologicῶs etiã quosdam interpretatur: sicut & Sibyllina & uaticinia in libris de promissionibus & prædictionibus subinde suis disputationibus intermiscet. Quibus autem præceptoribus, & ubi locorum usus, ad eam eruditionis excellentiam peruenerit, non est manifestum. Carthagini adolescentem ipsum aliquandiu egisse, ipse narrat capite trigesimooctauo tertiæ partis de promissionibus. Nec dubium quin ibi Augustini, cuius fama orbem impleuerat, auditor fuerit: cuius rei non exiguum argumentum est, quòd eius authoritatem postea etiam contra patrios doctores defendendam, & magno certamine post ipsius obitum uindicandam, pium sibi, & officiosum, atque Ecclesiæ salutare esse duxit, ut postea dicetur. In patria quoque aliquanto tempore unum ex ministerio Ecclesię fuisse alicubi, Narbonensis fortè prouinciæ, colligi potest ex epistola Celestini ad episcopos Galliæ: quæ meminit, uenisse ad Celestinum Romam quendam Prosperum, unà cum Hilario, questum, quòd quidam ex presbyteris Gallicarum ecclesiarum ueritati contraria traderent, & ut apparet, Pelagiani dogmatis semina spargerent. Quo loco semper fuerit habitus, etiã in Romana ecclesia, constat ex ijs quæ contra Collatorem scribit Prosper.

Quando uerò, quibus'ue occasionibus, aut denique ubi locorum Ecclesiæ ei gubernatio sit commissa, non satis certum atque exploratum traditur, præsertim à uetustioribus scriptoribus. Adon, in fine Leonis Imperatoris, nominat ipsum notarium Leonis Romani episcopi. Ipse cerrè de sese narrat, quòd apud Campaniam fuerit, quo ipse Leo Manichæos & Pelagianos subuerteret: in fine capitis sexti de ꝓmissionib. & prędictionibus dimidij temporis. Reginum fuisse episcopum, recentiores commemorant: in quibus est Bergomensis in suo Chronico. Petrus de Natalibus, & Trithemius: qui Fauentij eum successorem facit.

Doctrinę cœlestis donum insigne ipsi cõtigit, quod post sacram Scripturam etiam Patrum lectione magis magis ꝙ; cõfirmauit, in primis Augustini: quem ceu ducem sibi proposuisse uideri potest, quem sequi uoluit. Testatur hoc liber Sententiarum, quem congesit ex omnibus Augustini operibus: item quòd subinde eum citat. & in libris de uita cõtemplatiua expresè narrat, se ipsum imitari: libro tertio, capite trigesimoprimo. Legit etiam Origenem: nam eius commendat loci cuiusdam explicationem diligentem, in secunda parte de prædictionibus & promissionibus, capite sexto. Et Hieronymum: siquidem capite trigesimoquinto eiusdem partis, eius probat ingenium, & laborem in suppuratione hebdomadarum Danielis. Orosium quoque, quem uocat eruditissimum historiographum: & eius testimonio utitur in explicatione statuæ Danielis, de quatuor monarchijs.

Quo studio, qua fide, quanta sollicitudine gubernationis negocia administrarit, documento esse possunt, quos de uita contemplatiua inscripsit, libri: in quibus maiori ex parte in hoc totus occupatur, ut Ecclesiæ ministrum instruat in omni genere officiorum, & singulis propemodum gubernationis partibus: esse scilicet ministri officium, docere, & pietatis doctrinam tradere, proprio exemplo quæ sint agenda monstrare: capite decimonono & uigesimoprimo mooctauo, decimonono & uigesimoprimo libri 1. Peccata arguere, capite uigesimo. Docere autem oportere quàm simplicissimè, ut intelligi possit ab omnibus: capite uicesimo tertio. In arguendo habendam rationem delinquẽtiũ, infirmorum & præfractorum: libro secundo, capite primo, & sequentibus. Enumerat etiam uirtutes, quibus sacerdos ornatus esse debeat, libro secundo: & monet quæ pericula maneant ipsum, qui Ecclesiam ob administrationis difficultatem ac molestias deserat, aut aliàs nõ ea qua oportuit solicitudine & studio officium suum faciat: capite decimosexto libri 1. Non autẽ dubium est, eum illa quæ magna ab alijs seueritate exigit, etiam ipsum præstitisse.

¶ Scriptis etiam suis ędificationem Ecclesiæ iuuit. Edidit de prædictionib. & promissionib. Dei librũ, in tres partes sectum.

De uita cõtemplatiua, & actiua, libros tres, ad Iulianum pontificem.

Epistolam de gratia Dei & libero arbitrio, ad Ruffinum.

Ad capitula obiectionum Gallorum responsiones.

Responsiones ad capitula obiectionum Vincentianarum.

Ad excerpta quæ de Genuẽsi ciuitate sunt missa, responsiones.

De gratia Dei, contra Cassianum collatorem, librum unum.

Senten-

Sententiarum ex operibus diui Augustini excerptarum, librum unum: & hæc quidem soluta oratione.

Epigrammaton librum unum.

De prouidentia Dei, librum unum: & alium περὶ ἀχαριστῶν, hoc est de ingratis, carmine heroico.

Psalmorum ultimorum quinquaginta: id est, à centesimo, ad centesimum & quinquagesimum usque, succinctam expositionem soluta oratione.

Atq; hæc sanè hoc ordine coniuncta, iam extant, in uno uolumine impressa.

Extat eius nomine etiam supplementũ Chronicorum Hieronymi, quo pertexitur quod reliquum est à morte Valentis Imperatoris, ubi Hieronymus desijt, usque ad finem ferè Theodosij posterioris, ad consulatum scilicet Valentiniani VI & IX. Gennadius commemorat in suo Catalogo, integrum Chronicon suo tempore extitisse titulo Prosperi, complectens res gestas à primi hominis conditione iuxta diuinarum Scripturarum fidem, usque ad obitum Valentiniani Augusti, & captiuitatem urbis Romæ, à Genericho Vandalorum rege factam. Trithemius Chronicorum libros ita distinguit: Chronicon historiarum, lib. 1. De Illustribus uiris, lib. 1. De captiuitate Romæ lib. 1. Et subiungit, Epistolarum ad diuersos lib. 1.

Gennadius meminit etiam libri eius contra Cassianum, quem tamen suppresso Cassiani nomine editum narrat, titulo contra Collatorem.

Epistolas etiam illas quę nomine Leonis aduersus Eutychen, de uera Christi incarnatione ad diuersos datæ fuerint, à Prospero dictatas esse, idem indicat.

Extat & inter Augustini opera epistola Prosperi ad Augustinum, præfixa libris de prædestinatione, in qua primùm Augustino nunciat Prosper, eius de prædistinatione sententiæ, nuper adeò in libro de correptione & gratia expressæ, à multis contradici. Deinde, orat ut eandem amplius alio scripto explicare non grauetur.

Quanta tum fuerit dignitas scriptorum eius, inde facile poterit æstimari, quod à Gelasio Romano pontifice inter Canonica sint relata: ut habetur distinct. decimaquinta, Sancta Romana.

Fulgentius, & ipse scriptor nobilis, duos integros locos ex Disputationib. Prosperi, contra quosdam Gallos, pro Augustini defensione, suis scriptis inseruit, quibus suæ quoq; disputationi aliquid autoritatis accedere iudicauit: ad finem prorsus libri primi ad Moninum.

Phrasis ipsa non perplexa, non dura, nec spinosa: sed plana, simplex, & (ut Gennadius ait) scholastica, id est, dissertationibus conueniens, Latina tamen. Quid autem de singulis doctrinæ articulis aut senserit ipse, aut docuerit Ecclesiam, quantum eius ex illis scriptis deprehendi poterit, ordine referemus.

Dogmatica eiusdem.

¶ Quod ad doctrinam Prosperi attinet, multos articulos doctrinæ Christianæ rectè explicauit.

Locum de Deo, sicut & cęteri huius ætatis, fideliter tradidit. Nam de uita cõtemplatiua libro primo, capite decimooctauo inquit: Instruere debemus eos qui nobis sunt commissi de patre, quomodo solus accipiatur ingenitus: de filio, quomodo ex ipso sit genitus: & de spiritu sancto, quomodo ex patre & filio procedens, nec ingenitus possit dici, nec genitus. Idem quoq; uenustis expressit uersiculis, ut suprà capite 4. de doctrina est expositum, libro Epigrammatum:

Omnipotens genitor, natusq;, & spiritus almus,
Vna in personis, par tribus est Deitas.

De creatione docuit, Deum ex nihilo omnia condidisse, & perpetuò regere ac conseruare. libris de promissionibus & prædictionibus.

De angelis tradit, esse omnes pariter à Deo: uerùm bonos nunc confirmatos, malos uerò propria temeritate lapsos. in libro de uita contemplatiua, capite 3.

Peccatum profitetur non à Deo, sed à diabolo & hominibus esse: & Deum peccato horribiliter irasci. libro secundo de uita contemplatiua, capitibus decimooctauo & decimonono. Bene etiam de originali passim differit.

Præcipuè uerò illustrat doctrinã de libero arbitrio, quòd homo post lapsum in cautis spiritualib. ac diuinis ante regenerationem non possit esse synergus. In epistola ad Ruffinum ait: Homo qui in libero arbitrio fuit malus, libero arbitrio factus est bonus: sed per se malus, per Deum bonus.

Est & hoc præclarè dictũ de regeneratione & restauratione liberi arbitrij in nobis:

Vasq; nouum ex fracto fingens uirtute creandi.

Sed plura testimonia suprà adscripsimus.

Legem, inquit, monstrato nobis peccato, cogere nos, ut aliunde quàm ex nobis salutem quæramus.

Articulum de Iustificatione non ita feliciter & dilucidè explicat: id quod habet ex cõtagio istius seculi, quod in alijs potius cõseruandis doctores pleriq; laborarunt. Dicit tamen nos gratia Dei iustificari, ita quidem, ut Deus nõ ex bonis meliores, sed ex malis nos bonos faciat. in epistola ad Rufinum.

Vndè

Vnde sint bona opera, satis quidem rectè explicat, sed in causa finali nimium eis contra uerbum Dei adscribit.

Conuersionem ait non ex nobis, uerùm ex Deo esse: in epistola ad Ruffinum.

De baptismo rectè sentit, ac disertè ait per baptismũ homines regenerari, & peccatis exui: in expositione Psalmi centesimi secundi.

Sacrificium, quod uerè sit propitiatoriũ, docet esse Christum, significatum in typis ueteris Testamenti.

De orationis norma formaq; inquit: Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum: sed etiam ipsa fit peccatum: in Psalmum 108.

Ecclesiam colligi à Deo: & esse cœtum mixtum, caput eius esse Christum, expositum esse periculis: diligenter monet in Psalmum 102, & alibi.

Congruit etiam in articulis de resurrectione & uita æterna, cum sacra Scriptura.

Næui.

Retinuit autem Prosper non paucos suæ ætatis næuos: qualis est, Opera sine fide, nec fidem sine operibus iustificare. de uita contemplatiua libro primo, capite 19.

Inde igitur est, quòd passim (sicut annotauimus suprà capite 4) bonis operibus nimis multa attribuit.

Ex hoc fonte quoq; scaturit, quòd comparat martyrium iuxta effectus, ipsi baptismo: id quod pugnat cum merito Christi, ac dignitate baptismi. in Epigrammatis.

Certamina.

¶ Subinde hæreticos in suis scriptis exagitat: ut Manichæos, Priscillianos, eorumque complices, item Arianos, Photinianos, Donatistas, Maximianistas, Luciferianos: sed fortè quia erant non ita recentes, & paulum conticuerant, obiter tantum & breuiter eorum errores perstringit. At Pelagij & Nestorij furores, quia erant recentiores, & passim turbas dabant, omni uirium robore oppugnat, & ad profligandũ Pelagij dogma singulare init certamen: idq; cum patrijs doctoribus Gallis, qui Augustini (ut apparet) sententiã de prædestinatione & libero arbitrio calumniabãtur. Quam ille acerrimè defendit, Augustini quoq; autoritatem summo studio & contentione uindicans. Quo autem ueritatis magis cõspicua esset euidentia, ponit ob oculos Gallorum hypotheses seu obiectiones, & mox contrà suas confutationes subijcit. Idq; primùm in cõtrouersia de prædestinatione: quod ipsum ut rectè factum, etiam Fulgentius commendat loco suprà memorato. Postea cum contrariæ sententiæ Augustini de libero arbitrio, quæ ad Pelagianismum accedere uidebatur Prosperо, assertor præcipuus inter Gallos esset Cassianus, ita ut edito scripto eam iam publicè in Ecclesia spargeret, nomine tamen cuiusdam patris eremitæ de ea causa disputantis, sub titulo de protectione Dei: Prosper eodem modo ut antè fecerat, totã eã disputationem uerbo ad uerbum oculis subijciens, eamq; probè examinans, confutauit: ac habet ea confutatio titulum, Contra Collatorem: ut prior, Responsiones ad capitula Gallorum. Cuius generis extat & alia confutatio eius, inscripta, Ad capitula obiectionũ Vincentianarum: in qua similiter absurda, horrenda quædam, & planè impia, quæ ex ipsius de prædestinatione & libero arbitrio disputatione sequi, quidam obiecerant, refutat. Rursum quidam ex Genuensi, ut apparet, ministerio, Canillus & Theodorus, quosdam locos ex Augustini de prædestinatione libris excerptos, dubios & minus perspicuos, sibi explicandos ei proposuerant. Illis etiam morem gerens, dilucidè eos declarat eadem ratione. titulus est, Responsiones ad excerpta Genuensium. Ex professò etiam scriptus est liber contra Pelagianos de libero arbitrio, iuxta Augustini assertionem, cui titulus, De ingratis, eleganti hexametro carmine. Est inter eius poemata etiam epitaphium non inuenustum elegiacis uersibus, Nestorianæ simul & Pelagianæ hæreseõn. Contra Eutychen quoque pugnasse eum, inde quidam colligunt, quòd epistolæ illæ contra Eutychen Leonis nomine editæ, ipsi tribuantur. Verùm eius non habentur ex ipsius scriptis testimonia, cum Eutychis expressè non fiat mentio.

Aliquot Gallicanis consilijs interfuit, nam in Vasensis concilij catalogo Prosperi Aquitani, & quidem episcopi, nomen expressè ponitur. Id fuit Cos. Dioscoro, cui Prosper assignat annũ Domini quadringentesimum quadragesimum quintũ. Est Prosperi præterea nomen, sine adiecto ullo, etiã in catalogo Carpentoracensis conuentus, sub Leone 1. Rom. pontifice. Imolensis ille Flamminius, qui huic authori Prolegomenon proposuit, narrat, ipsum à Leone Chalcedonem cum alijs Romanæ ecclesiæ præsulibus missum, ad euertendas Nestorianam & Eutychianam hæreses. Cuius rei nem neq; in Chalcedonensis concilij actis, neque in scriptis Leonis, neq; etiam ipsius Prosperi, ulla apparent uestigia.

Cum Iuliano quodam episcopo summam ipsi fuisse familiaritatem, indicant libri de uita contemplatiua: quo ... eos scripsit, & eidem eosdem etiam nuncupat. Istum autem Iulianum Trithemius Hispaniarum in ecclesia Toletana facit episcopum, & ipsum scribendo celebrem.

Augustini

Augustini etiam amicitia usum Prospe-
rum, indicio est epistola eius ad eundem
scripta: qua occasionem Augustino præ-
buit, unà cum Hilario Arelatensi, scri-
bendorum librorum de prædestinatione
sanctorum, sicuti exordium primi libri
ostendit.

Extat & Sidonij ad quendam Prospe-
rum epistola, qui ab eo petierat, ut Attilæ
bellum, & Aurelianensis urbis expugna-
tionem, & eiusdem ciuitatis episcopum
Anianum scriptis celebraret. Verùm hici-
dem'ne sit Prosper, affirmare non aude-
mus, quòd Sidonius ipsum Aniani uidea-
tur facere successorem, cum inquit: Cui e-
tiam illud non absque iusticiæ gloria da-
tur, quòd te successore decesit Anianus. li-
bro octauo.

Quàm diu in Ecclesiæ gubernatione ui-
xerit, non satis constat. Sub Leone Ma-
gno clarum fuisse, annum circiter quadrin-
gentesimum sexagesimum, Trithemius re-
citat. Sed ex scriptis Prosperi colligi po-
test, eum multo antè suis lucubrationibus
celebrem fuisse. nam temporibus Valenti-
ni, Constantij & Augustæ Placidiæ filij, Oc-
cidentis Imperatoris, scripsit luculentum
illud opusculum de Prædictionibus & pro-
missionibus diuinis. quod liquet ex capite
trigesimooctauo tertiæ partis, ubi expresè
ipsum tũ regnare memorat. Sub Xysto Ro-
mano episcopo scripsisse ipsum contra Cas-
sianum, ex fine eius libri qui inscriptus est
contra Collatorem animaduertitur, ubi
dicit: Ad beatissimum quoque Apostoli-
cæ sedis tunc presbyterum Xystum, nunc
uerò Pontificem. Qui cum conuenit il-
lud etiam, quod in præfatione libri contra
Collatorem scribit, uiginti amplius annis
contra inimicos gratiæ Dei, catholica acies
huius uiri ductu pugnat & uincit. Tot e-
nim, aut non multo plures anni sunt ab In-
nocentio, sub quo cæpit Pelagiana hæresis,
ad hunc Xystum. Mortuus est anno qua-
dringentesimo sexagesimoquinto, Hilario
Romæ episcopum agente: iuxta Petrum de
Natalibus. Rexit Ecclesiam annos uigin-
tiduos, ab anno Domini quadringentesimo
quadragesimoquarto, usq; ad quadringente
simũ sexagesimũ sextũ, secundũ præfatorẽ in
opera Prosperi. Sepultus est in basilica Apol
linaris. Cętera quæ de trãslatione reliquiarũ
eius, ac de miraculis ab ijs editis narrat Petr⁹,
superstitiosa sunt, & inter signa mẽdacia (se
cunda ad Thessalonenses secundo) locum
suum habent.

FAVSTVS REGIENSIS.

Faustum ex abbate Lirinensis monaste-
rij (quod ad Varĩ fluuij fauces in Narbonẽsi
Gallia fuisse creditur) apud Regium Galliæ
urbem factum episcopum, scribit in catalo-
go suo Gennadius. In huius laudem extat
carmen Eucharisticum, hexametris uersi-
bus sub finem Opusculi epistolarum Sido-
nij Apollinaris: unde eadem ferè colligi pos-
sunt. ubi & de peregrinationibus ipsius lon
ginquis ac diuersis, monasticis item & priua
tis exercitijs, & quemadmodũ publicè etiã
populũ docuerit, parcè quędã interspergun-
tur. Et uirum sanè fuisse doctum, eius scri-
pta ostendunt, ex quibus hodie adhuc in ho
minum manibus uersantur:

De gratia Dei & arbitrio libero, libri duo,
ad Leontinum papam: in Orthodoxogra-
phis. Item scriptum de creaturis, quòd
eis incorporei nihil insit: ibidem. De
ratione fidei, & aliquot locorum inter se
collatio, in uolumine cui titulus est Hæ-
reseologia: item in alio, cui inscriptio est
Antidotum.

¶ Præter ista, commemorat Gennadius
etiam alia: De Spiritu sancto paruum libel-
lum, in quo doceat iuxta Patrum fidem,
eundem consubstantialem & coæternum
patri & filio.

Alium quoq; paruum libellum aduersus
Arianos & Macedonianos, in quo coessentia
lem prædicet Trinitatem.

Epistolam seu libellum ad quendam dia-
conum Gratum, quem in Nestorianam hæ-
resin prolapsum reuocare conetur. Ma-
riam uirginem non purum hominem ge-
nuisse, qui postea diuinitatem susceperit:
sed Deum uerum & hominem uerum credi
oportere docens.

Ad Felicem etiam præfectum prætorio,
& patriciæ dignitatis uirum, filium Magni
consulis, tamen religiosum, epistolam hor-
tatoriam ad timorem Dei, conuenientem
personis ueram pœnitentiam agere cupi-
entibus.

Sed & alia etiam Faustum scripsisse nar-
rat Gennadius, quæ quoniam non legerit,
nominatim recitare nolit.

His addit Trithemius, librum unum
cõtra Anthropomorphitas: & præterea mul
tas homilias ad populum.

¶ Ad scripta autem ista quod attinet, sci-
endum, eum illud quod de Gratia Dei & li-
bero arbitrio inscribitur, nõ suo proprio cõ-
silio, sed de sententia cuiusdam concilij Gal-
licani, & (ut uidetur) Arelatensis contexu-
isse, contra Pelagij errorem: id quod epistо-
la quæ ceu prolegomenon præfixa, eius scri
pti quasi argumentũ breuiter delineat, non
obscurè ostendit, ut in eo non tam suam opi
nionem, quàm concilij consensum expres-
sisse existimandus sit. Et commendat illud
ipsum scriptum etiam Gennadius. Verùm

Adon

Adon in Anastasio Imperatore reprehendit ob eam causam Gennadium disertè & expresso nomine, & quotquot Fausti, quam in illis libris tradit de libero arbitrio, sententiâ ut catholicam sequantur. Contra hunc etiam scripsisse, præterea errorem eius arguisse memorat, Auitum Viennensem episcopum, & Ioannem Antiochenum presbyterum, uirum eruditum. Extat certè in Orthodoxographis scriptum cuiusdam Iohannis Maxentij nomine, cuius inscriptio, Respõsio Ioannis Maxentij ad epistolã Hormisdę: qui & ipse hoc scriptum impugnat, excerpens certa quædã capita & sententias, easq; confutans. imò non ueretur disertè Fausti libros hæreticos sine discrimine pronũciare. Ex quo loco tamen & hoc animaduerti potest, non defuisse nihilominus qui eos ut Catholicos defenderint. Nunquid autem sit Ioannes ille Antiochenus, de quo Adon, incertum. Volunt & illud scriptum impugnatum, quod titulum gerit De creaturis, quòd eis incorporei nihil insit, idque à Claudiano Mamerto Viennensi episcopo, in illis quos de animę statu inscripsit libris: de quo tamẽ dubitari potest, licet sententiâ eandẽ, uidelicet animam habere corpus, impugnet, & cõtrarium asserat Claudianus, &c. Romani quoque episcopi, opuscula ipsius minimè inter Canonica scripta haberi uoluerũt, sed inter apocrypha reiecerũt: sicut testatur decretum Gelasij, distinctione decimaquinta, Sancta Romana ecclesia. Extat etiam in ipsius gestis, in primo Conciliorum tomo.

Ad doctrinam autem quod attinet, de Deo, & sacræ diuinitatis triade & singulis personis, rectè & piè tum sensisse, tum etiam docuisse, & cum Ecclesia quoque locutum fuisse, testimonium esse potest scriptum illud breue, cui titulus de ratione fidei: quod ex professò peculiariter in hunc usum composuisse uideri potest, ut de ijs summis articulis esset quasi confessio: maximè autem de Christo, altera Diuinitatis persona, & illa in primis mirabili & humanum intellectum superante duarum naturarum copulatione. Similiter & de tertia persona, spiritu sancto, quem & ipsum ex sacris Scripturis declarat uerum esse cum æterno patre & filio coæternum Deum.

¶ Non usqueadeò purus in doctrina mansit. nam cum in conuentu quodam Gallico esset ei iniunctum, ut Pelagianos refutaret, scripsit libros duos de libero arbitrio, in quibus hos errores asseruit, ut notat Maxentius in responsione ad epistolam Hormisdæ: Christianum arbitrium ita liberum esse, ut illuminatio, uirtus & salus non à Christo, sed à natura sit. Item, gratiam Dei secundum meritum fidei & laboris dari: & fidem non Dei donum, sed à nobis in nobis esse: & fidem esse donum generale & naturale, & non speciale, cum etiam dæmonibus insit. Item, misericordiam Dei fide & operibus promerendã esse: & per naturalem uigorem, absque gratię adiutorio, multos non solùm ante aduentum Domini, uerùm etiam & ante legem liteteræ saluatos, atque ad plenam cordis puritatem, perfectam q; iusticiam peruenisse, filiosq; Dei fieri meruisse: prædestinationem etiam à labore & conatu hominis pendère, in Epistola ad Lucidum indicat.

Trithemius narrat, Faustum, uirum licet doctum & eloquentem, tamen Pelagiano errore fuisse pollutum: sed rursus à Fulgentio Ruspensi episcopo emendatum, & in uiam reductum.

Isidorus Hispalensis narrat quidem ipse, Fulgentium septem libris destruxisse Fausti profundam calliditatem, sed de conuersione per Fulgentiũ ne uerbum quidem: de Illustribus uiris.

Contra hæreticos Arianos, Macedonianos & Nestorianos eum dimicasse, suprà memorata scripta docere possunt. Quàm diu autem in ista sua statione pro doctrina Christi militem egerit, non satis certum est. Adon sub Anastasium eum collocat. Cum Sidonio eum uixisse, carmen ipsius Sidonij eucharisticum indicio esse potest, cuius familiaritatem habuit, ut apparet, nõ exiguam. Idem carmen coniecturam præbet, quòd etiam Caprasij cuiusdam senis, item Lupi iuuenis, Trecasseni fortè pòst episcopi, Eucherij itidem & Hilarij episcoporum noticiam habuerit. Epistola ipsius ad Lucidum habet quorundam subscriptiones, qui ut approbatores eius de libero arbitrio sententiæ in suo scripto comprehensæ nominantur, quos tum habuerit ὑφῆς in eius doctrinæ parte, non dubium quin etiam amicos habuerit: ut Auxanium, Paulum, Eutropium, Pragmatium, Patientem, Euphronium, Megetium, Claudium, Mamertum fortasse, Leucadium, Iulianum, omnes episcopos: quorum etiam Sidonius nonnullorum meminit. Tandem ad XVII calendas Februarij mortuum, tradit Petrus de Natalibus, sub Anastasio.

LVPVS TRECASSINVS.

Lupum Leucorum familiæ primum fuisse, & Hilarij Arelatẽsis olim episcopi germanam Pimimolam uxorem habuisse, scribit Vincẽtius cap. decimosexto libri uicesimi. Verùm cuius urbis ciuis, aut unde oriundus fuerit, & ubi in matrimonio egerit, non indicat. Hoc tantum adijcit, septimo initi matrimonij anno uxorem suam, ipsius ramen consensu, deseruisse, & Lirinense monasterium

nasterium ingressum, sub Honorato, istius tum collegij abbate, in monastice institutū, facultatibus suis egenis atque inopia laborantibus distributis: & ex eo postmodū collegio ad eccliesiæ Trecassinæ gubernationē accersitum. Certè ex Sidonio Apollinare libri sexti prima epistola ad hunc Lupum scripta, manifestum est, in Lirinensi ipsum monasterio aliquando uixisse, priusquàm eccle siæ ipsi ministerium demandaretur. Est & hoc ex eodem Sidonio non prorsus obscurum, quod Trecassinę urbis fuerit episcop⁹. Epistola namque ad ipsum Lupum, quæ est in ordine quarta lib. sexto, nominatim scribit, Trecassibus quandam actionem institutam, cui autoritas personæ Lupi, & opportunitas præsentiæ inter coràm positos, multum adiumenti posit adferre. Item libro septimo, epistola ad Sulpitium scribit, in Hymerio (cui Lupi professionem & dignitatem, idq; autore ac magistro Lupo tribuit) ipsum restitutum esse Lupum.

Virum autem fuisse magnum, & insigniter præstantem uirtutibus, uel unius Sidonij præclarissimis, ijsque multifarijs elogijs est testatissimum. Etenim epistola illa ad ipsum Lupum, nominat eum patrem patrum, episcopum episcoporum, & alterum sui seculi Iacobum: item spiritualium castrorum conclamatissimum primipilarem: item morum normam, uirtutum columnam. Item in alia eiusdem sexti libri epistola ad ipsum scribit, eum crebra oratione uitijs omnibus immanè dominari. Item, in illa quoque ad Sulpitium epistola, nominat eum principem Gallicanorum episcoporum. Ac uideri potest tum ex illius primæ sexti libri ad ipsum epistolæ initio, tum uerò maximè ex epistola ad ipsum libri noni, generalis quidam fuisse inspector plurimarum ecclesiarum, & superioritatem aliquam habuisse super aliquot uicinorum locorum episcopos. Nam ita scribit in ea epistola Sidonius: sicut antistitum cæterorum cathedris Lupi prior, ita etiam eius titulū in quodam libro primum obtinere locum. Ac apparet omnino ex illa ipsa epistola, fuisse in gubernatione serium, qui magnam grauitatem in rebus agendis adhibuerit. Nam ipse Sidonius, uir tantus, expresè scribit, se ipsius Lupi rigorem censuræ non tam in moribus, quàm etiam in scriptis, contremiscere. Miraculis etiam hunc Lupum fulsisse, Speculum Vincentij ibidem commemorat. Vnum autem hoc, omissis uulgaribus istis, recitare uisum est, quod refert Paulus Diaconus, & Nauclerus secundo uolumine, generatione decimasexta, sub Imperatore Marciano: uidelicet cum famosissimus iste tyrannus Attila totam Galliam immaniter uastaret, iamque etiam ad urbem Trecensem accessisset, processisse ipsi obuiam Lupum ornatu pontificis, unà cum reliquo Ecclesiasticorum collegio, & admissum ab Attila quæsiuisse, quis nam esset qui ita terram disiparet & conculcaret? Respondisse Attilam, Dei se esse flagellum. Eam ad uocem iussisse episcopum Lupum aperire ciuitatis portas, solenniq́ue salutatione excepisse Attilam, ac dixisse: Fausté ingrediatur flagellum Dei. Ingressum autem tyrannum unà cum suis copijs, statim cæcitate percussum, & transisse tantum, ciuitate incolumi, & sine cuiusquam iniuria, &c.

In Britanniam proficiscenti Antisiodorensi episcopo hunc Lupum additum fuisse comitem, paulo antè in Germano diximus, nimirum ut & ipse suam nauaret, conferretque operam in extirpando Pelagiano dogmate. quod ipsum etiam magno studio præstitisse, non dubium est.

De uitæ eius pietate, & peculiaribus exercitijs, uulgaria ista recitatur in Speculo: Quòd ieiunijs, uigilijs & orationibus continuis se afflixerit. & quòd pluribus annis nullo usus lecto, tantum nudæ tabulæ incubuerit: quodq́ue una semper tunica fuerit contentus. Inter discipulos eius recensentur Polychronius Medumensis episcopus, & Seuerus Treuirensium prædicator. Cæterùm posteaquam annos quinquaginta & duos Ecclesiæ præfuisset, placidè obdormijt, ut Vincentius & Petrus de Natalibus annotat libro sexto, capite centesimo sexagesimoquinto. Et ex Sidonio propemodum tantundem colligi potest. epistola siquidem prima libri sexti, ad ipsum Lupum, expresè meminit nouem decursorum quinquenniorum, ex quibus in Apostolica sede fuerit Lupus. In epistola libri noni ad eundem, adijcit unum adhuc quinquennium: & dicit illum Lupum per decem quinquennia non tantum æquæuis sacerdotibus, uerùm & antiquis, quoties collatus sit cum ijs, prælatum fuisse. Quo uerò anno obierit, id non traditur. coniecturam autem sequentes, propemodum dicere audemus, ad Imperium usque Zenonis ipsum peruenisse cum Sidonio Apollinare: qui & ipse Zenonis tempus, ut suprà dictum, attigit. Rectè quidem, aliquandiu Lupum ex antè dictis clarum: Sidonium tamen Lupo superuixisse, ex epistola ad Sulpitium libro septimo constat. Rursum nec de eo ambigitur, quòd Germano profectionis in Britanniam comes fuerit: idq́ue biennio, posteaquam ad Ecclesiæ gubernationem uocatus esset, factum, Vincentij Speculum commemorat. Eam autem profectionem anno quadringentesimo tricesimosecundo susceptam, iu-

xta Prosperum, antè narrauimus. Quibus si quadragintaocto aut plenos quinquaginta addideris, emergent anni quadringenti octuaginta, aut quadringenti octuaginta-duo: Zenonis quinto aut septimo, quo hinc decessisse eum necesse foret.

HYMERIVS TRECASSINVS.

Lupo in Trecassinæ ecclesiæ regimine successisse uideri potest Hymerius, Sulpitij cuiusdã, eius fortè loci ciuis filius: ex Sidonij ad eundem Sulpitium epistola libri septimi, à fine sexta. Quæ quoniam non usquea-deò prolixa, & tota in istius Hymerij laudatione occupatur, uisum est apponere.

Sidonius Sulpitio suo salutem.

Hymerius antistes, filius tuus, notus mihi hactenus, parum uultu, satis opinione, quæ quidem in bonam partem porrigebatur, Lugdunum nuper à Trecassibus uenit: quò loci mihi raptim ac breuiter inspectus, sanctum episcopum, Lupum, facilè principem pontificum Gallicanorũ, suæ tam professionis magistrum, quàm dignitatis autorem, morũ uobis imitatione restituit. Deus bone quæ uiro censura cum uenustate, si quid uel deliberet fortè, uel suadeat? abundat animi sale cũ cõsulitur, melle cũ cõsulit. Summa homini cura de literis, sed maximè religiosis: in quibus eum magis occupat medulla sensuum, quàm spuma uerborum. Tota illi actionum suarum intentio, celeritas, mora, Christus est. Quodque mirêre, uel laudes, nihil ociosum facit, cum nihil facit non quietum. Ieiunijs delectatur, edulijs adquiescit: illis adhæret propter consuetudinem crucis, istis flectitur propter gratiam charitatis. Summo utrunque moderamine: quia comprimit, quoties prandere statuit, gulam: quoties abstinet, iactantiam. officia multiplicat propria, uitat aliena. Cumque ipsi uicissim deceat occurri, gratius habet si sibi mutuus honor debeatur, magequàm rependatur. In conuiuio, itinere, confessu, inferioribus cedit: quo fit, ut se illi uoluptuosius turba postponat superior. Sermonem maximo temperamento cum colloquente dispensat, in quo non patitur aut ullam uerecundiam externus, aut familiaris iniuriam, aut credulus inuidiam, aut curiosus repulsam, aut suspicios us nequitiã, aut peritus calumniam, aut imperitus infamiã. Simplicitatem columbę in ecclesia seruat, in foro serpẽtis astuciã: bonis prudens, malis cautus, neutris callidus iudiçatur. Quid plura? Totum te nobis ille iam reddidit: totam tuam temperantiam, religionem, libertatem, uerecundiam, & illam delicatæ mentis pudicissimam teneritudinem, iucunda similitudine expressit. Quapropter quantum uolueris deinceps frui secreto, indulgere secessui, licebit indulgeas: quando-quidem nos in fratre meo Hymerio, autnomine, patrem facie, utrunque prudentiam tenemus.

DELPHINVS.

Burdegalensis ecclesiæ minister fuit Delphinus. nam ab ipso se baptisatum in eo loco, narrat Paulinus Nolanus in epistola ad Alipium episcopum, quæ inter Augustinianas locata est tricesimo quinto loco. Meminit & cuiusdam Delphini, ad quem suas Paulinus dederit literas, Petrus de Natalibus libro quinto, cap. cẽtesimo tricesimo octauo.

SIMPLICIVS.

Simplicius ex illustri familia natus, ingenio bono præditus, pro oppido Bituricensium legatione ad reges aliquoties functus est. In pietatis doctrina à patre & socero est institutus, qui & ipsi ministri Ecclesiæ fuerunt. Vxorem & liberos habuit, Ecclesiã extruxit, liberalis in pauperes fuit. Episcopus, & quidem metropolitanus, Bituricensium à Sidonio est creatus: ut patet ex Sidonij oratione de eius inauguratiõe, & epistola ad Perpetuum li. 7. A barbaris captus, ex ergastularibus tenebris, reseratis diuinitùs claustris, liberatus est. In exilium tandem etiam pulsus est: ut patet ex epistola Sidonij ad Bastrios, liberatus est. In exilium tandem etiam pulsus est: ut patet ex epistola Sidonij ad Basilium, libro 7. Extant Sidonij ad ipsum epistolæ, libro 4 & 5.

FONTELLVS.

Fontellus Vasionensis ecclesię fuit episcopus. uir magni nominis, & munificus & humanus: ut patet ex Sidonij libro 7.

SIDONIVS AVERNO-

rum episcopus.

Sidonium fuisse Gallum, ex epistola eius ad Vincentium, quæ est libro primo, colligi potest. Verùm de oppido in quo natus sit, à pleriſq; dubitatur. Petrus Crinitus dicit, eũ esse Auerna ortum, quòd se in suis scriptis Auernum nominet: id quod tamen clarè ac disertè nusquam facit. Idem scribit, esse qui eundem Burdegalensem faciant. Sunt qui Lugdunẽsem uideri posse uelint, propterea quòd libro 1. ad Candidianũ scribat: Nebulas mihi meorum Lugdunensiũ exprobras. Et in Panegyrico ad Maiorianum Imp.

Venisti, nostris petimus succurre ruinis,
Lugdunumq; tuam dum præteris, aspice uictor, &c.

Et in epigrammate ad eundem:

Vt reddas patriam, simulq; uitam:
Lugdunum exonerans suis ruinis, &c.

Cęterùm illustri familia procreatũ, & honestissimis parentibus, ex ipso liquidò constat. Etenim maiores suos prefecturas gessisse, ipse narrat epistola ad Filimaciũ lib. 1. Auus eius fuit Apollinaris, Galliarum prefectus: ut lib. 3. epist. ad Secundũ. Cognatione ei Secũdus Aquilinus & Rusticus iuncti fuerunt

runt: ut constat ex libro quinto, epistola ad Aquilinum. De suo parente scribit, eum Præfectum prætorio Gallicanis tribunalibus præsedisse, tum uidelicet, cum Asterius consul fuit: epistola ad Nammatium, libro octauo.

Latinis literis prima statim ætate institutus est. Vsus uidetur præceptore Flauio Nicetio: cuius meminit in epistola ad Nammatium, libro octauo.

Vsus etiam est quodam magistro Eusebio in philosophiæ studijs, unà cum patruo suo Probo: ut indicat epistola prima libri quarti. Scholiastes Sidonij Baptista Pius Bononiensis, in præfatione scribit, Romæ eum operam literis dedisse, & synchronon fuisse Cassiodoro.

Summi autem ingenij hominem, & in percipiendis disciplinis industrium fuisse, scripta eius produnt. Iuuentutis suæ tempus potissimùm impendisse honestarum artium, Philosophiæ, & Musarum ac Poetices studijs, eius quæ extant monumenta loquuntur. Habuit autem studiorum cõmilitiones adolescentes tum ingenio, tum familiarum nobilitate non inferiores, eosq; haud dubiè plurimos, quorum ipse unius atque alterius meminit. Ac ut memoratum paulo ante patruum Probum iam prætereamus, de Auito cognato scribit, quòd ijsdem temporibus nati, magistris usi, artibus instituti, lucubus ociati, principibus euecti, stipendijs perfuncti sint: epistola prima, libro tertio ad ipsum Auitum.

Ad eundem modum scribit etiam de cognato Aquilino, sic inquiens: Aetas utriusque non minus iuncta, quàm patria. Vnus nos exercuit ludus, magister instituit: una nos lætitia dissoluit, seueritas coercuit, disciplina formauit. Turonensis, ut uidere- tur ualde cõmendare naturæ huius Sidonij præstantiam & ingenium, adfert monasticũ potius figmentum, quàm illustre testimonium: quemadmodum uidelicet aliquando festi alicuius solennis actum memoriter totum peregerit.

Vbi ad ætatẽ maturiorẽ uenit, in Rom. principũ aulis uersatus est, & in militia stipẽdijs meruit, & politicos magistratꝰ gessit: uelut ex ipsius scriptis constat. Nã in lib. 1. epistola ad Heronium indicat, styli occasione se ad præfecturam peruenisse. Epiſcopus Viennensis Claudianus Mamertus, libros suos quos de animæ statu inscribit, Sidonio nuncupãs, appellationẽ ei tribuit Præfectorij patricij.

Auiti Imperatoris filiam duxit uxorem: ut Gregorius Turonensis libro secundo, cap. nicesimoprimo refert: & ex Sidonij panegyrico, quẽ Auito socero suo Romæ dixit, apparet. procreauit etiã liberos. nã Eliodori filij meminit libro quarto, epistola ad Felicem, & epistola tertia ad Apollinarem.

Belli tempore, quòd Auitus cum Maioriano pro imperio gessit, Auiti partes secutus prælio interfuit, quo Auitus succubuit: ut ex præfatiuncula in panegyricum Maioriani apparet:

Sic mihi diuerso nuper sub Marte cadenti,
Iussisti placido uictor ut essem animo.

Auernorum autem demũ episcopus constitutus est: ut in epistola ad Auitum cognatũ disertè fatetur. Quando uerò, ac quomodo, quibus'ue occasionibus ad Ecclesiæ gubernationem peruenerit, non est satis clarũ. Turonensis commemorat, eum ex præfecto creatum episcopum, & quidem decimum in ordine, successorem Eparchij. Non adeò sponte eum suscepisse id munus, argumento esse potest, quòd cùm ad Auitum, tum & aliàs sæpe conqueritur, immeritò hoc oneris sibi impositũ. Ac libro sanè quinto, epistola ad Apollinarem, dicit se indignissimum esse, cui tantæ professionis pondus sit impositum: & quòd miser antè sit compulsus docere quàm discere, & antè prædicare quàm facere: ideoq; se tanquam sterilem arborem, cum non habeat opera pro pomis, spargere uerba pro folijs. Aetate satis grandi eum episcopum factum esse colligi potest ex epistola ad Aquilinum, in libro quinto: ubi se dicit in annis senectutis initia pulsantibus consistere, cum nondum esset in functione Ecclesiastica.

In ministerio, ea quæ par est pium Ecclesiæ doctorem, egit. nam concionando ipse Ecclesiam ædificauit, & non per uicarios id agi curauit. Ac cum esset uir doctissimus, & optimis quibusque artibus, quæ ad docendi munus sunt maximè necessariæ, instructissimus: subinde tamen queritur, se ueluti minus ad tantam rem instructum, coactum fuisse docere ac prædicare, priusquam discipulus & auditor fuisset. Etiam aliæ ecclesiæ & doctores ipsius consilio & iudicio usi sunt: quæ quidem ipsis non grauatim non modò communicauit, sed uicissim ipsorum quoque consilia explorauit. Nam in epistola ad Agræcium episcopum scribit, libro septimo, se Bituricas à ciuibus uocatum, uenisse ad creandum episcopum: ubi etiam uel primas obtinet partes. nam cæteros ipse conuocat, utque in electione ac renunciatione alterius primarij pastoris ecclesię substituendi adesse uelint, suasque cum ipso operas coniungere, orat. Epistola item ad Euphronium nunciat, quemadmodum populus Biturixi, petat Simplicium quendam sibi ordinari episcopum. petit igitur, ut suũ ea in re consilium sibi impertiat, quid'nam

faciendum uideatur ipsi. libro eodem. Rursum epistola ad episcopum Perpetuum eo libro scribit, Simplicium, & quidem maritum, creatum episcopum, se solenni oratione (quæ ibidem subiecta est) publicè renũciasse, Summum quidem sacerdotem Biturigis, metropolitanum uerò toti prouinciæ. In epistola ad Vectionem, libro quarto, ait se rogatu Germanici, spectabilis uiri, Cãtillensem inspexisse ecclesiam. Sic epistola ad Firminũ, libro nono, dicit diœceses peragrasse, hauddubiè ex officio, ut uisitator. Item epistola ad Elaphium, qui Rutenorum pastor fuisse ibidem quoque uideri potest, promittit se ad dedicationem baptisterij seu templi cum alijs uenturum, ministerij causa, libro quarto.

¶ Sed nunc ad scripta illius. Eorum quæ extant Basileæ impressa, hæc numerantur:

Epistolarum ad diuersos, libri nouem.
Panegyricus Anthemio Augusto.
Panegyricus Iulio Valerio
Panegyricus socero suo.
Ad Felicem.
Epithalamium Euritio & Hiberiæ.
Epithalamion Polemio.
Eucharisticon ad Faustum.
Epigrammata quædam.
Ad Pontium Leontium Burgi.
Laus Narbonensis urbis.
Propempticon ad libellum.
Cæsarum duodecim uitæ.

Trithemius, qui horum scriptorum ordine meminit, addit, eum præterea etiam alia quædam scripsisse syntagmata, quorum titulos studio compendij prætereat. Petrus Crinitus permulta hunc scripsisse cùm soluta oratione, tum uario genere carminum, narrat. Petrus de Natalibus addit, eum scripsisse etiam librum causarum. quod ipse etiam uidetur innuere libro nono, epistola ad papam Lupum, his uerbis: Scripseram librum, sicut pronunciatis, plenum onustumque uario caussarum, temporum, personarumque congestu, &c. qui tamen non extat. Addit & alium, librum uidelicet excusatorium, ad uirum clarum Felicem: sed neque is extat. non enim arbitramur carmen illud esse, quod sub nomine Felicis, sine ullo cognomento, inter reliqua habetur. Et libro octauo, epistola ad Prosperum papam, narrat se res gestas Attilæ, & Aurelionensis urbis oppugnationem scribere cœpisse: sed operis magnitudine perspecta, eius se pœnituisse. Leo etiam, Theodori Gothorum regis à consilijs, eum ad scribendã historiam cohortatus fuerat: quod ipse tum modestè recusauit, epistola ad Leonem libro quarto. In epistola ad eundem libro octauo, propemodum uideri potest etiá Apollonij Pythagorici uitam transtulisse. Turonensis scribit, Sidonium nonnullas composuisse missas, quibus ipse librum cum Præfatione adiecerit, & quædam explicarit: libro secundo, capite uicesimo secundo. Sed quantum huic authori sit tribuendum, committimus uniuersque iudicio.

Ac ut de scriptis ipsius quædam moneamus, uideri potest Epistolarum librum quodammodo ad imitationem Plinij Secundi composuisse: cuius opinionis indicium quoddam præbet epistola prima libri noni, ad Firminum. In quo scripti genere magis probatur ingenium ipsius quàm iudicium, ut qui peregrinum quoddam genus dicendi, & quod plurimùm ex Gallico idiomate traxit, usurparit, Latinæ linguę puritate non ita ubique obseruata. quales à Grammaticis præterea accusantur Cassiodorus, Euodius, Fulgentius & Claudianus Mamercus, & alij huius seculi authores. De Sidonio certè uerè dicere possumus, ipsius orationem esse sæpius ineptè affectatam, ac plurimis inusitatis, peregrinis, obsoletis, item recens nonnullis, sed parum feliciter innouatis dictionibus & poeticis ac minus receptis phrasibus refertam: quales sunt alibi, consilior, consiliosissimus, prima epistola libro primo ad Constantium: uicinari, epistola ad Rusticium libro secundo: dies ninguidus, nox illunis, in oratione soluta, epistola ad Felicem libro tertio: opus prolarium, modò litera non sit mendosa, epistola fin. libro tertio ad Placidium, & aliàs sæpius: sermocinari Latialiter. item, uiantum uolas papyro onerare: item, Celsuratum, libro quarto, epistola ad Claudianum. Iuxta Origenem, Aganippici fontis per roscidas ripas & pumices muscidos stylum trahere: item, taciturire: epistola ad Constantinum libro octauo. Crepuscula scens, opica translatio perorandi flumen, succiduæ ætates, inclamatissimæ declamationes, bibatius, uomatius, liber musceus: epistola ad Leonem libro octauo. Fringultire angulatim: libro septimo, epistola ad Perpetuum episcopum. Ducalius, pro duci magis conueniente: libro octauo, epistola ad Nammatium. quod tamen authoritate Ciceronis defendere conatur, epistola ad Polinium, quæ inter Epigrammata posita est. Medioxumum, pro mediocriter: epistola ad Faustinum papam libro nono. Intermina intercessio, pro perpetua: epistola ad Fontellum papam lib. septimo. Episcopos omnes ad quos scribit, singulari phrasi Papas appellat. Et huiusmodi sexcenta alia

ta alia, quæ omnia singillatim enumerare nimis esset longum. hoc tamen minimè dissimulandum, in carmine satis fuisse felicem, nec mediocrem laudem inde sibi comparasse, præsertim in in Hendecasyllabis. Et commendantur cumprimis Panegyrici, quos Anthemio & Maioriano Augg. cecinit.

¶ Doctrinam tanti uiri, uel ex parte saltem cognoscere cuperemus. Sed hæc scripta quorum nobis est copia, non tantum suppeditant, ut de ullo articulo uel tenuiter quid in medium adferamus. Est tamen omnino hoc ipsius pietati, & priori in studijs philosophicis humanioribusque ardori ualde consentaneum: posteaquam ad Ecclesiæ ministerium uocatus est, omnes illas ingenij uires deinceps eum in sacrarum literarum, Propheticorum scilicet & Apostolicorum scriptorum lectionem contulisse, seseque totum studijs pietatis & cœlestis doctrinæ tradidisse: sicut ad Orosium epistola libro nono expressè scribit, se ex eo tempore quo ad ministerium peruenit, poetices studijs renunciasse.

Lectionis profectò Scripturarum fuisse studiosum, ista qualiacunque monumenta ipsius testantur, in quibus subinde ex Mose & prophetis exempla adducit. Imò ex epistola ad Eruagastum libro quarto apparet, Eruagastum illum petijsse à Sidonio, ut aliquid de sacris Scripturis interpretaretur: quod hauddubiè non fuerat petiturus, nisi compertum habuisset, Sidonium ita Scripturarum cœlestis doctrinæ cognitione instructum, ut tale quid præstare posset.

Patres quoque & priorum ætatum doctores Ecclesiasticos ipsum non diligenti tantum lectione, sed magno & acri cum iudicio euoluisse ostendit, quòd ceu obiter & aliud agens, breuiter tamen, & uix uno atque altero uerbo censuram quasi de ipsorum scriptis faciens indicat, in quo quisque ueluti peculiariter excelluerit, cum dicit: Iam si ad sacrosanctos patres pro comparatione ueniatur, instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius, astruit ut Augustinus, attollitur ut Hilarius, summittitur ut Iohannes, ut Basilius corripit, ut Gregorius consolatur, ut Orosius affluit, ut Ruffinus stringitur, ut Eusebius narrat, ut Eucherius sollicitat, ut Paulinus prouocat, ut Ambrosius perserat. libro quarto, epistola ad Claudianum. Item libro nono, epistola ad Euphronium episcopum, nominat Hieronymum interpretem, dialecticum Augustinum, allegoricum Origenem. Item libro secundo, epistola ad Domicium commemorat, quemadmodum aliquando in familiari doctorum congressu oborta sit quæstio, quare Adamantius Origenes, cum à Turranio Ruffino ita sit ad uerbum sententiamque translatus, ut nec ab Apuleio Phædon, nec à Cicerone Ctesiphon melius: tamen à plerisque protomystis seu primarijs sacerdotibus, ut tractator sequus cauendusq; improbetur.

Luctuosissimum fuisse Ecclesiarum Galliæ statum hoc seculo, historiæ produnt, propter gentes Gothicas & Vandalicas, quæ cum utplurimùm essent Arianæ, multum ab illis fuit periculi ac detrimenti doctrinæ Catholicæ fidei. Ostendit igitur Sidonius in hoc discrimine uigilantiam suam & zelū, pro defendenda ac conseruanda uera doctrina: actum ipse strenuè laborauit ac pugnauit aduersum ueritatis hostes, tum etiam alijs ut idem facerent hortator fuit. ut ex libro septimo ad papam Basilium apparet, ubi in hæc uerba pastores insidiarum commonefacit, inquiens: Namq; hostis antiquus quo facilius insultet balatibus ouium destitutarum, prius dormitantum incipit ceruicibus imminere pastorum. Ac subiungit: Tametsi suorum sibi peccatorum bene sit conscius, & fortasse plurimi zelum suum sinistrè sint interpretaturi, tamen se non posse propterea ueritatem prodere. Ac de Gotthorum rege nominatim inquit: uereri se, quòd non tam Romanis quàm Christianis sit insidiaturus legibus. Nam eum arbitrari, tantos sibi successus contingere, quòd ueram habeat religionem. Atque inde per apostrophen in Ecclesiasticos doctores insurgens: Propter quod, inquit, discite citò catholici status ualetudinem, ut apertam festinetis adhibere medicinam. Ac ut illos ueluti profundo sopore correptos excitet, ponit ob oculos Ecclesiarum certorum locorum calamitates: quòd nimirum orbatæ suis primarijs pastoribus, & pijs doctoribus, nec alijs substitutis, expositæ sint insidijs, non modò præsentium, sed & priorum temporum hæreticorum: quæ res maximam sit habitura fidei ruinam. Studium præterea ipsi non defuit componendorum dissidiorum: item iuuandi alios consilijs, intercessionibus, & alijs rationibus. Sic epistola ad episcopum Pragmatium, libro sexto, inter Eutropiam quandam matronam & Agrippinum presbyterum, quem suum fratrem uocat, dissidium quoddam componere laborabat: uerùm cum ipse parum proficeret, &

ad Pragmatium causa deferretur, interpellat apud ipsum, oratque ut eos in gratiam redigere curet ipse. Ad synodum quandam inuitat quendam nomine Pastorem, epistola ad eundem libro quinto. Intercedit item pro quodam Leuitici ordinis homine, qui Gotthicas incursiones fugiens, cum familia in territorium Censorij episcopi sese receperat. epistola ad eundem, libro sexto.

Duo presbyteri sese ipsi opposuerunt, & potestate rerum Ecclesiæ ei erepta, uix arctum ac tenuem uictum reliquerunt, & summa eum contumelia affecerunt. Sed eos tum mox diuina est subsecuta uindicta. Cum enim alter sub uesperam optimo seni acerbè minatus esset, se eum Ecclesia eiecturum, ac altero die, cum Ecclesiam ingressurus esset, prius aluum exoneraret, egesit simul cum sordibus ipsam quoque animam. Quo facto, Sidonius suæ restitutus est Ecclesiæ, & pristinæ potestati. Turonensis libro secundo, capite uicesimotertio.

Cum uiris autem illustribus, non tantum Ecclesiasticis doctrina & pietate præstantibus, sed etiam politicis, generis nobilitate, potentia ac functionum splendore clarissimis, familiarem Sidonio fuisse consuetudinem, manifestum est exeius scriptis. quales sunt, Theodoricus rex Gotthorum: cuius personam, uitam, mores, studia, actiones, item uictum & aulæ negocia prolixè describit ad Agricolam epistola, libro primo. Romani Occidentalis Imperij Principes, Auitus, Maiorianus, Anthemius, Recimerus: cuius nuptijs Romæ tum existens interfuisse uideri potest, ex epistola ad Heronium libro primo, & aliorum ad quos scripsit. Agricola, Filimatius, Gaudentius, Heronius, Eutropius, Vincentianus, Candidianus, Campanius, Montius, Sequanus, Catullinus, Auernus uir illustris: quo cumprimis familiariter usum apparet, epistola libri primi ad Montium. Hecdicius Auernorum (ut coniijcimus) præfectus: in cuius epistola nominat quendam Seronatum, sui seculi Catilinam. Domitius, Felix: cui gratulatur, quòd consecuto amplissimæ dignitatis gradu in familiam Filagiranam Patricius honos per ipsum redierit: libro secundo, epistola ad ipsum. Siagrius, Petronius, Pagatius, Explicius, Desideratus, Hesperius, Rusticus, Serranus, Maurusius, Hispacius, Eucherius, Riochanius, Tetradius, Simplicius, Secundus cognatus, Apollinaris, Probus cognatus & affinis, Claudianus episcopus Viennensium Galliæ, Mamertus: qui cum peculiaris ipsi intercesserit necessitudo. Mamertus siquidem ei quosdam de anima libros dedicauit, in cuius præfatione eum diserto rum eruditissimum, & ueteris reparatorem eloquentiæ, item fratrem amantissimum uocat. Sidonius uicissim ipsum in Epitaphio celebrat, & nominat eius obitum, damnum seculi sui: epistola ad Petreium libro quarto, & aliàs quoque in pluribus epistolis. Euodius, Indus trius, Petreius: cuius fuit auunculus Claudianus iste Mamertus. Vection, Polemius, Elaphius, Ruricius, Eruagastus, Lucontius, Florentius, Donitius: in cuius epistola describit regium iuuenem Sigismerum sponsum. Aper, Leo, Romanus postmodùm (ut existimamus) pontifex, cuius auum dicit Frontonem: libro octauo, epistola ad eundem. Proculus, Turnus, Dumnulus, Nymphidius, Amnastius, Secundinus, Aquilinus, Sapandus: ubi & Pragmatij illustris uiri meminit. Potentinus, Calminius, Pannicius, Papianilla, Eriphius, Attalus præfectus Heduæ, Prudens, Pastor, sacerdos Iustinus, Lupus papa, Trecassensis ecclesiæ episcopus: sicut coniectura ex epistola ad Sulpitium libro septimo, nos utita opinemur mouet. Pragmatius papa, Leuncius papa, Theoplastus papa, Eutropius papa, Græcus papa, Massilienfis episcopus, Censorius papa, Eleutherius papa, Patiens papa: qui ex epistola ad Hesperium libro secundo, Lugdunensis fuisse uideri potest episcopus. Migecius papa, Fontellus papa, Agræcius papa, Senonensis fortasse episcopus. Basilius papa, Euphronius papa, Perpetuus papa, Auspicius papa, Ferreolus, olim magnificus Valentiniani Imperatoris præfectus, nunc uerò episcopus. Sulpitius: ubi meminit Hymerij antistitis, ut uideri potest, Trecassensium: & nisi fallit iudicium, Lupi successoris. libro septimo. Filagrius, quem mirificè laudat. Saloni us, Chariabaldus abbas, Volusianus, Consentius, Iohannes, uir quidem in arte dicendi peritissimus. Fortunalis, quem apparet hominem fuisse Hispanum, nec uulgarem Sidonij amicum: epistola ad ipsum libro octauo. Nammatius, Audax, Lampridius, uir poeta & orator: ueluti hoc ex epistola ad Lupum libro octauo patet: quem à seruis interemptũ, ibidem & narrat & dolet. Trigeretius, Nouetius papa, Principius papa, Prosper papa, Aniani successor, in qua tamen ecclesia, non additur: libro octauo,

octauo, epistola ad ipsum. Faustinus papa, Aulianus papa, Ambrosius papa, Remigius papa, Anniculus papa, Orosius Hispanus (ut uidetur) Tarraconensis. Orosius, fortasse ille celebris Tonantius: Burgundion, doctus adolescens, cui recitat quædam exempla uersuum Sotadicorum, id est qui utroque modo, siue à priori siue à posteriori incipias, constant: quos ille recurrentes uocat, libro nono, epistola ad eundem. His Gelasium quoque commemorare libet, qui & ipse ex amicis eius fuit, ut ex epistola ad ipsum libro nono patet. Constantio octo epistolarum libros nuncupauit, cuius iussu eos etiam congesit: ut prima libri primi, & ultima libri octaui, epistolæ ostendunt. Burdegalis docuisse, patet ex Hendecasyllabo epistolæ ad Tonantium.

¶ Quod ad uitæ sanctimoniam attinet, ita in ministerio uixit, ut nemini esset offendiculo. Quam ad rem sedulò implorauit Spiritus sancti auxilium, tum ipse per sese, tum etiam aliorum precibus. Nam plurimum efficaciæ tribuisse alienis orationibus, pluribus ex locis scriptorum ipsius monstrari potest, ubi ualde anxiè piorum episcoporum ad Deum pro se misero peccatore preces efflagitat, quibus se multum iuuari confidit: sicut ex epistola prima libri sexti ad papam Lupum, & alijs sequentibus ad episcopos scriptis patet.

Maritus fuit, etiam cum esset episcopus: & liberos procreauit, eosq; educauit, & rectè instituit: ut ex epistola ad Aquilinũ, & ex Turonense apparet.

Cum præsentisceret adesse tempus mortis suæ, iussit se in templum transferri. Ac cum Ecclesia esset solicita de successore, bono animo eam esse iubebat: uidere enim Apruncului fratrem, qui diuina uoluntate sibi succedens, eorum futurus esset episcopus. Quod quidem populus, quid sibi uellet, tum minimè intelligebat: sed ueluti in excessu mentis ipsum locutum arbitrabatur. Turonensibus. Mortuus autem est primi Iustini temporibus, & quidem nono Calendas Septembris: ut tradit Petrus de Natalibus.

Quàm diu autem in gubernatione ecclesiæ præfuerit, certò sciri non potest. In epistola ad Orosium, libro nono, tres Olympiadas in silentio se decurrisse scribit, quo nullum nouum poema confecerit. & paulo antè dixerat, ex quo ad ministerium accessisset, prorsum se poeticis studio renunciasse. Anni ergo circiter duodecim hinc colligi possunt, quibus in ecclesiæ functione fuisset: quot autẽ ultra hos progressus sit, id non liquet. Floruisse ipsum sub Zenone circiter annum quadringentesimum octuagesimum quartum, Trithemius tradit. Verùm uidetur eum longius iusto remouere. Nam eius scripta testantur, eum celebrem fuisse Theodorici Gotthorum regis tempore: sicut, præter alias, epistola quæ est libro primo secunda, perspicuè hoc ostendit, ad Agricolam: & quidem illis ipsis temporibus, quando Imperium Occidentale post Valentiniani mortem crebris mutationibus per mutuas plurium Imperatorum cædes, sibi breui tempore succedentium, deq́ue Imperio certantium, miserrimè est laceratum, & cladibus uix multo tempore superatis afflictum, Maximi scilicet Auiti, Maioriani, Seueri, Anthemij, cum Orientis Imperium moderaretur Marcianus, & post eum Leo. Fieri tamen potest ut tempora Zenonis attigerit, præsertim in ministerio iam constitutus. Nam & ipse iam episcopus meminit alterius cuiusdam Gotthorum regis, quem Christianis legibus insidiaturum ueretur, qui rex ab eo Varix appellatur. libro septimo epistola ad papam Basilium.

Sidonio autem mortuo, mox alter ille ex aduersarijs ipsius presbyter, de quibus antè paulo mentionem fecimus, episcopatum occupat: & defuncto etiam quasi insultans, Deum Sidonij morte indicasse dicebat, se esse digniorem administratione rerum ecclesiæ, quàm Sidonium: ideoq́ue sibi hanc potestatem tradidisse. Ac Dominica sequente, cum pro inauguratione ciues magnifico epulo exciperet in ecclesiæ domo, ipseq́; inter primos lætus accumberet, ecce accidit, ut dum pincerna poculum bibituro offerret, simul etiam ueniam precatus peteret, liceret sibi quod per somnium ea nocte iniunctum sibi esset mandatum exequi. Visum etenim sibi in magnis ædibus thronum positum, in quo augusta specie iudex quidam sedisset tremendus, iuxtaq́ue stetissent plurimi tum alij, tum etiam ex sacerdotum genere, candidioribus uestibus amicti, quos inter fuissent etiam Sidonius & presbyter ille, ei in uiuis inimicus, in iudicio simul concertantes. ac Sidonius sanè iudicis sententia causam uicit, & aduersarius in squalidissimũ carcerẽ est coniectus. Quo facto, (inquit ad episcopum pocillator) cœpit te quoq; idẽ Sidonius accusare, ut qui communem cum altero suo aduersario causam,

in te receperis, istiusque te iniuriarum participem feceris. his auditis, iudex sollicitè inquirit, quem ad te mitteret. hoc ego intelligens, cœpi me inter illos qui coràm adstabant occulere, ne mihi id expediendum mandaretur. Verùm cæteris omnibus abeuntibus, cum ego solus contremiscens relictus essem, uocauit me Rex ille, serioque ac seuerè ut te accerserem, præcepit. id ni facerem, extremum mihi supplicium, intermissi mandati fore præmium. Quare te moneo & hortor, ocyus & sine ulla mora iudicis ante tribunal te sistas. Qua narratione ita exanimatus est episcopatus inuasor ille, ut poculo quod tenebat è manibus lapso, ipse humi caderet, spiritumque redderet. Eo autem sic diuina ultione sublato, paulo pòst Lingonicæ ciuitatis episcopus Aprunculus sua ecclesia pulsus, eò aduenit: & ne uanus ac fanaticus uates fuisse haberetur Sidonius, subrogatus est iste Aprunculus in eius locum. recitat Turonensis libro & capite suprà memoratis.

MARTINVS TVRONENSIS.

Martini monachi, & Turonensium postea episcopi uita & res gestæ, prolixè à Seuero Sulpitio descriptæ extant: è cuius narratione, superflua resecantes, potiora quæque excerpemus, & ad nostri instituti ordinem recitabimus.

Oriundus fuit Sabariæ Pannoniorum oppido, Claudij Cæsaris colonia, ut ex Plinio conijcitur. Sed intra Italiam Ticini enutritus à parentibus, quos habuit gentiles quidem, sed tamen non obscuros, nec omnino infimo loco habitos, propter militiam cui pater fuit deditus, in qua è milite gregario tribunus factus est. Ipse puer Martinus iam inde à primis pueritiæ suæ annis, occulto ac diuino quodam impetu ad Christianismum ferebatur. Cum igitur decimum ætatis annum egressus esset, inuitis parentibus ad Ecclesiam se confert: precibusque hoc obtinens, fit catechumenus, atque exinde totum Christianæ doctrinæ & pietatis sese studijs, exercitijsque dedit. Narrant, eum anno duodecimo ætatis in eremum sese recipere uoluisse: sed obstitisse ei imbecillitatem ætatis. Verùm quis id credat esse uerisimile, in adolescente?

Anno decimoquinto ætatis ad militiam, sub Constantino & Iuliano (quod tamen non congruit cum historiæ ueritate) dicitur hac occasione adactus. Edictum fuerat à regibus, ut ueteranorum filij ad militiam scriberentur. Parens itaque Martini, homo militaris & gentilis, qui filium ob religionem Christianam oderat, ipsum producit, inuitum ac repugnantem: & uinctum tradit, ut sacramentis militaribus adstringatur. hinc militiam toto triennio secutus est, priusquam baptisaretur: tanta quidem fide & integritate, ut non tam Imperatorum quàm Christi militem ageret.

Post illud triennium, cum iam esset annorum duodeuiginti, sacrosanctum illud ac salutare pietatis ac militiæ Christi accipit sacramentum baptisma, ac militiæ renunciare statuit. Quo minus uerò statim id faciat, in causa est ipsi Tribunus illius, cuius precibus euictus, quòd polliceretur se quoque, tribunatus sui tempore exacto, è castris discessurum, perbienium ferè in ipsius gratiam post baptisma in militia perdurauit.

Cum autem irruentibus in Galliam barbaris, Iulianus apud Vangionum ciuitatem pugna decertaturus esset cum hoste, ac munera distribueret ex more militi, quo animos adderet, Martinus ad eum ait: Hactenus tibi Cæsar militaui, nunc quæso concede ut & DEO militem: munus tuum pugnaturus accipiat: mihi, qui Christo meo nomen dedi, pugnare deinceps non fuerit integrum. Ad hanc uocem infremuit tyrannus: eumque metu pugnæ, quæ postridie futura erat, dixit, non religionis gratia, militiam detrectare. Martinus respondet: Si hoc ignauiæ meæ tribuitur, non fidei: En ego cras uel inermis in acie stare non recusabo, mediosque hostium cuneos penetrare, non clypeo aut galea protectus, tantum signo crucis, idque in nomine domini IESV. Hoc dicto, mox arreptus, & in custodiam est conclusus, postero die obijciendus hostibus inermis, ut dictorum eius fides probaretur. Die autem iam qui prælio designatus erat, exorto, hostes legatos ad Cæsarem mittunt, & pacem constituunt. atq; hoc modo citra sanguinem dirempta est pugna, & Martinus liberatus. Quam quidem incruentam uictoriam, pietati ac precibus diui Martini acceptam ferunt scriptores.

E militia dimissus, confert se ad Hilarium Pictauiensis ecclesiæ pastorem, quis temporis illius doctor erat ualde celebris. Hilarius, quòd uideret ipsius pietatem multũ prodesse posse Ecclesiæ, diaconi munus ei refert: uerùm qua erat modestia, arbitrabatur se imparem tãto officio, sed tamen uidere-

uideretur penitùs Eccleſiæ ſuam operam denegare, infimi gradus ordinem recipit, fitque exorciſta, ſiue (ut alij habent) lector. Inde uerò non ita multo tempore interueniente, ſomnio (ut ferunt) monitus parentes, quos gentilitatis errore implicatos reliquerat, reuiſit, matremq; & alios plurimos uerbi prædicatione ad ueritatis agnitionem perduxit, patre tantũ fortiter in errore perſiſtente. Dum abeſt in patria, Hilarius hæreticorum factionibus loco pellitur. Id cum cõperiſſet in itinere, Italiam repetit, & Mediolani monaſterium ſibi extruit. Verùm pulſus inde ab Auxentio Arianorum principe, in inſulam Gallinariam ſecedit, comitatus presbytero quodam, uiro & ipſo magno. Interea reuerſus ad Eccleſiam fuerat etiam Hilarius. quare omnibus poſthabitis, Martinus quoque ad eundem redit: cuius reditus ipſi etiam fuit exoptatiſsimus. Cumque apud eundem, ut uidetur, deinceps cõmorari decreuiſſet, monaſterium ibi non ita procul ab oppido ſtatuit.

Hinc poſtea uocatur ad gubernationem eccleſiæ Turonenſis. Verùm quòd ab illo ſuo qualicunque tuguriolo facilè auelli nõ poſſet, nec ſponte inde ad ſuſcipienda gubernationis onera digredi uellet, arte in ipſo illinc diſtrahendo uſi ſcribuntur Turonenſes. Erat quidam ipſorum ciuis Rinicius: is ſimulata uxoris infirmitate ipſum adit, & petit ut ſecum eat, ipſamque curet, (nam ob miracula edita iam tum ſanctitatis ſibi nomen conciliauerat.) Egreſſum, per loca diſtributi ciues alij excipiunt, & ſic ad ciuitatem ſub cuſtodia deducunt. Commemorant ingentem uicinarum paſſim urbium confluxiſſe multitudinem, ad ferenda ſuffragia in ipſius electionem: & conſentientem omnium fuiſſe uoluntatem, congruentia uota, & ſimiles ſententias. nec tamen prorſus defuiſſe, præſertim ex epiſcopis, ad ipſius conſecrationem euocatis, qui ipſius ordinationi aduerſati ſint: quòd perſona eſſet contempta, nec epiſcopatu digna, ueſteque ſordida uteretur. Ac unum quidem nominatim producit Sulpitius, cui nomen Defenſoris facit. Verùm eum confuſum eſſe cum ſuis, populi clamore: ac ſub Valentiniano maiore id factum eſſe, idem indicat in ſecundo Dialogo de uita Martini Turonenſis: & libro decimo, capite trigeſimo aſſerit eum anno nono Valentis epiſcopum fuiſſe.

Præſcientia quoque futurorum euentuum præditus fuiſſe uidetur. nam in patriam profecturus, comitibus ſuis pericula itineris prædixit, quæ poſtea acciderunt. Etenim primo ſtatim itinere, inter alpes, in latrones incidit, qui ipſum interfecturi erant: ſed eum Deus ſeruatum eripuit, unoquoque ex illis prædicatione ipſius conuerſo.

Maximo tyranno, qui occiſo Gratiano Imperatore à militibus fuerat creatus, prædixit: Si Italiam petiturus eſſet, Valentiniano (iuniori nimirum) bellum illaturus, fore quidem ut eo profligato, tum uictor euaderet: ſed non ita multo tempore pòſt, ab eodem ſe interfectum iri. quod & accidit. Præſciuit etiam ſuæ mortis tempus: id enim diſcipulis ſuis indicauit, ut infrà dicetur.

Habuit & donum ſanationis. non enim modò generis omnis infirmitates etiam abſens curauit, ſed & mortuos ſuſcitauit: ut exempla quæ ex numeroſa multitudine pauca recitabimus, oſtendent.

Poſt reditum eius ad Hilarium, priuſquam ad epiſcopatum uocatus eſſet, cum caſulam qualemcunq; ſibi, ut antè dictum, ſtruxiſſet, iunxerat ſe ei quidam catechumenus. qui ipſius pietate & ſanctiſsimis inſtitutis imbui cupiebat. is cum in febrim grauiſsimam incidiſſet, paulo pòſt ſubitò extinguitur, Martino per triduum abſente. Reuerſus igitur inuenit exanime corpus, & lugentium fratrum frequentiam qui extremum pietatis officium defuncto exhibere parabant. Itaque perturbatus tam inopinato ac ſubito caſu chariſsimi diſcipuli, maximè quòd ſine baptiſmate deceſſiſſet, accedit flens & ipſe: omnibusque cæteris foràs miſsis, ſolus cellulam ingreditur, ſeque ſuper demortui diſcipuli membra poſternit, ac oratione ardenti eum in uitam reuocat. Vitæ autem redditus, ſtatim baptiſatus eſt, & plures poſtmodùm uixit annos.

Eodem modo in agro Lupicini, cum fortè præteriſſet, & lugentium eiulatus audiſſet, accedens, uidet quendam iſtius familiæ ſeruulum laqueo ſibi uitam finiſſe: & reſuſcitat eum quoque, ardenti inuocatione.

Treuiri puellam, quæ duodecim annos paralytica decubuerat, ſanitati reſtituit. Ibidem cuiuſdam Tetradij ſeruum, obſeſſum à maligno ſpiritu, manuum impoſitione liberat, dæmone eiecto: ex quo ipſe Tetradius quoque conuerſus eſt ad fidem Chriſtianam, qui hactenus gentilis fuerat.

Leproſus Pariſiorum urbe à Martino oſculatus in porta, mundatus eſt. In Carnotena ciuitate oblata eſt ei puella quæ ex utero matris ad duodecimum uſq; annum muta fuerat. eam infuſo ſacrati olei liquore, & oratione, facit rectè loqui. narrat ab initio tertij Dialogi Sulpitius.

Illa quæ

Illa quæ de fimbrijs eius ueſtimenti, ac de epiſtola puellæ febricitanti impoſita fabulantur, & ficticia & ſuperſtitioſa eſſe uidentur.

Multa miraculoſè ab eo facta eſſe in euerſione fanorum idololatricorum narrant: ut quòd ignis flammam, corripientem uicinam domum, obuius exceperit, & repreſſerit: & in alio fano euertendo protectus ſit à duobus angelis, ne à paganis arceretur. ſed quis exiſtimet eum non potius gentilium ſuperſtitionem oppugnaſſe docendo, quàm ædificia ſubruendo?

Narrant Valentinianum Imperatorem eum noluiſſe ad ſeſe admittere, cum putaret eum aliquid petiturum. Verùm Martinum, cum ſeptem dies cilicio indutus, & cinere conſperſus, orationibus uacaſſet, ab angelo iuſſum eſſe Imperatorem adire. Id cum feciſſet, fores per ſe patuiſſe, & Imperatorem ei aſſurgere nolentem territum eſſe, igne ſellam ipſius adurente: ac poſtea in precio habuiſſe.

Quod de mergis piſcibus inſidiantibus, dixerit, eos dæmonum referre imaginem, qui inſidientur incautis, & capiant neſcientes, & nequeant exaturari deuoratis, credibile eſt. Sed quòd ad uocem eius, mandantis ut peterent loca arida & deſerta, auolauerint, & nunquam eò reuerſi ſint. fabuloſè affingitur. His ſimilia ſunt, quę Sulpitius ad finem ſecundi Dialogi memorat, quòd frequenter angeli, item apoſtoli, Petrus & Paulus, cum ipſo conuerſati ſint. Item, ſe, Sulpitium unà cum Gallo, & ipſo Martini diſcipulo, aliquando præ foribus cellæ Martini ſtetiſſe, mutuumque colloquium inter ſeſe audiuiſſe: ac poſt egreſſum Martinum, interogatumque reſpondiſſe, Teclam ſecum, Agneté & Mariam fuiſſe: ipſisq; eorum tum uultum, tum etiam habitum retuliſſe. & ut fidem huic hiſtoriæ faciat Sulpitius, Chriſtum teſtem inuocat, ſe à Martino ſic referente excepiſſe. Eiuſdem generis ferè eſt quòd ibidem paulo pòſt addit: uidelicet per angelum, ipſi dum nauigaret, nunciatum, quid in ſynodo apud Nemanſum decretum ſit.

In miniſterio ſuo diligens & aſsiduus fuit, non tantum in docenda Eccleſia, ſed etiam quaſi ſacram ſcholam domi habuit. Nam diſcipulos plurimos fouit, quos ita inſtituit, ut cum fructu Eccleſijs præficerentur. Ac narrat Sulpitius, Eccleſias paſſim ex eius collegio petijſſe doctores & miniſtros.

Cæterùm ſeueritatem in adminiſtratione eum uſurpaſſe, uel illud exemplo eſſe poteſt: quòd Maximo, qui Gratiano & Valentiniano Imperatoribus, illo interempto, hoc fugato, rerum potitus fuerat, in faciem pœnitentiam præiudicauit: ipſiusque menſæ, ad quam ſæpius inuitabatur, intereſſe prorſum renuit: palàm dicens, ſe eius menſæ participem eſſe minimè poſſe, qui duos Imperatores, unum regno, alterum uita ſpoliaſſet. Cum interim plurimos epiſcopos, etiam qui è longinquo acceſſerant, non puderet ipſi adulari.

Etiam aliarum Eccleſiarum curam geſſit: & ut rectè omnia ubique agerentur, & conſenſus in doctrina & uita conſtaret, uiſitauit eas crebrò. quam ad rem aſello, Chriſti ſui archipœmenis exemplo, uſus eſt: ſicuti ex initio ſecundi Dialogi uidere licet. Et initio quoque tractatus de ipſius tranſitu, nominatim Candacenſis diœceſis mentionem Sulpitius facit.

Hoc maximè & in primis ſeduló curat, ut extirpatis omnis generis idolomanijs, ueritatis doctrina ubique propagetur. Propterea profectiones inſtituit: & cum ſuorum diſcipulorum, aliorumq; qui ipſi ſe coniungebant, comitatu in pagos abit, ubi urplurimùm adhuc Ethnici erroris uanitas uigebat: atque ibidem in euertendis gentilium templis mirè, & non ſine miraculis tumultuatur, & in conuertenda miſera plebecula plurimum ſibi laboris & operæ ſumit: ut in tertio dialogo Sulpitius refert.

Cauit etiam, ne alij ſuperſtitioſi cultus Eccleſias irreperent, qui ſimpliciores à recto uia in errores abducerent. Quamobrem cum non procul ab ipſius monaſterio locus eſſet, qui hominum opinione ueluti quibuſdam martyribus conſecratus, in ueneratione haberetur, adeò ut priores epiſcopi etiam altare ibi erexiſſent, nec tamen extaret uel nomen illius martyris, uel aliud quoddam monumentum quod de certitudine indicium facere poſſet, quis nam, unde aut quomodo ad martyrium peruenisſet: ne ergo temerè ſua authoritate ſuperſtitionem aliquam confirmaret, aut etiam receptæ religioni ſine ratione derogaret, cohibet ſe aliquandiu ab iſto loco. Quodam autem die acceptis ſecum aliquot fratribus, ad locum iſtum pergit, & ſuper ſepulchro ardenti inuocatione Deum precatur, ut dignaretur ſibi rei ueritatem patefacere. Reſpiciens autem ad læuam, uidet aſsiſtere umbrá ſordidam, cui imperat, ut edat nomen & cauſam martyrij. Edit nomen, & de crimine confitetur, ſe, quòd latro fuiſſet, ob ſcelera percuſſum, uulgi errore celebratum pro martyre, quibus cum ipſi nihil ſit commune. Ocyus igitur Martinus altare illud ſubmouere iubet, atque hoc modo populũ iſto ſuperſtitionis errore liberat.

¶ Petrus

¶ Petrus de Natalibus narrat, ipsum scripsisse librum unum de Trinitate, catholicam fidem complectentem.

Auentinus in suis annalibus libro secundo, sub Imperatore Valentiniano tertio narrat, Martinum Pannonia oriundum, & Galliciæ episcopum, scripsisse libellum de quatuor uirtutibus cardinalibus, ad Mironem regem Sueuorum, qui libellus Senecę attribuatur, sed falsò.

In ipsius doctrina excipienda, utinam eam fidem, idem studium, diligentiamque eandem præstitissent Sulpitius, quam adhibuit in asignandis & coaceruandis miraculis, & rebus interdum minus necessarijs, nec suspicione carentibus. Etenim fieri non potest, quin magna ipsius fuerit doctrina, cum magnam in legendis scripturis præstiterit assiduitatem: sicut Sulpitius testatur, non præterijsse momentum, nedum horam, qua non uel orationi uel lectioni inciubuisset. Est & hoc magnum ipsius doctrinæ testimonium, quòd idem dicit, in exoluendis Scripturarum quæstionibus fuisse ipsum facilem, & ualde promptum. Quanquam autem de alijs articulis nullis quicquam proferre possumus, de uno tamen, & quidem non minimo, sed præcipuo maximè, quid senserit, uidelicet de remissione peccatorum pœnitentiam agentium, testimonij loco esse posse arbitramur, dispurationem illam quam habuit cum diabolo. Qua primùm illi diabolus obijcit, imò ut perperam factum reprehendit, quòd in monasterium recepissent fratres, qui post baptismum erroribus implicati, illum perdidissent, licet conuersi essent. Ad quod Martinus: Antiqua, inquit, delicta melioris uitæ emendatione purgari, & per misericordiam Domini absolui à peccatis, qui peccare desinerent. Contrà diabolus, criminosos minimè ad ueniam pertinere, & semel lapsis nullum posse à Domino clementiam præstari. Cui rursum Martinus: Imò si tu ipse, ô miserrime omnium, ab hominum persecutione desisteres, & te factorum tuorum uel hoc tempore, cum dies iudicij in proximo est, uerè pœniteret, ausim ego tibi, Domino fisus, Christi misericordiam polliceri.

Huc reijciemus unum atque alterum ipsius apophthegma, quæ si minus de doctrina, de ingenio ipsius saltem qualiacunque indicia erunt. Cum ouem aliquando conspexisset tonsam: Mandatum, dixit, ista compleuit Euangelicum. nam cum duas haberet tunicas, unam earum largita est non habenti: ita ergo & uos facere debetis. Item, cum subulcum algentem ac penè nudum uidisset in ueste pellicea: En, inquit, Adam eiectus de paradiso, in ueste pellicea sues pascit: sed nos illo uetere deposito, qui adhuc in isto manet, nouũ Adam potius induamus.

Pratum quoddam aliqua ex parte à bobus depastum erat, nonnulla etiam pars à porcis suffossa, quædam autem illæsa flosculis picta uernabat. Hoc intuitus Martinus, ait: Speciem gerit coniugij pars illa quæ depasta, etsi non penitùs gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa uerò quam porci, pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. Cæterùm illa quæ nullam sensit iniuriam, gloriam uirginitatis ostendit: herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, & ultra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata, radiat. Beata species, & Deo digna: nihil enim uirginitati est comparandum. Ex quo dicto, hoc manifestum est, uirginitatem ipsum coniugio longè præferre. Et ut planius fiat, quid de coniugio sentiat, addemus & appendicem quæ dicto isti adhæret. Ita (inquit porrò) & illi qui coniugia fornicationi comparant, uehementer errant: & illi qui coniugia uirginitati æquanda æstimant, miseri penitùs & stulti sunt. Verùm hæc à sapientibus tenenda distinctio est, ut cõiugium pertineat ad ueniam, uirginitas spectet ad gloriam: fornicatio deputetur ad pœnam, ni si satisfactione purgetur.

Certamina.

Certamina etiam non leuia subijt, in quibus crebrò de uita periclitatus est. ut cum gentes, abolitis ipsorum idololatricis cultibus, dirutis templis, refutata impia doctrina, ad Christum omnium redemptorem, eiusque doctrinæ salutiferam cognitionem adducere conatur, ut ex superioribus intelligi potest. Quo quidem in certamine dignum est meminisse, quibus sit armis usus: uerbi nimirum prædicatione utplurimùm. sicut disertè Sulpitius ait, quòd opponentium sibi rusticorum, ne ipsorum templa destrueret, animos tantum uerbi prædicatione flexerit, & conuerterit, ut postmodùm agnita ueritatis luce, ipsimet suis manus iniecerint templis, eaque destruxerint sponte.

Fuit ipsi etiam multum negocij cum Arianis, quorum dogma, ueluti serpẽs quoddã contagium, totum penè inuaserat orbem, maximè autem in Illyrico. contra eos Martinum strenuè pugnasse, idem meminit: adeò ut istius hęreseos sacerdotũ perfidia publicè uirgis fuerit cæsus, & multis præterea alijs supplicijs affectus, donec demum etiã ciuitate est eiectus. Idem accidit ipsi etiam Mediolani,

diolani, ubi cum se quoque Arianis opponeret, autore ac principe ipsorum Auxentio plurimis affectus quoq; iniurijs, ad extremum ciuitate etiam est expulsus.

Si quando inter Ecclesiasticos dissidia oborta fuissent, ut ea quamprimùm composita conticescerent, nec graviores turbas darent, uehementer laborauit. Ita in ipso propè mortis limine, cum præsciret sibi uitæ finem instare: tamen non intermisit ad Candacensem abire ecclesiam, ut quod subitò exarserat inter ministros incendium discordiarum, in primo ortu, priusquam altiores flammas iáceret, sopiretur.

Interfuit etiam cuidam apud urbem Treuerim episcoporum conuentui, in quo ipsorum sententiæ, etiam Imperatoris Maximi accesserat cruentum decretum aduersum hæreticos Priscillianos: scilicet ut missis cum potestate ad Hispanias tribunis, inquisitio de hæreticis fieret: & deprehensis, tam uita quàm bona adimerentur. Quibus omnibus se opposuit. Ithacium quidem, unum ex episcopis Priscillianorũ accusatorem, usqueadeò increpabat, ut ab accusationibus tãdem desisteret, ac ipsi obiectaret palàm hæreseos infamiam. Imperatorem Maximum orabat, ut à sanguine miserorum hominum temperaret. Satis superque sufficere inquiens, ut episcopali sententia hæretici indicati ecclesijs pellerentur: hoc esse nouum & inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ iudex seculi etiam iudicaret. ac certè eò flexit Imperatorem, ut ipsi reciperet, fore ut nihil cruenti in ipsos statueretur: sicut in fine secundi libri sacræ historiæ narrat Sulpitius. Episcoporum autem actibus usque eò restitit, ut ipsorum communionem reijceret penitus. Hoc ipsi ægerrimè ferentes, Imperatori supplicarunt, uergere hoc in ipsorum maximam contumeliam, & totius ministerij, nec non actorum concilij maximum contemptum, sed & ipsorum hæreticorum confirmationem. His accusationibus accensus Imperator, retractat promissionem, missis ocyus in Hispanias, qui de hæreticis supplicia sumant. Hoc postquam cognouit Martinus, ueritus, quod fieri solet in eiusmodi afflictionibus, ne cum nocentibus etiam innocentes rapiantur, communicat demum cum episcopis: atque hac sua æquanimitate flectit rursum Imperatoris commotum animum, ut & ipse à sanguinarijs consilijs denuò sententiam reuocaret ad mitiora. Episcopi autem non contenti secum Martinum pio consilio, ut plurimos homines ab imminenti letho eriperet, communicasse, extorquere ipsi etiam cupiebant, ut eam communionem subscriptione firmaret: id uerò facere nullo modo uoluit, sed inde se statim proripiens abijt: sicuti tertio Dialogo narrat Sulpitius.

Afflictiones sustinuit non leues, nec paucas, sed plurimas, grauissimasque, ex quibus omnibus mirabiliter ipsum semper liberauit Dominus. Quemadmodum in latronum medio sit non modò conseruatus, sed prædicatione pœnitentiæ unum ex ipsis conuerterit, suprà est annotatum. Est & hoc iam antè memoratum, quòd ab hæreticis Arianis plurimis sit affectus iniurijs, dum ipsis est aduersatus. Narrat in fine libri de uita ipsius Sulpitius, quòd nonnullos habuerit persecutores, eosque non alios quàm Ecclesiasticos, ac maximè episcopos: ac nominatim producitur quidam Briccius, quem ipse in monasterio enutrierat, qui etiam post Martini obitum in functione succesisit. Eum Briccium multum molestiarum exhibuisse Martino, nõ Sulpitius tantum, sed & Turonensis libro secundo, capite primo refert. Nam & grauissimis sanctum uirum laceratse conuicijs, & ueluti delirum iam in senectute extremè contempsisse, quòd inanibus superstitionibus, & uisionum fantasmatis nimium tribueret: item quòd etiam in adolescentia sua militiæ impietatibus pollutus fuisset: contrà uerò se à primis annis in monasterio inter sacras Ecclesiæ disciplinas ab ipso institutum, ad ecclesiæ ministerium peruenisse. imò addunt, quòd etiam uix à manibus sibi temperarit. Causam quoq; huius commotionis adijciunt, quòd Martinus ipsum ut discipulum durius obiurgauerit, quòd posteaquam ad ministerium uocatus esset, diuitijs inhiaret, qui ante clericatum nihil habuisset. Verùm redijsse ad se tãdem Briccium, & agnita culpa deprecatum esse: qui facilè etiam ei uenium dederit, ut qui minimè ipsi hoc imputarit Briccio, sed ipsis dæmonibus, qui eò furoris eundem impulerint, quos in rupe ad monasterium Briccio acclamantes & uiderit & audierit, ut in fine tertij Dialogi recitat Sulpitius.

Media aliquando hyeme, cum in uisitatione noctu in cuiusdã templi sacrario subiectis paleis ad quietem sese composuisset, procul accenso foco: accidit, ut ipso dormiente ignis diabolo insidiatore paleas corriperet, & inde magnum oriretur incendium. Excitatus autem Martinus, cum egredi occlusus nequiret, & iam ipsius indumenta etiam consumerentur, ad orationis ac fidei munimenta confugit: ijsq; se aduersus uim ignis tutatur tantisper, dum effractis foribus fratres ipsum eriperent. narratur à Sulpitio, in epistola, quæ præfixa est uitæ Martini.

In pago

In pago quodam Heduorum, cum euerfurus esset templum idololatricum, irruit in ipsum magno furore multitudo rusticorum. Cumque unus ex illis commotior, stricto eum gladio impeteret, reiecto pallio, nudam percussori ceruicem præbuit: nec ille quoque cunctatus, ad feriendum uibrat gladium. ecce autem, iamiam percussurus, subitò prosternitur, ac totus diuino haud dubiè pauore consternatus, ueniam petit. Non est huic dissimile, quòd cum idola destruentem, quidam ipsum cultro ferire uellet, in ipso ictu ferrum ipsi è manibus est excussum, nec comparuit amplius. Rursum cum aliquando de cœnaculo grauiore casu lapsus, plurimis affectus esset uulneribus, ita ut in cella exanimis iacêret, uisus est noctu angelus ipsi uulnera abstergere, & contusi corporis membra salubri unguento inungere: ac ita postero die sanati integrè restitutum esse, omni dolore sublato.

Diabolus uarijs plurimisque phantasticis speciebus se ipsi obtulit, ac molestissimus ei fuit. Interdum in Iouis personam, plerunque Mercurij, persæpè etiam Veneris ac Mineruæ: aduersus quem signo crucis & oratione sese protegere solitus est.

In fine secundi Dialogi meminit Sulpitius, Martinum potuisse dæmones agnoscere, & suis nominibus increpare: ac in primis Mercurium ipsi fuisse præ cæteris infestum, Iouem autem hebetem ac brutum à Martino uocatum. Hæc sanè si uera sunt, haud obscurè indicant, Martinum nigromanticum fuisse.

Cum iter faceret reuisurus parentes, humana specie ipsi se obuiam fert diabolus, quærens quo nam tenderet? Ei respondens Martinus, quò Dominus uocat, inquit. Huic iterum diabolus: Quocunque ieris, diabolus tibi aduersabitur. Reddit Martinus: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. & statim euanuit species ista.

Est & hæc ualde insignis ludificatio. Die quadam, singulari cum maiestate sese Martino exhibuit, præmissa potestate, ipse purpurea luce circumdatus, regia etiam ueste indutus, immò & diademate redimitus ex auro gemmisque, ac se Christum esse professus est. cuius obtutu primùm stupefactus, hæsit aliquandiu Martinus. Cui diabolus: Agnosce, inquit, Martine, quem cernis: Christus ego sum. Verùm cum silentium teneret Martinus, repetit diabolus: Martine, quid dubitas credere, cum uideas? Christus ego sum. Tum ille: Non se IESVS Dominus purpuratum & diademate renitentem uenturum esse prædixit: neque ego Christum alio in habitu, formaque, quàm qua est passus, & crucis stigmata proferentem, ueniisse credam. Ad quam uocem spiritus iste malignus statim euanuit, suæque præsentiæ non dubia signa fœtorem grauem reliquit.

Cum adhuc militem ageret, occurrebat ei in porta Ambiensi pauper nudus, stipem petens. Verùm cum præter arma, uestemque militarem, eamque simplicem, ei suppeteret nihil: arrepto gladio quam gestabat, chlamydem mediam diuidit, partemque pauperi tribuit. Addit Sulpitius: Ea deinde nocte Martino in somnis Christum uisum, & illa suæ chlamydis parte indutum. Sed & uocem insuper auditam: Martinus catechumenus hac me ueste contexit.

Iniuriarum fuit tolerantissimus: pecuniarum uerò ac diuitiarum egregius contemptor. Nam cum aliquando oratione ac precibus suis, uiri cuiusdam Leontij funestas peste ædes, liberas à contagio reddidisset: isque uicissim pro beneficio, ut gratus esset, obtulisset centum argenti libras: ipse autem Martinus repudiaret munus, accesserunt discipuli, eique sunt monitores, ut aliquid saltem ad monasterij necessarios usus acciperet. nam omnibus ibi arctum esse uictum, multis quoque deesse indumenta. respondit: Nos, inquit, Ecclesia & pascat & uestiat, dummodo nil nostris usibus quæsisse uideamur.

De animi eius modestia dicit Sulpitius in prologo de uita eius, usque adeò ipsum fugisse propriam laudem, ut quantum in ipso fuerit, omnes suas uirtutes latêre uoluerit.

Postremò & hoc adijcere libet. Cum Treuiri in synodo, sicut antè dictum, communicasset episcopis, ut hoc modo commotum Imperatoris Maximi animum aduersus Priscillianos placaret, ne quid cruentum in eos experiretur: tanta post tuum digressum ductus est pœnitentia, ut angelum ipsum consolatum scribat Sulpitius in tertio Dialogo. Imò palàm Martinum confessum, ob eam communionem manifestè priorum in se uirtutum decrementa sentire.

Nunc de ipsius obitu: eum peculiari tractatu descripsit Sulpitius. Cum in Candacensi ecclesia dissidia sustulisset, ad migrandum in æternam patriam sese composuit: uocatisque fratribus, suæ resolutionis tempus iam adesse, ipsis nuncia-uit. Qui cum plangentes ipsum circumsisterent, motus & ipse, hæc uerba pronunciasse fertur: Domine, si adhuc populo

tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat uoluntas tua. Malignum spiritum propè astare cum uidisset: Quid tu hic, inquit, adstas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies: Abrahæ me sinus recipiet. atque hoc dicto simul spiritum reddidit, cum per dies aliquot cũ febre orationib. ardentibus ac uigilijs luctat⁹ esset, cinere & cilicio prostrato usus, nec mollius etiã amicorum & fratrũ precibus aliud admittere uolés: anno ætatis octogesimoprimo, episcopatus uerò tricesimosexto, tertio Idus Nouembris: anno autem Domini, iuxta Bergomensem, quadringentesimo decimo, aut quadringentesimo quarto, ut colligitur ex Dialogo secundo & tertio Sulpitij. ubi dicitur, sedecim annos uixisse post synodum Treuirensem, quæ (iuxta Prosperum) fuit anno trecentesimo octuagesimooctauo. Quod autem Petrus de Natalibus numerat annos quadringentos octogintasex, mendosum est: ut patet ex libro texto, capite 52.

De huius uirtutibus magna apud Turonenses uolumina conscripta suo tempore extitisse, narrat Gregorius Turonensis capite primo libri secundi. Scripserunt eius historiam uitæ etiam Fortunatus, & Paul⁹ Petri, carmine uterque: qui tamen à narratione Sulpitij non discedunt.

BRICCIVS.

Briccij patriam & familiam ignoramus, propter scriptorum negligentiam. De ipsius pueritia & uitæ progressu, ex fine libri quem de uita Martini conscripsit Sulpitius, uel ipso Briccio narrante satis constat, ipsum à primis statim annis traditum fuisse in scholam Martini, atque ab eodem diligẽti institutione enutritum, & per gradus ad ecclesiæ ministeria paulatim adhibitum esse.

Qui tamen erga suum, sibiq́ue optimè cupientem præceptorem parum reuerenter se gesit. Nam & Sulpitius & Gregorius Turonensis libro secundo, capite primo commemorant, quòd ipsum, præsertim iam senio confectum, ueluti delirum contempserit, seq́ue ipsi prætulerit, eius actiones calumniatus sit: à conuicijs quoque non modò non temperarit, sed etiam manus uix cohibuerit: tantum ideo quòd cum uideret optimus senex quędam Briccium petulantius interdum agere, & leuibus ac uanis rebus nimium indulgere, durius eum increparet, obiurgaretq́ue, & ad seria pietatiq́ue magis conuenientia reuocaret. Martino defuncto, communi ecclesiæ consensu episcopus designatus est, ut refert Turonensis.

In gubernatione ecclesiæ qualem se gessit, uel in rerum administratione, uel etiam in pietatis doctrina tradenda & propaganda, nihil dicere possumus, quòd autorum narratione destituamur. De afflictionibus eius ista recitat Turonensis. Prędixerat ei Martinus multas afflictiones, ubi ad episcopatum peruenisset. Anno ergo tricesimotertio, posteaquam ad ecclesiæ gubernationem accessisset, exortus est aduersus ipsum tumultus grauis, qui eum ab ecclesia sua excusit, huiusmodi de causa. Mulier quædam, quę mutata ueste religionem profitebatur, solebat ei uestes suas lauare. ea grauida est facta, peperitq́; filium. Populus suspicionem de Briccio capit, eũque lapidib. obruere parat. Ille uerò constanter negans eius se criminis reum esse, iussit ad se infantem adferri, tricesimo abeunte die: eumq́; infantẽ nomine filij DEI adiurans, iussit palàm edicere, si ipse suus esset pater. Infans præter expectationem omnium, naturamq́ue, cum ea ætas naturaliter fari nequeat, disertè ac uerbis significantissimis elocutus, non agnoscere se Briccium parentem, neque ex ipso se esse genitum refert. Populo autem amplius urgente, ut Briccius porrò ab infante quæreret, quis ergo ipsi parens esset? respondit Briccius: Non est hoc meũ. Ego quod ad innocentiæ meæ probationem attinere arbitratus sum, feci: uos si quid præterea deliqueratis, ipsi quęrite. At populus furore percitus parui facit, quòd innocens ætas, etiã præter naturæ usitatum ordinem innocentiæ testimonium perhibuisset Briccio, sed magicis id artibus effectum calumniantur. & conspiratione facta in ipsum irruunt, trahentesq́; ipsum inquiunt: Non posse se deinceps ferre, ut sub falsi pastoris nomine ipsis superbè imperet, dominęturq́;, & cum amplius satisfacere ipsis cuperet, ad defendendum suæ innocentię famam, accipit ardẽtes prunas, easq́; in lacinia sui ueſtimẽti gestauit, usq; ad sepulchrum Martini, ibiq́; proiectis in cõspectu turbæ inquit: En cernite, quàm est mihi uestis hæc illæsa à prunarũ ustione, tam est mihi corpus meũ immaculatum à tactu huius mulieris. Verùm sed post multas iniurias eũ tandẽ eiecerũt. Briccius eiectus, recordatus est nõ tantum Martini fidelissimi præceptoris uaticinij: sed agnouit etiam culpam, merito suo sibi ista contingere, quòd in adolescentia sua, imò & iam maturior, reuerendum præsulem, suum & præceptorem & pastorem, parum reuereẽter, imò & cõtumelioſè habuerit: nec cognouerit ipsum singulare ac gloriosum DEI fuisse organum, per quod multa Deus salutaria Ecclesiæ operatus sit.

Profe-

Profectus autem Romam, integro septennio pœnitentiam egit, quæcunque in sanctum uirum commiserat deflendo & deprecando. Septimo exilij anno elapso, paratreditum, autoritate episcopi Romani, ad Ecclesiam suam. Cum itaque ad sextum ab urbe Turono lapidem peruenisset, ad uicum quendam, cui Landiaco nomen, commodùm interea ex febre moritur Turonensium episcopus Armentius, quem alterum à Briccio ipso absente substituerant. Huius obitus ea ipsa nocte statim Briccio per uisionem reuelatur. mox igitur ille ad suos: Agite ocyus surgamus, & ad tumulandum fratrem nostrum Turonicum episcopum maturè properemus. Festinantes igitur cum ad portam peruenissent, urbemque ingressuri essent, ecce per alteram effertur episcopus ipsorum demortuus. Quo sepulto, Briccius suam recepit Ecclesiam, eamque deinde septem annis in pace gubernauit: quibus exactis, mortuus & ipse est, cum Ecclesiæ præfuisset annis quadraginta septem, exilij annis simul numeratis. Mortuus autem uidetur sub finem Theodosij iunioris, paucis annis antequam ad Imperium uocaretur Marcianus, circiter annum Domini quadringentesimum quinquagesimum primum.

De ipsius uitæ sanctimonia constanter affirmat Turonensis, & Petrus de Natalibus, castissimè suam ipsum exegisse uitam: licet in suspicionem pessimam apud plerosque incidisset, ut ex antè memoratis claret. Alias non dissimulant, eum etiam in ministerio iam episcopatus multo tempore aliquid retinuisse uanitatis ex adolescentiæ annis, superbiæ quoque nõ parum. id quod nonnihil confirmare uidetur uox illa populi, ipsum eijcientis: Non patiemur te nobis diutius dominari sub falso pastoris nomine.

IVSTINIANVS.

Turonenses, Martino electo substituerant Iustinianum: eumque Romam misserant, ut causam aduersum Martinum seriò ageret. quod ni magno studio facturus esset, fore ut ipsum quoque nõ minus quàm Martinum gratuiter affligerent. Profectus itaque, cum Vercellas peruenisset, Italię ciuitatem, occulto Dei iudicio ibi morbo correptus, obijt peregrinus. Recitant Turonensis libro secundo, capite primo: Petrus de Natalib⁹ libro decimo, capite quinquagesimoquinto, de Sanctis in mense Nouembri.

ARMENTIVS.

Iustiniano mortuo in profectione, suffi-ciunt Turonenses in eius locum quendam Armentium: de quo nec ipso aliud comperti quicquam habetur, quàm quòd eo ipso anno, immò illa ipsa nocte, qua ab exilio reuersus Briccius, ad urbem accessisset, ipse hinc migrans, lucem hanc reliquerit: & Briccio altera porta ingrediente ciuitatem, Armentius altera elatus, ac Briccius in suum pristinum statum sit restitutus. Commemorant utrique in illis ipsis locis.

Fieri autem potest, quòd Deus istis septem exilij annis Briccium iuuentutis delictorum ac petulantiæ aduersum optimum senem Martinum commonefacere uoluerit, ipsumque hac calamitate ad pœnitentiam uocare: uerùm interim tamen mortibus istorum duorum hauddubiè iudicium suum declarare manifestè uoluit, quòd minimè probarit, quòd electo legitimo pastore (etiamsi in speciem aliquam causam Ecclesia habere uisa sit) ipsi sua opera populum abuti passi sint, ac fortasse etiam Ecclesiam de peccato in pastorem commisso non arguerunt, imò alter etiam ad amplius persequendum uerum pastorem sese ueluti ministrum præbuit.

EVSTOCHIVS.

Briccio Ecclesiæ suæ re sti tuto, posts exactum septennium mor tuo, Eustochiu succesit: ut narrat Turonensis ibidem.

PERPETVVS TVRONENSIS.

Perpetuus, quintus (iuxta Iuonem in Chronico) aut sextus, iuxta Sidonium in epistola ad Lucontium libro quarto, à Martino Turonensium episcopus, ad Martini cellulam templum insigne condidit: quod Salomonis cõparat Sidonius, & epigrammate ornat, ac eò non sine superstitione reliquias Martini transtulit, anno quadringentesimo septuagesimo secundo, iuxta Sigebertum, Imperatoris Leonis decimoquinto. Familiaris fuit Sidonio, ut ex eius epistola libro septimo ad Perpetuum appa ret. Duabus interfuit synodis: semel in urbe Venetiarum, in qua quidam conuenerant episcopi, ut episcopatum ibi constituerent: rursum cum ad ipsius ecclesiam sese contulissent uicini episcopi, ad celebrationem festi receptionis Martini, celebrat cum ipsis ibidem synodum, & quædam de Ecclesiastica disciplina condunt, in quibus ipse primum tenet locum, Seuerino consule: quod fuit (iuxta Marianum Scotum) circa annum Domini quadringentesimum sexagesimumprimum, Leonis Imperatoris quartum.

AGRAECIVS.

Agræcius Senoniæ episcopus, à Sidonio Bituricas ad ordinationem pastoris uocatur: in epistola ad eundem. ac uidetur metropolites fuisse. interfuit synodo Agathensi, & subscripsit. In synodo Carpentoracensi ipse absens, synodi decreto suspenditur à ministerio faciendæ rei diuinæ integro anno: propterea quòd uocatus in synodum ad reddendam rationem de ordinatione quadam ab ipso facta, nec comparuerit ipse, nec suo nomine alium miserit, qui causam pro ipso dixisset. Testatur hoc epistola synodi, ipsi missa, in qua ei hoc Patrum decretum denunciatur, in primo Conciliorum tomo, initio decretorum Leonis primi Romani pontificis.

REMIGIVS.

Remigio Francorum apostolo & patrono (ut eum Hincmarus nominat, qui peculiarem de eo librum conscripsit) ortum dedit pagus siue castrum Landunum. Petrus uerò de Natalibus libro nono, capite nono scribit, eandem ipsi urbem nascendi præbuisse locum, quæ temporis progressu ipsum postea episcopum sortita fuit: Remos scilicet Galliarum. Verùm is locum magis celebrem pro minus tum temporis nobili posuisse uideri potest, ob uicinitatem.

Parentes habuit ex nobili familia procreatos, & suo etiam tempore inter suos nominis maximi: Aemilium patrem, matrem Celinam, fœminam pietate claram. Fratres quoque habuit illustres in Ecclesia uiros, ut Principium, seu Patricium, ut Sigibertus habet, Ecclesiæ Suessorum pastorem: & alium, cuius nomen non exprimit Hincmarus. Cæterùm Remigij conceptionem fuisse miraculosam, prolixè narrat Hincmarus. Primùm enim matrem fuisse anum iam effœtam, & per ætatem sterilem. deinde, natiuitatem eius ante conceptionem à Deo reuelatam, & cuidam monacho, qui Montanus dicebatur, etiam nomen indicatum: idque hac occasione. Grauissimè quatiebatur & affligebatur uniuersa Gallia tyrannide & uastationibus Gotthorum & Vandalorum, quorum aliqui Paganismo, aliqui uerò Arianismo infecti erant. ibi ad Montanum anxiè orantem pro salute Ecclesiæ Christi, uoce ex cœlo sonante, patefactum esse ait, nasciturum quendam Remigium, qui ab istis calamitatibus liberaturus esset gentem Gallicam. Immò idem Hincmarus, pro istius temporis superstitiosa credulitate addere non erubescit: In peccatis quidem Remigium conceptum, natum uerò minimè, eo quòd in utero materno, ueluti olim Iohannes Baptista, sit sanctificatus: uerùm sine euidenti probatione. Natalem autem ipsius ad annum Christi quadringentesimum quadragesimumnonum refert Sigibertus, Theodosij uerò iunioris Imperatoris uicesimumsecundum.

Remedium autem eum uocatum esse in quibusdam recentioribus scriptis, narrat idem Hincmarus. Etsi autem cum doctrina eius, seu gubernatione, uel etiam uita sancta hoc nomen conuenit: tamen Remigio ei nomen fuisse, Hincmarus etiam istis uersiculis testatur, quos quidem calici insculptos fuisse etiam suo adhuc tempore ait:

Hauriat hinc populus uitam de sanguine sacro,
Iniecto æternus quem fudit uulnere Christus,
Remigius reddit Domino sua uota sacerdos.

Et hunc quidem calicem (ut hoc obiter notemus) suo tempore pòst pro redemptione Christianorum Normannis datum, idem memorat. Eo autem quòd in castro Landuno studijs uacauit in quodam Musæo, finxerunt monastici scriptores, eum solitariam uitam amplexum esse.

Mortuo Remensium episcopo Bennadio, frequenti totius populi concursu ad ministerium regendæ ac docendæ Ecclesiæ uocatur, eo quòd ipsius pietas & doctrina in illa iam ætate famam ipsi peperisset. Etsi autem plurimùm reluctabatur, & inter alia etiam infirmæ ætatis annos prætenderet, publica uoce contestatus, non esse ex usu Ecclesiæ, sed & præter receptum morem adhiberi infantes ad rerum gubernacula. Verùm quòd uideret populi consensum & uota, quæ constanti acclamatione testabantur, permisit se demum ipsorum uoluntati: maximè cum etiam diuinitùs moneri uideretur, ne diuinæ uocationi repugnaret. Neque enim affirmare ueretur Hincmarus, dum inter se certarent, Remigius reluctando, populus uerò urgendo, subitò noui & inusitati luminis radium super ipsius capitis uertice ab omnibus conspectum, immò & sua sponte unguinis sacri liquore totum caput delibutum apparuisse. Consecratur ergo episcopus solenni ritu, anno ætatis suæ uicesimosecundo, qui fuit (iuxta Sigebertum) quadringentesimus septuagesimusprimus à Christo nato, Leone Romani imperij sceptra tenente.

Eruditus & eloquens fuit, ut testatur Turonensis; & in poesi exercitatus, ut pa-

ter ex uersiculis suprà positis, quos ei Hincmarus tribuit. Sidonius libro nono, in epistola ad Remigium, commendat eum ab excellenti eruditione & eloquentia, adeò ut dicat non extitisse tum temporis uiri hominis orationem, quam Remigij peritia uel sine labore superare ac uincere non ualuerit.

In dandis eleemosynis fuit benignus, in uigilijs assiduus, in orationibus ardens, plenus dilectionis & humanitatis. In doctrina uerò eiusmodi, ut inter præcipuos locum cum dignitate obtineret. Prophetiæ donum quoque habuisse uidetur, nam regi Francorum Ludouico, quem alij Clodoueum appellitant, posteaquam Christianismum amplexus baptisatus esset, omnia prædixit, quæ uenturis seculis ipsi & suæ familiæ ac posteritati erant euentura. Miraculorum quoque, & multarum uirtutum munere clarum fuisse, Hincmari de uita ipsius narratio testatur: quæ aliud propemodum nihil est, quàm coacervatio quædam eorum quæ uirtute uerbi ac prædicationis, & orationis efficacia interdum, præter communem naturæ cursum, ad Dei gloriam, uel Euangelij propagationem, & Ecclesiæ incrementum effecit: sicuti epistola ea quæ sub nomine Hormisdæ papæ, tum in ista Hincmari narratione, tum etiam in decimosexto capite epistolæ eiusdem ad Hincmarum Landunensem ponitur, expressè habet, quòd prædicationem Remigij miraculorum signa sint comitata. Quorum omnium meritò principem locum sibi uendicat, quòd Francorum gentem uniuersam primus doctrina Euangelij ad fidem Christi adduxit, & potentissimum regem Clodoueum siue Ludouicum (ut Hincmari scriptum nominat) primùm, deinde etiam duas sorores, postmodùm etiam de exercitu ipsius reliquo tria millia hominum unà baptisauit: & effecit apud regem assiduitate doctrinæ, ut ecclesiæ Galliarum deinceps haberent defensorem strenuum contra barbaros istos homines, Arij blasphemijs plurimum damni dantes in pijs Ecclesijs. accepitque ex illo tempore plurimum incrementi doctrina pietatis & Euangelij in Gallijs. Et hæc est hauddubiè liberatio, de qua uates ille monachus consolationem acceperat diuinitùs.

Cætera quæ commemorantur ipsius miracula, inferiori loco sunt habenda: ut quòd sanationum donum habuerit, dæmones eiecerit: quòd mortuam puellam, cuius etiam Turonensis meminit libro secundo, capite trigesimoprimo, in uitam reuocarit: quòd eidem regi Ludouico uinum oratione consecratum præbens, spem fecerit, tamdiu eum hostibus suis superiorem futurum, quàm diu uinum illud duraret: & respondisse euentum, imò uinum illud toto belli tempore non defecisse, ceu Sareptanæ olim matronæ oleum & farinam. quòd eiusdem mortis regis momentum, absens spiritu cognouerit: quòd incendia oratione sua extinxerit, imò uisibiliter flammarum globos per portam quandam ciuitatis exegerit, & portæ exinde obstructæ in perpetuum rei monumentum addiderit imprecationem, si quis imposterùm aperire ausus esset: & secutam hinc quoque posterioribus temporibus tristem cladem tum hominum, tum pecorum, eius qui contrà facere tentauerat. Item, quòd uelocitate cursus ad restringuendum incendium, uestigia pedum impresserit durissimis saxis: quòd inania uasa liquoribus uini & olei, etiam inter baptisandum oratione redundare fecerit: quòd ad uerbum ipsius, molendinum quoddam terræ hiatu sit absorptum: quòd pagi cuiusdam hominibus, qui petulantia quadam & temulenti irritum fecerant opus ipsius, quo futuræ hominum egestati consulere cupierat, ex ipsius imprecatione graue & deforme corporis damnum, & uniuersæ ipsorum posteritati inhæserit, nimirum quòd cuncti uiri rapti sint, mulieres uerò strumosæ factæ. Item quòd alterius pagi hominibus perpetuas laboris & egestatis miserias imprecatus est, quòd ipsum reiecissent. Quòd syluis maledixerit: immò quòd etiam lac maternum fuerit salutare suo uati monacho Montano, qui ut primùm natus fuisset Remigius, lacte matris Remigij inunxerit oculos, & uisum receperit. Vt interim ridicula illa, & fabulis magis consentanea quàm uero, omittamus: ut quòd Petrus & Paulus noctu cum ipso conuenerint ad matutinas, & ab ipso benedictionem, lectionem recitaturi, petierint: & si quæ sunt similia, quæ ipsius laudes magis deformant quàm ornant.

Ecclesias ipsum uisitasse crebrò, & diligenter inquisiuisse, si qua fortè eorum quæ agenda essent, parum accuratè & minus studiosè ac seriò expedirentur, ex Hincmaro liquet.

In partem ipsius gubernationis hoc etiam accenseri potest, quòd Landunensis castelli ecclesiam à Remensi, ueluti filiam à matre, unde antiquitùs curari solebat, auulsit primus, propriumque esse fecit: & partem quoque eorum bonorum ac prædiorum,

diorum, quæ Clodouei liberalitate regia acceperat, ad gubernationem suæ Remensis ecclesiæ eidem Landunensi contulit. sed & proprium quoque ac peculiarem pastorem qui eam deinceps gubernaret, eis constituit: isque fuit omnium primus Genebaudus. idque factum sub annum quingentesimum, recitat Sigeberti Chronicon. In senecta certè sua hoc instituisse Remigium, disertè etiam Hincmarus narrat. Epistola Hormisdæ dicit, ipsum summi pontificis esse exemplum, dum prædicanda ipse faciat, & cæteris facienda insinuet.

Eius interpellatione multa beneficia Ecclesijs contulit rex Ludouicus, & Francorum proceres alij: & quidem in Remensi territorio tantam agrorum ac terræ aream à rege obtinuit, quantam illo tempore, quo rex interdiu somnum ducere solebat, circumire potuit: ac ne sibi eiusmodi bona quærere uideretur, & propterea fides Christi ac religio uilescceret apud eos qui recens ad Christianismum accesserant, nihil sibi ab eiusmodi collationibus reseruauit, sed ad ministerij conseruationem passim distribuit etiam alijs Ecclesijs. Prædia quoque ex Ecclesiæ ærario numerata pecunia comparauit. Sed & syluam in qua mansiunculas fecit, & certos homines in easdem collocauit, qui ad usum ecclesiæ Remorum per annos picem certo pondere penderent: & illud ipsum pensum suo etiamnum tempore ab istis hominibus exolui consuetum fuisse, Hincmarus refert. Terminos quoque omnibus ijs quæ ad ecclesiarum & ministerij conseruationem comparauerat, certos designauit: quos etiam ipsos sua adhuc ætate & mansisse, & nomen quoque Remigij seruasse, idem Hincmarus meminit.

Autor fuit Ludouico Francorum regi conuocandæ synodi in urbe Aurelia, cuius acta extant in primo Conciliorum tomo. Ac mirum sanè est, quòd in illis nulla Remigij fiat mentio, cum plurimorum subscriptiones referantur: maximè cum is inter omnes alios luminare quoddam magnum fuerit, quod Deus Gallicis ecclesijs accenderat in illis miserijs, quibus Arianismi tenebræ omnem penè purioris doctrinæ lucem obscurauerant. Nec perperam sanè uideri potest synodus ista uel præcipuè ob grassantem Arianismum, & omnia subuertentem collecta fuisse, uel ista. Vel alia certè, de qua idem Hincmarus meminit: quòd episcopi collecti petierint unà interesse Remigium, eo quòd in conuentu illo simul adesset Arianus quidam, dialecticis argumentationibus instructissimus, & disputando acerrimus, cui ipsum se opponere cupiebant. Cum igitur demum Remigius ingressus esset in congregatorum episcoporum Concilium, Arianus obmutuit: & agnito errore, pronus ad Remigij pedes procidit, ueniamque nactus est, quem etiam Remigius hac uerborum forma recepit, eique loquendi facultatem reddidit: In nomine Domini nostri IESV Christi, ueri filij Dei uiui, loquere, siquidem ita rectè de eo sentis: & de illo sicut catholica Ecclesia credit, crede & confitere. Hac uocem recuperauit: & damnato errore Arij, ueram sententiam se amplectj testatus est.

Ad hunc Remigium extat epistola Hormisdæ papæ: siquidem rectè ipsi tribuitur. in ea delegat Romanus pontifex uices suas Remigio per uniuersum Ludouici seu Clodouei regnum, ipsumque ueluti uniuersalem quendam pontificem & inspectorem ecclesiarum Galliæ constituit, & potestatem facit conuocandorum Conciliorum, dirimendarum controuersiarum, componendorum dissidiorum ac certaminum: ita tamen, ut non minimam partem gubernationis ac potestatis sibi reseruet, dum uult omnium gestorum acta ad se referri, & quasi rationem sibi reddi.

Scriptis profuit etiam Ecclesiæ. nam Bergomensis commentarios ipsum scripsisse refert, in uetus & nouum Testamentum perutiles. Petrus de Natalibus plurima ipsum condidisse opuscula narrat: ac nominatim recensetcommentarios super Psalmos, & expositiones in quatuor Euangelia.

Extant duæ epistolæ manuscriptæ, nomine Remigij. Vna ad Heraclium, Leonem & Theodosium episcopos, ut conijcimus: similium siquidem nomina recensentur in Catalogo episcoporum, qui conſtitutionibus Aurelianj concilij subscripserunt, quod Remigij consilio fuerat coactum. in ea epistola defendit sacræ Scripturæ testimonijs factum, quòd ipsum quendam grauiter presbyterum ad pœnitentiam receperat, quod isti (ut apparet) reprehenderant. Altera epistola, quæ extat ipsius titulo, ad quendam Falconem episcopum scripta est, qui cum expostulat, quòd nouus adhuc episcopus iurisdictionem suam inuaserit, conferendo ordines contra canones, in ijs locis quæ sibi metropolitano essent subiecta.

iecta. Arguit ipsius etiam auariciam, quòd non Ecclesiam, sed res Ecclesiæ quærat.

Sidonius in epistola ad Remigium libro nono dicit, quendam Auernensem plurima eius uolumina attulisse.

¶ De doctrina eius annotanda Hincmarus solicitus non fuit: & cum eius scripta non extent, non possumus affirmare quàm in doctrina purus & sincerus fuerit. Certè de coniugio & satisfactione eum parum rectè sensisse, testatur Genebaudi historia, quem episcopum factum, ob consuetudinem coniugalem septennij pœnitentia afflixit: nilì quòd postea eum desperabundum consolatus est, neminem de Dei misericordia desperare debere, citato dicto: In die illa erit fons patens domus Dauid, in ablutionem peccatorum & menstruatæ. & interpretans hoc dictum, inquit: Domus namque Dauid nobis peccatoribus fons patens in ablutionem est. quia iniquitatum nostrarum sordibus, per Dauid filium, saluatorem nostrum, aperta iam misericordia, pœnitentes & confitentes lauamur in sanguine suo.

In epistola illa ad tres episcopos, recte etiam defendit, ac Scripturæ sanctæ testimonijs propugnat articulum de recipiendis lapsis: quod isti reprehendisse acriter uidentur in Claudio quodam, quem ipse presbyterum & sacrilegij perpetratorem uocat. Ac fieri potest, ut hic Claudius sit Genebaudus iste, de quo suprà. facile enim est, ut elisis, mutatis, & transpositis paucis literis, ex Genebaudo Claudius fiat. Sed ipsius subscribemus uerba (expedit enim cognitas habere rationes, quibus sententiam suam tuetur:) Rogaui, inquit, ut Claudius sacrilegij perpetrator pœnitentiæ seruaretur. Legimus namque, legimus, quòd excidium cœlesti denunciatione prædictum, euaserint per pœnitentiam Niniuitæ: quam Iohannes præcursor Domini in Euangelio prædicauit, ut regno appropinquante cœlorum eam agerent, ne perirent. In Apocalypsi angelis Ecclesiarum scribitur ex præcepto Domini Saluatoris, ut quæ dignè minus egerant, pœnitentiæ satisfactione corrigerent. De iracunda dictione sanctitatis uestræ intelligo, quòd lapsum non miseramini post ruinam. Sed magis uelle uos uideo, ne conuertatur & uiuat, cum Dominus dixerit: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Hoc nos expedit sequi, hanc Domini uoluntatem non prætermittere, sed tenere: quia nos posuit non ad iracundiam, sed ad hominum curam, & seruire potius pietati quàm furori.

Autoritas eius tanta fuit, ut potentissimi principes istius temporis reuererentur eum, tametsi diuersæ essent religionis: ut Alarichus Gotthus Arianus, qui pro puella cuiusdam sui aulici, quæ à dæmone uexabatur, ad ipsum intercedit Remigium. Ludouicus item Francorum rex, Paganus adhuc, cum toto exercitu ipsum ueneratus est: qui cum Remos aliquando præterijsset, ac contra ipsius imperium quidam prædandi libidine urbem ingressi, inter alia ecclesiæ uasa, unus urnam abstulisset magnitudinis stupendæ, & pulchritudinis, ad preces Remigij statim Rex reddi iubet: & paulo pòst de eo, qui ne id fieret petulantius, sese opposuerat, supplicium propria manu sumpsit.

Cum annos septuagintaquatuor, & eo amplius, Remensem rexisset ecclesiam, mortuus est, anno ætatis nonagesimosexto, idibus Ianuarij, ut Hincmarus indicat. Quo autem anno Domini hinc discesserit, id non est satis certum. Circa annum quingentesimum, habet Lombardica historia. Circa annos Domini quadringentesimum ac nonagesimum, ipsum clarum fuisse, refert Petrus de Natalibus. Bergomensis annum addit quadringentesimum sexagesimumoctauum, in fine Zenonis. Sigebertus uerò dicit, eum mortuum esse circiter annum quingentesimum quadragesimumquintum. Cætera quæ Hincmarus nugatur, miraculosè circa eius sepulturam & translationem accidisse, superstitiosa & idololatrica sunt, & inter signa mendacia secundæ ad Thessalonicenses secundo locum habent.

AMATOR.

Ex Vincentij Speculo, Amator Antisiodorensis ecclesiæ episcopus cognitus est. cuias autem fuerit, non explicatur. Videtur tamen non modò ecclesiæ istius, sed & ciuitatis fuisse ciuis etiam ipse, & indigena. In adolescentia optimæ institutum in literis, idem narrat, sed breuiter: ac statim omissis potioribus, ad nugas sui seculi se conuertit, ac dicit, quòd ipsi à parentibus fuerit desponsata uirgo: uerùm ubi nuptiarum dies aduenisset, conueniisse inter se utrunq; sponsum & sponsam, & uirginitatis uotum fecisse. Quo facto, mox adfuisse angelum, qui duas ipsis coronas adferens, proposi-

tum ipsorum laudarit, & ad perseuerandum hortatus sit. exinde etiam uirginem se statim uirginum cœtui iunxisse, Amatorem uerò collegio ministrorum Ecclesiæ se sociasse. Quo in ordine ita uirtutum claruerit præstantia, ut istius loci episcopo Eladio defuncto, ipse in locum sit substitutus.

Miracula eum edidisse, & multos ad fidem Christi adduxisse, narrat Vincentius libro uicesimo, capite sexto. Et Petrus de Natalibus quædam alia fabulosa addit, quę nugatoribus reliquenda censuimus.

GERMANVS ANTISIODORENSIS.

Germanum non modò episcopum, sed & ciuem natum urbis Antisiodori, (quam Ptolemæo Antricum esse quidam arbitrantur, in Gallia Lugdunensi, ad flumen Sequanam) facit Speculum Vincentij libro uicesimo, capite quarto: idque ex ipsius gestis. Parentibus illustribus procreatum, & à primis statim annis, honestis ac liberalibus studijs institutum in Gallijs. Post scholas Gallicanas missum Romam, ubi iuris ac legum magnam sibi compararit cognitionem, idem commemorat. Inde se actionibus forensibus dedidisse: ex quo non laudem tantum maximam, ac nomen illustrius, sed & uxorem, genere etiam ipsam, & moribus diuitijsque opulentissimam, sit consecutus. Postea à Republica gubernationis honoribus cumulatum, commissamque ipsi esse præfecturam territorij Antisiodorensis.

Ex præfecto creatus est Ecclesiæ istius episcopus, & quidem inuitus ac præter omnem animi sui uoluntatem, expectationemque, cum templum aliquando ingressum, episcopus Amator cum uniuerso ministrorum collegio obsepsisset, & ad Ecclesiæ gubernationem ipsum eligens, manus nec opinanti iniecisset ei: à quo tamen paulo antè ad necem quæsitus fuerat ipse, ob clàm sibi succisam arborem, ex qua captarum in uenatione (cuius studiosissimus antè fuisse apparet) ferarum capita suspendere solebat, quique necdum sibi rectè placatus uideri poterat.

Mortuo autem paulo pòst Amatore, non tutum sibi fore ratus diuinam spernere uocationem, suscepit ecclesiæ istius gubernacula. Ibi addit Speculum, sicuti & eadem commemorat Petrus de Natalibus, ipsum Germanum cum genere uitæ etiam animum, mores ac habitum mutasse, induisse cucullam, distribuisse substantiam suam ac facultates omnes pauperibus: ipsum deinceps non usum pane ex frumento, non uino, non oleo, non denique sale, sed & legitimam uxorem repudiasse, & pro sorore tantum habuisse. Ac sanè ex Anshelmi in tertium caput primæ ad Timotheum apparet, eum maritum fuisse. Quæ si sunt uera, nec sui temporis consuetudine ista adiecit Vincentius, deploranda est tantorum istius iam tum ætatis doctorum cæcitas, qua reiectis Dei creaturis, quas sapientissimus Creator & benignissimus Pater ad hominum necessitates condidit, ethelothresceijs & propria uoluntate electis operibus Creatori suo seruire cogitarunt.

Tametsi autem de ipsius gubernatione & doctrina, ut plerunque in rebus istiusmodi summè necessarijs, nihil exactè tamen res ipsa loquitur, fuisse uirum præstantem in doctrina Christiana, qui corruptos doctores & ueritati contradicentes conuincere potuerit. Nam Prosper in Chronico scribit, ipsum à Celestino in Britanniam missum, sub annum quadringentesimum trigesimumsecundum, ut repressis Pelagianis, in Catholica fide eos confirmaret. Iuonis Chronicon commemorat, ipsum non semel, sed iterum, & quidem à Gallicanis episcopis, non à Romano, missum in Britanniam, propter Pelagianam hæresin, ut eam euelleret radicitùs, ne subinde suppullulascens uires sumeret, & ueram doctrinam obrueret. & prius quidem rum itineris, tum etiam laborum socium habuisse Lupum Trecasinum episcopum, postea uerò Treuirensem episcopum Seuerum: effeciisseque Christo auxiliante, ut eiectis penitus plantatoribus errorum, uerioris doctrinę ampliatio deinceps multum incrementi ceperit.

Tribuunt ei etiam miraculorum donum, quòd in incendijs furentibus sese flammis opposuerit: & illæ in ipsum, sed & loca ubi constiterit, grassandi uim inefficacem habuerint. quòd mortuos excitarit: quòd aliquando defunctum discipulum aperto monumento compellarit, quomodo haberet? & nunquid amplius secum militare cuperet? responderit mortuus: Omnia sibi esse suauia, nolle se isthinc reuocari. Similiter & Calsianum Augustoduni, qui & ipse de tumulo ei responderit. Item quòd alicubi hospitio susceptus, uiderit sub noctem turbam dæmonum, idem hospitium ingressam ho-

sam hominum speciebus, mensæ accubuis-
se, epulatosque esse. quibus adiuratis ne e-
uanescerent, introduxerit familiam, quæ-
sieritque, nunquid hos homines nossent?
cumque ipsi dixissent: maximè, nam esse
ipsorum uicinos, uicinosque homines pro-
bos: tum iusserit Germanus in istorum æ-
dibus explorare, num isti quos hic epulari ar-
bitrabatur, domibus suis abessent: & reper-
ti omnes isti suis in lectis domi dormire, at-
que hoc modo dæmonum ibi præstigiæ sint
hominibus patefactæ.

Hæc quoque recitant, quòd rex Britan-
nicus hospitium ipsi negauerit: subulcus
autem eius ipsum exceperit, non tecto
tantum, sed & conuiuio, mactato uitulo
quem habuerat unicum, quodque colle-
ctis ab uxore subulci ad Germani iussum
uniuersis ossibus in pellem, restituerit in-
tegrum uitulum. Imò rege quoque ipso
uerbi tantum potentia eiecto, subulco re-
gnum tradiderit, ex quo deinceps cæteri
Britannorum reges descenderint. Sed
hæc fabulis magis quàm ueritati consо-
nant. Saxones etiam Britanniam incur-
santes profligasse tradunt, nullis materia-
libus armis, tantum altioris uocis clamore
Alleluia.

De obitu ipsius referunt, quòd in redi-
tu è Britannijs diuerterit Rauennam, ad
Placidiam, & ibidem ex ægritudine diem
obierit, anno Domini quadringentesimo
& quinquagesimo, sui uerò episcopatus
tricesimo: sicuti libro uicesimo, capite de-
cimoquinto Vincentius annotat. Cor-
pus autem Rauenna Antisiodorum per-
latum, cum magna miraculorum gloria, ad
dit Sigiberti Chronicon, sub quadrin-
gentesimum quinquagesimum annum.
Ado Viennensis ætate sexta in Marciano
scribit, Seuerum patrem Indum natione,
instituisse consecrationem templi pro fo-
tibus Viennæ, ad quam hic se Germanus
accessurum, quoque pollicitus fuerat.
& cum ipsius aduentum expectarent, ac-
cidisse ut sub ipsam horam inaugurandi
templi, corpus Germani eò interquiescen-
di gratia perferretur: atque hoc modo im-
plerum quidem ipsius uotum, sed alia tamè
ratione.

ARANARIVS, *siue* SERuatius.

Aranarius, ut Gregorius Turonensis eũ
uocat: aut Seruatus, ut Petrus de Natalibus
& Sigibertus, Tungrorum episcopus fuit,
ac uixit paulo antè quàm Gotthi uasta-
runt Gallias. De quo prodigiosè mentiun-
tur, quòd Christi consanguineus fuerit, &
uixerit ultra trecentos annos.

Cum autem uideret impendère Tun-
gris magnam calamitatem ab Hunis, De-
um sedulò inuocauit, ut id malum auer-
teret, aut mitigaret: qua in re pij pastoris
officio functus est. Sed quòd, cum sen-
sisset in spiritu, preces suas irritas esse,
Romam sese receperit, & Petrum orarit, ut
apud Deum intercederet: ac iste respon-
derit, iusto iudicio Dei sic esse constitutum,
ut Galliæ affligantur: ipsum uerò in pace
emigraturum, ne uideat eam cladem: fabu-
losum & idololatricum est. Domum re-
uersus, impendentes pœnas suis ciuibus
annunciauit: sed potentiores eum expu-
lerunt, ut Petrus de Natalibus refert, ac
multi pij eum cum lachrymis prosequuti
sunt, petentes ut reuerteretur. Quod ille
recusans, Traiectum abijt. Turonensis li-
bro secundo, capite quinto: Sigibertus in
Chronico, sub annum secundum Arcadij
& Honorij.

GENEBAVDVS.

Genebaudus uir nobilis & maritus,
à Remigio episcopus Landunensis creа-
tus, pro istius seculi superstitione uxo-
rem repudiauerat, ita quidem ut non pror-
sus omni eam aditu prohiberet, sed ipsius
interdum ministerio uteretur. Ea occasio-
ne cum ipsa congressus, impregnauit eam
semel atque iterum: quod Sigibertus for-
nicationem cum uxore dicere non ueре-
tur. Remigius eum septennio integro, ut
pœnitentiam pro admisso ageret, inclu-
sit: sed diuinitùs admonitus, eum Eccle-
siæ suæ restituit. Hincmarus in uita Re-
migij.

BASSIANVS.

Bassianus gentilis, ex patre gentili Ser-
gio natus Syracusis, circiter annum æta-
tis duodecimum ablegatus Romam stu-
diorum gratia, ibi in pietatis Christianæ
doctrina à quodam presbytero Hordia-
no institutus, amplexus est Christianismũ,
& baptisatus est. Quod ubi parens ipsius
comperisset, statuit eum inde reuocare.
sed adolescens uisione monitus, Rauen-
nam aufugit, & ibi aliquandiu latitauit,
orationi ac pietati uacans, extra urbem,
in ecclesia Apollinaris, ut Petrus de Nata-
libus refert libro secundo, capite centesi-
mo primo. Tandem autem in ecclesia
Landensi episcopus creatus est. Virum
autem uirtute & doctrina insignem fuis-
se, Bergomensis in suo Chronico, in Ho-
norio affirmat. Petrus etiam miraculo-
rum dono ipsum fuisse celebrem nugatur.
Curasse enim eum paralyticum, mutum,
item leprosos plurimos. Quin & pue-
rum à serpentis ictu occisum restituisse in
uitam:

uitam : ab obsessa puella eiecisse dæmonem. Sed & ceruam à uenatoribus uulneratam, cum duobus hinnulis, ab ipso & quæsiuisse salutem, & consecutam. Res sanè iocularis & ridicula: adeò illis monasticis nugatoribus nihil commemoratione dignum uisum est, nisi miraculis, etiam apertè uanis, esset refertissimum. Ab Ambrosio Mediolanensium episcopo ex morbo decumbente uocatum, eiusque exequijs interfuisse hunc, idem Petrus commemorat. Adfuisse eum Augustino morienti, animaduerti potest ex illa quæ sub Paulini episcopi nomine extat narratio de Ambrosij uita. Ita enim eius ibidem fit mentio: Mortuus est sub annum Christi quadringentesimum decimumquartum, imperante Honorio, cum fratruele Theodosio iuniore, ætatis suæ nonagesimoquarto, Calendarum Februarij.

ANIANVS.

Tempore Imperatorum Marciani & Valentiniani, cum terror orbis Attila cunctas propemodum Europæ nationes horribiliter uastaret, iamque ad Aureliam similiter euertendam accessisset, refert Gregorius Turonensis libro secundo, capite septimo, eius urbis tum fuisse episcopum Anianum, singulari tum prudentia uirum, tum etiam sanctitate celebrem, qui & proprijs precibus, & coniunctis Ecclesiæ quoque suæ uotis, ab imminente clade urbem eripuerit: nimirum quòd Deus, ipsorum exauditis serijs orationibus, auxiliatorem miserit Aetium, qui cum iamiam muri urbis continua arietum concussione corrui uiderentur, adfuerit cum ingenti exercitu, & cum Attila memorabili ualde conflictu congressus, ipsum uicerit : & hoc modo sit liberata ista ecclesia à præsenti ruina.

De ipso scribit Sidonius libro octauo, epistola penultima, ad Prosperum, quòd Prospero successore decesserit: & quòd Prosper cupierit eundem summis laudibus celebrari, fideliumque pectoribus infigi talis tantique uiri mores, studia, merita & uirtutes, ut qui sanctus, maximus, consummatissimusque fuerit Pontifex, Lupo par, Germano non impar. Videtur etiam quædam similia Turonensis attingere istarum ardentissimarum precum, quas in ista tragica calamitate pro suæ Ecclesiæ liberatione ad Deum fudit, cum dicit: Et illa uulgata exauditi cœlitùs sacerdotis uaticinatio, &c.

Vincentius libro decimonono, capite duodecimo scribit, hunc Anianum successisse Enurcio, uel Euercio: additq; suo more, cum pro inauguratione eius cum solennitate primùm urbis mœnia ingressurus esset, petijsse ab istius urbis præfecto Agrippino, ut sibi hoc beneficij dare non denegaret, & quotquot in uinculis captiuos haberet, dimitteret in sui ingressus gratiá: uerùm quòd ipse Agrippinus tantum ipsi gratiæ minimè esset præstiturus, ex ruina lapidis magni ponderis ex alto lapsi, lethaliter uulneratum: sed ab Aniano curatum, conceSsisse tum demum, quod antè recusauerat, atque hoc modo liberos factos, qui in uinculis tum temporis detinebantur.

GALLICANI DOCTORES INCERTARVM Ecclesiarum.

SEVERVS SVLPITIVS.

SEuerus Sulpitius Posthumianus rhetor (nam ita habet inscriptio epistolæ ad Desiderium, cui libellum de uita Martini dedicat) Martino familiaris fuit, ac fortè etiam eius adiutor. Gennadius in Catalogo, nominat ipsum presbyterum Aquitanicæ prouinciæ: & præter alia uitæ ornamenta, etiam generis nobilitate fuisse clarum dicit.

¶ Inter eius scripta hæc hodie Dei beneficio extant:

Vita Martini Sabarienſis, Turonensi ecclesiæ Galliæ episcopi, ab ipso prolixè descripta. cui duæ præfixæ sunt epistolæ: una ad quendam Desiderium, cui opusculum illud dedicat: altera confutatoria calumnia torum Martini, qua obiter recitat historiá incendij, quo de uita periclitatus fuerat Martinus. Adiectus est & prologus in opusculum illud, & hæc coniuncta referunt ordinem primi libri.

Sequitur liber quasi secundus, de obitu & translatione Martini. Continet is primùm epistolam ad Aurelium diaconum, qua exponit ipsi obitum Martini, sibi per uisionem in somnis reuelatum, & duorum monachorum qui fortè aduenerant narratione confirmatam. Secundò alteram epistolam, de eadem re, ad Basulam, quam parentis nomine in titulo dignatur. Deinde de transitu Martini. Tertius liber habet tres Dialogos. In primo quidam Posthumanus, qui & ipse Martini fuerat discipulus, & per triennium deserta Orientis perlustrauerat, narrat Sulpitio & Gallo, quædam de institutis & uirtutibus monachorum Orientalium. Huic dialogo annexum

nexum est Appendicis loco scriptum aliud breue, iudicium quasi referens de scripto Sulpitij, quo Martini uitam est complexus. Item quandam collationem Martini cum monachis Orientalibus. In secundo recitat Gallus quædam de uirtutibus & miraculosè à Martino gestis, quæ Sulpitius in libro de uita ipsius data opera omiserat, ut qui potiora tantum & magis nota tradere uoluerit: sicut in Prologo ipse disertè fatetur, se tantum excellentiora dicturum, immò & comperta plurima omissurum. In Dialogo postremò continuat Gallus sermonem, obnoctis quietem interruptum, & prosequitur quod reliquum fuerat recitationis gestorũ Martini.

Gennadius enumerat etiam alia quædam, quæ scripserit: Epistolas ad amatorias plurimas ad sororem, quæ suo tempore passim extiterint. Duas item ad Paulinum Nolanum, item ad alios adhuc res quasdam secretiores continuerint, non ita passim tum temporis uulgatæ fuerint.

Ac ut de scriptis ipsius obiter hoc adiiciamus, testantur uel ipsa Chronica, fuisse ipsum summi ingenij uirum, & qui Attico dicendi genere non sine gratia usus sit: mira etenim breuitate res plurimas & maximas complecti potuit. Hoc quoque indicandum uidetur, quòd liber de uita Martini, quamuis in maximo fuerit precio passim apud plerosque in omnibus orbis partibus, ut Posthumianus apud Sulpitium commemorat: non tamen caruit reprehensione, etiam tum temporis, uel ipsius Sulpitij testimonio, qui in appendice primi Dialogi meminit, sub persona eiusdem Posthumiani, dixisse quendam, quòd multa in eo libro sit mentitus. Nec dubium est, quin, ut hodie extat, auctus sit pluribus monasticis fabulis & nugis.

Ad doctrinam quod attinet, præter insignem maximè næuum proferre aliud ex ijs quæ extant scriptis nihil possumus, qui est istiusmodi: quòd de mortuorum sanctorum meritis ac intercessionibus plura uidetur tribuere, & maiora, quàm quæ cum doctrina pietatis & sacrarum Scripturarum testimonijs congruere possint. Ita de Martino scribit in epistola ad Aurelium diaconum: Non deerit nobis ille (scilicet Martinus iam defunctus) mihi crede, non deerit, intererit de se sermocinantibus, adstabit orantibus, quod iam hodie præstare dignatus est: uidendum se in gloria sua sæpe præbebit, & assidua benedictione nos proteget. Et paulo pòst dicit: Propter peccati sarcinam, qua mole negato sibi ad astra ascensu, ad tartara usque deprimatur: spem tamen eam sibi solam, illamque postremam superesse, ut quod per se obtinere non possit, illud Martino pro se orante mereatur. Ad eundem modum etiam in scripto de Martini transitu, in fine, de ipsius protectione multum sibi pollicetur, sic inquiens: Illinc nos (scilicet ex sinu Abrahæ) ut spero custodiens, me hęc scribentem respicit, te legentem.

Hieronymus ipsum etiam Chiliastarum errore deceptum ait: Nuper, inquit, noster Seuerus, in Dialogo cui Gallo nomen impositum, pollicetur sibi & expectat auream Hierusalem post mille annos. Hieronymus in lib. undecimo Commentariorum in Ezechielis caput tricesimumsextũ. In Chronico asserit, angelos ob amorem mulierum lapsos esse.

De ipso Gennadius narrat, quòd in senectute sua à Pelagianis fuerit deceptus: ueruntamen agnouisse loquacitatis culpam, & propterea ad uitæ usq; finem silentium tenuisse, ut peccatum quod loquẽdo contraxerat, tacendo rursum emendaret.

Scriptorum tum sui seculi, tum præcedentium libros non neglexit, sed cum magno iudicio legit. Ita de Origene suũ iudicium ostendit, dum inquit: Ego miror hominem unũ eundemq; tam diuersum à se esse potuisse, ut in ea parte qua probatur, neminem post Apostolos habeat æqualẽ: in ea uerò qua iure reprehenditur, nemo deformius doceatur errasse. Item de Hieronymo, recitatore Posthumiano scribit, ipsum esse uirũ Latinis, Græcis & Hebræis literis ita institutum, ut ei se nemo comparare audeat. Item quòd idem Hieronymus primùm Origenem secutus sit, cuius tamẽ scripta pòst uel omnia, uel saltem præcipua damnarit. in cuius ampliorem commendationem etiam plura adijcit in Dialogo primo de uirtutibus Orientalium monachorum.

Maritum fuisse, & in Britannia ex matre Britanna genuisse Leporium, Balæus in Appẽdice de Leporio, quadragesimoquinto Britannico scriptore, Centuria prima refert. Monachũ fuisse, ex eius scriptis apparet. In epistola ad Aurelianum dicit, se solum in cella sedisse. Ac summæ modestię fuisse hominẽ, qui laudum ac gloriæ minimè fuerit appetens, inde liquet, quòd à Desiderio, cui libellum de uita Martini nuncupat, contendit, si uelit illum in publicũ edere, ut suppresso suo nomine hoc faciat.

Vbi

Vbi autem locorum certam habuerit manſionem, & miniſterium in Eccleſia obierit, certò haberi non poteſt. In Britannia Pelagianorum ſacerdotem nominat, & ibidem dogma illud ſparſiſſe, Balæus, in Leporio illo, & Appendice ſequente.

Tempore obitus Martini, apud urbem Toloſam ipſum fuiſſe, certum eſt ex epiſtola ad Baſulam parentem. Paulino Nolano fuiſſe charum, Gennadius recitat. Quàm autem fuerit diuturnum ipſius curriculum, id quoque non ſatis eſt exploratum. Cum Hieronymo eum uixiſſe planum eſt ex primo Dialogo, ubi paulo poſt initium Poſthumianus cõmemorat, quemadmodum Hieronymus Bethlehemitanam regat eccleſiam. Imperatoris Gratiani, & quindecim amplius annorum, quibus poſt occiſum Priſcillianum diſsidia ſui temporis inter Eccleſiaſticos durarint, mentionem facit in fine ſecundi libri Chronicorum. In primo Dialogo, ſiue in ſcripto collationis Poſthumiani & Galli, ubi Poſthumianus itinerarium ſuum enarrat, commemorat primùm omnium atrox illud & cruentum diſsidium, quod ob Origenis libros in Aegypto circa Alexandriam inter monachos & epiſcopos excitatum fuerat. Conſtat autem ex hiſtoricis, diſsidium iſtud ortum fuiſſe primis annis Imperatorum Arcadij & Honorij. Et cum iſta recitaret Poſthumianus, iam totum etiam triennium exactum erat. Et fieri poteſt, ut Sulpitius (ſi fortè iſta ſtatim in chartam aliquam excepit) tamen uix poſt aliquot annorum interuallum in publicum emiſerit.

FAVSTINVS.

Fauſtinus ſiue origine Britannus, ut ex epiſtola libri noni apud Sidonium colligi poſſe uidetur: ſiue Gallus, ut ex epiſtola ad Simplicium & Apollinarem libri quarti: in adoleſcentia plurimum operæ impendit philoſophiæ, præſertim Platonicæ: ac adeò profecit, ut in eo genere artifices uinceret. Deinde in clericorum numerum adſcitus eſt. In libro nono epiſtolarum Sidonij indicatur, Fauſtinum ex abbate Lyrinenſi epiſcopum factum eſſe, & in dedicatione eccleſiæ Lugdunenſis habuiſſe concionem pientiſsimam. ſed hæc ad Fauſtum fortè referenda ſunt. Volumina quædam ſcripſit, quorum meminit Sidonius in epiſtola ad eundem, libro nono.

Contra hæreticos & gentiles ſuis ſcriptis pugnauit, ut Sidonius indicat his uerbis: Huic copulatum te matrimonio (ſicet Philoſophiæ) qui laceſsierit, ſentiet Eccleſiæ Chriſti Platonis Academiam militare, teque nobilius philoſophari, primùm ineffabilem Dei patris aſſerere cum Spiritus ſancti æternitate ſapiẽtiam. Quantus autem fuerit in illa palæſtra, hoc Sidonij teſtimonium declarare poteſt: Quin potius experietur, quiſquis conflixerit, Stoicos, Cynicos, Peripateticos, hæreſiarchas proprijs armis, proprijs quoque concuti machinamentis. Nam ſectatores eorum, Chriſtiano dogmati ac ſenſui ſi repugnauerint, mox tergiuerſantium linguam inhamantiem magiſtro ligati, uernaculis implicaturis in retia ſua præcipites implicabuntur, ſyllogiſmis tuæ propoſitionis uncatis uolubilem tergiuerſantium linguam inhamantibus: dum ſpiris categoricis lubricas quæſtiones tu potius innodas, acrium more medicorum, qui remedium contra uenena, cum ratio compellit, & de ſerpente conficiunt.

PRAGMATIVS.

Pragmatius, profeſſor Rhetorices, Priſci Valeriani affinis, cauſidicus, epiſcopum alicubi in Gallia egit: ut patet ex epiſtola Sidonij ad ipſum libro ſexto, & in epiſtola ad Sapandum libro quinto. ſubſcripſit epiſtolæ Fauſti ad Lucidum.

CENSORIVS.

Cenſorius, ex ſola epiſtola, & nomine duntaxat, quòd uidelicet Gallicus fuerit epiſcopus, cognitus eſt. extat enim & ad ipſum Sidonij epiſtola, libro ſexto antepenultima: in qua papam illum nominat, & quendam ei commendat ex miniſterio.

ELEVTHERIVS.

Eadem planè ratio eſt etiam Eleutherij, ad quem ſequens eiuſdem libri, id eſt penultima Sidonij ſcripta eſt epiſtola: in qua eadem phraſi compellatur, & Iudæi cuiuſdam negocia ei commendantur.

MIGECIVS.

Migecius, epiſcopus alicubi in Gallijs, commendatur à Sidonio epiſtola tertia libri ſeptimi, à ſanctitate, facundia, & doctrina: eiusq; examini ſuum quoddam ſubijcit ſcriptum. Nomen etiam eius eſt inter eos qui epiſtolæ Fauſti ad Lucidum ſubſcripſerunt.

BASILIVS.

Baſilius illo tempore Eccleſiam gubernauit, quo Euarox Gotthorum rex perſecutionem in Gallijs aduerſum Eccleſias exercuit, de qua Turonenſis meminit uicesimoquinto capite libri ſecundi. Cuius rei teſtimonium manifeſtum eſt Sidonij ad ipſum ſcripta epiſtola, quæ eſt ſexta libri ſeptimi, qua & iſtius regis, & infeſti eius animi mentionem facit; & Eccleſiarum præ-

rum prȩterea calamitosum statum deplorans, ipsum Basilium nominatim exhortatur, ut cum alijs festinam opem rebus afflictis ferre nõ differat: quem etiam medium esse scribit, urbe, ordine & charitate, inter Leontium, Faustum, & Græcum, summos eius prouinciæ episcopos. Hunc porrò contra quendam Gotthum Arianum, doctrinæ certamen habuisse, ibidem indicat, ita referens: Igitur quia mihi es quàm patrocinio, quàm dilectione, bis dominus pariter, & quòd memini probè quo polleas igne, &c. Qui uiderim Modabarium cibrantem, quo tu spiritualium testimoniorum mucrone confoderis, seruata cæterorum tam reuerentia quàm pace pontificũ. Est Basilij nomen etiam in subscriptione literarum Lucidi.

AVSPICIVS.

Ad Auspicium extat Sidonij epistola nona libri septimi, à fine, titulo Papæ Auspicio. Atque hac ratione patet, ipsum etiã fuisse ex ministerio gubernatorum Ecclesiasticorum Galliȩ. Ei commendat causam cuiusdam Petri Tribunitij.

NOVETIVS.

Nouetium, in exordio literarum ad ipsum scriptarum tali commendatione celebrat: Multa in te genera uirtutum, papa beatissime, munere superno congesta gaudemus. siquidem agere narraris sine superstitione religiosum, sine iactantia libertatum, sine ineptia grauem, sine studio facetum, sine asperitate constantem, sine popularitate communem. Prȩterea ijs hoc præstantissimis bonis fama superaggerat, quòd te asserit hosce tot gradus fastigiatissimæ charitatis arce transcendere. Fama inquam, quæ de laudibus tuis cum canat multa, plus reticet. nam longius constituta, actionum tuarum propositum potest assignare, non numerum. Constat ergo & nomine & loco fuisse præstantem & celebrem uirum, tempore (ut conijcimus) quo ipse quoque Sidonius suæ præfuit Ecclesiæ: sed longiori itinerum spacio seiunctum à Sidonij ecclesia. Commendat autẽ eidem Sidonius Iudæum baptisatum.

PRINCIPIVS, & ANtiolus.

Principij & Antioli, sui temporis quoque episcoporum, multum celebrat uirtutes Sidonius, epistola ad ipsum Principiũ, quæ est quarta à fine libri octaui. Videntur autem ambo ex collegio Lirinensis cœnobij, ad docendam & gubernandam in

ministerio uerbi Ecclesiam prodijsse. Et Antiolum sanè ab hac parte commendat, quòd fuerit olim in isto collegio contubernalis, seu (ut ipsius phrasi utamur) concellita Lupi, Trecastinæ proculdubio postea urbis episcopi, item Maximi cuiusdam. Item, quòd inuiserit etiam Aegypti & Palæstinæ monachos. Amborum autem simul studia & communes operas in gubernandis ecclesijs, nominatim & per partes quasi numerat, sed figurata oratione: quòd uidelicet uerbum Dei prædicarint, quòd ministerio prædicationis homines reuocarint ad pœnitentiam & uitæ emendationem, quòd ad continentiam & mediocritatem adhortati sint, luxuriæ & intemperantiæ frena iniecerint indictis ieiunijs. Et quod est non postremum, quòd hæreticis sese opposuerint, hypocritis item & schismaticis, eorumque confutatis figmentis multos conuerterint, & ad ueritatis agnitionem adduxerint, & Ecclesiæ unitati restituerint. Ac satis ex ipsius narratione constat, hos quoque inter suæ ætatis & gentis Ecclesiasticos gubernatores præcipuos locum habuisse. Neque enim communi tantum & sibi familiari phrasi simpliciter illos Papas nominat, sed maximo pontificatu ipsos fungi, & quidem non sine morum prærogatiua, narrat: ut credibile sit, eos quoque fuisse metropolitas. De Principio in specie hoc addit epiphonema: Quapropter nemo dubitauerit, qui bonus es cum indicaris, & melior cum legeris, esse te optimum cum uideris. Homines autem fuisse doctos & eruditos ambos, id indicio est, quòd Sidonius literas ipsorum literatas nominat, atque eas crebras & frequentes sibi mitti petit, Principij præsertim. Verùm & horum Ecclesias longiori interuallo fuisse remotas, tum ex eadem epistola, tum ex octaua libri noni patet.

VICTORIVS, *siue* VIctorinus.

Quem Rhegino in Imperatore Leone, & Platina in Hilario episcopo Romano Victorinum nominant, eundem Gennadius Victorium; & hominem Aquitanicæ nationis fuisse scribit. Qui quòd esset Scripturarum calculator scrupulosus, seu uerius in arte Arithmetica & Astronomica insigniter excellens, inuitatus sit à pontifice Hilario, ut rationem celebrandi Paschatis iuxta lunæ cursum institueret. Cui ipse non grauatim morem gerens, composuerit Cyclum Paschalem exactissima calculatione ad lunæ motum, ex-

tenderitque ad annum quingentesimum tricesimum secundum, ita ut à quingentesimo tricesimotertio anno redeundum fuerit ad initiũ eiusdem mensis, diei & lunæ, quibus primitùs anno passionis & resurrectionis Dominicæ, primò solennitas Paschalis celebrata est. Qua in re narrat Sabellicus libro secundo Enneadis octauæ, eum superasse illos qui hoc idem ante ipsum aggressi sint: quorum ipse duos nominat, Eusebium & Theophilum: quibus & alios duos adijcit Gennadius, Hippolytum & Prosperum. Cæterùm quis iste Victorius fuerit ratione peculiaris uocationis, neque Gennadius, neque cæterorum ullus perspicuè exprimit. Videtur tamen etiam ipse alicuius Ecclesiæ fuisse pastor seu episcopus, præsertim ex Platina & Sabellico.

POMERIVS.

Pomerium Gallicum, hunc in modum celebrat Gennadius in suo Catalogo. Pomerius natione Maurus, in Gallias presbyter ordinatus, interrogantibus & rogantibus Iuliano episcopo, & Vero presbytero, Dialogorum more respondens: arte dialectica & sermone ingenio apto, composuit de natura animæ & qualitate eius, & de resurrectionis eius specialitate, in hac uita fidelium, & generali omnium hominum, libros octo. Quorum primus continet quid sit anima, uel qualiter ad imaginem Dei credatur facta. Secundus, utrum anima incorporea, an corporea debeat credi. Tertius, unde sit anima primo homini facta. Quartus, utrum anima quæ nascituro corpori infundenda est, noua fiat sine peccato: an ex substantia animæ primi hominis, uelut propago è radice producta, etiam peccatum primæ animæ secum originaliter retrahat. Quintus, recapitulationem libri quarti, disputationes & definitiones: & quæ sit facultas animæ, id est possibilitas, & quòd eam ex singulari uoluntate obtineat. Sextus, unde sit (iuxta Apostoli dictum) aduersitas carnis & spiritus. Septimus, de differentia uitarum, mortium, resurrectionum carnis & animæ. Octauus, de his quæ in fine mundi futura prædicta sunt, & absolutiones quæstionum quæ de resurrectione proponi solent. Memini legisse me olim eius dictatum, ad quendam nomine Principium, de contemptu mundi ac rerum transiturarum hortatorium: & alium de uitijs & uirtutibus prætitulatum. Scripsisse & alia dicitur, & adhuc scribere, quæ ad meam noticiam non uenerũt. Viuit usque hodie, conuersatione Deo digna, atque profesioni & gradui.

Pomerij (aliàs Ponserij sermones) impressos Coloniæ apud Quetel, narrat Gesnerus in Bibliotheca sua.

Pomerij etiam Isidorus Hispalensis mentionem facit, in suo Catalogo. nominat autem eum Iulianum, aitque Pomerio ipsi fuisse cognomen. Ac præter illos de anima libros, ait illum etiam edidisse libellum unum De uirginibus instituendis, item alios tres De futuræ uitæ contemplatione. Hunc ipsum Iulianum Trithemius Toletanum Hispaniarum facitepiscopum: atque esse illum ipsum, cui Prosper suos De contemplatiua uita nuncuparit libros, affirmat. & scripta eius hoc ordine digerit:

De sancta uirginitate, librum unum.

De natura animæ, libros octo.

De resurrectione, quæstionum librum unum.

De contemptu mundi, librum unum.

Prognosticon futuri seculi, libros tres.

De uitijs & uirtutibus, librum unum.

Epistolarum ad diuersos, librum unum.

SABBATIVS.

Gallicanæ prouinciæ fuisse episcopum Sabbatium quendam, Gennadius in Catalogo refert. Sed ubi locorum, aut quo tempore floruerit, non exprimit. Hoc addit, ipsum à quadam uirgine nomine Secunda rogatum, scripsisse librum de fide aduersum Marcionem & Valentinianum: & aduersum Eunomium, & eius magistrum Aetium. Trithemius duos diuersos libros facit, in quo & rationibus & Scripturarum testimonijs ostenderit, unum esse Deitatis principium, ipsumque esse & suæ Deitatis & æternitatis autorem, & mundi ex nihilo conditorem. Christum uerò non phantasma apparuisse, sed ueram habuisse carnem, per quam manducando, bibendo, lassando, plorando, patiendo, moriendo, resurgendo, uerus probatus fuerit homo. Item quòd pater & filius non duarum sint naturarum in diuinitate parilium, sed unius essentiæ: & alterum ex altero, id est ex patre filium, alterum alteri coæternum. Theodosio iuniore celebrem fuisse, circa annum Domini quadringentesimum & quadragesimum, Trithemius assignauit.

VINCENTIVS.

Vincentium presbyterũ natione Gallũ, cõmẽtarios scripsisse in Psalmos, & se pre-

sentes

sente legisse quædam ex eo opere, testatur Gennadius: ac commendat eum, quòd in Scripturis diuinis fuerit exercitatus, habueritque linguam usu loquendi & maiorum lectione expolitam. Ipsum sub Mardriano clarum fuisse, annum circiter quadringentesimum quinquagesimum, Trithemius refert.

DE EPISCOPIS HISPANIS.

ASCANIVS.

Ascanius Tarraconensis episcopus metropolitanus, cognitus ex epistola una, quam ipse & suo & reliquorum eiusdem prouinciæ episcoporum nomine scripsit ad Romanum episcopum Hilarium: & altera, qua ille respondet in causa ordinationis episcopi Barcinonensis, circa annum Domini quadringentesimum sexagesimum quintum, sicut ex dato epistolæ colligitur. Extat alia epistola singillatim.

NVNDINARIVS, & Irenæus.

Barcinonensium episcopi fuerunt, temporibus Hilarij, cogniti ex illis ipsis epistolis. Et Nundinarius quidem moriturus consilium dederat, eligendi in suum locum Irenæi, qui iam tum in municipio aliquo quod ad Barcinonensem diœcesin pertinebat, pastor erat. id præiudicium summo consensu secutus fuerat totus clerus, & populus omnis, & totius prouinciæ omnium ordinum optimi ac præstantissimi quique. & sic à prouincialibus episcopis Barcinonensi ecclesiæ legitimis cerimonijs datus fuerat pastor primarius iste Irenæus. Verùm eam ordinationem, ut uitiosam, & contra Canones factã, improbat ac rescindit Romanus episcopus, habito concilio Romæ: mandatque authoritate Apostolica, Irenæum ad suam remittendum Ecclesiam, alium ex clero Barcinonensi eligendum. Nunquid autem Irenæus iste sit remotus, non constat. decretum certè fecit sæuum & tyrannicum: nisi Irenæus redeat ad suam ecclesiam, fore ut ipsum ex episcoporum consortio eijciat. & urget ipsius remotionem etiam in epistola ad Ascanium, peculiariter scripta. Virum certè ipsum fuisse magni ob pietatem & doctrinam nominis oportet, quem tantus consensus elegerit, utut Romanus obgannierit. Qui tamen nullas alias rationes prætendere potest, quàm quòd electio non sit hæreditaria, & quòd alterius loci iam antè habeat commissum gregem, &c.

SYLVANVS.

Syluanus Calaguræ, in ultima parte Tarraconensis prouinciæ episcopus, hinc cognitus, quòd ab Ascanio metropolita, & reliquis episcopis istius loci accusatur apud Romanum episcopum Hilarium, quòd illicitis quibusdam diuinationibus utatur: item quòd contra Patrum regulas, canonum uetustatem, & synodorum decreta, ordinationes faciat.

OROSIVS.

Extremo tempore Imperatoris Honorij clarum fuisse Orosium Hispanum, Gennadius author est in suo Catalogo. Tarraconensem patria, Bergomensis in suo Chronico in Theodosio iuniore facit. Ingenio prompto, & flagranti cupiditate discendi & facundia præditus, & in ætate florida Augustini iam grandæui discipulus & auditor fuit, ut Augustinus testatur in epistola uigesimaoctaua ad Hieronymum, Tomo secundo. Audiuit etiam Hieronymum tum de quæstione de origine animæ, tum de alijs capitibus doctrinæ differentem. Ad eum enim ab Augustino ablegatus est, ut patet ex epistola modò allegata, & ex Hieronymi ad Augustinum, quę est trigesima: & ex Augustino ad Euodiũ, quæ est centesimasecunda. ac testatur ipse Orosius in libro septimo, capite quadragesimotertio, se fuisse apud Hieronymum aliquandiu in Bethlehem. Rerum & historiarum cognitione eum præstantem fuisse, patet ex eius scriptis. Ac Prosper eum uocat eruditissimum historiographum, in parte secunda de promissionibus & prædictionibus Dei, capite trigesimotertio, & parte tertia, capite trigesimoquarto.

Scripta eius hæc referuntur: Septem libri contra Paganos, in quibus miro compendio succinctè commemorat potissimas quasque regnorum mutationes, maximas clades bellorum, famis, pestilentiarum, & aliarum omnis generis calamitatum iam inde à prima rerum conditione ad sua usque tempora: ut liber iste ueluti epitome & breuis catalogus esse possit earum miseriarum & afflictionum, quibus uariè & in diuersis locis ab ipso primordio mundus semper fuit oppressus propter peccata. Cui propterea etiam titulum fecisse authorem, De hormesta, id est miseria mundi, Bergomensis narrat. Et eius quidē historiæ contexendæ impulsorem habuit Augustinum, cui etiam dedicat: ueluti ipsa Præfatio, & totius libri finalis peroratio testatur.

Apologiam quoque scripsisse pro se cõtra Pelagianos, refert Vincentius in Specu-

lo, capite sexto libri decimioctaui, ex Actore: ex qua etiam unam atque alteram periodum recitat. Apologetici meminit & Trithemius. atque is etiam alia quædam ei tribuit: uidelicet librum unum de ratione animæ, cuius initium ponit, Cum apud uos cœlestis, &c. In Cantica canticorum librum unum. Item, Epistolarum ad diuersos librum, itidem unum. Ad Augustinum etiam plurium epistolarum, librum 1.

Libro Augustini contra Priscillianistas & Origenistas præfigitur epistola, quæ titulum habet Consultatio siue Commonitorium Orosij ad Augustinum, de errore Priscillianistarum & Origenistarum. Quo scripto proponit ei errorem Priscilliani, de anima uidelicet, & petit eius explicationem. Vnde occasionem Augustinus scribendi cõtra Priscillianistas & Origenistas arripuit: quod etiam patet ex Augustini ad Euodium epistola. Tribuitur Orosio etiam non præfatio tantum illa breuis, quæ Dialogo sexagintaquinque quæstionum præmittitur in Augustino: sed etiam ipsæ quæstiones personæ interrogantis. Quàm uerè autem, ostendit censura Erasmi, quæ eidem Dialogo addita est, in operibus Augustini.

De doctrina eius, & de singulis, aut præcipuis saltem articulis quid dicamus, non habemus: cũ ijs scriptis, in quibus ex professò dogmatica tractauit, destituamur. Vero tamen simile est, rectè ipsum & piè sensisse, cum fuerit non segnis aut oscitans, sed sedulus ac diligens auditor Augustini & Hieronymi, cum quibus etiam magno studio de rebus obscurioribus & minus explicatis & controuersis contulerit.

Accedunt & certamina, quæ etiam ipsa eum magis magisque in doctrina erudierunt, & necessitatem imposuerunt magno iudicio scrutandi Scripturas, & inquirẽdi etiam aliorum doctorũ interpretationes. Nam contra gentes ipsum pugnasse, historiæ suę libri testantur. Quorum scribendorum hoc fuit consilium, ut enumeratione calamitatum omnium, à mundi exordio temporum, confutaret Ethnicorum calumnias, qui temporis sub gentilismo exacti felicitatem supra modum extollentes, præsentis autem seculi grassantia mala, & præsertim Romani Imperij uastationem, per barbaricas gentes inclinationẽ & ruinam miris modis exaggerantes, Christianismo imputabant, odioseè identidem obgannientes, Omne malorum genus in orbem terrarum redundasse, posteaquam spretis patrum numinibus, Christus coli cœpisset. Contra quos pro Christianis cau-

sam agens Orosius, exemplorum euidentia ostendit, non esse hoc nouum aut insolens, quòd plurima mala passim, & præsertim in orbe Romano grassentur: nec iam primùm exorto Christianismo cœpisse, sed inde à prima sui conditione mundum semper fuisse obnoxium infinitis miseriis atque calamitatibus iusto Dei iudicio, obdololatriam, & alia grassantia peccata, ac expresè indicat, religioni Christianæ acceptum ferendum esse, quòd non admodum penitùs euersa in cineribus iaceatres Romana. Hoc nomine Gelasius etiam, in decreto de libris Apocryphis, commẽdat Orosium, quòd ualde necessariam, & aduersus Paganorum calumnias dignam ordinarit historiam.

Contra Pelagianos etiam & Priscilliani factionem, qui suis erroribus miserè Hispaniam turbabant, ipsum pugnasse, ex superioribus constat.

Cui Ecclesiæ præfuerit, non meminerunt authores. Gennadius magis necessarijs omissis, friuolum illud scribit: Orosium reuertentem ab Hieronymo, secum, & quidem primùm, attulisse in Occidentem reliquias Stephani, recens tum inuentas. Quàm diu uixerit, incertum. Ex historiæ eius capitibus tertio & ultimo, indubitatò elici potest, eum anno post Christum natum quadringentesimo decimosextò aut septimo in uiuis adhuc fuisse. nam eò usque historiæ illius narrationem perduxit. Bergomensis narrat, ipsum Augustino mortuo Romam concessisse, atque ibi eam historiam edidisse.

AVDENTIVS.

Audentius Hispanus episcopus, scripsit librum de fide aduersum omnes hæreles, secundum Gennadiũ in Catalogo: & quędam alia, secundum Trithemium. Illustrauit articulũ de Christo Dei filio, eiusq; naturis. Sigillatim pugnauit contra Photinianos, qui tum Bonoliaci dicebantur: in genere uerò simul contra Manichæos, Sabellianos & Arianos, filij coessentialitatem & coæternitatem cum patre acriter defendens, & disertè adserens Christum nõ tum primùm Deitatis suæ initium à patre accepisse, quum à Maria matre uirgine homo, Deo fabricante, conceptus & natus est. Gennadius in Catalogo. Et Bergomensis meminit eius sub annum 451.

TVRBIVS ASTVRICENSIS.

Asturicensis episcopus Turbius, Leonis primi Romani pontificis temporibus ecclesię in Hispanijs præfuit: & cum ijs qui in locis illis Priscillianistarum subinde pullulantem hæresin promouere, & increme-

ta subijcere conabãtur negocium habuit, ut appa-

ut apparet ex epistola Leonis ad ipsum responsoria, ad quæstiones quas Leoni Turbius proposuerat, de uarijs Priscillianorũ errorib. quas sibi explicari petierat. Quod quidem non obscurum indicium est, hunc inter Hispaniæ doctores non fuisse nullius numeri: sed ex illis, quib. Ecclesię salus maxime fuerit curæ: dederitq; operam ut ager Dominicus, quãtum fieri posset, à zizanijs falsæ & erroneę doctrinę repurgaretur. Ab hac certè parte ipsum commendat Leo, inquiẽs: Quàm laudabiliter pro catholicę fidei ueritate mouearis, & quàm sollicitè Dominico gregi deuotionẽ officij pastoralis impẽdas, tradita nobis per diaconũ tuũ fraternitatis tuæ scripta demõstrant. Consilium quoq; suũ ei impertit Leo, ut generale Concilium in prouincia instituat, ad quod inuitentur uicinarum prouinciarum doctores: quibus cõuenientibus, habeatur diligens inquisitio, si qui sint ex ministerio ecclesiarum in Hispanijs quocunq; gradu, qui illo errore polluti sint, ut aut relinquãt eum, aut ab Ecclesiæ corpore ut morbida membra resecent. Est autem ea Leonis epistola in suis operibus nonagesimatertia.

OLYMPVS.

Olympus episcopus Hispanus, scripsit librum fidei, aduersum eos qui naturam, & non arbitriũ, in culpam uocant: ostendens, non creatione, sed inobedientia insertum esse naturæ malum. Gennadius in Catalogo. Numeratur inter eos qui Toletano interfuere concilio, idq; subscriptionibus cõfirmarunt: & aliàs quoq; contra Priscilliani hęresin, eiusq; sectatores scriptis pugnarũt: ut patet ex Actis eius Concilij.

AVITVS.

Auitus presbyter, homo Hispanus, hoc seculo aliquo nomine se posteritati commendauit: quòd in Latinam linguam transtulit scriptum Luciani cuiusdam Hierosolymitani presbyteri, de inuẽtione reliquiarum corporis Stephani protomartyris, & per Orosium Ecclesijs Occidentalibus legendum dederit: author Gennadius in suo Catalogo.

LAMPIVS.

Lampius Barcilonæ in Hispanijs fuit in Ecclesię ministerio, & Paulinum Nolanum ordinauit: ut patet ex epistola Paulini ad Alipiũ, quæ inter Augustinianas relata tricesimiquinti loci ordinem tenet.

VIGILANTIVS.

Huius eiusdem Ecclesiæ Barcilonensis parrochiam tenuisse quendam Vigilantiũ presbyterum, Gallum natione, Gennadius in Catalogo memorat: additq;, hominem fuisse lingua quidem politũ, sed Scripturarum intellectu minimè exercitatum, & humana laude seductum, & supra ipsius uires quædam religionis quasi zelo scribẽda suscepisse, & prauo ingenio exposuisse secũdam uisionem Danielis. Sed & alia quædã friuola locutum, quę Gennadius se in hęreticorum Catalogo expositurũ promittit.

DICTICINIVS.

Priscilliani sectator fuit, eiusque dogma scriptis propagauit. Sed tandem errore cognito, se cum rectè sentientibus coniunxit, & suum illud scriptũ damnauit. Verùm nihilominus eo postea imprudentes quidã, cum existimarẽt ab orthodoxo editũ esse, decepti, & in errorẽ inducti sunt. Adeò uenenata hæreticorũ scripta, licet etiã ab autoribus damnata fuerint, tamẽ Ecclesiæ & posteritati nocere solent: quid fiet cũ illis, quæ ab autoribus defendũtur? Constant hæc ex epistola Leonis ad Turbium.

DOCTORES IN BRITANNIA.

FASTIDIVS.

FAstidius, cognomine Priscus, natus in Britãnia, & in doctrina pietatis probè institutus, Londinensis ecclesię metropolites factus, per uniuersam Britanniã Euãgeliũ prædicauit. Ingenij benignitate, memorię excellentia, morum ac uitę incorrupta integritate, cæteros omnes suæ gentis uerbi præcones longè superauit: ut Balęus in suo Catalogo scriptorum Anglię refert. Scripsit librũ unũ de uita Christiana, ad Fatalẽ. itẽ aliũ de seruanda uiduitate, ut Gẽnadius in Catalogo indicat. Itẽ librũ unũ de doctrina spiritus, & librũ unum piarũ admonitionũ: ut Balęus narrat. Et circiter annum à Christo nato quadringentesimũ & uicesimum, sub Honorio & Theodosio claruisse, Trithemius commemorat.

VOADINVS.

Voadinum Londinensem archiepiscopũ anno Domini quadringẽtesimo tricesimosexto occisum, ex Hectore Boetio refert Balæus.

PALLADIVS.

Palladius natione Græcus, ut notat Trithemius, discipulus fuit Ioãnis Hierosolymitani in eremo Syrię ad Carmelum, ut ex Nicolao Harlemio refert Balęus. Antoninꝰ titulo decimo, capite nono, eũ Chrysostomi discipulum facit. Sanè in historia Chrysostomi, tum in Sozomeno, tum Nicephoro, mẽtio fit cuiusdam Palladij, qui unà cũ alijs fuerit afflictionum Chrysostomi particeps: & Romam quoque se cum cęteris cõtulerit, expositurꝰ Romano episcopo Innocẽtio calamitates Chrysostomi, ut in locõ de persecutione diximus. ac tribuitur ei iã tum episcopi titulus ab utroque: Sozome-

no libro octauo, cap. uicesimo sexto: & Nicephoro lib. 13, cap. 32. Diaconum ecclesiæ Romanæ fuisse, ac suo hortatu effecisse, ut Celestinus Germanũ Altisiodorensem ad extirpandam hæresin Pelagianam in Britãnias mitteret, ac paulo pòst ipsum etiam ad Scotos missum à Celestino, notant Prosper in Chronico sub annum 434. & Marianus Scotus: tum propter hæresin Pelagianam, tũ propter ritus Asiaticos abolendos, & Romanos instituendos, ut Balæus affirmat. Scripsit uitã Chrysostomi, teste Antonino, titulo decimo, capite nono: & Trithemio.

Contra Pelagianos, librum 1.

Homeliarum plurium, lib. 1.

Epistolarum ad Celestinum, lib. 1.

Et alia, quæ iam antea græcè edidit, teste Balæo.

Pontificem fuisse bonum, gratum, plenũ officij, Polydorus refert. Pelagianorum errorẽ acriter impugnauit. nec segnis fuit in gẽtilium taxãdis superstitionibus, & abrogandis: unde nomẽ sibi comparauit, ut Scotorum Apostolus appellaretur.

Si hic est Palladius, ad quem Alexandrinus Cyrillus suũ de Adoratione in spiritu scripsit Dialogũ, ut uult Balæus, tum inter eos aliquid familiarioris necessitudinis interceserit necessum est. Verùm non est hoc satis explicatum, tametsi tempora utriusq; rectissimè conueniant.

Eius in istarum Ecclesiarũ gubernatione ualde breuem fuisse periodum, apparet ex narratione Mariani, qui uno & eodẽ anno ei successorẽ missum Patriciũ refert. Quem Sigibertus fortè sequitur, qui & ipse ad eũdem modum horũ successionem, & eodẽ anno cõmemorat. Funccius quinquennio ipsos seiungit, & sexto demum anno Patriciũ huic successisse scribit, anno tricesimo sexto post quadringẽtesimum. Post multos aũt sudores, & pietatis exercitia, mortuum tradit Balęus, in Forduno Merniæ uico, ac felicem uitæ exitum sortitum esse decimo octauo Calend. Ianuarij.

PATRICIVS.

Patricius Brito fuit genere, iuxta Sigebertum. Patrem ei fuisse nobilissimi generis, istius prouinciæ uirum, Calphurnium presbyterum, Balęus refert in Centuria prima. Matrem habuit Conchen, ex Pannonia, sororem Martini Turonẽsis episcopi: & in baptismi quidem collatione nomen ei inditũ fuerat Suchar (Succetum nominat Balęus) uerùm id mutans Germanus Altisiodorensis, Magonium eum nominabat. Quod rursum cõmutans Celestinus, Patricium eum cognominauit, iuxta eundem Sigebertum. Pijs eum præceptoribus usum, primùm auunculo Martino, deinde etiam Germano Altisiodorensi, & sacras affatim edoctum fuisse literas, atque demum se in Italiam, & tandem Romã contulisse, ubi ob ingenuos mores, quos summę eruditioni coniunxerit: & quoniam ex nobilissimorum Senatorũ progenie ortũ duxerit, id ei nominis ut Patricius diceretur, obtigisse, Balęus refert.

Post Palladium, Scotis in Hyberniam archiepiscopum missum à Celestino, sub annum quadringentesimum & tricesimum secundum, Sigebertus memorat, Theodosio adhuc imperante. Itineris comitem habuisse quendam Segetium presbyterũ, Balæus ait. Germanum, & Axilium, & Seruilium, Vincentius comites annotat: capite uicesimo tertio, libro uicesimo.

Vir fuit doctrina & miraculis excellens, & istis duobus potissimùm instrumẽtis, & orationis ac precum potẽtia totam, ut Sigibertus habet, insulam ad sinceriorem Christi religionem conuertit. Vincentius nugatur, quòd in cuiusdam montis cacumine quadraginta dieb. & noctib. ut alter Helias, ieiunarit: Euangelij textum & baculum in quadã uisione à Christo acceperit, prophana deorum templa destruxerit, signa pietatis erexerit, Ecclesias innumeras fundauerit, uerbi ministros ordinauerit, pauperes souerit, captiuos redemerit, infirmos sanauerit, obsessos liberauerit, sexaginta mortuos suscitauerit, hominum duodecim millia baptisauerit: inter quos fuerint septem reges, filij Almogith. Huius etiam precibus alcribit Petrus de Natalibus, quòd nullum uenenatum animal eam insulam infestet, imò & ligna & coria istius regionis contraria sint ueneno. fides omnium illorum sit penes autores. Huic tribuunt isti, Vincentius & Petrus, & similis farinę scriptores, etiá ementiti Purgatorij inuentionẽ, quod Christum ei monstrasse scribunt. Verùm hoc, ut cum ueritate discrepans, refellit Balæus loco antè memorato, & ad quendã alium Patriciũ multo iuniorem transfert.

¶ Scripta eius enumerat Balæus ista:

De antiquitate Aualonica, lib. 1.

Itinerarium confessionis, lib. 1.

Hodœporicum Hibernię, lib. 1.

Historiam Hiberniæ ex Ruano, lib. 1.

De tribus habitaculis, lib. 1. Tria sunt habitacula cœli.

Abiectoria quædam 366. lib. 1.

Sermones quoq;, lib. 1.

Ad Cereticum tyrannum, epist. 1.

Ad Aualonios incolas, epist. 1.

Ad Hiberniẽses ecclesias, epistolas plures.

Ad suos Britannos, epistolas plures.

¶ Cõtra gentiliũ Magos eum disputasse, & signis etiam egisse haud aliter atq; olim cum Pharaone Mosen, ex alijs refert idẽ Balæus,

læus. Cũ Pelagianis multũ ei negocij fuisse toto gubernationis suæ tempore, priusq; ab isto cõtagio, quo Anglicanę ecclesię infectę erãt, easdẽ liberaret, uerisimile est. Nã huius potissimũ gratia in eã insulã à Rom. episcopo ablegatus fuerat, ueluti Balæus quoque meminit. qui & illud addit, multa eũ pertulisse: id quod ei' gestis cõsentaneũ est. Solent enim eximiam pietatẽ, & ministeriũ uerbi strenuum, comitari persecutio, & omnis generis (iuxta Paulum) afflictiones. Confecto cursu mortuũ, scribit Sigebert', anno Domini 491, ætatis suæ 122: & fuisse secundum Hibernię epìscopum. præfuit ergo Hibernensibus annos circiter sexaginta. Vincentius octoginta annos numerat: nec inueniri eius sepulchrum, addit. Balęus pro pe Bunẽsem Vitonensis prouinciæ urbem mortuum, & in spelunca sepultum tradit.

NINIANVS VENEDOTA.

Ninianus Venedota, ex regio Brytannorũ sanguine procreatus: Italiã adhuc adolescens pertransitis Alpibus, literarum desiderio petijt. Romæ apud diuini uerbi ministros mysteria ueritatis ad plenũ edoctus, celer in patriã remigrabat: ubi magister & pædonomus nõ uulgaris, concreditũ à Deo talentũ, per Brytãnorũ, Scotorũ, australiumq; Pictorũ terras ad senium usq; latissimè profudit. Vir erat in sacrarũ Scripturarũ lectione assiduus: in orphanos, uiduas & pauperes pius, miraculis ac sanctitate clarissimus, ut in lib. 7 locuples testis est post Bedam & Capgrauum, Hector Boetius. Et ne uideretur omnino posterorũ immemor, inaffectato, sed utili exarabat stilo:

Psalterij meditationes, lib. 1.

Ex sententijs sanctorum, lib. 5.

Cætera non comparent. Eius pia industria, Picti primùm relicto idololatriæ cultu, ueram Christi fidẽ perceperunt. Apud quos tandem Galuidiæ in Candida casa Pontifex primus obijt, anno Salutis nostræ 432, sub Theodosio iuniore.

BACCIARIVS.

Scribit in suo Catalogo Gẽnadius de quodam Bacciario in hunc modum: Bacciarius uir philosophiæ Christianæ, nudus & expeditus uacare Deo disponens, etiam peregrinationem pro conseruanda proposita integritate elegit. Edidisse dicitur grata opuscula: sed & ego ex illis unũ tantũ de fide librũ legi, in quo satisfacit Pontifici urbis aduersum querulos & infamatores peregrinationis suæ: indicans se nõ timore hominũ, sed Dei causa peregrinationẽ suscepisse: ut exiens de terra sua & cognatione sua, cohæres fieret Abrahæ patriarchæ. Balæus Bacchiarium Macceũ nominat, & ab alijs etiã Maccheum uatem appellatum scribit, & fuisse natione Brytannum, discipulum Patricij: ac iuuenili ætate in Legionensi gymnasio, post uaria bonarum artium studia, totum se Mathematicis disciplinis dedidisse: annis autem prouectiorem, eam cuius Gennadius meminit suscepisse peregrinationẽ, idq; religionis ergò: patriam ipsius interim Britanniam (ut Gildas, Galfridus, & Bedas docent) Hunnis, Pictis, & Scotis inaudita tyrannide affligentibus: quæ res multis occasionem præbuerit carpendi eius abitionem ex patria, quasi profugi, atque inde eam ab ipso scriptam ad Leonem episcopũ Romanum suæ profectionis Apologiam.

Præter illud de fide ad Romanum pontificem scriptum, de quo Gennadius, tribuit ei Baiæus etiam ista·

Ad Ianuarium, de reparatione lapsi, aliàs de fructu Pœnitentiæ, lib. 1. Nisi uererer beatissime frater.

Prognostica natiuitatum lib. 1. Et hũc quidem edidisse eum memorat, dum iuuenis Mathesi incubuerit.

Claruisse senem, idem refert, anno quadringẽtesimo sexagesimo, Votigerio in Britannia regnante.

SERVANVS.

Seruanus ex Scotis parẽtibus, in ipsa Scotia natus, studijs animum in adulta ętate applicauit. Palladio in Scotiam misso sese coniunxit, eiusque uestigijs firmiter adhæsit, ac causam Euangelij & propagandæ doctrinæ cum eodem promouit. A quo, cum eius ipsi doctrina & sanctimonia innotuisset, tandem ad Orchades missus est Apostolus, ut insulanos illos Christianæ religionis cultum doceret: id quod studiosè fecit. Et nomen sibi inde etiam comparauit, ut Orchadũ primus dicatur Apostolus. Balæus Centuria decimaquarta.

Ad Orchades illos plures eũ scripsisse epistolas, idẽ ex Hectore Boetio in Scotorum Chronicis refert: & addit, anno à nato Christo quadringentesimo claruisse eum. Sed ubi aut quo tempore obierit, non reperiri.

KENTIGERNVS.

Kentigernum natione Brytannũ, & inter multos alios discipulum obsequentissimũ Seruani, apud Orchadianos, & illis finitimas gentes, fideliter quoq; in ministerio uerbi laborasse, in Seruano Balæus narrat.

TERVANVS.

Teruanum ex Boetio Scotorum facit episcopum Balæus, & præcedentis Seruani socium, Palladijq; discipulum: quibus cum etiam pro uirili doctrinæ negocium prouexerit, & demum à Palladio ad Pictos missum apostolum, ut pias Niniani Domini uineæ plantationes rigaret: unde Niniani iustius fuisse successor uideri potest.

Exhortationum librum exaraſſe unum, idem ſcribit:& ueriſimile eſt, certaminibus quoq; fuiſſe implicatum. Siquidem ea fide & ſedulitate(ut par fuit, & Balæus eum ab hac parte commendat,)officium ſuum peregit:& ipſi Picti partim adhuc rudes,partim uerò Pelagiana labe infecti fuere, ut idem etiam recitat. Claruit eodem anno quo Seruanus, quadringenteſimo quadrageſimo: relicto ſucceſſore.Ibidem,nimirum apud Pictos, eum fato conceſsiſſe quidem, ſed ubi ſepultus ſit,non inueniri, poſtremò Balæus adijcit.

GODELBERTVS.

Inter reliquos Eccleſiaſticos ſcriptores ponit Trithemius etiam quendam Godelbertum presbyterum: eum ipſum ex quorundam ſcriptorum coniecturis genere Angloſaxonem fuiſſe,autumat Balæus, qui & ipſe eum inter Anglicos ſcriptores numerat quadrageſimumnonum primæ Centuriæ.Eundem Lilius Gyraldus in poetarum hiſtorijs,Britãnicum uocat poetam. Virum fuiſſe in diuinis Scripturis doctum, iugi exercitatione,& ueterum lectione diuite,in ſeculãribus quoque literis eruditiſsimum, Theologum ſincerum, Rhetorem & poetã inſignem,ingenio prompto, & eloquio facundum: qui heroico carmine ediderit opus clariſsimum, allegorijs & hiſtorijs elegantiſsimè ornatũ,ab initio mundi ad partum uſq; Virginis, indideritq; Operi titulũ, Allegoriæ ſcripturarum libri quatuor, Trithemius refert. His ſubiungit Balæus librũ unum Homeliarum & Epiſtolarum. Eum claruiſſe memorat Trithemius temporibus Anaſtaſij Imperatoris,ſub annum quingenteſimum.His Balæus duos annos detrahit, quando apud Britannos regnarit Aurelius Ambroſius, apud Angloſaxones Oſca,poſt Eugiſtum.

DE MONACHIS & Eremitis Aſiaticis.

EVTHYMIVS.

CElebrem fuiſſe monachum Euthymium, temporibus Theodoſij iunioris,in Palæſtina, author eſt Nicephorus libro decimoquarto,capite quinquageſimoſecundo.Natum autem refert ſub Valente, & quidem ex promiſsione: ab Otreio uerò & Acacio Melitinẽſis eccleſiæ epiſcopis inſtitutum, & in presbyterorum ordinem lectum, ſacrarum rerum curam geſsiſſe: poſtea in Palæſtina cum quodam Theoctiſto uirtutis inſtituiſſe officinam, nimirum monaſterium ingens multarum cellarum. Scribit idem author libro eodem, capite triceſimoquarto,ipſum hunc Euthymium ſubmonuiſſe Petrum Saracenorum epiſcopum, abeuntem ad Synodum, ut Cyrilli Alexandrini & Acacij Melitinenſis ſententiam ſequi uellet. Præbet huic de pietate & doctrina teſtimonium etiam Stilites Simeon. cum enim ſcriptis literis Eudocia, poſteris Theodoſij coniunx, Hieroſolymis peregrinans,ipſius Simeonis requiſiuiſſet de Eutychis dogmate ſententiam,ipſe eã ad hunc Euthymiũ deducit,præcipiens ei,ut eum uirũ audire uelit, eiusq; ſalutari doctrinæ parêre,tum eam fore ſaluã. Atq; ipſe demũ Euthymius Imperatricem Eudociam in uiã reduxiſſe memoratur,lib.15.cap.13. Ab eodem lib.14.cap.30, dicitur ſolitudinem in formã urbis redegiſſe.

THEODORVS.

Hic Theodorus abbas cuiuſdã cœnobij fuiſſe uidetur, quòd monaſtica illa phraſi eius profeſsio deſignetur à Caſsiano, cũ actualis uitæ & conuerſationis uirũ eum exiſtimium fuiſſe memoret,cap.33 quinti lib. Inſtitutionis cœnobitarum de gaſtrimarg. & 1.cap.ſextæ collationis, de nece ſanctorum. Moratus autem eſt in loco terræ Palæſtinæ, ut apparet,quem Cellas dictum,& inter Nitriam ac Scythiam fuiſſe ſitam, à Nitriæ quidẽ monaſterijs quinq; miliũ diſtantia,à Scythiæ uerò deſerti ſolitudine octoginta miliũ,refert Caſsianus iſto ſextę collationis loco.Hunc ſumma uitę ſanctimonia, nec minori Scripturarũ noticia fuiſſe præditũ narrant.Attribuũt ei quòd docuerit: Monachũ in Scripturarũ cognitionẽ peruenire anhelantẽ,non opus habere ut multũ laboris impendat legẽdis commentariorũ libris: ſed hoc potiſsimũ ipſum omni induſtria conari oportere, ut animum à uicijs habeat q̃purgatiſsimũ.Hinc mox futurum, ut meritis oculi iam perſeſe ceu naturaliter Scriptũrarũ ſacramenta percipiant, ſublato affectionũm uelamento. Vnde apparet, Enthuſiaſtarum errore hũc imbutum fuiſſe. Hic præterea in collatione quæ ipſi in Caſsiano aſcribitur, titulo de nece Sanctorum, tractat locum de cruce & calamitatibus Eccleſiæ: & præſertim quęſtionẽ explicat, quare Deus ſanctos affligi patiatur. obiter & illud argumentum declarans:cũ pijs etiã afflictiones in bonum cedãt,iuxta Paulum: quare ergo perſecutores,cum piorum bonum promoueãt, ipſos affligendo puniantur?

BARSVMAS.

Barſumas presbyter,& monaſterij cuiuſdam in Syria præfectus fuit. Syriacè enim in ſynodis loquutus eſt,ita ut interprete indigeret.Ac fuiſſe eum inter omnes totius Orientis monachorum præſides commendatiſsimum, Theodoſius in literis ad Dioſcorum, & Iuuenalis epiſcopus Hieroſolymorum

tymorum in Ephesina synodo testantur. A Theodosio eo nomine ad synodum Ephesinam uocatur, ut locum teneat omnium totius Orientis archimandritarum, & cum cęteris sanctis patribus statuat quæ Domino sint placitura.

Verùm ille in ea strenuè Eutychis causam defendit, & expresè dixit: Eum qui dicit duas naturas, in duo incidite: ut prima Chalcedonensi actione Basilius Seleuciæ Isauriæ episcopus testatur. Ac autor fuit, ut Flauianus duarum naturarum in Christo asserror, malè tractatus tandem interficeretur, ut Diogenes Cyzicenus in quarta actione concilij Chalcedonensis testatur. Inde domum reuersus, in Syria stipatus caterua monachorum, episcopos Paschalem afflixit: ita ut postea in synodo Chalcedonensi querantur, eum totam Syriam penè euertisse. In Chalcedonensi synodo præsto fuit, & Dioscori Alexandrini partes adhuc constanter fouit: sicut ea ipsa quarta actio argumẽto esse potest. Cumque se reliquis monachis cõiunxisset, qui itidem à parte Dioscori stabant, & concilij acta impugnabant oblato libello, & in cõsessum Patrum ingressus fuisset, statim ab omnibus exibilabatur. Omnes enim alta uoce unà uociferabantur: Barsumam homicidam mitte foras, Homicidam in arenam: Anathema Barsumæ: Barsumam in exilium. Quid autem demum & amplius acciderit, non commemoratur.

AVXENTIVS.

Auxentius Exscholaris monachus nominatur, & uitam nudam egisse in monte Bithyniæ qui ex aduerso Constantinopoli situs fuit, temporibus quo Basiliscus Imperij Zenonis inuasor Ecclesiam quoque corruptelis deprauare conabatur: & cum Acacio Constantinopolitano episcopo Basilisco fortiter restitisse scribitur, & plurimum momenti attulisse recto dogmati: apud Nicephorum libro decimoquinto, capite uicesimosecundo.

SABAS ABBAS.

Celebris admodum fuit monachus Sabas, temporibus Imperatorum Leonis primi, Zenonis, Anastasij, & Iustini etiam, nõ uno quidem in loco, ob crebras peregrinationes, quibus subinde sedes suas mutauit, sed potissimùm tamen in Syria. Patria huic fuit Cappadocia, ubi natus est in uico Mutulasca, sub Cæsariensium metropoli, consulatu Theodosij iunioris decimoseptimo. Anno ætatis octauo ingressus est monasterium, in uicinia patriæ, cui Flauianę erat nomen. Ibi in sacrarum Scripturarum doctrina, pietatis ac monasticæ uitæ exercitijs institutus est ad annũ usque decimum. Inde cum annum ageret decimumoctauum, peregrè abijt Hierosolyma, & in illa terræ sanctæ loca, in quibus potissimam æui sui partem transegit, multo quidem tempore cum illustris famæ Euthymio, in ipsius monasterio uiuens: post ipsius uerò obitum hinc inde in solitudinibus Syriæ Palæstinæ oberrans, monastica instituit collegia, sanationum & miraculorum dono clarus. Natus autem annos septuaginta, missus est legatus à pontifice Hierosolymitano Elia, cum alijs quibusdam, ad Imperatorem Anastasium, cui se etiam strenuè opposuit, causamque Hierosolymitanam defendit contra Imperatorem. Tandẽ etiam eum eidem reconciliauit: & à seueritate sententiæ, quam in episcopum Eliam statuerat, reduxit. Cumque illa tempestate passim turbæ essent in ecclesijs ob Chalcedonẽsem synodum, ipse ab eorum parte fuit qui eam Synodum defenderũt: ac ipse quoque multum studij & laboris in eius defensione posuit etiam contra illum ipsum Imperatorem Anastasiũ, atque in hac statione decertauit cum multis uirtute & pietate insignib. ad uitæ usque terminum, quem sortitus est anno nonagesimoquarto ætatis, qui fuit quart⁹ Imperatoris Iustiniani. Huius gesta prolixè conscripta sunt à Simeone Metaphraste in quinto tomo, qui ipse è Cyrillo huius Sabæ discipulo sua mutuatus uideri potest: siquidem ipse Metaphrastes Cyrillum Sabæ uitam conscripsisse memorat.

DE MONACHIS AFRICANIS.

DE MONACHIS AEGYPTIIS.

ANastasius, Alexander, Martinianus, Ioannes, Paregorius, presbyteri, & Maximinus diaconus, monachi sunt: ad ipsos inscripsit Cyrillus Alexandrinus fidei Nicenę expositionẽ. nec præterea ullo nomine cogniti, neq; cuius prouinciæ fuerint planum: uidentur tamen Aegypti alicubi fuisse monasteriorum.

DE DIOSCORO HERMOPOLEOS *episcopo, eiusq; fratribus Longis.*

A temporibus Imperatorũ Arcadij & Honorij fuerunt in partib. Aegypti, in Scethi, quatuor monachi fratres, qui ob corporis proceritatẽ dicti sunt Longi, Ammonius, Dioscorus, Eusebius, & Euthymius: non tantũ celebres uita & doctrina, ut Sozomenus recitat lib. sexto, cap. tricesimo, sed etiam cęteris monasterijs præfuerunt: ita ut Nicephorus narrat libro decimotertio, capite decimo. Et de Ammonio præ cæteris commemorat Sozomenus, quòd

is ad ſummum faſtigium monaſticæ Philoſophiæ peruenerit, quodque maximus fuerit ſtudiorum amator, & in primis diligens Eccleſiaſticorum ſcriptorum lector, Origenis præcipuè, & Didymi. Additque ueluti magnum quiddam: cum ad Eccleſiaſticam uocatus eſſet gubernationem, neque uerbis uel precibus ullis à ſe remouere poſſet, qui eum accerſitum uenerant, quòd ſibi auriculam amputarit, ut hoc modo facilius dimitteretur, cũ Canones mutilatis membris neminem ad miniſteria admittant. Verùm cum legati ne ſic quidem ipſum miſſum facturi eſſent, ſed ſponte uocationem ſequi nolentem, uel ui abrepturos dicerent (Canones enim iſtos rectius Iudæis obſeruandos: Eccleſiæ uerò non multum intereſſe, quo corpore ſit miniſter, modò doctrina & morum pietate ſit integer) ipſe uel linguam etiam ſibi exciſurum minatur, ni faceſſerent. Et hinc Ammonio nomen inditum, ut Parotes uocatus ſit. Qua in re non tam ſtolidè quàm impiè feciſſe uideri poteſt. Primùm quòd DEO uocanti non obtemperat: deinde quòd Eccleſiæ operam ſuam denegat, præſertim ſi, ut ueriſimile eſt, doctrinæ & alijs donis Eccleſiæ gubernatori neceſſarijs ualuit: tertiò, quòd etiam in ſe ipſo factus eſt homicida, cum dicatur, Non occides. Dioſcorus autem, unus ex illis fratribus inuitus, & præter animi ſui ſententiam etiam ipſe (ut Nicephorus commemorat) Hermopoleos conſtitutus eſt epiſcopus à Theophilo Alexandrino: qui eorum fama motus, maximo illos in precio habebat, adeò ut reliquos Dioſcori fratres ad ſe uocatos, contubernales ſibi & domeſticos eſſe uoluerit. Iisque etiam in cleri ordinem aſcriptis, eccleſiæ Alexandrinæ œconomiam demum commendauit. quo tamen munere breui tempore pòſt reſignato, in ſolita deſerti loca receſſerunt, quòd monaſticen uitę urbanæ præferrent, quodque Theophili conuerſatio parum ipſis probaretur. Quædam autem ſcripta etiam eos edidiſſe, apparet ex colloquio cũ Epiphanio, quod paulo pòſt recitabitur.

De horum doctrina unum hoc manifeſtum eſt. Cum uniuerſa propemodum monachorum caterua per totam Aegyptum, & ex illis præſertim imperitiores quique, homines idiotæ & minus literati, temeraria quadam perſuaſione crederet, Deum humanam & corpoream formam geſtare: idque ex ſiniſtro ſacræ Scripturæ intellectu, quæ ad humanæ mentis imbecillitatem ſeſe accommodans, tribuit DEO hominis membra: hi Longi fratres rectè hac in parte, pieque & iuxta ſincerum Scripturæ intellectum ſenſerunt: Deum nimirum eſſe ſpiritum, qui carnem & oſſa (ut ipſe Chriſtus ait) non habeat, nec ad ideam humani corporis ſit metiendus: ſicut ex Sozomeni libro octauo, capite duodecimo: Nicephori libro & capite iam antè citato patet. Vbi de Theophilo diſertè narratur, quòd ex conuerſatione & familiaribus colloquijs ipſorum compertum habuerit, ipſos reprehendere, quotquot Deo humanam effigiem tribuerent.

Certaminis loco eſſe poteſt, quod ijdem commemorant authores, quemadmodum ſe ſtrenuè oppoſuerint Epiphanio Salaminis in Cypro epiſcopo, damnationem ſcriptorum Origenis urgenti in ſynodo Conſtantinopolitana. Et memoratu dignum eſt ipſorum cum eo colloquium cordatum, & infracti ac integri animi iudicium. Ad ipſum enim accedentes, cum interrogati reſpondiſſent ſe Longos eſſe: ſubiecerunt, cupere ſe ex ipſo cognoſcere, nunquid aliquando in ipſorum aut ſcripta aut ſectatores atque diſcipulos incidiſſet, & cum ijs de ſcriptis lectis contuliſſet? Epiphanio hoc negante, ſubmiſerunt ipſi: Quid ita igitur eos hæreſeos accuſas, quorum de ſcriptis ne ſententiam quidem ullam cognoueris, nedum redargueris? Tum ille, Quòd ita id audiuiſſem, reſpondit. Rurſum illi: At nos contrà ſcimus: & ſcripta tua legimus, & cum diſcipulis tuis contulimus. cumque eſſent qui linguas ſuas acuerent: ut eum librum qui ἀγνυῤῥωτὸς inſcriptionem habet, calumniarentur ut hæreticum, nos pietate moti, te ut patrem defendimus, ac tuas in reſpondendo partes egimus, ſcriptumque propugnauimus. Proinde indignè adeò facis, qui ea quæ ipſe non cognouiſti, indicta cauſa, tantum ex aliorum relationibus damnas: ac parum dignam gratiam refers ijs qui tuam cauſam egerunt aduerſum obtrectatores, & nunc quoque in rebus bonis & honeſtis tibi ſunt coniuncti. Sozomenus eodem libro, capite decimoquinto: & Nicephorus capite decimotertio. Et effecerunt ſanè, ut agnoſcens errorem Epiphanius, & modeſtius poſthac eos acciperet, & dimitteret.

Afflictiones autem ipſos exceperunt grauiſsimæ: idque illo ipſo authore Theophilo, qui paulo antè ſummus ipſorum uiſus fuerat eſſe patronus. Cauſa autem offenſionis hæc erat. Erat Theophilus homo auarus, qui tantum auro & argento inhiabat: & propterea uitam quæſtuoſam inſtituerat, ut quacunq; ratione poſſet, ſplen-

didas

didas facultates corraderet. Hoc præstantes illi uiri fratres indignũ ducebãt homine Ecclesiastico, & præsertim eo qui ut doctrina, ita & uitæ exemplo alijs præire debebat: ac eum sui peccati admonebant fraternè, & dimissionem petebant. Theophilus autem animaduertens, ipsorum iudicio se condemnatum, excãduit animo: & uicissim ipsis omnis generis mala minatus, non quieuit donec animo suo indulgens, sese probè esset ultus. Secum igitur consilia agitans, quo nam modo ipsos aggrederetur, cum sciret eos apud reliquos sui ordinis homines uniuersos reuerenter haberi, & summa pietate & obedientiæ fide obseruari, & ipsos etiam per sese pręter paupertatem nihil possidere, præterq; pietatis ac sapiẽtiæ studia, cętera omnia haud magnifacere: excogitauit consilium, quo pacto dissidiũ inter illos excitaret, & pleraq; monachorũ collegia ab his fratribus abalienaret. fuitq; id huiusmodi. Sciebat maximã monachorũ turbam, & præcipuè simpliciores, eosq; qui parum in literis essent instituti, eã in animis circumferre opinionem, ut crederent, Deũ habere corpus & humana membra: Longos uerò fratres diuersum sentire. Scriptis itaq; literis, ait: Monasteria solitudinũ Aegypti, accusant Dioscorum & fratres, hæreseos: quòd Origenem sequentes, nouum & blasphemum dogma adferãt, asserentes Deum neq; os, oculos, manus, pedes aut cætera homini similia membra habere, cum tamen diuersum Scriptura affirmet. Ideoque ijs fratribus, ut hæreticis, deinceps non esse parendũ, multo minus honore esse eos afficiendos. Et profectò non infeliciter cessit ipsi hoc suum consiliũ. Primũ enim inter ipsos monachos natæ sunt grauissimæ contentiones, ex contentionibus ortæ sunt pugnæ & conflictus. Ipse etiam Theophilus magna multitudine assumpta, sed & militibus adhibitis, montem Nitriæ, ubi plurima erant monasteria, occupat, monachorumque turbas armis instruit aduersus Dioscorum & fratres eius, ipsorumque monasterium igne iniecto incendit & uastat. Ipsi uerò in puteis delitescentes, quò se ut necem effugerent abdiderant, capitis periculum euasere. Cumque ab insidijs uitæ suæ struendis Theophilum, & aduersam partem minimè cessaturos intelligerent, discesserunt ex illis locis: & Hierosolyma primùm, deinde Scythopolim se contulerunt, ob palmarum frequentiam, quibus monachi ad opera sua uti solent: eosq; secuti sunt uiri circiter octoginta. Theophilus autem ueritus, ne fortè Constantinopolim abirent, de iniurijs questuri, mittit suo nomine qui illos tum apud Imperatorem, tum apud Chrysostomum accusando præuenirent, & ipsorum actionibus impedimento essent. Quod ubi Ammonius cum fratribus comperit, mox ipsi quoque eò sese recipiunt: quibus se socium addiderat Isidorus, etiam ipse de iniurijs sibi ab eodem Theophilo illatis actionem instituturus aduersus ipsum. & Constantinopolim sanè ingressi, reuerenter accepti sunt à Chrysostomo. qui etiam scriptis ad Theophilum literis, pro ipsis intercedit: ipsisque ut rectè & plè de Deo sentiẽtibus fidei testimoniũ perhibens petit, ut sibi reconciliatos esse uelint, eisq; communionẽ reddere. Sin uero causam totam in iudicio examinandam arbitretur, mittat qui cognitioni suo nomine intersit. Sed & ipsa Imperatrix suam ipsis operã pollicita, benignè promisit se curaturã, ut coacta synodo, quàm primũ de tota causa cognoscatur, cum fortè ipsam uehiculo prętereuntem ex uia salutassent, & de iniurijs sibi factis quædã exposuissent. Et coacta quidem paulo pòst est synodus. uerùm priusquã ij qui uocati erãt conuenissent omnes, & causa in dijudicationẽ esset proposita, sublati sunt è uiuis Dioscorus & Ammonius fratres. Et Dioscorus quidẽ ante synodũ mortuus est Constantinopoli, & in tẽplo Mocij martyris sepultus: Ammonius uerò in Quercu suburbio Chalcedonis, quò ipse iam tum ualetudine nimis firma accesserat ad synodum, quæ ibi celebranda instituta erat: ut commemorãt illi ipsi authores, ijsdem libris, sed cap. decimoseptimo Sozomenus, Nicephorus autem capite decimoquinto. De peculiaribus uitæ exercitijs hoc de Ammonio habet Sozomenus libro sexto, cap. 30. quòd à iuuentute ad extremum usque uitę, pręter panem nihil, quod igne fuisset coctum, gustarit.

ISIDORVS PELVSIOTA.

Isidorum quendam monachum in Pelusio monte præfuisse, sub Imperio posterioris Theodosij, refert Nicephorus libro decimoquarto, capite quinquagesimotertio: aitque Chrysostomi olim fuisse discipulum. Cyrillo autem Alexandrinã ecclesiam post patruum Theophilũ gubernante, potissimùm fuisse celebrem, & maximè Ephesinæ primæ synodi tempore, ex epistolis eius ad Cyrillum scriptis colligitur: id quod Euagrius quoq; annotat libro primo, capite decimoquinto. Huius etiam Isidori mentionem faciens, ab adolescentia in monasticæ uitæ exercitijs & laboribus eum desudasse, Nicephorus recitat. Certè eò usque progressum, ut eius

ut eius apud omnes passim maxima fuerit tam in dictis quàm factis authoritas & gloria: atque ita corpus laboribus maceratum habuisse, animam uerò pijs & salutaribus doctrinis imbutam, ut angelicam quasi uitam degere uisus fuerit, & reuera monastici instituti & contemplationi deditæ uitæ uiuum atque animatum fuerit exemplar & imago, ante Nicephorum etiam Euagrius commemorat, loco memorato.

Idem Euagrius multa eum & uaria ac utilia in omni genere scripsisse meminit, & præsertim ad Cyrillum etiam quędam.

Decem propè Epistolarum chiliades eum scripsisse omnis generis, expressè Nicephorus habet: in quibus Scripturā omnem clarè interpretetur, & omnes omniū hominum mores instituat. Et genere dicēdi ad docendum accommodato usum, idem addit: præterea ipsa scripta ostendere flagrantem ipsius ardorem erga pietatem & ecclesiam. Plurimùm enim eum inuehi in eos qui non ritè suis ministerijs fungerentur, quocūque illud esset gradu, siue superiori siue inferiori aliquo. Defendere etiam apertè Chrysostomum: & propterea ipsum Imperatorē Arcadiū, Theophilum Alexandrinum episcopum, eiusq; & nepotem & successorem Cyrillum, uehemēter in suis lucubrationibus perstringere, eorumq; peruersas aduersus sanctū illum uirū molitiones grauiter taxare. Et profectò eius rei exēpla sunt illa ipsa quæ ibi ponit epistolarum fragmenta ad Cyrillum, in quibus ut hominem turbulentum eum arguit, etiam ob ea quæ Ephesi egerat Cyrillus. Item aliud ad nescio quem, de causa Chrysostomi, ubi nominatim ac disertè, & quidem ualde acriter Theophilus reprehenditur. Sed & aliud etiam epistolæ fragmentum eiusdem Isidori ad Ophelium grammaticum, de stylo & phrasi Chrysostomi: quam etiam Libanij sophistæ authoritate miris laudibus uehit. Atq; hoc ipsum ad Ophelium fragmentum testatur, etiam Plutarchi & Platonis scripta ab isto Isidoro lecta. Isidori Pelusiotæ centum & triginta epistolas grēcas extare Romę in Vaticano, item Schedas & historias diuersas, Gesneri Bibliotheca narrat.

CYRVS.

Fuit hic Cyrus genere Alexandrinus, artis professiōe medicus, & ex philosopho factus est monachus, uir dicendi peritus, tempore Gennadij, ut ipse narrat. Aduersus Nestorium prius eleganter & fortiter scripserat: postea autē Timotheanum dogma fouere cœpit, dum in Nestorio refutando syllogismis magis quàm Scripturis uteretur. Demum & animi dubium, suspendisse suum assensum à decretis Chalcedonensis concilij, nec acquieuisse, ut fistare naturis dicatur, in suo catalogo Gennadius refert. Trithemius tribuit ei hæc scripta: Aduersus Nestorem librum unū. Aduersum hæreticos librū unum. Et claruisse circiter annum Domini quadringētesimum quadragesimum. Leonis certè & Zenonis temporibus uixisse eum, inde constat.

LEPORIVS.

Prosper in Chronicis, sub annum quadringentesimum tricesimum secundū, nominat quendam Agricolam Pelagianum, Seueriani Pelagiani filiū, qui ecclesias Bassternię apud Britannos corruperit suo dogmate: & propterea à papa Celestino eò missum Germanum Antisiodorensem episcopum, qui profligatis hæreticis, Britannos in uiam reduceret. Hunc ipsum Agricolam Balæus etiam Leporium uocat, & in Britannia genitum ex Seuero Sulpitio Aquitano & matre Britanna, ac fuisse presbyterum & monachum Apostolici ordinis in magno illo Bannochorensi collegio, quique prauo dogmate totius regionis Ecclesias subuerterit, narrat in prima Centuria, in Leporio: idque, ut apparet, ex Ranulpho, & Matthęo Vuestmonasterienſi. Certè Leporium monasticæ professionis hominem, & in ecclesiæ ministerio presbyterum, infectum errore Pelagiani dogmatis, non quidem in Britannijs, sed in Gallijs, tanquam unum exprimarijs discipulis Pelagij, illud ipsum dogma adseruisse, & docendo propagasse, ex Cassiani libro primo de incarnatione Domini certissimum est. Nec minus ex eodem loco & hoc certissimum est, admonitum ab eo errore conuersum, & publico scripto reuocasse, ac sinceram fidei suæ confessionem edidisse: idque in Africa tum existentem, ubi ipsum egisse memorat etiam illo tempore Cassianus, cum ipse scriberet eam de incarnatione Domini contra Nestorij blasphemias confutationem. unde & nos ipsi locum esse uoluimus inter Africanos doctores: quandoquidem & Adon in Imperatore Theodosio, ipsum à diuo Augustino emendatum narrat.

¶ Balæus tribuit ei hæc scripta.

Erroris sui palinodiam liber unus: scriptū nimirum illud, cuius etiam Cassianus meminit.

De incarnati one Domini, lib. 1.

De naturis in Christo, lib. 1.

Quo-

Quoniam uerò Cassianus & bonam partem renouationis ipsius, & prẽterea eius cõfessionem integram recitat, libet eam adscribere. Leporius enim tunc monachus, modò presbyter, qui ex Pelagij (ut suprà diximus) institutione, uel potius prauitate descendens, apud Gallias adsertor prædictæ hæreseos, aut inter primos, aut inter maximos, fuit à nobis admonitus, à Deo emẽdatus: ita malè conceptã persuasionẽ magnificè condemnauit, ut non minus penè admiranda sit correctio illius, quàm illæsa multorum fides. Quia primum est, errorẽ penitùs non incurrere: secundum, bene repudiare. Is ergo in se reuersus, non solùm in Africa, ubi tunc erat, atq; nunc est, tam errorem suũ cum dolore, quàm sine pudore cõfessus est: sed etiam ad omnes adeò Galliæ ciuitates, flebiles confessionis ac planctus sui literas dedit: scilicet ut ubi deuiatio eius prius cognita erat, illic etiam emendatio noscerẽtur: & qui testes erroris antea fuerũt, ijdem postea correctionis essent. Ex cuius confessione, uel potius deploratione, nonnulla inferenda existimauimus, duplici ex causa: ut correctio eorum & nobis testimonio, & his qui nutant exemplo esset: quorumq; errorẽ sequi non erubuissent, eorũ emendationem sequi non erubescerent: ac sicut simili ægritudine infirmarentur, ita simili remedio sanarentur. Is ergo agnita opinionis suæ peruersitate, & inspecta fidei luce, scribẽs ad episcopos Gallicanos, ita exorsus est: Quid in me primũ, ô Domini mei uenerandi, & beatissimi sacerdotes, accusem, nescio: & quid in me primùm excusem, non inuenio. Sic imperitia & superbia, sic stulta simplicitas cum persuasione noxia, sic feruor cũ intemperantia, sic (ut uerius dicã) cum sui diminutione debilis fides, simul in me omnia recepta uiguerunt, & ut tot & tantis simul nimo potuisse cedere mihi stupenda gratulatio. Et post pauca subiũgit: Sic ergo minimè percipientes hanc potentiam Dei, sensu nostro & propria ratione sapientes, quasi in inferiora se Deus agere uideatur, ita hominem cum Domino natum esse dicamus: & seorsum quæ Dei sunt, soli Deo demus: & seorsum quæ sunt hominis, soli homini reputemus: quartam manifestissimè introducimus in Trinitate personam, & de uno filio Dei non unum, sed facere incipiamus duos Christos, quòd à nobis iam ipse Dominus & Deus Christus auertat. Ergo confitemur Dominũ ac Deum nostrum Iesum Christũ, unicum filium Dei, qui sibi ante secula natus ex patre est, nobis à tempore de Spiritu sancto, & Maria semper uirgine, factum hominem, Deum natum. Et confitentes utrãq; substantiam carnis ac uerbi, unum eundẽq; Deum & hominem inseparabilem, semper pia fidei credulitate suscepimus: & ex tempore susceptę carnis, sic omnia dicimus quę erant Dei, transisse in hominem, ut omnia quæ erant hominis, in Deum uenirent. Et hac intelligentia uerbum factum sit caro, nõ ut conuersione aut mutabilitate aliqua cœperit esse quod non erat: sed ut potentia diuinæ dispensationis uerbũ patris nunquam à patre discedens, homo propriè fieri dignaretur: incarnatusq; sit unigenitus secreto illo mysterio, quo ipse nouit. Nostrũ namq; est credere, illius nosse. Ac sic ipse Deus uerbum, totum suscipiẽs quod est hominis, homo sit: & adsumptus homo totum accipiendo quod Deus est, aliud quàm Deus esse nõ possit. Non tamen quia incarnatus dicitur, & immixtus, diminutio eius est accipienda substantiæ: nouit enim Deus sine sui corruptione misceri, & tamen in ueritate misceri: nouit in se ita suscipere, ut nihil ei crescat augmenti: sicut seipsum totum nouit infundere, ut nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ secundum experimentorum uisibilia documenta facientes coniecturam, de æqualibus se in inuicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemq; commixtum, & tali confusione carnis & uerbi quasi aliquod corpꝰ effectũ. Absit ita credere, ut conflatili quodã modò genere duas naturas in unam redactã arbitremur esse substantiã: huiusmodi enim cõmixtio, partis utriusq; corruptio est. Deꝰ enim, qui captabilis, nõ capax est: penetrãs, non penetrabilis: implens, non implebilis: qui ubiq; simul totus est, & ubiq; diffusus est, per infusionem potentiæ suæ misericorditer naturę est mixtus humanę. Et post pauca: Nascitur ergo nobis propriè de Spiritu sancto, & Maria semper uirgine, Deꝰ homo, Iesus Christus filius Dei. Ac sic in alterutrũ unum fit uerbum & caro, ut manente in sua perfectione naturaliter utraq; substantia, sine sui præiudicio, & humanitati humana participent: nec alter Deus, alter homo: sed idem ipse Deus qui & homo, & uicissim homo qui & Deus, IESVS Christus unus Dei filius nuncupetur, & uerè sit: & ideo id agendum nobis semper est, & credendum, ut Dominum nostrum Iesum Christũ filium Dei, Deum uerum, quem cum patre semper, & æqualem patri ante secula confitemur, eundem à tempore susceptæ carnis factum Deum hominem non negemus: nec quasi per gradus & tempora proficientem in Deum, alterius status fuisse ante resurrectionem credamus, alterius post resurrectionem, sed eiusdem plenitudinis atq; uirtutis. Et item paulo pòst: Sed quia uerbum Deus

in hominem, dignanter hominẽ ſuſcipiẽdo, deſcendit, & per ſuſceptionem Dei homo aſcendit in uerbum, totus Deus uerbum factus eſt totus homo. Non enim Deus pater homo factus eſt, nec Spiritus ſanctus, ſed unigenitus patris: ideoq; una perſona accipienda eſt carnis & uerbi, ut fideliter ſine aliqua dubitatione credamus unum eundem Dei filium, inſeparabilem, ſemper geminæ ſubſtantiæ, etiam Gigantem nominatum in diebus carnis ſuæ, & uerè ſemper omnia geſſiſſe quę ſunt hominis, & uerè ſemper poſſediſſe quæ Dei ſunt. Quoniam & ſic crucifixus eſt infirmitate, ſed uiuit ex uirtute Dei. Hanc ergo eius confeſsionem, id eſt Catholicorum omnium fidem, & omnes Africani epiſcopi, unde ſcribebat, & omnes Gallicani, ad qnos ſcribebat, comprobauerunt.

THALASSIVS.

Thalaſsij Libyis & Africani monachi nomine, ut Geſnerus in Bibliotheca ſua eum nominat, extant Hecatontades quatuor, de amore, cõtinentia & gubernatione animi, ad Paulum presbyterum græcè & latinè. Non eſt autem hic Thalaſsius, uir ille ſenatorius Conſtantinopolitanus, qui poſtea Cæſareenſibus Cappadocum datus eſt epiſcopus: ut perperam in Orthodoxographis, de uitis authorum iſtius operis, in huius uita annotatum eſt: id quod facile deprehendet, qui leget ea quæ de illo ex Eccleſiaſticis ſcriptoribus ſuo loco retulimus.

Sunt autem Hecatontades illæ aliud nihil, quàm ſelectiores quædam, utiles & diuinæ ſententiæ de Deo, diuinitatis perſonis, Chriſto, & alijs piæ doctrinæ articulis, maximè uerò de moribus: quarum tamen aliæ alijs ſunt commodiores, ut ex ſequentiũ breui narratione patebit.

Thalaſsij dogmatica.

¶ In ſacra Scriptura dicit cõtineri mãdata, placita, minas & promiſsiones: libro de Charitate, Hecatõtade ſecunda. Ac eam ab affectionibus, legentes & obſeruantes liberare: libro eodem, Hecatontade quarta.

Deum ſentit eſſe ſempiternum, immenſum & indefinitũ: & ſempiterna bona, immenſa & ineffabilia ijs qui ſe audierint promiſiſſe: libro de Charitate, Hecatõtade 4. Ac ſecundum eſſentiam nobis eſſe incognitum, & ſecundum maieſtatem immenſum: libro eodem, Hecatontade prima.

De trinitate multa docet, libro de Charitate Hecatontade 2 & 4. & rectè ſentit, unam Deitatis eſſentiã, & tamen tres hypoſtaſes eſſe, quæ proprietatibus (ut ſunt, paternitas, filiatio, & proceſsio) diſtinguantur.

De filio Dei & Domino noſtro Ieſu Chriſto, rectè dicit, quòd uerbũ ꝓpter miſericordiã caro factũ ſit, abſq; ſui cõuerſione, neq; quod erat tranſmutauerit, neq; quod factũ alterauerit: libro de charitate, Hecatonde 2. Item quòd ex duab. naturis unus ſit Chriſtꝰ: ibidẽ. Et quòd anima & corpore & Deitate nobis apparuerit, ut animã & corpꝰ ex mortẽ redimeret: Hecatõtade 4. Et homines angelis aſſociarentur, Hecatontade 1.

De creatione dicit, Deũ non tantũ omnibus creaturis ſuum eſſe dediſſe, ſed etiam omnia ſua prudentia ſimul colligaſſe: lib. 1. de charitate, Hecatontade 1.

De homine ante cõuerſionẽ ſentit, Chriſtũ omnib. prębere lumen, ſed inobedientes à ſe ipſis exçęcari: de charitate, Hecatontade quarta.

De peccato ſentit, quòd primi parentes, eius propter negligentiam ſint autores: libro de charitate, Hecatontade 4.

Chriſtum ſua obedientia & morte nobis ſalutem comparaſſe, docet libro eodem, Hecatontade quarta.

De fide dicit, Chriſtũ per eam nos uiuificare: libro eodem, Hecatontade quarta. Item, fidem eſſe fontem charitatis, ac ultra omnem philoſophiam. ibidem.

Nouam obedientiam ſentit eſſe Dei opus, operantis in renatis: libro eodem, Hecatontade 2. Ac mentem continentis, tẽplum Spiritus ſancti: guloſi uerò, coruorũ eſſe domicilium: libro eodem, Hecatontade tertia.

Orationem non ad creaturas, ſed Chriſtũ ipſum dirigendam eſſe, docet ſuo exemplo, Hecatontade 3. inquiens: Domine omnium Chriſte, libera nos ex omnibus perniciolis affectibus, & cogitationibus, quę ex ipſis oriuntur. Item, Sic homo factus es, ita ſalua nos oẽs: reſuſcita animas, & ſalua corpora.

Pœnitentiam hic agendam eſſe, ſi nó uelimus in æternam pœnam incidere, docet libro eodem, Hecatontade 2.

Impios & excæcatos, dum uapulant, & cruce affliguntur, non ſentire, nec Dei uolũtatem agnoſcere, docet libro eodem, Hecatontade ſecunda. Ac crucem uirgã ſpiritualem appellat, Hecatontade 4.

Impios in reſurrectione à breui morte in longam tranſituros, indicat libro eodem, Hecatontade 4.

De nævis & opinionibus eius.

¶ Libero arbitrio uidetur interdum nimium tribuere, cum dicit de non renatis, poteſtatem ad utrumlibet declinandi damtam eſſe: ac mentis proprium eſſe, in Deo ſemper uerſari, & cogitare de ipſo, deq; prouidentia ac terribilibus ipſius iudicijs: libro de charitate, Hecatontade 4.

Videtur ſalutem operibus etiam aſcribere, cum inquit: Vis ſalutem aſſequi, renũcia uoluptatibus, amplectere charitatem accõtinentiam, unà cum precũ aſsiduitate. libro eodem,

eodem, Hecatontade prima. Tale & illud est quod dicit, Accepimus potestatem filios Dei fieri: sed non erimus, nisi affectiones exuerimus. libro eodem, Hecatontade 2.

Electicijs operibus nimium tribuit. labores enim monasticos, quales sunt ieiunium, uigiliæ, patientia & longanimitas, puram conscientiam facere, nugatur libro eodem, Hecatontade tertia. & per sustinentiam malorum & luctuum peccata remitti, delirat Hecatontade 2.

CHEREMON, NESTEROS, IOSEPH.

Hi tres anachoretę fuerũt solitudinis Ægypti ad mare, homines eruditi: ueluti doctissimæ ipsorum de rebus grauibus in pietatis doctrina disputationes ostendũt, quas sub ipsorum nominibus recitat Cassianus septem collationibus: Cheremoni tribuens collationem undecimã de perfectione, qua tractatur de dilectione & eius gradib⁹: duodecimam de castitate: tredecimam de prohibitio exponitur: quam tamen expositionẽ ut erroneam & Pelagianum quiddam resipientem impugnat Prosper, ut suo loco dictum. Nesteroti disputationem de spirituali scientia, & de diuinis charismatibus, collatione decimaquarta & decimaquinta. At uerò Iosepho, collationem 16. de amicitia, & decimamseptimam de definiendo uel nõ definiẽdo ascribit. Sub quorum titulorum definiẽdi & nõ definiendi inuolucris, uidetur doctrina tradi prudentiæ, quando deceat certò de rebus pronũciare, quando minus: item de uotorum obligatione. Facit autem hunc Iosephum præ omnibus alijs Cassianus uirum eruditum, non modò Aegyptiacæ, sed & Greçcæ linguę, ita ut non opus sit fuerit per interpretem eis loqui, ut reliquis, sed potuerit per sese elegantissimè de rebus disserere. Addit & hoc, quòd ex clara familia fuerit natus, & fuerit ciuis primari⁹ urbis Aegyptiacæ Thymius: capite primo decimæ extæ collationis.

PYAMON.

Anachoretarum iuxta Diolcos, unum ex septem Nili ostijs, abbas & pastor fuit: ut narrat Cassianus capite primo, collatione decimaoctaua, qua ipse differit de monachorum generibus.

EREMITAE ET MONACHI *Europæi.*

MARCVS EREMITA.

Marci, quem Eremitam pleriq; dicũt, mentio est apud Nicephorum aliquoties. Libro decimoquarto, capite quinquagesimotertio, eum inter illos numerat, qui Theodosij temporibus præclari in ascetica extitêre, & quorũ doctrina factis quoq; consona fuit, quiq; in utraq; philosophia usi fuerint præceptore Chrysostomo: quorũ etiam in poesi non parua fuerit gloria. Capite sequenti, in monastica eum prius uersatum ait: quo indicare uelle uidetur, relicto statu monastico recessus Eremi ingressum: quod fuit tum usitatum ualde. Vbi autem locorum uixerit, non indicatur quidem: sed uidetur tamẽ circa Cõstantinopolim alicubi etiam ipse egisse, ut & Nilus eius discipulus.

Multa post se eum reliquisse scripta, idem meminit: & suis temporibus extitisse libros octo, uniuersalium affectionum numerum æquantes: item alios triginta duos, in quibus uias totius asceticæ uitæ omnes prosequatur, ad quæ loca secedendum, & quomodo ad uoluntatem Dei gressus dirigendi sint, &c.

Marci Eremitę nomine hodie extãt Gnomæ græcæ & latinæ, de lege spirituali, item de ijs qui se putant iustificari ex operibus: in quibus sententijs multa ualde piè, omnia certè eleganter & doctè dicuntur. Sed hoc tamen nõ dissimulandum, quòd interdum minus aptè Scripturas citat. Titulus huius scripti est, τῦ ὁσίυ πατρὸς ἡμῶν ἀσκητῦ καὶ ἀναχωρητῦ μάρκυ κεφάλαια, περὶ νόμυ πνευματικῦ: id est, Sancti patris nostri Marci eremitæ capitula, de lege spirituali. Omnia autem Aphorismis distincta sunt.

Marci Eremitæ dogmatica.

¶ In lectione sacræ Scripturæ, mysteriorũ rationem habendam esse monet, cum omnia ad nostram doctrinam sint pręscripta: libro primo de lege spirituali.

Deum nullam cogitationem latêre: ibidem. Eumq; Dominum nostrum dici, tum secundum essentiam, tum secundum gubernationem: lib. 2. de lege spirituali.

Spiritum sanctum solis instar super baptizatos perfectè effusum esse, & in singulis quemadmodum sibi uideatur operari, docet lib. 2. de lege spirituali.

Deum nos homines, cum non essemus, fecisse, & condidisse: libro secundo de lege spirituali.

Diabolum uiolento incursu tentare, & peccandi principium commonstrare, docet libro secundo de lege spirituali. Ac eundem delicta extenuare, ut ad maiora homines adducat: libro primo de lege spirituali.

Peccatũ ignẽ ardentem appellat: ac alium apertè, alium occultè peccare dicit. Fontes etiã peccatorum ostẽdit esse cor, cogitationes, cupiditatem glorię, uoluptatem, auariciã, diabolum: libro 1. de lege spirituali.

Viribus liberi arbitrij nihil uidetur attribuere, dum omnis uirtutis initium & autorem Deum facit, ac ab eo omne bonum peculiariter procedere dicit: lib. 1.

Legem internam & externam perfectiſsimamq; requirere obedientiam, docet libro utroq; de lege ſpirituali. Item, neminem legem implere, præter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: lib. 1.

Summam legis eſſe charitatem erga Deũ & proximum: lib. 2. Et aliam eſſe particularem, aliam generalem: ibidem.

Chriſtum ſua cruce & ſanguine, nos peccato mortuos, mercatum eſſe: lib. 2.

Iuſticiam noſtram eſſe perfectionem legis, in cruce Chriſti abſconditam: item eſſe gratiam, & non meritum operum: libro primo.

Applicationem aũt iuſticiæ fieri per uerbum & fidem, indicat lib. 2.

Et damnat eos qui ex operibus iuſtificationem coram Deo, & regnum cœlorum ut mercedem operum ſuorum ſe cõſecuturos ſomniabant: libro ſecũdo de lege ſpirituali.

Fidem cognitionem ueritatis eſſe, definit libro 1. & aliam alia firmiorem inueniri, aſſerit libro ſecundo.

Bonorum operum autorem Deum facit, iuxta illud, Sine me nihil poteſtis facere: libro primo. Ac ea tantum Deo placere, quæ in Chriſto Ieſu ac Spiritu ſancto fiant: ibidẽ. Et à renatis bona opera fieri debere, nõ propter retributionem, ſed propter cuſtodiam conceſſæ puritatis & mundiciei: lib. 2.

Doctrinam de oratione, in utroque libro mediocriter tractat. Solum enim Deum inuocãdum eſſe, & ſpiritualia bona ſeu regnũ cœlorum pręcipuè expetenda: & non tantũ pro ſe, ſed etiam pro alijs orandum docet. Ac eleganter dicit: eum qui pro hominibus iniuriam inferentibus precatur, maledicere dæmonibus. Attribuit etiam orationi ſuos effectus, quòd impetret neceſſaria, uincat tentationes, excludat omnium malorum impetum, conſeruet à Deo antea data. Eiq; uoluptatẽ & prauas cogitationes maximè repugnare aſſerit.

In baptiſmo, baptiſatis arcana quadam & myſtica ratione gratiam dari: lib. 2.

De pœnitentia dicit, Deum non largiri ueniam reſipiſcere nolenti: libro ſecundo de lege ſpirituali. & talibus iudicium inclemens & immiſericors prædicit: lib. 1.

A' pœnitentiam agente alienum eſſe, animo elato ſuperbire: & ſine corde contrito impoſsibile eſſe liberari à malicijs & uicijs. libro ſecundo.

Chriſtum ſibi ſeruientibus, libertatẽ gratuitò largiri, indicat lib. 2.

Crucem interdum indiuiduum comitem eſſe, & pœnam peccatorum: interdum uerò probam piorum, lib. 1. In ea precationẽ & patientiam adhibendam, & conſolationes de Dei uoluntate, præſentia & liberatione, monet paſsim lib. 2.

Nœui.

Incommoda eſt ſententia, ſi de non renatis intelligatur, qua aſſerit, ſitũ in nobis eſſe, pro uirili bonum facere, aut non facere: libro 1. de lege ſpirituali.

Præceptum quòd bonis renunciandum ſit, generale eſſe, & ad oẽs uult ptinere: lib. 2.

Interdum de iuſtificatione minus cautè, & quidẽ contra ſeipſum loquitur, dum non ſoli fidei, ſed etiam operibus & ſermonibus iuſtificationem aſcribit: lib. 2.

Contritionẽ cordis aſcribit temperantiæ ſomni, cibi, & corporalis licentiæ: lib. 2.

STVDIVS & GRATISSIMVS.

Sub Gennadio Conſtantinopolitanæ eccleſiæ paſtore, aliquo nomine in ea ipſa eccleſia celebres fuere Studius quidã, & Gratiſsimus, authore Theodoro Lectore libro 1. Collectaneorum: quòd ille templum Iohanni prærurſori erexit, & monachos in illud induxit, ex domicilio eorum qui *ἀκοίμητοι* dicuntur. huius etiam Nicephorus meminit lib. decimoquinto, cap. uiceſimotertio. Hic uerò Gratiſsimus nactus templũ S. Cyriaci, inſtituerit collegium monaſticũ, in quo ipſe & habitum monachi induerit, & ſimul etiam præpoſiti munus obiuerit.

MOYSES.

In deſerto Scythiæ Moyſen fuiſſe abbatẽ, ex prima collatione Caſsiani cum eodem, patet capite primo, & reliquis. Tradidit aũt Caſsiano & ſuo Comiti, anxiè id petentib', perfectionis doctrinam, quam conſtituit in profeſsione monaſtices, cuius facit duplicẽ finem: ultimum, quem finem appellat & regnum Dei, ac uitam æternam eſſe dicit: medium, quem modò ſcopum, modò deſtinationem nominat, hoc eſt uiam ſeu rationẽ, quam ſequendo perueniatur ad illum ultimum finem. eum autem eſſe dicit cordis puritatem, ſine qua impoſsibile ſit quenquam ad illũ finẽ ultimũ peruenire, planè philoſophico more, beneficiorum Chriſti & fidei iuſtificantis prorſus ignarus.

PAPHNVTIVS.

Paphnutius fuit eiuſdem deſerti pater, & quidem reliquorum eremitarum paſtor, ut ex primo capite tertiæ collationis Caſsiani liquet. Hic primùm in ſchola cœnobij ab adoleſcentia ſua fuerat inſtitutus. Pro iſtius autem iam tum ſeculi ſuperſtitione ad perfectionem adſpirans, relicto iſto uitæ genere uiuendi, in ſolitudinem ſeceſſerat, in qua ad extremam uſq; ætatem perdurauit: atq; hinc inditum cognomen Bubali, propterea quòd

quòd perrarò cęteris in ſolitudine fratribus ſui uidendi copiã fecerit, præterquàm cum pro more ad res diuinas cõgredi fuit neceſſe. Ex quo tamẽ congreſſu nunquã tantũ ſibi tęperauit, etiã nonagenarius, ut uacuus ad cellã ſuã reuerteretur, quin urnulã aquę cuius per totã hebdomadam uſum haberet, ſuis humeris ſecum portaret. Ab hoc doctrinã accipit Caſsianus de tribus uocationũ & abrenũciationũ generib⁹, ut docet tertia illa collatio hac diſtinctione. Primã dicit eſſe ex Deo: quoties inſpiratio quædã immiſſa in cor noſtrũ, nonnunquã etiam dormientes nos ad deſideriũ uitæ æternæ ac ſalutis exuſcitat, Deũq; ſequi, eiusq; inhærere præceptis compunctione ſaluberrima cohortatur. Secundam ex hominibus, quando uel exemplis quorundã ſanctorũ, uel monitis inſtigati, ad deſiderium ſalutis accendimur. Tertiã ex neceſsitate: cum nos diuitijs mũdi huius, uel uoluptatibus obligati, ingruẽtibus repentè tentationibus, quæ uel mortis pericula cõminantur, uel amiſsione bonorum ac proſcriptione percutiunt. capite 4. eius Collationis.

Ita & triplicem abrenunciationis diſtinctionem facit ex dicto: Exi de terra & de cognatione tua, & de patris tui domo. 1. Qua corporaliter uniuerſas diuitias mundi facultates q; contemnimus. 2. Qua mores ac uitia affectusq; priſtinos animi carnisq; reſpuimus. 3. Qua mentem noſtram de præſentibus uniuerſis ac uiſibilib. euocãtes, futura tantũmodo contemplamur, & ea quæ ſunt inuiſibilia cõcupiſcimus. cap. 6. ibidẽ.

DANIEL.

Ex eodẽ ſodalitio Daniel fuit, & ob ſingularem uirtutẽ à Paphnutio in miniſterij eccleſiæ eremitarũ ſocietatẽ aſcitus, diaconus primùm, mox & presbyter ab ipſo creatus, & ut ſibi in miniſterij ſuccederet gubernatione poſt obitũ electus eſt: uerùm præmatura morte interceptꝰ ante Paphnutij obitũ, electionis iſtius dignitatẽ alteri ceſsit. teſtatur 1. cap. 4. Collationis. Hic doctrinã de pugna carnis & ſpiritus Caſsiano & ſuo collegæ copioſe explicat, in eadem Collatione.

SERAPION.

Serapion, unus ex antiquiſsimis eius deſerti eremitis, de origine & cauſis uitiorũ diſputat, quinta apud Caſsianum collatione. Errore Anthropomorphitarũ ita deſipiebat quadã non malicia, ſed ſimplicitate, ut neq; a Paphnutio illo ſuo paſtore in rectam uiam reduci poſſet: & quia antiquitate profeſsionis iſtius ſolitariæ cæteros anteibat, & præterea etiã pietate præſtabat, multis eius obtinacius retinerẽt. Cum aũt aliquando quẽdam Photinũ diaconũ ex Cappadociæ partibus illò inuiſendi iſtius loci heremitas ſtudio profectũ, diſputantem audiuiſſet, ualde grauiter & doctè ex ſacris Scripturis & totius Orientalis eccleſiæ conſenſu, de imagine illa Dei & ſimilitudine, ad quam Geneſ. 1. homo conditus ſcribitur: motus eius aſſertionibus, reliquit ſuam de corporali Dei forma opinionem phantaſticam, & acquieuit in ſententia Photini, qua ille docebat incõprehenſibilem diuinæ Maieſtatis & immẽſam ſublimitatẽ, nulla humanæ formæ atq; corporeæ compoſitione & ſimilitudine circũſcribi poſſe, ut quæ ſit natura incorporea, incõpoſita & ſimplex. Verùm cũ paulo pòſt in gratiarum actionẽ exurrexiſſet, ſenſit inter precandũ ex corde ſuo elabi atq; euaneſcere eã quam oraturus Anthropomorphin imaginẽ ſibi proponere cõſueuerat. Conſter natus igitur mẽte, prorupit in amariſsimos fletus: inſuper & humi procidens, hanc maximo eiulatu lamentabilem edidit uocem: Heu me miſerum, tulerũt à me Deum meũ, & quem nunc teneam non habeo, uel quem adorẽ aut interpellẽ iam neſcio, &c. Recitatur 3. cap. decimæ Collationis in Caſsiano. De hoc ipſo Serapione narrat etiã Iſaac, & ipſe unus ex iſta eremitarũ cõgregatione, qꝰ fuerit uir ſimpliciſsimus, qui de ſubſtantia & natura diuinitatis nunquã penitus fuerit eruditus, ſed & ruſticitatis uitio & antiqui erroris conſuetudine deceptus ſit: capite quinto eiuſdem Collationis.

SERENVS.

Serenum à continentiæ & caſtitatis dono, ultrà quàm credi propemodum fas eſt, commendat Caſsianus: quem & ipſum inter abbates numerat. atq; ut commendationi ſuæ fidem faciat, annectit fabulam uerius quàm hiſtoriam, commemorãs quo nã pacto donum caſtitatis ipſi contigerit: uidelicet ob aſsiduitatem precum, quibus interpellare apud Deum pro iſta uirtute obtinẽda nunquã ceſſarit, nocturna aliquando uiſione angelum quendam aperta ſibi aluo, ignitam carnis portiunculam uiſceribus euulſam, quam ſtrumam ipſe appellat, exemiſſe: atq; inde factum, ut deinceps ne minimas quidẽ titillationes carnis ſenſerit. Hic Caſsiano occaſionem præbente, de animæ motibus diſputat: item de malignis ſpiritibus, eorumq; lapſu, malicia, poteſtate & differentijs. Collatione ſeptima & octaua.

ISAAC.

Iſaac Scythici deſerti fuiſſe incolam, ex prefatione undecimę Collationis colligi poteſt. Locum hic de oratione prolixè tractãs explicat. Eius nonnullas ſpecies enumerãs, & de efficacia quędam eius monens, orationem etiam Dominicam exponit: collationibus duabus, nona & decima.

CATALOGVS MONACHORVM & archimandritarum, qui damnationi Eutychis factæ Constantinopoli per Synodum subscripserunt.

Andreas presbyter & archimandrita, per suum presbyterum Timotheũ subscripsit.

Petrus presbyter & archimandrita, monasterij B. Thalassij, subscripsit per Theodorũ monachum.

Iob presbyter & archimandrita, subscripsit per suum diaconum Andream.

Antiochenus presbyter & præfectus seu archimandrita monasterij B. Theotecni, subscripsit ipse.

Theodorus monachus & archimandrita subscripsit.

Theodorus presbyter & archimandrita monasterij Aegyptiorum, subscripsit in Eutychis depositionem.

Pientius presbyter & archimandrita basilicæ Paruulorum, subscripsit & ipse.

Flauianus archimandrita monasterij S. Hermilij, subscripsit depositioni Eutychis.

Eusebius presbyter & archimandrita monasterij Heliæ subscripsit.

Eusebius presbyter & archimandrita monasterij S. Eulogij, subscripsit per Theodulum diaconum suum.

Tryphon archimandrita subscripsit.

Iacobus diaconus & archimandrita sacrorum, subscripsit per Zotum monachum suum.

Elpidius presbyter & archimandrita subscripsit.

Paulus presbyter & archimandrita Etyhij, subscripsit.

Carolus presbyter & archimandrita subscripsit

Asterius presbyter & archimandrita monasterij B. Laurentij subscripsit. Videtur huic notarij cõmissum fuisse officium in ista synodo. nam quidam hoc nomine celebratur.

Callinicus monachus & archimandrita monasterij Theodoti subscripsit.

Germanus presbyter & archimãdrita per Glycerium diaconum subscripsit.

Marcellus presbyter & archimandrita propria manu subscripsit.

TELEMACHVS.

Telemachus, seu (ut Otto Phrysingensis libro 4. cap. 19.) Dirimachus, in partib. Orientis alicubi monachũ egit. Dum aũt Romam uenisset, & monomachias gladiatorũ cruentas magno multitudinis applausu spectari uidisset, indignum arbitratus, homines Christianæ pietati deditos eiusmodi cruentis spectaculis delectari, descendit in arenã nomine pacificatoris, uolens doctrina & salutaribus monitis intercipere pugnam, de uita inter sese decertantiũ. Sed ob hoc pietatis officium eam reportauit mercedem, ut à turba furiosorum hominũ lapidibus obrueretur. Honorius eum inter martyres referri iussit. Theodor. lib. 5. cap. 15: Nicephorus libro decimotertio, cap. 1.

MONACHI INSVLARES in mari mediterraneo.

EVDOXIVS Abbas.

EVSTATHIVS & Andreas, fratres.

AD abbatẽ Capratię insulæ Eudoxiũ, & reliquos istius collegij fratres scribit Augustinus, exhortans illos, ut ocio suo ad pietatẽ potius, quàm ad ignauiã utãtur: & sicubi ipsorũ Ecclesia operam requirat, ne detrectent. Atq; ibi simul mentionem facit Eustathij & Andreæ fratrũ istius congregationis, qui inde ad Augustinũ uiã sendũ aduenerãt: quorũ etiam alter, Eusthius, mox abierat. Epistola 81.

EREMITAE ET MENDICI.

ALEXIVS ROMANVS.

ALexi⁹ Eufemiani siue Epiphanij & Aglaię filiº, prima nuptiarũ nocte, uirginitatis amore, & (ut uideri uolebat) p Christo, spõsam suã deseruit: & spõte exiliũ elegẽs, per ãnos 17. pegrinat⁹ est, hominũq; eleemosynis uixit. In Edessa Syriæ ab imagine diuę uirginis Mariæ proditus, ad parentes redijt: in quorum ędibus similiter annos 17. specie mendici, ut ignotus, aliorũ mendicorum more eleemosynas ac stipem accepit, quorum magnam turbam parentes in prijs ædibus ob filij absentiam alebant. Moriturus, uitæ suæ totius narrationem in charta complexus est: ex qua, ipso iam defuncto innotuit parentibus, tanto temporis curriculo se propriũ filiũ aluisse. Refert Sigebertus sub annum Christi quadringentesimum & quintum, imperantibus Arcadio & Honorio. Dies obitus assignata in Lombardica historia, est 16. Calend. Augusti, anno Domini 398. Ea uerò historia multa fabulosa congerit, ut gentilitas olim de Vlysse: & uideri possit ad similitudinem ipsius esse efficta, &c. Bergomensis anno 410, ad Dominum migrasse, disertè dicit, 6 calend. Augusti, & eius exequijs utrũq; interfuisse Impp. Arcadiũ & Honoriũ, quòd plenæ fuerint miraculorũ. Hác siue historiã siue fabulã, plenã mõstrositatis & impietatis, apertè contra 1. 4. 6. & 7. Decalogi præceptũ impingentẽ, posterior ætas ꝓpter opinionẽ electiciorũ operũ ꝓbauit: ut patet ex 27. q. 2. Scripsit nobis.

EVSEBIVS Cremonensis.

Tẽporib. Honorij floruisse, scribit Bergomẽsis, quẽdã Eusebiũ natione Cremonẽsem, unà

una cum Hieronymo, cuius discipulorum unus exprecipuis etiã fuerit: qui ipsi magistro eloquentia fuerit persimilis, quiq; praceptoris sui, uitæ totius cursum, item obitum, præter alia eleganti stylo contexuerit. narrat sub annum Christi quadringentesimum uicesimumnonum.

CAPVT XI.

DE HAERETICIS.

PELAGIVS.

PELAGIVS Brito, ad differentiã alterius Pelagij Tarenti, dictus est: Augustinus epistola centesima sexta. Homo ardẽtissimo zelo accensus fuit: Augustinus in libro de natura & gratia. In initio pius & bonus fuit, & à Catholicis ad dignitates euectus, & monachus factus est in Syria: Lutzelburgensis. Vixit diu Romæ: Augustinus epistola nonagesimaquinta. ac etiam Hierosolymis: epistola nonagesima secunda. Roma in Angliam profectus, insulam illam totam infecit errore: Lutzelburgẽsis. Antequam in hæresin incidisset, scripsit tres libros de fide Trinitatis, & pro actuali conuersatione librum unum: Gennadius. Et in epistolas Pauli expositiones: Augustinus de peccatorum meritis, capite primo. Postquam hæreticus publicatus est, etiam pro suo errore stabiliendo multos edidit libros. Augustinus ait eum scripsisse librũ contra gratiam: libro secundo Retractationum, capite 42. & pro libero arbitrio opus plurium librorum: in libro secundo de gratia, capite decimotertio, & decimoquarto. Meminit etiam in libro de gratia Christi contra Pelagium, libri cuiusdam ad sacram Virginem scripti.

IVLIANVS.

Iulianus Athelensis, secundum Prosperũ & Cõtractum: Athelanensis, secundum Marianum: episcopus Capuanus, uir acri ingenio, in diuinis Scripturis doctus, græca & latina lingua scholasticus, priusquam impietatem Pelagij in se aperiret, clarus inter doctores Ecclesiæ erat. Episcopatu deiectus, cum Pelagio sese coniunxit, anno Domini quadringẽtesimo quadragesimo. Opposuit aũt sese ei Sixtus episcopus Romanus, hortatu Leonis diaconi: Marianus Scotus libro secũdo, ætate sexta. Scripsit aduersus Augustinũ libros quatuor, quorũ meminit etiã Augustin⁹ in epistola ad Claudiũ, prefixa libris cãticorum Iuliani: & iterũ libros octo. est & liber altercationis amborũ, partes suas defendentiũ. Tempore famis Iulianus indigẽtibus omnib. suis, progatis, multos miserationis specie, nobiliũ præcipuè religiosorũ illiciens, hæresi suæ sociauit. Moritur Valentiniano Constantij filio Imperatore.

CELESTIVS.

Celestius, homo uersutus & mẽdax fuit. Augustinus lib. secundo de Gratia, cõtra Pelagium, cap. 12. Carthagini ad presbyterij honorẽ subrepere cœpit: sed propter disputationes eius cõtra gratiã Christi, ad iudiciũ episcopale adductus est: & coactus est cõfiteri, paruulos ꝓpterea baptisandos, quia & ipsis redemptio necessaria sit. Verùm cõuictus quidẽ est, sed errorẽ non abiecit, ideoq; tandem damnatus ab Ecclesia discessit: Augustinus epistola 89. ac uenit in Asiam: epistola nonagesimasecũda. & planè ad partes Pelagij transijt. Antequã in errorẽ incidisset, scripsit ad parentes suos epistolas in libellorũ modũ, tres de monasterio, continẽtes incitamenta ad uirtutes, & nihil habentes hæreticæ prauitatis. Postea uerò pro sua hæresi edidit librum definitionũ, in quo ꝓbare conatus est, hominẽ posse esse sine peccato, si modò uelit: Augustinus in libro de perfectione iusticiæ, contra Celestium: ubi & alterius cuiusdã operis Celestij meminit, à se uisi. Item librum cui nomen fuit Catholicus: Augustinus libro secundo, capite tertio, contra duas epistolas Pelagianorũ. Inter Pelagium & Celestium discipulum eius, adeoq; hæresin ipsorum hoc fuit discriminis, quòd Pelagius fuit apertior, pertinacior, & liberior: Celestius occultior, mendacior, astutior. Augustinus libro secundo de gratia & peccato originali, contra Pelagium & Celestium, cap. 12.

ANNIANVS.

Hieronymus in epistola uigesimaquarta, inter epistolas Augustini ad Alipiũ & Augustinũ, Annianũ pseudodiaconũ uocat Celedensem: qui libros ediderit, in quib. similia dicat hæresi Celestinæ, exceptis uerbis friuolis & emendicatis. Eius libros confutaturum se promittit ibidem Hieronymus.

NESTORIVS.

Nestorius ex Germaniciæ oppidulo ortus, in magnam Antiochiæ ciuitatem irrupit. Eruditus ibi mediocriter in disciplinis liberalibus, uoce & facundia naturali ualebat. Temporis progressu in numerum presbyterorum lectus est, ubi statim ad populi delectationem & plausus orationem suam accommodauit, & uulgus inconsideratum in sui desiderium incitauit, fusca ueste indutus, tristis incedens, strepitus forenses declinans, corporis pallorem (ut continens uideretur) aucupans, libris domi utplurimùm uacans, & in ocio & quiete secũ habitans. Per aulicos tandẽ Imperatoris episcop⁹ Cõstãtinopolitanæ ecclesię cõstitut⁹ est: ibi demũ blasphemiã iam olim contra

diuinitatem Christi cõceptã euomuit. Theodoretus libro quarto Compendij hæreticarum fabularum: Socrates lib.9.cap.29. Edidit homilias, in quibus nusquam uerbi Dei hypostasin tollit, sed ubiq; illud enhypostatum & enusium esse confitetur: nec essentiã illius, sicut Photinus & Samosatenus, tollit. Socrates libro septimo, cap. 32. Epistola concilij Ephesini, meminit librorum expositionum Nestorij, tomo 1. Conciliorũ. Item librum de incarnatione Domini. Damnatus à Synodo Ephesina, in monasterio quodam iuxta Theopolin quadriennium uixit, sed altero postea edicto Theodosij Oasin in exilium missus est, ubi cum non temperasset sibi à blasphemijs, Ioannes Antiochenus effecit, ut ad perpetuum exilium damnaretur. Ductus igitur est ad Thebeorũ solitudines, & inde in ciuitatem Panos: ex qua iterũ ad Elephantinam. unde denuò ad oppidũ Panos reductus est. Diuina ultio linguam eius blasphemam corripuit. Vermibus enim depasta est, ac tandem ad tellurem collisus, uitam hanc digna morte reliquit. Euagrius libro primo, cap. 7.

ANASTASIVS.

Anastasius presbyter Antiochenus fuit, Nestorio, eiusq; hæresi addictus: cum quo etiam Cõstantinopolim concessit, ibiq; hęresin sparsit. Socrates lib.7. cap.32: Euagrius libro primo, cap. 2.

EVTYCHES.

Eutyches hęresin suã sparsit senex: Flauianº epist. decima, inter Leonis. Impudens & imperitus fuit, & pniciosè suo monasterio præsedit: ut patet ex Leonis epistola undecima, & decimanona. Post synodum Ephesinam fuga sibi consuluit, & Romam uenit, anno Domini quadringentesimo quinquagesimoprimo. In exilium postea est pulsus: & hortatur Leo Imperatorem Marcianũ epistola septuagesima, ut ad loca remotiora eũ relegari curet, ne ueneno suo plº noceat.

VINCENTIVS VICTOR.

Vincentius Victor cognomen suum mutuatus est à Rogato quodã hæretico, cuius errorem (ut & Donatistarum) amplexus est, & de anima non rectè sensit. Eloquens fuit, & facultatem habuit ornandi quæ sensit: ut patet ex Augustini libro primo de anima & eius origine, ad Renatum, capite primo, secundo & tertio: & libro secundo de anima & eius origine, ad Presbyterũ: & lib.3.cap. 1. de anima, ad ipsum Vincentium.

GAVDENTIVS.

Fuit Tamugadensis Donatistarum episcopus, libidine martyrium rapiendi usque adeò furens, ut cum quibusdam perditis crematurum se in templo minaretur. Augustinus lib.1.contra Gaudentium.

PARMENIANVS.

Parmenianus fuit episcopus Donatistarum, non amplius superstes cum contra Donatistas pugnaret Augustinus. epistolá eius Augustinus refutat libris contra epistolam Parmeniani.

TICONIVS.

Homo fuit & acri ingenio præditus, & uberi eloquio, sed tamen Donatista. Qui cõtra Donatistas tamen demonstrare & asserere ausus fuit, nullius hominis quamuis sceleratum & immane peccatum præscribere promissis Dei: Augustinus libro primo, capite primo, contra epistolam Parmeniani tomo quinto. Scripsit ad eum Augustinus, hoc eius dogma reprehendés, primùm per epistolam corrigere conatus. quod cum nõ assequeretur, Ticonio sententiam suam multis manifestis Scripturarum testimonijs confirmante, in Concilio suo tandem condemnauit. ibidem.

Idem libro tertio de doctrina Christiana, capite trigesimo: Ticonius quidam, ait, qui contra Donatistas inuectissimè scripsit, cum fuerit Donatista, & illic inuenitur absurdissimi cordis, ubi eos non omni ex parte relinquere uoluit, fecit librum quem Regularum inscripsit, quia in eo septem quasdam regulas executus est, quibus quasi clauibus diuinarum Scripturarum aperirentur occulta. Cautè sanè legendus liber ille est, propter quædam, in quibus ut homo errauit: sed maximè propter illa, quæ sicut Donatista hæreticus loquitur.

EMERITVS.

Emeritus fuit episcopus Donatistarum apud Cæsaream Mauritaniæ: in quo conuertendo cum fratribus ad eum profectus Augustinus, plurimùm laborauit: sed frustra. in errore enim pertinax perseuerauit. Extant gesta Augustini cum Emerito, in tomo octauo operum Augustini: Augustinus libro secundo Retractationum, capite quinquagesimo primo. Disputatio Augustini cum Emerito fuit, Honorio duodecimò & Theodosio octauò Consulibus: quod est anno Christi quadringentesimo decimonono, secundum Marianum.

FAVSTVS.

Faustus episcopus Manichæorum fuit, genere Afer, ciuitate Mileuitana, eloquio suauis, ingenio callidus: Augustinus libro 1. capite 1. contra Faustũ. Venit Carthaginẽ anno ætatis Augustini undetricesimo, existimatione quasi omniũ honestarũ doctrinarũ esset peritissimus: Augustinus lib. quinto Cõfessionũ, cap. 3. Auditor eius aliquãdiu fuit Augustinus, sed cũ eũ rudem literarum, earũq; rerum quas scire cupiebat, deprehendisset, ab eo defecit: Augustinus libro eodem,

dem, cap. sexto & septimo. Edidit quoddam uolumen aduersus rectam Christianã fidem & catholicam charitatem, quod trigintatribus libris Augustinus confutat.

FORTVNATVS.

Fortunatus fuit presbyter Manichæorum. Vixit aliquandiu Hippone, cum presbyteribi esset Augustinus: & multos seduxit. In disputatione autem publica cum Augustino, confusus, non conuersus, Hippone discessit. Disputatio habita est quinto Calendas Septembris, Arcadio Augusto bis, & Rufino, uiris clarissimis consulibus: id est anno (iuxta Marianum) trecentesimo octuagesimo secundo, imperij Theodosij octauo: iuxta Prosperum, anno Domini trecentesimo nonagesimoquarto.

FELIX.

Felix ex doctoribus fuit Manichæorum, non eruditus quidem literis, sed uersutus. disputauit aliquot diebus Carthagini cũ Augustino, publicè coram Ecclesia: & ab Augustino tandem conuersus est. Disputatio cœpta est anno Christi 407, duodecimo Arcadij, secundũ Marianũ: Honorio scilicet Augusto septies Consule. Augustinus in argumento librorum contra Felicem: & libro primo, capite primo.

SECVNDINVS.

Secundinus quidam, non ex eis quos Manichæi electos, sed ex eis quos auditores uocant, quem nec facie quidem noueram, scripsit ad me uelut amicus, honorificè obiurgans, quòd oppugnarem literis illam hæresin, & admonens ne facerem, atq; ad eam potius sectandam exhortans, cum eius defensione, & fidei Catholicæ reprehensione. Huic respondi. Augustinus in argumento libri aduersus Secundinum Manichæum.

SPLENDONIVS

Splendonius in Gallijs alicubi diaconus fuit Ecclesiæ catholicæ primùm, pòst uerò ob amissa quædam damnatus, transijt ad Donatistas: & à Petiliano receptus ac rebaptizatus presbyter factus est. sed & paulo pòst ab eodem Petiliano reiectus, cum & ipse eius insidias expertus esset: ut patet ex narratione Augustini contra literas Petiliani, lib. 3. cap. 18.

DIOSCORVS.

Dioscorus archidiaconus Alexandrinus, successit Cyrillo, imperante Theodosio iuniore. Euagrius lib. 1. capite decimo. Liberatus in Breuiarij capite decimo. Homo fuit sceleratus & impurus. Cyrilli familiæ, quam ob testamentum eius iuuare debebat, plurimùm incommodauit, ac facultatibus & uitæ ipsorum insidiatus est: ut patet ex accusatorijs libellis Athanasij & Theodori.

A' ministerio remouit homines pios & innocẽtes, & suorum scelerum administros substituit: ut ei Ischyrion obijcit in Chalcedonensi synodo.

¶ Pluribus alijs delictis cõtra primam & secundã tabulã se polluit. Blasphemus fuit in sanctã Trinitatẽ: hæresin Eutychetis amplexus cõfirmauit, propagauit, & uerã fidẽ oppugnauit: ut obijciũt ei quatuor accusatores, in Chalcedonẽsis cõcilij actione 3: & Eusebius Dorylæus apud Euagrium libro secundo, capite quarto.

Crimẽ læsæ Maiestatis atq; affectati imperij Aegyptiaci, ipsi intẽdere uidetur Sophronius, cum inquit: Molestè enim ferebat, eo quòd talis orbis terræ Dominus prædicaretur. Sæpius enim magis Aegyptiacæ diœceseos imperare uolebat, sicut & gesta apud diuersos iudices cõfecta demõstrant. Homicidia ab ipso per occasionẽ ꝑpetrata, inter cętera crimina ei obijciũt Ischyrion & Theodorus diaconi. Flauiani etiã Constantinopolitani episcopi in Ephesina altera synodo interfecti autorẽ fuisse, ex gestis Chalcedonẽsis synodi, & maximè Eusebij illius Dorilęi accusationibus cõstat. Euagrius lib. 2. cap. 2. narrat, ab ipso etiam Flauianum proculcatum & pulsum.

Turpem ipsum semper egisse uitam, Theodorus commemorat. Similia ei exprobrat Ischyrion, inquiens: Et uita Dioscori, & luxuria, omni illi prouinciæ nõ ignorata est, impudicis mulierib. frequenter in episcopio, & in balneo eius apertè deliciantibus: præcipuè formosissima Pansophia, de qua & Alexandriæ populus frequentissimas uoces emisit, tam ipsius quàm amatoris eius faciens mentionem. Sophronius apertè ei tribuit adulterij crimen.

A'furti quoq; crimine nõ fuit alienus. Ecclesijs enim Libyæ, propterea quòd ob locorum ariditates ibi non proueniret frumentum, præberi ex Aegypto Imperatorum liberalitate solebat: intercipiens, & largissimis precijs ad sese trãferẽs, auariciæ inde quæstum fecit: mox ubi annona creuisset, idem rursus æstimatione longè carissima reuendens. recitat Ischyrion. Idem & hoc recitat, quòd cum pia quædam matrona Peristeria multa legasset monasterijs, xenodochijs, parochijs, & alijs Aegyptiacę ꝓuincię pauperibus, neq; earũ eleemosynarũ usum ipsi permisisset, ęgrè hoc ipsum tulisse: & propterea effecisse, ut scortis & alijs theatricis personis ea legata sint distributa.

His & illud annumeretur, cui' gratia uno & eodẽ ueluti ore pariter isti quatuor accusatores grauiter ipsum impetunt, Ischyrion, Theodorus, diaconi, Athanasi' presbyter, & Sophronius laicus: quòd tũ ꝑ ipsum sese, tũ per

per alios ipſius ſceleris adminiſtros, ſuis autem artibus, nomine, iuſſu & impulſu, omnibus ſuis facultatibus ſunt exuti, & ad extremam paupertatem redacti.

Falſi à Doryl̨eo Euſebio quoq; accuſatus eſt, quòd nimirum in commentarijs Epheſinæ ſecundæ ſynodi quædã inſeruiſſet, quę à patribus nunquã fuiſſent dicta. Euagrius lib. ſecundo, cap. ultimo, & alibi. Item quòd in chartã mundã, in qua nihil fuiſſet ſcriptũ, ſubſcriptionũ ſuffragia collegiſſet.

Periurij notatur in cauſis damnationis ſuæ, quòd iuramẽto receperat exhibiturum ſe epiſtolam lectioni publicæ, quam Leo epiſcopus Romanus ad ſynodum illam miſerat. Verùm neglecta iuramenti religione, eius lectionem detrectarit. Idem Euagrius eodem libro, cap. 4. & alibi.

Hoc ingenium, hæc pietas, & hæ fuerunt uirtutes huius tãtæ Eccleſiæ monſtri uerius quàm epiſcopi, tyrãni ac lupi potius quàm ueri paſtoris. Siquidem ipſius naturã ac mores imitatus, ipſe graſſat⁹ eſt paſsim in quoſuis, ut expreſsè referunt accuſatores iſti aliquoties memorati: Neminem fuiſſe expertem ipſius crudelitatis & inhumanitatis, imò nec inanimata ab ipſius furoribus fuiſſe immunia. Excidiſſe ipſum arbores, excitaſſe incendia, deſtruxiſſe domos. Et Athanaſius ſanè ille, uniuerſam ſuã accuſationẽ hoc epiphonemate claudens, talia ipſum deſignaſſe inquit, quæ non ſolùm legibus ſint interdicta, ſed quæ uincant omnem crudelitatem immaniſsimorum ac ferociſsimorum barbarorum.

¶ Epheſinæ ſynodi ſecundæ inſtituendæ, Imperatori Theodoſio iuniori hortatorem fuiſſe, Liberatus indicat capite duodecimo ſui Breuiarij. Idem meminit & Nicephorus libro decimoquarto, capite quadrageſimo-ſeptimo. In ea ſynodo ipſe præſedit, & ſummam rerum omnium & iudicij poteſtatem habuit: ut teſtatur Baſilius Seleuciæ Iſaurorum epiſcopus, in prima actione Chalcedonenſis concilij. Extat ea de re epiſtola Imperatoris, in qua ipſi id negocium demandatur, initio primæ actionis Chalcedonenſis concilij, in primo tomo. Id autem ita inſtituiſſe odio Flauiani Conſtantinopolitani epiſcopi Chryſaphium palatij præfectum, Euagrius refert lib. primo, cap 10. idem & Nicephorus habet. atq; is inſuper addit, quòd Chryſaphius iſte ſcriptis literis ac largis ꝓmiſsis eum pellexerit, ut Eutychis patrocinium ſuſciperet, eũq; & cauſam eius defenderet: contrà uerò Flauianũ illũ, & præterea Euſebiũ, Dorylæenſem oppugnaret, ſe ipſi quoq; uiciſsim gratificaturũ in reb. quibuſcunq;. Synodo itaq; illa coacta, cum cauſa examinãda eſſet Eutychis, quẽ hęreſeos cõuictum geminis iudicibus Flauianus Conſtantinopoli dãnauerat, ipſe ſolus pro impe rio & libidine omnia agit, magna uiolentia & tyrannide: ſicut iſtius Synodi acta, quæ Chalcedonenſis cõcilij geſtis inſerta ſunt, oſtendunt: item aliquot Leonis epiſtolæ ad Theodoſiũ Imperatorẽ, Pulcheriã eius ſororem Auguſtã, ad Anaſtaſiũ Theſſalonicenſem, clerũ & plebẽ Cõſtantinopolitanũ, & alios. Eutychen igitur etiã pri⁹ quàm cauſa examinata eſſet, in cõmunionẽ recipit: pòſt eius cauſam palàm quoq; approbat, & iuſtificat, di ſertè addens, ſe quoq; cũ cæteris eiuſdẽ eſſe ſententiæ: eũq; abſolutũ integritati reſtituit: cõtra uerò Flauianũ, Dorylæũ Euſebium, & alios, innocentes quoq;, qui ipſius tyrãnidi ſuffragari nolebant, ſuis dignitatib. & miniſterijs priuauit. Pleroſq; aũt ad ſuffragandũ & ſubſcribẽdũ, idq; in charta pura, ut quali ſententię aut decreto ſubſcriberẽt, ſcire non poſſent, coegit magna ui & uiolentia militũ & monachorũ, quorũ in hoc ipſum Chryſaphij ſubornatione cateruas habebat ſibi aditas: ut hæc omnia prolixè continet prima Chalcedonẽſis cõcilij actio. Quin nõ cõtentus Flauianũ iniuſtè depoſuiſſe, niſi eũdem mox etiã è medio tolleret. Ipſo náq; authore, in ea ſcelerata ſynodo interẽptũ, ex Dorylęi iſti⁹ Euſebij aduerſus hũc homicidã, quã Chalcedone ei intẽdit, actione cõſtat: id quę & Euagrius, ut antea annotauimus, memi-nit. Et quod idẽ habet, pedibus conculcatũ & pulſum, optimũ & fortiſsimũ martyrem, à Dioſcoro: id in defunctum ſceleris eũ admiſiſſe, Nicephorus refert. At uerò Zonaras diuerſum narrat. Dioſcorũ inſtar indomiti aſini exilijſſe in Flauianũ ſibi aduerſantem, & calcibus pectus eius impetijſſe, nec non & pugnis cędidiſſe: neq; pri⁹ deſtitiſſe quàm ipſum è cõcilio expuliſſet, atq; ex illa pęſtilentia plaga eum poſt triduum interijſſe. Tertio, in Theodoſio poſteriore.

Chalcedonenſi quoq; ſynodo interfuit, uerùm non tam iudicaturus quàm iudicandus: nec tam cum cæteris de negocijs fidei & doctrinæ tractaturus, quàm rationem redditurus eorum quæ ſceleratè in Epheſina illa altera ſynodo egerat. Ac in primo quidem iſtius Chalcedonenſis concilij congreſſu, initiò impugnatur ipſius cõſeſſus à legatis Romani epiſcopi, proponentib. hã bere ſe in mandatis ſui epiſcopi, non cõcedendũ, ut Dioſcoro locus ac ſeſsio inter cæteros permittatur: ſed cæterorũ iudiciũ ei ſtinendũ, ut qui reus agatur. Ac ut ex Euagrij 4. cap. & ultimo 2. lib. apparet, nõ eſt datus ei pro conſuetudine locus.

Legatis mox ſucceſsit Euſebius Doryl̨eus ille, qui grauiſsimè eũ accuſauit de ijs quæ ſceleratè ab ipſo in Epheſino illo maligno conuentu

conuentu designata fuerant, aduersum fidei & doctrinæ puritatẽ atq; integritatem, aduersum pietatem Flauiani, aduersum se & alios quos indignè à suis ministerijs remouerat, quæ singula in superioribus sunt notata. Cumq; lectione gestorum reprobæ istius Ephesinę synodi, accusatio Eusebij cõprobata, & cuncta quæ Dioscoro crimini dabat, uera deprehensa fuissent, atque ipse Dioscorus animaduerteret talionis pœnam sibi parari, supersedit deinceps, posteaquam semel recessum fuisset, ad synodũ ingredi, ut ex gestis colligitur: & expressè Nicephorus quarto cap. 15. libri recitat, &c. Interea accedunt & reliqui, quorum suprà nomina indicauimus, contra illum quoq; oblatis accusatorijs scriptis acturi, de illis ipsis crimi-nibus quorum iam antè breuẽ recensuimus catalogum: & sibi maximis factis iniurijs, ut tertia actio ostendit. Quia uerò sui amplius copiam patribus nõ faciebat, pro more semel, iterum, ac tertiò ad dicendam causam uocatus est. Verùm non comparuit, suæ interim absentiæ quasdam causationes prętendens: Se custodiri: nec licere sibi per eos qui ipsum obseruent, custodia egredi: esse minus firma ualetudine: deniq; eam quam sibi soli intendat actionem Eusebius, non ad se unum pertinere, sed communem esse cum plurimis, qui unà secum superiores in Ephesina illa synodo iudicandi partes habuerint. Quum aũt tertiò per legatos uocatus non accederet, cõmunibus Patrũ suffragijs damnatus est, ut ab episcopali dignitate remotus, & omni præterea Ecclesiastica ministerij functione alienus prorsus esset. Euagrius libro 2. capite 4: & actione tertia gestorum eius Concilij.

¶ Dãnationis ipsius hæ numerãtur causę:

Quòd cum Eutyche sentiens, eũ in cõmunionẽ recepisset, priusquã in synodo Ephesina cum collegis cõuenisset & consultasset.

Quòd Flauianũ, Eusebiũ & alios, erroribus nullis obnoxios, iniustè damnasset.

Quòd commentarijs Ephesinæ synodi quædam adiecisset, quæ à patribus non fuissent dicta.

Quòd in charta pura subscribere eos coegisset.

Quòd lectionẽ epistolæ Romani episcopi non admisisset, sæpius monitus.

Quòd contra eundem excommunicationem promulgasset.

Quod à Synodis uarijs legitimè deposi-tos, recipisset contra leges.

Quòd denique, cum cæteri ipsius collegarum delictũ profesi ueniam petijssent, ipse in impietate sua persistat, neq; quamuis ter uocatus ad synodum accesserit.

¶ Verùm licet Eutychis errore, ut ex dictis satis cõstat, haud dubiè teneretur, id qđ & Imperator Marcianus cõfirmat l. quicunq;. C. de hæreticis & Manichæis, desumpta ex literis ad Palladiũ prætorio præfectũ, inqês: Apollinaris enim facinorosissimam sectam, Eutyches & Dioscorus mente sacrilega sunt secuti, &c. quarum literarum exemplũ ponitur sub finẽ penitus Chalcedonensis cõcilij: tamẽ nõ tã ob hęresin pręcipuè, quàm uiolatos canones Ecclesiasticos, omniũ uerò maximè ob censurã in Romanũ episcopũ, eiq; contemptũ, exauthoratũ apparet, sicut diserte ait Anatolius in 5. actione, Cõstantinopolitanus episcopus: Propter fidẽ nõ est dãnatus Dioscorus, sed quia excõmunicauit archiepiscopũ Leonẽ, & tertiò uocatus nõ cõparuit. Meminit & Euagrius ultimo secundi lib. cap. Testantur idẽ & diuersæ intimationes, quib. eius dãnationẽ significãt Imperatori & alijs, quę sub tertia actione in 1. tomo Conciliorũ referũtur, in quib. hęreseos nusquã ulla fit mẽtio: cũ cęterę causę, quas antè breui catalogo perstrinximꝰ, subinde ingeminẽtur. ac uidetur omnino ueniã cõsequi potuisse, si uocatus cõparêre, delictũ cõfiteri, & synodo (ut cæteri) supplex fieri non detrectasset: id qđ contumaciã atrocẽ interpretati sunt. sunt enim hæc Synodicæ istius ad Impatores intimationis uerba: Et fortè suptantis ac talib. iniquitatib. ueniã adipisci potuisset, si per dignam pœnitentiã adscisceret medicinam ab hoc uniuersali Concilio.

Porrò synodi authoritatẽ ratã habuit Imperator, Dioscorumq; etiã exilio multauit, misso ipso in urbẽ Paphlagonũ Gangrã. Euagriꝰ lib. 2. ca. 4. Septimo suę ordinationis anno id factũ narrat Liberatꝰ, 13. cap. Breuiarij.

ARPOCRATION, ISIDORUS, *diaconi: Menas presbyter.*

Hi fuerũt Dioscori illius tempore, ex ministerio Alexandrinæ ecclesiæ, & administri furorum ac scelerum episcopi Dioscori: quorũ ministerijs & operis usus est in persequendis & affligendis pijs illis ministris, qui suas accusationes synodo Chalcedonẽsi obtulerunt, in quib. hos hoc nomine quoque perstringunt.

DEMETRIANVS.

Notarius fuit Alexandrini episcopi Dioscori, in synodo illa infami Ephesi, ad perniciẽ Flauiani Cõstãtinopolitani episcopi instituta. testãtur acta Chalcedonẽsi. in 1. tomo.

TIMOTHEVS AELVRVS.

Monasticã egisse uitã Timotheũ Aelurũ olim, & postea Alexandriæ presbyterum factum, Euagrius lib. 2. cap. 8. refert: & Liberatus cap. 15. Hic post Proteriũ nefariè peremptũ, Alexandrinæ ecclesiæ gubernationẽ tenuit aliquãdiu, sed titulo parũ honesto. Cesserat ipse, ut in Proterio modò dictũ, post Chalce-

Chalcedonenſem ſynodum ab Alexãdrina eccleſia, Dioſcoro adhęrens, nec Proterium pro epiſcopo agnoſcere uolebat: ac propterea ab eodem & uniuerſa Aegyptiaca ſynodo, inſuper & Imperiali mandato cum nonnullis alijs exilio fuerat multatus. Euagrius ex fragmento epiſtolæ epiſcoporum & uniuerſi cleri Alexandrini, ad Imperatorẽ Leonem, cap. octauo libri ſecundi. Imperatore mortuo, reuerſus eſt Alexandriam, unà cũ Petro: & collecta hęreticorum turba, eorum nimirum qui Dioſcorum ſectabantur, triduo ante Paſchæ feſtum. Liberatus. Ibi aũt in Imperatoris mortem, ſine omni fronte ac pudore acerbè inuectus, & impiè debacchatus eſt, ac Chalcedonenſem illam Oecumenicam ſynodum publicè anathemate dãnauit: qua in re populi ſibi ſtudia & fauorem plurimùm conciliauit. Deinde coacęruata multitudine hominum uenaliũ, & ad quiduis paratorum, nec non etiam ſuæ farinæ Eccleſiaſticorum, duobus epiſcopis legitimè depoſitis, & alijs exilio perinde ut ipſe aliquando multatis, & monachis, in templum irruit, ſeq; epiſcopum creari facit: legitimo paſtore Proterio non ſolùm adhuc uiuo, ſed iam tum etiam ſuum miniſterium obeunte: quem mox etiam à ſua factione perimi curat, mirabili morte. Euagrius ibidẽ. Theodorus Lector libro primo narrat, ipſum etiã impoſtura uſum in occupando epiſcopatu. Circuiſſe enim nigra ueſte (fuligine & nigro oblitum colore, Nicephorus habet lib. decimoquinto, cap. decimoſexto) noctu monachorum cellas, & unumquemque ex nomine uocaſſe (per ſcirpeum excauatum calamum: Nicephorus) cum q; ipſi auſcultarẽt, finxiſſe ſe unum eſſe ex adminiſtratorijs ſpiritibus, miſſum ob hoc ipſum, ut omnib. denunciaret, ut à communione Proterij diſcederent, & Timotheum Aelurum epiſcopũ deſignarent. Dum in gubernatione fuit, nõnullos ex Alexandrinæ eccleſiæ Paſtoribus & alijs miniſtris expulit: ut apparet ex narratione Liberati. Atq; eos ipſos, & alios Aegyptiacę diœceſeos, Chalcedonenſis ſynodi defenſores, queſtum abijſſe ad Imperatorem Leonem, Marciani ſucceſſorem, de publicis pariter & priuatis iniurijs à Timotheo Eccleſiæ & ſibi ipſis illatis: atq; totius iſtius tragœdiæ Alexandrinæ, authore Aeluro actæ, narrationem expoſuiſſe eidem, præter Liberatum, oſtendit Encyclicarũ literarum Imperatoris formula, ad Anatoliũ Conſtantinopolitanum, & uniuerſi orbis epiſcopos, alios q; celebres doctrina & pietate uiros, quam recitat Euagrius libro ſecundo, capite nono. Nec defuerunt etiam ipſi Aeluro ſui patroni. nam eadem formula expreſsè habet, optimates, ciues, naucleros ad Imperatorem abijſſe, eiq; ſupplicaſſe, pro Timotheo. Sed Imperator Leo de ipſius miniſterio & ordinatione conſilia requiſiuit omnium per uniuerſum Imperium epiſcoporum, & aliorum excellentiſsimorum doctorum, quorum erat in orbe uel ob ſingulam rem doctrinam, uel ob peculiaria uirtutis & pietatis ornamenta nomen celebre, miſsis literis, quæ propterea Encyclicæ dictæ ſunt. Quorum omnium congruentibus reſponſis, & ex æquo conſentientibus ſuffragijs, non ordinatio duntaxat ipſius (ut decimo capite refert Euagrius, libro ſuperiori) dãnata eſt: ſed Chriſtiani penitus nominis appellatione etiam eum priuari debere ſtatutum eſt, iuxta Liberatum. Atq; inter eos quorum cenſuris damnatus fuit, primũ fuiſſe Romanum antiſtitem Leonem: cuius epiſtolam cum ei miſiſſet Imperator, contrario ſcripto eandem pariter & Chalcedonenſem ſynodum reprehendiſſe Aelurum, ibidẽ Euagrius narrat. Libellũ eum ſcripſiſſe ualde ſuaſorium ad Imperatorem Leonem, Patrum teſtimonijs roboratum, in quo oſtendere conatus fuerit, Leonem Romanum epiſcopum, & Chalcedonenſem ſynodum, & omnes Orientalium epiſcopos Neſtorianum dogma ſequi: & eum libellum à ſe in latinam linguam translatum, Gennadius in Catalogo refert. Quod ſibi tamen parũ protfuit. Motus enim Imperator tanto, tamque multorum & præſtantiſsimorũ, & quidem abſentium conſenſu (quos circiter mille fuiſſe, quorum ſententijs exauthoratus pariter & prorſus excommunicatus fuerat, Nicephorus numerat loco ſuprà memorato) in Gangram quoq;, ut & magiſtrum ipſius, deportari curauit, per Stilam Alexandriæ ducem. Euagrius capite undecimo eiuſdem libri, Gerſonam miſſum ait in exilium, arctæ cuſtodia: & ſimul unà etiam Petrum hæreticum, proculdubio Moggum illum, ipſius manipularem, Liberatus memorat, capite decimoſexto.

In exilio fuit ad annos octodecim, uſque ad Baſiliſcum, inuaſorem Imperij affinis ſui Zenonis. is ad legationem Alexandrinorũ, eum ab exilio reuocauit. Euagrius tertio libro, quarto capite. Reuocatus primùm uenit Conſtantinopolim. ibi Baſiliſco fuit hortator, ut ad morẽ Leonis Imperatoris, ipſe contrarijs literis Encyclicis abrogaret Chalcedonenſem Synodum, & Leonis epiſcopi Romani tomum: ſcriptum fortè illud, quo ad Encyclicas Imperatoris Leonis reſpondens, Chalcedonenſem ſynodum defendebat, & Aeluri ordinationem reprehẽdebat. Euagrius ibidem.

Narrat Theodorus Lector libro primo, & eundem explicans locum Nicephorus libro decimo.

decimosexto, capite secundo: reuersum ab exilio Timotheum, in urbe Imperiali, & cohortem dissolutorũ hominum (Alexandrinorum, habet Lector) trahentem secum, peiisse templum supplicationis gratia, asino insidentem, ubi uenisset ad locũ quẽ Theodorus Octangelum dictum refert, iumento casu prolapso pedẽ fregisse, & sic cum ignominia inde profectum.

Dum in urbe Imperiali moraretur, confluxisse ad ipsum, qui ibi erant Eutychianos & monachos, arbitratos se ipso tanquam patrono usuros: & ex Encyclicis istis Basilisci, suę sententiæ opinionem uenaturos. uerùm ab ipso conuictos, quòd uerbum Dei nobis secundum carnem, patris uerò secundum diuinitatem consubstantiale sit: idem Euagrius refert quinto capite libri tertij. Quod si uerum est, mirũ uideri queat, cuius nam hęreseos reus agi posit, & quomodo ipsum tanscribant: & quo pacto constet, quòd Nicephorus loco iam aliquoties memorato ait, ipsum Cyrilli multa opera nondum uulgata deprauasse, suis adulterinis dogmatibus interspersis?

Ex aula Ephesum progressum, atque ibi Paulum suæ ecclesiæ pulsum restituisse, & eidem Ecclesię etiam ius patriarchatus reddidisse, atque inde demum Alexandriam perrexisse, sexto capite Euagrius recitat, eodem libro. Reuersus Alexandriam, neminem ad sacrã Synaxin admisit, nisi qui Chalcedonẽsem synodũ damnasset: ibidẽ, ex quodã Zacharia scriptore. ubi & hoc adijcitur, quòd & multi alij ab ipso sint in ecclesijs restituti: nimirum illi (quantũ animaduertitur) qui propterea quòd Chalcedonensem synodum opugnabant, eiecti fuerant.

Restitutum autem hoc modo per Basilicum Alexandrinæ ecclesiæ, eandem deniq; usque ad extremum suæ uitæ gubernasse, ex undecimo capite tertij libri Euagrij colligitur. Cõmemorat enim Zenonem recuperato Imperio, cum reliquos illos qui per Basilicum reuocati fuerant, rursum eijci præcepisset, in animo quidem habuisse etiã hũc Timotheum expellere: uerùm quòd à quibusdam certior factus Zenon, eundem iam senio cõfectum esse, atq; alioqui propediem moriturum, cohibuisse animũ. Liberatus decimosexto capite, de obitu Timothei huius Aeluri hæc recitat: Ipsum timuisse Zenonis, ad imperium reuersi, zelum pro Chalcedonensi synodo: ideoq; hausto ueneno, sibi mortẽ cõsciuisse. Atq; hac appẽdice refutat etiã sectatorũ Timothei, quos sparserint, sermones: ipsum scilicet præsciisse diẽ sui obitꝰ. nimirũ reuera ipsum præuidisse, utpote qui sese ipsum ueneno ut moreretur pararit.

PETRVS MOGGVS.

Petrus Moggus à Dioscoro diaconus seu archidiaconus ordinatus est, Blesus propter linguæ impedimentum uocatus. Dioscori partes sectatus est. Ipso enim deportato, secessit unà cũ Timotheo Æluro, ab Ecclesia: nec Proterium pro episcopo habere uoluit, ut Ælurus. ob quam rem etiam cum eodem damnatus est à Proterio, cum nec ipse ullis eiusdem episcopi rationibus ad sanitatẽ reduci posset. Post Marciani obitũ Alexandriam reuersus est: ac Ælurum in turbanda ecclesia, occupando episcopatu, & tollendo legitimo pastore Proterio adiuuit. Liberatꝰ capite decimosexto. Pontificales libri in uita Simplicij Romani episcopi memorãt, Timotheum, Catholicum Alexandrinum, id est Salaphaciolum illum, & simul etiam Acacium Constantinopolitanum, episcopos, Romano põtifici Simplicio scripsisse de hoc Petro, quòd & ipse particeps fuerit necis Proterij. Æluro autem per Imperatorem Leonẽ relegato, ipse quoq; exilio multatus est: ut indicat Liberatus, ibidem. Scriptũ de prauitate Dioscori, ait ipsum fugisse, cum Ælurum relegari uidisset. Æluro aũt ad episcopatum per Basiliscum reuerso, iterũ se eidẽ cõiũxit. Quo mortuo, sibi episcopatũ rapuit, à duobus, qui cõsimili ut ipse praua opinione imbuti erant, ordinatus. Euagrius undecimo capite, libro tertio. Liberatus ab hęreticis ordinatum refert, ab uno atq; altero quib. dignitas sua legitimè fuerat adempta, consecratum. meminit Nicephorus undecimo capite, libri decimisexti. Verùm quia Timotheus ille Catholicus, & legitimè post Ælurum à Leone relegatũ subrogatus, adhuc in uiuis esset, Imperator Zenon eius ordinationem adulterinam, & cõtra leges ecclesiæ factam, ut Liberatus ait, habuit: & propterea eum pelli, & Timotheum illum Catholicum restitui, & Petri inthronizati authores puniri mãdauit: & quidẽ morte multatos, Nicephorus habet. Ac in illo Euagrij memorato undecimo capite, etiã in Græco, scribitur, Petrus morte multatus. Verùm id mendosum est. nam non Petrus, sed eius ordinationis autores puniti sunt. Cæterùm Salaphaciolo mortuo, episcopatus gubernationem obtinuit, & quidem etiam ex Imperatoris Zenonis adhuc imperantis cõsensu. Siquidem Proterij amicos ac fautores in suã communionem recipere, & insuper literarũ Imperatoris formulę, qua dissidẽtes per Ægyptũ, Libyam & Pentapolim Ecclesias conciliare tentabat, subscribere, & quartã synodum Chalcedonensem approbare (Nicephorus loco suprà citato) non recusaret. Recepit cõditionem Petrus, & unà quoq; episcopatũ. Euagrius duodecimo, & tredecimo,

& decimosexto capitibus tertij libri. Per amicos quosdam intercessores à parte Petri apud Constantinopolitanum episcopum Acacium negocium agebatur, qui eum Acacio commendabant, quòd populo esset gratus, & facilè ad unitatem communionis eum reducere posset. Persuasus autem Acacius, ad Imperatorem porrò pro eo intercedebat, ut Petrus cum illis conditionibus reciperetur: Liberatus decimoseptimo capite. hoc simul addito, ut synodicas epistolas sibi, Acacio & Romano Simplicio, & cęteris archiepiscopis mitteret. Redditᵒ est ergo ei episcopatus, idq; approbãte Petro Antiocheno, Hierosolymitano Martyrio, & in primis Acacio Constantinopolitano: testantur hoc Synodales, ut dicuntur, literæ ultrò citroq; missę & acceptę, quæ approbationis & coniunctionis fuere symbola. Nicephorus decimotertio libro, cap. decimosexto. Simplicio etiã iuxta prę-scriptas cõditiones suas synodicas literas misit, quibus ostendit, eius quoq; communionem se amplecti, & synodum Chalcedonensem approbare. Liberatus cap. decimooctauo. Cæterùm initiò pręstitit ea, quæ sub certis illis conditionibus recepit: sed rebus suis confirmatis, pacti oblitus, cõtraria agere cœpit. Chalcedonensem enim synodum palàm anathemate damnasse, decimosexto & uicesimotertio capitib. tertij libri Euagriᵒ scribit. Idipsum repetit etiã capite uicesimosecundo eiusdem libri, & subiungit insuper, quòd Leonis quoq; tomum, & eos qui syngrammata Dioscori & Timothei (Aeluri hauddubiè) non reciperent, damnarit: & quòd quibusdã episcopis & archimandritis persuaserit, ut secũ cõmunicarẽt: qui uerò id facere detrectarent, monasterijs expulerit. Imò ex ciuitatib. catholicos Ecclesiarũ ministros eũ eiecisse, Liberatus etiam memorat decimoquarto capite. Item inductis nominibus episcoporũ Proterij & Timothei catholici, reposuit in catalogũ Dioscori & Timothei Aeluri: imò Catholici illius Timothei corpus, quod inter catholicos episcopos cõditum fuerat, effodit, & foràs proiecit, ut Liberatus ibidem refert. Cæterùm ad damnationem Chalcedonensis synodi quod attinet, uidetur Liberatus ibidem quodammodo causam notare, qua impulsus eò necessitatis processerit: uidelicet quòd Iohannes episcopus Magileos, & abbas Ammon, & alij inferioris Ægypti monachorum abbates, bellum ei propterea mouerint, & seditionem excitarint in templo, atq; ita necessitate quodammodo adactus id fecerit. Extat exemplum epistolæ ipsius ad Acacium, in qua de utroq; crimine sese purgat, & quòd Chalcedonẽsem synodũ damnarit minimè: sed eandem amplectatur, ut in qua aduersum Nicenæ synodi actis gestum sit nihil. & quòd Timothei quoq; Saphacioli scilicet, reliquias loco non mouerit, cum id & Deo displicere, & legibus non conuenire bene norit. apud Euagriũ decimo septimo capite tertij libri. Præmittit tamẽ idem Euagrius isti epistolę præfatiunculam, qua nõ parum ei detrahit, inquiens: Petrum fuisse hominem astutum & uersipellem, qui sese tempori accõmodare solitus, nec semper unius & eiusdem sententiæ fuerit. nunc quidem Chalcedonensem synodum damnarit: mox palinodiam canens, eandem omnibus uotis receperit. Notauit hanc ipsius inconstantiæ uanitatem Liberatus quoque, capite decimooctauo commemorans, quòd apud Alexãdrinos quidem finxerit se neutiquam Chalcedonensis synodi esse communicatorem: ad Acacium uerò scriptis præ se tulerit, quòd eandẽ amplecteretur. & propterea hac ipsius claudicatione animaduersa, plurimos omnium ordinum Ecclesiasticorum, laicorũ & monachorum recessisse ab ipsius cõmunione seu Ecclesia, & peculiares cõuentus egisse, & priuatum eriam pastorẽ sibi instituisse. Euagrius profectò etiam ipse decimosexto tertij illius libri capite meminit, quòd quidam ab ipsius se cœtu exemerint. ac tum demum palàm Chalcedonensem synodũ condemnasse: & hac re perturbatum Acacium Constantinopolitanũ, misisse quosdam Alexandriam exploratũ, qui de re tota cognoscerent: quibus ut satisfaceret, & palàm ostenderet se extra culpam esse, ediderit cõmentarios, in quibus tale nihil (scilicet quòd de Chalcedonensis concilij damnatione ei impingebatur) repertum sit. atq; inde uidetur secuta illa Petri purgatoria ad istum Acacium epistola, de qua paulo antè. neque enim arbitramur Commentarios istos, quos sui purgãdi gratia edidit, eam ipsam esse epistolam. Romani certè episcopi ipsum in numerum Catholicorum episcoporum neutiquam receperunt, imò ut hæreticum damnarunt: ac non modò ipsum, sed & quotquot ei coniuncti erant. Testantur hoc ea quæ ex Pontificalibus libris de uitis ipsorum referuntur, & propria eorum scripta, quæ recitantur in primo Conciliorum tomo: Felicis quidẽ epistola condemnatoria Acacij, Gelasij autem tomus de anathematis uinculo, & epistola ad episcopos Dardaniæ.

Causas eius censuræ has ferè commemorant: Quòd Chalcedonẽsem synodum, & Leonis primi epistolam de eadem, damnasset: Timothei catholici cadauer effossum abiecisset: & Catholicos uariè afflixisset, de quib. in superioribus. His Gelasius etiam hanc adnumerat, quòd cum Petro Gnaphæo, qui manifestus à plerisq; hæreticus habebatur, communicasset. In fragmento epistolæ ad episcopos

piſcopos Dardaniæ adhæret. Omnium autem præcipua & uerè principalis cauſa fuit, quòd reſtitutionem eius per Acacium Constantinopolitanum, ut illegitimam reprobabant, eo quòd ſine Romanæ eccleſiæ antiſtitis cõſenſu fuiſſet facta: cuius inter uniuerſas eccleſias principatũ ita uehemẽter oppugnabant, ut ſine eius cõſenſu & approbatione in reliqs nihil fieri legitimè & ſanctè, cõſtanter adhererent. Et fuerat iam antè Petrus à Simplicio, & quidem ad preces Acacij damnatus. Et quanquam Petrus patronum habebat ipſum Imperatorem Zenonẽ, qui aduerſum Romanos epiſcopos Simplicium (ut ex cap. decimoquinto) & Felicem eius ſucceſſorem (ut ex uicesimo capite Euagrij libro tertio manifeſtum eſt) eũ defendebat, utpote cuius Imperiali edicto fuerat reſtitutus, ceu ex ſuperioribus eſt clarum: nihilominus tamẽ ipſi Romani in ſententia proceſſere, nec moti ſunt Maieſtate Imperiali. imò cõtrà oppoſuerunt Imperatori, non licuiſſe eum abſoluere, &c. ut prolixè Gelaſius diſputat in illa ad Dardanios epiſtola.

Nominat inter eos qui Petri coniunctionem auerſati ſint, Euagrius etiam Euphemium, alterũ ab Acacio in Constantinopolitana eccleſia ſucceſſorẽ, cap. uicesimotertio: idq; eam ipſam ob cauſam, quòd Chalcedonenſem eum ſynodũ damnare intellexerat, ex literis eius ſynodicis ad Phrauitam.

Mortuus autem tandem eſt ſub initium Imperij Anaſtaſij, ac nomẽ eius Euphemius ex ſacris tabulis expunxit. Nicephorus libro decimoſexto, capite decimonono.

ATHANASIVS.

Athanaſius ſucceſsit Petro Moggo mortuo: Euagrius uicesimotertio capite libri tertij. Ei cognomentũ fuiſſe Celeti, ſeu Hermioſo, Nicephorus meminit capite uicesimo libri decimiſexti. Atq; in ijſdẽ locis uterq; de ipſo ſubiũgit, quòd conatus fuerit diſsidẽtes in Eccleſia partes inter ſe cõciliare. Verùm cum multa expertus eſſet, nihil tamẽ egiſſe: propterea quòd in multas, easq; uarias opinionum ſententias diſcesſerant. Item quòd ſynodalia ſcripta ad Palladiũ Antiochenũ episcopum miſerit: & in cauſa Chalcedonenſis ſynodi eadem planè egerit, ſcripſeritq;, quæ Petrus Moggus. Liberatus eum quoque expreſsè hæreticum nominat, 18 cap.

IOANNES.

Hoc nomine, Ioãnis ſcilicet, quidam poſt Athanaſium Alexandrinæ eccleſiæ gregis curam geſsit: & eiuſdem inſiſtens ueſtigijs, eadem planè quæ & ipſe in ijs quæ ad Chalcedonenſem ſynodum attinent, fecit. ijdem authores.

ESAIAS.

Eſaias, diaconus fuit alicubi in Palæſtina, atq; ibidem etiam epiſcopus ordinatus, ac miſſus Alexandriam, ei parti quæ à Petri Moggi eccleſia diſceſſerat, & ſuos peculiares cõuentus agebat, ut ei præeſſet. Verùm cum neque ab ijſdem omnibus receptus fuiſſet, nouæ ſectæ ortũ præbuit, ut Eſaiani ab ipſo per Aegyptũ dicerentur. Liberatus decimooctauo capite Breuiarij.

CAPVT XII.

DE MARTYRIBVS.

DE MARTYRIBVS ſub Arcadio.

DE TYGRIO.

DVm in exilium abduceretur Iohannes Chryſoſtomus, in ipſo egreſſu urbis Conſtantinopolitanæ ſubitò maximum obortũ eſt incendium, quo cõflagrauit templũ, & curiæ opera precioſiſsima, & nonnulla quoq; alia ædificia. Vocati igitur in ſuſpicionem Chryſoſtomi fautores, rapiuntur ad quæſtiones, ueluti ipſi eſſent authores iſtius incendij: ac ſub hoc prætextu plurimi miſerandis modis torquentur à præfecto, homine ethnico, & qui in Eccleſiæ ac piorum hominum calamitatibus ueluti delicians mirè delectabatur. Inter eos erat & quidam Tygrius nomine, barbarus quidem genere, ſed moribus ac pietate neutiquam barbarus: eunuchus quoq;, non tamen ab ipſa natiuitate. hic aliquando ſeruus, ob fidem, ſtudium & pietatem eximiam, & libertate ab hero donatus fuerat, & inſuper ab Eccleſia in miniſterij functionẽ aſcitus, presbyter creatus: in qua uocatione ſeſe geſsit erga egenos beneficũ, erga hoſpites benignũ, deniq; erga quoſuis humaniſsimum. Abreptus autem à præfecto, denudato corpore flagris cæſus eſt: & cum uinculis arctiùs conſtrictus nimium diſtenderetur, manibusq; ac pedibus ſuprà quàm dici poteſt uehemẽter traheretur, ipſius articuli & membra ſunt ſoluta, & uſqueadeò luxata, ut uſum præbere deinde ei nõ poſſent. Sozomenus libro octauo, capite uicesimoquarto: Nicephorus libro decimotertio, cap. uicesimotertio.

DE EVTROPIO.

Eandem ob cauſam ad tormenta rapitur & Eutropius Lector, cum is quoq; ut incendiarius apud præfectum delatus eſſet. Adhibentur itaq; torturæ grauiſsimæ, corpus diſtentum cæditur loris ac fuſtibus, cõminuũtur oſſa clauis, lacerantur ac cõciduntur membra, latera ac genæ ungulis, denique & igne inferiores corporis partes aduruntur, & quaſi frixantur. Verùm cum in tantis tamq; grauibus cruciatibus nihil confiteretur, cuſtodiæ includitur, in qua etiam paulo pòſt moritur,

cum esset iuuenili & tenero maximè corpusculo. Sozomenus eodem libro & capite: similiter & Nicephorus eodem libro & capite. Ad maiorem pietatis huius Lectoris cõmendationem, additur ab utroque somniũ Sisinnij episcopi Nouatiani. sed quia nihil aliud esse uidetur quàm somnium, ut somnium merum relinquimus.

DE SISINNIO, MARTYRIO & ALEXANDRO, martyribus.

Sisinnius, Martyrius & Alexander, cũ essẽt genere Græci, ciues Cappadoces, & pietatis ac doctrinæ studio flagrarent, exciti fama nobilissimi doctoris Diui Ambrosij, Mediolanum sese recepêre. Ab Ambrosio autem episcopo honorificè excepti, & perhumaniter habiti, aliquandiu apud eundem cõmorati sunt. Inde uerò postea recedentes, Tridentum perrexêre: ubi à Vigilio eius loci episcopo sacris initiati, atque ita ab eodẽ dimissi, ad prædicandum Euangelium gentilibus, abeunt. Christi igitur auspicio uallẽ Annoniam ingressi, Euangelium annunciant: & cum in uico Medo extructo templo, grauiter in propaganda doctrina laborarent, iamque multis conuersis aliquam Ecclesiolam colligerent, non fert hoc diutius serpens liuidus: sed statim crescentem hanc Ecclesiolam turbans, ipsos pios ministros adoritur. Cumque aliquando rustici quidam ex reliquijs gentilium Saturno sacrificia facerent pro ubertate annonæ, ipsi quoque fideles Christi ministri ad eadem inuitantur. Quod uerò cum sese facturos modis omnib⁹ recusarent, primùm grauius cæduntur: deinde Sisinnij caput æreæ tubę allisum, securi tandem confoditur. Martyrius uerò securi uulneratus, fudibusque fixus, cum ad idolum traheretur, occumbit. Horum corpora, Alexander quũ suis ceruicibus impositа, inde ad sepulturam ferret, à Paganis ei eripiebantur, & ante ipsum simulachrum in ignem proijciebantur: ac ipse usqueadeò flagellis est cæsus, ut mox & ipse animam exhalaret. Petrus de Natalibus capite sexagesimotertio, lib. quinto, ex Adone: meminit & Sigebertus.

DE FLORENTIO & Hilario.

Martyribus Florentio & Hilario, propter egregiam confessionem de Christo, primùm exectæ fuerunt à Paganis linguæ: deinde cũ nihilominus recto atque integro sermone ad fidei præconia & Ecclesiæ exædificationem uterentur, accensi Pagani, gladio ipsos feriri iubent in castro Seduno, ad quintum calendas Octobris. Petrus de Natalibus, ex Adonis martyrologio: Sigebertus quoque meminit.

DE IACOBO PERSA.

Hic Iacobus, cum antea fuisset Christianus, in gratiam regis Isdigerdis ab Ecclesia deficiens, ad gentilismum transierat. Verùm hortatricibus matre & uxore redierat ad Ecclesiam, gentilicię uanitati usque adeò renũcians, ut propter ueritatis professionem etiam acerbissimum ac maximè nouum martyrij genus perferre non recusaret. Nam Regis iussu resecantur ipsi omnium membrorum singuli articuli, ita ut corporis tantùm truncus cum capite remaneret: uerùm cũ nec sic quidem ad abnegandum Christum adduci posset, tandem & caput ferro ei amputatur. Nicephorus libro decimoquarto, capite uicesimo.

DE COMITE SEBASTIANO, *Geneserichi regis Africæ Aulico.*

Fuit in comitatu aulico Genserichi quidam Comes Sebastianus, gener Comitis Bonifacij illius qui Vandalos attraxerat, uir consilio & uiribus domi militiæque ualens. Huius ut consilia necessaria habebat, ita prę sentiam ipsius formidabat. sicut dici solet: Quem multi timent, multos ipse quoque timeat necesse est, præsertim uirtutibus excellentiores. Quare ut illum tolleret, honesta tamẽ specie, occasionem arripuit de religione. Et in præsentia suorum Ecclesiasticorum domesticorumque ipsum in hanc sententiam alloquitur: Si de ea, qua nobis obligatus es fide, dubitarem Sebastiane, indignè adeò facerem: quia uigiliæ, labores, studia, quibus pro nostra & regni salute sedulò excubas, sunt in confesso. Vnde etiam in amicitia tibi nostra non infimum locum concessimus. Verùm ne qua calamitas eam interrumpat, sed ut magis firmetur, & in posterum stabiliatur uinculo aliquo adamãtino, ualde laboro qua ratione id fieri possit. Non uidetur autem ullum aliud magis firmum gluten esse ad amicitiam solidandam, quàm doctrinæ consensus. Visum igitur est nostris prædicatoribus, ut eandẽ quam nos doctrinam amplectaris. Ad ea Sebastianus per parabolam respondet: Veluti panis similagineus, ut regiæ tabulæ esset dignus, excussa furfurum crasicie, & admixta similagineæ massæ conspersione, per ignem trãsiuit & aquam: ita ego quoque mola diuini uerbi in Ecclesia comminutus, & pœnitentiæ exceruiculo purgat⁹ sum, & sacri baptismatis undis cõspersus, & igne sancti Spiritus coctus, Christianus ut fierẽ. Si igitur panis iste iterũ in minutissimas partes comminutus, undaque conspersus denuò pinsetur, meliorq; efficiatur, faciam quod tibi tuisque uisum fuerit. Rex nihil quidem quod contradiceret habuit;

ret habuit: sed paulo pòst alio commento eum sustulit. Victor libro primo historiæ Vandalicæ.

SVB MARCIANO.

VRSVLA.

PEtrus de Natalib⁹, Sigebertus in Chronicis, & Bonfinius rerum Vngaricarum Decadis primæ libro quinto, & alij Chronographi, non modò fabulosam, sed apertè falsam de Vrsula, & undecies mille uirginum exercitu, prope Coloniam ab Hunnis cæso ob religionem Christianam, narrationem texunt. Nam Cyriacus pontifex Romanus, qui cum ijs Roma abijsse dicitur, ante ducentos annos obijt, ut testatur Crantzius in Metropoli, & patet ex superioribus Centurijs, nec alię circūstantię cum harmonia historiæ huius seculi congruunt. Præterea nullus ex ijs qui hoc seculo uixit, & scripsit, aut paulo pòst, eius in eum modum meminit. Balęus Centuria prima Scriptorum Angliæ, numero trigesimonono, ueram ex scriptoribus Brytannicis de Vrsula zecēsset historiam, quòd genere Brytanna fuerit, Dionoti Cornubiensium Ducis filia, ingenio & eruditione clara. Cum autem post subactas à Maximo Brytannorum rege, Romanoque Cæsare, Armoricas terras (Minorem Brytanniam nunc uocant) Gallicarum mulierum aspernati connubia Brytanni, uxores ex sua petebant natione, factum est, ut frequens mulierum numerus illuc ex insula nauigare statuerit, & inter illas Vrsula Corani ducis eorum charissima designata conjunx. Sed ea cum undecies utriusque sexus millibus ui tempestatum perijt, cæteris ad littus à contrariarum factionum tyrannis interemptis.

SVB IMPERATORE LEONE.

VICTORIANVS.

VIctorianus, Adrumetinæ ciuitatis ciuis, tempore Hunerici Vandalorum regis, proconsul in urbe Carthagine, quo in Africæ partibus nullus fuit ditior, cuius maxima apud impium regem erat fides in expediēdis negocijs, & rebus suę curæ commissis. Rex igitur magnopere cupiens ipsum ad suam pellicere religionem, per internuncios cum ipso perquàm familiariter agit: Quòd ipsum præ omnibus alijs summo loco sit habiturus, si suæ uoluntati facilem assensum præbere uellet. Victorianus ad sermissis tale responsum dedit: Statuat Rex de me qcquid uelit: Ego in Christo Deo & Domino meo bene sum securus, ei fortunam meam cōmendo. Subijciat me rex flammis, obijciat bestijs, & si quid est uspiam tormentorum generis, eo me (si lubet) excruciet: Christo me seruante, ab ea quam semel sum amplexus doctrinam non sum discessurus, nisi frustra in ipsius mortem in Ecclesia sua sim baptisatus. Nam quia non hæc præsens sola est uita, sed meliorem, quæ & uera & æterna est, speramus: stultè certè, imò impiè facerem, si breui temporis, & non adeò magni momenti gloriam & suauitatem retinerem, & interim illa potiora & æterna amitterem: sed & Christo conditori & redemptori meo, qui suam mihi firmissimè seruat fidem, si meam ipsi non seruarem, essem nimirum omnium quos sol uidit uir quàm ingratissimus. Ad quod responsum tyrannus usqueadeò incanduit, ut eum tristissimis afflictionibus excruciari iusserit, in quibus suum Christo spiritum reddidit. Victor lib. tertio, &c.

DE SEPTEM FRATRIBVS

monachis, martyribus sub Huncricho Vandalorum rege.

Liberatus abbas, Bonifacius diaconus, Rusticus subdiaconus, Seruus subdiaconus, Rogatus, Septimus & Maxim⁹, monachi, ex monasterio Carthaginem pertracti, primùm blanditijs tentati sunt: promissi ingentes honores, diuitię immensæ, uoluptates quoque, regis amicitia, & similia alia plurima, quibus hominum animi inescari & capi maximè solent. Verùm hi ea omnia ceu contagium quoddam nocentissimum respuerunt, unoque ore & animo clariore uoce suam coram omnibus confessi sunt fidem, dicentes: Vnus Deus, una fides, unum baptisma: nec poterit, Deo iuuante, in nobis iterari, quod in doctrina Euangelij semel dari præceptū est. Quia qui semel lotus est, non habet necesse ut denuò lauetur, sed mūdus est totus. Facite quod placuerit, inferte pœnas nostris corporibus. Satius est breuis temporis hæc & momentanea perferre supplicia, quàm æterna & nunquam finienda subire tormenta. Seruate uobis quæ splendidè promittitis, paulo pòst cum ipsis diuitijs quamuis ingentibus perituri: nobis nemo auferet, quod in sacro baptismate conferre dignata est sancta Trinitas. Tali constantia dum diuinitùs muniti persisterent, in carceris custodiam sunt abducti, locum tenebrosum, ubi ferreorum uinculorum ponderibus grauiter adflicti sunt. Et quia datis munerib⁹ carceris custodes permittebant pijs ingredi ad ipsos, plurimi ipsorum martyrum concionibus instituti in pietatis doctrina & confirmati sunt, ita ut ipsi quoque eadem pro Christi nomine recipere in se magno desiderio tenerentur. Hoc ubi rex

reſciuit, furore totus eſt accenſus. Iubet itaq; multo grauioribus uinculis eos conſtringi, & ſupplicijs nouis & inauditis cruciari. Tandem imperat nauem aridorum lignorum manipulis impleri, confeſſoresque illos ligaros ſuperimponi, igneque ſubiecto, & naui in pelagi medium promota concremari. E' cuſtodia ergo educti, catenarumque pondera geſtantes, ad ſupplicium alacres incedunt magna cum fiducia Domino decantantes: Gloria in excelſis Deo. Votiua certè hæc nobis dies, & omni ſolennitate feſtiuior. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, quando pro fide Domini Dei noſtri ſupplicia perferemus, ne acquiſitæ fidei indumentum amittamus. Populi quoque publica acclamatio eos ad conſtantiam hortabatur: Ne timeatis populi Dei, neque formidetis minas atque terrores præſentium tribulationum: ſed potius moriamur pro Chriſto, quoniam & ipſe mortuus eſt, redimens nos precioſo ſanguine ſalutari. Vnus uerò iſtorum fratrum uidebatur cæteris iuuenior, Maximus nomine: hunc magno ſtudio conabantur à reliquorum conſortio ſeparare impietatis patratores. Quid, inquiunt, ita ad mortem feſtinas? dimitte fratres ſuæ, qua perituri ſunt, inſaniæ: tu noſtrum ſequere conſilium, ut poſſis uitę inuenire remedium, & tanti regis adire palatium. Tum ille, ætate quidem puerili, ſenili tamen maturitate reſpondebat: Nemo me ſeparet à ſancto patre meo abbate Liberato, & fratribus meis, qui in monaſterio me nutrierunt. fuit mihi cum ipſis ſuauis conuerſatio hactenus: cupio etiam nunc eaſdem cum ipſis ſubire paſsiones, quibus cum eandem gloriam futuram poſſeſſurum me credo. Ne putetis, quòd meam ſeducturi ſitis pueritiam. Nam qui in unitate conſenſus & doctrinæ ſimul colligare ſeptem nos uoluit Dominus, idem dignabitur uno eodemque mortis genere ſimul coronare. Et quemadmodum nemo perijt de ſeptenario illo Macchabæorum fratrum numero: ita etiam ſeptenus noſtræ congregationis numerus nullum ſpero detrimentum accipiet. Nam ſi ego negauero eum, & ipſe negabit me. Quia ab ipſo dictum eſt: Qui negauerit me, &c. Item: Qui me confeſſus, &c. Iam autem ad nauale ſupplicium adducti, & ueluti ſacrificia aris impoſiti, ignis cum accenderetur, iterum iterumque ac ſæpius extinctus eſt, non ſine peculiari Dei diſpoſitione. Inde autem magis rubore ſimul & furore perculſus Rex, mandat eos remorum uectibus necari. atque ita ſinguli cerebris comminutis extincti, ſpiritum Deo reddidêre. Victor lib. quarto Vandalicæ perſecutionis,

DE IVVENTINO & Maximo.

Narrat Chryſoſtomus in ſermone quem peculiariter de his martyribus inſtituit: Fuiſſe regem quendam, cuius tamen nomen non exprimit, ſub quo hi duo ob fidei confeſsionem quidem uerè, ſed alio tamen prætextu, inſidioſè ad ſupplicium rapti ſint, tali occaſione. Cum rex omnino bellum pararet aduerſum Eccleſiam Chriſti, aperta tamen ui nihil tentare auderet, quòd nihil aut parum omnino promoueret: & homines ad confeſsionis diſcrimina ueluti agines ad aluearia confluerent, & moram trahendo alias occaſiones inſidioſè diſpiceret, accidit ut milites quoddam inter ſe conuium agerent, in quo & hi de quibus loquimur, Iuuentinus & Maximus accubuerunt. Et ut fieri ſolet, cum uarij ſermones deuiri inter cætera ſui ſeculi infelicitatem deplorabant & ſecum, & erga reliquos conuiuas. Quem nam quæſo (aiebant) iuuaret uiuere, uel ſpirare etiam, ſalutari doctrina ita profligata, & pietatis legibus ita conculcatis, omnis creaturæ Domino & noſtro redemptore Chriſto ita contempto? Videtis quàm omnia ex immundo ſacrificiorum nidore fument. Hos ipſorum gemitus quidam ex accumbentibus exipientes, ut regis fauorem aucuparentur, ad regem deferunt. Protinus igitur omnibus ipſorum facultatibus confiſcatis, comprehendi iubentur, non quidem quaſi ob doctrinæ confeſsionem, ſed ueluti homines ſeditioſi, qui ſuis iſtis ſermonibus turbas & motus excitare cuperent. In carcerem autem coniecti, frequens ad eos ciuitas confluxit: tametſi ſeuerè admodum interdictum eſſet, ne quis ad eos accederet, ſermonemque ullum cum ipſis conferret. Multi igitur, quòd contra regium interdictum cum ipſis conſuerudinem habebant, eadem quæ ipſi paſsi ſunt. Plurimi etenim contempta præſenti uita, ſubinde eos frequentabant, per integras noctes ſacris cantionibus & pſalmis uigilias cum ipſis agentes. Quod ubi rex cognouit, indigniſsimè tulit: ſed aſturè tamen ſe reprimens, homines quoſdá ſubornat, per quos conſtantes eos Chriſti confeſſores ſupplantare cogitat. Hi ad eos ingreſsi, non quaſi ex regis iuſſu, ſed ſua quadam erga illos commiſeratione, omnibus adhibitis rationibus, à religione iſta Chriſtianorum ſuperſtitioſa ut diſcedant, perſuadere ipſis conantur: propoſitis in medium periculis, ſi perſiſtant: & maximis econtrà beneficijs regis, ſi iniſſius gratiam deſciſcant. Quibus illi conſtimato animo reſpondent: Quid? Etiamſi nunc non morimur, moriendum tamen eſt omnino

omnino non multo pòst. ac satius fuerit pro angelorum rege mori, quàm pro rege tam impio. Hic etsi moriatur quis pro rege, nihil accipiet à rege sua fortitudine dignum. Et quid posset defuncto præstare, si uel maximè uellet? Imò eis sæpenumerò ne sepultura quidem contingit, & non rarò à canibus deuorantur. Quòd si pro rege angelorum mortui fuerimus, certi sumus, nos accepturos corpus multo gloriosius, maioriq; gloria conspicui erimus, longè maiora nobis erunt laborum præmia. Renunciatis his regi, non destitit tamen subinde interpellatos pertentare ualde insidiosè. Nam mandauerat, si uicti cederent, ut sub conspectum omnium producerentur. Sin uerò fortes perseuerarent, uti perduellionis rei educti occiderentur. Cum autem multo tempore exacto fortissimorum militum animi nullis arietibus expugnari possent, sed maius robur & uires potius accrescerent illis, multosque sua constantia æmulatores facerent: tandem in barathrũ profundis tenebris media nocte abducti, decollati sunt. Chrysostomus in supradicto loco, tomo tertio.

DE DESIDERIO EPIscopo Lingoniensi.

Cum Vandali duce Crosco Gallias uastarent, inter cæteras & Lingoniensium ciuitatem, aliquandiu obsessam, tandem expugnarunt. Motus igitur calamitate ecclesię suæ episcopus Desiderius, editiorem muri locum cepit: supplicemque pro suo grege agens, lamentabili oratione clemẽtiam ducis implorauit: atque inde mox sese in templum contulit, pro peccatisque populi & ad Deum intercedens, ardentissimis gemitibus orauit. Vandali autem urbi sese infundentes, trucidantesque obuiam multitudinem Christum confitentium, demum & episcopum orationi instantem offendunt: quem magna truculentia è templo abreptum, ad ducem suum adducunt. Cumque se animo paratissimo ad necem uel ultrò offerret, modò reliquo cœtui parceretur, eductus ex urbe, capite plectitur, Calendarum Iunij die decimo. Petrus de Natalibus libro quinto, capite trigesimoprimo. Pœnæ miraculosæ huius martyrium secutæ, suo recitantur loco.

ANTIDIVS EPISCOPVS & martyr.

Passus est & Antidius sub persecutione istorum truculentissimorum hominum Vandalorum, apud urbem Turonẽ, ob nominis Christi insignem confessionem. primùm quidem in faciem cæsus, uarijsque ictibus cruciatus: postea, post multa uulnera, quibus uniuersa corporis membra erant concisa, capite quoque truncatus est, Turonique sepultus. Petrus de Natalibus libro octauo, capite tricesimosecundo. Additur ibidem, quemadmodum conscenso dæmone aliquando Romam uectus sit. Quę si non sunt fabulosa, aliquid magiæ resipere uidentur.

CAPVT XIII.

DE MIRACVLIS SVB ARCADIO ET Honorio.

REferunt Socrates & Sozomenus historiam miraculosę liberationis urbis & ecclesię Constantinopolitanę, quæ sub Gaina illo, qui ab Imperatoribus Romanis dignitate & honoribus non mediocriter auctus, insidias postea Reipublicæ Romanæ fecit uniuersæ, accidit hoc modo. Receptus Gainas cum exercitu suo in urbem Imperialem Constantinopolim, ab Imperatore Arcadio, quo cum de non inferendis insidijs Romanorum regno, paulo antè iuramento pactus erat: iuramenti & fœderis perfidiosè negligens, palatium urbis occupare primùm, deinde & totam urbem constituit. Sed per miraculum Deus eam à direptione barbarorum, quorum de genere Gainas fuit, liberauit. Cum enim exercitus barbarici agmen noctu ad incendendum palatium Gainas misisset, conspecti sunt densissimi exercitus angelorum, armaturam militarem & corpora inusitatæ magnitudinis præ se ferentium. inde perterrefacti & stupefacti grassatores, ab insidijs & incendio discesserunt. Nũciata res est Gainæ, quæ & mira & incredibilis ei uisa est, ut qui militis numerum urbe excubantium nosset: nec uenisse præsidia Romanorum, exploratum haberet. Sæpius igitur deinceps exploratoribus missis, cum idem omnes quod priores contestarentur, ipse nocte quadam in insidias numerosa cum multitudine progressus, rem omnem sic se planè habere experimento didicit, nec in urbem uiolenti postea quicquam moliri potuit. Socrates libro sexto, capite quinto: Sozomenus libro octauo, capite quarto.

Simili planè miraculo, cum ad Orientis partes Gainas iter instituisset cum exercitu, Romani per mare, perque terras barbaros insecuti, nauibus eos uento ferente destitutos, consecuti sunt, & oppresserunt. Ibidem uterque.

Recitat Paulus Diaconus libro decimoquinto hoc miraculum. Constantinopoli Arcadius precaturus, templum ingressus erat,

rat. Succeſſerat autem ad proximam domũ promiſcui generis immenſa hominum turba, ut propius Imperatorem contuerentur. uixdum Imperatore digreſſo, domus ea maxima templo cohærens, in qua fuerat hominum multitudo, ſubitò corruit, cum ingenti admiratione & ſtupore populi. Sequebatur autem exclamatio, ob orationem pij principis, ruinã imminentẽ ſuſpenſam, tantamq; multitudinem fuiſſe liberatam.

Cùm docendi dexteritate & ſuauitate Ioannes Conſtantinopolitanus epiſcopus ex hæreticis multos ſubinde cõuerteret, etiam tale quiddam accidit. Ex Macedoniana hæreſi uir quiſpiam, mulierem in religione conſentientem ſibi habuit. Is cum ex Ioannis concionibus proficiens, rectè de Deo tãdem ſentire didiciſſet, uxorem etiã, ut opinione hæretica abiecta, ſecum ſentiret hortabatur. Sed illa nobilium matronarũ ſermonibus, ne hac in parte uiro obtemperaret, retracta, in hæreſi permanſit, muliebri ingenio, quomodo maritum falleret, quippiam commini ſcens. Vrget is aliquandiu, atq; ab ea flagitat in religione conſenſum: interminatus factũrum ſe, ut nec uitę ſocia ſibi mulier ſit, niſi de religione eadem ſecum ſentiret. Pollicetur conſenſum mulier, remq; eam famulæ cuidam, quam inter cæteras fidelem exiſtimabat, communicat, illiusque opera ad fallendum uirum utitur hoc modo. Iubet ut myſteriorum tempore, ad percipiendam Synaxin in cœtum cum marito adferret quippiam, ubi, de more, ex myſterijs cæteris percipientibus, & ipſa ueſcatur. Interea uerò quod à ſacerdote accipit, manu quaſi oratura procumbens, continet. Adeſt mox famula, clanculum, quod ſecum attulerat, illi exhibens. cui cum primùm dentes illa admoueret, in lapidem indureſcere ſentit. Prodigio eo conterrita mulier, ad epiſcopum ſupplicij diuini metu properat, remq; omnem aperit: lapidem ſimul, morſus ueſtigia habentem, oſtendens: ac pœnitentiam lachrymis teſtata, cum marito ſe conſenſuram deinceps promiſit, ueniamque ab eo impetrat. Lapis is inter eccleſiæ Conſtantinopolitanę clinodia aſſeruatus poſtea longo tempore eſt. Sozomenus libro octauo, capite quinto.

PRODIGIA.

Conſtantinopoli cum in urbem Gainas irrupiſſet, & uaſtationem toti Romanorum regno inferre conſtituiſſet, conſpectus eſt imminens ſupra urbem cometa prodigioſæ magnitudinis, horribili aſpectu comam ad terram propè uſque demittere uiſus, ex quo periculũ ingens ciuitati portendi exiſtimatũ eſt. Socrates libro ſexto, capite ſexto: Sozomenus libro octauo, capite quarto: Nicephorus libro octauo, capite ſexto. Prodigij ſpeciem habuit repentinum incendium ædis Conſtantinopolitanæ, poſteaquã in exiliũ Ioannes abductus erat: quod tantum fuit, ut domum etiam Senatus uicinam, aliasq; ædes complures corripuerit, rotaſq; abſumpſerit, conflagratione durante à ueſpera ad matutinum uſque tempus, ut ſuprà etiam attigimus. Sozomenus libro octauo, capite uigeſimoſecundo: Socrates libro ſexto, capite decimooctauo: qui incendium illud accidiſſe ſcribit Conſulatu Honorij & Ariſtæneti: anno Chriſti, ſecundum Marianum, quadringenteſimo quarto: ſecundum Proſperum, quadringẽteſimoſexto: Imperij Arcadij anno nono. Nicephorus ignem illũ à nullo hominum immiſſum fuiſſe, ſed diuinitùs in medio throno, in quo ſedens Ioannes docuerat, exarſiſſe ſcripſit libro decimotertio, capite uigeſimoprimo.

Sed & terræmotum ingentem Conſtantinopoli ortum fuiſſe, adeò ut in periculo & metu uniuerſa eſſet regio, Theodoretus tradit, nocte proxima, cum ſine cauſæ cognitione expelli urbe Ioannem Arcadius præcepiſſet. Accidiſſe autem ob iniuſtam & uiolentam Ioannis expulſionem, motum eum terræ, ab omnibus iudicatum eſt. ipſius etiam Imperatoris mentẽ cognitio ea ſubijt: quãobrem manè legatis miſsis, Ioannem exiſtimere in urbem reuocauit. Theodoretus libro quinto, capite trigeſimoquarto.

Inter prodigia Sozomenus numerat maximam etiam grandinem, Conſtantinopoli & in ſuburbijs eius delapſam, cum in exilium ſecundò Ioannes pulſus fuiſſet, quam quarto poſt eam die Imperatricis Eudoxiæ Ioannis inimiciſsimæ mors ſecuta eſt. Sozomenus libro octauo, capite uigeſimoſeptimo: Sigebertus, ſub anno Domini quadringentesimo nono, Arcadij duodecimo.

Paulus Diaconus libro decimotertio de geſtis Romanorum, Conſtantinopoli, poſteaquam in regnũ Arcadius ſucceſsiſſet, terræmotum ingentem accidiſſe ſcribit, terra horribili modo ſubtus tremente, deſuperque fuſa flamma cœlitùs pẽdente, ut cœlũ omne ardere uideretur. Ac duraſſe quidem pluribus diebus, donec Arcadij Imperatoris & populi precibus placatus Deus, ſuppliciũ imminens auerterit. Proſper factum illud ſcribit Arcadio quartò & Honorio Cæſaribus, anno ſcilicet regni Arcadij primo, Chriſti anno (iuxta Marianum) trecenteſimo nonageſimoſexto: Proſper, trecenteſimo nonageſimooctauo.

Sigebertus apud Vticam, terram perſepté dies edidiſſe mugitus refert, ſub anno Imperij Arca-

rij Arcadij ultimo, Christi quadringentesimo decimo.

VISIONES.

Narrat Paulus Diaconus, Gildonem Africę Comitem, post Theodosij superioris mortem, Africam proprio iure usurpare cœpisse: ac duos postea fratris Macezilis filios adolescentes, à patre in Africana militia, cum in Italiam ipse secessisset, ab eo interfectos fuisse. Contra eum igitur, ut hostem bello insequẽdum, missum à Romano Imperatore Honorio Macezilem fratrem, qui sub Theodosio militauerat: ab eoq; didicerat, quantum in rebus etiam desperatissimis ualeret oratio hominis, per fidem Christi clementiam Dei inuocantis. Missum igitur cum exercitu, in Capraria prius insulam secessisse, indeq; Christianos Deum colẽtes aliquot abduxisse: cum quibus, diebus aliquot & noctibus, dum ad hostem iter facit, orationibus ac ieiunijs uacarit. Et ad Ardealitum flumen castra metatus, parua cum manu, quinque scilicet militum milib. aduersus hostium quos Gildo frater duxerit, milia septuaginta, per somnum sibi uidere uisus sit Ambrosium episcopum Mediolanẽsem paulo antè defunctum, qui manu sibi significarit, atque impacto ad humum terbaculo dixerit: Hic hic hic. Macezilem igitur prudenti intellexisse cõiecturā, uerbo locum, numero uerò diem significari, cõgressum cum hoste, ibiq; substitisse: ac tertio demum die post noctem orationibus hymnisq; peruigilans, ab ipsis cœlestium sacramentorum mysterijs in hostem circumfusum processisse, & in fugam una de pace cõcione ad barbaros, & oppressione significri unius insolenter obsistentis, conuertisse, non diu ante Arcadij Imperatoris obitum. Paulus Diaconus libro decimotertio, de Arcadio & Honorio.

Narrat libro decimotertio, capite uigesimotertio Nicephorus, Sisinnio Nouatianorum episcopo per quietem uisum, assistere sibi ad aram in templo dicato Stephano protomartyri, uirum quendam forma & statura illustrem, habitu etiam honesto & graui, sed animo & uultu consternato: quòd perlustrata tota Constantinopoli, bonum hominem nullum inueniisset, præter Eutropium. Fuit is Eutropius Lector ecclesiæ Constantinopoli, grauissimis paulo antè subiectus tormẽtis, quòd cum alijs aliquot Ioannis amicis incendij, quod post expulsionem Ioannis acciderat, autor fuisse creditum esset: sed tormentis fortiter uictis, custodię inclusus fuerat: in qua eum Sisinnius accesit, somniumq; commemorauit.

Alia.

Roma Constantinopolim profecti Aemilius Beneuenti episcopus, Cathagius & Gaudentius, cum alijs aliquot Ioannis episcopi amicis, ut Innocentij nomine synodum, in qua Ioannis causa iudicaretur, peterent: solicitati sunt à Ioannis aduersarijs, ut eius amicitia neglecta, Attico communicarent: proque ea re præmium acciperẽt oblatum, tria aureorum millia. eis uerò castus quidam & moderatus uir in somnis assistere uisus est, sic dicens: Videte quomodo circumspectè ambuletis, dies enim mali sunt. Nicephorus libro eodem, capite trigesimotertio.

Alia.

Fabulosum omninò uidetur, & Antichristi supstitionẽ sapere, quòd Iohanni, paulò antè diem migrationis suæ, fingit idem Nicephorus, noctu oranti Petrum & Ioannem assistentes, amicè cum eo collocutos esse, eique cùm aduersus dæmones uictoriam, tum postremò migrationem ad Dominum & futurorum bonorum perceptionem annũciasse: libro eodem, cap. trigesimoseptimo.

Alia.

Idem, & pridie quàm euocaretur Ioannes ex hac uita, apparuisse ei in somnis nugatur, in templo sibi dicato apud Cauianenos, Basiliscum martyrem Nicomediensem sub Maximino, hac uoce eum confirmantem: Bono animo esto Ioannes frater, utrunque crastina dies coniunget. postea etiam custodi templi præcepisse, ut Ioanni locum pararet. Ibidem idem: & Sozomenus libro octauo, capite ultimo. Hæc propterea commemoramus, ut lectores attenti considerent, quando cœperint apparitiones mortuorum cõfingi. Sacra autem Scriptura tãtum Dei & angelorum apparitiones in somnis docet, non Patriarcharum, non Apostolorum, aut aliorum hominum. Nicephorus præ cæteris in apparitionibus recitandis multus est.

SVB THEODOSIO ET HONORIO.

CVm urbem Romam graui & diuturna obsidione cinxisset Alarich⁹ Gothorũ dux (quam fames dira ac pestis, cum necessaria in urbẽ inferri foris prohibuissent, secuta est) ferunt ex Italicis quendam religiosum monachum Romam properasse, atque Alarichum adhortatum fuisse, ut urbi parceret, nec se rumorũ malorum authorem perhiberi fineret. Alarichum autem respondisse: Moliri se ista non ex animi sententia, sed urgeri à quodam continuè, qui sibi præcipiat, ut Romam uastet. Socrates libro septimo, capite decimo: Sozomenus libro nono, capite 6. Capta est urbs ab Alaricho, Fl. Varrone & Tertullo Consulibus, anno Christi (iuxta Marianum) quadringẽtesimo undecimo, Imperij Honorij anno altero: secundum

dum Sigebertum, anno Domini quadringenteſimo decimotertio, imperij Honorij quinto: iuxta Proſperum, anno Chriſti quadringenteſimo decimotertio.

Iudæus quidam ex multis annis paralyticus lecto decubuerat, quem cum nec medicorum ars, nec Iudæorum preces ſubleuare ualuiſſent, tandem ad Chriſtianorum baptiſma confugit, quo tempore epiſcopatum Conſtantinopoli adminiſtrabat Atticus Ioannis ſucceſſor. Qui in fide prius Iudęum inſtitutum, & de ſpe in Chriſti auxilium edoctum, deportari cum lecto ad baptiſterium iuſsit: ubi baptiſmum ſincera fide conſecutus, è colymbethra baptiſterij ſuſceptus, à morbo ſubitò liberatus, inter ſanos egit. Socrates libro ſeptimo, capite quarto.

Exercuerat Iudæus quidã impoſtor eiuſmodi fraudem, ut cum rebus neceſſarijs indigeret, Chriſtianiſmum ſubitò ſimularet, & baptiſterium peteret: qua impoſtura pecunias multas à Chriſtianis extorquebat. Cũq; hac arte plurib. impoſuiſſet hæreſibus, tandẽ etiam ad Paulum uenit, Nouatianorum epiſcopum Conſtantinopoli, obſecrans ut baptiſmatis ei lauacrũ impertiret. Paulus poſt traditam Iudæo doctrinam de fidẽ, & completos ieiuniorum dies, in quibus omnibus præter animi ſui ſententiã epiſcopo Iudæus obſequebatur, paratis quæ ad baptiſmum neceſſaria erant, coempta etiam ſplendida ueſte, ad baptiſterium eum ducit, tanquam baptizaturus. ſed miraculoſo planè modo aqua infuſa in colymbethrã, ſubitò euanuit. Cũq; ad canalẽ inferiorem, per quem & aliàs aqua emitti ſolebat, deſcendiſſe ab epiſcopo & adſtantibus omnibus putaretur, iterum canali & meatibus diligenter obſtructis, infuſa aqua euanuit. Tum Paulus: Aut impoſturam, inquit, committis homo, aut baptiſmũ iam antea conſecutus es. Facto itaq; miraculi gratia concurſu, Iudæum quiſpiam cognouit, & uidiſſe ſe eum baptizari ab Attico epiſcopo confirmauit. Socrates libro ſeptimo, capite decimoſeptimo. Meminit miraculi eius Sigebertus ſub anno Chriſti quadringenteſimo decimoſexto.

Cũ bellũ graue rex Perſicꝰ Bararanes, Iſdigerdi filius, per Narſæũ ducẽ Romanis inferre moliretur, & in Niſibim exercitũ ingentẽ contra Romanos deduxiſſet, Conſtantinopolitani uerò anxij eſſent, ac hęſitabũdi belli euentum expectarent, angeli Dei circa Bithyniam, ijs qui Conſtantinopolim negociationis ſuæ gratia proficiſcebantur apparentes, nunciare iuſſerũt, bono eſſent animo, & precarentur, Deoq; iiderent: uicturos etiam eſſe Romanos. ac ſimul addiderunt: eſſe ſe belli eius diſpenſatores à Deo miſſos. Nec defuit euentus. Romani enim Perſas Niſibi conclu-

ſos obſederũt, ex ijsque multos occiderunt, ducibus aliquot captis: tandẽ etiam Saracenos, quos in belli ſocietatem Bararanes rex, ſuos apud Niſibin liberaturus aſſumpſerat, deuicerunt, cum inanem illis metum & perculſionem Deus incuſsiſſet, ut Romanorum exercitus ceruicibus ſuis imminere imaginati, ſeipſos in fluuium Euphraten præcipitarent. Socrates libro ſeptimo, capite decimooctauo. Succeſsit in regnum Perſarum Bararanes anno Chriſti quadringenteſimo uigeſimoſeptimo: & bellum illud contra Romanos, cũ & perſecutor alioqui Chriſtianorum eſſet acerrimus, in ipſis regni ſui auſpicijs ſuſcepit. Socrates ibidem.

Theodoretus (qui hunc Bararanem, ſeu Vararonem, Gararonem uocat) etiam Conſtantinopolim ab eo oppugnatam, innumerabilib. admotis machinis, tradit: ſed ſolius pontificis Eunomij precibus ſeruatã. Cumque ex barbaricis regibus unus blaſphemias & Rabſacis, ac Sennacherib furore concitatus, diuinum ſe incenſurum templum minitaretur, nõ tuliſſe rabiem illam Eunomium: ſed fundam in mœnia conſtitui, applicariq; ingenti ſaxo, in nomine eius qui blaſphemaretur immitti iuſsiſſe: quod directè illatũ in impium regem, abominandum illius os & totum caput comminuerit, & cerebrum humi diſperſerit. Theodoretus libro quinto, capite trigeſimoſexto.

Mortuo Honorio, Ioannes amanuenſium Imperialium præfectus, dignitatis inſolentia miſsis ad Theodoſium legatis, ut in Imperij conſortium reciperetur petijt. Theodoſius uerò coniectis in cuſtodiam legatis, in Occidentẽ miſit Ardeburium ducẽ, ut Reipublicæ opem ferret, & Ioannis ambitionem atque inſolentiam reprimeret. Sed in nauigationem infelicem delatus ille, in manus tyranni uenit. Quæ res dolorem Theodoſio attulit. qui reb. in magno poſitis diſcrimine, ad orationem confugit, & miraculoſam Dei liberationem eiuſmodi impetrat, ut deductus ab angelo in paſtoris ſpecie, Aſpar Ardeburij captiui filius, cum exercitus parte per ſtagnum Rauennæ adiacens, in qua ciuitate Ioannes agens ducem captum tenebat, inuium planè, & à nemine unquam tranſitu ſuperatum, tyrannum uicerit, & patrem liberarit. Socrates libro tertio, capite uigeſimotertio: Paulus Diaconus libro decimoquarto.

Burgundionum gens incurſionibus Hunnorum crebris afflicta & uaſtata, cum religionem Chriſtianorum & baptiſmum complexa eſſet, egreſsi aduerſus Hunnos in pugnam pauci numero, ter ſcilicet mille, uictores de uicenis barbarorum millibus euaſerũt. Socrates libro ſeptimo, capite trigeſimo.

In maximo

In maximo incendio urbis Constantinopolitanæ, cum ad templũ Osij, Nouatianorum plurimis magnificentissimis ædificijs absumptis, ignis pertigisset, Paulus episcopus insiliens ad altare, sola oratione, irrumpentibus per fenestras & ianuas omnes flammis magna ui, templum seruauit illæsum: adeò ut ædificijs omnibus circumquaq; templo uicinis exustis, in tabulatis ac parietibus eius deprehendi posset. Socrates libro septimo, capite trigesimonono.

Post interemptum tyrannum Ioannem, Barbari quos auxilij gratia ille sibi adiunxerat, nihilominus Rempublicam adoriri conabantur. Quod cum Theodosius cognouisset, imperium & curam eius omnem pro more suo Deo cõmendauit, & precibus sollicitis pugnauit, quibus gloriosam à Deo liberationem obtinuit. Etenim Ruges Barbarorum illorum dux fulmine ictus, mortuus est: & subsecuta epidimia, maximam exercitus partem perdidit: & reliquam partem ignis cœlo delapsus absumpsit, ut suo cum damno tristi ad postremùm Barbari ipsi cognoscerent, mirabiliter à Deo adiutam fuisse gentem Romanam. Socrates libro septimo, capite quadragesimotertio: Theodoretus libro quinto, capite trigesimoseptimo, qui Rugam hunc, Rhoilum uocat.

Gundericus rex Vandalorum, capta Hispali, cum impiè elatus, manus in Ecclesiam ipsius ciuitatis extendisset, mox Dei iudicio à dæmone correptus interijt, anno ultimo regni sui, scilicet decimosexto: anno Christi quadringentesimo uigesimonono. Sigebertus.

PRODIGIA.

Sub imperio Theodosij maximus & uehementissimus, ac priores omnes excellens terræmotus, per uniuersum propemodum orbem factus est, ita ut multę turres per regiam collaberentur: & prolixus ille murus, quem Chersonesum uocãt, corrueret: tellus dehiscaret, ac multi pagi submergerentur, multęque & innumeræ calamitates terra mariq; acciderent: fontes aliquot exiccarentur, & alijs locis ubi nulli fontes fuerant aquarum abundantia scaturiret: denique immensę arbores cum ipsis radicibus extirparentur, ac plurimæ ualles in montes subitò mutarentur, mare mortuos pisces eijceret, ac multas insulas undis suis inuolueret, marinæ naues in sicco cernerentur, undis uidelicet retrolabentibus, Bithyniaq; & Hellespontus & uastaq; Phrygia plurimùm affligerẽtur. Et hæc calamitas admodum diu terram occupauit: non sic tamen uehemens permanens, sicuti cœperat. sed paulatim desinens, donec in uniuersum conquiesceret. Euagrius libro primo, capite decimoseptimo: Nicephorus libro decimotertio, cap. trigesimosexto. Qui his calamitatibus adijcit famẽ, pestes, ferarum agrestiũ in homines grassationes, chasmata, exustiones, grandines maximas, niuiũ & frigoris uim, solis eclipsim tantam, ut stellæ medio etiam die conspectę sint. quam decimo Honorij imperij anno accidisse, in Floribus suis scripsit Gigas: fulgorem in cœli coni formam referentem, mirabili planè & uario maximè per diuersas cœli partes motu: ignes cũ terræmotibus è cœlo quasi rupto delapsos, trabium in ędibus & tectorum mirabiles & prodigiosas rupturas, & cõmissiones inter se aptas rursus.

Tricesimo imperij Theodosij anno terræmotus magni facti sunt Cõstantinopoli, per quatuor menses: ita ut metu nimio perculsi Byzantij, extra ciuitatem in campũ unà cũ episcopo, qui tum Proclus fuit, secederent, precibus Deo pro liberatione ab imminenti interitu supplicantes. Quadam ergo die fluctuante terra, atq; omni plebe attentius clamante κύριε ἐλέησον, circa horam tertiam, omnibus uidentibus, à diuina contigit uirtute sustolli quendam adolescentulum in aera, et tridui diuinã uocẽ admonentẽ, ut episcopo ac populo nũciaret, ut Litanias sic facerent, & dicerẽt: Sanct⁹ Deus, Sanct⁹ fortis, Sanct⁹ immortalis, miserere nobis, nihil aliud apponentes. Proclus igitur episcopus cum sic facere populo præcepisset, terræmotus cessarunt. Paulus Diaconus libro decimoquarto. Recitatur historia à plurimis episcopis, in literis ad Petrum Antiochenum episcopum, qui inconsultè clausulam illam Trisagio adiecerat, Qui crucifixus propter nos: ueluti in capite de Schismatibus meminimus. Epistolæ in secundo tomo Conciliorum extant.

Narrant quidam, Cometam ad mensem usque Septembrem conspectum, quo tempore Iudæi omnes factione Cyrilli Alexandria expulsi sunt, sub Honorio, anno Christi quadringentesimo decimooctauo.

VISIONES.

Texit longam narrationem Sozomenus, de inuẽtis à Pulcheria Theodosij sorore martyribus quadraginta, sub Licinio quondam apud Sebastem Armeniæ pasis: quorum ut defossas inquireret reliquias, Thyrsum ait martyrẽ ei ter apparentẽ suggessisse, atq; ut ad se transferret monuisse. Ipsos deinde quoque martyres quadraginta militari habitu splendidè uestitos, ei sese manifestasse. Sozomenus libro nono, capite secundo. Sed ista Antichristi pręstigias spirant.

Quin & Nicephorus, Pulcherię Stephanũ protomartyrem apparuisse fingit, uerba ad eam

eam facientem: cuius reliquias cum Constãtinopolitani excipere uellent, & secum retinere, mulas (ait) currum, cui reliquiæ impositæ erant, trahentes, humana uoce locutas: libro eodem, capite nono.

Apparuit agricolæ cuidam Calemoro nomine, præsidi uici Chopharis, circa Eleutheropolim Palæstinę, Zacharias propheta: eiq; in hortulum quendam ducto, loculos suos defossos demonstrauit. idem ibidem, capite octauo. Sed cũ ista ad superstitiosam sanctorum defunctorum culturã uergant, pugnant cum Scriptura sacra, & sunt uel figmenta hominum, uel præstigiæ diaboli, qui tali ratione homines à cultu uiui Dei ad uenerationẽ creaturarum uoluit deducere.

Similes præstigiæ & hæ sunt. Videre sibi aliquando uisus est Cyrillus, seipsum sacris ædibus expulsum esse à Ioanne, comitatu, et diuino qui circa illũ erat satellitio maximè freto: & matrem Domini pro ipso deprecantem: atque cùm multa etiam alia, tum illud præcipuè, quòd pro ipsius gloria plurimùm ille decertasset, referẽtem, ut in sacra templa reciperetur orare. Hanc uisionem cũ Cyrillus cogitabundus in animo secum uolueret, seipsum, quòd in sanctum uirum inuectus esset, damnauit: ac Synodo ꝓuinciali coacta, Ioannis nomẽ simul & ipse & reliqui episcopi in sacro albo proposuerunt. Nicephorus libro decimoquarto, capite uigesimooctauo. Pro eo Socrates narrat, Atticum Ioannis successorem, memoriam Ioannis in precationibus fieri instituisse: propterea quòd Ioannis sectatores, qui se Ioãnitas dicebant, extra Ecclesiam cõuentus facerẽt. quòd eam ob rem ad Ecclesiam redituros sperarit. lib. septimo, capite uigesimoquinto. Capite uerò quadragesimoquinto eiusdem libri ait, Ioãnem tricesimoquinto anno post ipsius mortem, à Proclo in communionem fuisse receptum: atq; hac occasione ad Ecclesiam, qui se ab ea propter Ioannem separauerãt, redijsse.

In commemoratione miraculorũ Nicephorus, tanquam nugarum parens, circa funus Ioannis, cum post annum trigesimumquintum Constantinopolim uenisset, nugatur, nauem, qua uectum Ioannis corpus fuerit, petram discidisse: ipsum uerò corpus in templum delatum, ad populum dixisse, Pax uobis. libro eodem, capite quadragesimotertio. Sunt aũt meræ sonoræ nugæ, ad cultum mortuarum creaturarum confictæ.

Quod de expergefactis tamẽ septem Dormientib. narrat libro eodem, capite quadragesimoquinto, ab alijs etiam commemoratur: Ephesios scilicet eos qui sub Decio in specũ cõclusi fuerant, post annos centũ quadraginta duos, aut (secundũ Sigebertũ) centũ nonagintaduos, specu diuinitùs patefacto à somno surrexisse: & posteaquã coram Theodosio de resurrectione multa locuti fuissent, rursus dormiuisse. Palmerius in Chronico, sub anno Christi quadringẽtesimo quinquagesimoprimo: Sigebertus sub anno quadringentesimo quadragesimotertio. Fidei istis tribuat, qui nimis facilè credere didicit.

SVB MARTIANO.

MArtianus Imperator ad sanctum aliquãdo Simeonem, habitum indutus idiotæ, religionis ergò uenerat: ubi ob factũ quoddam obstupuit, quod accidit duobus episcopis inter se contendentibus, orthodoxo uno, Ariano altero. Arianus quidem dilecticus erat, orthodoxꝰ uerò pius & fidelis. Proposuit is eam cõditionem, ut relictis uerborum concertationibus, rogum ignis ingrederentur: & sic ostẽderent, utra sententia magis pia esset. Cum autem Arianus cõditionem eam accipere detrectaret, ipse orthodoxus igné ingressus, è rogo disseruit, & illęsus seruatus est. Theodorꝰ Lector libro secũdo.

Narrat Nicephorus, in grauissima peste hoc tempore, agros per annum integrũ coli nequiuisse: ideoq; nec fruges prouenisse. diuinam igitur prouidentiam illis, cui perrari ex ea superuixissent, aliméto quodam aerio prospexisse: proximo autem anno, ut sua sponte citra culturam fruges prouenirent, miraculosè effecisse. libro decimoquinto, capite decimo.

Prodigia.

Terræmotus assidui, Cometę & signa varia apparent in cœlo. Palmerius sub anno Imperij Martiani primo, Christi quadringentesimo quinquagesimotertio. Sigebertus addit: Vespere ab Aquilone cœlũ efficitur rubens ut ignis, intermixtis per igneum ruborem clarioribus lineis, in stellarum figuras formatis: Luna difuscatur, cometes apparet, sub ijsdem annis. Adducit in Chronicis Iuo, & Adon Viennensis episcopꝰ ætate sexta, de Martiano, obuersationes apud Viennam syluestrium ferarum in frequentibus cœtibus hominum, ut ursorum & ceruorum: luporum quoq; in homines grassationes. Quę tamen omnia Sigebertus sub Leonis tempora reijcit, in annum Christi quadringentesimũ sexagesimumoctauum. Et addit: e terræmotu in urbe Vienna, quo templa & domus subuersa sunt.

Super insulam Britanniæ stella miræ magnitudinis apparuit: cuius radio gladius igneus draconi similis adhęrebat. Ex cuius ore duo radij procedebãt, quorum unus ultra Galliam se extendebat: alter uerò uersus Hyberniam tendens, in septem minores radios terminabatur. Sigebertus sub anno Domini quadringentesimo quinquagesimosexto, Imperij Marciani sexto.

VISIONES.

Sub Marciano Imperatore, Attilam Hunnorum regem uastantem in Italia, & diripientem regiones & urbes, cum Romã quoq; inuadere constituisset, à Leone papa, quem ad eum reconciliandum Valentinianus Augustus ablegauerat, placatum: Paulus Diaconus, Marianus & alij pleriq; tradiderunt. Addiderũt aũt Nauclerus & alij, Attilã postea interrogatũ à suis, quãobrẽ admonitionibus & petitionibus sacerdotis acquiescens paruisset, nec Romam uti instituerat diripuisset, respõdisse: Nihil se quidem commotum sacerdotis persona, quem ne honore quidem aliquo dignaturus fuisset: sed uisenem quendam, canicie, habitu sacerdotali, forma augusta uenerabilem, gladio euaginato mortem ei minitantem, nisi ad omnia quæ Pontifex peteret, fuisset obsecutus. Sic igitur placabilem se præbere fuisse coactum. Nauclerus generatione decimasexta: Sigebertus sub anno Christi quadringentesimo quinquagesimoquarto.

Aliquanto pòst apparens Dominus Marciano in somnis, Attilæ arcum fractũ ostendit. Quam rem euentus subsecutus est, intereunte paulo pòst ipso Attila, ex crapula in nuptijs contracta. Sigebertus sub anno Domini 455.

Pullulante intra Gallias Ariana hæresi, perspicuo Deus miraculo ostẽdit, Deum in tribus personis unius & æqualis esse substãtiæ. In Vasatensi enim urbe ab Hunnorũ obsidione bẽneficio Dei liberata, cum episcopus gratiarumactionem celebraret, respiciens lursum, uidit in aram ex testudine quasi templi decidere æqualiter iunctas tres guttas, æqualis magnitudinis, crystallo clariores: quæ simul decidentes, & in unum conIunctæ, unam quasi gemmam pulcherrimã effecerunt. Quam cum in medio crucis aureæ & gemmatæ posuissent, gemmæ duæ exciderunt. Hoc commemoramus ex Sigeberto, sub anno Domini quadringentesimo quinquagesimotertio.

Narrat Euagrius, Euphemiam martyrem Chalcedoni sepultam, frequenter ac certo tempore episcopis eius ciuitatis, aut alijs pietate & religione præstantibus apparere consueuisse: atq; ut ad templum celebre ipsius, Chalcedoni conditum, festiuitates instituerent, monuisse. Euagrius libro secundo, capite tertio. sed hæ præstigiæ fuerunt mali spiritus, qui uenerationem mortuarum creaturarum in templa uoluit introducere.

In synodo Chalcedonensi, cum Eutychis & Dioscori sectatores synodi decreta eluderent, Anatolius patriarcha Constantinopolitanus conuocatis & suffragatoribus suis orthodoxis, & aduersarijs hęreticis, scribi iussit duos de utriusq; partis fide libellos, eosq; in loculos martyris Euphemiæ reponi, ut ipsa iudicaret, utri rectè aut perperam sentirent. Hæc cum hæreticis etiam placuissent, libelli scripti, remoto lapide qui loculum claudebat, pectori martyris imponũtur: & lapis in locum suum repositus ab utraq; parte signatur. Dehinc supplicationes fiunt, & preces ad Deum peruigiles, ut per martyrem suam demonstret, utra sententia ei cordi sit, quæúe reijcienda uideatur. Post triduum cõueniunt, Imperatore etiam prę-sente: aperto loculo, libellus hæreticorum ad pedes martyris inuenitur, alter in manu eius dextera: quam extendisse fertur ad Imperatorẽ & episcopum, ac libellum eis porrexisse. Zonoras tomo tertio, in Marciano: Tomus primus Cõciliorum. Pro hoc autẽ Euagrius libro secundo, capite ultimo, delectos ex tota Synodo episcopos in martyrio Euphemiæ cõueniisse scribit, & de fide rectè statuisse, quæ egressi matyrio postea promulgarint: nugamenti istius non meminit. Et est proculdubio impostura, ad colendas defunctas creaturas conficta.

SVB LEONE.

In persecutione Christianorum sub Hunericho Vandalorum rege, cũ episcopi celebres orthodoxi, Eugenius, Vindemialis & Longinus, uirtutibus & donis sanationum clarerent, inuidens eorum famæ & autoritati, quam uenerabãtur omnes, Cyrola Arianorum episcopus, ne non & se celebrem facto aliquo mirando redderet, hominẽ conduxit quinquaginta aureis, qui innatam se prætereunte cæcitatẽ simulans, opem eius in hanc sententiã imploraret: Quæso te beatissime Cyrola, religionis nostræ antistes, ut respiciens edas exemplum gloriæ ac uirtutis tuæ, meosq; adaperias oculos. Accedit ad eum Cyrola hæreticus, fucum sibi successurum confidens: & admotis manibus ad oculos cæcum sese mentientis, Secundum fidem, inquit, nostram, qua rectè in Deũ credim⁹, aperiantur oculi tui. Ad quę uerba dolor tantus oculos illius inuasit, ut digitis ui comprimere eos, ne creparent, cogeretur. Prodita itaq; ad omnes Cyrolæ composita fraude, hæresiq; damnata, precibus orthodoxorum Vindemialis, Longini & Eugenij dolore liberatur. Gregorius Turonensis libro secundo, capite tertio.

Sub Gennadio episcopo Constantinopolitano pictoris cuiusdam manus exaruit, cũ Iouem Seruatoris forma pingere instituisset: quem Gẽnadius, cum peccatum confessus fuisset, precibus suis curauit. Theodorus Lector libro primo.

Episcopum Carthaginensem Quoduultdeum,

deum, Hunerichus Vandalus perſecutor cũ maxima turba clericorũ nauibus fractis imponi, iuſsit nudos q; & expoliatos undis exponi omnes. Qui Dei miſeratione, proſpera nauigatione Neapolim Campaniæ ciuitatẽ perducti ſunt. Victor de perſecutione Vandalica libro primo.

In Typaſerpi Mauritaniæ maioris ciuitate, Chriſtiani aliquot Cyrilam epiſcopũ Arianum, quòd minus eos ad fidem compellere conaretur, irriſerunt, & myſteria diuina publicè celebrarũt. Quos ille ad regẽ Carthaginem detulit: qui in medio foro linguas eis & manus dextras abſcindi iuſsit. At illi Spiritu ſancto præſente, nihilominus ut antea locuti ſunt. Repertus ex illis unus adhuc ſub Zenone Imperatore fuit Cõſtantinopoli, Reſarat⁹ nomine, ſubdiaconus, ſermones politos ſine ulla offenſione loquens. Victor de perſecutione Vandalica libro tertio, ut & ſuprà attigimus.

Relegati in ſolitudines Chriſtiani, uenenatorũ animaliũ atq; ſcorpionũ refertiſsimas, adeò ut ſi quis longiori ab illis ſpacio oberret, ſolo tamẽ flatu ueneni uim ſentiat, illæſi ſeruati ſunt. Victor libro ſecundo.

Expulſi alij in agrum Vticenſem ad labores duriſsimos, confeſſori cuidam manum habẽti aridã, Chriſtiani precibus cõiunctis reſtitutionem impetrãt. Idem libro eodem.

PRODIGIA.

Anno altero Leonis imperij, Antiochiæ exortus maximus terræmotus, ornamenta præcipua ciuitatis omnia penè deiecit, ac ſubuertit: ut publicã domum Imperatorum magnificẽtia exornatam, domus palatiorũ cum porticibus ante palatia, tetrapylon, turres, balnea Traiani, Seueri & Hadriani Imperatorum. Euagrius lib. 2. cap. 12.

Conſtantinopoli incendium maximum ortum, ex igniculo lucernæ, quam dæmon quidã, aut mulier certè à dæmone percita: in forũ antelucanis horis attulerat, uniuerſam urbis tũ publicã tũ priuatã magnificẽtiam, miſerabili & horribiliſsimo ſpectaculo in cineres redegit, flãmis durãtibus in quartũ uſq; diẽ, quę nec ulla aliqua ratione extingui poſſent. Euagrius libro eodem, capite 13.

Leone regnante, fertur etiã Antiochia uehementiſsimo terræmotu ferè tota cecidiſſe: & in agro Byzantico pluuiã cineris palmi altitudine decidiſſe. Zonaras tomo 3, de impio Leonis. Theodorus Lector li. 1. addit, ante uim illã pulueris decidẽtis, nubes cõſpectas ignitas. Sub iſta tẽpora, cã Scythicũ bellũ aduerſus Romanos moueretur, mota eſt terra in Thracia & Helleſpõto & Ionia, & in inſulis quas Cycladas uocãt, ita ut multa in Cnido & Coo inſulis ſubuerterẽtur. Quin & uehemẽtes pluuias Priſcus rhetor Cõſtãtinopoli & in Bithynia, factas eſſe ſcribit, ita ut tribus aut quatuor diebus unda cœlitùs inſtar fluuiorum delaberetur, & montes in campos diffluerent, & uici undis inuoluti periclitarẽtur: atq; ubi antea paludes herbidæ extiterãt, haud procul inde diſsita Nicomedia, ex multis faſciculis q in illã cõportabãtur, inſulę fierẽt. Euagrius lib. 2. capite 14.

Apud Toloſam, urbẽ Gallię, eius medio tota die ſanguis largiſsimo fluxit riuo. Sigebertus ſub anno Chriſti 461, Imperij Leonis quarto.

In perſecutione Chriſtianorũ ſub Hunerichо Vandalorũ rege triſtis & tetra apparuit ſolis imago, ita ut ei⁹ uix tertia pars eluceret, ſine dubio ob effuſionẽ ſanguinis innocẽtis Chriſtianorũ. Gregorius Turonenſis libro ſecundo, capite tertio.

VISIONES.

Præſagia & uiſiones, quæ perſecutionem quã in Chriſtianos mouit Hunerichus proximè præceſſerũt, hoc ordine recitat Victor de perſecutione Vandalica, libro ſecundo. 1. Vidẽs quidã eccleſiã Fauſti ſolito in ornatu fulgẽtẽ, dũ ornatu & fulgore lętatur, ſubitò animaduertit fulgorẽ omnẽ extingui: tenebriſq; ſuccedẽtibus, ingratũ naribus naſci fœtorem, & expelli ab Aethiopibus foràs beatorũ turbã. 2. Vidit eãdẽ eccleſiã presbyter qdã refertã mutitudine innumerabiliũ populorũ: & poſt paululũ hominib. uacuã, impleri porcorũ multitudine, atq; caprarũ. 3. Vidit alius areã triticeã uentilationi præparatam, granis nondum à paleis ſeparatis. dumq; acerui miratur magnitudinẽ, ſubitò coortus turbo, maximo impetu paleas diſpergit, granis remanentibus. Superuenit paulo pòſt procera ſtatura quidam, ſplendido cõſpicuus uultu, habituq; nitido, grana examinans, & pleriſq; leuibus & ſimilagini ineptis abiectis, ex maſſa maxima reliquum faciens aceruum exiguũ. 4. Stabat quidam ſublimius in monte qui Zipenſis dicitur, & dextera læuaq; ſublatis clamabat, Migrate, migrate. 5. Vidit alius cœlo fulminante, ex nubibus ſulphuris ingentes lapides deijci, qui delapſi ardentes in domos paſsim irruerent, atq; homines repertos exurerẽt. 6. Vidit & Paulus epiſcopus arborẽ uſq; ad cœlos ramis florentibus extẽſam, quib. Aphricã totã uidebatur operire. Et cũ oẽs arboris magnitudinẽ & formã admirarẽtur, prodijt alicũde aſinus uiolentus, qui ſupinus adradices eius ceruicem defricans, impulſu ſuo deiecit in terram. 7. Sed & Quintianus uenerabilis epiſcopus, uiſus ſibi eſt inſiſtere altiſsimo cuidam monti, ex quo gregẽ ouiũ frequentiſsimum proſpexit. collocatas aũt in medio gregis, ollas duas uehementer bullientes. Interea dũ gregem aliqui pererrans, occi-

occidẽtes, ouesq; mactatas ollis illis inijciẽtes, donec grex totus absumeretur.

In persecutione eâdem, fœmina quædam Victoria nomine, in tormentis diu distenta, quasi exanimis tandem ab equuleo deposita est. Quæ postea retulit, quandam sibi adstitisse uirginẽ, & singula tetigisse eius membra: quo contactu illicò sanata fuisset. Victor libro tertio.

Ridiculè Nicephorus narrat, archisynagogum inter Iudæos quendam Constantinopoli cum pueris duobus in tumultu cõcitato, perinde atq; is autor eius esset, comprehensum, & crudeliter à uiro consulari excruciatum esse. Eum autem inter tormenta uagi adiuua me: sancte Sergi, tu nosti. Iudices igitur fingere hæc Iudæum suspicatos, adiquites duos candidis indutos stolis apparentes, horis multis illum ab igne intactum conseruasse: multitudinem uerò postremò in flammam insilientem, hominem inde rapuisse. Nicephorus libro decimoquinto, capite uigesimotertio. Cæterùm sermocinationem Leonis cum Maria, uoce tantum & prolixa oratione, cum mandatis de exornãdo templo cui postea fonti nomẽ fuit, ei sese offereti, ut alia pleraq; eius autoris, qui Prophetarum & Apostolorũ scripta magnificarunt *. Nicephorus libro eodem, cap. 25.

SPECTRA.

Cum noctu Gẽnadius ad altare astaret, & preces ad Deum pro mundo funderet, spectrum quoddam dæmoniacum uisum est: quod crucis signo ab eo repulsum, humana uoce ita illi respõdit: Illo quidẽ uiuo se cessurum atq; quieturũ, postea uerò modis omnibus Ecclesiam perturbaturum Nicephorus libro eodem, capite uigesimotertio.

SVB ZENONE.

PRODIGIA.

Zenone imperãte maximũ incẽdium Cõstãtinopoli extitit, qđ in foro æra rio exortũ, uicina loca omnia in cineres redegit, & publicorũ uicorũ porticus & ædes illis impositas absumpsit, ipsamq; basilicam unà cum Bibliotheca, in qua cẽtum uiginti milliа librorũ exposita fuerunt. In ea fuisse perhibetur draconis intestinum lõgitudine pedum centum uiginti, cui aureis literis Homeri poemata, tã Ilias quàm Odyssea inscripta essent, &c. Zonaras tomo 3. sub Zenone.

Iisdem temporibus mulier quædã septem liberos uno enixa est partu, quos in piscina crudelis abiecit. Sigebertus, matrem eam fuisse indicat Agelmundi regis Longobardorũ. Paulus Diaconus uerò libro de gestis Longobardorum, lib. 1. cap. 10. meretricem.

In Minoo Hispaniæ fluuio pisces capti sunt, continentes in squamuis inscripta æra præsentis anni, nimirum quadringentesimi nonagesimiprimi. Sigebertus.

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS EXTERNIS, SIVE *Politicis.*

TANTI potentia & rabies Iudæorum passim à Christianis fracta, & quasi in arctum coacta fuit: tamen habuerunt passim adhuc etiam in celeberrimis urbibus sua hospitia & conuenticula. sicut Augustinus narrat, Iudæos per oẽs terras quâcunq; esse dispersos: libro contra epistolam Petiliani, capite 7. & in Quæstionibus ueteris ac noui Testamenti, quæstione 115. at Chrysostomus in demonstratione contra gentiles, q̃ Christus sit Deus, testatur, ipsos in omnib⁹ ciuitatibus synagogas ædificare, licet rempublicã suã recuperare nõ ualeant.

Antiochiæ, & prope eã, habitarũt hac æta te multi Iudæi: id quod Socrates indicat libro septimo, capite 16.

Alexandriæ quoq; magna frequẽtia fuit, & Cõstantinopoli, ut idem narrat capite 13.

Cretæ etiã. nã cap. 38 Eucherius ait: etiãsi expulsi sunt Israelitæ de Hierosolymis, manẽt tamẽ in alijs ciuitatibus terrę Canaan, & usq; in finem manebunt. libro 2. in Genesin, capite decimosexto.

Fuerunt aũt subiecti Imperatorib. Romanis, & magistratui politico cuiusq; loci: uerùm ita, ut ad nullos honores ac dignitates admitterẽtur, sicut in Dialogo de altercatiõe Ecclesię & Synagogę Augustin⁹ explicat: Tributũ, inquit, soluis, ad Imperiũ non accedis: habere nõ potes p̃fecturã, Iudęũ esse Comitẽ nõ licet, senatũ tibi introire prohibetur, pręfecturam nescis, ad militiã nõ admitteris, mensas diuitũ non attingis.

Subindicat tamẽ Chrysostomus in sermone de natiuitate Iohãnis, eos in Septẽbri solitos sibi magistratus designare, quos appellarunt Archontas.

Malicia aũt incorrigibili ęstuarũt, & præsertim erga Christianos immani & irrecõciliabili odio flagarũt semper. unde Chrysostomus homilia 44. in 12. Matthęi sic scribit: Quare si aliquo modo modestius nũc degere uidẽtur, formidine principiũ id simulãt. quę si nulla esset, crudeliora quàm antea unquã facere auderẽt, cũ omni prauitate atq; malicia priscos nimiũ antecedãt, maleficas artes atq; magicas, petulãtiã, audaciam, cæteraq; uicia supra modũ colẽtes. & quãuis tãto freno coherceãtur, sæpenumero tamen in Principes cõspirarũt, & in extremas inde calamitates inciderunt.

Alexandriæ ſubinde tumultus excitarũt, & Cainico prorſus odio & cędibus Chriſtianos perſecuti ſunt: qua de re etiam ſuprà de perſecutione diximus, quæ tamen hoc in loco breuiter repetenda ſunt. Diebus ſabbati, quo ocium aliàs agere conſueuerant Iudæi, non iam amplius religioni, ſed theatris & ſaltationibus uacabant. ibi leui occaſione exorta eſt cõtentio cũ Chriſtianis: quam prędfectus Oreſtes, ut potuit, pacauit. Paulo pòſt, Oreſte quædam politica decreta promulgante, Iudæi Hieracem docẽtem bonas literas, qui audiẽdi gratia, qualia edicta promulgarentur, acceſſerat, exclamant eſſe proditorem, à Cyrillo ſubſtitutum. & cum præfecti impij, utpote Ethnici, animũ haberent prędcognitũ, Hieracẽ apprehẽſum Oreſti ſiſtũt: qui arreptum, mox tormẽtis crudeliſsimè, ſpectantibus omnibus ſubijcit. Cyrillus re cognita, Iudęorũ primores admonet, ne tanta crudelitate in pernicię Chriſtianorũ omnia molirẽtur: additis minis, ni abſtinerẽt. Iudæi aũt magis irritati hac admonitione epiſcopi, cõſilia agitare incipiũt quomodo Chriſtianis quàm plurimũ damni inferre poſsint. ac tãdẽ ſtratagemate inuento, nocte intẽpeſta per plateas curſitãdo uociferãtur, tẽplũ qđ Alexandri nomẽ habebat, ardere. Chriſtiani hoc clamore exciti, ꝓperè ad extingendũ incendiũ accurrũt. ibi latrones iſti in inermes faciũt impetus, maximãq; Chriſtianorum ſtragẽ edunt. Orto die, cõniuẽte Oreſte, qui iniquus erat Cyrillo, uti fieri ſolet, ut à quo propter conatus iniuſtos aliaq; peccata ſępe reprehẽdebatur: Cyrillꝰ patitur multitudinẽ, frementẽ propter propinquorum amicorũ interemptionẽ, in ſynagogas Iudaicas irruere, omniaq; diripere. quo qdẽ tumultu quidam ex Iudæis rurſus etiam occiduntur: ſed qui remanſerunt, ad unũ omnes ciuitate ſunt eiecti, tali pacto, ne deinceps in eã reuerterentur. Præfectus eam rem celeri nuncio Imperatori perſcribit, nihil aliud dolens, quàm tot hominibus eam urbẽ priuari. uerùm Cyrillus quoq; atrociſsima Iudęorũ ſcelera, quibus eam expulſionẽ cõmeriti fuerant, exponit. ac deinde Oreſtem, ut hoſtilẽ erga ſe & Chriſtianos animũ mitiget, ſollicitat: uerùm fruſtra. Quæ quidẽ pertinacia plus periculi Oreſti peperit, ut ſuo loco exponitur. Hac igitur ratione Iudæi urbe chariſsima, quam inde uſq; à temporibus Alexandri Macedonis incoluerãt, pulſi ſunt. Adamantius tamẽ quiſpiã ex Iudęis, Chriſtianã amplexus fidẽ, eò reuerſus eſt, medicam artem exercens: ut refert Socrates libro 7, capite 13.

Narrat idẽ, quomodo diabolico quodam facinore Iudęi maliciã ſuã extremã prodiderint in quodã loco, quẽ Inmeſtar uocant, inter Chalcedonẽ & Antiochiã Syriæ. Nã cũ ibi ludicra agerent, & poculis indulgerẽt Iudęi, nõ tãtũ Chriſtianos & ipſum Chriſtum horrẽdis ludibrijs & cõuicijs exagitant: ſed etiam erecta cruce, miſellum puerum Chriſtianũ ui apprehenſum, in eã crucẽ ſuſpẽdũt, ludificãtur, & tamdiu uerberãt, donec expiraret. Hinc inter Chriſtianos & ipſos cõflictus exoriuntur. tãdem Imperatores re cognita, de autorib. ſceleris graues ſumi pœnas mãdant. Hoc pacto etiam eo in loco nonnihil caſtigati & debilitati ſunt Iudæi.

Subinde tamẽ Imperatorũ animos quibuſcunq; potuerunt artibus, ſtuduerunt ſibi conciliare Iudæi: cuius rei & hoc eſt argumẽtum. Neſcimus qua arte Iudæorum circumuentus Theodoſius, Antiochenis mandat, ut Iudæis ademptas ſynagogas reſtituant. Sed heremita celebris eo tempore Symeones, ad Imperatorem magna parrheſia literas mittit, quibus eum dehortatur, ne tantopere crucifixoribus Chriſti indulgeret, ne'ue Chriſtianos ad tam impia permittenda cogeret. Huic ſcriptioni Theodoſius locum relinquens, edictum ilicò retractauit, eaq; ratione Iudæorum conatus fuit impeditus: ut Euagrius narrat libro primo, capite decimotertio.

Dederunt quoq; ſuæ impietatis graues pœnas Iudæi in Creta. nam pſeudoMoyſes quiſpiam, integro anno circuiuit, Iudæos excitans atque adhortans, ut de reſtauranda ſua republica animos ſuos excitarent: ſeſe enim ipſos per mare, non aliter quàm Moſes olim factitarat, traducturum. Iudæi, ut erant dementati, in magnam ſpem eriguntur: conuocant ſuos omnes, quoſcunque poterant. Die præfinita miſeros homines, comitante mulierum & liberorum ſuorum multitudine, ille pſeudopropheta in præruptum locum educit: ibiq; eis promittit, ac ſuadet ut in mare inſilientes, tantum ad eam natent, poſtea ipſos tutum iter habituros. Inſiliunt plurimi, faſcinati eius largis promiſsionibus: ſed alij merguntur & pereunt in aquis, alij à piſcatoribus caſu interuenientibus ex undis extrahuntur. ac plures ſecuturi fuiſſent, niſi, qui uix liberati fuerant, reuertentes ad reliquam multitudinem, periculum & interitum aliorum expoſuiſſent. Interea uerò dum iſta geruntur, propheta euanuerat, nec potuit explorari quò peruenerit. Quam ob cauſam non abs re iudicatum eſt, fuiſſe cacodæmonem Alaſtora, qui permiſſu Dei miſeram illam turbam ludificatus ſit, & multos morti tradiderit. Socrates libro ſeptimo, cap. 38.

CAPVT

CAPVT XV.

DE ALIIS RELIGIONIBUS extra Ecclesiam.

DE IVDAISMO

IVDAEI passim dispersi suos etiam errores circumferebant, & ceremonias Mosaicas obseruabant: licet subinde aliqui ad Christum conuerterentur. Augustinus libro decimoseptimo de ciuitate Dei, capite septimo.

Capita autem doctrinæ, quæ in superioribus ætatib. ꝓfessi sunt, etiã nũc retinuerũt.

DE SCRIPTVRA.

¶Iudei, præter Scripturas legitimas & ꝓpheticas, quasdam habent traditiones suas, non scriptas: sed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quam Deuterosin uocant. Augustinus libro secũdo contra aduersarium legis, capite primo.

Librum Sapientiæ, Ecclesiastici & Thobiæ, non recipiebãt. Augustinus in Speculo.

Lectionem legis & prophetarum negabãt ad Christianos pertinere, ꝓpterea quòd noua sacramenta seruarent, & circũcisionẽ negligerẽt. Augustin. lib. cõtra Iudęos, ca. 2.

Libros noui Testamenti non legebent in suis synagogis. Augustinus libro contra epistolam Petilanij, capite sexto. Talmud ita amplectebãtur, ut eos morte multarent, qui aliquid negarẽt de ijs quę in eo cõtinentur. Nauclerus generatione decimaquarta.

De Deo

Deum creatorem cœli & terræ colendũ iudicabant: ac detestabantur idola & sacrilegia gentium. Augustinus libro de unico Baptismo, capite tertio.

De filio Dei.

Filium Dei negãt: ideoq; Christianis obiciunt, quòd plures Deos colant. Augustinus libro quinto de hæresibus, capite primo.

De Messia.

Negant Messiam moriturum. Sedulius, in primum caput ad Romanos.

IESVM Christũ negãt esse Messiam à Deo promissum: idem ibidem.

Negabant Messiam uenisse, & natũ, passum, mortuum, & resuscitatum esse. Augustinus libro de unico Baptismo, contra Petilianum, capite tertio: & libro contra Iudæos & paganos, capite duodecimo.

De IESV Christo.

Christum se nescire, interrogati de Scripturarũ uoce, respondebant. Eucherius libro primo in Genesin, cap. 32.

Vnus est nobis Deus pater: ipsum, nõ aliũ nouimus. Illũ uerò quẽ dicitis Christũ, patres nostri nõ Deũ, sed hominẽ occiderunt. Augustinus libro quinto de hæresi, capite quarto: & Sedulius in 1. cap. ad Romanos.

Christũ magicis artibus miracula edidisse asserebant. Augustinus libro contra Iudęos & paganos, capite 17.

Christi Deitatem negabant: Innocentius in epistola uigesima ad Laurentium.

De creatione.

Deum fecisse cœlum & terram credebãt. Augustinus libro de unico baptismo, cap. 3.

Deum primo homini, aiunt in Deuterosi, duas creasse mulieres. indeq; texunt genealogias infinitas, & infructuosissimas parientes quæstiones. Augustinus lib. 2. cõtra aduersarium legis, cap. 1.

De lege.

Iudæi in eo se iactitant, & putant legis habere noticiam, si nomina teneant singulorũ: quæ quia barbara sunt, & etymologias eorũ nõ nouimus, plerũq; corruptè à nobis proferuntur. Sedulius in 3. cap. ad Titum

De Gentibus.

Promissiones ad Iudæos, & non ad Gentes pertinere, asserebant. Augustinus libro contra Iudæos, cap. 7.

De Christianis.

Persuasum habebant, se pietatis opus facere, si autores essent, ut quàm plurimi uiri Græci, scilicet Christiani, occũberent. Synesius epistola quarta.

De traditionibus.

Peccatũ ducebant, si diebus festis laborarent. nam Synesius narrat epistola quarta, nautam Iudæum in die parasceues dimisisse clauũ è manibus: nec potuisse stricto gladio à quodam adduci, ut nauem gubernaret: sed tandem sub mediam noctem dixisse, Nunc lex permittit, quoniã nunc manifestè cursum pro anima dictum currimus.

De extremo die.

Futurum in extremo die expectabant iudiciũ. Augustinus de unico baptismo, cap. 3.

De resurrectione.

Carnis resurrectionem concedebant. Augustinus libro de unico baptismo, cap. 3.

De uita æterna.

Vitam sperabant æternam. Augustinus libro de unico baptismo, cap. 3.

DE RITIBVS ET CEREmonijs Iudaicis.

DE FESTIS.

ERat dies quam Iudæi celebrãt, Parasceuen dictam. noctem autem cũ sequenti die cõputant, in qua nulli fas est manus labore occupari: sed honorantes eam excellenter ocium agũt. Synesius epistola quarta.

Pentecosten à Iudæis non rectè obseruari, Hesychius indicat, libro sexto in uigesimũ tertium caput Leuitici.

In solẽnitate scenopegiæ suos magistratus, quos uocabant Archontas, designabãt,

& lucernas multas accendebant, propterea quòd Abraham eo die conceptus dicatur. Chrysostomus in sermone de natiuitate Ioannis baptistæ.

De circumcisione.

Gens Iudæorũ, siue sub Paganis siue sub Christianis regibus constituta, tamen signũ legis & circumcisionis obseruauit. Eucherius lib. 1. in Genesin, capite 32. & Primasius in 2. cap. ad Romanos.

De moribus Iudæorum.

Omnem religionem in dogmatum ratione ponebant, sanctam uerò conuersationẽ negligebant. Chrysostomus homilia uigesimaquinta super Matthęum, tomo secundo. Magicas & maleficas artes colebant. Petulantes & audaces erant, & priscos suos prauitate & malicia uincebant, & dæmonũ domicilium erant. Idem homilia 44 super Matthæi caput 12. Apud Christianos cibis cõmunibus nõ utebantur, metuentes inquinationem. Canone 40. concilij Agathensis, & Canone 12. concilij Venetici.

DE REGIMINE ECCLESIASTICO *Iudæorum.*

HAbuerũt suas adhuc synagogas, quas eis Imperatores à Christianis adimi nõ sinebant: ut patet ex Theodosij historia, qui Iudæis Antiochenis synagogam ademptam restitui sanxit. Nicephorus libro decimoquarto, capite 51. & C. lege 6. de Paganis & sacrificijs.

Doctores suos Rabinos appellabant. Ac narrat Nauclerus generatione 14. duos rabinos, nimirum Rabinam & Rabassam, cum uidissent legem suam indies deficere, & fidẽ Christi proficere, consensu omnium Iudæorum Talmud librum maiorem decem Biblijs, plenum inextricabilibus mendacijs, contra omnem legem diuinam, naturæ, & Scripturam sacram, conscripsisse: ac sub pœna capitis edictum, ne quis neget quicquã eorum quæ in eo dicantur. Factum sub Honorio, anno Domini 402. Licet Picus ad Commodi imperium, & annum Domini circiter 182. aut paulo amplius referat, in Annotationibus suis.

PER QVOS ET QVOMODO *Iudaismus expugnatus.*

IVdæos refutarunt pleriq; doctores huius seculi. nam Augustinus scripsit tres libros contra eos. Idem libro quinto de Hæresibus, pleraque capita opinionum Iudaicarum refutat. Idem præstat in libro contra Iudæos & Paganos & Arianos. Cyrillus passim eos refutat in libro Dialogorum, de adoratione in spiritu. Chrysostomus etiam passim eos insectatur in Homilijs, & libris suis.

Contra assertionem, quòd Iudæi habeant etiam Scripturam sacram, ac eam legant, Hesychius inquit: Labor Iudæorum, quem in diuinis Scripturis ostendunt, incumbentes traditioni literæ, incassum consumitur, qui plenè non possunt lege secundum literam uti, ablato loco in quo litera omnem diuinum cultum legis concluserit. libro septimo in uigesimumsextum caput Leuitici. Et paulo pòst: Nullus est in Iudæis intellectus, nihil Dei seruitio dignum cogitare cõsueuerunt: sed sicut iumenta in modum frẽni, stultis propositionum traditionibus ducuntur.

Contra assertionem, legem & prophetas non pertinere ad Christianos, quia non obseruent ceremonias, Augustinus libro contra Iudæos capite secundo inquit: Hæc fuerunt umbræ futurorum, teste Apostolo: & significabant suo tempore reuelanda, quæ nos reuelata suscepimus: ut remota umbra Iudæorum, luce frueremur. Et capite tertio monet, Christi impletione signa illa esse mutata: idque indicatum esse titulis psalmorum, pro his qui immutabuntur, Psalm. 44. & 68.

Contra assertionem, Messiam non esse filium Dei, Augustinus disputat libro quinto de Hęresibus, capite quarto: & multis testimonijs probat, Messiam fore filium Dei. Idem facit libro contra Iudæos & Paganos, capitibus undecimo & duodecimo, & sequentibus.

Contra assertionem, Iesum arte magicã miracula fecisse, pugnat Augustinus libro contra Iudæos & paganos, capite decimoseptimo.

Opinionem, promissiones ad Iudæos tantum pertinere, refutat Augustinus libro contra Iudæos, capite septimo. Et probat, non Iudæos secundum carnem esse ueros filios Israel, sed fideles Christianos: dicto Esaiæ 2. Et octauo capite allegat dictum Esaiæ, Dimisit plebem suam. Et capite 9. citat Malachiæ 1: Non est mihi uoluntas in uobis. Idem facit Hesychius libro sexto in 21. caput Leuitici, allegans dictum Oseæ 2: Filijs eius non miserebor, quia filij fornicationis sunt: quia fornicata est mater ipsorum.

Imperatores, etsi Iudæos esse passi sunt, tamen legibus cauerunt, ne quenquam, pœna proscriptionis omnium bonorum, & perpetui exilij, hominem Christianæ fidei circumciderent. lege 15. C. de Iudæis. Item, ne celebrantes sua solennia, quidquam in contemptum Christianę religionis agerent. lege 10. Cod. eodem. Morem etiam eorum in matrimonijs abrogauit, & in Christianũ commutauit Theodosius, Arcadius & Honorius, lege sexta, Cod. eodem.

DE GENTILIVM RELIGIONE.

ETsi paulatim Gentiliũ ſuperſtitiones, Dei beneficio, per ſinceros doctores & magiſtratus Chriſtianos abolebãtur: tamen multorum locorũ mentio fit in hiſtoria huius ſeculi, ubi adhuc illa peſtis graſſata eſt, quæ ordine enumeramus.

ETHNICISMVS *per Aſiam.*

In Terebintho. Nam Eucherius libro ſecundo in Geneſin, capite decimoſexto, eum locum ſuperſtitioſè coli refert à uicinis gentibus, propter Abrahamum, qui quondam iſthic angelos hoſpitio exceperit.

In Phœnicia. eò enim Chryſoſtomus miſit, qui lucos & ſimulachra ſubuerterent. Theodoretus libro quinto, capite uigeſimonono.

Tyrij Herculem uenerati ſunt. Theodoretus libro octauo, de martyribus.

Antiochię. ibi enim in luco Daphnes ſpectacula exhibebantur à gentilibus. Nicephorus libro decimotertio, capite trigeſimo: & libro decimoquarto, capite uigeſimoquinto & uigeſimoſexto.

In Lycia. nam Theodoretus libro tertio de Dijs inquit: Solymos audio, Lycijs propinquos, Saturnum uenerari.

In Græcia. ubi manu factas imagines adorati, Theodoretus indicat lib. 3. de Dijs.

Athenis & Spartæ Herculem coluerunt. Theodoretus lib. 8. de Martyribus.

Carthis Paganos fuiſſe, & ſacrificaſſe, patet ex hiſtoria Danielis & Ibæ, in actis ſynodi Berytenſis.

In Perſia. Iſdigerdes enim Perſarum rex, ignẽ in domo quadã perpetuò ardentem adoraſſe dicitur: apud Socratẽ lib. 7. cap. 8.

GENTILISMVS PER *Africam.*

Alexandriæ. nam iſthic Oreſtes prefectus, & idolorum ſacerdos fuit. Nicephorus lib. 14. cap. 14. & 15.

Carthagini. iſthic enim adhuc ædes Memorię, & theatra fuiſſe, teſtatur Victor libro primo, & tertio.

Madaurenſium ciuitatem idololatrã eſſe, indicat epiſtola 43. apud Auguſtinum.

In pleriſq; locis maritimis Africæ, atq; in poſſeſſionibus diuerſis idolomaniam exerceri, teſtãtur patres in Africani cõcilij ca. 25.

PER EVROPAM.

Idololatriã Herculis etiam in Europã ſparſam eſſe, Theod. lib. 8. de Martyrib. indicat.

In Græcia. nã addictorũ Græcæ ſuperſtitioni crebrò meminit Nicephorus, libro 13. cap. 7. 19. & 36. & li. 14. cap. 26: & lib. 15. ca. 22.

Conſtantinopoli etiam ueſtigia quædam remanſiſſe, ex eo apparet, quòd Optatus eius urbis præfectus Gentilium ſuperſtitiones profeſſus dicitur apud Nicephorum, libro 13. capite 23. Et poſtea ab Attico multi à Græca ſuperſtitione conuerſi dicuntur. libro 14. cap. 12.

Romæ etiam reliquias Gentiliſmi fuiſſe, apparet ex ſpectaculis publicis, & monomachia, quæ Honorius abrogauit. Nicephorus libro decimotertio, capite primo. Et quòd Rhadagiſo Scytha Italiam uaſtante, Pagani paſsim in Italia, ac etiam Romæ uociferati ſunt, propter deorum ſuorum neglectum cultum, eiuſmodi calamitates accidere. Sigebertus in Chronico, & Nauclerus generatione 14. Auentinus libro ſecundo: Roma ab Alarico capta, multi gentiles Chriſtianiſmum ſimulantes, & in templa eorum confugientes, manus hoſtium euaſerunt.

Tridenti. nam Vigilius in ualle unde flumen Sarcha profluit, æreum Saturni ſimulachrum fregit, & in fluuium coniecit. autor uitæ eius.

In Saxonia. Vuittigerum enim Saxones Paganos in ſubſidium uocaſſe, teſtatur Henricus de Erphordia in Chronico.

CAPITA OPINIONVM *Gentilium.*

DE LIBRIS EORVM.

¶ Sanchoniathon Berytius, Phœnicum Theologiam conſcripſit: Philon uerò, non Hebræus homo, ſed Biblius, eã in Græcũ idioma tranſtulit. Sanchoniathona aũt Porphyrius ualde admiratur, ac laudat. Manethus præterea, & Iſidis, & Oſiridis, & Apidis, & Serapidis, aliorũq; deũm Aegyptiorum fabuloſa geſta conſcripſit. Mundi geniturã Siculus Diodorus. Quid enim narrem Aſcræi poetæ Theogoniam, cum ne adoleſcentulis quidem ea ignora ſit? Orpheus, homo Thracius, ab Odryſia, Græcis tradidit Aegyptiorum myſteria. Cadmus autem Phœnicum, Cornutus philoſophus infidelium Græcorum theologiam compoſuit. Theodoretus lib. 2. de principijs.

Librorum paganorum in quibus Hyle, id eſt materies rerum frequẽtetur, Auguſtinus lib. 20. cap. 14. contra Fauſtum meminit.

De *ſacra Scriptura.*

Sacram Scripturam, ut barbaram traducebant, & aſpernabantur. Theodoretus lib. primo, de fide.

De *Deo.*

Alij, ut Diagoras, Theodorus, Euemerus (teſte Plutarcho) nullum omnino Deum eſſe opinati ſunt. Theodoretus libro ſecundo de Principijs.

Protagoras ait: De dijs quidẽ neſcio ſanè utrũ ſint, aut quo pacto nõ ſint: neq; quali idea ſint, prſus ſcio. Theod. li. 2. de principijs.

Simulachra pro dijs uenerabantur. Theodoretus libro primo de fide.

Anaxagoras primus mentem mundo insediſſe, unamq; hanc elementa de confuſione in ordinẽ diſpoſuiſſe dixit: cum ſuperiores Philoſophi nihil ultra materiam, præterquam ea quę oculis uidentur, excogitaſſent. Pythagoras autem principium rerum Monada, hoc eſt unitatem eſſe dixit: Theodoretus lib.2. de principijs.

Plato, deos in tempore genitos ait fuiſſe, atq; gignẽdos eſſe. Theod. li.2. de principijs.

Stoici affirmarunt, Deum eſſe corpore præditum. Theod. libro ſecundo de principijs, & tertio de Dijs.

Aegyptij, Phœnices, Greciq;, ſolem, lunã, tellurem, ſtellas præterea, ipſaq; elementa inter primos ſuos deos repoſuerunt. hoc enim & Plato, & Siculus Diodorus, & Chero næus Plutarchus tradiderunt. Subſecutis uerò temporibus, eos quoq; qui humanum genus beneficio aliquo affeciſſent, aut qui fortiter in bello pugnaſſent, qui'ue terrę colẽdæ rationem aliquã inueniſſent, infirmisue corporibus ſalubrem attuliſſent curationem, hos delubris extructis in deorũ numerum retulerunt. Theodoretus libro tertio de dijs & augurijs: ubi eiuſmodi deorum aliquot recenſentur, ut Saturnus, Rhea, Iupiter, Iuno, Hercules, Aeſculapius, Apis, & alij quàm plurimi. Hos autem ritus cum Romani à Græcis perdidiciſſent, ſuos Imperatores uita perfunctos diuinitate dignos habuerunt. Neq; ſolùm eos Imperatores, qui legitimè regnantes iuſticiam coluerunt: ſed qui per tyrannidem, iniuſticiam, præterq́ue fas imperium gubernarũt. Neronem enim, qui ad omnem ſpeciem laſciuiæ iniquitatisque abundè progreſſus eſt: Domitianum præterea, & Commodum, ſæuiſsimosq; alios & ſceleſtiſsimos homines, deorum ſuorum catalogo adiunxerunt, ſecundamque hanc ſpeciem deificationis homines excogitarunt. Tertiam uerò illi commenti ſunt, qui fidem Poetarũ fabulis habuerunt: quibus tamen & Plato in Timæo credi adhortatur, qui Athenienſis populi metu adductus, populari errore implicitus permanſit. Eſt uerò & quarta amplius ſpecies, extremę cuiuſdam inſaniæ furoriſque pleniſsima. Quam enim patientem animæ uim appellant, expertemq; rationis, quamq; rationis imperio ſubijci adhortantur, hanc ſtulti gẽtiles Græci deificant: uimq; concupiſcendi Venerem, Cupidinemq; appellant: Martem uerò, ipſam iraſcentię uim: tũ ebrietatẽ Dionyſium uocant, id eſt Liberum patrem.

Fortunam quidam opinati ſunt eſſe deã, eiq; diuinos honores tribuerunt. Theodoretus libro quinto de natura hominis.

Herculem, & Aeſculapium, Machaonem & Pæonem, & Bacchum, etiam num Græcos colere, Theodoretus libro octauo de Martyribus indicat.

Pecuniam pro dea cultam, Auguſtinus libro quarto de ciuitate Dei, capite primo & 21. indicat.

De Trinitate.

Negabant uerbum Dei & Spiritum ſanctum ex Deo prodire, & cũ Deo eſſe. Theodoretus libro ſecundo de principijs. Et doctrinam de Trinitate blaſphemabant: & Deum patrem partim negabant, partim de eo falſa fingebant. Auguſtinus libro expoſitionis epiſtolæ ad Romanos.

De filio Dei.

Deum negant habere filium, quia nõ inierit coniugio. Auguſtinus lib. 5. de hæreſibus, capite 3.

De Ieſu Chriſto.

Ieſum Chriſtum per contumeliam Fabri filium uocabant: ut eſt apud Theodoretum lib.5. capite 39.

De dæmonibus.

Aegyptij, dæmones deos fecerunt: magicasq; impoſturas ab eiſdem perdocti ſacrificijs, alijsq; ritibus coluerunt. Theodoretus lib.3. de dijs & augurijs.

Heroes.

Heroes ſemideos, & in numerum deorũ relatos, colẽdos iudicabant expiationibus, & libaminib⁹. Theodoret. li.8. de Martyrib.

De anima.

Alij immortalem, alij mortalem animam dixerunt: alij mixtum quiddam, nimirum ex parte mortalem, & ex parte immortalẽ. Theodoretus libro primo de fide.

Alij animam è corpore ſolutam credebãt interire, alij eam durare aliquandiu: & bonorum uirorum animas ſuperfore uſque ad conflagrationem mundi: ſtultorum uerò hominum nõ tam diu ſupereſſe. Theodoretus lib.5. de natura hominis.

De creatione.

Mundum alij animatum, alij inanimatũ: alij ingenitum, alij genitum: alij ex terra, alij ex materia, alij ex atomis confectũ eſſe ſenſerunt. Theodoretus libro primo de fide. Alij quaſdam mundi particulas, ut malas uiperabant. Idem lib.6. de Prouidentia:

Cœlum & ſolem impaſsibilia uocabant, & ſtellas immortales eſſe iudicabant. Theodoretus in homilia quæ extat in tomo Conciliorum pag.597.

De homine.

Hominem alij è terra erupiſſe, alij è ſerpentinis dentibus prodijſſe putabant. Theodoretus lib.5. de natura hominis.

De libero arbitrio.

Alij iuxta Platonis ſententiam ſenſerunt, homi-

hominem habere liberum arbitrium : alij iuxta Stoicos dixerunt, hominē neceſsitatis & fati eſſe ſeruum , agiq́ue Parcarum filis protractum : ac pendēre omnia quæ agat, de ſupremo cœli rotatu , ſiderumque congreſſu. Theodoretus libro quinto de natura hominis.

De peccato.

Alij iuxta Platonem aſſerebant, Deum non eſſe autorem & cauſam malorum : alij uerò, etiā mala Deo imputabāt. Theodoretus libro primo de natura hominis.

De Euangelio.

Nihil de Euangelio nouerunt: ſed ſicut Chriſtū, ita & beneficiū eius aſpernati ſunt.

De iuſtificatione.

Exiſtimabant quidam, ſe ab alijs ſaluos fieri, etiamſi propriæ ſalutis curā abijcerent. Theodoretus lib.6.de prouidentia.

Dei ſapientiam de diuinæ diſpenſationis myſterijs, & ſaluando genere humano per fidem in Chriſtum, damnabant, & reijciebant. Theodoretus ibidem.

Deos ſuos poſſe dare uitā æternā ſomniabāt: Auguſtinus lib.6.cap.1.de ciuitate Dei.

De bonis operibus.

Bonis operibus animas purgari exiſtimabant. Theodoretus libro decimo, de oraculis, ac eum qui frugi, temperatusq́; ſit, Deo charum & ſimilem eſſe. idem libro duodecimo de uita actiua.

De ſacrificijs.

Sacrificijs non modò animalium, ſed etiam hominum, putabant deos ſuos honorari. Theodoretus lib.7.de ſacrificijs.

De oraculis.

Oracula magni faciebant, utpote deorum reſponſa. Theodoretus libro decimo de oraculis. Ac Attalus multum diuinationib. ſuis confiſus eſt, de Africa occupanda: ut patet ex Sozomeni libro nono, cap. 8.

De ceremonijs.

Aris, delubris, ſimulachris, uictimis, atq; incenſo Deum colendum putabant. Auguſtinus cōtra Fauſtum, lib.20.capite tertio.

De coniugio.

Quidam, iuxta Platonis ſententiam, maſculam Venerem pręferebant conſuetudini uxoriæ: & ἀφροδισιάτας beatiſsimos, tum in hac, tum in altera uita iudicabant. Theodoretus lib.9.de legibus.

Alij, iuxta eundem, ſentiebant uxores cōmunes eſſe debere. Theod. ibidem.

Alij, iuxta Epicurum & Democritum, nuptias & liberorum procreationem damnabant. Theodoretus libro duodecimo, de uita actiua.

Alij, iuxta Stoicos, coniugia & liberorum ſuſceptionē pro adiaphoris habebāt. Theodoretus lib.12.de uita actiua.

De calamitatibus.

Iuxta Platonem quidam eos feliciſsimos iudicarunt, qui patiantur iniuriam: miſerrimos uerò, qui damnis alios afficiant. Theodoretus lib.8.de Martyribus.

De aſtrologia.

Dæmonibus aſtrologiam, magis quàm diuinam præſenſionem tribuebant. Theodoretus libro decimo, de oraculis.

In rebus agendis dies & menſes, & annos & tēpora, ab aſtrologis & Chaldæis notata obſeruabāt. Auguſtinꝰ in 4.cap.ad Galatas.

De morte.

Mortem eſſe bonā, ſecundū Platonē, aliq́; iudicarūt. Theodoretus lib.11. de iudicio.

Sanctorum animas, cum extra corpus hoc ſint, curare hominū negocia, quidam ſecundū Platonē ſomniabant. Theodoretus lib. 8. de Martyribus.

De martyrum reliquijs.

Reliquias martyrum nihili fecerunt, exiſtimantes ſe inquinari, ſi ad eorū ſepulchra accedant: in quo ſolo rectius ſenſerūt, quàm quidā ſuperſtitioſi Chriſtiani. Theodoretus libro octauo de Martyribus.

De mortuorum apparitionibus.

Animā quādā ab inferis reuerſam, narraſſe omnia quæ iſthic uidiſſet, Plato aſſerit, teſte Plutarcho. Theodoretus li.21.de iudicijs.

De inferno.

Alij iuxta Deiphilum & Platonem ſenſerunt, impios in tartarū deijciendos, unde nūquā ſint emerſuri: ita tamē, ut ſint pœnarū gradus, & atrocia delicta grauioribus ſuppliciis afficiantur: ac iudicē inferorū eſſe Rhadamantū. Theodoretus lib.quinto de natura hominis, & libro decimo de oraculis, & libro undecimo de iudicio.

De uita beata.

Plato bonis poſt mortē Inſulas fortunatas deſtinat. Theod.lib.11.de iudicio.

DE REGIMINE SACRO, *& ritibus Gentilium.*

DE SACERDOTIBVS.

SAcerdotū officiū erat, ceremonias atq; orgia ritu legitimo exequi. Theodoretus lib.primo de fide. Item baptizare. Auguſtinus libro ſecundo contra Creſconium.

Magiſtri ſacrorū tenebant rationē rerum quæ in myſterijs fiebant, ac ijs ſolis edīſſere bant quos idoneos approbarēt. Theodoretus ibidem.

Pontifex Romanus ludos ſcenicos inſtituit. Auguſtinus de ciuitate Dei lib.2. cap. 8. Flaminis idem meminit lib.eodem, cap.15.

Quales uerò fuerint miniſtri ſacrorum, Auguſtinus in hunc modum refert, in libro Quæſtionum ueteris & noui Teſtamenti, Quæſtione 114: & Pagani myſteria ſua in tenebris celebrāt. In tantum enim caſtitatem execran-

execrantur, ut etiam cynædis delectentur, magisterio eorum subiecti: qui nisi tales fuerint, idonei non erunt ipsi (si dicendum est) religioni. Propterea enim abscindũtur, & habitum immutant, ut de uiris quasi fœminæ fiant, & circa naturam subiecti muliebria patiantur, & tunc demum apti & digni sint ministri superstitionis illorum. Nam mysteria legis eorum sine cynædis celebrari non possunt. Idem paulo pòst dicit, alios alas percutere, uocem coracis imitantes: alios leonum more fremere: alios ligatis manibus intestinis pullinis, proijci super foueas aqua plenas, accedente quodã cum gladio, & irrumpente intestina supradicta, qui se Liberatorem appellet.

De Scholis.

A Pelidæ Achillis indignatione studiosi adolescentes in scholis auspicabantur literarum initia, ac solebant ijs prælegi poetæ, oratores & philosophi. Theodoretus libro primo de fide.

De templis.

Alexandriæ in tẽplo Serapidis quadriga ferreat, nulla basi suffulta, nullis uncis infixa parietibus, colligata in aere pendebat. Sed eam machinam magnes cameræ affixus sustentabat, quo subtracto tota corruit. Prosper in tertia parte promissionum & prædictionum Dei, promiss. 38.

Fana in lucis à fando nomen sortita sunt, quia dæmones ibi consulti responsa dabãt uoce, & nõ signis. Eucherius in 4. lib. Reg.

Ingredientes in templa cauebant, ne sibi mortuum corpus occurreret: inquinari enim eo sese arbitrabãtur. Cyrillus libro Dialogorum, de adoratione in spiritu.

Custodes templorum æditui erant. Augustinus de Ciuitate lib. 6. cap. 7. Meminit etiam æditui Atticorum dæmonũ, Synesius epist. 32.

DE RITIBVS QVORVNdam simulachrorum.

Solymi propinqui Lyciorũ Arsalũ, eiusq; socios, à Saturno sublatos, duros ac difficiles deos appellãt: ac in eorũ honorẽ imprecationes, dirasq; tũ publico tum priuato ritu instituerunt. Theodoretus libro tertio de dijs & augurijs.

In Cereris festo muliebrẽ pectinẽ, hoc est pudẽda mulieris, diuino honore dignũ mulieres initiatæ habebant. Theodoretus lib. 3. de dijs. ac cãtabant ei Iulũ. Theodoretus lib. 4. de mundo & materia.

Rheæ cantare solebãt Lytiersan, Baccho Dithyrambum, Pythio Apollini Pæana, Dianæ Hypoepum. Theodoretus libro quarto de materia & mundo.

Herculi aras extruxerunt, & templa, & sacrificia obtulerunt, & dies festos dedicarũt, & ludos & certamina quarto quoq; anno. Theodoretus lib. 8. de martyribus.

DE IMAGINIBVS QVOrundam deorum.

VEneris figurã nudo corpore, sine palla & zona, ut præsidem & magistram scortorum, statuarij, & sculptores faciebãt. Theodoretus lib. 3. de dijs.

Europen tauro insidentem pictores pingebant, fabri conflabant, marmorarij cælabant. Theodoretus lib. 3. de dijs.

Priapum exigua statura, sed exporrecto uirili membro in longum, faciebant. Theodoretus lib. 3. de dijs.

Liberi patris phallum, hoc est distentum ueretrum erat. Theodoretus lib. 3. de dijs. ac pingebatur ubiq; cum Priapo. Augustinus libro Quæstionũ ueteris & noui Testamenti, quæstione 114.

Imagines deorum aliæ reptiles, aliæ quadrupedes animantes referebant, & simulachra uespertilionum & murium adorabantur. Theodoretus lib. decimo de oraculis.

De initiationibus.

Gentiles in initiationibus & sacramentis idolorum sibi cauteria & ustiones infligere, Sedulius refert in primum caput ad Romanos, & Saluianus in idem caput ad Rom.

Aspersionum Paganorum meminit Helychius libro secundo in sextum caput Leuitici. Baptisationum meminit Augustinus lib. 2. contra Cresconium.

Paganos cincinnos nutrire, & caput puerorum dæmonibus offerre, Helychius indicat in 19. caput Leuitici, lib. 6. & Theodoretus quæstione 28. in Leuiticum.

De festis.

In festis conuiuia dijs celebrabantur: ut Ioui Pandia & Diasia, Iunoni Heræa, Mineruæ Panathenæa, Baccho patri Dionysia, Cereri Eleusynia & Thesmophoria, Apollini Delia & Pythia, Mercurio Hermæa, Neptuno Posidonia, Herculi Heraclea, Aesculapio Asclepia & Panacia. Theodoretus lib. 7. de sacrificijs. Hyacintho Hyacinthia: idem lib. 8. de martyribus.

Fugaliorum meminit Augustinus de Ciuitate lib. 2. cap. 6. & dicit, uerè fugalia castitatis & pudoris fuisse.

An autem hæ superstitiosæ ceremoniæ non sint in Ecclesiam à doctoribus huius seculi inuectæ, audiant pij Theodoretum, sic loquentem libro octauo de martyribus: Suos mortuos Dominus Deus noster in cæpla pro dijs uestris induxit. Ac illos quidem cassos gloria, uanosque reddidit: suis autem martyribus honorem illorũ dedit. Pro Pandijs enim, Diasijsque ac Dionysijs, hoc est Iouis Liberique patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio,

Leontio, Antonio, Mauricio, alijsq; sanctis martyribus solenitates populari epulo peraguntur: proque illa ueteri pompa, pro turpi obscœnitate ac impudentia, fiunt modestæ, castæ ac temperantiæ plenæ festiuitates: non illæ quidem mero delibutæ, non cõmessationibus leues, non cachinnis solutæ, sed diuinis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ, in quibus ad Deum preces non sine sanctis lachrymis ac suspirijs summittuntur. Et paulo post testantur, conuiuia & saltationes in natalibus martyrum, in morem gentilium celebrari.

Ludi.

Ludorum Floræ deæ meminit Augustinus de ciuitate libro secundo, capite uigesimosexto. Et de alijs ludis libro tertio, capite decimooctauo. Idem libro secundo, capite quarto testatur, se adolescentem ludos spectasse, qui solebant exhiberi cœlesti Virgini: & Berecynthiæ, matri omnium deorũ. libro eodem, capite octauo. Ludorum scenicorum, autoritate Romani pontificis instituto rum, meminit Augustinus lib. de ciuitate Dei 2. cap. 8.

Ritus circa defunctos.

In excubijs funerum carmina cantabant, & iocos, & choreas agebant: ut patet ex tertij Arelatensis concilii actis. Lugentes barbam radebant, & incisuras in corpore seu genis faciebant, & nigro uestiebantur: Hesychius in 6. libro Commentariorum in caput decimumnonum Leuitici: Theodoretus quæstione uigesimaoctaua in Leuiticum. Accerto dierum numero gẽtes ob mortuos suos luxisse, Eucherius indicat libro tertio in Geneseos caput 39.

Mores Gentilium.

Persæ uetusta quadã lege, spurcissimaq; adducti, nullo habito delectu, beluarũ more se gerunt, neq; quicquam se delinquere arbitrantur. Theodoretus libro 3. de dijs. Idẽ Libro nono de Legibus, indicat, Persas matrum, filiarum, sororum connubijs uti: & cadauera hominum canibus discerpenda, & uolucribus proijcere. Et Augustinus libro Quæstionum ueteris & noui Testamẽti, quæstione 115. dicit, Persas inaures more mulierũ habere: & apud Mauros, fœminas inaures in naribus gestare.

A QVIBVS ET QVOMODO *propugnatus Gentilismus.*

Defensus autem & utcunque promotus est Ethnicismus, primùm à sacerdotibus. nã suos docuerunt, idola & dæmonia colere. Augustinus contra Faustum libro decimotertio, capite decimoquinto. Deinde à philosophis: Nicephorus libro decimoquarto, capite quadragesimooctauo. Tertiò, à grãmaticis. Maximus enim Madaurensis grammaticus contra Augustinum defendit Paganismũ, epist. quadragesimatertia: cui Augustinus respondet epistola sequenti. Idem fecit Cresconius, ut apparet ex Augustino contra eundem. Quartò, à præfectis. Optatus enim Constantinopoleos præfectus, gentilismum professus est, & promouit. Nicephorus libro decimotertio, capite uigesimotertio. Et Orestes Alexandrinus præfectus idololatriam defendit: Nicephorus libro decimoquarto, cap. 15. Quintò, ab hominibus plebeijs. nam uulgus Græcę superstitioni addictũ, excitauit tumultũ: apud Nicephorũ lib. 14. capite uigesimosexto. Et Paganos congredi cum Christianis, eorumq; fidem impugnare, & suam commendare, Augustinus indicat libro Quæstionũ ueteris & noui Testamenti, quæstione 114.

Imperatores etiam, licet uellent Christiani perhiberi, ethnica spectacula edentes, nõ parum confirmarunt alios in superstitione sua. Theodosius enim iunior, & postea Zeno, Circenses ludos exhibuerũt: teste Nicephoro libro decimoquarto, capite 3. & lib. decimosexto, capite 8.

Ad patrocinium autem superstitionis utebantur his argumentis: quòd non esset fas, ut Græci externam & alienam religionem suciperent. Theodoretus libro primo de fide. Quòd sua religio à philosophis, hominibus doctissimis, tradita esset: Theodoretus ibidem. Quòd cum antiquissima esset, etiam iure uerissima credatur. Augustinus libro Quæstionum ueteris & noui Testamenti, quæstione 114.

Criminationes ad deformandam religionem Christianam has spargebant. Primùm, quòd religio Christianorum sit fons & origo omnium calamitatum, quæ per Scythas & Vandalos & Hunos Romano imperio inferebantur. Sic enim Italos & Romanos ethnicos, Rhadagiso Italiam inuadente, uociferatos esse, Sigibertus in Chronico annotat. Deinde, quòd religio Christana sit mera stultìcia: Augustinus libro quæstionũ ueteris & noui Testamenti, quæstione 114. Quòd Christiani tantum suis assertionibus fidem adhiberi uelint, & nullam demonstrationem afferant: Theodoretus libro primo de fide. Item, quòd in sacrificijs Christianorum impura & abominanda fiant: Saluianus libro quarto de Prouidentia Dei. Quòd impossibile sit, uirginem párere posse. Quòd Deum ex homine nasci, mori, atq; resurgere, stultum sit credere. Primasius in secundum caput ad Colossenses. Quòd Christiani etiam plures deos colant,

dum

dum patrem, filium & spiritum sanctum asserant. idem lib. 5. de Hæresibus, cap. 1.

A QVIBVS ET QVOMODO *laboratum sit in Gentilium superstitione refutanda, & abolenda.*

¶ Porrò in ea euertẽda, primùm haud parum sudarunt pij doctores, qui non modò uoce, sed etiam scriptis, gentilium uanitates refutarunt. Chrysostomus in exilio constitutus multos conuertit: Nicephorus libro decimotertio, capite uigesimotertio. Augustinus librum de ciuitate Dei, & Orosius suam historiam, contra Gentilium superstitiones ediderunt. Ac libro Quæstionum ueteris & noui Testamenti, quæstione 114. Augustinus instruit Christianos, quomodo Paganorum obiectionibus respondere debeant. Ac multos alios contra Gentes edidisse libros, patet ex uitis Doctorum. In uilla Calomnę fanũ antiquissimũ, ad orationem Mauricij episcopi collapsum esse, Antoninꝰ autor est, titulo 10. capite 13.

Quidam etiam permissu Imperatorum, suis suorumque manibus templa idolorum destruxerunt. Sic Chrysostomus excitauit monachos, eosque in Phœniciam consensu Imperatorum, unà cum fabris misit, & sumptibus corrogatis à pijs mulierculis aluit, ut idolorum templa & lucos simulachrales destruerent. Theodoretus libro quinto, capite uigesimonono.

In synodis etiam sæpe tractatum est de gentilium superstitione extirpanda. nam in Africani concilij capite uigesimoquinto & uigesimoseptimo ea de re deliberatur: ac mittuntur legati ad Imperatores, postulantes edicta contra paganos. In tertia Arelatensi prohibetur, ne quis in excubijs funerũ carmina cãtet, aut iocos & saltationes exerceat, ut pagani soleant.

Imperatores etiam publicis edictis eas superstitiones coercuerunt. nam Honorius lege abrogauit spectacula publica & monomachiam Romæ. Nicephorus libro decimotertio, capite primo & tertio. Et l. 5. C. de Paganis, Honorius & Theodosius, omnia loca sacris ethnicis destinata sibi uẽdicant. Theodosius iunior fana simulachrorum, si qua reliqua manserant, funditùs dirui imperauit, ne quod posteritati uestigium pristini erroris comparêret. Theodoretus libro quinto, capite trigesimoseptimo. Marcianus in epistola ad Palladium præfectum prætorij mandat, ut eos quos constet prophanos ritus, & simulachrorum impios cultus, & interdicta sacrilegia celebrasse, iuxta leges coherceat. Idem cum Valentiniano, lege septima, C. de Paganis, inquit: Nemo uenerandi adorandique animo delubra, quæ olim iam clausa sunt, reseret. Absit à seculo nostro, infandis execrandisque simulachris honorem pristinum reddi, redimiri sertis templorum impios postes, profanos aris accendi ignes, adoleri in iisdem thura, uictimas cædi, pateris uina libari, & religionis loco existimari sacrilegiũ. Addunt etiam uiolatoribus grauissimas pœnas. Leo etiam in l. ultima, C. de Paganis, permittit cuilibet accusare exercentes paganam superstitionem: & pœnas statuit ijs, qui sua loca ethnicis sacrificijs concedũt contaminari.

In conflictu autem primùm refutabant argumenta Gentilium. Sic Theodoretus libro primo de fide, prolixè refutat id quod asserebant, Græcos à barbaris non solere religionem mutuari: ac probat multis exemplis, omnes ferè solennitates & mysteria, & idolomanias, Græcos à barbaris, Aegyptijs, Phrygibus, & alijs accepisse.

Idem dissoluit etiam rationem ab autoritate philosophorum desumptam: ac ostendit eos multis erroribus fuisse implicitos, & sibi inuicem contraria asseruisse: quod etiam olim Socrates & Theodorus in Platonis dialogo Theæteto, & Timon Phliasius animaduerterit & reprehenderit. Theodoretus lib. 2. de principijs.

Argumentum ab antiquitate, Theodoretus lib. 1. de fide refutat, asserendo, Græcorũ disciplinas nouas esse, Hebræorum uerò doctrinam & religionẽ antiquissimam. Et lib. 2. de principijs, testimonium Porphyrij allegat, quo asseruit, historicum Sanchoniathonem pluribus quàm mille annis ante Troiana tempora uixisse, proximeq; accedere ad Moysis ætatem. ideoque Moysen omnibus Græcis historicis, poetis & philosophis esse antiquiorem. Et Numenium Pythagoricũ dicit de Platone affirmare, quòd nihil aliud fuerit quàm Atticus quidam Moyses. Idem lib. 5. de natura hominis indicat, in Ecclesia continuam seriem doctorum esse, sectas uerò philosophorum esse extinctas.

Augustinus etiam ad argumentum Ab antiquitate, respondet libro Quæstionum ueteris & noui Testamẽti, quęstione 114. & 115. Antiquitatẽ non præiudicare ueritati. Posse enim homicidas, molles & adulteros hoc modo sua etiam scelera defendere, quia antiqua sint, et ab ipso mũdi initio cœpta. Deinde religionem illam Ethnicam ab hominibus inuentam esse: Christianam uerò à Deo traditam. ideoq; nullum unquam Iudæum factum esse paganũ: sed econtrà multos è paganis, Iudęis accessisse. & Matrem magnam Deorum appellat magnam meretricem.

Criminationes etiam illorum infringebant. nam illam criminationem, quòd religio Christiana esset omnium malorum

rum causa, ethnica uerò superstitio aurea aferat secula, Augustinus in libro de ciuitate Dei, & Orosius in sua historia prolixè refutant: ut patet ex ijs monumentis, & testatur Sigebertus in Chronico.

Deinde illam, quòd religio Christiana sit stulta, infringit Augustinus libro Quæstionum ueteris & noui Testamenti, quæstione 114. ostendens, Paganismũ à Christianismo debilitari & aboleri: ac Christianos creatorem, gentiles uerò creaturam colere: & sæculos ac fœminas pro dijs & deabus habere. item ministros Ecclesiæ esse uiros bonos & honestos: sed gentilis superstitionis ministros ex uiris in fœminas transfigurari, & muliebria pati: & discussis in aqua inhonestè crinibus, mollem quassatamque & turpem emittere uocem.

Sic & illam calumniam, Christianos nullas afferre suorum dictorum demonstrationes, Theodoretus refutat libro primo de fide: & affirmat, Christianos uerissimis rebus, ut certissimis testibus, suas sententias confirmare. & id iaculũ in gẽtes retorquet, ac demonstrat scripta eorũ pleraq; sola fide ceu αὐτὸς ἔφα niti: idq; probat testimonijs Platonis, Theognidis, Heracliti Ephesij, Empedoclis, Parmenidis, Solonis, Antisthenis, Bacchilidis, & similiũ: in quibus illi asseruerunt doctrinam de Deo & alijs rebus quibusdam credi oportere, sed demonstrari nõ posse.

Illam obiectionem, quòd etiam Christiani plures deos, aut saltem dæmones concedant, dũ de angelis loquãtur, refutat Theodoretus lib. 3. de dijs: ac ostendit, eos angelos nõ asserere deos esse, neq; diuino cultu uenerari, neque adorare, sed pro conseruis habere, neque in mares fœminasque distinguere.

Obiectionem de sacrificijs ueteris Testamẽti, quasi ea suis superstitiosis patrocinentur cultibus, refutat Theodoretus libro septimo de sacrificijs in hunc modum: Isti cõsilium mentemq; latoris Dei prorsus ignorant. Israelem enim longinquum tempus in Aegypto uersatũ, prauisq; morib. illi' regionis imbutum, ab Aegyptijs q; perdoctũ, idolis ac dæmonibus hostias immolare, ludis præterea choreisq; assuetũ, ac musicis organis oblectari: iamq; in harum rerum habitu constitutum, liberare Deus considerans, sacrificare quidẽ permisit, non tamen omnia, neq; falsis Aegyptiorum dijs, sed sibi soli ac uero Deo, Aegyptiorum deos sacrificiũ uitimamq; offerre. Olim siquidem Aegyptij deos sibi bouem, pecudem, capram, columbam, turturem faciebant: cumq; his & alia quædam animalia, quæ esculenta non sunt, sed uocantur impura. Ne uerò illi indignarentur, si uiderent antiquo illo rei diuinæ ritu sibi penitus interdictum, prohibuit eos rem diuinam illis facere, qui dij uerè non essent.

Deinde refutare etiam solebant eorum uanas opiniones. Opinionem enim illam de sacra Scriptura, quòd propter simplicitatem sermonis nihil sapientiæ haberet, refutat Theodoretus libro primo de fide, ex Platonis autoritate, qui non secundum literarum, sed ueritatis cognitionem æstimet sapientes: & neget eos, qui uel omnes teneant artes, si ueritatis & iusticiæ ignari sint, sapientes esse: & illa communi sententia, quòd ueritas pluris facienda sit quàm uerba: & quòd ei nihil decedat, etiamsi lenocinio uerborum careat. Idem libro octauo de Martyribus, eandem opinionem expugnat, primùm dicto Pythagoræ, qui Musas Syrenibus censuit præferendas. Deinde uulgari sententia, quòd simplex ueritatis de cor melior sit lepido uerborum concentu. Tertiò, ostensis causis, cur Deus eloquia sua simplicia esse uoluerit. Quartò, constantia martyrum pro ueritate supplicijs uarijs affectorum.

Opinionem de dijs Gentilium, Augustinus refutare docet libro Quæstionum ueteris & noui Test. quæstione 114. eo quòd nulla habeat documenta. nam illos ipsos quos deos fingant, nunquam ausos fuisse se deos appellare: nec quidem mandasse sibi sacrificia offerri, nec posse probari per eos regi uitam humanam, ac dæmones formidine & metu crucis Christi responsa dare non posse. Item, sacra eorum turpia & inhonesta esse.

Opinionem de pluralitate deorũ, Theodoretus libro secundo de principijs, Platonis & Socratis testimonio infringit. Eos enim indicat testari, quòd multorum deorũ mentionem coacti fecerint, propter populi Athenienſis gratiam: & tamen ne sic quidem cicutæ poculum effugere Socratem potuisse. Idem Homeri uersũ εἷς πείραινος ἔστω, pluritatem deorum euertit.

Contra opinionem Platonis, Deum esse genitum, Theodoretus libro secundo sic inquit: Quo pacto poterit esse Deus, qui nondum sit? Quo inquam pacto augustissimo nomine uocitetur, qui esse ipsum nondum sit consecutus?

Venerem non esse deam, Theodoretus ex Antisthene probat. Eum enim dixisse refert: Si Venerem capere mihi liceat, iaculis nil moratus transfigam, quando hæc nobis honestas probasq; mulieres una corrupit. ac Cupidinem naturæ uicium appellasse: & insanire potius, quàm uoluptate affici, optasse. libro tertio de dijs & augurijs.

Contra opinionem de Trinitate, sic inquit Theodoretus libro secundo de principijs: Si materiam quæ alterius naturæ est quàm Deus, generisque alterius, ac (ut ita dixerim) alienigena & extraria, & ex Deo, & cum Deo esse uult Plato: multo magis rationi consentaneus, multoque uerior sermo noster putandus est. Neque enim filium alterius naturæ, neque sanctum spiritum esse dicimus, sed unam Trinitatis substantiam prædicamus. Et postea prolixè probat ex Platone, & Plotino & Numenio, interpretibus eius, quòd etiam illi ex sacris libris & Euangelistis aliquid de Trinitate compilarint, & obscurè tradiderint.

Opinionem, Deum non habere filium, quia non indigeat coniugio: Augustinus libro quinto de hæresibus, capite tertio refutat, autoritate Hermetis & Sibyllæ.

Opinionem Aegyptiorum de dæmonibus, quòd sint dij, refutat Theodoretus ex Porphyrij libro de electorum Philosophia, & epistola eiusdem ad Anebonem Aegyptium, & Xenophanis Colophonij testimonio: & autoritate Zenonis Citiei, qui in suo libro quem de republica edidit, prohibuit & templa & deorum simulachra fieri: Theodoretus libro tertio de dijs & augurijs. Itē Porphyrij testimonijs: ut qui dixerit, dæmones nec deos esse, nec bonos, sed mendacij magistros, omniumque flagitiorum patres.

Contra opiniones de Anima & homine, Theodoretus libro quinto de natura hominis affirmat, Historicos, Philosophos & Poetas inter se de anima, de corpore, de hominis genitura & constitutione lites exercere, & dissentire: Moysen uerò & alios sacros doctores omnes, eadē de singulis pronunciare.

Contra opinionem de mundo, Theodoretus libro quarto de materia & mundo sic inquit: Sunt autem huiusmodi sententię inter se ualde discordes. Si enim mundus hic æternus est, ut idem paulo antè affirmarat, utique & principio caret. Si hoc autem ita se habet, fit continuò ut à nulla sit causa. Quòd si nulli est causæ obnoxius, terram ergo matrē non habet. At si mundi causa est terra, ut paulo antè Xenophanes cecinit, ergo causa non caret. Si causa non caret, utique nec principio. Si principium habet, ergo non est æternus.

Opinionem de fati necessitate, Theodoretus libro sexto de Dei prouidentia explatone refutat: Plato contraria prorsus docet, ait enim uirtutem nulli domino esse subiectam: quam ut quisque uel coluerit, uel contempserit, ita plus uirtutis, minusue habiturus est.

Contra opinionem de sacrificijs, Theodoretus libro septimo de sacrificijs, producit Porphyrij testimonium, qui ex Theophrasto probarit, Deos nullo pacto habendos esse qui sibi rem diuinam fieri cæsis animantibus gaudeant. Esse enim iniustum facinus, ac scelestissimum, mactare dijs animalia. Hominum uerò mactationes in sacrificium deorum, improbat ex Sophoclis, poetarum, historicorum, & philosophorum sententijs: ibidem.

Opinionem de oraculis, Theodoretus refutat Porphyrij testimonio, ut qui dixerit, dæmones diuinationum oraculorumque locis præsidentes, mendacissimos esse: eosque fingere se cogi, ut homines in stultam credulitate confirmēt, libro decimo de oraculis. Eam sententiam etiam confirmat autoritate Oenomai, Plutarchi, Diogeniani. Ac contrà opponit Prophetarum uaticinia de idolorum euersione, mutatione regnorum, aduentu Christi, & gentium uocatione, impleta esse: libro eodem.

Opinionem de obseruandis astris in rebus agendis, Augustinus in quartum caput ad Galatas refutat: & libro Quęstionum ueteris & noui Testamenti, quæstione octuagesimaquarta, & quæstione centesima decimaquinta.

Contra opinionem de martyrum, eorumque reliquiarum contemptu, opponit primùm Ethnicam consuetudinem honorandi mortuos heroes. Deinde rectè dicit, Christianos nec hostias, nec libamina ijs deferre. Tertiò, ex Pindaro, Empedocle & Heracleto probat, eos non carere sensu. Ac tandem ex illis sanctis hæreticorum Patriarchis concludit, martyres & medicos & auxiliares colendos esse. & sic uehementer conatur Græcos ab Ethnicis festis ad martyrum festiuitates celebrandas adducere: quo modo non abolita, sed fucata & aucta est superstitio. Theodoretus libro octauo de

Martyribus.

CAPVT XVI.

DE MOTIBVS ET MVTATIONIBVS POLITICIS.

SVB ARCADIO ET Honorio.

MAXIMAE in hoc seculo mutationes rerum politicarũ acciderunt, eo quòd Gotthi, Vandali, Sueui, Alani, Hunni, aliæque gentes, passim regiones populatæ ac peruagatæ, & alioqui seditiones plurimæ exortæ sunt, adeò ut Romanum Imperium uehemẽter debilitatum ac languefactum sit.

Simul aũt Imperio præfuerunt aliquandiu Arcadius & Honorius, hic in Occidẽte, ille in Oriente: postea Honorius solus sceptra tenuit. Mansuetudine uerò utriusque Imperatoris non pauci duces moti, in spem uenerunt, sese per fas nefasq; ad fastigiũ Imperij, deturbatis illis pacificis & (ut putabantur à turbulẽtis ingenijs) ignauis Imperatoribus, non modò aspirare, sed etiã pertenire posse.

Nam Ruffinus in Oriente præfectus, potentia & autoritate excellens, Alaricum Gothorum regem quibus potest artibus excitat, ut cõtra Arcadium arma capiat: quò, Imperatore hoc modo deiecto, ipse liberius Imperium occupare, nemine resistente, posset. Sed proditione in ipso conatu comperta, ab Italicis militibus interfectus est. & ut assectis ipsius, alijsque similia machinantibus ultio proditoris terrori esset, caput eius amputatum, unà cum dextera manu, ante portam urbis Constantinopolis suspensa sunt: uxore eius etiam profligata in exilium. bona insuper omnia erepta, alijsq; donata sunt.

Similia in Africa Gildo Comes molitus est, parum sibi ab Imperatoribus tranquillitati deditis metuens. nam imperio Africæ existimauit se citra magnum laborem potiri posse. Contracto igitur exercitu, rem aggreditur. Sed frater eius Mascezel, uel (ut Paulus Diaconus habet) Macezil, de euẽtu paulo accuratius cogitans, in Italiam mox traijcit, relaturus de ijs conatibus ad Honoriũ. Interea Gildo ueluti proditionem fratris ulturus, filios eius crudeliter necat. Imperator autẽ traditis Mascezeli copijs, iubet fratri resistere. Adductis igitur in Africã quinq; millibus armatorum, Gildo octoginta, uel (ut Paulus ait) Septuaginta millibus occurrit: quibus dissipatis ac cęsis, Gildo fuga salutem quæsiuit, nauigio abiturus in loca tutiora. Verùm mirãda Dei ultione, tumultuator ui tempestatis ad littus reiectus est: cuius gula, fratris iussu, uelo fracta est. Vide autem animorum humanorum inconstantiam. Hac uictoria elatum Mascezelem, inuasit & ipsum cupiditas Africam occupandi, & tenendi: sed à militib. suis occisus est, iustas seditionis pœnas luens. Hæc gesta sunt anno Domini 402.

Circa hæc tempora Hunni Istrum transgressi, Thraciam uastabant, & Isauriæ latrones magno numero ciuitates ad Carras usque & Phœnicas grauiter affligebant: ut testatur Sozomenus libro octauo, capite uigesimoquinto.

¶ Eam uerò occasionem rerum nouandarum etiam Stilico, uel (ut habet Sozomenus) Stelichon sibi arripiendam putauit. Erat is Vandalus natione, præfectus seu magister armorum (ut eum Paulus Diaconus uocat) Honorij Imperatoris: in tanta autoritate ac potentia constitutus, ut Imperator eius filias matrimonio sibi iungeret. Sorte igitur sua non contentus Stilico, Imperium in filium suum Eucherium transferre nitebatur: id quod eiusmodi perfidia molitus est.

Effecit apud Imperatorem, ut Gotthis stipendia denegarentur: quos, cum iam prius extimulati à Ruffino essent, non dubitabat cõtra Imperatorem arma sumpturos esse. Deinde ut magis turbaret & cõquassaret omnia, Sueuos, Burgundios, Alanos, Vandalos etiam excitat largis promissionibus, qui Rheni ripas & Gallias grauiter affligunt. sperabat enim, sese rebus Honorij omnibus in angustias summas coactis, Imperio facilè potiturum esse.

Adest igitur Rhadagaisus Scytha, ducenta millia Gotthorum secum ducens: neque tantum ista hominum multitudine, sed etiã infandis populationibus terrorem uniuersæ Italiæ grauissimum incutiebat. Thraciam enim, Illyricum, Noricum, & loca ad oram Italiæ sita, ferro, igni ac præda crudeliter uastabat: iamque Apenninum transgressus, Fesulis confederat. Eo terrore exciti Romani, Vldinum & Sarum, Hunnorum & Gotthorum duces, in auxilium uocant: qui egressi, Rhadagaisi exercitum in Fesulanis iugis includunt, & obsident. Commeatu itaque destituta tanta hominum multitudo, cum fame extrema diutius conflictari non potuit. Tandem rebus desperatis & perditis, ferox ille dux clàm fugam adornat: uerùm deprehensus & strangulatus, iustas pœnas dedit. Reliqua hominum multitudo in potestatem hostium uenêre. tantaque repentè mancipiorum extitit uilitas,

ut integri hominum greges singulis aureis, ut Orosius scribit, uenderentur. Qui fuga elapsi sunt, ad Alaricum se receperunt.

¶ Eadem tempestate Alaricus Vestgothorum rex, qui Romanis Imperatoribus prius fuerat subiectus, relicta Constantinopolitana urbe, Thessaliam & Illyricum populatur: tandemque per Aquileiam & Patauium, Rauẽnam accedit. Metatus autem castra loco opportuno haud procul à Polentia, Honorio Imperatori legatos mittit, indicans: Si agri ad habitandum sibi suisq; concederentur, se à populationibus cessaturum. Honorius uero, quia Gallias & Hispanias à Sueuis, Vandalis & alijs peregrinis gentibus perditas, recuperare se non posse animaduerteret, facit Alarico potestatem immigrandi in Gallias, eamque sententiam pacto quodam sancto confirmat.

Alarico autem iter Galliã uersus iam dirigente, Stilico, præter fœdus, exercitum eius insequitur, atque à tergo Gotthos infestat: ac tandem in ipso die Paschatos, quem quietè celebrabant Gotthi, Stilico, duce quodam Pagano, seu (ut alij uolunt) Iudæo, Saulo nomine, in Alarici exercitum, nihil tale uerentem, impetum facit, ac magnam stragem edit. Sed Gotthi arreptis armis, hostes à se se cum magna ipsorum pernicie profligant. Ista igitur iniuria & uiolatione pacti exacerbatus Alaricus, exercitũ suum uertit, rectaque Italiam repetiuit. Ea uerò occasione Imperatori Honorio insidię & molitiones Stiliconis patefiũt, quem unà cum filio trucidari ab exercitu mandat.

Progreditur itaque Alaricus, Liguriam, Aemiliam, Picenum & Tusciam rapinis, ferro & igne uastans: Romamque ipsam petit. Et quidem (ut Paulus Diaconus refert) uocem quandam audiuit: Perge, & Romam destrue. Obsidet autem aliquandiu infestis armis urbem Romam: quidam biennium annotant. tandem uerò inedia fractos ciues ui superat, occupat ciuitatem: hic omnia cædibus, prædis, incendijs referta. parcitur tamen ex mandato Alarici, omnibus qui in templa confugerant. Hæc gesta sunt, ut Prosper annotauit, anno Domini quadringentesimo duodecimo, anno urbis millesimo centesimo sexagesimoquarto, nono calendas Septembris: ut Orosius & Paulus Diaconus scribunt.

Tertia die post occupationem, ut Orosius testatur: seu sexta, ut alij narrant: Gotthi, ubi satis animos suos direptionibus & uastationibus expleuerant, rursus militem ex urbe ducunt: ac per Campaniã, Lucaniam, Brutiam proficiscentes, longè lateque omnia populantur: Siciliam, aut (ut alij referunt) Africam petituri: nisi aduersa tempestate reiecti fuissent. Dum igitur Consentiæ Alaricus hyemat, subita morte extinguitur. Gotthi regem, ut Paulus Diaconus testatur, in amnem Basentium cum magnis opibus sepeliunt.

In locum huius, propinquus regis Athaulphus (ut habet Diaconus) uel Autalphus (ut Orosius) succedit, qui in præda urbis Romæ Placidiam Honorij Imperatoris sororem ceperat, & in matrimonium duxerat. Is Romam regressus, quicquid reliquum ex priori direptione factum erat, more locustarum cum suo exercitu depascitur: uxoris tamen Placidiæ precibus mitigatus rex, à cæde & incendijs abstinuit. Postea fœdere cum Honorio inito, in Gallias & Hispanias, quas Vandali tenebant, copias suas transfert: ac tandem apud Barcinonem, ut memoriæ reliquit Paulus Diaconus, suorum fraude interemptus est. Hæc ab Orosio, Paulo Diacono, & alijs historicis descripta sunt.

Hac tempestate Burgundij partem Galliæ, Rheno propinquam, occupauerunt: ut Prosper annotat anno Domini quadringentesimo decimoquinto.

¶ Dum Gallia & Hispania à regno Romano auelluntur, Britannia idem quoque tentat. nam Gratianus quispiam ibi creatur rex: quo occiso, Constantinus exinfimo milite deligitur, qui in Gallias trãsiens, quæ omnium prædationibus exposita erat, à præfecto Honorij Constantio, uiro forti & industrio, prope Arelatum occiditur. Constans Britannici filius, ex monacho Cæsar factus, prope Viennam interficitur. & postea aliquot in Gallia principatum affectantes, mutuis inter se se cædibus grassantur: ut refert Orosius.

Post hæc Attalus cornua sumit, Gotthorum instigatione imperium in Gallijs suscipiens. uerùm captus, truncata manu Honorio mittitur: ut idem habet. & Prosper indicat annum Domini quadringentesimum decimumseptimum.

Molitus est quoque Heraclianus Africæ comes, cum suo genero Sabino, perniciem Romano Imperio, traductis ad littus Italiæ ter mille septingentis nauibus. Verùm Marini comitis occursu, in ipso littore reiectus est, ut protinus aufugiens nauicula Carthaginem redierit, ubi à militibus interfectus est. Sabinus etiã pœnas exilio dedit: sicut Orosius refert.

Athaulpho Sigericus, huic Vallia Vestgotthorum rex succedit. Is Placidiam honestè habitam, Honorio fratri restituit: quam Constantio Comiti, uiro strenuo, & rebus egregiè gestis claro, datuxorem: simulque

simúlque, ut scribit Paulus Diaconus, Imperij consortem facit. Deinde Vallia pacem cum Honorio datis obsidibus sancit, promittens sese cum Alanis, Vandalis ac Sueuis Hispanias tenentibus dimicaturum, eosque pulsurum. Quas ob causas Imperator ei Aquitaniam habitandam tradit, anno Domini (iuxta Prosperum) quadringentesimo uigesimoprimo.

Scoti & Picti Britanniam inuadentes, ita premunt, ut Romano Imperatori sese dederé, atque ab eo auxilium petere cogeretur: ut Paulus Diaconus recenset, circa annum Domini quadringentesimum uigesimumquartum.

Hispanijs etiam laborantibus propter peregrinas gentes, ut diximus, tandem Castinum quendam, paulo ante obitum Honorius mittit eò. Verùm ipse, uiro fortè à se repudiato, cui Bonifacio nomen erat (ut Diaconus meminit) nihil præclari gesit. Bonifacius ob iniuriam acceptam in Africam profectus est.

Postremò dignum est memoria, quòd hoc tempore Franci de rege more cæterarum gentium deliberant: ac primùm Varamundum constituunt, ut Sigebertus tradit.

SVB THEODOSIO IVNIORE, & *Valentiniano.*

HOnorio defuncto, Iohannes quidam, scribæ officio apud Imperatorem functus, ad fastigium Imperij aspirat, Castini opera atque uiribus confisus: qui propter eam causam dignitate sua deiectus, & exilio multatus est. Scribens autem Iohannes ad Theodosium, in Oriente gubernacula Imperij tenentem, petit se consortem Imperij tolerari. Verùm Theodosius legatis in carcerem detrusis, misso cum exercitu duce Aspare, tyrannum de medio tollit: & Valentinianum, amitæ suæ Placidiæ filium, creat Occidentis Imperatorem: quem uniuersa Italia promptè accipit, ut Paulus & alij referunt.

Bonifacius interea, cuius antea mentionem fecimus, in Africa, potentia & autoritate crescit. Is uerò Aetij, qui Imperatoris erat præfectus, insidijs circumuentus, detectat uenire ad Imperatorem: falsò (ut Aetius persuaserat) credens sibi fraudem struí. Missis igitur contra ipsum quibusdam Romanis ducibus, eos cædit: ac postea periculum metuens, ex Libya in Hispaniã ad Vandalos traijcit, petens ut sibi in auxilium uenirent, & communi iure Africam teneret. Vandali & Alani à Gotthis nullam habentes quietem, facilè patiuntur se adduci: & coniunctis uiribus uniuersam Africam deuastant. Hoc tempore in Hipponis obsidione Augustinus episcopus, antequam ciuitas caperetur, ex hac calamitosa uita euocatus est. Facta est hæc Vandalorum in Africam migratio, anno Domini quadringentesimo tricesimo, ut habet Prosper.

Vestgotthi autem Vandalorũ l oca occupant, ut Iornandes scribit.

Post hæc Bonifacius Imperatori reconciliatur. & cum Vandali radices altè egissent passim, potentiaque summa sese armassent, ut pelli nulla ui possent: Romani cum Vandalis, ut Paulus Diaconus scribit, necessariam magis quàm utilem pacem inierunt, imperitante Vandalis Giezericho, seu Genserico, ut à plerisque appellatur: anno Domini 438. Prosper.

Interea Gotthi in Gallijs quoque motus excitant, plures ciuitates occupare molientes. Verùm Litorius Comes eos repressit: ut idem testatur, anno Domini 439.

Clodius Orientalis Franciæ rex, Varamundi filius, Thuringos, Saxones & Teuthones subigit: & in castello Dispergo aliquandiu habitat, ut Sigibertus annotat, anno Domini quadringentesimo trigesimoprimo. Postea, ut idem scribit, latius progrediens, Batauos, Tungros, Menapios, Terouanos, Morinos, Ambiones, Cameracenses, Tornacenses, Atrebatenses, Beluacenses, & quicquid istis interiacet, ultraque Sequanam & Ligrim, occupat ac tenet.

Hæc autem annis ferè 14. confecta sunt, ut ex Sigeberto patet. Piratæ quoque infestarunt mare, & Siciliam depopulati sunt, usi occasione perturbationũ, ut Paulus Diaconus scribit.

Britanniæ quoq; ingẽs facta est mutatio. Picti enim, Scoti & Albienses, Britanniam aliquoties inuaserunt: donec Romani diffiderent, sese eos abigere posse: & Britanni omnium ope destituti, Anglosaxones in auxilium uocant. Hi, ubi duce Hengisto propulsatis hostibus, uident terram habitationi idoneam esse, sedes occupant.

Vandali Genserico rege Carthaginem ui capiunt, & immanem crudelitatem in ea exercent, & multa horrenda auditu in Ecclesiam Christi rectè sentientem perpetrant, anno Domini 442, ut Prosper annotauit.

Tali rerum successu elatus, ingenti nauium apparatu Siciliam affligit. Verùm audiens, Sebastianum ex Hispania in Africam transire, reduxit classem, ne suæ regiones in periculo essent. Hæc post occupatam Carthaginem anno secũdo gesta sunt. Theodosius tanto rerũ discrimine excitus, classem instruit tribus ducibus: sed hi nimis longam moram in Sicilia trahentes, oneri magis suis quàm hostibus formidini fuere: nec traiecerunt in Africã, ut Prosper & Diaconus memoriæ tradidêre.

Dum hęc geruntur, Hunni rursum turbas dant. Thraciam enim & Illyricum uastãt, ac Thermopylas usq; procedunt, qua de causa exercitus in Sicilia desidens, ad defensionem Orientis euocatur: & tandem metu potentiæ Attilę regis Hunnorum, pax redimitur sex millibus libris, annuo insuper tributo promisso, ut Diaconus recenset.

SVB MARCIANO, VALENTINIANO, & alijs.

VAlentinianus Imperator Vandalos in Africa, ob potentiam, & rerum omniũ perturbationem summam extimescens, pacem cum Genserico confirmat, certo ei spacio in Africa concesso.

Interea uerò Attila, fratre suo Bleda interfecto, regniq; habenis omnibus (quod intra Pannoniam & Daciam habebant) arreptis, Macedoniam, Mœsias, Achaiã, Thraciam, & reliquam Græciam immani sæuitia uastat. Prosperè autem rebus ei succedentibus, animum ad Occidentale Imperium inuadendum adijcit. Existimabat enim sibi, inclinato iam Imperio Romano, occasionẽ peroptimam offerri ad regna sua amplificanda. Deinde potentia eum faciebat insolentiorem. nam ut Diaconus exponit, suo Imperio subiectos habebat reges Gepidarũ & Gotthorum: item fortissimas alias gentes, ut Marcomannos, Sueuos, Quados, Herulos, Turcilingos seu Rugos, & alias Septentrionales. unde Terrarum metus uulgò appellabatur.

Cum autẽ astutia plurimũ ualeret, Theodoricum Vestgotthorum regem in suas partes trahere nitebatur: & simulat etiam in Valentinianum Imperatorem amicitias. Verùm Aetius fraudem olfaciens, iussu Imperatoris mox Theodorico molitiones Attilæ patefacit, Romanisque Theodoricum adiungit. Attila inflammatus ira, obuia quę que oppugnat, diripit, uastat Germaniã, depopulatur, Gallias petit: tandẽ Aetius, iunctis Theodorici copijs, in cãpis Catalaunicis cum Attila congreditur. Durat pugna integrum diem: ac cæsa sunt centum octoginta millia de utrisq; exercitibus, ut habet Diaconus. Theodoricus quidẽ in eo bello perijt: uerùm Attila fuga dilapsus est. & potuisset ibi penitùs deleri, nisi Aetius Thurismũdo Theodorici filio dissuasisset, ne Attilam, sicuti cupiebat, patris mortem uindicaturus, insequeretur. Factum id est anno Domini 453. Sigibertus.

Aetius quidem pro sua fortitudine eam tulit mercedem, quòd Valentinianus quorũdam criminationibus adductus, eum interemit. Quo duce sublato, Attila uiribus recuperatis, ira ardens, Italiam rectà petit: Aquileiam captam solo æquat: Ticinum, Mediolanum, & alias præclaras urbes crudelissimè diruit: Romam, uastatis passim omnibus, rectà contendit: extremá perniciem urbi & hominibus minitans. Verùm episcopus Leo hosti obuiam procedens, leui deprecatione ita eius animum fregit, ut exercitum inde abduceret. Sigebertus annotat, Attilam conspexisse prope Leonem, uirum quendam, qui gladio nudo ictum ei minitatus fuerit, ni Italia excederet. paulo pòst in nuptijs suis mortuus est Attila, qui sese ipsum flagellum Dei nominauit. Diaconus, anno Domini 454.

Tempore Attilę, ut scribunt historici, Venetiæ sunt extructæ, quò confugerãt ex Italia plurimi.

Franci potiuntur Treueri, per proditionem: sicut annotauit Trittenhemius.

Gotthi etiam Aruernos & Narbonã suis finibus adijciunt, præsenti rerum statu opportunitatẽ nacti. Item, Valamir cum Ostrogotthis Pannoniam occupat.

Valẽtinianus suorum amicorum fraude interficitur, quia Aetium de medio sustulerat: ac rapit Imperium Maximus. Is Eudoxiam Augustã ui cogit sibi nubere: quæ tanquam ultura maritum Valentinianũ, Genericum aduocat: quæ res ingentis mutationis occasionem prębuit. Maximus à suis ministris occisus, in Tiberim proiectus est. Auitus uerò sponte Imperium, quod sumpserat, mox deposuit.

Adest autem uocatus Genserícus cum exercitu Vandalorum ingenti, Romamq; omnibus opibus exuit, incendijs Leonis intercessione abstinet: ac tandem post dies quatuordecim immensa præda opum & hominum, Eudoxia Augusta quoq; cum duabus filiabus abducta, in Africam reuertitur, seniore filia data in uxorẽ Onoricho filio suo. Euagrius libro secundo, capite secũdo: Paulus Diaconus, Zonaras anno Domini 457. uel, ut alij, 459.

SVB LEONE ET Maioriano.

VAriè Imperium Romanum in Occidente, ueluti sæuis tempestatibus iactatum, crebra Imperatorum mutatione, tandem in Augustulo naufragium fecit ac cessauit, ueluti fatali nomine, cum quidem Augusto Imperatore primùm accreuerit. Nam Maiorianus cum Imperium tenuisset annos quinq;, factione Richameri, uel (ut habet Diaconus) Seueriani occisus est. Fit Imperator Seuerus Lucanus Rauennæ, qui quadriennium Imperium tenet. Hoc etiam dolo Richameri sublato, Anthemius à Leone datur. Interea Seruandus in Gallijs existens, Imperij dignitatem sibi arrogat: quę Anthemius in exilium profligari curat. Affectat

fectat Imperium & Patricius Romanus, qui capite plectitur. Richimeri fraudibus Anthemius quoque perimitur, Olybrio substituto. Quo mense septimo extincto, Glicerius fasces suscipit. Hoc iterum deiecto, Nepos fit Imperator: contra quem Augustulus, Nepote in Dalmatiam fugiente, creatur. Is in Lucullano purpuram exuit, imperioque se abdicat: & Odoacer peregrinus, ut dicendum erit, Italiæ regnum occupat: ut Cassiodorus, Blondus, aliique exponunt.

Beorgor Alanorum rex Italiam inuasit: sed à Richimero superatur. Cassiodorus, circa annum Domini 468.

Leo contra Vandalos, qui passim insulas maris mediterranei arripiebant, bellum instituit. Marcellianus Illyricus Sardiniam, & alias regiones eis eripit. Rusticus, uir strenuus, cum classe ita magna in Africá contra Genserícum mittitur, ut Theodorus libro secundo scribat, septem millia tantum fuisse nautarum, qui exercitum transportarunt. At Rustico extincto, Basilicus Berinæ Leonis coniugis frater dux exercitui præficitur, qui, ut narrat Zonaras, siue rei bellicæ imperitia, siue pecunia corruptus, rebus in Africa feliciter gestis, pedem retulit.

Arturus rex Britonum, Hyberniam & Islandiam subijcit. Gotlandiæ & Ordanes reges ultrò se ei subijciunt, ut Sigebertus refert. Martinus etiam Noruegiæ mentionem facit.

Euricus, Vestgotthorum rex, Auernos Arelatum & Massiliam in suam potestatem redigit. Sigibertus anno Domini 471.

SVB ZENONE.

CIrca huius Imperatoris auspicia, Odoacer ab extremis Pannoniæ finibus, Rugorum, Turcilingorum & Herulorum rex, Italiam inuadit, adductus illa Romani Imperij extrema inclinatione. Omnia autẽ sunt ei prona. Orestem prope Papiam uincit: & Augustulo Imperij habenas deponente, ipse Roma occupata, regnum arripit in Italia: quod quidem annos 14 tenet. In Dalmatia Odiuam superat. Vincit & Rugorum regem Phœbam.

Contrà Odoacrũ autem Zeno Theodori cum Ostgotthorũ regem excitauit: qui spe adipiscendæ potentiæ in Italiam proficiscitur, contractis copijs quantis poterat. Primùm autem exercitum Odocari fudit ad Sontium, deinde Veronæ, tertiò Rauennæ, circa annum Domini 485. Hac ratione Theodoricus regno Italiæ præfuit: & adiecit sibi, ut Platina refert, Siciliam, Dalmatiam, Liburniam, Illyricum, Narbonensem Galliam, Burgundiam: Tridentum muro cinxit.

Basilicus ignauiam Zenonis cõspicatus, Marcum filiũ suum creat Imperatorem, ut Euagrius lib. 3. capite tertio testatur. Verùm uterq; in exilium acti, fama interẽpti sunt. Prosper.

In Britannia etiam maximi sunt motus, sed Angli obtinuerunt locum.

In Gallijs, Hildericus omnem potestatẽ Romanis ademit, ut Trittenhemius refert. Clodoueo etiam hoc tribuit Sigebertus, & quod Thuringiam sibi subiecerit.

FINIS QVINTAE CENTVRIAE.

LOCORVM SCRIPTVRAE SVQVI IN QVINTA ECCLESIASTICAE HISTORIAE Centuria explicantur, INDEX.

Primus numerus Paginam, secundus Versum significat.

Genes.1. In principio fecit Deus 219.7
Ferebatur spiritus Dei super aquas 210.3
Et factus est primus dies 433.7
Sol & Luna diei noctiq; praessent 202.12
Vidit Deus quod esset bonum 201.39 & 213.20
Germinet terra herbam 211.60
Faciamus hominem ad imaginem 116.6. & 118.9. & 120.20. & 139.15. & 249.31
Et fecit Deus hominē de limo terræ 246.7. & 249.35
2 Formauit Deus hominem
3 Terra es, & in terram 245.45.
6 Non permanebit spiritus meus in homine 245.60. & 256.50
Descendam & uidebo 250.56
11 Venite descendamus & cōfundamus linguas 194.38
37
Descenderunt angeli eius 120.
12 In semine tuo benedicētur omnes gētes 194.45
14 Abraham panem & uinum obtulit 303.45
15 Sic erit semen tuum 393.48
18 Apparuerunt ei tres uiri 494.39
19 Pluit Dominus à Domino ignē & sulphur 116.48
21
22 Arietem sacrificauit pro Isaac 139.
31 Iacob cum angelo luctatus 400.31
Vide castra angelorum 222.40
48 Angelus qui liberauit me à iuuentute mea 223.59
223.56
49 Ligans ad uineam pullum suum 414.8
¶ Exod.3. Veluti quondam rubus ille quem uidit 458
Ego sum qui sum
Qui est, misit me ad uos 97.57. & 137.40
14 Transijt Moses mare rubrum 107.13
¶ Deut.6. Dominum Deum tuum adorabis 138.1
Dominus Deus tuus, Dominus unus est 195.58
18 Suscitabo illis prophetam 118.35
Non augurabimini 541.30
19 Ne transferas terminos 494.29
27 Maledictus omnis qui pendet in ligno 184.23
¶ Iud.11. Qui seipsos segregant animales 541.60
1 Reg.15. An non auscultatio bona magis quàm 193.9
490.4
¶ Iob 14. Quis potest facere mundum de immundo? 156.19.
34 Permittit regnare hypocritā propter 445.47
38 Vbi eras quando ponebam fundamenta 218.58
¶ Psal.6. Laudabo per singulas noctes 677.29
15 Non relinques animam 180.35
17 Populus quem non cognoui 414.5
22 Deus meus quare me reliquisti 175.40
Reminiscentur & connectentur 592.53
28 Afferte Domino gloriam & honorem 128.59
31 Ipse dixit, & facta sunt 213.23
Verbo Domini cœli firmati sunt 207.5
37 A Domino gressus hominis 597.42
38 Substantia mea à te est 344.7
40 Domine sana animam meam 589.11
44 Vnxit te Deus, Deus tuus 159.43. & 160.6
50 Sacrificium laudis glorificabit me 599.9
Cor contritum & humiliatum non 356.44
58 Fortitudinem meam ad te custodiam 259.47
71 Descendit sicut pluuia in 132.34
81 Dij estis, & filij excelsi omnes 105.4
102 Benedicite omnia opera Domini Dominum 219.14
104 Dirupit petram, & fluxerunt aquæ 95.39
106 Turbati sunt, & moti sicut ebrius 104.50
113 Omnia quæcunq; uoluit Dominus fecit 111.45
114 Oculos habent, & non uident 195.52
115 Credidi, propter quod locutus sum 600.39
118 Auerte oculos meos ne uideant uanit. 591.23
141 Oleum peccatoris non impinguabit 639.37
143 Non intres in iudicium cum 284.30
148 Laudate eum omnes angeli eius 219.16 (17
¶ Prouerb.11. Sicut impetus aquæ, sic cor regis 266.
23 Quando sederis, ut comedas cum principe 393.9
¶ Cāt.1. Annūcia mihi quā dilexit anima mea 628.56
¶ Eccles.10. Væ terræ cuius rex puer est 448.52
¶ Esa.1. Filios genui, & exaltaui 625.21
Si uolueritis, comedetis bona terræ 578.19
5 Væ qui dicunt quòd nequam est bonum 629.17
6 Si non credideritis, nec intelligetis 391.22
7 Et nomen eius Emanuel 99.25
9 Pater futuri seculi 126.55
Magni consilij angelus 129.23
11 Percutiet terram uirga oris sui 187.11
14 Ponam sedem meam in Aquilonem 232.47
Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer 234.25
42 Gloriam meam alteri non do 139.49
43 Ante me non est factus alius Deus 136.44
Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me 313.53
45 Ego sum faciens pacem 216.41
53 Domine quis credidit auditui 203.49
Qui peccatum non fecit 168.32
Generationem eius quis enumerabit 141.23. & 142.44. & 143.29
61 Spiritus Domini super me 159.44
¶ Daniel.4. Peccata tua eleemosynis redime 504.27
¶ Oseæ 6. Misericordiā uolo, & nō sacrificiū 400.1
¶ Zach.1. Conuertimini, & cōuertar ego ad uos 578.22
¶ Malach.3. Ecce ego mitto angelum meum 228.60
¶ Matt.1. Ipse saluum faciet populum suum 150.50
2 Ecce angelus Domini apparuit illi 222.35
3 Facite dignum pœnitentiæ fructum 199.53
Columbæ species 121.22
Tu es filius meus dilectus 115.3
4 Accedentes angeli ministrabant ei 226.37
5 Non ueni legem soluere 165.3

Beatus qui fecerit & docuerit 333.46
6 Adueniat regnum tuum 460.21
Fiat uoluntas tua 199.15
7 Non ne in nomine tuo dæmonia eiecimus 185.37
9 Puella surge 392.12
10 Non uos estis qui loquimini 591.27
Non enim uos loquimini 187.43
11 Quia nemo nouit patrem nisi filius 220.47
12 Omne peccatū & blasphemia 289.8
13 Vobis datum est nosse mysterium 268.57
Sinite utraq; crescere 406.59
Malos foràs miserunt 407.5
Ager est mundus 97.29
14 Christus ambulat super mare 137.60
15 Frustra me colunt mandatis hominum 700.20
16 Quæ ligaueris super terram 382.46
Tibi dabo claues regni cœlorum 383.12
18 Angeli eorum semper uident faciem 498.60
20 Multi enim sunt uocati 197.56
23 Quoties uolui colligere filios tuos 272.12
Decimatis omne olus 269.8
24 Prædicabitur hoc euangelium 592.56
25 Discedite à me maledicti 243.5
Ite in ignem æternum 231.15 & 242.51
26 Tristis est anima mea usq; ad mortem 562.52
28 Ite docete omnes gentes 97.58
Ite baptizate in nomine patris & filij, &c. 119.37 & 182.23
Baptizantes eos in nomine, &c. 139.20
¶ Mar. 1. Venisti huc ut nos cruciares ante tempus 460.10
10 Simite infantes uenire ad me 375.48
14 Vigilate & orate, ne intretis in tentationem 348.12
¶ Lucæ 1. Spiritus sanctus superueniet in te 182.27
Quod ex te nascetur, sanctum uocabitur 613.3
Partum sine semine 226.34
Erant iusti ambo in conspectu Dei 303.39
2 Gloria in excelsis Deo 226.32
Natus est uobis hodie Saluator 376.47
9 Filius hominis non uenit perdere 379.12
20 Exposuit duos denarios 92.56
Multi prophetæ & iusti cupierunt uidere 496.57
21 Fiunt nouissima hominis illius deteriora 281.28
22 Sint lumbi uestri præcincti 400.22
24 Exite in uias & sepes 362.14
26 Si Mosen non audiunt 303.21
28 Putas inuenire fidem in terra 418.2
Publicanus delongè stabat 677.25
23 Latro credidit, & iustificatus est 312.43 & 337.38
24 Aperuit illis scripturas 326.16
¶ Iohan. 1. Et uerbum erat apud Deum 131.44
Omnia per ipsum facta sunt 139.4
Vnigenitus filius, qui est in sinu patris 130.16
Lex per Moysen data est 93.3 & 292.23
Gratia & ueritas per Christum facta est 135.23
Agnus Dei qui tollit peccata mundi 93.7 & 146.19 & 168.37
Ipse uos baptizabit in Spiritu sancto 182.53 & 400.19
Verbum caro factum est 113.6 & 161.2 & 143.19 & 567.25 480.31 390.5
2 Soluite templum hoc 536.46
3 Tu es magister in Israel 133.47
Nisi quis renatus fuerit 129.8 & 130.27
Sic Deus dilexit mundum 185.39 & 190.59
Filius hominis qui est in cœlo 182.58
4 Spiritus ubi uult spirat 137.50
Qui biberit ex aqua quam ego dabo 137.45
5 Non potest filius à seipso quicquã facere 131.57
Pater meus operatur, & ego operor 204.57
Sicut pater suscitat mortuos 339.52
Omne quod dat mihi pater, ad me uenit 387.19 & 389.25 & 391.39
6 Hoc est opus Dei, ut credatis in eum 401.59
Nisi manducaueritis carnẽ filij 585.35
Panis quem ego dabo 263.54
Panis quem ego dedero, caro mea est 204.24
6 Nemo uenit ad me nisi pater 182.55
Quò ibimus? uerba uitæ habes 293.35
7 Flumina de uentre eius fluent 261.15
Spiritus nondum erat datus 533.36
8 Si uos filius liberauerit 136.54
Non sum de hoc mundo 562.54
Priusquam Abraham fuerit, ego sum 202.44
10 Potestatem habeo ponendi. 115.24 & 119.32 & 129.18 & 139.14 & 153.11
Hæc est uoluntas eius qui misit me patris 617.55
Ego & pater unum sumus 115.6
11 Lazarus mortuus est, & gaudeo 89.33
12 Et clarificaui, & iterum clarificabo 101.8
Cum exultatus fuero, omnia traham ad me 152.58
Turbata est anima mea 101.15 & 139.60
14 Qui uidet me, uidet & patrem 131.54 & 155.12
Ego in patre, & pater in me 375.58 & 437.44
Pater maior est illo 185.20
Ego sum uia, ueritas & uita 293.36
Expedit uobis ut abeam 187.32
Si diligitis me, præcepta mea seruate 598.5 & 5
Cum uenerit paracletus, quem ego mittam 364.35
15 Non uos me elegistis 185.22
Iam uos estis mundi propter uerbum 556.54
16 Cum uenerit paracletus spiritus 191.7
Quæcunq; audierit, loquetur 139.19
De meo accipiet 548.36
Exiuit à patre 139.26
Mittam uobis paracletum
17 Manifestaui nomen tuum hominibus 143.37
20 Clausa erant ostia, & ingressus est Iesus 143.37
Accipite spiritum sanctum 182.28 & 187.17 & 198.43 & 289.29 512.20
21 Pasce oues meas
¶ Act. 1. Tu solus nosti corda filiorum hominum 236.41 193.45
2 Sedit super Apostolos Quid

Quid statis aspicientes in cœlum 226.43
Quem Deus suscitauit ex mortuis 180.6
Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis 121.23
5 Ausus es mentiri spiritui sancto 183.51
6 Non est æquũ relinquere nos uerbum Dei 89.56
7 Dura ceruice, & non circumcisi corde 225.10 & 269.27
10 Cornelio indicauit angelus, quæ sibi mandata erant 226.47
Non est aliud nomen sub cœlo 260.37
13 Missus est angelus ad Cornelium 337.49
Audientes gauisi sunt, & glorificabant 592.19
Paulus manu silentium indicens 485.45
14 Tanquam dijs immolare uoluerunt 227.25
16 Quædam mulier nomine Lydia 592.25
17 In eo uiuimus & mouemur 244.8
18 Mundus sum ego ab hoc tempore 429.36
19 Noli timere, sed loquere 592.43
27 Angelus Dei apparuit mihi 226.50
¶ Rom.1. Quod antè promiserat per prophetas 131.14 & 629.30
Seruierunt potius creaturæ quàm creatori 196.1
Propterea tradidit illos Deus in desideria 266.19
Tradidit Deus illos in reprobam mentem 206.52
Velati per inuisibilia & uisibilia 215.31
2 Tu qui doces alium, teipsum non doces 333.54
Si autem prævaricator legis 287.8
Quandiu hic uiuit, eum patientia Dei ad pœnitẽtiam 209.42
3 Omnes peccauerunt, & egent gloria 315.25
5 Quia charitas Dei diffusa est in cordib⁹ nostris 192.23. & 193.4
6 Consepulti sumus Christo 377.22
7 Non habitat in me bonum 274.14
Video aliam legem in membris meis 293.26
Oblector lege Dei 291.5
8 Qui proprio filio non pepercit & 404.47 199.27
Si spiritu facta carnis mortificaueritis 600.57
Quos uocauit, illos & iustificauit 198.4
Quos præsciuit & prædestinauit 199.22
Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum 198.37
Si quis spiritum Christi non habet 187.45
Nam quos præsciuit, & prædestinauit 198.54
Si Deus pro nobis, quis contra nos 199.60
9 Homo tu quis es 271.14
Quare me sic feciſti 268.50
Cuius uult, miseretur 269.47
Quem uult indurat 269.22
Volens Deus ostendere iram, & demonstrare 270.14
Igitur non uolentis, neq; currentis 260.23
10 A gratia Dei penitus alieni sunt 272.54
Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti 168.49 & 299.26 & 332.11
11 O altitudo diuitiarum 198.30
Quis nouit mentem Domini 494.60
Iudicia eius imperscrutabilia 191.4
15 Ad nostram doctrinã scripta sunt 94.40
¶ 1.Cor.1. Factus est nobis iustitia 129.30
2 Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent 148.29 & 130.30
3 Nescitis quia corpora uestra templum est sancti spiritus 183.36
Nescitis quia templum Dei estis 248.17
Vos Christi, Christus autem Dei 132.22
4 Quis enim te deseruit 259.28
Qui gloriatur, in Domino gloriertur 264.20
5 Qui in Corintho fornicatus est, tradidi 382.34
Qui talia agũt, regnum Dei non possidebunt 353.54
6 Empti estis precio magno 183.42
Nescitis quia membra uestra 389.5
7 Qui statuit in corde suo 444.46
Non estis uestri, sed empti estis precio 244.12
8 Quia dij multi, & domini mult 105.3
10 In Mose baptizati 638.36
Patres nostri candẽ escã spiritualẽ 95.42. & 600.42
Quia omnes unum corpus sumus 388.56
Omnia hæc in figura contingebant illis 540 51
Petra erat Christus 541.47
Ego omnibus per omnia placere studeo 269.12
Vnus panis, unum corpus 192.57
11 Debent mulieres uelamen habere 223.56
Qui manducauerit indignè 387.26 & 394.7 & 398.53
12 Nemo potest dicere, Dominus Iesus Christus 326.39
13 Vt cognoscam, sicut cognitus sum 200.17
15 Per hominem mors, & per hominem resurrectio 600.15
Si Christus prædicatur quòd à mortuis resurrexit 612.36
Caro & sanguis regnum Dei non possident 636.28
16 Permanebo Ephesi usq; ad Pentecosten 525.3
¶ 2.Cor.3. Gratias agentes patri, idoneos facienti nos 258.44
5 Nos neminem nouimus secũdum carnem 533.43
7 Foris pugnæ, intus timores 525.20
11 Ipse satanas transfigurat se in angelum 240.13
13 Oramus ad Deum ne quid mali 597.30
¶ Gal.4. Vbi uenit plenitudo temporis 608.32
Quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia 292.26
¶ Ephes.1. Qui elegit nos ante mũdi cõstitut. 206.8
Et secundum operationem uirtutis 98.1
2 Eramus natura filij iræ 275.49
Diabolus princeps huius seculi 235.45
Gratia salui facti estis per fidem 264.13
4 Vnus Dominus, una fides, unũ baptisma 184.25
Vt deponatis ueterẽ hominẽ qui corrumpitur 536.54
6 Renouamini spiritu mentis uestræ 248.48
5 Christus dilexit Ecclesiam 639.24
¶ Philip.2. Qui in uobis bonum cœpit 599.57
Deus est qui operatur in uobis 260.7
Qui cum in forma Dei esset, non rapinam 130.21 & 139 10 & 146.44

§ Nos sumus circumcisio, spiritu Deo seruiẽ 196.8
¶ Col. 1. Per filium uniuersa uisibilia & inuisibilia 139.25
Omnis plenitudo diuinitatis 139.56
Quia in ipso condita sunt 210.42
¶ 1. Thes. 1. At hunc quidẽ nescientes Deũ, seruiebatis autem ijs, qui non sunt dij 184.43
¶ 2. Thes. 2. Quẽ interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui 187.14
¶ 1. Tim. 1. Regi autem seculorum incorrupto 98.5
Misericordiam consecutus sum 595.6
2 Vnus Deus, & unus Dominus Iesus 151.57
Vnus Deus & unus mediator 320.47
Vnus mediator Dei & hominum 600.40
¶ 2. Tim. 2. Solus Dominus scit qui sunt eius. 199.11
Cognouit Dominus qui sunt eius 203.5
Memor esto Christum Iesum surrexisse 546.33
In magna domo non solùm aurea 407.15
¶ ad Titũ 3. Eramus & nos aliquãdo increduli 599. 42
¶ Heb. 1. Nouissimè locut⁹ est nobis in filio 130.19
Qui cum sit splendor gloriæ 132.7 & 138.39 & 139.18 & 160.34 151.58
Per quem fecit secula
Cui angelorum dixit Deus aliquando: Sede à dextris meis 319.34 562.35
Minorasti eum paulo minus ab angelis 89.54
4 Viuus est Dei sermo 168.58
¶ Heb. 9. Sic est Christus semel oblatus 600.28
11 Fide Enoch translatus 239.33
¶ 1. Pet. 5. Aduersarius uester 189.
¶ 2. Pet. 2. Canis reuersus ad propriũ uomitũ 30
Si Deus angelis peccãtibus nõ pepercit 228. 231.51 & 242.56
¶ 1. Iohan. 2. Multi antichristi facti sunt 418
3 Voluntate exierunt, uoluntate ceciderunt 203. 15
4 Deus charitas est, qui dilectio patris 193.57 187.20
¶ Apoc. 1. Gladius utraq; parte acutus 227.52
19 Conseruus tuus sum

LOCORVM SCRIPTVRAE

FINIS.

RERVM

Abacij prophetæ trãslatio 698.30
Abaudius legatus 906.26
Abbates monachorum
Abbiritana ecclesia 708.31
Abdiritanus episcopus 9.30
Abeloitarum seu Abeloniorum hæresis
Abibas Edessenus 568.6
54 1026.44.
Abibus Edessenus diaconus 1027.
54
Abibus Edessenus lector 1028.2
Abibus Edessenus subdiaconus
1027.60 (26
Abluathus miraculis clarus 738.
Ablabius Edessenus 1026.43
abominatio desolationis quid
100.56
abortuum resurrectio 469.39
Abrahã trinitatem cognouit 116
de Abrahamo hypotheses Aduersarij refutatæ 626.21 Donatistarum
635.65
Abrahamius Abalorum episcopus
1017.24
Abrahami Constantinopolitani presbyteri uita 1219.7
Abraham eremita 715.33
Abraamius Edessenus diaconus
1029.45 & 1027.52
Abraamius Edessenus presbyter
1027.48
abstinentia Manichæorum 539.3
Abundantius dux
Acacius 774.59. & 755.56
Acacij Amideni episcopi uita
1018.52
Acacij Ariarathiæ Armeniæ episcopi uita 1070.34
Acacius Berrœæ episcop. 819.45
Acacij Berrhœensis episcopi uita
993.58 prudentia 994.20 certamina cũ hæreticis. ibid. 41 itinera. ibid. 55 fortitudo aduersus
Basiliscum 60.23
Acacij schisma cum Constantinopolitanis 807.53
Acacius Constantinopolitanus Eutychianista 610.58 damnatus
611.52
Acacij Constãtinopolitani episcopi uita 1205.32 certamina 1206.
42 & inde. schisma cũ Ioanne
Alexandrino 806.49
Acacius Edessenus diaconus 1027.
52
Acacij Melitinensis Armeniæ episcopi uita 1069.40
Acacius Proconnesius episcopus
1059.15
Acephali cur damnarint Chalcedonense concilium 616.10 à quibus refutati. ibid. 28
Acephalorum hæresis, eiusq; historia 615.20 & inde
Achaia ab Hunis uastata 1523.19
Achaiæ episcopi 11.23 & 1168.1
Achamoth passio 208.5
Acoluthi 735.60
actiones Dei 112.52
actuale peccatum 288.43
Adæ præuaricatio 908.43
Adæ mutatio præuaricantis 910.
50
Adami & Heuæ lapsus 251.38
Adami generatio qualis secundum Manichæos 536.17
Adelphius Edessenus diaconus
1027.58 (2
Adelphius Edessenus lector 1028.
Adelphiæ episcopi 5.23
Adeodatus 822.26 & 841.35
Adimantus Manichæus 538.24
adiutorium hominis ad malum aut ad bonum 270. 46
Adonai, Dei appellatio 104.58
adoptionis signum an fuerit Spiritus sanctus ante Christũ 496.36
adorationẽ angeli recusant 227.19
Adrianopolitana ecclesia 12.9
Adrumentinus episcopus 8.56
Adrumentini monachi 473.11
aduentus Christi 132.32. duplex
181.16
Aduersarij legis & prophetarum, hæresis & hypotheses 624.40
adultorum baptismus 654.2 &
657.13
ædem quid uocet Chrysostomus
642.10
æditui 736.18
æditui gentilium 1507.38
Aegidij Tschudi Rhetia 1316.3
ægroti baptisati 660.22
ægrotorum uisitatio 743.18
ægrotorum uisitatio in Rom. ecclesia 731.44
Aegypti monasteria 700.57
Aegyptij quidam episcopi & monachi Eutychiani 611.16
Aegyptij monachi 1434.38
Aegyptij præceptores philosophorum 487.31
Aegyptiorum dij 1503.16
Aegyptiorum episcoporum literæ ad Leonẽ Imp. 578. uitæ 1099.1
Aemylianus Byzancenus episcopus 1143.27
Aemylius Beneuenti episcopus 34.
50
Aemylij Beneuenti episcopi uisio 1481.60. uita 1292.24
aereum elementum quale 228.43
Aesculapius 1593.30 & 1504.1
Aesculapij festa 1508.43
æternum esse proprium Dei 106.48
Aethericus Smyrnæ episcopus
1051.7
Aetius archidiaconus 937.43
Aetij Constantinopolitani archidiaconi uita 1222.6
Aetij historia 1523.38
Aetius Nicopolis Thraciæ episcopus 1226.28
Actij præfecti historia 1521.46
affectus naturalis in Christo 148.
afflictionũ gradus 454.38 (7
de Afflictionibus doctrina patrum
454.15
Africa Arianis repleta 552.42
Africæ calamitas sub Genserico
41.41. gentilismus 1501.41
metropoles 758.32
Africæ persecutionis præsagia
1492.20
Africanus episcopus 822.42
Africani doctores 1144.11
monachi 701.28 & 1434.36
Africanorũ doctorũ uitæ 1071.30
Africanorum episcoporum ordo
759.28
Africana persecutio sub Hunericho
61.27
Africanæ ecclesiæ 7.42
Africanarum ecclesiarum restitutio & reformatio 24.10
Africani concilij epistola ad Cœlestinum Romanum 870.1
Afrodisius 833.15
Agapeti Apameensis episcopi uita
993.13
Agapetus Macedonianorũ episcopus cõuersus 23.10. historia
56,612
Agapeti Synnadensium Pacatianæ Phrygiæ episcopi uita 1052.50

Agapius Edeſſenus diaconus 102.7.
Agathæ eccleſia 14.51 (58
Agathenſis ſynodus 928.8.
æger dæmonibus liberatus 684.52
ager pro mundo 97.29
Agnetis feſtum 694.2
Agnetis templum Conſtantinopoli 644.2
agnus, Chriſti appellatio 129.56
Agoniſtici cur Manichæi 538.40
Agræcius metropolitanus 763.30
Agræcij Senoniæ epiſcopi uita 1399.1
Agricola Pelagianus 586.56
Agricolæ monachi uita 1440.17
ἀὼρ quid 97.37
Alabius Nouatianorum epiſcopus 530.32
Alanorũ attritio 76.48. in Africam expeditio 1521.56
Alaricus Gothorum rex 928. 14 & 1482.44
Alaricus Gothorum rex 1517.31
Alarici Veſtgothorum regis res geſtæ 1519.4
Albanus põtifex Moguntinenſis 37.23
Albani martyrium apud Moguntiam 17.43
Albenſis eccleſia 15.23
Albinganenſis epiſcopus 13.51
Albertus Hierapoleos Phrygiæ epiſcopus 1054.27
Alchimedes Silaudi Lyciæ epiſcopus 1039.24
Alcimus Auitus eccleſiæ Viennenſis paſtor 693.20
Alemanni à Francis fuſi 20.14
Alexander epiſcopus 755.52
Alexandri eccleſia Alexandriæ 47.30
Alexandri Antiocheni epiſcopi uita & laus 980.41 (12
Alexãder Apatenæ epiſcopus 893.
Alexandri Apameenſis epiſcopi uita 993.35
Alexander Colophonenſis epiſcopus 1049.45 (893.14
Alexander Hierapoleos epiſcopus
Alexandri Hierapolis epiſcopi uita 992.15
Alexander Magneſiæ epiſcopus 1047.33
Alexander martyr 20.25
Alexandri martyris ſub Arcadio uita 1471.10
Alexander Magnus 77.60
Alexander monachus 1434.40
Alexander Naulochi epiſcopus 1047.46
Alexander Oceæ epiſcop. 1055.13
Alexandri Parenſis epiſcopi uita & cauſa 997.51
Alexandri Sebaſtæ epiſcopi uita 1034.54
Alexander Seleuciæ Piſidiæ epiſcopus 1038.56
Alexandria 750.33
Alexandriæ eccleſia 7.43. gentiliſsimus 1501.42. Iudæi 1494. 26. tumultuoſi 1495
Alexandriæ motus ſub Honorio 801.56. perſecutio ſub Theodoſio 55.34. ſub Leone 56.38
Alexandria electi Iudæi 77.50
Alexãdrinus populus ad ſeditiones propenſus 46.57
Alexandrini epiſcopi 1071.30
Alexandrini Apollinaris ueneno infecti 566.39 Nouatiani 530.29
Alexandrinorum diaconorum uitæ 1097.51 (1094.35
Alexandrinorũ preſbyterorũ uitæ
Alexandrina bibliotheca 748.13
Alexandrina ſynodus contra Origenem 809.42. alia 950.25. alia 820.18.30
Alexandrinum ſchiſma ob Proterium 805.24
Alexij Romani mendici uita 1452.
Alicianus 832.16 (26
Alipij labores contra Pelagianos 587.50
Alipij Tagaſtenſis epiſcopi uita
allegoria 95.52 (1157.50
allegorijs quando locus 100.20
in Allegorias non omnia transformanda 423.59
Alleluia uocis uſus 692.55
alligationis prædeſtinatio 202.5
Almogith Hibernenſium regis filij ſeptem baptiſati 21.55
Alphius Myndi epiſcopus 1040. 30
altaria erecta hoc ſeculo 646.20
altaria ſacrari ſolita 744.24
Altini eccleſia 13.36
Alypius 841.30
Alypius Tagaſtenſis 855.56
Amachius Septoriorum epiſcopus 1049.50
amando ad Deum ueniri 325.25
Amathuntis eccleſia 10.36
Amatoris Antiſiodorẽſis epiſcopi uita 1406.44
Ambiuius Africanus epiſcopus. 1154.54 (27
Ambiones à Francis ſubacti 1522.
ambonis mentio 647.10. uſus in Romana eccleſia 727.37
Ambroſius Aurelius reformat eccleſias 32.55
Ambroſij Alexandrini uita 1094
Ambroſij Alexandrini uita 749.52 (20
Amida metropolis 5.10.
Amidæ eccleſia (28
Ammonij communio 671.10
Ammonius Iotapæ epiſcopus 1035.
Ammonius Laodicenſis 816.48
Ammonij monachi uita 1434.18
Ammonij monachi ſchiſma cum Theophilo Alexãdrino 797.50
de Amneſtia, Pelagianorum hypotheſes 584.47. refutatæ 603.44 822.29
Ampelius
Ampellus Africanus epiſcopus 1154.54
Amphilochius Iconij epiſcopus 1051.17
Amphilochij Sideni epiſcopi uita 1035.54 32.11
ampliatio eccleſiæ 714.37
anachoretæ 703.38
Anachoretæ monachi 704.22
ἀναλαβοὶ monachorum 95.52
analogia 644.16
Anaſtaſiæ templum 1065.17
Anaſtaſij Ancyrani uita
Anaſtaſius Anithæ Arabiæ epiſcopus 979.47 1455.26
Anaſtaſij hæretici uita
Anaſtaſij Hieroſolymitani epiſcopi uita 962.37
Anaſtaſius Imp. excommunicatus 728.35
ſub Anaſtaſio quæ ſynodi 957.20
Anaſtaſius monachus 1434.40
Anaſtaſius Neſtorianus 607.42
Anaſtaſij Niceni epiſcopi uita 947.38
Anaſtaſij Rom. epiſcopi uita 1226. 1061.30. depoſitio 45. conſilia. 1227.27. ordinationes. 1228. 7 mors. ibidem
Anaſtaſius Paleſtinus 975.32
Anaſtaſij preſbyteri hæreſis 606.1
Anaſtaſius Sinaita monachus 615. 54
Anaſtaſij Theſſalonicenſis epiſcopi uita 1169.14 (50
Anaſtaſij & Neſtorij ſchiſma 802.
Anatolinus Conſtantinopoli 777. 39. & 783.42
Anatolij Conſtantinopolitani epiſcopi uita 1201.42
Anatolius Edeſſenus 1026.44
Anaxagoras de Deo 1505.3
Anazarba 749.55
ancillæ tortura 77.52
ancyra 750.11

Ancyræ Galatiæ ecclesia 6.56
Ancyrani Nouatiani
Andegauensis ecclesia 530.28
Andragathius Chrysostomi præceptor 1170.55 (53.
Andreas Edessenus diaconus 1027.
Andreæ monachi uita 1452.11
Andreas Palæstinus 975.37
Andreas presbyter & archimandrita 1451.6
Andreas Stectorũ episcop. 1049.
Andronicus præfectus Pentapoleos 1105.17
angelus magni consilij Christus 129.23.34
angelus uebiculum uerbi
angeli uox quid significet 217.20
angelum unicuiq; genti proprium præesse
angeli quid 227.15
angeli boni confirmati 221.5.quõ apparerant hominibus 222.20
angeli an mulieribus posint permisceri
angeli libero arbitrio conditi 218.30.quando.ibidem.46. quomodo sancti 219.26.quales 219.59.
omnes simul creati 220.7.quando 220.32. quod & quomodo Deum norunt.ibidem.48
angeli quomodo corporei 227.57.
serui hominum 224.20.ad quid maximè parati 226.26
angeli mali unde 231.5.quomodo profligandi 241.59 (17
angeli multi à diabolo seducti 234.
angelorum apparitiones 1482.53.
lapsus 221.51 (228.58
angelorum nomen hominib. datũ
angelorum panis 227.43. substantia 217.52.218.18.ordines 218.7.
distinctio 219.27 uerbũ 101.36
angelis profuisse crucem Christi 498.43
angelos esse creaturas 219.1.nolle adorari.227.19 non posse uidere Deũ sicuti est 220.58.ministrare etiam hominib. 223.27
per Angelos descendere Deum 194.46
angelis maiores homines 247.17
de angelis Manichæorum hypothesis 536.5. Priscillianistarũ 570.
26
de angelis bonis opiniones patrum 497.29
de Angelis malis patrum doctrina 229.28.2
Anglosaxonum historia 1522.40
auguria 720.43
Anianus Aurelianensis episcopus 15.52
Aniani Aurelienſis episcopi uita 1411.22
Anianus Capitoliadis episcopus 974.28
anima quid 224.47.eius qualitates.ibidem deinde
anima hominis imago Dei 248.31
animæ fornicatio ultima quæ 195.34
animam agentes baptisati 660.24
animã quomodo impleat diabolus 240.54
animam nõ esse ex traduce,opinio Augustini 499.17
de Anima Apollinaristarum hypothesis 567.6.gentilium 1504.33.
Manichæorũ 536.59. cõfutatæ 549.54 Pelagianorum 577.18
Tertullianistarum 552.22
de Anima & homine Paganorum doctrina refutata 1515.33.Priscillianistarũ hypothesis 570.47.
cõfutata 573.49.Vincẽtij Victorij hæresis & hypotheses 620.
56.& inde.cõfutatæ 622.10(41.
ex Anima scaturire peccata 277
animæ quomodo post mortem habeant 486.44
de Animarum loco, patrũ opiniones 520.17
animas à Deo creari 244.41.non reuerti in hunc mundũ 485.37
animalium minutißimorũ creatio 213.5
Auitrus episcopus 822.29
Annianus Pelagianus 586.42
Anniani hæretici uita 1454.36
Annonia Vallis 20.26
annunciationis Christi festum quãdo & quomodo celebretur ab Armenijs hæreticis 619.59
Antemij presbyteri ordinatio 682.42
Anthedonis Arsinoes Aegypti episcopi uita 1099.50
Anthemius Imperator 1294.54
& 1524.56
Anthropomorphitæ 798.43
Anthropomorphitarum hæresis 568.34
Antichristus ubi sessurus 418.19
quã persecutionẽ moturus.ibid.52
Antichristi receptio hoc seculo 2.17.signa 419.5.elatio.ibid.52.tẽpus aduentus 420.6
Antichristum quis destructurus sit 421.8
de Antichristo Aduersarij hypothesis refutata 627.40. Donatistarum 636.40
de Antichristo patrum doctrina 416.9
Antichristi qui sint 420.22
Antidius Vesontiensis episcopus martyr 37.11
Antidij episcopi & martyris uita 1477.54
Antidotum,liber 1325.52
Antiochia 749.46
Apollinaris dogmate infecta 566.45.terræmotu cõcussa 1491.49
Antiochiæ gentilissimus 1501.23. Iudæi 1494.23
Antiochensis episcopus 3.53
Antiochenus presbyter & archimandrita 1451.13
Antiocheni episcopi 980.3
Antiochenæ ecclesiæ celebritas 4.5
Antiochenæ ecclesiæ turbæ 33.53
Antiochena persecutio 58.36.synodus 898.32.42
Antiochia Pisidiæ 750.14
Antiochiæ Pisidiæ ecclesia 5.39
Antiochi Archelaidis episcopi uita 974.30
Antiochus Edẽssenus diaconus 1026.46
Antiochus & Bassus Coss. 804.6
Antiochus Neæ Phrygiæ episcop⁹ 1053.58
Antiochus Ptolemaidis episcopus hostis Chrysostomi 74.26
Antiochi Ptolemaidis episcopi uita 975.40
Antioli Galliarum episcopi uita 1417.52
Antipater Cannii Lyciæ episcopus 1039.43
Antipatridis ecclesia 3.35
Antiphona à quibus instituta 650.45
antiquitas paganismi refutata 1512.
Antisiodorensis ecclesia 16.25(29
Antoninus 82.14.et 841.40
Antonij Ariani horrenda crudelitas in Christianos 71.59
Antonij Constantinicnsis episcopi uita 1142.55
Antonius Domitiopolis episcopus 1037.47 (de
Antonius Ephesinus 81.42.& in
Antonius eremita 717.57
Antonius Nephelidis episcopus 1037.45

Antonius Nestorianus 607.43
Antonius Palatinus 822.26
anus cuiusdam cum puero in exiliũ properantis alacritas 63.56
Anxianon Prepenissæ episcopus 1053.41
Anysius Edessenus diaconus 1027. 53
Anysius Thebanus episcopus 1167. 58
Anysius Thessalonicẽsis episcopus 11.42
Apamea 749.49
Apameæ ecclesia 4.38
Apameenses episcopi 993.12
ἀποθεῶς monachi 703.28
Apeneus Edessenus diaconus 1027. 57
Aphrenius Edessenus diaconus 1027.51
Aphricana persecutio sub Leone Imp. 58.58
Aphrodisias Curiæ 749.60
Aphrodisiadis ecclesia 12.14
Aphrodisiadis Magnesiæ ecclesia 5.52
Aphroditanus episcopus 8.17
Apiarij presbyteri malitia 852.36
Apiarij Siccensis episcopi uita 1142.2
Apis deus 1503.30
Apocalypsis an Ioannis 528.26
Apocrisarius 1099.41
de Apocryphis patrum doctrina 527.53
Apollinarij cacodoxia 57.25
Apollinaris hæresis 125.2 & 610.10
Apollinaristæ 152.49.et 153.29.49
Apollinaristarum hæresis 566.25
Apollinis festa 1508.42
Apollonius Taneæ episcopus 1105.47
apostatæ qualiter tractati 770.45
non rebaptisati 658.54
ἀποστολεῖον templũ Cõstantinopoli 643.52
Apostoli an habuerint spiritũ sanctũ ante passionẽ Christi 193. 28
Apostoli prædicatores Euangelij 89.20
Apostolorum & Christi doctrinæ unitas 89.52
Apostolorũ basilica 726.22
Apostolorum scripta 84.50
Apostolorum sepulchra 237.16.uisiones 241.21
Apostolica fides 103.24
Apostolica scripta publicè prælecta 649.52
apoteleſmata 492.4
Apragmonius episcop. 1066.34
Apuliæ episcopi 14.15
aqua spiritus sancti gratia dicta 182.49
aqua qua usi ad baptismũ 652.59
Aquæ Regiensis ecclesia 9.32
Aquis Regiensis ciuitatis martyres
aquarij qui dicti 672.14 (70.24
Aquilæ uersio 528.47
Aquileia solo æquata 1523.60
Aquileiensis ecclesia 13.31
Aquilinus Bibli episcopus 926.20
Aquilini Bibli episcopi uita 978. 32
Aquitana ciuitas 750.53
Aquitania 15.10
Aquitania Vestgothorum regi data 1521.7
Aquitanica terra expulsi Gothi 24.1
Arabasi episcopus 7.21
Arabes episcopi 979.9
Arabicæ ecclesiæ 3.43
ad Arabissum multi conuersi 21.13
Arabius Simæ ciuitatis episcopus 1053.59
Aranarius Tungrorum episcopus 16.35
Aranarij Tungrorum episcopi uita 1409.54
Arausiæ ecclesia 14.55
Arausiaca synodus 906.45.secunda 908.18
arbitrij liberi in conuersione ratio 255.48
Arbius Edessenus diaconus 1027. 54
de Arbore uisio Pauli episcopi 1492.49
Arcadiæ ecclesiæ 8.23
Arcadius Imp. 769.47 & 905. 39. excmonunicatus 662.52. & 664.29
Arcadius quandiu orientis Imperator 24.59
Arcadij descriptio 25.26.& inde miraculosa oratio 1478.60 obitus 75.31
Arcadij zelus in promouenda religione 22.12
sub Arcadio q̃ martyres 1470.12. miracula 1478.12. prodigia 1.479.51.mutationes politicæ 1517.10 schismata 789.1. 808.42
Arcadius martyr 46.16
Archadius Rom.legatus 894.3
Archebius Panephysi episcopus 7. 60
Archebij Panephisi Aegypti episcopi uita 1100.37 3.32
Archelaidis ecclesia 219.42
archangeli 906.27
Archidamus legatus 1313.28
Archidami Itali uita 735.36
archidiaconus 757.39
Archiepiscopi qui 759.47
archiepiscoporum officia 763.3. potestas 764. 35 731.33
Archipresbyter
Archontes magistratus Iudæorum 1498.60
de arcu Attilæ fracto uisum 1489. 26 80.19
Ardaburij ducis pœna 56.2
Ardaburij patricij potentia 1481.21
Ardealitum flumen 1484.37
Ardeburij ducis historia 725.33
aræ in Rom. ecclesia 1462.33
areæ triticeæ uisio 1525.36
Arelatũ ab Eurico subactũ 1525.36
Arelatensis ecclesia 15.15.obsidio 76.58.tertia synodus 950.38.& quid in ea actum. ibidem
Areta Elusæ episcopus 974.42
Argentina 1314.28
Argentinæ ecclesia 17.48
arguendi qui sint 582.58
Arius refutatus 85.9
Arij blasphemia 115.40
Ariani cuiusdam & orthodoxi episcopi miraculum 1488.23
Ariani cuiusdã pastoris fraus 70. 41
Arianorum error 122. 40 hæresis 552.32. in Homousianos malicia 65.28
Arianorum & Homousianorum synodus Carthagini 953.35
Arianorum immensa crudelitas 72. 54 66.53
Ariminense concilium 13.24
Ariminensis ecclesia
Aristotelis ars 104.15. cum Platone dissensio 487.25
Aristeus Macedoniæ episcopus 1169.59
Aristomachus Coloniæ Cappadociæ episcopus 1068.5
Aroetianus Antandri episcopus 1047.32
Arpocrationis hæretici uita 146.2. 39
Armatius Mysij episcopus 1051. 45
Armeniorum hæresis 619.20. eius hypotheses. ibid. 26. ritus. ibid. Armeniæ

Armeniæ ecclesiæ 7.9. episcopi 1068. 53. synodus 903.16
Armenta monachi dicti 702.56.
Armentij Turonensis uita 1397. 59
Armogastis aulici martyrium horrendum 44.41
armorũ diaboli duo genera 241.25
Arsacius excõmunicatus 663.54. et 666.33
Arsacij in locũ Chrysostomi expulsi constitutio 33.15 cõmunio 671. 19
Arsacij interitus
Arsalus & socij 74.23
Arsacij Constantinopolitani episcopi uita 1502.45
Arsenius Edessenus presbyter 1185.13
Arsinoitarũ gentilium 1027.48
Arsenius præfectus 1505.49
Arsinoitẽsis ciuitatis episcopus 807.34
artium scholæ 8.8
Arturus Britannorũ rex instaurat ecclesias 749.10
Arturi Britonum regis historia 24.6
Aruerni à Gothis subacti 1525.29
Ascades Assyriorum rex 1524.19
Ascalonæ ecclesia 291.47
Ascani Tarraconensis episcopi uita 3.32
ascensionis Christi fructus 1421.12
Asceticon liber hæreticus 180.57
Asclapius 896.22
Asclepia Aesculapij festa 905.39
Asclepiadis Constantinopolitani diaconi uita 1508.44
Asclepiades Nouatianorum episcopus 1222.42
Asclepiadis Trallensium episcopi uita 530.32
Asclepiades Trapezopolitanꝰ episcopus 10 40.51
Asclepij Baiẽsis episcopi uita 1068.35
Asellus presbyter 1139. 57
Asiæ ethnicismus 852.51
Asianæ ecclesiæ 1501.10. metropolis 749.43
Asianus Seleuciæ episcopus 3.8
eius uita 893.13
Asiaticus 995.52
Asiaticus Sitifensis Mauritaniæ episcopus 841.37
Asiologus Macedoniæ episcopus 1164.43
Asparis historia 1170.8 1521.40
Asparis ducis historia 1484.45
pœna 80.10
Asparis patricij potentia 56.1
Aspendensis episcopus 5.38
aspersiones Paganorum 1508.29
Astensis episcopus 833.17
Asterius.ibid.
Asterius Constantinopolitanus presbyter 1219.47
Asterius presbyter & archimandrita 1451.40
astrologia à patribus reprehensa 488.42
de Astrologia gentiliũ hypothesis 1506.5 Priscillianistarum 571. 60. refutatæ 576.8
astrorum obseruatio refutata 1516.
Asturi ecclesia 18.7 (31
Atarbius Trapezuntis episcopus 1068. 49
Athanasij presbyteri Alexandrini accusatio in Dioscorum 50.41. eiusdem uita 1097.11
Athanasij Busiridis episcopi uita 1099. 20
Athanasij Celetis hæretici uita 1469.36
Athanasij Hierosolymitani libertas in Theodosiũ seditiosum 54.
Athanasius Opuntanæ ciuitatis 53 episcopus 1168.22
Athanasiꝰ Seleuciæ Isaurorum diaconus 1037.36
Athenæ 97. 6.
Athenarum gentilismus 1501.33
Athenis quãdo Paulus fuerit 524.
Athenienſis ecclesia 11.18 (46
Athaulphi Vestgothorũ regis res gestæ 1520.8
ἀθανάτοι Persarum cæsi 79. 15
Atrebatẽses à Francis subacti 15.22 28
Attali Gothi res gestæ & captiuitas 1520.41
atteridamus, uox ubi usurpata 649.56 (40
Atticorũ dæmonũ ædituus 1507.
Atticus Cõstantinopolitanus 587. 22
Attici Cõstantinopolitani episcopi acta pro ecclesijs Persicis 48.38
cõciones quales 649.10. cõtentio cũ Cyrillo 1082. 20. literæ ad concilium Africanũ 862.8
Attici Constantinopolitani turbæ 34.11
Attici Constantinopolitani episcopi uita 1186.16
dona 1187.8. scripta 1188.44. doctrina 1189.36. certamina 1190.58
Attici Nicopolis in Epiro episcopi uita 1168.31
Attilæ Huunorum regis res gestæ 1523.16. uisio 1489.3
Attila turbator ecclesiarum 52.10
Attilæ tyranni interitus 79.50
Attrebatensis ecclesia 16.45
Auctor Metensis episcopus captus ab Hunnis 52.35
Audæanorum hæresis 568.36
Audentius 905.38
Audentij Hispaniæ episcopi uita 1424.37
auditorum distinctio 741.48
Auennionæ ecclesia 15.22
Auentius Palæstinus 975.29 (35
Auerni à Vestgothis subacti 1525.
Auernorum ecclesia 15.1. schola 748.48
Augustalis regionis ecclesia 8.22
Augustanẽsis episcopus 13.48 (26
Augustinus 82.10. et 841.30. et 852.
August. de baptismo infantum 375. 59. de ecclesiæ propagatione 2. 32. et 18.25. de proprietatib. Dei 109.10. de scripturæ autoritate 83.29. distributiõe 88.15. lectiõe 90.60. de nouo Testamento 89. 12. de duobus Testamẽtis. 85.60
Augustinus refutauit Iudæos 1499. 51
Augustini electio 680.2. labores contra Paganismum 1511.12 contra Pelagianos 587.50
Augustini libri cõtra Manichæos 539.50
Augustini locus 94.51. et 95.4. locus de Trinitate præclarus 114.40. narratio de Donatistarũ immanitate 38.12
Augustini opera cõtra Donatistas 631.41
Augustini oratio ad Trinitatem 348.44. uita et parẽtes 1113.43. pueritia. ib.53 adolescẽtia 1114. 5. studia. ibidem. 1118.17. scripta 1120.6 & 1122.29 & 1124.19 et 1129.21. doctrina 1129.40. næui 1133.12 certamina 11 33.50 uitæ pia institutio 1135.56. familiares 1136.32. mors 1136.53 et 1521.60
August. opinio de angelis 498.14. de loco animarũ 520.52. de baptismo 516.19. de Christo 496. 10. de Spiritu sancto. ibidem. 35. de coniugio 518.36 de homine

homine 499.17
de iuſtificatione 505.7
de libero arbitrio 501.31
de operibus 507.40
de peccato originali 499.50
de ſanctorum interceſſione 510 60
Auguſtini ſymbolum 84.50. teſtimonium de monachis 701. 28
Auguſtini & Hieronymi ſchiſma 789.3
Auguſtinus Numidiæ legatus 957. 17
Auguſtinus Palæſtinus 975.26
Auguſtoduni eccleſia 16.32
Auguſtulus Imp. 1524.49
Auiti Hiſpani presbyteri uita 1425.39
Auitus Imperiũ deponit 1524.30
Auiti Placentiæ epiſcopi uita 1300.50
Aulici quidam taxantur 25.49
Aurelianenſis eccleſia 15.52
Aurelianus 833.24
Aurelij Adrumetini epiſcopi uita 1139.20
Aurelius Andegauenſis epiſcopus 16.33
Aurelius 822.24 & 841.29
Aurelij Carthaginenſis epiſcopi uita 1107.46. amici 1108. 2. epiſtola ad prouincia 846.50
Auſenſis epiſcopus 1542
Auſonenſis epiſcopus 17.18
Auſpicij Galliarum epiſcopi uita. 1417.20
Auxẽtij Exſcholaris monachi uita 1453.34
Auxianon Byſenorum epiſcopus 1053.42
Auxianus abbas 756.35
Auxilianus Hippodion gẽtis Saracenorum epiſcopus 1071.4
Auxilius epiſcopus accuſatus 754 46
Auxilij Africani epiſc. uita. 1153. 17
Azanarius epiſcopus 16.38
Azazena regio uaſtata 1018.57
Azoti eccleſia 3.33
Azuritanæ ciuitatis epiſcopus 9.5
azymorum ſignificatio 93.28

B

Babylæ martyris templũ ante Antiochiam 642.40
Babyloniæ eccleſia 8.8
Bachus à Græcis cultus 1504.2
Bacchi feſta 1508.40
Bacciarij Britanni uita 1429.45
ſcripta. ibidem
Bæticæ Hiſpaniæ eccleſia 17.19
Bagaienſis ſynodus 872.43
Baldebertus Lãdtgrauius Heluetiæ 1315.8
baptiſma non differendum 378. 34
baptiſmus Armeniorum hæreticorum 620.30
baptiſmus certo tempori non alligat⁹ 653.36. quomodo accipiendus 365. 34. non repetendus 639.20
Baptiſmi adminiſtratio qualis hoc ſeculo 652.21 - 59. deſcriptio 362.50. autor. ibidem. 59. miniſtri 363. 56. materia 364 23. forma. ibidem. 48 dignitas 365. 55. effectus 367.22. finis 368. 12. ſignificatio 374.38. forma 656. 52
baptiſmi ritus in Rom. eccleſia 727.44
baptiſmum unicum ſatis eſſe 366. 30
circa Baptiſmũ caſus aliquot 658. 52
de Baptiſmo patrũ doctrina 362. 46. opiniones 515.24
de Baptiſmo hypotheſis Donatiſtarum 630.6. confutatæ 638.32
Pelagianorum hypotheſis 585.1 confutata 694.10
baptiſandi de quibus articulis examinati 655.23
in Baptizãdis certa tempora obſeruata 653. 28
baptiſatorum liberi an ſancti 377. 50
baptiſatorum ueſtitus 658.27
baptiſatis munera data 658.41
de non Baptiſatis locus Auguſtini 379.28
baptiſterium 652.44
baptiſterij mentio 647.13
baptiſteria 727.46
baptizationes paganorum 1508. 31
Bararanes Perſarum rex 1483. 48
Barbari cuiuſdam literæ ad Honorium 76. 50
barbam radunt gentiles lugentes 1509.32
Barbas Arianus epiſcopus 552. 58
Barbentius Palæſtinus 975.24
Barchinonenſis epiſcopus 17.32
Barcis epiſcopus 8.30
Barnabas adorationem ſui recuſat 227.23
Barnabæ apoſtoli reliquiæ 697. 45
Barſumas archimandrita præcipuus 50.16. & 940.40
Barſumas archimãdrita Eutychianiſta 611.5
Barſumæ presbyteri & monachi uita 1432.53
Baruchi Oruzæ epiſcopi uita 973.38 1314.34
Baſilea 17.45
Baſilienſis eccleſia 646.42
Baſilicus ubi coronam Imperij dẽpoſuerit 1525.24
Baſilici ducis res geſtæ 1222.53
Baſilij Conſtantinopolitani diaconi uita 1526.26
Baſilici Imperiũ affectantis interitus 641.24. & 642.20
baſilicæ 726.22
baſilicæ Romanæ 756.52
baſilicarum dedicatio 208.8
Baſilidis hæreſis 1059.21
Baſiliſci Cyziceni epiſcopi uita 59.58
Baſiliſcus imperium inuadit quomodo adminiſtrarit. ibidem
cui ſectæ addictus ibidem
Baſiliſci cædes 61.20
Baſiliſcus martyr Nicomedienſis 1482.24
Baſiliſci martyris templum apud Comagenos 641.28
Baſiliſci tyranni ſchiſma 807.54
Baſilius Antiochiæ epiſcopus 990.38
Baſilius Edeſſenus preſbyter 1027.48
Baſilij Epheſini epiſcopi uita 1043.37
Baſilij Galliarum epiſcopi uita 1416.52
Baſilius Orei epiſcopus 1053.43
Baſilij Seleuciæ Iſauriæ epiſcopi querelæ de Dioſcori iniurijs 50. 34. uita 1036. 34. apoſtaſia. ibidem. reuocatio 1037.10. certamina cum Eutychianis 611.36
Baſilius Teorum epiſcopus 1047. 46
Baſilius Traianopolis epiſcopus 1226.25
Baſiani Epheſini epiſcopi uita & afflictiones 1044.3 & unde Baſiani

Bassiani Laudunẽsis episcopi uita 1410.38
Bassiani Mopsuesteni episcopi uita 1033.56
Bassiani & Stephani causſa 946.51
Bassus Edessenus presbyter 1027.49
Bassus Edessenus subdiaconus 1027.59
Bassus multatus
Bassus & Antiochus Coss. 746.36 804.6
Batani à Francis subacti 1522.26
Bataniæ episcopus 18.5
Barbauia Bauariæ urbs 1316.29
Beianus Baianensis
bella quæ iusta 873.13
Belnacẽses à Francis subacti 453.45 1522.29
benedicere populo, usitatum 649.26
beneficentia Dei 113.34
beneficium Christi uniuersale 179.11. & 164.18
beneficia Christi innumera 172.6. & inde
Benianim diaconus Persa, martyr 48.25
Benetij Bibli episcopi uita 978.22
Beneuentanus episcopus 13.12
Beorgoris Alanorum regis in Italiam incursio
Berbacum ecclesiæ 1525.13
Berecynthiæ matris deûm ludi 7.35 1509.23
Bergomatis episcopus 13.51
Bermiani Pergensis episcopi uita 1036.6
Berrhœenses episcopi
Berrhœa ecclesia 993.57
Beryllus Alalæ episcopus 4.31 974.39
Berytanus episcopus
Berytij synodus 4.32
Bessica familia 924.16
bestia intelligibilis, diaboli appellatio 55.59
bestiæ non colendæ 230.30
Bethlehem ecclesiæ hospitium 195.9 3.21
Bibli ecclesia
bibliothecæ ecclesiarum 4.39 748.12
bibliotheca Theodosij iunioris imp. 40.56
bibliotheca Cõstantinopoli igni cõsumpta
Bigerrensis episcopus 1493.48
Bithyniæ ecclesiæ 17.18
Bithyniæ episcopi 6.50
Bizagena prouincia 1059.46 45.6
Bizanzenæ prouinciæ ecclesia 9.31
Bizanzenæ prouinciæ episcopi 1143.18
Bizyæ ecclesia 12.14
Boiodurum Bauariæ 1317.60
boni omnis autor Deus 112.39
bona Ecclesiastica 746.7
Bonifacius Africæ prouinciæ præfectus 41.46
Bonifacij Africani doctoris uita 1153.46
Bonifacij cuiusdam historia 1521.20.46
Bonifacij diaconi monachi uita 1474.25
Bonifacius Foratianẽsis episcopus 1156.52
Bonifacius Gazanensis episcopus 1156.52
Bonifacij Itali uita 1313.35
Bonifacius martyr 71.35
Bonifacius presbyter 34.51
Bonifacij presbyteri et Rom. legati uita 1292.26
Bonifacij Romani malitia 855.25
Bonifacij Rom. episcopi uita 1239.1. constitutiones 1240.3. certamina 1241.1. ob eius electionem schisma ortum 894.54
Bonifacius Sibidinensis martyr 70.12
Bonifacius uir militaris 2.38
bonitas Dei 106.23
bonitatis Dei argumenta 197.21
Bononiæ ecclesia 14.11
Bononiensis academia 748.46
Bonosus Palæstinus 975.22
Bonosi Ticinensis presbyteri uita. 1295.50
Bonosi monachi 703.57
Bosphori ecclesia 12.20
Bostra Arabiæ metropolis 979.11. & 749.53
Bostrenensis episcopus 3.51
Briccij Turonensis episcopi uita 1395.31
Bricius episcopus Turonensis 16.49
Brison eunuchus 815.48
Brison Philippensis 816.44
Britannia à Scotis & Pictis pressa 1521.10
Britanniæ doctores 1426.20 motus 1520.30. & 1526.30 mutatio 1522.36
Britannicæ ecclesiæ 18.15
Brixianus episcopus 13.50
Brixillensis episcopus 13.47
Brutiorum episcopi 14.17
Bullaregensis episcopus 9.23
Burdegalensis ecclesia 15.40
Burgundiæ ecclesiæ 17.33
Burgundiorum gens quando & quomodo ad Christũ cõuersa 19.15
Burgundionum de Hunnis victoria 1484.54 res gestæ 1520.24
Busiridis ecclesia 8.12
Buturicis ecclesiã Christi fuisse 15.

C

Cabassæ ecclesia 8.8
Cabillianorum ecclesia 15.8
Cadmus 1502.42
Cæcilianus 857.57
Cæcius mons 1316.40
Cæsarauguſtæ episcopus 17.13
Cæsarea 750.38
Cæsareæ Cappadociæ ecclesia 7.2
Cæsariæ Palæstinæ ecclesia 3.14
Cæsarius 908.22
Cæsarius Edessenus diaconus 1027.56
Caienus Medinæ episcopus 979.46
Caiumas Eoleſſanus 1026.44
Caiumes episcopus rudis 734.3
Calagurensis episcopus 17.13
Calamensis ciuitas 750.36. ecclesia 9.31. episcopus 10.2
calamitates unde 454.44.
de Calamitatibus gentilium doctrina 1506.2
Calandion Antiochenus episcopus 808.28
Calandionis Antiochiæ episcopi uita 990.52
Calandion Halicarnaßi episcopus 1040.32
Calandionis communio 671.26
calceamẽtis nõ usi monachi 704.38
Calemori agricolæ uisio 1487.6
calicis usus 668.48
Callicrates Macedoniæ episcopus 1170.7
Callinicus monachus & archimandrita 1451.44
Callogerus Claudiopolis Ponticæ Honoriadis episcopus 1066.26
Calomnæ uilla 1511.21
Calonensis ecclesia 16.14
Calostrius Arsinoitensis episcopus 1106.55
Cameracenses à Francis subacti 1522.27
Campaniæ ecclesia 13.9
Campoli Carthaginensis episcopi uita 1108.28

in Campo quãdo ſupplicationes facta 651.37
camelis uſa Rom.eccleſia 725. 32
Candidianus comes 893.36
candidiani Antiochiæ Piſidiæ epiſcopi uita 1038.4
Candidus 822. 40
Candidi Villaregienſis epiſcopi uita 1141.55
Candorius 822.33
canones Arauſiaci 906.56.& 908.32
canones concilij Carthaginenſis 829.31. Toletani primi 830.21. Mileuitani 835.48. Chalcedonẽſis 948.18. Epheſini 845.4
canonici 736.3
canonici libri qui 522.26
canonicæ orationes 676.30
canonicæ monachorum orationes 706.31
canonicæ ſcripturæ 83.33
canticorũ uſus in nuptijs 694.51
Cantillenſis eccleſia 15.6
cantionum ſacrarum uſus 648.27
cantores 735.57
Cappadociæ eccleſiæ 6.50. epiſcopi 1066.46. monaſteria 700. 23
Caprapictæ eremi conuerſio 19.6
Capraríæ inſulæ eccleſia 11.12
Capſenſis eccleſia 9.9
captiui bonis Eccleſiaſticis redempti 747.53
captiui uiſitati à pijs 721.22
Capuana eccleſia 13.16
carbonum & dæmonũ ſimile 239. 43 (1040.1
Cariæ eccleſiæ 5. 50. epiſcopi
Cariatthus Coſ. 908.26
Caritoſus Palæſtinus 975.52
caro Domini 18.57
carnis reſurrectio 465.3
carnẽ contemnunt Manichæi 539. 10
carnibus abſtinuiſſe ieiunãtes 687. 43
Carolus presbyter & archimãdrita 1451.38
Carpentoratenſis eccleſia 14.57. ſynodus 913.46
Carpitana eccleſia 9. 29
Carrhis Paganos fuiſſe 1501.34
Cartennarum hæretici 9.42
Carterius præceptor 748.53
Carterius præfectus 921.49
Carthenitanus epiſcopus 9.51
Carthago 22.22. & 750. 33. à Vandalis capta 1522.44
Carthaginis calamitates ſub Genſerico 42.31
Carthaginis eccleſia 8.32. gentiliſmus 1501. 45. monaſteria 701. 44
Carthagine cõuentus celebratus cõtra Homouſios 65.27
Carthaginenſis eccleſia clauſa 46. 33
carthaginenſis eccleſiæ miſeria ſub Hunericho 6.49
Carthaginenſis ſynodus 821.56. eius epiſtola ad Innocẽtiũ Ro. 822.20. canones 829. 30 alia ſynodus 872.10. ſexta ſynodus 852.18 eius epiſtola ad Bonifacium Romanum 858
Carthaginenſi s Homouſianorũ & Arianorum ſynodus 953.35
Carthaginenſis epiſcopus 1107. 45
Carthaginenſium martyrum afflictiones 70.58
Carthaginenſis eccleſia 10.6
Caſcantenſes epiſcopi 17.29
Caſſandriæ Hepheſtiæ eccleſia 11. 49
Caßianus 82.12
Caßiani Conſtãtinopolitanti diaconi uita 1221.23
Caßianus diaconus 682.32
Caßianus Epheſinus presbyter 1039.57
Caßiani Epheſinæ eccleſiæ presbyteri uita 1047.20
Caßiani uita 1327.54 uide plura in Ioanne Caßiano
Caſtellum Lucullanum 1320.50
Caſtinus Palæſtinus 975.24
Caſtus legatus 906.25
Caſtus Palæſtinus 975.34
Caſulani presbyteri Africani uita 1152.45
Catalaunicæ ciuitatis epiſcopus 16.23
Cataphryges hæretici 530.7
catechumeni 341.49
catechumeni quãdo ad communionem admiſſi 670.6 quando baptiſati 690.27
Cathagij Rom.legati uiſio 1481. 60
cathedræ epiſcopales 646.59. & inde
Cathegius legatus 34.51
Cathegij presbyteri uita 1292.25.
catholicorum cum Donatiſtis collatio Carthagini 879.55
cauſæ à clericis actæ 745.18
cauteria ſibi infligere Paganos 1508.26
Cebarſuſſenſis ſynodus 872.18
Cecropius Sebaſtopolitanus 957 28
Cecrops rex Athenienſis 291.48
Celedenſis eccleſia 9.12
Celeſtij Pelagiani hæretici uita 1454.3
Celeſtinus Romanus 578.54
Celeſtini cum Nouatianis pugna 530.57 uide Cœleſtinus
Celidonij Galliarum epiſcopi uita 1352.18
cellula monachorum 708.4
Cenchreæ 526.28
Cenobiarchæ angelorũ præuaricatio 233.55
Cenomanicæ ciuitatis epiſcopus 16.20
Cenſorij Gallicani uita 1416.30
Cerealis 82.13
Cerealis Caſtellenſis epiſcopi uita 1161.45. ſcripta. ibidem
ceremoniæ Eccleſiaſticæ 641.3
ceremoniarum cõmunicatio 76.8
conformitas 772.53 regula 436.1
de Ceremonijs patrum doctrina 434.56
de Ceremonijs gentilium, hypothe ſis 1505.42
Cereris feſtũ 1507.50.& 1508.42
cereus paſchalis benedici ſolitus 744.23
Cerinthi hæreſis 208.5
Certhenſis ſynodus 873.32 eius epiſtola ad Donatiſtas. ibid. 42
Chalcedon 750.9
Chalcedonenſes canones 948.18
Chalcedonenſis eccleſia 6.26
Chalcedonenſis ſynodus 3.31 à quo collecta 52.49. & 154.9
Chalcedonenſis ſynodi autoritas 949. 54. tempus et acta 831.28
Chalcedonenſis contra Ioannem ſynodus 810.40
Chalcedonenſe concilium ab Acephalis damnatum 615.55
Chariſius Neſtorianus 606.44
chariſij Philadelphiæ Lydiæ presbyteri uita 1048.1
Charitas an ad ſolã Spiritus ſancti perſonam pertineat 192.56
charitatem Dei abſq; proximi charitate non eſſe 192.27
charitate nullum Dei donum maius 194.5

Charmosini Alexandrini presbyteri uita 1097.40
in Charris ecclesia Christi 5.3
per Chartam electi episcopi 773 48
Chermon monachus 715'23
cheremonis anachoretæ uita 1445 13
Cherronesus murus 1485.43
Cherſoneſi ecclesia 12.44
Chilõ Neapolis Arabiæ episcopus 979.46
Chij ecclesia
Chopharis uicus 10.51
chrisma quid 1487. 7
chrismatis confectio 744.19 usus 657. 51 et 727. 56
Christonius 841.35
Christus quale nomẽ 128.21 unde. ibid. autor Ecclesiæ 405.42
Christus caput Ecclesiæ 408.1
fundamentum ibid. 29
Christus Deus 129.60
sanctus Deus 128.52
doctor 166.29. dominus 307.16
iudex 471. 36 et. 473. 42
iustificationis autor 307.6
mediator noster 166.10
cur primogenitus ex mortuis 460.12 omnium rerum principium 149.3
propitiatorij arca 146.40
cur puer dicatur 128.9
redemptor 166.38 & in de sacerdos 175.4
Christus Deus & homo una persona 152.36
Christus cur acceperit spiritũ sanctũ. 193.23. omnib. natus 311.23
quomodo homo factus 608.45
Christus semper nobiscum 181.5
Christus cur baptisatus 380.20
ad nuptias profectus 439.31
Christus cur in se peccata nostra transtulerit 170.31
Christus proditus 165.6. quomodo mortuus 163.12
Christi qualis in sepulchro 561.48
per ueteris testamẽti Scripturas significatus 87.10 signa clauorũ quomodo retinuerit post resurrectionem 181.51
Christus cur ad dexterã patris sedet 138.14. cũ maiestate rediturus 470.52
Christi Iesu appellationes 127.28
aduentus duplex 181.16.
ascensionis fructus 180. 57. descriptio 130.44. dilectio quanta 164.48
Christi beneficium uniuersale 179. 51 generatio duplex 160.41
humanitas asseritur 142.48
Christi officia & beneficia 164. 18. perturbatio 101.8. resurrectio 182.6. sacrificium 401.11
Christi sanguine nos iustificari 309.37
Christi sedentis ad dexteram patris gloria 181.40
Christi & Apostolorum doctrinæ unitas 89.52
de Christi beneficijs præclara carmina Synesij 172.8. & inde
de Christi duabus naturis 122.10 & inde
de Christi passione testimonia patrum 175.24
de Christi regno patrum doctrina 421.16
Christum à seipso nihil facere 181. 32 humilitate uicisse 266. 6. mittere spiritum sanctum 181.32
Christum quomodo adoret Clodoueus Francorum rex 20.6
Christum uerè ad infernum descendisse 179.55
per Christum abrogatũ uetus Testamentum 88.58
à Christo dari & promeritum esse spiritum sanctum 189.1.10
à Christo uocati cur non omnes iustificentur 201.7
in Christo duæ generationes 142. 28. duæ naturæ unitæ 151. 10
in Christo fides fixa 328. 26 quibus modis sit in eo Deus 114.6
de Christo patrum opinio 496. 10. Apollinistarũ hypotheses 566.56. Arianorũ 553.20. et 554 14. confutatæ 554.22. Armeniorum hæresis 619.26. Donatistarum hypotheses 634.36 confutatæ 637.2. Eutychetis 610.12. refutatæ 612.20 & inde. Manichæorum 532.38 confutatæ 545.32. Nestorij 606.24. confutatæ 608.10. Pelagianorum 576. 50. Priscillianistarum 569.43. confutatæ 572.45
Christiani lingua excisa locuti 1491.10
Christiani qualiter à Iudæis Alexandriæ afflicti 46.53
Christianorum in Africa confessio, in exilium missorum 64.23
Christianorum episcoporum constantia 68.43
Christianorũ demonstrationes ad uersus gentiles 1513.20
Christianorum mores 719.28. uitia 723.10 sacrificium 399. 37. 401.54 strages à Iudæis 1495 32
Christianos colere plures deos, refutatur 1513.33
de Christianis Iudæorum hypothesis 1498.26
Christianæ libertatis descriptio 300.32
Christiana religio quibus criminationibus à Paganis prosciſſa 1510.40
Christianarum literarum profunditas 83.44
Christianorum nomen quàm odio sum Gothis 76.20
Christianismum esse stultum, criminatio gentiliũ refutatur 1513. 6
Chromatus Mediolanensis episcopus 34.13
Chrotyddis regina Francorum pia 19.57
Chrysanthus Nouatianorum episcopus 530,36
Chrysanthi panes 747.25
Chrysaphius Eutychianista 610 57
Chrysaphius palatij præses. Eutychis patronus 923.58
Chrysaphij Eunuchi poema 79. 21. turbæ 49.24
Chrysogonita uirgo 905.44
Chrysogonus Cymæ episcopus 109.33
Chrysostomus de ecclesiæ propagatione 2.43. de Scripturæ autoritate 82.40 lectione 90.53 de figuris ueteris Testamenti 87.12 de ueteri Testamẽto. 85.44 de duobus testamentis 86.12 de testamẽti noui summa 90.26
Chrysostomus quorum odia & persecutiones expertus 27.26. & inde. in exilium abductus 30.5. & 31.20 quot ecclesiarum inspector 757.27
Chrysostomus immodicus operum encomiastes 506.30
Chrysostomus liberi arbitrij patronus 500.6

Chrysostomus refutauit Iudæos 1499.57
ecclesias Phœniciæ reformat 4.52
Chrysostomi acta cum Scueriano 996.25 & inde animosa oratio 811.58
cõsilia aduersus Gainæ Arriani conatus 26.44
Chrysostomi electio 680.49 ordinatio 681.47 exiliũ 3.44 labores cõtra paganismũ 1511.
Chrysostomi locus 94.31.43.59 (10 et 92.46. & 98.24 36.54 et 101.30 & 103.6. inde 404.10
Chrysost. de Angelis opinio 498.24 de animarum loco 520.18. de baptismo 515.26. inde de Cœna Domini 517.22 de coniugio 518.19 de cruce 519.31 de iustificatione 504.14 de monastica & uirginitate 513.34.42 de oratione 510.40
Chrysostomi opiniones de pœnitentia 513.58
Chrysostomi persecutorum pœnæ 73.50
Chrysostomi reliquiarũ translatio 698.34
Chrysostomi sectatorũ persecutiones 31.34
Chrysostomi superstitiones de monachis 711.36 uehementia cõtra imperatricem 30.40 uisio 1482.14 obitus 35.40
ob Chrysostomum quatuor obiectu corporũ suorũ interfecti 30.55 Vide plura in Ioanne Chrysostomo
Chrysostomus presbyter Antiochiæ 4.6
cibor um abstinentia in ieiunio 627.57
Cicero Palæstinus 975.25
Ciliciæ ecclesiæ 5.12 episcopi 1029.36
cicinnos nutriri à paganis 1508.33
cinerum dies 690.60
cineris pluuia 1491.51
circulatores monachi 703.5
circumcellionum conuersio 2433 immanitas 39.52
circumcisio Iudæorum 1499.5
Circumcisionis festum 690.30
circumstantiæ in Scriptura considerandæ 98.34
Cirthæ episcopus 9.25
Cirthẽsis ecclesiæ diuitiæ 746.48
Ciuitatensis ecclesia 17.31
Clarona Heluetiorum 1314.57
Clasicianus 754.44
Claudiani Mameri uita 1344.50. doctrina 1346.37 certamina 1347.14 amici 1349.1
Claudiopolis 750.7
Claudiopolis ecclesia 6.42
Claudius 82.15
Claudius Anthiaxi episcopus 1226.26
Claudius Macedoniæ episcopus 1170.5
claues Christi ad omnes pertinere 383.10
claues Ecclesiæ nota 409.43
clauium ritus 661.51
clauium ritus in Romana ecclesia 728.8
de Clauibus doctrina patrũ. 380.26 Donatistarum hypothesis 629.59
clauorum signa in Christo post resurrectionem 181.51
Clemens Palæstinus 975.35
Cleopatridis ecclesia 8.12
cleri appellatio 735.14
cleri Constantinopolitani cum Iohanne episcopo dissensio 794.10
clericorum priuilegia 774.6
clibanus 146.24
Clodij orientalis Franciæ regis res gestæ 1522.20
Clodoueus Francorum rex quomodo ad Christianismum cõuersus 19.50 664.28 & 1526.34
Clodouei filij baptisati 22.6
Clodouei gratitudo in ecclesiam 720.33
Clodouei regis acta cum Fridolino Viatore 1314.37 pietas 23.59
Cnidi insulæ terræmotus 1491.59
coæternus patri filius 136.17
Cochenas Dadachorum episcopus 1917.22
Cœlestinus Rom.pont. 777.56
Cœlestini I. Rom.pontificis uita 1242.46 doctrina 1242.30 decreta 1243.31 certamina 1244.49 næui 1246.24 amici 1247.9 ambitio 863.1 quid ei scriptum à cõcilio Africano 870.1
Cœlestius Pelagianus 586.41
Cœlestij examinatio 744.52
hæresis damnata 822.5
cœlibes cur ecclesiis præfecti 734.14
Cœlum impassibile secundum Eunicos 1504.52
Cœli forma eadem semper 197.6
in Cœlo futura corpora nostra 482 inde
cœlorum appellatio in Scriptura 97.2 695.
cœmiteria extra urbes. 46 & inde
cœmiteria Romana 732.58
Cœna Domini quomodo administrari solita 650.38 669.3 ad Martyrum memorias celebrata 696.36
Cœnæ Domini autor 384.52 materia. ibid. 59 affectus 397.17 ritus 867.48
Cœnæ ritus in Romana ecclesia 728.58
Cœnæ unam tantum speciem ignorarunt patres 394.48
à Cœnæ usu qui remouendi 397.3
Cœnam Domini animam replere 397.58
circa Cœnam Domini casus 675.48
de Cœna Domini doctrina patrũ 384.35 opiniones 517.22
de Cœna Domini Pelagianorũ hypothesis 585.32 confutata 604.56
Cœna Domini quomodo utendum 395.33
Cœna Domini quomodo utantur impij 394.1
cœnobitæ 702.26
cœnobitarum institutum 710. 558. 45
Coepiscopi 735.24 737.8 43
Coepiscoporum munus cogitationes bonæ aut malæ cui adscribendæ 190.8
cogitationes hominum an diabolis notæ 235.34 20.45
Coi ecclesia 1491.
Coi insulæ terræmotus 746.26 59 758.55
Collectæ
Collegæ 704
colobijs lineis usi monachi 17
Colonia Agrippina quo martyrio clara 32.33 Colo-

Coloniæ Agrippinæ episcopus 17.40
Colossensibus quando scripserit Paulus 526.55
in Columbam nõ mutatus spiritus sanctus 188.14
in Columnis agẽdi uitã mos 718. 15
Colymbethra
Comagenæ ecclesia 652.45
in Comatus Armeniæ mortuus Chrysostomus 18.7
Comensis episcopus 35.40
cometa sub Arcadio 1479.56. sub Theodosio 1486.41 sub Mar ciano 1488.33 (18
comitum quorum blanditiæ 64. 40
Commodus Tripolis episcopus 894.9
Commodus dijs assignatus 1503.
cõmunicatio post baptismũ 657. 42
communicãtium ieiunia 689.6
cõmunicaturi quibus ritibus præ parati 669.58
cõmunicaturos manibus accepisse partes cœnæ 673.50
ad Communionẽ non temerè quiuis admissi
compresbyteri 670.5
concilium Africanum 758.51
cuius epistola ad Celestinũ Roma num 852.18
concilia prouincialia 870.1
concionari quale opus 754.18
concubinæ 422.42
de Concupiscentia Pelagianorum hypothesis 586.12. confutata 605.24
condiaconus 735.45
conditionis prædestinatio 20.25
confessionis doctrinæ zelus 721. 32
confessioni nimis tributum 513.59
confessione collatus Deus cũ creaturis 98.10
confessorum quorundã constantia 68.43
congressus nocturni 648.12. prohibiti 645.20
congressuum publicorum celebratio 641.5
coniugium concessum unde. 438.30. ibidem 59
coniugij reuerentia 722.5. ritus 694.35
de Coniugio, patrum doctrina 417.48. opiniones 518.18
de Coniugio gentilium hypothesis 1505.46 Manichæorum 537.54. confutata 550.40. Pelagianorum 586.12. confutata 605.1.& inde. Priscillianistarum 571.22. Tertulianistarum 552.28
Conon Pertæ episcopus 1051. 44
consulationes in cruce necessariæ 458.12
Constantia Cypri metropolis 750. 24
Constantiana basilica 726.31
Constantianum lauacrum 32.57. & 645.33
Constantinensis ecclesia 10.20
Constãtis ex monacho Cæsaris cædes 1520.37
Constantinopolis 750.47
Constãtinopolis bibliothecæ 748. 21. miraculosa liberatio 147. 28. ministeria 702. 6
Constantinopolis Nouatiani 530. 30
Constantinopoli reliquiæ gentilismi 1502.1
Constantinopolitanus motus ob episcopi electionem 802.13
Constantinopolitanus primatus 949.24
Cõstantinopolitani diaconi 1219. 56. episcopi 1170.44. monachi 1224.12 presbyteri 1217.50
Constãtinopolitana ecclesia 12.5. eiusdẽ turbæ sub Arcadio 27. 26. aliæ 49.20
Constantinopolitana synodus contra Eutichen 914.8. repetita 921.38 contra Ioannẽ 380.53. 810.40 pro Ioãne 816.12. contra eum alia ibid.20
Constãtinopolitana synodus 950. 10
Constantinopolitanæ et Romanæ sedium schisma 807.42
Constãtini Bostræ Arabiæ episcopi uita 979.10
Constantini Melitenæ Armeniæ episcopi uita 1070.8
Constantinus Demetriadis Thessaliæ episcopus 1169.48
Constantini seditiosi Britanni cædes 1520.31
Constantius 908.22
Constantius quidam 587.25
Constantij Honorij præfecti res gestæ 1520.39
Cõstãtius Laureaci episc. 18.4
Constantij Laureacensis episcopi uita 1321.28
Constantius presbyter 3.45
Constãtij Romani presbyteri uita 1285.15
constellationũ consideratio reprehensa 491.2
consuetudinem antiquã & malã non excusare 437.18
consuetudinarij psalmi 706.7
contritio pœnitentiæ pars 355.41
Conuenæ episcopus 15.42
conuentuum ecclesiasticorum tempora 647.41
de Cõuersione hominis Pelagianorum hypothesis 581.20 refutatæ 596.8
in Conuersione quæ fiant in nobis 357.1. quale liberum arbitrium 255 48
conuersiones 20.34
conuiuia gentilium in festis deorũ suorum 1508.38
conuiuia nuptialia 694.46
coomnipotentia Christi cum patre 137.43
Corathon Thraciæ episcopus 1226.30
Corcyræ ecclesia 10.56
cordium scrutator Deus 110. 19
Corinthus 750.40
Corinthi Ecclesia 11.20
Corinthi uersatus Paulus 524. 59
Cornelij exemplum 595.17
cornu monocerotis quid 100. 60
Cornutus philosophus 1502. 43
corpus angelorum quale 228. 10
corpus Christi an sumant impij 394.1
Corpꝰ Christi suscepisse omne peccatum 176.11
corpus Dominicum unde factum 146.12
corpus hominis quando immortale 247.1
corpus humanum 251.3
de Corpore humano Priscillianistarum dogma 571.2 confutatum 574.30
corpora nostra in cœlo futura 482.22 qualia

in resurrectione 465. 15 (ctio 464.45
corporum humanorum resurre- Corsica 69.21
Cosmanus satelles 807.29
Cosmas Marini episcopus 993.8
Cossinius Hierocæsareæ episcopus 1049.34
crateris usus 668.50
creationis finis 214.47
de Creatione patrum sententiæ 206.58 *opiniones* 497.5
de Creatione aduersarij hypotheses refutatæ 625.37
Donatistarum 635.17 Gentiliũ 1504.44 Iudæorum 1498.7 Manichæorum 535.23 cõfutatæ 548.40 Pelagij 577.5 refutatæ 588.29 Priscillianistarum 570.8
creaturæ definitionem nõ cadere in filium Dei 560.58
creaturæ 208.50
creaturarum gubernatio 197.10
creaturarum curam quam habeat Deus 212.40
creaturis collatus Deus 98.8
Crescõnius Nicensis episcopus 1107.38
Crescõnius Nicẽsis episcopus martyr 43.24
credere qui non possint 327.5
credi sine spiritu non posse 190.21
credentibus singulis angeli attributi 223.42
Cremonensis Ecclesia 13.40
Crescens metropolitanus Aquitanæ ciuitatis martyr 43.21
Crescentiana basilica 726.28
Crescentius 841.41
Crescentij liberalitas 746.30
Crescõnius 841.33
Crescõnius Byzanzenus episcopus 1143.26
Crescõnius Donatista 631.32
Crescõnius Eensis epis. 1107.39
Crescõnius grammaticus defensor paganismi 1510.7
Crescõnius Miritanus ubi inuẽtus 73.23
Cretæ Ecclesiæ 10.44
Cretæ Iudæi 1494.28
criminationes aduersus Christianos. ibidem 39
Crispinus Donatista 973.1
Crispini Ticinensis episcopi uita 1293.15 (pus 1040 .12
Critonianus Aphrodisiadis episco
Crocus Vandalorũ dux 1477.30
Crosci Vandalorũ regis interitus 76.56
crux Christi causa materialis iustificationis 308.50
crus aurea Hierosolymæ erecta 646.17
crucis finis 455.7
crucis signatio 657.26
crucis signo signare usitatum 721. 59
cruci subiecta Ecclesia 454.21
crucem Christi angelis profuisse 498.43
in Cruce cõsolatiõib. opus 458.12
de Cruce doctrina patrum 454.16 *opiniones* 159. 30
de Cruce superstitio Armeniorum hæreticorum 620.16
crypta Michaelis 697.37
Cucullũ Norici opp. 1319 .47
Cucusum Armeniæ oppidũ exilio Chrysostomi clarũ 30. 21. et 7.11
Culusitana Ecclesia 9.28
Culusitanæ ciuitatis martyres 70. 14
cupiditatũ cõsumptio opus spiritus 74.56
curia incendio consumpta 74.56
Curia Rhætorum 1314.29
Curiensis ecclesia 10.35
Curiensis Rhætiæ episcopus 17.51
Curiensis audacia 858.19
Curubitanus quidam baptisatus 10.20
custodes cubicularij 736.14
Cycladum insularum terræmotus 1491.58
cymbalorũ usus in nuptijs 694.51
κύριε ἐλέησον 951.17
Cynõ Isidis episcopus 1037.94
Cypri Ecclesiæ 10.32
Cyprianus 822.37 & 908.22
Cyprianus an autor diuisionis Donatistarum 640.20
Cypriani festum 693.57
Cypriani templa ante Carthaginem 642.43
Cypriani Vincibirensis episcopi exilium 64.52
Cyrenaicæ Ecclesiæ 8.18
Cyrestanus episcopus 4.34
Cyriacus quidam 34.53
Cyriacus Aegaræ episc. 1052.12
Cyriaci Cõstãtinopolitani diaconi uita 1221.31
Cyriacus Heracliæ Thraciæ episcopus 1226.1
Cyrillus episc. Hunerichi 62.53
Cyrillæ Arriani malitia 911.55
Cyrillus 82.10 611.46
Cyrillus Alexãdrinus epis. 47.4
Cyrillus de scripturæ autore 56. 26 de figuris ueteris Test. 87. 34 de nouo Testamento 89. 23 de Trinitate 116.58
Cyrillꝰ refutauit Iudæos 1499.58
Cyrilli acta contra Nouatianos 530.46 aduersus Nestorium 697.54 Cyrilli acta contra eũdẽ in synodo Ephes. 582.22
Cyrilli capitæ aduersus Nestoriũ 820.40
Cyrilli Alexandrini impetus in Iudæos 77. 53 literæ ad concilium Africanum 501.54
Cyrilli de baptismo opinio 506.58 de ecclesia 520.10 de iustificatione 505. 11 de libero arbitrio 502.7
Cyrilli regulæ de scripturæ interpretatione 96. 22 parentes & familiares quomodo à Diodoro tractati 50. 54 reconciliatio et literæ ad Ioannẽ Antiochenum 899.18
Cyrilli schisma cum Nestorio 802. 52 cum Ioanne Antiocheno 80. 3 uisio 1457.17
Cyrilli Alexãdrini epis. uita 1071. 30 laus ibid. 46 dona 1072.24 eruditio ibid. scripta 1073.46 e orundem autoritas 1077.1 doctrina 1079.52. næui 1081.3 certamina 1081.13 amici 1087.19 iudicia 1088.1 testamentum 1889. 55
Cyrillus Arrianus 61.25
Cyrillus Cœlensis episc. 896.46
Cyrilli Cœlesis Thraciæ episcopi uita 1225.30
Cyrilli Constantinopolitani monachi uita 1225.35
Cyrillꝰ Sabriti Cretæ epis. 1166.16
Cirini Chalcedonẽsis episcopi pœna crudelissima 75.56 odiũ in Chrysostomum 511.37
Cyrini Chalcedonensis episcopi uita 1059.48 (si.
Cyrius Edessenus diaconus 1027.
Cyrolæ Arianorum episcopi historia 1490.54
Cyrius è præfecto sacerdos 735.4
Cyrus Anazarbi epis. 1034.24
Cyrus Aphrodisiadis Cariæ episcopus 1040.2
Cyrus Babyloniæ epis. 1106.60
Cyrus Edessenus 1026.43
Cyrus Edessenus subdiac. 1027.59

Cyrus metropolis
Cyri monachi uita 749.50
Cyrus Leõtij Edeſſenus diaconus 1439.52
Cyr Panopolites poeta 1027.51
Cyri Smyrnenſis epiſc. uita 1050.49
Cyri Tyriorum epiſcopi uita 978 (44
Cyzicum 32.40.
Cyzici Macedoniani 750.5
Cyzici Eccleſia 566.7
6.38

D

Dadeos Edeſſenus diacõ. 1027.54
dæmones unde appellati diaboli 230.24. ſuggerunt peccata 278.7
dæmonum an aliqui boni 232.12
dæmonũ oracula falſa 1516.21. ſcientia
dæmonibus tributa Chriſti paſſio 234.44
à Manichæis 533.3. confutatio eius 547.60
de Dæmonibus gentiliũ hypotheſis 1504.24
dæmonia eſſe deos, Aegyptiorum opinio refellitur 1515.21
dæmones nunquã communicaſſe 671.35
Dagillæ cuiuſdam tortura 71.8
Dalmatarum Eccleſia 12.33
Dalmatij Cyziceni epiſcopi uita 1052.46
Damaſcenus epiſcopus 4.49
Damaſcus 749.50
Damiani Sidoniorum epiſcopi uita 977.59
ex Dan tribu an exoriturus Antichriſtus 420.37
Danielis uiſiones 189.54
Daniel Cadi epiſcopus 1040.21
Daniel Cappadociæ epiſc. 894.4
Danielis Carrhenſis epiſcopi uita 1028.26
Daniel Carthenſis 926.19
Danielis Coloniẽſis Cappadociæ epiſcopi uita 1067.52
Daniel eremita in colũnis degens 719.13
Daniel Lampſaci epiſcop. 1064.2
Daniel monachus 715.9. & 808.17
Danielis monachi uita 1449.36
Daniel Stylites 60.27
Daphnus Magneſiæ epiſcopus 1051.48
Dardaniæ epiſcopus
Datina martyr 12.41
Dauid Andrianæ epiſcopus 1062. 70.8
Dauid Edeſſenus diaconus 1028. 17
Dauid Europi epiſcopus 993.7
Dauidis peccatũ cur narretur 92.
dialogi tria mandata 291.57 (1
decani cœnobitarum 710.58
decaniæ monachorum 705.49
december ordinationibus deſtinatus 730.42
decreta Metropolitanorũ 756.12
decretales epiſtolæ Romanorũ epiſcoporum 786.30
dedicationes templorum 644.48 & 725.43. 726.1
defunctorum inſcriptiones 758.30
defunctorum memoriæ celebratæ 696.22. ritus apud gẽtiles 1509. 29
defunctorum ſpiritus ubi 223.2
defunctis prodeſſe eleemoſynas opinio Chryſoſtomi 507.11
defunctos precibus ſubleuari, opinio Auguſtini 521.1
pro Defunctis preces habitæ 69. 17
Deiparæ appellatio 802.32
Deiparæ uocẽ auerſatur Neſtorius 882.6
θεήρεις 344.29
Deitas una 85.30
Deitas trinitatis una 116.44
Deitas quomodo ad inferos deſcẽderit 180.16
Deli epiſcopus 10.49
Delia Apollinis feſta 1508.42
Delphi 97.8
Delphinus 841.43
Delphini Burdegalenſis eccleſiæ miniſtri uita 1372.5
Delphini Numidiæ epiſcopi uita 1161.26
Demetriadis Theſſaliæ epiſcopus 11.36
Demetriæ prædium 726.47
Demetriani hæretici uita 1462. 48
Demetrius quidam 34.53
Demetrij Conſtãtinopolitani diaconi uita 1221.31
Demetrius epiſcopus 812.28
Demetrius Lappæ epiſcopꝰ 1166. 17
Demetrius legatus 906.27
denariorum duorum ſignificatio 92.57
Deogratias Carthaginenſis epiſcopus 43.37 & 1109.13. eius pietas. ibidem
depoſitiones 765.42
Derrẽſis Macedoniæ epiſcopus 11. 45
Dertonenſis epiſcopus 13.48
Dertoſanus epiſcopus 1176
deſcẽdere Dei quid 113.48. et 194. 34
deſerti exilium ſub Hunericho 63. 28
Deſiderius Limgonẽſis epiſcopus martyr 37.10
Deſiderij Limgonenſis epiſcopi martyris uita 1477.30
Deſiderius Thraciæ epiſcopus 1226.30
deſolationis abominatio 100.56
Deuelti eccleſia 12.14
Deuterij Cæſarienſis Metropolitani uita 1152.56
Deuterius Palæſtinus 975.33
Deus quid 105.50. boni autor 112.39
Deus non autor malorum 416. 37. naturæ, non uicij autor 244.21
Deus caput Chriſti 132.46. quibus modis in Chriſto 114.6. dator fidei 324.53. cordium ſcrutator 110.19
Deus rerum omnium autor 208. 28
Deus non πρωσωπολήπτης 110.33
Deus ad creaturas collatus 98.8 quales diligat 910.35. ubi habitet 103.45
Deus paſſibilis, falſa Eutychis opinio refellitur 612.23
Deus quomodo colendus ſecundum Socratem 150.10
Deus quomodo in nobis habitet 112.60. operetur 113. 14
Deus an corporis & figuræ humanæ expers 796.8
Deus non corporeus aut localis 65.18
Deus quomodo ſe cõſpiciendum præbeat hominibus 194.22
Deus quomodo adſit creaturis 21. 33
Deus cur reijciat quoſdam 271. 10
Deus quos uult indurat 269. 19
Deus unicus nota Eccleſiæ 408. 39
Dei actiones 112.52
Deus adiutorium 910.22
Dei appellationes 104.57

Dei cognitio per creaturas 215.25
Dei diuitiæ 106.34 imago in homine 247. 47 potẽtia semper eadem 107.32 præsciẽtia 204.24
Dei propria in Christo 180.19. proprietates 106.12
Dei prouidentia 196.12. 109.10 unitas asseritur 111.8
Dei & hominis uoluntas 911.49
Deũ esse genitiũ, Platonis opinio refutatur 1514.47
Deum esse ubiq; 109.4 non amari sine spiritu sancto 192.23 non esse ociosum 111.58 non habere filium refutatur 1515.17
Deum non moueri loco 194.33
Deũ nõ uideri ab angelis, opinio Chrysostomi 498.48
Deum omnia conseruare 212.11 omnia nosse 110.6
Deũ paucis uerbis plurima complecti 100.3
Deũ se captui hominum accommodare 113.56
contra Deum nihil precandum & 349.42
Deo non esse peccatum 227.18 & 279.17 (5
à Deo nos duplici ratiõe esse 244.
à Deo sceleratos puniri 113. 39
in Deo non esse accidens 194.9
de Deo, Aduersarij legis et prophetarum hypothesis 624.54
de Deo hypotheses Arianæ 553.4 554.14. confutatæ 558. 14. Donatistarum confutatæ 636.45
Gẽtiliũ 1502.54. Iudæorũ 1497. 34. Manichæorũ 531.41. cõfutatæ 544. 21 Priscillianistarũ 572. 96.38 confutatæ 572.22 Tertullianistarum 552.18
de Deo loqui Scripturã quadrupliciter 97.53
dij quomodo simus 129.14
deorum gentiliũ imagines 1508.3
Deorũ multitudinẽ fingũt Manichæi 531.60 confutati 544. 40
Deorũ pluralitas refutata 1514.38
de Dijs gentiliũ opinio refellitur 1514.27
diabolus qualis cõditus 230.49. quomodo bonꝰ esse posset 230.50
diabolus quãtus hostis generis humani 235. 43 cur princeps huiꝰ seculi. ib. 45 cur dicatur senex 239.6. stultus rex. ibid. spiritus Domini 229.43
diabolus quomodo decipiat 235. 16. quomodo uincendus 241.54
diaboli abiectio æterna 237.24. acies dissoluta 168. 8. arma duplicia 241.24 malicia unde 231. 31 miracula 432.40 potẽtia 235. 21 malicia. ibid. 31
diabolum superbia lapsum 232.32
diabolũ nihil nisi quod Deꝰ cõcedit, posse in homines 241.36 (17
à Diabolo multi ãgeli seducti 234
de Diabolo Priscillianistarũ hypothesis 570.33 confutata 573.30
diaboli quid 229.60
diaboli peccatorum autores 275.5 276.45 quos homines possideãt 237.25. & inde. quomodo imponant hominibus 240.7
diabolorum lapsus 233.54
diabolorũ ministerio ad q̃d utatur Deus 229.48. 239.14
diabolorum nulli boni 232. 17 scientia 234.41
diabolis an notæ cogitationes hominum 235.34
diabolos sponte ad malitiam conuersos 232.29 (58
à Diabolis rapi honorẽ Dei 235.
de diabolis opiniones 499.6
Diaconus Vticensis episcopus 1138.42
diaconi 735.22
diaconorum officium 737.50 ordinatio 682.35
diaconissæ 736.29
Diagoras de Deo 1502.54
Diana 433.47 paganorum dea 241.3
Diapherentius Olbassæ episcopus 1037.47
Diasia Iouis festa 1508.39
Dicticinij Hispani uita 1426.8
Didymus 822.38
dies extremus 470.15
de Die extremo, Iudæorum hypothesis 1498.39
dierum electio 489.21 720.48
dierum sanctorũ festiuitas 629.59
dilectio Dei 113.8
dilectio nostra erga Deum 912.6
dilectio donum spiritus 191.39
Diodorus ludimagister 748.53
Diodorus Siculus 1502.38
diœceses 749.36
Diogenis Cyziceni episcopi uita 1059.5
Diogenes episcopus 755.51
Diogenes Orthosiæ episcopus 1040.31
Diogenes Remisianẽsis Daliæ episcopus 1226.40
V. 915.39
Diolci uicus
Diomedes Ablatensis episcopus 1051.41
Dion Thebensis Thessaliæ episcopus 1169.45
Dionysia Bacchi festa 1508.48
Dionysiæ matronæ constãtia inter horrendos cruciatus 69.35
Dionysius Antiochiæ Pisidiæ episcopus 1038.26
Dionysius Attaliæ Lyciæ episcopus 1039.44
Dionysius deus 1503.57
Dionysius Hemimõtis episcopus 1038.47
Dioscorus 4.58 & 79.44 grauissimè accusatus in Chalcedonensi cõcilio 50.34 in exilium deportatus 55.37
Dioscori Alexandrini episcopi acta pro Eutychete 49.39 excommunicatio 664.15. heresis 609.55
Dioscori inimicitia cõtra Eusebiũ Dorylæum 1055.46 (923.55 gesta in synodo Prædatoria cum Dioscoro Alexandrino quid actum in Chalcedonẽsi synodo 933.41 & inde
Dioscori hæretici uita 1457.50 eius delicta & crimina 1458. 5. damnationis suæ causæ 1461.40
Dioscorus Hermopolis episcopus 8.28
Dioscori Hermopolcos episcopi uita 1434.49 eius fratres. ibidem
Dioscori monachi schisma cum Theophilo Alex. 797.50
Dioscorus Tarsensis Nestorianus 903.18
Dirimachi monachi uita 1451.52
disciplinæ Ecclesiasticæ rigor 665.44
dispensatores 747.5
Dispergum castellum 1522.22
disputationes quæ ab imperatoribus prohibitæ 770.18 promotæ 771.17
Dithyrambus qualis cantus 1507. 56
diuinationes reprehensæ 495.33
diuini non consulendi 432.49
diuinæ et humanæ naturæ in Christo unio 151.10
diuinitas an uideri possit 388.

Rudilitatem in dolente, non in dolore fuisse 175.50
in Diuinitate nihil sinistrũ 160.52
diuitiæ Dei in misericordia 106.(34
Dorimasius Maronæ Thraciæ episcopus 1226.20
docendi officium penes quos 738.47
docentis sermo quatenus ociosus 190.36
doctori non tacendum, licet non exaudiatur 424.6
doctorum uitæ 958.2
doctrina Ecclesiæ huius seculi 81.40
doctrina nota Ecclesiæ 404.33
doctrinæ huius Quinti seculi inclinatio 496.1
doctrinæ purè conseruatæ commoda 24.44
dogmata noua nõ fingenda 84.33
dominatus angelorum appellatio 219.45
dominatus episcoporum 744.1
dominica die quid agẽdum 437.7
dominicæ diei ieiuniũ Priscillianistarum refutatur 574.50
dominici diei obseruatio 689.53
Dominus qui le Christi nomen 128.21
Dominus Deus, appellatio Dei 104.58
domitianus dijs assignatus 1503.39
Domnus Antiochenus depositus 926.7
Domni Antiochiæ episcopi uita 984.4
Domni Apamcensis episcopi uita 993.56
Domnus Plateæ episcop. 1167.55
donaria dedicationum templorũ 726.1
Donatianus
Donatianus Donatistá 822.29
Donatianus Susetulensis episcopus in exilium electus 873.2
Donatiani Telænsis episcopi uita 65.49
Donatus
Donati sectatores 1143.20
Donatus Africanus episcopus 841.29
Donati Macomadiensis episcopi uita 631.30
Donati Salienensis episcopi uita 1154.19
Donatus Sitifensis Mauritaniæ episcopus 1141.56
Donatus Subracensis 1163.33
Donatistarũ hæresis 873.14
confutata 628.20. 631.37. immanitas 38.14
schisma 793.42
Donatistarũ cum Catholicis collatio Carthagini 879.55
ex Donatistis qui cõuersi 640.48
à Donatistis liberata Afric. 24.10
Donec quomodo accipiatur 99.30
donum Dei quod maximũ 194.6
pro Dormientium spiritibus oblationes factæ 696.58
de Dormientibus septẽ miraculũ 1487.54
Dori Beneuẽti episc. uita 1292.51
Dorotheus Arianus episc. 552.58
Dorothei Marcianopolis Mysiæ episcopi uita 1226.32
Dorothei Neocæsareæ episcopi uita 1068.20
Dorotheus Palæstinæ præfectus 55.25
Dorylæum 750.4
Dorylæi episcopus 6.19
Dracocius Hidræ episcop. 1047.35
draconis intestini longitudo Constantinopoli 1493.51
Drodatus Consul 908.25
Dulcitius Tripolitanæ prouinciæ episcopus 1107.35
duricia quid 269.25
Dusij dæmones 228.38
Dynatus Nicopoleos Epiri episcopus 1168.29
Dynatus Nicopolitanus episcopus 1226.27
Dyrachenus nouæ Epiri episcopus 11,32

E.

Eboraci ecclesia 18.19
Ebredunum 750.52
ebrij & peccati simile 279.54
ecclesia nulli loco alligata 410.29
catholica. 411. 37. unde nutriatur 412.14. quõ crescat 414.57
Ecclesia orbis columna 408.19
Ecclesia duplex 404. 21. unde. ibidem 42
Ecclesia subiecta cruci 454.21. & 413.56
Ecclesiæ ampliatio 22.11. antiquitas 409.53 unitas. ibid. 57. autoritas. 415.1. definitio 403.44. inde. nota 404.33. doctrina 81.40
Ecclesiæ de Christo doctrina 125.8
Ecclesiæ Catholicæ fides 158.58. fundamẽtũ 407.52 caput. ibid. 60 gubernatio hoc seculo qualis 733.24. eius ratio, instaurationes 23.38. Ecclesiæ nomen pro templo 641.26
Ecclesiæ persecutio et trãquillitas 24.25. propagatio. 28. & 18. 32. trãquillitas sub Arcadio et Honorio 39.41. sub Marciano 53.20
Ecclesiæ Rom. primatus 774.28
Ecclesiam esse perpetuam 412.36
omnia peccata dimittere 383.41.
posse rursum degenerare 415.36
extra Ecclesiam non dari Spiritũ sanctum 413.48
ex Ecclesia quomodo hæreses oriantur 415.42
in Ecclesia etiã malos esse 405.55
in Ecclesia tantum esse & dari salutem 413.19
in Ecclesia tãtum efficax Spiritus sanctus 192.50
de Ecclesia, Cyrilli opinio 520.10.
patrum doctrina 403.22
de Eccles. Donatistarũ hypothes. 628.51. & 632.51. & 637.28
Ecclesiæ totius orbis à Christo fundatæ 332.28
ecclesiarũ cõsecrationes in Rom. Ecclesia 725.36
Ecclesiarũ cõsociationes 749.26
dissensiones ubicõpositæ. 766.50. statº hoc quinto seculo 1.20
Ecclesiarum uisitatio penes quos 754.29
Ecclesiasticus cœtus nudus Carthagine pulsus 68.5
Ecclesiastici in exilium pulsi 71.13
Ecclesiasticæ disciplinæ custodes 771.37
Ecclesiastica bona. 746.7
Ecclesiasticum regimen Iudaorũ 1499.24
Edessa Macedoniæ 43.53
Edessæ ecclesia 5.4
Edesseni cleri actio cõtra Iohanẽ pastorem suum 1026.43
Edessenæ scholæ subuersio 608.7
electi qui 197.57
electorum numerum augeri et minui, secundũ Pelagianos 582.35
eleemosynæ pro defunctis distributæ 696.18
eleemosynarũ distributio 677.33
eleemosynas aliqd defunctis cõferre, opinio Chrysostomi 507.11
elementa pro dijs habita 1503.17
Eleusynia Cereris festa 1508.41
Eleutheriº Chalcedonẽsis antistes 1060.27

Eleutherij Gallicani uita 1416.37
de Eliæ reditu Patrum opinio 474.17
Eliberitanus episcopus 17.17
de Eloquentia Donatistarũ hypothesis 631.23. refutata 640.37
Elpidius Laodicensis 817.35
Elpidius presbyter & archimandrita 1451.34
Elpidophorus apostiasiæ grauissimè accusatus 71.37
Eluzæ ecclesia 3.33
Elysius episcopus 813.28
Emanuel 99.24
Emanuel presbyter Eutychianus 611.12
Emeritus Donatista 631.33
Emeriti hæretici uita 1456.35
Emilianus 9822.41
Emisenæ urbis ecclesia 4.54
Encyclicæ Leonis Imp. literæ 56.23 ἐγκύκλιος 344.47
Enthusiastarũ damnatio 895.40 hæresis 568.1
Eortius Nicopolis Pisidiæ episcopus 1038.53
Eparchus Thebæorũ dux 805.42
Epaunensis synodus 957.20
Ephesus 750.1
Ephesi dissensio ob episcopum mortuum orta 794.58
Ephesi uersatus Paulus 525.3
Ephesini episcopi 1041.16. Nouatiani 530.27
Ephesijs quomodo scripserit Paulus 526.55
Ephesina ecclesia 5.55
Ephesina synodus pro Eutychete 49.37
Ephesina synodus 3.37. alia 51.50. alia 820.1
Ephesina secunda synodus Prædatoria cur dicta 923.52. eius autoritas 926.28
Ephesina prior synodus 881.42. eius literæ ad Nestoriũ 883.12 autoritas 897.48. canones contra Nestorium 889.53
Ephesinæ synodi schisma 804.3. aliud. ibidem, 43
Ephesina synodus tertia 830.24
Ephesini concilij epistola ad Pamphyliæ concilium 903.54
Epigonius Africanus episcopus 1154.32
Epiphaniæ secundæ Ciliciæ episcopus 5.19
Epiphaniæ Syriæ episcopus 4.10
Epiphaniorum festum 690.40
Epiphaniorũ tempore baptismus datus 653.30
Epiphanij Arcæ episcopi uita 1016.28
Epiphanius Chologeus episcopus 1053.56
Epiphanij dissensio cum Ioanne Constantinopolitano 799.34 cum Theotimo 800.43. in Cypro synodus 808.42
Epiphanio Cyprorũ episcopo se opponit Theotimus 12.35
Epiphanius Palæstinus 975.22
Epiphanij Pergensis episcopi uita 1036.11
Epiphanius Ticinensis episcopus 13.42
Epiphanij Ticinensis episcopi laudabilis uita 1293.27 & inde
Epiri Ecclesiæ 11.30. episcopi 1168.27
Episcopus qualis 424.20
ob Episcopum mortuum dissensio orta Ephesi 794.58
episcopi 735.21. mariti 734.42. bonis ecclesiasticis præfecti 746.55
episcoporum electio penes quos 679.11. officium 736.37. reprehensio 733.51
episcoporum scelera punita 772.59. uitæ 958.2.
episcoporum Ephesinæ synodo secundæ schisma 804.43
episcopos ordinare penes quos 753.8
episcopales sedes in templis 646.55
Epistolæ decretales Rom. episcoporum 786.30
Epistolæ Pauli 524.29
epulandi in cœmiterijs mos 696.52
Equitij Africani sacerdotis uita 1153.30
Eradion Trallensis episcopus 1040.40
Erasistratus Corinthi episcopus 1168.8
Erasmus 793.2
eremi 714.38
Eremitæ 703.27
eremitarum Asiaticorum uitæ 1431.45
eremitarum uita, mores & instituta 714.35
Eristargius episcopus 755.55
Erretobius Nechæ episcopus 979.46
erroris princeps Satanas 233.3
errores legentium 969
Esdiæ hæretici uita 1469.60
Esaiani hæretici 1470.6
essentiæ uocabulum explicatum 110.52
Est, appellatio Dei 104.60
ethnicæ scholæ 748.50
Etius Isauriopolis episc. 1051.42
Etius Pœnitentiæ episc. 1063.34
etymologia 95.53
Euagoras Zelissorum episcopus 1053.57 822.25
Euagrius 301.20
Euangelium quid 1505.14
Euangelium à gentilibus contemptum 102.44
Euangelium quomodo audiendum 777.21. quibus pœnam annunciet 102.5
Euangelium & Lex 86.52
Euangelij deprauatores Manichæi 531.34
Euangelij excellentia 89.16
Euangelij prædicator Filius 227.10 summa 301.45 finis. (40 ibidem 51.
Euãgelij & legis discrimina 502.
Euangelia scripta iuxta lectos 723.38 suspensa 103.24
Euangelica fides
Euangeli Absuritani episc. uita 1539.13
Eucharistiæ administratio in Ro. ecclesia 728.59
Eucharistiam percepisse Iudam 398.32
de Eucharistia Armeniorum hæresis 619.42
Euchenius Epiri episcop. 1168.29
Eucherius 82.13
Eucherius Lugdunensis episcop de propagatione ecclesiæ 2.52
Eucherius de figuris ueteris Testamẽti 88.5. fine. ibid. 36 de scripturæ autore 86.31. effectu 91.45. & inde. de ueteri Testamẽto 85.50 de nouo Testamento 90.11
Eucherij decœna Domini opinio 518.4. de creatione 497.19. de lege 503.50. de operibus 520.9. de pœnitentia 515.13 locus 102.14. & 94.2. et inde
Eucherij Lugdunensis episc. uita 1334.28. scripta 1335.23 doctrina. 1336.35. næui 1340.22
Eucherius Stiliconis F. 30.49. eiusdem pœnæ 65.57

Enchetarum damnatio 895.40
Euchitarum hæresis 567.58
Eudocia seditioni monachorum fauet
Eudociæ liberalitas 54.25
Eudoxiæ Arcadij uxoris odium et machinatiões aduersus Chrysostomum 746.14
Eudoxia Augusta capta excommunicata 29.6
Eudoxiæ Augustæ dißidium cum Ioanne 663.31
Eudoxij abbatis uita 800.59 malitia 811.3
Eudoxius Bosphori episcopus 1452.10
Eudoxius Chomatis Lyciæ episcopus 1226.27
Euemerus gentilis 1039.8
euentus rerum poni loco nominũ in Scriptura 1502.55
Eugenius Aranæ episc. 99.21
Eugenius 1051.40 Carthaginensis episcopus 82.15
Eugenius Carthag. de Trinitate 65.37
Eugenij Carthaginẽsis episc. uita 85.15
1100.45 dona 1110.25. doctrina 1110.56 certamina 1112.45
Eugenij episcopi historia 1490.30
Eugenius Macedoniæ episcopus 1170.6
Eugenij cuiusdam pietas 62.13
Eugeri⁹ Carthaginens. episcopus duriter tractatus ab Antonio Ariano 72.5
Eugitanæ prouinciæ eccles. 8.60
Eugypius Noricus 1316.8
Eulalij Chalcedonensis episcopi uita 1060.18
Eulalius Colophonẽsis episcopus 1049.40
Eulalius Ptoniæ episcop. 1063.37
Eulalius Roma eiectus 805.1
Eulogius Athribitorũ episcopus 1105.51
Eulogij Constantinopolitani diaconi uita
Eulogius Edessenus 1224.1
Eulogius Edessenus 1026.43 Eutychianus 611.7
Eulogius Edessenus diaconus 1027.50
Eulogius Edessenus presbyter 1027.46
Eulogius Philadelphiæ Arabiæ metropolitanus
Eulogius philosophus 979.55
Eulysius quidam 56.31
Eulysij Constantinopolitani diaconi uita 1221.32
Eumelius medicus martyr 70.10
Eunomius hæreticus 153.50
Eunomij blasphemia 133.40
Eunomij Nicomediensis episcopi uita 106.15
Eunomij Theodosiopolitani episcopi uita & pietas 1069.10
Euodij Vzali episc. uita 1136.58
Euoltij Zeugmatis episcopi uita 1016.14
Euoptij Ptolemaidis Pentapoleos episcopi uita 1107.12
Euphemiæ martyris apparitiões 1489.47
Euphemiæ reliquiarũ translatio 699.59
Euphemiæ templum apud Chalcedonenses 643.40
Euphemius damnatus 906.36
Euphemij Constãtinopolitani episcopi uita 1213.56 & inde
Euphemij Hierosolymitani pastoris ignominiosa uita 860.3
Euphemus Palæstinus 975.25
Euphrasius Edessenus diaconus 1026.45
Euphrasius Edessenus subdiaconus 1027.60
Euphrates Eleutheriæ episcopus 1166.17
Euphronij Galliarũ episcopi uita 1344.17
Euporus Hypepẽsis episc. 1052.26
Euprepius Bizes episcop. 896.45
Euprepium monasterium 700.50
Eupythius Stratonicæ episcopus 1040.28
Eurici Vestgottorum regis res gestæ 1525.35
Europæ ecclesiæ 11.16 gentilissimus 1501.54
Europæ metropoles 750.39 monasteria 701.54
Europæi doctores 1167.50. monachi & eremitæ 1445.53
Europæorum et Orientaliũ schisma 801.30
Europes figura qualis apud gentiles 1508.9
Eusebij Ancyrani episcopi uita 1064.51
Eusebius Apollonienſis Cretæ episcopus 1166.16
Eusebius Armeniæ episcopus Eutychianista 611.6
Eusebius Asponensis Galatiæ episcopus 1066.12
Eusebius Clazomenæ ciuitatis episcopus 1052.10
Eusebius Cremonensis episc. 13.40
Eusebij Cremonensis mẽdici uita 1432.58
Eusebius Dorylæus episcopus 50.7. 607.48
Eusebij Dorylæi epistola ad Flauianum Constãtinopolitanũ 914.36. uita, & acta contra Eutychetem 1054.34. & inde
Eusebi⁹ Edessenus diaconus 1027.55 item presbyter 1027.47
Eusebius Edessenus subdiaconus 1028.1
Eusebius Iabrudorũ episc. 1017.22
Eusebius Heracleæ Honoriadis episcopus 1061.55
Eusebius Macedoniæ episcopus 1170.4
Eusebius Magnesiæ ad Sipulum episcopus 1052.1
Eusebius Mediolanensis 17.52
Eusebij Mediolanensis episcopi uita 1300.20
Eusebius monachus 797.54
Eusebij monachi uita 1434.54
Eusebius Nicomediensis 53.35
Eusebij Pelusij episc. uita 1099.2
Eusebius presbyter & archimandrita S. Heliæ 1451.24
Eusebius presbyter et archimãdrita monasterij S. Euoglij 1451.27
Eusebius Topiris Macedoniæ episcopus 1170.34 (41
Eusebius Valẽtinopolitanus 819.
Eustathianorum à Meletianis separatio finita 808.26
Eustathius Berytanus Eutychianus 611.6
Eustathij Berytani episcopi uita 976.8
Eustathius Docimei Phrygiæ episcopus 1059.40
Eustathius Ebagenorũ episcopus 1051.42
Eustathij reliquiarum translatio 698.55 (1170.5
Eustathius Macedoniæ episcopus
Eustathij monachi uita 14.52.
Eustathij Păphiliæ metropolitani causa 903.47. uita 1035.33
Eustathius Saracenorum episcopus 1071.10
Eustathius Timbriæ episcopus 1047.34
Eustochius 833.25
Eustochij Turonensis uita 1398.30

Euſtorgius fani Iouis epiſcopus 1047.42
Euſtorgius Sceptiæ epiſcopus 1059.14
Euſtratius Suffectanus epiſcopus, martyr 43.22
Euthalius Alexandrinus diaconus 1097.41
Eutherius Stratonicæ Lydiæ epiſcopus 1049.17
Euthymius monachus 700.41. et 797.55. et 1070.60
Euthymij monachi uita 1431. 47
Euthymij monachi Longi uita 1434.54 (17
Eutropia Nicaſij ſoror martyr 52
Eutropij Byzes & Arcadiopolis epiſcopi uita 1225.28
Eutropius Lector 31.13
Eutropij Lectoris martyris ſub Arcadio uita 1470.50
Eutropius Pergami epiſcopus 1047.31
Eutropius Pergamenſis Aſiæ epiſcopus 1052.45
Eutropij ad menſam ſacram fuga 646.36
Eutyches 1.51
Eutychetis hæreſis 153.41 et 609.54. hypotheſes 610.6. confutatæ 611.30
Eutychetis de Chriſto doct. 1055. 14. ad ſynodum citatio 766.46
Eutychetis hæretici uita 1455.32
cõtra Eutychen quid actum in cõcilio Cõſtãtinopolitano 914.8 & inde. 921.40
pro Eutychete quæ acta in ſynodo Epheſina 49.28
Eutychianus Barenſis epiſcopus 755.56. et 1059.15
Eutychiani Epiphaniæ epiſcopi uita 1015.38
Eutychiani hæretici conuerſi 23.35 (1226.26
Eutychi⁹ Adrianopolis epiſcopus
Eutychius martyr 46.16
exauditionis conſolatio 352.38
excommunicationis rit⁹ in Rom. eccleſia 728.10
excommunicationis ritus 661.52. circa Excõmunicati. caſ. 666.46
de Excõmunicatione doctrina patrum 380.34. 382.12
excommunicati 752.53. 773.59
exemplaria canonum 768.51
exiliũ deſerti ſub Hunericho 63. 28
in Exilio mortuis nõ licitũ alios ſufficere epiſcopos 43.26
exorciſationis ritus 684.8
exorciſtæ 736.1
expoſitiones Scripturæ in publicis cõgreſſibus exceptæ 649.1
Exuperantius 833.24
Exuperius Tholoſanus epiſcopus 15.58
ἔξοχαί 344.35
Ezechielis uiſiões 189.54.241. 20

F.

Fabius Palæſtinus 975.35
Falcidij cuiuſdam uita 1313.45
fames 75.20. alia ſub Hunericho 80.56
famis tempora 756.5
Familiaris Palæſtinus 975.26
Fanium Norici 1320.14
fanum ad Mauritij oratione cõllapſum 1511.21
fana gentilium 1507.31
Faſtidij Londinenſis Britanniæ epiſcopi uita 1426.24
fatum refutatur 216.54
fati neceſſitas refutata 1516.1
de Fato, Priſcillianiſtarum dogma 571.60
Faunorum libido 228.34
Fauſtinianus 822.32. 841.32
Fauſtinus 841.37
Fauſtini Galliarum epiſcopi uita 1415.40
Fauſtinus Potentinus 852.48
Fauſtini Potẽtimæ plebis epiſcopi uita 1295.60
Fauſtus 82.16
Fauſti templũ Carthagini 643.47
Fauſti Apolloniadæ epiſcopi uita 1062.14
Fauſtus de proprietatibus Dei 109.41
Fauſti locus 103.1
Fauſti de angelis opinio 497. 49 de libero arbitrio 5034.12
Fauſtus Manichæ⁹ 535.26. 539.36
Fauſti Manichæi hæretici uita 1456.50
Fauſtus Regiẽſis epiſcopus 15.60 Pelagianus 586.59
Fauſti Regiẽſis epiſcopi uita 1365. 56 ſcripta 1366. 14. næui 1367.51
Fecidas Edeſſenus diaconus 1027. 57
Fecidas preſbyter Edeſſenus 1026 46
Felicianus Arianus epiſcopus 552 52
Felicianus Bizãtinus epiſcopus 1143.53
Felicianus Muſicanus 873.17
felicitatis ſumma in quo poſita 24.48
Felix 822.29. 841. 36
Felicis Abbiritani epiſcopi paralytici exilium miſerabile 63.32 uita 1140.50
Felix Adrumetinus epiſcopus martyr 43.25
Felicis Adrumetini epiſcopi uita 1139.41
Feliciꝭ Bononiæ epiſcopi uita 1299.30
Felix Donatiſta 872.60
Felix legatus 906.26
Felix Manichæus 538.27 conuerſus ſolus 550.49
Felicis Manichæi uita 1457.18
Felicis Nuceriani epiſcopi uita 1296.22
Felix Paleſtinus 975.26
Felix præfectus 908.24
Felix Romanus epiſcopus 611.54
Felicis Romani ſchiſma 807.4
Felicis III Rom. epiſcopi uita 1268.24. ſcripta 1269.9. decreta. ib. 20. certamina 1270.33
feſti dies eremitarum 716.18
feſta Romanæ eccleſiæ 731.1
feſta pro cõcione indicata 742.57
feſta gentilium 1508.38 Iudæorum 1498.50
Feſtorum ritus 689.57. uſus 694.20
Feſtus Paleſtinus 975.15
Feſulanus mons 76.33
in Feſulis quæ hiſtoria geſta cum Gothis 1518.52
de Ficub. et eremitis mirũ 717.27
Fidentius 822.25
fides donum Dei 303.42
fides quid 324.1. unde. ibid. 53. non parua res 326.5. firmamentum contra hoſtes 329.43
fidei encomium 331.20
fundamentũ 329.19. utilitas 330. 37. lex. 290.33. proprietates 327.15. 329.10
fidei catholicæ regula 161.21
fidem in Chriſto fixam eſſe 328.26 firmam fiduciam. ibidem 48
fidem ante opera iuſtificare 328. 55
fidem à ſpe diſcerni 332.49. ab operibus 332.7
fidem in pœnitentia requiri 356. 13 per opera

per opera probari 328.36
ad Fidem an Deus cogat 361. 39
ad Fidē quomodo ueniatur 909.12
fide accipienda cœna Domini 395.24
fide nos applicare salutem 310.18
fide orandum 347.55
fide opera non priora 340.60
fide sola nos iustificari, quomodo intelligendum 311.26
fide sola percipi uerbum Dei 102. 21
fide tantum percipi proprietates Dei, non ratione 110.38
de Fide patrum doctrina 323.30
hypotheses Donatistarum 628 36 confutatæ 632. 22 Pelagianorum 583. 32 refutatæ 601.29
fideles ecclesiæ 405.52
fidelium resurrectio 460.52
Fidi Ioppensis episcopi uita 973. 11
figuræ Scripturæ 95.31
figurarum ueteris testamenti significatio 87.10
figuratæ locutiones 100.39
Filibeus Rugiorum rex 1319.23
Filius charitas 194.2
filius ἀπόστολος patri 134.20
filius Deo non inæqualis, cōtra Arianos 559.22
filius patri coæternus 136.17 omnipotens 137. 43 quomodo minor patre 182.11 distincta persona à patre 138.30 quomodo missus 223.33
filius hominis quomodo Christus 129.7
filij generatio diuina 140. 7 incarnatio, cuius rei testimonium 197. 18 missio qualis 560. 8
filij nomen propriè Christo dari 129.1
filij persona quot modis significetur 130.32 propriū 121.27. 126. 15. & inde
filij Dei substantia diuina ante incarnationem 130.56
Filio & patri quædam communia 127.11
filio quomodo uita data 559.58
filium esse cur credamus 84.53
de Filio Dei gētiliū hypothesis 1504.17 Iudæorum 1497. 39
de Filio quot modis prædicet scriptura
filij quomodo simus 130.12
filij Dei, angeli Dei dicti 129.14
finis hominis 229.22
252.14

Firmi Cæsareæ Cappadocum episcopi uita 1066.47
Flacianus Africanus episcopus 1154. 55
Flamines gentilium 1506.53
Flauianus Adriaceorū episcopus 1047.31
Flauiani Adrumetini episcopi uita 1139.27
Flauiani Antiocheni episcopi amicitia cum Chrysostomo 33.53
Flauianus archimandrita S. Hermilij 1451.23
Flauiani Constātinopolitani episcopi acta in synodo. ibid. 914. 28 literæ ad Leonē 919.48 uita 1199.20 doctrina. ib. 51 certamina. ibid. 56. obitus. 49.60
Flauiani reliquiarum translatio 698.50
Flauiano infensus Chrysaphius eunuchus 49.24
Flauianus Macedoniæ episcopus 1169.57
Flauitæ Constantinopolitani episcopi uita 1212. 53
Floræ deæ ludi 1509.16
Florentiniani episcopi libertas 68.53
Florentius Donatista 873.1
Florentij martyris sub Arcadio uita 1471.50
Florētij Sardeorum Lydiæ episcopi uita 1048 45
Florentinus Sedunensis episcopus martyr 37.9
Florētius Tenedi episcop. 1165.54
Florentij Tiburtini uita 1285.19
Florus 833.22
Florus dux 805.46
Fœdus 85.51
fœmina insolitæ staturæ 229.14
fœminarum colleg a qualiter instituta 713.33
Fortelli Vasionensis episcopi uita 2372.31
formæ duplicis in Christo una persona 157.4
formidinis expulsio opus spiritus sancti 180.58
Foroiulienſis episcopus 13.18
fortitudo Christiana 911.8
Fortuna dea 1563.58
Fortunalis Hibernicarum regionum decus 18. 29
Fortunatianus 822.28
Fortunatiani Neapolitani episcopi uita 1138.58
Fortunatianus Siccæ episcop. 8.45
Fortunatus 841.31
Fortunius Donatista 873. 1
Fortunatus Manichæus 538. 27
Fortunati Manichæi uita 1457.5
Fortunatus Palæstinus 975.34
Francion Philippopolis Thraciæ episcopus 1226.7
Franci Galliam uastant 37.14
Franci quomodo ad fidem cōuersi 19.48
Francorum primus rex 1521.27
fratres 758.58
fratres Christi quomodo simus 192.5
fratrum duorum in martyrio constantia 70.23
Fratrū Longorum uita 1434.50 doctrina 1435.56
fratrum septē monachorum martyrum uitæ 1474.23
Fridolinus Argentinæ episcopus 17.49
Fridolini Viatoris pietas & uita 1314.5
Fronto presbyter Parensis 1000. 1
Frōto Phaselidis episcop. 1039.41
Fructuosus 822.32
Frumentij martyres 71.34
Fugalia gentilium festa 1508.47
Fulgentius 587.45
Fulgentius Donatista 631.33
Fuscalense territorium 684.50
Fuscalensis ecclesia 10.18
Fusculus episcopus fustibus cæsus 65.51 (203.50
futura quomodo prædicat Deus
futura prædicere, opus spiritus sancti 190.5
Gabalæ ecclesia 4.29
Gabalanorum episcopi 996. 12
Gabalitanus episcopus 15.42
Gabriel angelus 150.48
Gadaræ ecclesia 3.33
Gainæ perfidia & seditio 1478. 23 factio Cōstātinopoli 552.60
Gainæ Scythæ Ariani machinationes aduers. ecclesiā 26.10 et inde
Gaius Egarorum episcopus 1054.2
Galatiæ ecclesiæ 6.50 episcopi 1064.8
ad Galatas quomodo Paulus scripserit 526.42
Galliæ calamitates 1519.13
Galilææ ecclesiæ 17.26
Galliæ luctuosus status 1378.12
Gallicarum ecclesiarum persecutiones 37.3
Gallicanus episcopus Burgundiorum 19.34

Gallicani doctores 1322.58. & 1412.16
Gallicanæ ecclesiæ 14.25
Gamalius Donatista 872.59
Gangrena urbs 750.13
Gantõ Elanorum episcop. 979.45
Gargonus mons 697.36
Gaudẽtij Beneuẽti presbyteri uita 1292.26
Gaudentij Comitis factum 22.22
Gaudentius Donatista 631.32
Gaudentij hæretici uita 1455.55
Gaudentius legatus 34.51
Gaudentij Rom. legati uisio 1481. 60
gaudium opus spiritus sancti 189. 36
Gelasius Cæsariẽsis episcopus 3. 15
Gelasius 82.16
Gelasij I. Rom. episcopi uita 1271. 15. scripta. ibid. doctrina 1272. 55. næui 1274. 25. decreta 1275.3 certamina. 1277.42. libri aduersus Eutychen 611.56
Gelasij pontificis temeritas in excommunicando 728.23
Gemellus episcopus 755.53
Gemellus Melitopolis episc. 1059. 14
Geminus Palæstinus 975.33
gemmarum miraculum 1489.41
Genebaudi Laudunensis episcopi uita 140.22
generatio diuina filij 140.7
sub Generibus species comprehẽdi in Scriptura 99.6
geneses à patrib. reprehensæ 488 42
geneses repræhensæ 720.48
Genistus 433.48
Gennadius Acmaniorũ Phrygiæ episcopus 1054.6
Gennadij Constantinopolitani episcopi uita 1204.38 scripta. ibidem 50
Gennadius Gnosi episc. 1266.17
Gennadij Hermopolis in Aegypto episcopi uita 1099.30
Gennadij Maßilienſis presbyteri uita 1323.46. libri. ibidem
Gennadius Therorum episcopus 1047.35
genti unicuiq; proprium angelum præcesse 227.15
gentium uocatio 414.1
de gentibus Iudæorum hypotheſis 1498.21
Genserichus Vandalus 1522.14
Arianus 552.46
Genserici immanitas 58.60 et inde interitus. 77.16 persecutio 41. 31. victoriæ & religio 80.22
Genserici Vandali expeditio in Italiam 1524.33
gentilismus Asiæ 1501.10 Africæ. ibidẽ 41. Europæ. ibidem 54. à quibus promulgatus 1509.54
gentiũ argumenta pro sua religione 1510.24. refutata 1512.14 criminationes à Christianis refutatæ 1512.58 mores 1509.41 opiniones refutatæ 1514.5
gentilium opinionum capita 1502. 28 religio 1501. ritus & regimẽ sacrum 1506.43
gentilium sapientia qualis 487.49 superstitio à quibus refutata & abolita 1511.5
Genuensis episcopus 13.49
Georgius Arianus episc. 552.59. conuersus 23.24
Geras Aegypt. urbs 642.50
in Geris ecclesia 8.2
Germæ Macedoniani 566.7
Germaniæ ecclesiæ 17.33
Germani doctores 1313.53
Germanianus 822 39
Germani Constantinopolitani diaconi uita 1221.22
Germanus 822.39
Germanus episcopus fustibus cæsus 65.51
Germanus presbyter 812.28
Germanus presbyter et archimandrita 1451.46
Germani Antisiodorensis episcopi uita 1407.15
Gerõtius Arcadiapolis episcopus 1047.43
Gerontius Edessenus diaconus 1027.57
Gerontius Macedoniæ episcopus 1169.57
Gerõtij Seleuciæ episc. uita 996.1
Gerundensis episcopus 17.16
Gesnerus 1018.13 & 1224.56
Geuinianus Parensis 926.21
Gigantum ortus 229.8
Gigitanus episcopus 8.58
Gignantius 841.40
Gildon Africæ præfectus 75.36
Gildonis comitis in Africa motus 1517.45 historia 1481.4
Gisæ Rugorum reginæ tyrannis 1319.23
Glaris Heluetiorum 1314.57
glorioſiores alijs alij futuri in uita æterna 479.15
Glycerius episcopus Salonitanus in Dalmatia 12.36
Glycerij Salonæ in Dalmatia episcopi uita 1322.37
Glyconij Cæsareæ Palestinæ episcopi uita 974.56
Gnomanus Antisiodorensis episcopus 587.40
Godalberti presbyteri Angli uita 1431.14
Gorgonius Palæstinus 975.34
Gororanes dux 1069.25
Gortynensis ecclesia 10.44
Gortyna 770.28
Gothi Ariani ex Aquitania pulsi. 24.2
Gotti Galliam uastant 37.14
Gothorum captiuorum utilitas 76. 42
Gottorum crudelitas in Christianos 36.4 episcopi 18.9 motus in Gallijs 1522.16 pœna 36.57
Gottlandiæ subiectio 1525.20
Gradualia 729.28
Græciæ gentilismus 1501.38
Græcorum dij 1503.16
Græcos à barbaris accipere superstitiones 1512.16
Græci Maßilienſis episcopi uita 1322.59
grammatici defensores gentilismi 1520.2
grando maxima Constantinopoli 75.2 sub Arcadio 1480.35 303.60
Gratia quid 911.38
gratia & natura 31.54. inde
gratia & liberum arbitrium 908.
gratiæ & prædestinationis differentia 204.8
gratiã non præcedere opera 33.8 13
gratia quando indigeamus 268.5
gratia nos saluari 319.39
de Gratia hypotheſes Pelagianorum 579.40 refutatæ 503.53
de Gratiarum actione Chrysostomi locus 352.42
Gratiani cuiusdam seditio in Britannia 1520.30
Gratidianus Cerasuntis episcopus 1068.48
gratis nos iustificari 335.22
Gratißimi monachi uita 1448.19
Gregorius Ponti Polemoniaci episcopus 1068.45
Gregorij Mutinensis episcopi uita 1297.43 Gemnicen-

Grunnicenſes patres 16.5
Groſius Vandalorum dux 37.5
gubernatio mundi duplex 213.13
gubernatiõis eccleſiæ ratio 738.29
Gundamundi erga religionem ſtudium 23.40
Gundobaudus Galliæ rex 21 1344.
Gundaricus uiolenter inuadit eccleſias 37.40
Gunderici Vandalorum regis interitus 77.7. 1485. 30. guttarum trium miraculum 1489.37

H

Habenſæ ciuitatis epiſcopus 44.5
Habetdei cuiuſdam mirabilis conſtantia 72.8
Habetdeus Palæſtinæ epiſcopus 915.31
Habetdei Tamallunenſis epiſcopi uita 114.11
Habetdeus Tendelenſis epiſcopus martyr 43.22
habitationes poſt hanc uitam quot 476.9
hereſes nouæ 1.43
hereſes refutatæ publicè 739.38
hæreſes quomodo ex eccleſia oriantur 415.42
hereſeon origo 82.42
de Hæreſibus 529.48
hæretici non rebaptiſati 658.52. quatenus ad communionem admiſſi 670.56
hæreticorum appellatio ad ſedem Romanam 780.27
hæreticorum à Chriſto nato nomina 1303.27. & 1304.46
hæreticorum uitæ 1453.12
in Hæreticos animaduerſum ab Imperatoribus 770.24
cum Hæreticis geſta, populo propoſita 742.47
hagij cur dicti angeli 220.16
Harpocratiõ Dioſcori aſſecla 51.18
hebdomadæ magnæ feſtum 691. 12
hebdomadarũ autor 727.31
hebdomadarij monachorum miniſtri 705.15
ad Hebræos quomodo ſcripſerit Paulus 527.12.43
Hegemonius Gadarenorum epiſcopus 1051.43
Helias Adrianopolitanus epiſcopus rudis 734.3
Helias Bleandri Phrygiæ epiſcopus 1057.45
Helias eremita 716.11
Heli et Heloi appellatiões Dei 104. (60
Heliſei reliquiarum trãslatio 698. 20
Helladis epiſcopi 11.23. 1167.53
Helladij Adrumetini epiſcopi uita 1139.36
Helladius Tarſenſis 893.15
Helladius Thyatyræ epiſcopus 1053.40
Hellanicus Rhodi epiſcopus 1165. 30
Helleſponti Eccleſia 6.38. epiſcopi 1062.56
Helleſponti Macedoniani 568.6
Helleſponti terræmotus 1491.57
Heluſanus epiſcopus 15.42
Hengeſtus Angloſaxonum dux 1522.41
ὑπωτικὸν Zenonis ſcriptum 60.60
Henrici Glarcani uerſus 1315.27
Heraclea 750.46
Heraclea Herculis feſta 1508.45
Heracleæ Macedoniæ eccleſia 11.59
Heracleæ Thraciæ eccleſia 12.11
Heracleon Trallenſis epiſc. 1041.10
Herachiani Africæ comitis ambitio & fraudes 1520.47
Heraclides Cyprius 795.10
Heraclidis Epheſini epiſcopi uita 1041.18. ordinatio. ibid.30
Heraclides Heracleæ Aegypti epiſcopus 1106.56.
Heraclius Azoti epiſcopus 973 27
Heraclius Cydißorum epiſcopus 1053.60
Heræa Iunonis feſta 1508.39
ob Herbarum radiculas cum beſtijs certatum 80.59
Hercules 433.47. 1503.30. 1504.1
Hercules Spartæ cultus 1301.33. Hercules etiam à Tyrijs cultus 1501.20
Herculis feſta 1508.43. ſacra 1507.59
Hermæa Mercurij feſta 1508.42
Hermias Abydi epiſcopus 1064.1
Hermogenes Caſſandriæ epiſcopus 1170.37
Hermogenes Macedoniæ epiſcopus 1170.9
Hermopolis Eccleſia 8.27
Herodianus Macedoniæ epiſcopus 1170.8
Herodias 241.4
Herois Arelatenſis epiſcopi uita 1352.28
heroes ſemidei ſecundum gentiles 1504.30
Heron eremita 716. 33
Heuli 1523.30
Heſperius Pitanæ ciuitatis epiſcopus 7047.49
Heſperij hiſtoria 684.50
Heſychij Hieroſolymitani preſbyteri uita 963.24 eius doctrina 964.4. næui 969.15. certamina contra hæreſes 970. 51 familiares 971
Heſychius Parij epiſcopus 1165. 33
Heſychij Salonitani epiſcopi uita 1292.56
Hibernia tota quando ad fidem Chriſti conuerſa 19.3
Hibernenſis epiſcopus 18.26
Hibuldus Alemannorũ rex 1318. 60
Hieracitarum hæreſis 551.58
Hieracus Aſintorũ epiſcopus 1105. 42
Hierapolis 74 .48
Hierapolis Eccleſia 49.42
Hierapolitani epiſcopi 992.14
Hierax ludimagiſter Alexandrinus 7.46. 748.37. qualiter à Iudæis Alexandriæ tractatus 47.3
Hieronymus 3.22 587.22
Hieronymi querela de Galliæ clade 37.20. & 35.52
Hieronymi & Auguſtini ſchiſma 789.3
ex Hieronymi interpretatione motus ortus 793.14
Hieroſolyma 749.45
Hieroſolymæ Eccleſia 3.9
Hieroſolymorum monaſteria 709. 28
Hieroſolymitani doctores 958. 6
Hieroſolymitanæ Eccleſiæ motus ob ſynodum Chalcedonenſem 54.11
Hieroſolymitana ſynod' 906.32
Hilarinus Otreocelenſis epiſcopus 1143.49
hilaritas opus ſpiritus ſancti 189. 36
Hilarius 833.22
Hilarij Arelatenſis epiſcopi uita 1352.48
Hilarius Macedoniæ epiſcopus 1170.6
Hilarij martyris ſub Arcadio uita 1471.50
Hilarij I. Romani epiſcopi uita 1264.15 decreta 1265.26. certamina. ibidem 55

Hilarius Sedunensis episcopus martyr 37.9
Hilarij Syracusani episcopi uita 1166.34 (33
Hilderici in Gallijs potentia 1526.
Himerius Nicomediensis 893.15
Himerij Nicomediẽsis episcopi uita 1060.49
Hincmarus 20.20
Hippolytus Palæstinus 975.26
Hipponensis bibilotheca 748.17
Hipponis ecclesia 8.30
Hipponæ ecclesia 9.31
Hipponensis ciuitas 750.34
synodus 879.45
Hircaniæ episcopi 1071.18
Hispalis capta 37.40.
à Vandalis occupata 77.9
Hispaniæ deuastationes. 1519.15
Ecclesiæ 16.56. episcopi 1421.10
Hispanicarum Ecclesiarum calamitates 37.35
historicus Scripturæ sensus 95.51
Holocaustus Palæstinus 975.37
Holofernis mentio in concionib. 43.15 (pta 1493.52
Homeri poemata aureis literis scri
homo animal preciosum 171.29
cur conditus 215.7 unde constet 243.47
homo nouus quis 252.49 uetus quis. ibid. 56
homo Deus factus 151.16
homo duplex secundũ Manichæos 536.28
homo præstantior angelis 247.17
quomodo imago Dei. ibid. 47
quatenus opus Dei, & quaten⁹ sub diabolo 270.54
homo quomodo operetur aut cooperetur 267.54
hominis à peccato discretio 24.52
definitio 2743.8. dignitas 246.34. 247.10. laps⁹ 251.9. finis 252.14. natura quomodo ultima facta 195.31 substantiæ 244.33
materialis causa 246.22
hominis ueteris et noui finis 253.52
hominis & Dei uoluntas 911.49
de Hominis cõditione, Paternianorum hypothesis 627.52. refutata 628.3. Pelagianorũ hypothesis 577.9 refutata 588.35
de Hominis cõuersione Pelagianorũ hypothesis 581.20. 596.8
hominem fuisse naturæ mutabilis 250.41 (26
hominem sine Deo nihil posse 911.
ob Hominem omnia creata 214.53
de Homine opiniones doctorum 499.16 gentilium hypotheses 504.55. Manichæorum 536.11. confutatæ 549.24 Priscillianistarum hypothesis 571.1
confutata 573.1
ex Homine, nõ per hominem natus Christus 153.37
homines angeli dicti 228.58
peccatorum autores 275.5
homines quomodo ab initio conditi sint 250.50
hominum corda Deo nota 110.28
propria 911.43
hominum quatuor gradus 354.38
statura in resurrectione 469.6
de Hominum scriptis quid sentiendum 429.45
hominibus quomodo angeli appareant 222.20
quomodo loquatur Deus 112.14
homines à Deo esse 244.3
homines omnes saluari quomodo intelligendum 268.14
homines quantopere inuadat diabolus 235.44 obsideat 237.25
in Hominibus quomodo et quid operetur Deus 113.14
homophagijs usi monachi 705.30
Homousiani cum Arianis congressi 65.28
Homousianorum & Arianorum synodus Carthagine 953.35
ὁμοούσιος patri filius 134.20 (58
honorem Dei à diabolis rapi 239.
Honoratus. 841.42
Honorati Maßiliẽsis episcopi uita 1323.12
Honorati Mauritaniæ Sitifensis episcopi uita 1164.1
Honoratus Nouariensis episcopus 13.41 645.9
Honoratus Palæstinus 975.36
Honoratus Vercellensis sacerdos 14.2
Honorichus Vandalus Arianus 552.46 (38
Honorichus Vandalorum rex 953.
Honorij Africani episcopi uita 1154.39
Honorius 1.12. 841.35
Honorij imperatoris edicta aduersus paganismum 1511.43
epistola ad Aurelium Carthaginensem 846.1
Honorij Imperatoris regnum & laudes 25.8 zelus in promouenda religione 22.12
sub Honorio quæ miracula 1478.14. uisiões 1482.43. mutatiões policitæ 1517.10 schismata 801.54. synodi 852.14
Horæ monachorum 706.31
hordeo pasti Christiani 65.22
Hormisdæ Persæ martyris laus 48.13
Hormisda Philippopolis Arabiæ metropolitanus 979.56
Hortulani cuiusdam episcopi libertas 68.53
hostiarij mariti 734.56
humanæ & diuinæ naturæ in Christo unio 151.10
humanitas Christi asserta 192.48
humilitate Christum uicisse 166.6
Hunerichus Nundri⁹ persequitur Ecclesiam grauißimè 61.30
Hunerichi regis Vandalorum lex in Homousianos 66.18
Hunerichus sacrilegus 45.31
Hunerici interitus 77.21. 80.48
Hunerici Vandalorum regis tyrannis 1474.24
Hunimundus Alemanorum rex 1318.11
Huni Galliam uastant. 37.14
item Thraciam 1518.12
Hunorum extinctio 76.48. turbæ 1523.1. turbæ in Ecclesijs 52.13
Hyacinthi festa 1508.45
Hyberniæ occupatio 1525.19
Hylæ paganorum 1502.46
Hymerij Trecaßini episcopi uita 1371.7
hymni in sepulturis cantati 695.27
Hypoepus qualis cantus 1507.57
Hypatius Edessenus diaconus, 1027.54
hypostasis quid 110.56
hypotheses Apollinaristarum 566.56. Arianorum 553.3. 554.14. cõfutatæ 558.10 Manichæorũ 531.24. confutatæ 540.10
Priscillianistarum 569.21
Hyrcanorum Ecclesia 7.35

I

Iacob Anemurij Isauriæ episcopus 1037.46
Iacobus diaconus et archimãdrita 1471.31
Iacobus Edessenus diaconus 1027.51
Iacobi natiuitas qualis 492.54
Iacobus Nestorianus 607.43
Iacobus Palæstinus 975.24
Iacobus Persa martyr 48.14
Iacobi Persæ martyris uita 1472.1

Iacob

Iacobus Primessæ insulæ episcopus 1053.43
Iamniæ ecclesia
Ianuarius 3.33
Ianuarij Africani episcopi uita 822.36
Ianuarij Aquileiensis episcopi uita 1154.47
Ianuarius Leonton epis. 1508.37
Ianuarij Zatterensis episcopi uita 1105.46
Ibæ Edessenus 1156.50
Ibæ Edessæni episcopi causa 926.13. 927.28
Ibæ Edessæni epistola 48. 94.5.
Ibæ Edessæni episcopi uita scripta. ibid. 43. certamina 1020.15. 1021.46 afflictiones 1024.27
Ibeeliæ martyris templum Seleuciæ 643.31
Iconium Lycaoniæ 749.58
Iconij Cortynæ Cretæ episcopi uita 1166.10
Idola quid uocentur 100.53
Idola à magistratu tollenda 449. 45. non colenda 145.4
Idolorum templa destructa 1511. 24
Idololatræ qui 195.54
Idololatriæ ab imperatorib⁹ abrogatæ 770.5
Ieiunandi ritus Priscillianistarum refutati 574.50 575.53
Ieiunium Armeniorum hæreticorũ 610.32
Ieiunij ritus in ecclesiâ Romana 730.54
De ieiunio opiniones
Ieiunia eremitarum 513.47
monachorum 716.50
Ieiuniorum finis 705.43
institutio 689.11
Iesus Christus carnis proprium nomen 655.15. ritus 684.
Iesus Deus 128.15
Iesu Christi appellationes 129.60
De Iesu Christo gentilium hypothesis 1504.20 Iudæorum 1497. 53. refutata 1500.33
Ignatij festum 694.10
Ignatij reliquarũ translatio 699.13
Ignis inferni 477.41
In ignem non mutatus Spiritus sanctus 188.14
Igne Spiritus sancti gratia appellata 182.48
De igne, Persarum numine, historia (78.21
Illyriæ Ecclesia 12.30
Illyricam Huni uastant 1523.1
Illyriani episcopi, Eutychiani 611.19
imago Dei in homine 247.47
imaginis Dei in homine recuperatio 252.38
imagines quorundam deorum gentilium 1508.3
imaginum usus in Romana ecclesia 725.8
Immanuel Christi appellatio 129. 40
immensum esse propriũ Dei 110.3
Immortales Persarum cæsi 49. 6. 79.15
immortalitas Dei proprium 106. 58 107.9
Imperator Auitus episcopus Placentinus 14.8
Imperatores quinti seculi 1.12
Imperatores pro dijs habiti 1503. 32
Imperatores ethnicismi confirmatores 1510.22. sua potestate abusi in ecclesiasticos 773.32
Imperatorũ curæ pro Ecclesiastica gubernatione 769.35. edicta aduersus Iudæos 1500.50 aduersus Paganismum 1511.42
Imperatorũ inauguratio. 769.11
Imperatricis obitus 75.4
impij an corpus & sanguinem Domini accipiant 394.1
de Impiorũ pœnis Priscillianistarũ hypothesis 571.33
impœnitentes 773.59
imputari remissionem peccatorum 32.35 (49
incantatores non consulendi 432.
incendium Constantinopoli ortum 31.30. post exilium Chrysostomi 74.41. incendium ædis Constantinopolitanæ sub Arcadio 1480 4. sub Leone 1491.40. sub Zenone 1493.43
incorporeus probatur Deus 106 44
incorruptibilitas Dei 106.19
increatum esse propriũ Dei 107.5
Indiæ ecclesiæ 7.23
Indi monachi 700.45
Indinus Trinopolis Ciliciæ episcopus 1035.1
indurare quid dicatur Deus 269.31
infantes baptizandi 375.6
infantum baptismus 654.1. 655.60. 658.10 resurrectio 468.52
de Infantum baptismo Augustini opinio 516.43
de Infantibus ante baptismum morientibus hypothesis Pelagianorum 582.40
de Infantibus quorum baptismus incertus, casus 660.7
inferi quomodo in Scriptura accipiantur 475.50
inferorum potẽtia fracta 176. 49
de Inferis Priscillianistarum hypothesis 571.32
infernus quid 475.56
inferni pœnæ 476.15
ignis 477.41
in Infernum cur descenderit Christus 180.41
de Inferno patrum doctrina 475.1
gentilium doctrina 1506.30
in Inferno non speranda relaxatio 478.3
infinitum esse proprium Dei 107.3
infirmis datum Christi corpus 729.3
Ingenui Ebredunensis episcopi uita 1312.36
iniquitatis mysterij insignia in Romana ecclesia 988.30
initiationes gentilium 1508.24
Inmestar locus quo Iudæorum facinore notatus 1495.60
Innocentiæ Carthaginensis matronæ historia 661.5
Innocentius 841.41 (1155.1
Innocentius Africanus presbyter
Innocentius presbyter 861.36
Innocentius Romanus 587.33
Innocentij epistola ad Carthaginensem synodum 825.30
Innocentij Rom. pontificis literæ ad Mileuitanum concilium 843. 22. ad Numidiæ episcopos 9.16 ad Theophilum Alexandrinum 814.40. pugna cum Nouatianis 530.50
Innocentij Romani episcopi uita 1228.18. doctrina. ibid. 36 næui 1229. 20. certamina 1233.39 amici 1235. 8
Innocentij Romani seueritas in Arcadium Imperatorem 662.52 studium pro Chrysostomo restituendo 34.41
in quo & per quem, phrases quomodo exponantur 99.50
Insomnium monachorum monasterium 702.15
die Instadt Bauariæ oppidum 1316.33
instituta monachorum 708.27
insularum metropoles 250.22

insulares Ecclesiæ 10.30
insulares in mari mediterraneo episcopi 1165. 6. monachi 1452.8
intercessiones 768.6
introitus 729.27
Inuentius 822.40
inundationes 75.22
inuocandus quis sit 345.37
Iohānis abbatis obedientia 906. 42
Iohannis Alexandrini & Acacij schisma 806. 49
Iohannes Aliudenæ Casiæ episcopus 1040.27
Ioānis amanuēsiū imperialiū sub Honorio præfecti ambitio 1484. 32. 152.30
Iohannes Amazonis episc. 1040.28
Ioan. Antiochen. episc. 607.25. acta in synodo Ephesina 893.10. schisma cum Cyrillo 803.6.1084.30. testimonium à synodo Chalcedonensi approbatum 938.37
Ioannis Antiochiæ episcopi uita et res gestæ 981. 48
Ioannes Arcæ episcopus 1016.32
Ioannes Baptista monachorum princeps 711.37. angelus dictus 228.60
Ioannis baptistæ reliquiæ translatæ 699.48
de Ioannis baptismo Augustini opinio 516.50
Ioannis natiuitatis festum 694.9
Ioannis baptistæ templum Alexandriæ 643.42
Ioannem Baptistam non solùm uidisse Spiritum sanctum 189.43
de Ioāne Baptista, aduersarij hypothesis refutata 627.1. Donatistarum 636.14
Ioannes Bargasorum Varectorum episcopus 1047.46
Ioannes Brentius 1074.8
Ioānes Carrhēsis episcop. 1029.30
Ioānes Cassianus Pelagianus 587.3
Ioānis Cassiani uita 1327.54. scripta 1329.35. eorum ēd autoritas. ibid. doctrina 1331.20. næui 1332.30. certamina 1333.25
Ioannis Cassiani de angelis opinio 497.58. de lege 503.57. de lib. arbitrio 503.19. de pœnitēt. 504.54
Ioannes Cnidi episcopus 1040.30
Ioannes comes Sexensis 1042.34
Iohannes Chrysopolis Arabiæ metropolitanus 979.57
Ioannes Chrysostomus 82.9
Ioannis Chrysostomi corpus translatum 803.53
Ioannis Chrysostomi Constantino politani cum clero suo dissensio 794. 10. cum Scueriano 795.16. pugna cum Nouatianis 530.42
Ioannis Chrysostomi uita 1170. 48 dona 1172.1. scripta. 1173.32. 1174. 13. doctrina. ibidem 30. næui 1177 43. pericula 1178. 54. certamina contra hæreticos 1182. 45. uitæ sanctimonia 1183.27
contra Ioannem Chrysost. quæ synodi coactæ 809. 54. 810.40 & inde
inter Ioannem Constantinopol. & Theophilū schisma 799.10. etiā inter Epiphaniū. ib. 34. inter Eudoxiā Augustā 800.58. uide Chrysostomus suprà
Ioannes Damasci episcopus 893. 13
Ioannis Damasci episcopi uita 1017.1
Ioannes Edessenus 1026.44
Ioannes Edessenus diaconus 1027. 57
Ioannes Ephesiæ Aegypti episcopus 1106.56
Ioannes eremita 715.32
Ioannis Euangelistæ templū Ephesi 643.36. uisiones 241. 20
Ioannes Flauiadis episcopus 1035.6
Ioannis Gadaræ episcopi uita 973. 58
Ioannis Germaniciæ episcopi uita 1016.8
Ioannis hæretici uita 1469.62
Ioannis Hieropolitani episcopi uita 992.50
Ioannis Hircanorum episcopi uita 1071.19
Ioannes Lesbi insulæ episcopus 1165.50
Ioannes Lonicerus Marpurgensis professor 1018.8
Ioānes Macedoniæ episcop. 1170.6
Ioannes Magileos episcop. 1101.25
Ioannes Maxentius 1030.31
Ioannes Messenæ episcopus 1168.23
Ioannes monachus 1434.41
Ioannis Nepotis Hierosolymitani episcopi uita 958.12
Ioannes Nicopolis Armeniæ episcopus 1070.22
Ioannes Palæstinus 975.22
Ioannes Palmiræ episcopus 1017. 22
Ioānes subdiaconus Parēsis 998.59
Ioannes Parthenopolis Cariæ episcopus 1040.18
Ioannes Parthenopolis Macedoniæ episcopus 1170.38
Ioannes Polemonij episc. 1068.47
Ioannes Pselthis episcopus 1105.48
Ioannis Rauennæ episcopi uita 1299. 46. certamina. ibidem. 55
Ioannis Rhodi insulæ episcopi uita 1165.34
Ioannes Saracenorum episcopus 1071.16
Ioannes Sebastæ Armeniæ episcopus 1070.18
Ioannis Tabennesiotæ Alexādrini episcopi uita 1041.31. doctrina 1093.33
Ioannis Theodosiopolitani Armeniæ episcopi uita 1068.55
Ioannes Tyberiadis episc. 974.29
Ioannitæ qui dicti 33.2
Ioannitarum secessio 801.26
Ioannitarum schisma compositum 803.38
Iob presbyter & archimandrita 1451.11 853.39
Iocundus 45.2
Iocundus presbyter Arianus
Iocundus Susetulensis episcopus 1143.26 143.8
Ionæ figura 1040.38
Ioniæ episcopi 1419.57
Ioniæ terræmotus 3.35
Ioppe Ecclesia 1015.2
Iordanus Abilæ episcopus 1445.19
Iosephi Anachoretæ uita 928.
Ioseph Heliopolis episcopus 911 715.35
Ioseph monachus 22.22
Iouij Comitis factum 872.60
Iouianus Donatista 1226.28
Iouinus Deueltēsis episcop. 13.48
Iporiensis episcopus 1421.24
Irenæi Barchinonensium episcopi uita 1167. 57
Irenæus Naupacti episcopus 4.44. & 926.19
Irenæi Tyri episcopi uita 978.53 5.16
Irenopoleos episcopus 1105.
Iron Temissæ episcopus 52 1106. 57.
Isaac Elearchiēsis episcop. 715.10
Isaac monachus 1450.
Isaaci monachi Schythæ uita 53 612.
Isaac presbyter Isid

Isaac Tancorum episc. 1105.49
Isaacis Antiocheni presbyteri uita 991.57
Isaacius primicerius lector Parèsis ecclesiæ 999.56
Isauri à Chrysostomo conuersi 21.5
Isauriæ episcopi 1036.32
Isauriæ latronum sæuitia 1518.13
Ischyrionis Alexandrini diaconi uita 1097.54
Ischyrion diaconus Alexandrinus 50.42
Isdigerdes Persarum rex 48.2
Isdigerdes Persa 78.10.
tutor Theodosij iunioris 22. 54
Isidosij Alexandrini presbyteri uita 1094.36
pericula. ibidem
Isidorus diaconus Dioscori assecla 51.18
Isidori hæretici uita
Isidorus monachus 1462.39
Isidori Peluseotæ monachi uita 701.21
1438.45. epistolæ 1439.15
Isydori presbyteri schisma cum Theophilo Alexandrino 796. 58
Isidorus Prienæ episcopus 1047. 41
Isidorus Sethraitorum episcopus 1105.56
Isitij Viennensis episcopi uita 1350.8
Islandiæ direptio
Ischius 1525.20
Ischius 82.10
Ischius de figuris ueteris Testamenti 87.47. de Scripturæ autore 86.38. 51. effectu 91. 231. de Testamento nouo 89.45. de Trinitate 118. 51
Ischij locus 93.21. 102.34. 103.43
Ischij de angelis opinio 497. 43. de cœna Domini 517.45. de iustificatione 505.28. de libero arbitrio 502.45. de pœnitentia 519.22
Italia ab Attila uastata 1523.59
Italiæ episcopi incertæ Ecclesiæ 1312.55
Italiæ motus 36.20
Italica synodus pro Chrysostomo 34.49
Iucundus Byzancenæ prouinciæ legatus 857.37
Iudæi cuiusdam dolus circa baptismum 661.41
Iudæi paralytici sanatio 652.47. & 655.8. 661.21
de Iudæo quodam miraculum 1483.5
de Iudæo quodã fabula Nicephori 1493.10
Iudæi Alexandria electi 1081.26
qua occasione 1495.51
Iudæi Ariani 552.40
Iudæi in Creta conuersi 10.46 & 21.22
Iudæorum obiectionis causa 203. 46
Iudæorum festa 1498.50
incredulitas 83.5.
malicia 1494.47.
interitus in Creta 1496.30
mores 1499.11
Iudæorum persecutio in Christianos Alexandriæ 46.53
Iudæorum pœnæ ob persecutiones Christianorum 77.50
de Iudæis impijs, aduersarij hypothesis refutata 627.18
Donatistarum 636.29
Iudaici ritus & ceremoniæ 1498. 49
Iudaica doctrina 1497.13
Iudaicæ ecclesiæ regimen 1499. 24
Iudaicarum rerum status 1494.6
Iudaismus per quos expugnatus 1499.49
Iudas an baptisarit sicut Apostolus 639.20 an corpus Domini acceperit 394.33 & 398.32
Iudas præscitus, non factus, qualis in Christum fuerit 204.26
iudicandi qui sint 474.10
iudicium esse futurum 470.18
iudicij extremi forma 471.53
de Iudicio extremo patrum doctrina 470.15
iudices synodorum 772.21
Iulianus 908.22
Iulianus Antiochiæ episcopus 990.10
Iulianus Aquileiensis episcopus 13.33
Iuliani Aquileiensis episcopi uita 1308.37
Iuliani Athelensis Pelagiani uita 1453.40
Iulianus Clendiritis episcopus 1037.56
Iulianus Coensis 777.32
Iulianus Hypæpensis episcopus 1052.30
Iulianus Lebedi episcopus 1047.36
Iulianus Mostenæ epis. 1107.8
Iulianus Pelagianus 586.41
ambitiosus. ibidem
Iulius 905.38
Iulum ubi cătarint gẽtiles 1507.53
Iunilius 82.13. 104.56
Iunilius de fine ueteris Testamenti 88.31
Iunilij locus 94.24. 97.53
Iunilij de creatione opinio 497. 6.21
Iunilij Africani episcopi uita & scripta 1144.16. & inde. doctrina 1145.18. næui 1108.6. certamina. ibid. 19. familiares 1148.24
Iunius Palæstinus 975.36
Iuno 1503.30
Iunonis festa apud gentiles 1508. 39
Iupiter 1503.29
Iouis festa apud gentiles 1508.39
Iuramenti religio 721.48
de Iuramẽto magica Paulini superstitio 522.2
iuramenta Dei 113.52
iurare non licitum, Chrysostomi opinio 521.53
iusticia Dei 06.41
iusticia fidei quæ 303.46
iusticia nostra Christus 129.30
iusticiæ diuisio 303.34
iusticiæ prædestinatio 202.5
iusticia aliena nos iustificari 310.6
à Iusticia quomodo liberi simus 300.35
iustificari nos sanguine Christi 309.37. gratis 315.22. omnes eodem modo 312.30
iustificari sola fide quomodo intelligendum 312.26
iustificari neminẽ ex lege 296.49
iustificationis autor 304. 20. & qua re ipsa cõstet. ibid. causa 305.50. materialis 308.49. effectus 322.45. 323.
iustificatione opera non priora 340.60
de Iustificatione patrum doctrina 303.30. opiniones 504.8
de Iustificatione Donatistarum hypothesis 628.47. confutata 632.43. Pelagianorum 583.1. refutatæ 600.15. gentilium 1505.17
iustos facit Deus 112.55
Iustiniani Siciliæ episcopi uita 1166.20
Iustiniani Turonensis episcopi uita 1397.44
Iustus Palæstinus 975.42

Iuuauiam 1317.56
Iuuaniæ episcopus 18.4
Iuuenalis Hierosolymitanus Eutychianista 611.4. in Ephesina synodo 882.18. 619.11
Iuuenalis Hierosolymorum episcopi acta cum monachis 54.28 uita 960.26
Iuuentini martyris uita 1476.1

K

Der kalenberg 1316.40
Kentigerni Britanni uita 1430.46
Kyntzen uillæ 1316.36

L

Labores honesti Christianorum 722.22
labores monachorum 708.17
Lætus quidam exustus 65.57
Læti orthodoxi martyrium 955.2
laganæ oleo unctæ significatio 93.29
lampades funebres 695.26 nuptiales 694.54
Lampadius 833.18 841.43
Lampadius Raphaneorum episcopus 1015.48
Lampij Barcilonæ in Hispanijs episcopi uita 1425.48
Lapsacus 35.15
Landulphi & Vrsonis Helueticorum acta cũ S. Fridolino 1314. 58
Laodiceæ ecclesia 4.20
Laodicea Phrygiæ 750.3
lapidis miraculum 1479.40
lapide cur circumcisi Iudæi 54.5
lapidum grandinis magnitudo 75.24
lapsanæ herbæ usus apud monachos 705.41
lapsus hominis 251.9
lapsi pœnitentes recipiẽdi 357.29
Larensis urbs 64.16
Larissa Thessaliæ 750.44
Larissenus episcopus 4.45
Lateranensis bibliotheca 748.31
λατρόβοεις 195.60
latro primus paradisum cum Christo ingressus 520.46
Laudensis episcopus 13.48
laureæ monachorum 700.30
Laureacum Bauariæ 1318.5
Laureaci episcopus 18.4
Laurentius Icositanus episcopus 1164.17
Laurentij Mediolanensis episcopi uita 1300.20
Laurentij Senensis episcopi uita 1296.34
Laurentij festum 694.2
Laurentij templum Constantinopoli 644.1 Florentiæ 643.5
lectione crebro Scripturæ sententia indaganda 99.37
lectiones sacræ in Rom. ecclesia 727.13
lectoris cuiusdam interitus 44.18. lectores 735.22 mariti 734.56
lectorum officium 738.20
legati Rom. episcoporum 779.16
legationibus episcopi functi 743.46
legentium tres errores 96.9
Legionensis ecclesia 17.30
legis latio duplex 291.14
legumina monachorum cibus 705.26
Lellianus legatus 906.28
Lemouices episcopus 15.41
Leo 82.15. & 841.32
Leo Imperator 1.12
Leonis imp. acta cum Aspare & Ardaburio 80.10. bellum in Vandalos 1525.16. edicta contra paganismum 1512.9
Leonis Imperatoris laudes 55.54.
Lex 769.59
sub Leone martyres 1473.40. miracula 1490.26. prodigia 1491.31. uisiões 1492.20. spectra 1493.32 multationes politicæ 1524.45. schismata 805.52. synodi 951.4
Leo legatus 906.29
Leo Ostimensis episcopus 1164.25
Leo Palæstinus 975.27
Leo Romanus episcopus de nouo Testamento 89.27 de Trinitate 116.56
Leonis locus 93.3. & 103.24
Leonis de iustificatione opinio 505.21. de operibus 508.8. de oratione . 511.2. & 512.6
Leonis Rom. episcopi cum Attila historia 1534.4
Leonis Rom. epistola à synodo Chalcedonensi approbata 938.57. epistolæ contra Eutychianos 611.41 laus 606.4
Leonis legati quomodo à Dioscoro exceptì 49.50
Leonis tomus damnatus 615.40
Leonis I. Romani episc. uita 1251.32 legationes 1252.9 gubernatio. ibid. scripta 1252.34. decreta 1256.22. constitutiones 1260.22 certamina. ibid. 40. næui 1262.13. amici 1263.31. sanctimonia 47 uitæ. ibidem
Leomanditus Antiochiæ Cylicum episcopus 1035.21 833.31
Leonas 70.9
Leontia martyr 816.43
Leontius Ancyranus
Leontius Ancyræ Galatiæ episcopus 1064.20
Leontius Araxi episcop. 1059.42
Leontij Ascalonensis episcopi uita 973.18
Leõtius Edessenus presbyter 1027.47.49
Leontij episcopi pugna cum Nouatianis 530.44
Leontius Magnesiæ episcopus 1951.55 905.12
Lepidi Regium
Leporij Agricolæ monachi uita 1440.13. scripta. ibidem 56 833.22
Leporius
Leprosus à S. Seuerino sanatus 1319.47 10.15
Lesbi ecclesia 974.5
Leõtij Libyadis episc. uita
Leucadius Thunensis insulæ episcopus 1167.45 822.31
Leucius
lex aduersus Arianos inuersa 66.12 an
Lex quando data 291.45. contraria proponat 292.37. adquid data 293.21 86.51
Lex & Euangelium
Legis administratores angeli 227.9. diuisio 290.41. doctrina 166.57
Legis figuras Christum significasse 87.13
Legis moralis descriptio 290.40
Legis naturalis descriptio 289.50 290.24 partes
Legis pœnitio 292.9. rigor mitigãdus 448.3. usus & effect⁹ 292.53
Legis et Euãgelij discrimen 302.10
de Legis abrogatione patrum doctrina 299.8 292.5
legem interiora requirere 291.30
legem quis dederit 297.17
legem quis implerit 331.21
lege maior fides 296.49
ex Lege neminẽ iustificari 296.49
de lege, Aduersarij hypotheses refutatæ 626.4. Donatistarũ 635.34. Iudæorum 1498.15. refutata 1500.14. Pelagianorum 579.27
de Legeo. piniones patrum 503.30

ſub Lege nos non eſſe 292.26
leges Ceremoniales 209.60
leges ab epiſcopis ſtatutæ 745.34
legũ formulæ quatuor 291.3
Libanius 748.50
Libanius Chryſoſtomi præceptor 1170.54
Libanius Edeſſenus preſbyter 1027.46
Liber pater 1503.57
Liberi patris figura apud gentiles 1508.15
Liberati abbatis monachi martyris uita 1474.25
Liberatus martyr 71.34
Liberati medici uxor Chriſtiana 73.8
liberi ſanctorum an ſancti 377.50
Liberius præfectus 908.24
libertas in externis 274.25
de Libertate Chriſtiana, doctrina patrum 300.32
liberum arbitrium 908.32. 910 37
liberum arbitrium poſt lapſum 273.7. quid ualeat 258. 1. quis id faciat ibidem 41
liberi arbitrij aſſertores damnãtur 272.44
libero arbitrio accepto nos indigere gratia 268.5
de Libero arbitrio patrum doctrina 255. 8. opiniones 500. 6
de Libero arbitrio hypotheſis Donatiſtarum 628. 28. confutata 632. 8. gentilium 1504. 59. Pelagianorum 578. 16 refutatæ 590.46
Libiadis eccleſia
libri gentiles 3.35
libri ſacri à Chriſtianis lecti 1520.30 52
librorum ſacrorum diſtinctio 719. 524.7
de Libris Canonicis patrum ſententiæ 522.26
Liburnana ſchola 748.39
Libyæ epiſcopi 1164.54
Licinius 1218.50
Liguſticum mare 11.12
Lilybæi eccleſia 11.5
Limenſe monaſterium 733.17
λιμὸς κακὰ λειμώνων, prouerbium 81.11
Lingonienſis eccleſia 17.55
lingua exciſa locuti Chriſtiani 149. 10
lingua uulgari ſacra celebrata 648.40
linguæ preciſæ Chriſtianis 70. 50
Lirinenſes patres 16.4
Litaniæ 693.15. & 742.17
Litaniarum uſus 651.1
literæ communes ubi dictatæ 745. 10
literarum magiſtri quanti à Leone Imperatore habiti 56.35
lites à clericis compoſitæ 745.18
litigantium cauſæ ab epiſcopis diremptæ 743.30
Litorius comes 1522.18
Littorius 841.33
locorum ſacrorum reuerẽtia 720. 54
locutiones figuratæ 100.39
Londinum 750.29
longanimitas Dei 109.46
Longi fratres monachi 28.53
Longi monachi 701.17 & 797.55
Longorum fratrum communio 671.10. uita 1434. 49. doctrina 1435. 50. certamina & afflictiones 1436.14. 53
Longini epiſcopi hiſtoria 1490. 31
Longinus preſbyter Neocæſarienſis 1068.27
Longinus Talbondanæ Piſidiæ epiſcopus 1038.60
loti orare ſoliti 677.51
Lucana ſolennitas 694.15
Lucas Berrhœæ Macedoniæ epiſcopus 1170.38
Lucas Epiri epiſcopus 1168.29
lucernarum in templis uſus 647. 22
luci ſimulachrales deſtructi 1511. 30
Lucianus 841.30
Luciani Byzes Thraciæ epiſcopi uita 1225.40
Lucianus Edeſſenus diaconus 1027.53
Luciani Hieroſolymitani preſbyteri uita 963.13
Lucianus Ipſenſis epiſcopus 1054. 25
Lucianus Sitifenſis Mauritaniæ epiſcopus 1163.57
Lucianus Topirenſis epiſcopus 1226.27
Luciferi lapſus 234.11
Lucillus 841.30
Lucilli Fabianenſis epiſcopi uita 1321.12
Lucillus Vindelicorum epiſcopus 17.59
Lucius 841.35
Lucius Ligrenſis epiſcopus 1107. 7
Luctenenſis eccleſiæ clerici 14. 49
luctus peculiares geſtus 695. 9
ludi gentilium 1509.17
Ludouicus Francorum rex 1403. 44
Lugdunum 750.50
Lugdunenſis eccleſia 16.7
lugentium gentilium ritus 1509. 32
Luna dea 1503.16
Lunduni eccleſia 18.16
Lupicinus epiſcopus 812.27
Lupicini Mauritaniæ Cæſarienſis epiſcopi uita 1163.44.
Lupus Galliæ epiſcopus 587. 41
Lupus Trecaſſinus 751.59
Lupi Trecaſſini epiſcopi uita 1368. 51
Luſitaniæ eccleſiæ 17.22
Lutherus quomodo decîdat diſſenſionem Hieronymi & Auguſtini 792.1
Lycaoniæ epiſcopi 1051. 14.
Lyciæ eccleſiæ 5.43. epiſcopi 1039. 6. paganiſmus 1501. 28
Lyddæ eccleſia 3.33
Lydiæ eccleſiæ 6. 8. epiſcopi 1047.53
Lyticerſa cantus 1507.55

M

Maccarij Alexandrini curialis flagitium 51.27
Macarij Laodiceæ epiſcopi uita 1000.6
Macedonia ab Hunis uaſtata 1525. 9
Macedoniæ eccleſiæ 11.41. epiſcopi 1169.55
Macedonius Macedoniæ epiſcopus 1169.58
Macedoniani cuiuſdam conuerſio 21.9
Macedoniani cuiuſdam hiſtoria 1479.14
Macedoniani conuerſi 23.16
Macedonianorum hæreſis 566.1
Macedonianus eremita 1000.33
Macedonius tribunus 921.51
Macezil comes ingratus ſanctis uiris 75.35
Macezilis hiſtoria 1481.8

Macezilis & Gildonis fratrum congressus 1517.50
Machaon à Græcis cultus 1504.1
Macomadiensis episcopus 8.41
Macrianensis ecclesia 9.49
Madaurensis ciuitas idololatra 1501.49
Madaurenses Christiani 8.47
Mænas Antiochena conuersa 21. 59
magiæ reprehensio 49.21
de Magia Priscillianistarum hypothesis 571.60
Magorũ fraus à Marutha detecta 1018.41. impostura 23.1. & 76.9. familiæ decimatæ. ibid. 42
magister diuinorum officiorum 735.58
magistri literarum quanti à Leone Imperatore habiti 56.35
magistri sacrorum apud gentiles 1506.49
magistri scholarum 748.58
Magistrianorum schola 748.41
magistratus politici cura pro ecclesia Dei 769.30
magistratus officium utilitas & necessitas 448.18
magistratui in schismaticos animaduertendum 449.57
ad Magistratũ quæ tria pertineãt 447.28
de Magistratu, Donatistarum hypothesis 631. 13. refutata 640. 15
de Magistratu, patrum doctrina 444 58
pro Magistratu orandum 453.28
magistratus sumptibus iuuandi 447.18
Magistratus mali unde 453.8
magistratuum uirtutes 445.49
magistratibus obedientia præstanda 451.1. quando non 452. 10
Magnesiæ ad Sulpium ecclesia 6. 10
sub Maiorano quæ mutationes 1524.45
Maiorici adolescentis martyrium 69.54
Maiorinus 822.30
Maiuma Gazæorum 972.25
Maiumæ Gazæorum ecclesia 3.19
Malachias prophetæ angelus dictus 229.2
Malchus Auaræ episcop. 979. 45
Malcus 841.33
mali in ecclesia 405.55
mali præsciti tantum, non prædestinati 206.34
mala unde sint 216.37
malorum causa non Deus 276.16. & inde
malorum origo 82.41
Mamas presbyter 611.38
Mamæ Constantinopolitani presbyteri uita 1219.21
Mamercus Viennensiũ episcopus 15.26. 651.44
Mãpreti Titiopolis episcopi uita 1035.16
Manethus gentilis scriptor. 1502. 34
Manetis sectatores 538.22
Manichæus non paracletus 548.32
Manichæi ab Hunerico afflicti 61.55
Manichæi qui conuersi 548.46
Manichæorum deliria confutata 539.46 & inde
Manichæorum hæresis qualis 531. 6. ritus & mores 538. 30
Manna angelorum panis 227. 45
Mansuetus episcopus fustibus cæsus 65.51
Mansuetus Iuricitanus ubi incensus 42.29
manus ordinandis imponi solitæ 682.20
manus dextræ amputatæ Christianis 70.50
manuum impositiõe absoluti pœnitentes 665.27
manuum impositio 657.35
Maras Dionysiadis Arabiæ episcopus 979.49
Maras Edessenus 1026.43
Maras Vrimorum episcopus 993. 6
Marathus Sicyoniorum rex 291. 48
Marcelliani Illyrici res gestæ 1525. 18
Marcellinus 822.43
Marcellinus præfectus 908.24
Marcellus 822.38
Marcellus Africanus subdiaconus 1155.2
Marcellus Cos. 908.26
Marcellus episcopus 833.15
Marcellus presbyter et archimandrita 1451.48
Marcellus subdiaconus 861. 36
Marcialis 921.48
Marcialis Pertusensis 873.18
Marcianus Macedoniæ episcopus 1170.9
Marcianus Constantinopolitanæ ecclesiæ œconomus conuersus à Catharorum hæresi 22.2 eiusdem uita 1223.36
Marcianus Nouatianorũ episcopus 530.38
Marcianus Sullectinus 873.12
Marci imperium affectantis initus 1520.26
Marcomanni 1521.30
Marci reliquiarum trãslatio 698. 25
Marcion hæreticus 153.41
Marcionis hæresis 208. 10. 529. 53
Marcionistæ 22.43
Marci Arethusiæ episcopi uita 1015.22
Marcus heremita 82.17
Marci heremitæ locus 104.3
opinio de libero arbitrio 503. 17. de operibus 510.5
Marci eremitæ uita 1445. 56. doctrina 1446.34. naui 1448. 6
Marcus Nouatianorum episcopus 530.34
Maria an Deipara appellãda 802. 35
Maria Deipara 608. 12. doctrina 124.36
Maria an peccato originali obnoxia, Augustini opinio 499. 51
Maria quomodo conceperit 152. 28
Mariæ imago Constantinopoli 646.9
Mariæ uestis 642.56
Mariæ uirginis templum 645. 60
Mariam uirginem negant Manichæi 532.53
Marianus Vlzibiritanus episcopus 1155.36
Marinæ monasterium 702.18
Marinadus diaconus Arianus 45. 33
Marini Comitis res gestæ 1520. 51
Marinianus Iotapæ episcopus 1035.22
Mariniani Synnadensis episcopi uita 1053.31
Marius Victor de Trinitate 125. 38
Maroneæ prouinciæ ecclesia 12.18

Maronius Edeſſenus diaconus 1027.57
Mars deus
Martianopolis ſecundæ Myſiæ eccleſia 1503.55
Martianus 12.37
Martianus Gerrhæ epiſc. 974.43
Martianus hæreticus 1.12
Martianus imperator 153.45
Martiani imperatoris edicta contra Apollinariſtas 566.37. contra Paganiſmum 1056.23
Martiani imperatoris uiſum 79. 1511.54
ſub Martiano martyres 60. & 80.1
miracula 1443.5
ibidem. uiſiones 1488.9 prodigia. 1489.1 mutationes politicæ 1523.10. ſchiſma 805. 22. ſynodi 931.28. tranquillitas eccleſiæ 52.39
Martianopolis. 750.50
Martinianus monachus 1434.40
Martini Conſtantinopolitani preſbyteri uita 1219.45
Martinus quod monaſterium inſtituerit 702.20
Martini Turonenſis epiſcopi uita 1383. 25 dona 1358. 54. ſeueritas in functione 1387.57. ſcripta 1389.1. doctrina. ibid. 11. certamina 1390. 34. afflictiones 1392.4. obitus 1394.52
Martini baſilica Turoni 644.20
martyres in ſuis templis præſentes, opinio Chryſoſtomi 510.40
martyrum contemptus refutatur 1516.37
martyrum hiſtoriæ recitatæ in cõuentibus 649.23
martyrum nimia præconia 512.58
memoriæ celebratæ 696.23. recordatio in cœnæ celebratione 674.14
martyrum reliquias cõte mpſerunt gentiles 1506.20. ſepulchra 696.6
Martyrum uitæ 1470 10
martyrum xl. feſtum 694. 7.
ubi reliquiæ inuentæ 699.2
martyriũ baptiſmo æquale, Proſperi falſa opinio 516.24
de Martyrio, Donatiſtarum hypotheſes 630. 46. refutatæ 639. 57
martyriorum appellatio 641. 25. & 642.21
Martyrius
Martyrius Antiochenorum epiſcopus 20.24
Martyrij Antiocheni paſtoris conſtantia 58.38. uita 987. 45
Martyrius Cortynæ Cretæ inſulæ epiſcopus 1166.7
Matyrius Edeſſenus diaconus 1027.50
Martyrij Hieroſolymitani epiſcopi uita 963.2
Martyrij martyris ſub Arcadio uita 1471.10
Maruthas legatus Romanus ad Perſas 78.22
Maruthas Meſopotamiæ epiſcopus 22.48. & 74.3
Maruthæ Meſopotamiæ epiſcopi uita 1018 18
Maruthas Perſa 738.25
Maſculonis martyris ſupplicium 45.13
Maſſagetarum Eccleſiæ 7.34
Maßilia ab Eurico ſubacta 1525. 36
Maßiliæ eccleſia 14. 41. monaſteria 702.17
Maßilienſes Pelagianiſmo infecti 587.11
materia mundi informis 211.34
Maternus Africanus epiſcopus 1154.53
Matheſis cur fugienda 493.36
mathematici reprehenſi 489.10. Roma pulſi 494.3
mathematici libri cremati 770. 21
mathematicæ obſeruationes reprehenſæ 720.46
matricularum cuſtodes 769.18
matronarum tormenta 69.33
matrimonialiũ cauſarũ tractatio. 755.16
Matronianus Pompeiopolis epiſcopus 1034.56
Matthæi Euangelium 697.47
Mathiæ Apoſtoli electio 681.5
Mathias Trimenothuritorum epiſcopus 1054.1
Maturianus martyr 19.8
Maturiani adoleſcentis cõiugium 518.56
matutinum ſacrificium 676.27
Mauors monachorum quid 704. 31
Maurentius 841.32
Mauritij Andegauenſis ordinatio 682.47
Mauritaniæ epiſcopi 1161.42
Mauritaniæ Cæſarienſis Eccleſia 9.41
Mauri ad fidem conuerſi 19 6
Mauri 62.6
Maurorũ gentilium mores 1509. 52
Maurorum immanitas in Chriſtianos 64.16
Maxentius 587.43
Maxilitarum littus 43.55
Maximæ ancillæ coniugium 518. 57
Maximianus Aquæ regienſis epiſcopus 1143.46
Maximiani Bagarenſis ordinatio 682.16
Maximianus Bagaienſis à Donatiſtis damnatus 972.49
Maximiani Conſtantinopolitanĩ epiſcopi uita 1194 10
Maximianus Macedoniæ epiſcopus 1170.5
Maximiani Vagaienſis epiſcopĩ uita 1139.45
Maximiani Vagienſis epiſcopĩ cædes 38.20
Maximinus Arianus epiſcopus 552.52
Maximinus monachus 1434. 42
Maximinus Serres Macedoniæ epiſcopus 1170.35
Maximus 82. 11. & 822.33. & 905. 59
Maximus Anatrabi epiſcopus 893.16
Maximi Anazarbi epiſcopi uita 1033.60
Maximus Antiochenus 778. 17
Maximi Antiocheni epiſcopi uita 986.1. pietas in Domnum remotum 987.24
Maximus Aſci epiſcopꝰ 1047.32
Maximus Brutiorum epiſcopus 1293.10
Maximus epiſcopus 611.46
Maximus Imperium rapit 1524.25
Maximus luuauiæ epiſcopus 18. 3
eiuſdem uita 1321.58
Maximus ludimagiſter 748.38
Maximus Madaurenſis Grammaticus defenſor paganiſmi 1510 3
Maximus martyr 3 36
Maximi monachi martyris uita 1474.28
Maximi de diabolis opinio 499.8
de operibus 509.29. de pœnitentia 514.45. de ſanctis 513. 15
Maximus Nolanus epiſcopus 13 22
Maximi Taurinenſis epiſcopi uita 1305.43. ſcripta. ibidem. doctrina 1307.5. næui. ibid. 57. certamina 1308.1

Maximi Trallenſis epiſcopi uita 1040.43
Maximi & Iuuentini martyrum uita 1476.2
Mazices eremitæ 717.42
mediatoris proprium 151.31
Medici cuiuſdam filiorum anabaptiſmus 73.2
Mediolani collegia iciunantum 688.41
Mediolani direptio 1524.1
Mediolanenſis epiſcopus 13.46
mediterranei maris eccleſiæ 10. 30
Megallij Calamenſis epiſcopi uita 1155.40
Megallius epiſcopus Numidiæ 9. 20
Megarius 822.39
Melchiſedech 111.32. figura Chriſti 393.48
Meletianorum ab Euſtachianis ſeparatio finita 808.26
Meletinenſis Armeniæ epiſcopus 7.18
Meletij Lariſſeni epiſcopi uita 1000.14
Meliphthongi Iuliopoleos epiſcopi uita 1065.25
Melitena Armeniæ 750.18
melote monachorũ 704.35
Memnonis Epheſini epiſcopi uita 1042.8
Memnonis ſchiſma cum Neſtorio 802.53
Memoriæ ædes Carthagini 1501. 46
Menander Heracleæ Latmos epiſcopus 1040.28
Menapij à Francis ſubacti 1522. 26
Menæ hæretici uita 1462.40
Menas preſbyter Dioſcori aſſecla 51.18
mẽdacium diaboli appellatio 229. 32
mendacij ſuſpicio in ſacris nõ concedenda 789.17
mendici & eremitæ 1452.23
mendicis quibus det Manichæus 538.55
Menecratis Caryſſorum epiſcopi uita. 1049.27
Menominia monachorum cibus 795.34
menſa Dominica 668.18
menſa ſpiritualis 597.58
menſæ ſacræ mentio 646.34
menſium ſignificatio 215.8
Mæoniæ epiſcopi 1051.47
Meonius ſeu Muſonius Nyſæ Lyciæ epiſcopus 1039.50
Mercurij feſta 1508.42
Meſopotamiæ eccleſia 4.60
monaſteria 700.23
Meſopotamij epiſcopi 1018.18
Meſſalianitarum hæreſis 567.58
damnatio 895.40
Meſſenæ ciuitatis eccleſia 11.24
Meſſenus 744.49
Meſſenus excõmunicatus 728.14
Meßiæ appellatio 128.31
de Meßia Iudæorum hypotheſis 1497.43 refutata 1500.26
Metenſis eccleſia 16.42
Metenſis urbs capta & incenſa 37.31
Metropoles orbis Chriſtiani 749.43
metropolitani qui 751.52
metropolitanorum officia 752.5. ordo 759.8
metropolitana iura 755.32
Michaelis archangeli crypta ubi inuenta 697.36
Micheæ Prophetæ translatio 698.30
Migetij Galliæ epiſcopi uita 1416. 43
Migginus Belaphantarienſis 873. 15
Mileti eccleſia 5.51
Mileuitana eccleſia 10.9
Mileuitana ſynodus 835.1
de Militia, doctrina patrũ 452.42
militum impreßio in Chriſtianos 32.46
Mineorum hæreſis 569.1
Minerua 241. 4. 433.47
Mineruæ feſta 1508.39
miniſter ucrbi quid 421. 26. qualis 423.36
miniſtrorum deſcriptio 423.41
miniſtrorum dignitas & honor 425.37. excommunicatio 664 36
miniſtrorũ Eccleſiæ habitus qualis 651. 60. honos 720. 5
miniſtrorum loci in templo 646. 52
miniſtrorum negligentiam puniri 429.35
miniſtris uerbi uictus præbendus 427.38
miniſtris quando uxores denegatæ 683.8
miniſtros à Deo uocari 421.48 debere doctrina excellere. ibid. 58
miniſtros eligendi ritus 678.53
per Miniſtros quomodo operetur Deus 194.49
miniſterij finis 427.55
miniſterij difficultates 426. 50 labores. ibidem
miniſterij plures modi 421.42
miniſterij uoce homines corripiendi 424.54
ad Miniſterium qui non admißi 682.54
de Miniſterio patrum doctrina 421.26
Minodorus Irenopolis epiſcopus 1037.49
Minous Hiſpaniæ fluuius 1495.60
Miochalus Edeſſenus preſbyter 1027.47
miracula quotuplicia 430. 4. cur fiant. ibidem 56. cur hodie non fiant 431.17
miracula ſub Arcadio & Honorio 1478. 12 ſub Martiano 1488.8
miraculorũ uerorum & falſorum diſcrimina 432.25
de miraculis patrũ doctrina 429. 58
Miritæ martyris libera reprehenſio in Elpidophorum 71.40
miſericordia Dei 109.50. & 918.44
miſericordia reparationis noſtræ cauſa 305.50
Miſſini Italiæ epiſcopi uita 1512. 56
Miſnij ſchiſma 807.5
Miſſa 729.52
Miſſæ appellatio 706.58
Miſſæ celebratio qualis 674. 46
Mochimus preſbyter 612.4
Mochimi Antiocheni preſbyteri uita 992.8
mœroris ſolutio opus Spiritus ſancti 186.57
Mœſiæ ab Hunis uaſtatæ 1523.19
Moguntia 17.43
Moguntiaci ſubuerſio 37.21
Monachatus in Romanorum eccleſia 732.35
monachatus nouum inſtitutum 718.10
Monachi Aegyptij Eutychiani 611.15
monachorum Aegyptiorum cum Theophilo Alexandrino ſchiſma 796.1
monachorum Aſiaticorum uitæ 1431.44
monachi Cõſtãtinopolit. 1224.12
monachorũ Syrorũ ſeceßio 34.35

monachi clericis inferiores 736. 19
monachi recipiendi examen 708. 43
monachorum genera uaria 702. 30. et inde. ueſtit° 704. inſtituta 708. 27
monachorum motus ob ſynodum Chalcedonenſem 54.14
monachorũ œconomia & uictus 704. 50. obedientia 709. 31. publica pœnitẽtia 710. 5. ritus 700. 10. ſilentium inter edendum 705. 47. uictus 705. 23
monachorum contra Eutychen ſubſcriptiones 1451. 1
monachorũ ſeptem fratrum martyrum uitæ 1474. 23
monachorum & Petri Alexandrini diſſidium 806. 36
monaſteria 700. 29. 773. 12
monaſteriorum cura penes quos 756. 32 inſtitutio 743. 5
monaſtica nimis à Chryſoſtomo laudata 513. 34
monaſtica reprehenſa 684. 1
monaſticæ ſcholæ 749. 13
monialium habitus 733. 9
monocerotis cornu quid 100. 60
Monophyſitæ hæretici 47 715.
monſtroſorum partuum reſurrectio 469. 39
Montanus Paleſtinus 23 973.
Montaniſtæ hæretici 530. 3
Mopſueſtenſis epiſcopus 5. 13
Moralis lex quæ 290. 41
morborum cauſa 280. 12
Morini à Francis ſubacti 27 1522.
mors diaboli appellatio 220. 32
mors unde 459. 53. eius ſpecies. ibidem. à quo uicta 161. 59
mortis mater 280. 55
de Morte gentilium hypotheſis 1506. 13
de Morte patrũ doctrina 459. 41
mortuo quid honori 695. 36
mortui iudicandi 474. 12. non colendi 295. 12
mortui pro deorum gentilium loco indicti 1508. 54
mortuorum apparitiones apud gentiles 1506. 26
mortuorum reſuſcitatio Deo facilis 467. 45
de mortuorum ſtatu, Manichæorum hypotheſis 538. 12
mortuos neſcire quid hic agatur 223. 8
de Mortuis opinio Auguſtini 521. 24
Moſes de Chriſto locutus 87. 20. hiſtoricis gentilium antiquior 1512. 37
Moſes quando eduxerit populum 291. 45
Moſes à Manichæis falſò relectus 540. 10
Moſis appellationes 303. 20 uiſiones 189. 55
Moſes ſimulatus 21. 24
motus politici 1517. 3
Moyſes monachus 715. 9
Moyſis monachi Scythæ uita 1448. 33
Mucianus 822. 32
Mucij abbatis obedientia 709. 46
mulieris liberos parientis crudelitas 1493. 56
mulieris circa communionẽ hiſtoria 675. 49
mulieris cuiuſdam Macedonianæ hiſtoria 1479. 15
mulieres lugentes conductæ 695. 20
mulierum à uiris ſeparatus locus in templis 647. 32
mulierum reprehenſio 724. 45 uerus ornatus 440. 13
mulieribus an permiſceri poſſint angeli 228. 27
Mucidius 822. 25
mundus ager dictus 97. 27
mundi diuiſio 209. 30. ratio 211. 19. materia. ibidem. 26. duratio 216. 1. finis 474. gubernatio duplex 213. 13. interitus 216. 24
mundum non caſu extitiſſe 206. 59
de Mundo gentilium doctrina 1504. 46. Manichæorum dogma 535. 25. confutatum 40. Paganorum opinio refutata 1515. 41. Priſcillianiſtarum dogma 570. 8
muriũ ſimulachra adorata 1508. 22
Muſæi Maſilenſis preſbyteri uita 1323. 30
Muſonius Zoaræ epiſcopus 974. 50
Muſteconæi eccleſia 8. 43.
Muſtenſis eccleſia 9. 30
mutationes politicæ 1517. 3
Muzutenſis eccleſia 9. 29
Myrorum ciuitas 749. 59
Myrorum Lyciæ epiſcopus 5. 45
Myſtagogia 674. 58.
myſterij iniquitatis inſignia 788. 30
myſteria Dei non curioſè perſcrutanda 140. 16

N

Nabuchodonoſoris mentio in cõcionibus 43. 15
Namneticæ ciuitatis epiſcopus 16. 24
Narbona à Gotthis ſubacta 1524. 19
Narbonenſis Galliæ eccleſia 14. 47
Natalis Chriſti feſtum 690. 18
Natiræ Gazenæ epiſc. uita 972. 41
Natrinianus Pompeiopolis epiſcopus 1034. 56
natura humana 911. 19
natura & gratia 911. 31
naturæ lex qualis 289. 50
naturarum duarum in Chriſto unio 151. 10
naturas duas fingit Manichæus 535. 34
Naupacti eccleſia 11. 24
Nazarenorum hæreſis 568. 54
Neopolitana eccleſia 9. 28
negatione collatus Deus cum creaturis 98. 10
negociatores martyres 71. 33
Neocæſarienſis epiſcopus 7. 5
Neophyti qui dicti 741. 55
Neophytorum feſtum 692. 42
Nephalius præfectus 807. 35
Nepos Imperator 1525. 6
Neptunus 433. 46
Neptuni feſta 1508. 42
Nero dijs aſſignatus 1503. 37
Neſteros monachus 715. 23
Neſtorianus Conſtantinopolitanus epiſcopus 23. 17
Neſtorius 1. 51. damnatus à Cyrillo 820. 30. à Cyrillo refutatus & damnatus 1083. 26
Neſtorij Cõſtantinopolitani cum Macedonianis pugna 566. 20
Neſtorij electio 681. 12 excommunicatio 664. 1

fundamenta 607.20. socij. ibid. à quibus cõfutati. ibid.46.et inde
Nestorij hæresis 125.5. 606.14. eius hypotheses.ibidem
Nestorij hæretici uita 1454.45. gesta in synodo Ephesina priore 881.58. & inde. simulata pœnitentia 894.30
Nestorij & Anastasij schisma 802.30.52
Nesterotis anachoretæ uita 1445.15
Nicaretæ Bithynienſis mulieris laudes 33.41
Nicasius Remensis episcopus, martyr cum sorore 52.16
Nicea 750.6
Niceæ eccleſia 6.35
Niceæ Nouatiani 530.26
Nicæni & Nicomedienſis epiſcopi lis 767.20
Nicenorum canonum corruptio 785.6. translatio Constantinopoli facta 862. 33. eorundem capita.ibidem
Nicenæ synodi canon suppositus à Papis Romanis 853.43
Nicena statuta ab episcopis Romanis corrupta 2.11
Niceas diaconus Edeſſenus 1027.50
Nicæas Megaræ episcopus 1167.55
Nicenſis episcopus 8.56
Nicætas Aquileiẽſis episcop. 777.11. eius uita. 1308.45
Nicetas Macedoniæ episcopus 1270.10
Nicetius Sitifenſis Mauritaniæ epiſcopus 1164.50
Nicolaus Stobiorum Macedoniæ epiſcopus 1170.36
Nicomedia Bithyniorum 32.41
Nicomedia 750. 101 & 947. 30
Nicomediæ eccleſia 6.33
Nicopoleos eccleſia 11.31
Nicopolis Epiri 750.43
Nicopolis Piſidiæ 750.15
Nicopolis urbs Thraciæ 525.59
Nilammon paſtor in Geris 8.3
Nilammonis monachi interitus 683.37
Nilammoni monacho templum extructum 642.50
Nili Cõſtantinopolitani monachi uita 1224.15. ſcripta. ibid.36
Niniani Venedocæ Britanni uita 1429.20.ſcripta.ibidem
Nitriæ montis monaſteria 701.10
Nitellus Ruſcurienſis epiſcopus 1164.13
nocturni congreſſus à Chryſoſtomo inſtituti 648.12
Noggerus abbas S. Galli 1315.39
Nolana eccleſia 13.22
nominum impoſitio 657.20
Nonnus Edeſſenæ eccleſiæ paſtor 21.58
Nonni Edeſſeni epiſcopi uita 1024.58
Nonnus Saracenſis epiſcopus 979.46
Noricæ eccleſiæ 18.3
Norici 1318.38
Notarij 736.26
noticia Dei ex creatione 215.18
Nouariæ baſilica 645.8
Nouarienſis epiſcopus 13.41
Nouatianorum hæreſis 503.17
Nouatus 841.32
Nouatus Mauritaniæ Sitifenſis legatus 856.48
Nouati Sitifenſis Mauritaniæ epiſcopi uita 1164.31
Nouetij Galliarum epiſcopi uita 1417.28
Nucerianus epiſcopus 14.16
Numechius Charadrorum epiſcopus 1037.46
Numenius Pythagoricus 1512.40
Numerianus Riſguuienſis epiſcopus 1164.20
numeri ſingularis & pluralis uſus in Scriptura 97.16
Numidiæ Eccleſiæ 9.15. epiſcopi 1155.12
nuncius unde dictus 217.24
Nundinarij Barchinonenſium epiſcopi uita 1421.25
Nunechij Laodiceæ Phrygij epiſcopi uita 1053.45
nuptiæ unde 438.59
nuptiæ ſecundæ licitæ 444.23
nuptiarũ damnatores refutantur 442.34
nuptiarum finis 440.19. ritus 694.35
à Nuptijs honeſtis turpia arcenda 440.7
de Nuptijs ſecundis opinio Chryſoſtomi 518.19
nuptialia conuiuia 694.46
Nyſſæ eccleſia 5.53

O.

Obiurgationũ ratio in Scriptura 100.45
oblationes defunctis prodeſſe, opinio Chryſoſtomi 507.11
oblationes pro mortuis 696.58
obſcura planioribus illuſtranda 95.60
obſeſſorum exorciſationis ritus 684.8
Occidentis ſtatus ſub Genſerico 41.40
Vandalo 2.50
Occidentales eccleſiæ
Occidentalium eccleſiarum tranquillitas 39.46. earundem turbæ 35.45
Occidentalium mos ieiunandi 685.48
Oceani eccleſiæ
Ocreocelenſis eccleſia
Octauiæ epiſcopus
Octauianus
Octauius
Octauius Africanus epiſcopus 1154.14
octonarij ſignificatio
Odiua ſuperatus
Odoacer Rugorum regulus 13. eiuſdem res geſtæ
œconomi eccleſiæ
œconomi monachorum 50
Oenana Bauariæ urbs 33
offertoria
officia Chriſti
olera monachorum cibus 26
oleum inuiſibile
oleo cõſecrato uncti ægroti apud Romanos
Olybrius imperator
Olybrius Palæſtinus
Olympias eccleſiæ miniſtra Chryſoſtomo familiaris & 32.14
Olympiadis mulieris laus 29.conſtantina
Olympiadis monaſterium
Olympius Acropolis epiſcopus 978.8
Olympij Conſtantiæ in Cypro epiſcopi uita
Olympius epiſcopus Hemi montis
Olympius monachus
Olympius Satagenorum epiſcopus
Olympij Theodoſiopolis epiſcopi uita
Olympij Vazatenſis epiſcopi uita 973.30
Olympi Hiſpani epiſcopi uita 1425.28
omnia reprehenſa
omnia conſeruari à Deo
omnipotentia Dei

Oneſimus Argorum epiſcopus 1167.55
Oneſimus Cyriſtrorum epiſcopus 1051.46
Oneſichori Iconij Lycaoniæ epiſcopi uita
Onuphenſis epiſcopus 1051.30
operis boni merces 8.13
opera Dei 911.15
opera Dei quomodo didicerit filius 11.58
opera bona neceſſaria à Deo excitari 559.44
operum bonorum finis 333.6.
operum ſpecies 336.44
opera non præcedere gratiam 336.20
opera per fidem placare 338. 13
non præcedere fidem 339. 48.
opera bona qui faciant 340.60
ante Opera fidem iuſtificare 342.24
operibus bonis non gloriandum 321. 55
operibus præcedentibus neminem iuſtificari 343.58
ob Operibus fidem diſcerni 321.27
de Operibus doctrina patrum 332.7
de Operibus Donatiſtarum hypotheſis 333.1. opiniones incommodæ 506.28
de Operibus bonis gentilium opinio 628.36. cõfutata 632. 22
de Operibus bonis, Pelagianorum hypotheſis 1505.27
Ophelimus Tegææ epiſcopus 584. 1. refutata 601. 59
Opilio Coſ. 1167.56
Optatus Conſtantinopoleos præfectus 908.25
Optatus Donatiſta defenſor Paganiſmi 1510. 873.2 (9
oracula gentilium confutata 1516. 19
de Oraculis gentilium hypotheſis 1505.36
orare pro ſe inuicem Chriſtianis conceſſum 349.48
orari ſine ſpiritu non poſſe 190.21
orandi geſtus 349.55
orandum corde 351.1
orandum quid, & quomodo 347. 9.16 fide 347.55
in Orando qui ſermo tenendus 350.50
in Orando certitudinem requiri 348.27
orantium geſtus 677.20
oratio unde ſit 346.28
oratio nulli loco alligata 676.39
orationis effectus 351.58
orationis ritus 676.15
de Oratione patrũ doctrina 344. 13 & 510.39. Pelagianorum hypotheſis 585. 39 confutata 604.40
orationes ſub cœnæ Domini adminiſtrationem fieri ſolitæ 672.24
orationum ſpecies 344.15
oratoria loca 641.24
orbis totius mala 75.26
Ordacum reges 1525.20
ordinandis manus impoſitæ 682. 20
ordinationis caſus 68. 34. ritus 670.40
ordinationis ritus in Rom. eccleſia 730.10
ordo in Scriptura conſiderandus 98.34
Oreſtes Alexandrinus præfectus 46.58. defenſor Paganiſmi 1510.12
Oreſtes præfectus gentilis 1501. 43. eius crudelitas 14.95
Oreſtes uictus 1526.7
Orientis ſtatus turbulentus ſub Genſerico 41.34
Orientales eccleſiæ 2.49
Orientales Neſtorio conſentientes 607.37
Orientalium mos ieiunandi 685. 45
Orientalium & Europæorum ſchiſma 801.30
Orientalis ſynodus 849.18
Origenis autoritas apud Armenios hæreticos 620.4
Origenis hæreſis 153.41
Origenis libri damnati 796.47
contra Origenem ſynodus Alexandriæ coacta 809. 42
Origeniſtæ 799.5
originalis peccati deſcriptio et potentia 283.60.& 284.33 effectus 287.15
originalis peccati uulnus quomodo ſanatum 306.10
Oriſteus Macedoniæ epiſcopus 1169.59
Orizæ eccleſia 3.34
Oroſius Hiſpaniæ doctor 16.56. & 852.26
Oroſij Hiſpani uita 1422. 11. ſcripta ibidem. 40. doctrina 1423. 29. certamina. ibidem. 40
Oroſij labores contra Paganiſmum 1511.13
orphani 747.40
Orpheus Thracius 1502.40
Orthodoxi epiſcopi et Africani miraculum 1488.13
Orthygius 833.26
Oſius epiſcopus 857.2
Oſterhouen 1316.38
oſtium appellatio Chriſti 129. 17. item Scripturæ 82.58
Oſtrocœni Marcioniſtæ 529.60. ab iiſdem repulſi Marcioniſtæ 22.43
Otreius Cynnabarij epiſcopus 1053.42
ouis Chriſti appellatio 129.48
Oxyrinchitanus epiſcopus 8 17

P

Pacatianæ Phrygiæ eccleſia 6.16
pactum 85.51
Pæan qualis cantus 1507.56
Pæon à Græcis cultus 1504.2
Pagani defenſores ſui gentiliſmi 1510.16
Pagani quomodo celebrent myſteria ſua 1506.59
Paganorum ſacrificia legibus Imperatorum prohibita 770.11
Paganorum quorundam conuerſio 20.29
Paganiſmi antiquitas refutata 1512.29.45
Palæſtinæ epiſcopi 975.12. monaſteria 700.23
Palæſtinæ perſecutio ob ſynodum Chalcedonenſem 54.10
Palæſtina ſynodus 849.18
Pali Apolloniadis epiſcopi uita 1062.7
palis dẽtatis implicita capita Chriſtianorum 62.26
Palladius quidam 34.54
Palladius Anaſiæ Helleſponti epiſcopus 1063.10
Palladius Andraponenſis epiſcopus 1063.25
Palladij Antiocheni epiſcopi uita 991.45
Palladij Britanniæ doctoris uita 1426.46 libri 1427.14
Palladius præfectus prætorij 847. 28. eius edictum 849.1
Palladius Scotorum epiſcopus 18. 24.54
Palladij Tigabitani epiſcopi uita 1152.56
pallijs uſi monachi 704.30
Palmarum feſtum 691.3
palmites uitis 911.56

Palti primæ Syriæ urbis episcopus 424
Palumbulus Palæstinus 975.25
Pamphili Abydarum episcopi uita 1062.57
Pamphiliæ ecclesia 5.28. episcopi 1035.32
Pamphiliæ synodus 903.40
Pampinias Vticẽsis antistes à Vandalis cruciatus 42.26
Panacia Aesculapij festa 1508.44
Panathenæa Mineruæ festa 1508.40
Pancratij Libiadis episcopi uita 974.9
Pandia Iouis festa 1508.39
Panephysi Aegypti ecclesia 7.58
Panicus terror 76.32
Panis angelorum 227.43
Panis cœnæ Dominicæ 671.54
Panis siccus monachorum cibus 705.27
panis unus sacramentum unitatis 192.57
Panes animarum 86.53
Panum sine fermento significatio 93.28
Pannoniæ ecclesiæ 12.47
Panolbij Hierapolitani episcopi uita 992.35
Pansophij Nicomediensis episcopi uita 1060.32
Panthagarus Cos. 908.25
Panthenius. 822.7
Papæ appellatio 751.54
Papæ Romani nomen 775.8
Papæ qui 758.38
Paphi ecclesia 10.37
Paphlagoniæ ecclesia 6.42
Paphnutius monachus 715.9. eiusdem uita 1448.50
Papinias Vticensis episcopus laminis candentibus ustus 1138.37
parabolæ quomodo exponendæ 99.34
Paracletus, appellatio spiritus sancti 182.37
Paradisus clausa 520.45
paradiso comparata ecclesia 428.20
paradoxa de Christi beneficijs 164.28
Paralius Andraponensis episcopus 1063.28
Paralius Christi episcopus 1165.46
Parasceue Iudæorũ festum 1498.50
Pardalius Africanus episcopus 1154. 20
Partus Palæstinus 975.29
Paregorius monachus 1434.41
Parenorum episcopi 997.50
Parmenianus Donatista 631.32
Parmeniani hæretici uita 1456.1
Parmeniani & Ticonij Donatistarum schisma 793.40
Parnetum promontorium Bythiniæ 815.50
Parthenopolis ecclesia 5.53. secundæ Macedoniæ ecclesia 11.54
paruuli quomodo fidem habeant 377.9
paruulorum baptismus 655.60 de eodem Pelagianorum hypothesis 585.1
paruulorum cruciatus in exilio 65.6
in Paruulis negat Pelagius peccatum 577.56. refutatur 589.20
Pascha quo tempore & quibus ritibus celebratum 691.52
Paschalis tempore baptismus administratus 653.30
Paschalis uigilia 691.34
Paschalismi Siculi episcopi uita 1166.58
Paschasius martyr 46.16
Pasmeus Paraliorum episcopus 1105.50
passio Christi non phantastica 547.60
passionis Christi historia publicè prælecta 650.3
passionis Christi poculum 168.4
passionis Dominicæ festum 691.9 de Passione Christi patrum testimonia 175.24
Pastor noster Christus 229.20. 46
Pastoris boni officium 423.1
de Pastore libro iudicium 528.34
Pater Deus 126.52
Pater charitas 194.1
Pater an maior filio 560.16
patris proprium 121.26. & 126.13. inde
Patris splendor Christi appellatio 129.51
Patri ὁμοούσιος filius 134.20
Patri & filio quædam communia. 127.11
Patrem esse cur credamus 84.55
patrem fuisse passum, Sabellij dogma refellitur 551.48
patre quomodo minor filius 133.12
à Patre distincta persona Christus 138.30
de Patre et filio Arianorum hypothesis 553.28
Paternianorum hæresis 627.45
Patiens Cabillinorum ecclesiæ præfectus 15.8
Patientis Lugdunensis episcopi uita 1345.34
Patres cœnobitarum 711.21. & 712.41
patrum ueteris testamẽti persecutio 88.8
Patriarchæ 735.24. & 757.46
patriarchæ sancto spiritu negatus 192.40
Patriciani hæretici 568.55
Patricius Adramytiorũ episcopus 1064.2
Patricius Edessenus diaconus 1027.52
Patricius Hybernensis episcopus 18.26. & 641.42. quot ministros ordinarit 682.50
Patricius Neocæsareæ Augustæ episcopus 1068.50
Patricius Romanus Imperium affectat 1525.8
Patricij Scotorum in Hybernia episcopi uita 1427.46. scripta 1428.45. certamina. ibid. 58
patricij Tyanorum Cappadociæ episcopi uita 1063.10
patrini 727.54. & 659.46
Patrochi Viennensis episcopi uita 1351.28
Patroinius Edessenus presbyter 1027.48 835.55
Patronus 46.28
Paulilli pueri constantia 15.45
Paulinus ubi baptizatus
Paulinus de Scriptura 89.40. eiusque effectu 92.39. item de Trinitate 125.54
Paulini carmen de omnipotentia Dei 208.31
Paulini de coniugio nævus 519.2
Paulini de lege opinio 504.2
item de oratione 511.26. Defunctorum expiatione 510.32
Paulini Nolani historia mirabilis 22.16
Paulini liber contra Pelagianos 587.30
Paulini Nolani uita 1285.27. scripta

scripta ac epistolæ 1286. 26. doctrina 1287. 50. næui. 1288. 34 certamina 1289. 22. familiares. ibidem

Paulinus Tiburniæ episcopus 18. 3. Eiusdem uita 1321. 42

Paulus adorationem sui recusat 227. 23

Paulus an simulatione usus 789. 15

Pauli epistolæ in sepulturis lectæ 697. 4

de Pauli epistolis Theodoreti iudicium 524. 29

Pauli epistolæ publicè lectæ 649. 59

de Paulo, hypothesis Aduersarij refutata 627. 8

de Paulo Donatistarum hypothesis 636. 20

Pauli Antaradi episcopi uita 1016. 22

Pauli Anthedonis episcopi uita 973. 45

Paulinus Apameæ Pisidiæ episcopus 1038. 52

Paulus cœnobita 715. 30

Paulus Derbæ Phrygiæ episcopus 1054. 30

Pauli Emeseni episcopi uita 977. 1

Pauli Ephesini episcopi uita 1047. 12

Pauli episcopi uisio 1492. 49

Paulus Gamansæ episcop. 1053. 41

Paulus Lector 811. 42

Pauli Maiumæ episcopi uita 972. 36

Paulus Mariamnæ episcopus 1015. 44

Paulus Nouatianorum episcopus 530. 38

Paulus Palæstinus

Pauli Pannonij uita 975. 23

Paulus presbyter & archimandrita 1322. 26

Paulus Serepolis episcopus 1541. 36

Pauli Sitmaritani episcopi uita 1037. 42

Paulus Tripolis Lydiæ episcopus 1140. 18

Pauli cuiusdã libertas 1049. 23

Pauli cuiusdam obitus 818. 32

pauperes 51. 6

pax omnibus, formula bene dicendi 747. 42

paris laus 649. 33

S. Pacis templum 449. 21

paximacia eremitarũ cibus 644. 9

ad Peccãdum quæ causæ impulsiuæ 717. 55

peccatum quid 279. 35

peccatum omne à corpore Christi susceptum 254. 32

peccatum mortis mater 176. 11

peccatũ diaboli appellatio 280. 55

peccati actualis descriptio 288. 42 uenialis. ibid. 50. in spiritum sanctum. ibid. 56. & 289. 18

peccati damna 279. 49 fons 277. 32. natura 280. 4

peccati pater diabolus 280. 55

peccati purgatio 909

peccati species 274. 47

peccatum non esse à Deo 275. 18

à Peccato quomodo liberi 300. 35

peccati origmalis omnes homines rei 286. 23

de eodẽ Patrũ doctrina 283. 60

de Peccato, gentilium hypotheſis 1505. 9. item Manichæorũ 537. 24 confutata 550. 22

de Peccato hypotheses Pelagianorum 577. 30. refutatæ 588. 50

peccata unde scaturiant 277. 41

peccatorũ autores 275. 4. & 276. 45

peccatorum remißio 305. 3

peccata defendẽtis malum 283. 29

peccata omnia posse dimitti ab ecclesia 383. 41

peccata sanctorum cur narrẽtur 91.

peccata uisitari à Deo 113. 45 (60

peccatis obnoxij sancti 283. 47. et 288. 30

peccatores ordinat Deus 112. 56

in Peccatoribus quomodo Deus 114. 11

pecunia dea 1504. 5

Pegasius Donatista 873. 1

Pelagius 1. 46

Pelagius episcopus 822. 37

Pelagius à qua synodo damnatus 822. 5

Pelagij Britonis hæresis ubi grassata 576. 36. à quib. cõfutata 587. 20

Pelagij hæretici uita 1453. 13

Pelagius Palæstinus 975. 27

Pelagij acta in Palæstina synodo 849. 24

Pelagiana hæresis 576. 32. eius hypotheſis. ibidem 49

Pelagianismi socij 586. 40 (35

pelles caprinæ monachorum 804.

Pelusij ecclesia 7. 56

Pelusij montis monasterium 701. 20

Pentapolis ecclesia 8. 21

Pentecostæ Iudæorũ festum 1498. 56. & 693. 10. 30

Penthadius 822. 36

Pentodius Carpitanus episcopus 1155. 36

peræ monachorum 704. 34

peregrinationis superstitio 721. 57

Peregrinus Corinthi episcopus 1168. 2

de Perfectione Pelagianorum hypotheſis 584. 10. refutata 602. 8

Perga Pãphiliæ metropolis 749. 56

Pergamensis episcopus 6. 13

Pergamius Antiochiæ Pisidiæ episcopus 1038. 23

Pergamius Hyparchus Aegypti 1098. 47

Pergamius œconomus 736. 10

Pergensis episcopus 5. 36

Perpetuus Turonensis episcopus 16. 55. Eius uita 1398. 34

Per quĕ, quomodo exponantur 99. 50

persecutio Genserici 41. 30

persecutio in Persia 48. 1

persecutio sub Theodosio iuniore 40. 15

persecutio Vandalica sub Hunerico 61. 25

persecutionis Africæ præsagia 1492. 20

de Persecutione Donatistarum hypotheſis 630. 47

persecutorum pœnæ 75. 30

Persiæ ecclesiæ 7. 23 gentilismus 1501. 37

Persiæ persecutio 48. 1

Persæ monachi 700. 45

Persarum gentilium mos 1509. 42 cum Romanis bellum 49. 58

Persarum potẽtia fracta à Theodosio iuniore 79. 12

in Perside Christianismus dilatatus 22. 45

persona una Christi 152. 36

personæ consideratio in Scriptura explicanda 96. 26

Personæ uocabulum 111. 2

personæ tres 85. 50

Personarum differentiæ 126. 12

de Personarum pluralitate dogma Sabellij cõfutatum 551. 14

personarum ecclesiasticarum gradus 735.12
pedum lotio externè quoq; representata 691.28
pedibus tracti Christiani 65.23
Pesinuntis episcopus 6.55
Pessinus urbs 750.12
pestis 75.20. in Africa 81.11
Petilianus Donatista 631. 33. Eiusdem conuersio 640.55
Petrocorij ecclesia 15.41
Petronij Bononiensis episcopi uita 1298.8
Petronius Palæstinus 975.36
Petrus apostolus 841. 42. an simulatione usus 789.15
Petri confessio 725.10
Petri peccatum cur narretur 92.1
ad Petri uincula festum Rom. ecclesiæ 731.15
Petri & Pauli templum Parisijs 644.29
Petro nimium tributum à Leone 512.6
Petrus Alexandrinus Eutychianista 610.59. 611.52. eiusdem cũ monachis schisma 806. 36. cũ Felice Rom. 807.4
Petrus Alexandrinus presbyter 1097.4
Petrus Coarorum episcopus 1017. 24 (13
Petri Corinthi episcopi uita 1168.
Petrus Dardani episcopus 1063.59
Petrus diaconus Dioscori assecla 51.18. Eutychianus 611.36
Petri Edessẽi presbyteri uita 1025.40
Petrus Gabalanorum episcopus 997.44
Petri Gangræ Galatiæ episcopi uita 1066.18
Petrus Gnaphæus 772.32. hæreticus 615.39. seditiosus 58.39
Petri Gnaphæi malitia 1207. 33 zizania de prehensa 1062.17
Petri Gnaphæi Antiocheni episcopi uita malitiosa 988.12
Petri Illyrici presbyteri Romani uita 1284.59
Petrus legatus 906.27
Petrus Maiumæ Gazeorum episcopus 3.19. Eius uita 972.24
Petrus Niceæ episcopus 1061.49
Petri Moggi hæretici uita 1466.1
Petri Moggi malitia 1207.34
Petri Moggi & Proterij schisma 805. 52
Petri Mongi electio 679. 44 depositio 761.58
Petrus Palæstinus 975.31
Petrus præfectus 908.23
Petrus presbyter & archimandrita 1451.8
Petri & Isidori presbyterorum schisma cũ Theophilo Alexãdrino 796.58
Petrus Romanus episcopus 611.60
Petri Rauennæ episcopi uita 1299. 36
Petrus Sarmatarũ episcopus. 1070 58
Petri Theodosiopoleos Armeniæ episcopi uita 1069.31
Pharaonis impietas 206.26
Pharaonis mentio in concionibus 43.15
Pharbelensis episcopus 8.16
Philadelphiæ ecclesia 5.60
Philadelphius Anthenusiæ episcopus 1053.59
Philalethes liber 610.53
Philastrius 82.11. de Scripturæ partibus 87.6
Philastrij Brixiensis episcopi uita 1301.31 doctrina. ibidem 43.1302 14 certamina 1303.1
Philastrij de ieiunio opiniones 513. 47
Philemoni quãdo Paulus scripserit 527.8
Philetus Hierocepiensis episcopus 1053.56
Philippensis ecclesia 12.2
Philippensibus quando scripserit Paulus 526.52
Philippolis 750.46
Philippus Peltorum ciuitatis episcopus 1054.2
Philippus Pergamẽsis Asiæ episcopus 1052.40
Philippus Rom. legatus 894.4
Philippus presbyter 852.50
Philippi Sideni Constantinopolitani presbyteri uita 1217.51
Philippus Sidites 802.25
Philippi presbyteri Palæstini uita 972.10
Philippus subdiaconus Parensis 999.60
Philologus Bizantinus episcopus 1143.52
Philon Biblius gentilis scriptor 1502.32
philosophi gentilissimi propugnatores 1505. 60
philosophorum autoritas refutata 1512.21
philosophorum in maximis rebus dissensio 487.9. errores 428. 35
philosophica theologia 104.30
Philotimus Amastridis presbyter 1062.6
Phœnicia 3.52
Phœniciæ ecclesiæ 4.51. gentilismus 1501.17
in Phœnicia ampliata ecclesia 22. 34
Phœnices episcopi 971.38
Phœnicum conuersio 30.46
Phœnicum dij 1501.16
Phosphorus Orthosiadis episcopus 1015.51
Photinus diaconus Neocæsariensis 1068.28
Photini hæresis 124.59
Photinus seu Photius Lyddæ episcopus 973.26
Photinus Macedoniæ episcopus 1170.18
Photinus Temyrenæ episcopus 1197.1
Photij Tyri episcopi uita 979.58
Photius Nestorianus 607.42
phrases Scripturæ 95.5
Phrauitæ Constantinopolitani episcopi uita 1212.55
Phrisclas Heracleæ Thraciæ episcopus 1225.56
Phrisclas Heracleæ episcopus Nestorianus 607.42
phrontisteria 773.18
Phrygiæ ecclesiæ 6.12. episcopi 1052.38
Piceni ecclesia 15.8
Picti Britãnorum regi dediti 24.6
Pictorum motus 1521.10
pictoris cuiusdam manus arefacta 1490.55
pictoris ornata templa 645.49
Pientius presbyter & archimandrita 1451.21
Pinæti monæstrium 702.25
Pionij Troadæ Hellesponti episcopi uita 1063.31
piorũ peccata cur narrẽtur 91.60
piorum sacrificia 401.54
pios scire quod credant 331.58
pios esse sacerdotes 403.35
piratarum tyrannus 1522.52
piscium

piscium squamæ miraculosæ 1493. 60
Pisidiæ episcopus 1038.3
Pisuntem deportandus Chrysostomus
Placentinus episcopus 35.29
Placentius 13.46
Placentius Africanus episc. 84.31 45
Placi Gerassæ epis. uita 1155.
Placidiæ Honorij Imperatoris sororis historia 979.30
Plato Moses Atticus 1520.10
Plato de Deo 1512.40
Platonis codex 1503.11
Platonis & Stoicorum dissensio 104.37 487.25
Placidiana domus
plausus in concionibus reprehensi 811.25 650.13
Plantius Tripolitanæ prouinciæ episcopus 1107.31
plurali numero quomodo Deus utatur
pluuiarum inundatio 97.15
pœmenarchæ qui 1491.60
pœna quibus Euangelio prædicetur 751.56
pœnæ inferni 102.5
Pœnitenius Edessenus subdiaconus 476.15 1028.1
pœnitentia non differenda 360.7
pœnitentia quid 353.20. quotuplex. ibid. 31. unde 354.6
pœnitentia publica monachorum 710.5
pœnitentia sanctorum cur narretur
pœnitentiæ forma 92.4
pœnitentiam agentes recipi à Deo 356.23 358.35
pœnitentiã quomodo urgeat Deus 100. 12
de Pœnitentia doctrina patrum 353.1 & 513.58
in Pœnitentia fidem requiri 356.13
pœnitentes qui dicti 665.12
quomodo ad communionẽ admissi
pœnitentes Rom. ecclesiæ 670.6
Poetarum fabulæ 728.42
Politiæ pax sub Martiano 1503.45
politiæ mutationes 53.18
Polycarpus Cabalæ Liciæ episcopus 1517.3 1039.20
Polychronius
Polychronij Antipatridæ episcopi uita 778.47
Polychronij Apameensis episcopi uita 993.24
Polychronij Constantinopolitani presbyteri uita 1218.45
Polychronius Epiphaniæ Ciliciæ episcopus 1035.6
Polychronius Hierosolymitanus 906.16. damnatus. ibid.37 Eius uita 958.30
Polychronius Macedoniæ episcopus 1170.6
Pomerij Galliæ doctoris uita 1419.20
libri 1420.3
Pompeiani Emiseni uita 977.44
Pompeiopolis ecclesia 6.42
Ponti ecclesiæ 6.40
Ponticanus 841.34
pontifex quis 170.36
Pontifex Romanus gentilium 1506.53
pontifices 758.4
pontificalib. induti episcopi 652. 14
Pontulus Basiliensis episcopus 17.46
populi diuisio post Nestorij depositionem 804.4
porcorum & hominum animæ eæ dẽ secundũ Manichæos 536.60
Porphyrius gentilis 1502.33
Porphyrij Antiocheni episcopi electio 679.1. ciusdem turbæ 33.58
Porphyrij Antiocheni episcopi uita 980.3
Portius Donatista 872.59
Posidonia Neptuni festa 1508.43
Possidius 841.31
Possidij Calamensis doctoris uita 115.50
Possidonius 841.40
Possidonij Alexãdrini diaconi uita 1098.40
posteriora Dei 95.45
Posthumanus 822.30
Potentia Dei immutabilis 107.32
potentiæ prædestinatio 202.5
Potentinæ urbis episcopus 14.20
potestas tantum à Deo 112.21
potestetes angelorum appellatio 219.45
prædatoria synodus 3.37
predestinatio semper in bono 40.49
prædestinationis signum 200.15 species 202.1
prædestinationis & gratiæ differentia 204.8
prædestinationem non esse ad peccandum 202.46
prædestinationem negare blasphemia 199.3
de Prædestinatione patrũ doctrina 197.47
de Præstinatione Pelagianorũ hypotheses 582.25. refutatæ 598.1
prædestinatos non perire 202.30
Prædestinatorum hæresis 620.36
Præfecti defensores gentilismi 1510.8
præsagia sub Leone 1492.20
Præscientia Dei 204.24
præscientia Dei & bona & mala nosse 206.16
præsepe argenteum Constantinopoli 645.60
Præsidius 841.42
præstigiatori cuiuis non esse dandũ 429.41
Prætextatus 822.36
Prætextatus Assuritanus 873.16
Pragmatij Galliæ episcopi uita 1416.22
Prayllij Hierosolymitani episcopi uita 958.30
precandum nihil contra Deum 349.42
preces priuatæ 678.2
publicæ 650.29
preces sacræ 648.28. 742.10
preces non alligatæ loco 350. 29
preces eleuatis manibus factæ 677.12
preces super ordinatos ministros factæ 682.30
precum faciendarum mos apud monachos 707.1
preces an offerant angeli Deo 498.14
preces quis exaudiat 345.29
presbyteri 735.21
presbyteri eremitarum 715. 47
presbyterorũ munus 737.8 ordinatio 682.40
Priapi figura apud gentiles 1508. 12
Primasius 82.12
Primasij Africani episcopi uita 1148.34 scripta. ibidem.52. doctrina 1149.58. næui 1152.3. certamina. ibidem.15
Primasius de Trinitate 119. 24
Primasij locus 93.41. de iustificatione opinio 505. 51

Primates qui 757.60.
primatus Romanæ ecclesiæ 774. 28
Primianus Carthaginensis 872.19 Donatista 59.ibid.
Princeps sacerdotum nemo appellandus 752.3
principatus angelorum appellatio 219.45 (1417.52
Principij Galliarum episcopi uita
Priscillianistarum hæresis & hypotheses 569.14. ritus 571.45. libri 576.22
Prisci Hierosolymitani diaconi uita 960.15
Priscus rhetor 1491.60
Probus martyr 46.16
processio Spiritus sancti 187.1
processus 841.36
Proclus 82.12
Procli Constantinopolitani episcopi uita 1194.56 epistolæ 1195.58.& inde.familiares 1198. 51. doctrina 1199.4
Procli ordinatio 681.24 prudentia 803.50
Proclus presbyter 602.15
Proculi fœda mors 77.22
Proculianus 822.35
prodigia sub Arcadio 1479.51 sub Leone 1491.31. & sub Marciano 1488.32. sub Theodosio 1485.38. sub Zenone 1493.41
proditoris Christi præmia 165.6
Prodicus Palæstinus 975.35
Profuturus Macedoniæ episcopus 1170.8
Profuturi Zertensis episcopi uita 1142.41
Profectus Rom.legatus 894.3
promissiones utriusque Testamenti 93.11
prophetæ de Christo locuti 87.20
prophetæ Spiritu sancto uegetati 192.40
prophetarum loquendi mos 97. 50
prophetarum scripta 84.20. uisiones 241.20
de Prophetis aduersarij hypotheses refutatæ 626.38
de Prophetis Donatistarũ responsum 635.59
prophetica scripta publicè prælecta 649.51
propitiatio peccatorum solius Dei opus 306.44
propitiatorij arca Christus cur 246.40
proprietates Dei 106.12.et 109.10. fide pericipiendæ 110.37
proprietates naturarũ in Christo 157.35
proprietates in Scriptura considerandæ 98.34
proprij possessio apud Christianos 722.39
Prosdotius Macedoniæ episcopus 1168.59
προσευχὰι 344.31
προσωποληψία non esse Deum 110. 33
Prosper 82.12. & 852.26
Prosper Aquitanicus 611.42
Prosperi de iustificatione opinio 505.24 item de operibus 508. 48. de Trinitate 117.27
Prosperi Aquitanici uita 1358.44. scripta 1360.46. doctrina 1362.8. næui 1363 .23 certamina. ibidem 35
Protagoras gentilis de Deo 1502. 58
Proterij Alexandrini episcopi cædes 56.53 eiusdem uita 1089,30 electio 679.26
ob Proterum schisma ortum 805. 24
Proterius Dioscoro successit 55.38
Proterij Timothei & Petri Moggi schisma 805.52
Proterius Myrrhenæ ciuitatis episcopus 1051.12
Proterius Smyrnæorum episcopus 1051.1
protodiaconus 715.37
Protomistæ qui 751.59
protopresbyter 735.33
de Prouidentia Dei patrum sententiæ 196.11. Priscillianistarum hypothesis 571.12
prouinciarum consociatio 757. 20
proximum sine Spiritu sancto non amari 191.24
psallendi ratio qualis à Chrysostomo instituta 750.45
Psalmi quinquagesimi usus apud monachos 707.23
psalmi consuetudinarij 706.7
psalmorum canendorum mos apud monachos 706. 60
psalmorum modulatio in publicis congressibus 648.55
pseudomoysis in Creta cum Iudæis acta 1496.30
Ptolemaidis Phœniciæ Ecclesia 416. Publicanus 822.27
publicani à Christo recepti 103.20
puellæ cuiusdam miranda constantia 37.50
puellæ cuiusdam obsessæ historia 68.55
puellarum instituta in monasterijs 713.33
puellarum monasteria 701.44
puer Christi appellatio 128.9
puer quidam Christianus suspensus à Iudæis 47.51
puerorum capita dæmonibus offerri à paganis 1508.34
puerorum duodecim constantia in martyrio 71.39
puerorum grex cum genitricibus in exilium missus 65.45
pueris cœna Domini ministrata 671.39. 673.28
pueruli septem annorum constantia 72.59
Pulcheria Augusta Martianum nũciari curat Imperatorẽ 52.54
Pulcheriæ Augustæ epistola ad Leonem Romanũ pontificem 50. 25
Pulcheria soror Theodosij iunioris 41 17 776.12
Pulcheriæ liberalitas 495.24
purgationes reprehensæ 495.24
purgatoriũ ab Augustino concessum 521.47
de Purgatorio patrum doctrina 478.7 13.18
Puteolana ecclesia 703.32
Pyamon abbas 1445.
Pyamonis anachoretæ uita 1447 715.51
Pyamon eremita 715.55
Pynnisius eremita 1508.42
Pythia Apollinis festa 495.
Pythonissa à Paulo liberata 30

Q

Quadi 1523.30 841.38
Quadratus 1507.
quadriga ferrea Alexandriæ (45 24 686.
Quadragesimæ celebratio 1508.20
quadrupedes
Quartodeci manorum hæresis 687. 38. & 1047. 58 810.51
Quercus suburbium
in Quercu Chalcedonis synodus contra Chrysostomum 29.54
Quincensis montis spelunca 73.20
Quinquagesimæ cum lætitia celebratio 692.51 28.6
Quintianorum Ecclesia
Quintian

Quintiani Africani episcopi uita 1154.26
Quintilianus exilium subit 43.52
Quintiani episcopi uisio 1492.55
Quintili Heraclææ Macedoniæ episcopi uita 1170.24
Quiriacus Palæstinus 975.22
Quirinus Palæstinus 975.32
Quoduultdeus 822.33
Quoduultdeus episcopus Carthagine eijcitur 42.40
Quoduultdeus episcopi Carthaginẽsis mirabilis cõseruatio 1491. 1. eiusdem uita 1108.42
Quoduultdeus Centurienſis Libyæ episcopus 1164.54
quotidianæ uigiliæ 706.36

R

Rabini doctores Iudæorum 1499. 33
Rabulæ Edesseni pastoris uita 1019.51
Rencquill pagus Rheticus 1315.24
rationalis anima 195.20
Rauennæ ecclesia 13.24
Rauennij Arelatẽsis episcopi uita 1355.58
rebaptisatio 380.7
de Rebaptizatione, Donatistarum hypothesis 630. 38. confutata 638.16
rebaptisati ad ministerium non admissi 682.60
rebrachitoria monachorũ 704.21
rediuiculæ monachorum 704.23
regenerationis ratio 365.60
Regensis ecclesia 15.22
Regiensis ecclesia 9.31
de Regno Christi, patrũ doctrina 421.16
regulæ Scripturæ 95.5
Reia locus qua historia celebris 44.11
reijci cur quidam dicantur à Deo 271.10
reliquiæ sanctorum 744.17
reliquiæ à gentilibus contemptæ 1506.20
reliquiarum translationes 697.28
de Reliquijs sanctorum leges latæ 774.22
Remensis episcopus 16.43
Remorum urbis templa 644.32
Remigius Remorum episcopus 20.15
Remigij Francorum Apostoli uita 1399.20. scripta 1404. 35. doctrina 1405.7
remissio peccatorum donum Spiritus sancti 305.3
remissio peccatorum ecclesiæ nota 409.45
remissionem peccatorum imputari 321.35
reparationis nostræ causa 305. 50
Reparati martyris ueneratio in aula Zenonis 70.56
reptiles deorum imagines 1508. 20
repudij libellus à Chrysostomo dãnatus 442.56
rei cõsideratio in Scriptura explicanda 96.27
res petendæ quæ 346.38
rerũ euentus poni loco nominum 99.21
rerum origo simul creata, nõ simul formata 214.2
rerum omnium rationes non sciri 204.14
de Rerum possessione, Pelagianorum hypothesis 586. 34. confutata 605.46
Reipublicæ turbationum causæ 75.15
Resarati martyris historia 1491. 18
Restitutus 822. 28. & 841. 30
Restituti tẽplum Carthagini 643. 47
Restitutus Edessenus subdiaconus 1027.59
Restituti Numidiæ episcopi uita 2155.24
Restitutus Palæstinus 975.28
restitutio depositorũ episcoporũ 765.54
resurrectio Christi 182.6
resurrectionis celebritas in ecclesia Romana 731.9
resurrectionis Christi memoria 691.37
resurrectionis causa efficiens 463. 47. finis 468.13
resurrectio quomodo futura 466 9
de Resurrectione patrum doctrina 460.2
de Resurrectione Aduersarij hypothesis refutata 627.26
de Resurrectione Donatistarũ hypothesis 636.34. item Iudæorum 1498.42. Manichæorũ 538. 4. Priscillianistarum 571.28. confutata 574.42
in Resurrectione qualia corpora 465.15
resurrecturos esse omnes 467.49 quando 4689.9
reuelata & non reuelata quomodo tractanda 99.58
Reuocatus Palæstinus 975.28
regis & tyranni differentia 450.36
in Rege quid requiratur 447.38
Rhadagisus barbarus 1510.44
Rhadagaisi Gothi potentia & odium in Christianos 76. 16. pœna. ibidem
Rhadagaisus paganus 36.47
Rhadagaisi Scythæ exercit⁹ 1518.40
Rhea dea 1503. 29. eiusdem ritus & sacra 1507.55
Rhedonicæ ciuitatis episcop. 16. 23
Rhegiensis episcopus 13. 46. synodus 905.10
Rhinocorurensis ecclesia 8.9
Rhodi ecclesia 10. 39. metropolis 750.27
Rhodon Edessenus presbyter 1027. (47
Rhodopum ecclesia 12.18
Ricemerius Romanus princeps 1294.53
Richimeri factio 1524.53
ritus ecclesiastici 641.3
Robocus Palæstinus 975.42
Rogatianus Africanus episcopus 1154.55
rogationes 742. 18. à quo institutæ 651.44
Rogationum dies 695.15
Rogati monachi martyris uita 1474.27
Rogatus martyr 71.35
Rogatistæ hæretici 9.43
Roma 750.50
Romæ collegia iciunantium 688. 42 ecclesia 12. 60. gentilismus 1502. 7. episcopi 2.5
Romani monachi 722.34
Romani Nouatiani 530.30
Romani Persarum Christianorum miserti 48.34
Romanorũ cũ Persis bellũ 48.58.
Romanorum diaconorum arrogantia 783.55
Romanorũ episcoporũ decretales epistolæ 786. 30. uitæ 1226. 45
Romana bibliotheca 748.33
Romanæ ecclesiæ primatus 774. 28. ritus 725.1
Romanæ & Constãtinopolitanæ sedium schisma 807.42
Romanæ regiones à barbaris uastatæ 35.49
Romana synodus 905. 1. 42. & 906. 12. & 927.52 sub Anastasio Imp. 957. 48. sub Leone Imperatore 951.28

Romanus 822.42
Romanus Edeſſenus diaconus 1027.56
Romanus Myrenſis Lyciæ epiſcopus 1039.10
Romani Selimbriæ Thraciæ epiſcopi uita 1226.13
Romulus Edeſſenus ſubdiaconus 1027.60
Rotomagenſis eccleſia 16.16
Rufianus 822.34. 841.37
Rufini Samoſatæ epiſcopi uita 1015.60
Rufinus Cyrenenſis epiſcopus 1107.5
Rufinus Donatiſta 873.1
Rufinus præfectus qualis 15.54. eiuſdem ambitio 1517.30. interitus 22.31.& 1517.30
Rufinus Bibli epiſcopus 978.40
Rufus Ilij epiſcopus 1047.45
Rufus Macedoniæ epiſcopus 1169.57
Rufi Theſſalonicenſis epiſcopi uita 1168.56
Ruges Barbarorum dux fulmine ictus 1485.19
Rugi 1523.31
Rugorum rex 1318.31
Ruſticanus 822.25
Ruſticula Nouatianorum epiſcopus 530.39
Ruſticus 822.28
Ruſticus Africanus epiſcop. 1154.19
Ruſtici Cartenitani epiſcopi uita 1152.56
Ruſtici geſta in Africa 1525.20
Ruſticus martyr 71.36
Ruſtici Lugdunenſis uita 1344.15.
Ruſtici Narbonenſis epiſcopi uita 1356.8
Ruſtici ſubdiaconi monachi martyris uita 1474.26
Ruttenus epiſcopus 15.41

S

Sabæ abbatis uita 1433.46
Sabaoth appellatio Dei 104.59
Sabaria Pannoniorum oppidum 1383.35
Sabas Edeſſenus diaconus 1027.51
Sabas Paltas primæ Syriæ epiſcopus 1015.6
Sabatius diaconus Edeſſenus 1027.50
Sabbatij Galliæ epiſcopi uita 1420.30
Sabbatum ſabbatorum quod 216.3
Sabbati die conuentus celebrati 648.7
ſabbato ieiunatum 685.33
Sabellius refutat⁹ 85.8 & 138.49
Sabelliani 115.24. eorum hæreſis 551.1 confutata. ibidem 12
Sabinus 841.39
Sabini cuiſdam motus 1520.48
Sabinus Doctorum epiſcopus 1105.45
Sabinus Deli inſulæ epiſcopus 1166.5
Sabinus Palæſtinus 975.28
Sabinæ templum 725.57
ſacerdos noſter Chriſtus 129.48
ſacerdotes gētiliū 1506.44. gentiliſmi propugnatores 1509.57
ſacerdotes ſancto Spiritu uegetati 192.40
ſacerdotum coniugia 442.51
ſacerdotum dignitas 425.53
ſacerdotium Chriſti 175.9. piorum 403.15
ſacræ menſæ uſus 646.35
ſacramenta gentilium 1508.25
ſacramentorum uſus fideliter traditus 742.34
per Sacramenta iuſtificationem applicari 321.30
Sacramentis nutriri Eccleſiam 412.14
de Sacramentis patrum doctrina 362.18
ſacrificium Chriſti 165.19. noui Teſtamenti quod 399.1. duplex 401.1
ſacrificia Armeniorum hæreticorum 626.10
ſacrificia gentiliū refutata 1516.8
ſacrificia piorum 401.54
ſacrificiorum finis 403.1
ſacrificiorum ueteris Teſtamenti abrogatio 4032.46
de Sacrificijs gentiliū hypotheſis 1505.32
de Sacrificijs ueteris Teſtamenti gentilium criminatio refutata 1513.43
ſacrorum magiſtri apud gentiles 1506.49
Saenes Perſa martyr 48.16
Salaminæ eccleſia 10.33
Saliſburgum 1322.21. Bauariæ 1317.57
Salonis eccleſia 12.35
Salonius 82.13. de Teſtamēti noui intellectu 90.40
Salonij locus 93.55. de Chriſto opinio 496.25. Item, de operibus 509.14
Salonij Viennenſis epiſcopi uita 1350.17. doctrina. ibidem 40.
næui 1351.23
ſaltationes in nuptijs 694.51
ſaluari omnes eodem modo 320.32
Saluator Deus 129.60
Saluatoris imago 725.11. templum Florentiæ 644.18
Saluianus 82.14. de proprietatibus Dei 109.33. eiuſdem de fide opinio 506.20. Item de operibus 509.18
Saluiani Maſſilienſis epiſcopi uita 1324.22. ſcripta 1325.14. doctrina 1326.29 certamina 1327.1
Saluinus Quaphenſis 873.14
Saluius Membreſitanus 873.16
Salus opus Trinitatis totius 205.27
ſalutem fide applicari 310.18
Saluſtius epiſcopus 755.56
Saluſtij Coryci epiſcopi uita 1034.4.
Samnij eccleſia 15.9
Samoſatæ eccleſia 4.43
Sampſon archiepiſcopus Eboracenſis 18.21
Samuelis imago an uera Sauli decrit 491.31
Samuelis reliquiarum translatio 698.12
Samuel Edeſſenus preſbyter 612.1
eius uita 1025.59
Sanchoniathon Berytius gentilis ſcriptor 1502.50
Sanctius Edeſſenus diaconus 1027.52
Sanctus Deus, &c. litanijs inſerta formula 651.20
Sanctus Sanctus Sanctus, cantare quis inſtituerit 727.28
Sanctificandi uerbum 97.18
ſancti quomodo honorandi 195.15
non inuocandi 351.31
ſanctorum communio quid Chryſoſtomo 641.14
ſanctorum dierum feſtiuitas 692.59
ſanctorum interceſſiones 510.52
ſanctorum reliquiarum translationes 697.29
de Sanctorum animabus gentilium opinio 1506.16
ſanctos eſſe peccatores & 288.30 283.47.
in Sanctis quomodo Deus 114.12

Sanguis Christi uerus potus 388. 36
Sanguinis fluxus apud Tolosam 1492.10
Sanguine Christi nos iustificari 309.37
Sapientia, Christi appellatio 11 128.
Sapientia diuina
Sapientiæ uerbi Dei templum Constantinopoli 106.13
Sapiritus Paphensis Cypri episcopus 644.5
Sarabaitæ monachi 1165.20
Saraceni Persis contra Romanos iuncti 703.46
Sarcha flumen 49.1
Sardes Lydorum 1502.21
Sardinia 63.9. direpta 750.2
Sardium ecclesiæ 1525.18
Sarmatiæ episcopi 6.9
Sarmatio Thraciæ episcopus 1070.57
Saracenorum episcopus 1216.29
Sarseus Palæstinus 3.55
Sarus Gothorum dux 975.30
Sardensium episcopus 1518.49
Sathahel primus angelus malus 6.6
Satis factionis usus 232.45
Satisfactiones, pro peccatis non requiri in pœnitentia 667.11
Saturninus 822.38. & 841. 34
Donatista 872.60
Saturnus deus 1503. 29. eius simulachrum fractum. ibid. 22
Saturi cuiusdam martyris miranda historia 45.35. & inde
Sauliani Parensis episcopi uita 599.26
Saumianus Telmessi Lyciæ episcopus 1039.30
Saulis spiritus malignus 229.48
Saxoniæ paganismus 1502.24
Saxones à Francis subacti 1522.21
Scandalorum pœnæ 459.33
Scelbianus Palæstinus 975.35
Sceleratos à Deo puniri 113.34
Scenici ludi 1509.24
Scenopegiæ solẽnitas apud Iudæos 1408.59
Scheti monasteria 701.8
de Schismatis necessitate, Donatistarum hypotheſis 631.18
Schismata unde orta 751.34
Schismata sub Arcadio 789.1. sub Honorio & Theodosio 801.54
sub Marciano 805.22. sub Leone. ibid. 50. sub Zenone 806.32
Schismatici nõ rebaptisati 658.54
in Schismaticos animaduertendum à magistratu 449.57
Schola Alexandrina 7.46
Scholæ huius v. seculi 748.39
Scholæ Edessenæ subuersio 608
Scholæ ethnicorum 1507.17
Scholarum institutio 743.5
Scoti Britannis dediti 24.6
Scotorum ecclesiæ 18.23
Scotorum motus 1521.10
Scripta patrum deprauata 81.50
de Scriptis hominum quid sentiendum 429.45
Scriptura à Deo tradita 86.17
Scriptura sibi non contraria 94. 44
Scriptura quot significationibus de Deo loquatur 97.53
Scriptura cum prudẽtia intelligenda & tractanda 98.23
Scripturæ alligati scriptores sacri 84.31
Scripturæ autoritas asserta 82.36
Scripturæ distributio 88.14
Scripturæ lectio salutaris 90.15 & inde effectus 91.23
Scripturæ lectio & interpretatio in congressibus tractata 648.27. & inde
Scripturæ sacræ libri Canonici qui 523.30
Scripturæ regulæ et phrases 95.4
Scripturæ quæ contraria 94.56
Scripturæ simpliciter crẽdendum 98.52
Scripturam ad omnes pertinere 94.29
Scripturam sub generibus species comprehendere 99. 6. humanis uerbis uti. ibid. 13
in Scriptura nihil inane aut uacuũ 99.17
de Scriptura sacra Gentilium hypotheſis 1502. 50. Item Iudæorum doctrina 1497.15. refutata 1500.1
de Scriptura, hypotheſes Manichæorum 531.23. confutata. 540.10
de Scriptura, falsa Paganorum opinio refellitur 1514.8
de Scriptura, Priscillianistarum hypotheſis 569.28
Scripturæ cur ostium dictæ 82.51
Scripturas enarrãti quæ obseruanda 96.24
Scripturas interpretandi quatuor modi 95.50
Scythia Arianismo infecta 552.38
Scythæ ad Istrum cõuersi 21.2
Scytharum ab Arianismo conuersio 20.51
Scytharum ecclesia 12.49
Scytharum monachi 700.45
Scythopolis ecclesia 4.14
Sebasta Armeniæ 1218.50
Sebastæ ecclesia 3.34
Sebastia urbs 750.17
Sebastiæ Armeniæ episcopus 7.14
Sebastianus 1522.51
Sebastiani comitis & martyris sub Genserícho uita 1472.18
Sebastianus Palæstinus 975.30
Sebastopolitanus episcopus 7.3
Sebatius Mastaurorum episcopus 1047.42
Sebennitensis ecclesia 8.10
Secessores monachi 703.39
Seckingen oppidum Rheni 1314. 32
Secundanus Donatista 72.60
Secundinus Manichæus 538.27. eiusdem uita 1457.30
Secundus 841.32
Secundus Palæstinus 975.35
Secundus Vibiannensis episcopus exilio multatus 65.49
Sedes, angelorum appellatio 219. 45
Sedes quæ ecclesiæ 751.3
Sedulus 82.14.
Sedulij locus 93.37.51. de Pauli epistolis 527.37. & inde. de Testamenti ueteris abrogatione 88. 56. de Trinitate 119. 5. de angelis opiniones 498.43. item de iustificatione 505.43. de lege opinio 503.31. de sanctis 513.11
Sedulij presbyteri uita 1279.25 scripta 1281.15. doctrina 1282. 24. næui 1284. 5. certamina. ibid. 16. familiares. ibid. 53
Seleuciæ 749.51
Seleuciæ Isauriæ ecclesia 6.60
Seluciæ episcopus 4.50. episcopi 995.50. synodus 66.53
Seleuctis Amasiæ Hellesponti episcopi uita 1063.14
Senensis episcopus 14.19
Senis eremitæ abstinentia 717.8

Senoniæ

Senoniæ ecclesia 15.35
sententia Scripturæ quomodo intelligenda 99.37
septem librorum partus 1493.56
septenarius numerus 216.4. eiusdem significatio 93.55
septiformis spiritus 182.43
Septimij Altini episcopi uita 1308.51
Septimus martyr 71.36
Septimi monachi martyris uita 1474.27
Septuagesimæ celebritas in ecclesia Romana 731.36
Septuagintaduorum interpretum uersio 528.45
sancti Sepulchri templum 644.1
sepulchra extra urbes 695.46
sepulchrorum magna cura 695.57
sepulturæ ritus 695.13. in Romana ecclesia 731.57
Seraphin quid 217.32
Serapidis templum Alexandriæ 1507.24
Serapionis archidiaconi rebellio aduersus Chrysostomum 27.42
Serapion diaconus 811.41
Serapionis Constantinopolitani diaconi uita 1220.16
Serapionis monachi uita 1449.48
Serapionis diaconi acta cum Seueriano 996.41. eiusdem petulantia 749.23
Serapion Heracleæ Thraciæ episcopus 12.11
Serenius monachus 715.10
Serenus 833.18
Sereni monachi uita 1450.33
Sergia monacha 702.12
Serotinus 822.30
Serpens æneus 95.28
serpentis natura in paradiso 231.58
de Serpente in paradiso Manichæorum figmentum 533.18. confutatum 546.23
Serrensis Macedoniæ episcopus 11.46
Serfaon Genserici cognatus 77.43
Seruandus Imperium sibi arrogat 1524.58
Seruani Scoti uita 1430.27
Seruatij Tungrorum episcopi uita 1409.51
serui forma in Christo 560.24
serui cuiusdam martyrium 9.9
seruorum duorum torturæ 77.31
Seruilius 822.37
Seruus 841.37
Seruus subdiaconus martyr 71.35. eiusdem uita 1474.26
Serui Thubursuccurbiere episcopi uita 1157.5
Seuerianus 905.38
Seuerianus Gabalanorum episcopus, hostis Chrysostomi 74.25. à Chrysostomo electus 29.11. eius uita 996.14
Seueriani factio 1524.54
Seuerianus Pelagianus 586.55
Seueriani Scythopolitani episcopi interitus 54.50
Seuerianus Sitifensis Mauritaniæ episcopus 1164.43
Seueriani & Iohannis Constantinopolitani dissidium 795.16
Seuerinus Batauiæ episcopus 18.5
Seuerini Bauariæ & Austriæ episcopi uita 1316.5. miracula 1319.23
Seuerinus Colonienſis episcopus 17.40
Seuerus 841.31
Seuerus episcopus 833.20
Seuerus Antiochenus sophista Eutychianista 610.49. Acephalorum hæreseos patronus 615.27
Seuerus Brutiorum episcopus 1293.10
Seuerus Lucanus Imperator 1524.56
Seuerus ludimagister 748.45
Seuerus Maximianopolis Arabiæ episcopus 979.47
Seuerus Mileuitanus 680.26. episcopus 10.10. Eius uita 1143.56
Seuerus presbyter 812.29
Seuerus Sozopolis Pisidiæ episcopus 1036.37
Seueri Sulpitij Galli uita 1412.20. scripta ibidem 23
Seuerus Treuirensis episcopus 587.42. eiusdem uita 1313.55
Seuerus episcopus Viennensis 23.21. Eius uita 1351.33
pro Sexu utroq; Christus passus 177.
siccarij Chrysostomi punitio 14.31
Siccæ episcopus 8.45
Siccensis urbs 64.16
siccitates 75.23
Sicilia 63.9. Siciliæ episcopi 11.9
Sicilibrensis ecclesia 9.30
Sida metropolis 749.57
siderum nomina unde 490.43
Sidoniorum ecclesia 4.58
Sidonius 82.14
Sidonius Apollinaris 15.2. Auernorum episcopus 18.15. martyrius 734.45
Sidonij epistola ad Sulpitium 1371.15. Eiusdem uita 1372.35. scripta 1375.18. do ctrina 1377.9 studia. ibidem. certamina 1378.12. & inde. amici 1379.25. sanctimonia 1381.21
Sigericus Vestgothorũ rex 1520.56
Sigesarius Gothorum episcopus 18.9
signa uaria sub Martiano 1488.34
in Signa, quomodo intelligendum 493.11
Siluanus 941.29
Siluanus Sitifensis Mauritaniæ episcopus 1163.58
Siluani Troiani episcopi uirtus 745.19
Simeonis Amidæ episcopi uita 1019.40
Simeonis noui monachatus autor 718.16
Simplicij Bituricensiam episcopi uita 1372.14
Simplicius Romanus episcopus 611.54. Eius uita 1267.10. epistolæ. ibidem. certamina. ibidem. 54
Simplicij liberalitas 746.24
simulachra colunt gentiles 1503.1
simulachrorum gentilium ritus 1507.42
Sinelitij Constantinopolitani uita 123.54
singulari numero quando Dominus usus 97.14
sinistrum nihil in diuinitate 160.52
Sisinius

Sisinnius à populo electus 744. 41
Sisinnij Constantinopolitani episcopi uita 1193.35
Sisinnij electio 680. 58. & 802.26
Sisinnius martyr 20.24. eiusdem uita 1471.10
Sisinnius Nouatianorum episcopus 320.36. eiusdem uisio 1481. 42
Sitthensis ecclesia 9.53
Sitmaritanus episcopus 8.58
Sixtus 822.36
Sixtus contra Pelagianos 587.27
Sixti Rom. episcopi causa 905. 47
Sixti III. Rom. episcopi uita 1247. 38. decreta 1248. 13. certamina 1249. 6. næui. ibidem, & inde
Smyrnensis episcopus 6.2. episcopi 1049.58
Socratis de Deo sententia 105.10
Socratis Constantinopolitani uita 1215. 34. scripta 1216. 1. certamina
Sol deus 1217.8
Sol communis pijs et impijs 112.30
Sol impassibilis secundum gentiles 1504.51
Solis tetra imago quando 15 1492.
ad Solem genua flectunt Manichæi 538.36
Solennis Francorum episcopi uita 1113.59
Solensis ecclesia 10.35
Solemus Constantiæ Arabiæ episcopus 979.48
solitudines Aegypti 714.52
Solymi populi 1507.44
in Somnis apparere hominibus angelos 222.33
Sophronius Macedoniæ episcopus 1169.57
Sophronius quidam accusator Dioscori 51.19
Sortilegia 720.48
Sossat Solutæ episcopus 1107.3
Spartæ Hercules cultus 1501.33
Spectosus Palestinæ episcopus 975. 23
Spectacula ethnica Christianis prohibita 721.6
spectra sub Leone 1493.32
in Speluncis multi Christiani mortui 73.16
Sperantius 841.38
spes quid 332.21
Spesindeo Palæstinæ episcopus 675. 29
spei humanæ et Christianæ differentia 332.31
spem à fide discerni 332.49
spiculatorum truculentia 69.26
Spiritus Dei unde nutriantur 103. 49
Spiritus Dei lator legis 291.41
Spiritus sanctus an solus à Ioanne in columbæ specie uisus 189. 43
Spiritus sanctus an tantũ charitas 193.53
Spiritus sanctus omnipotens 185. 42. æqualis potẽtiæ cum Patre & filio 186.1
Spiritus sanctus quibus detur 189. 25 ubi ejiciatur. ibidem.
Spiritus sanctus in ecclesia tantum efficax 192.56
Spiritus sanctus Scripturæ autor 83.18
Spiritus sancti apparitio 188.10. opera 189.34
Spiritus sancti definitio propria, & operationes, ex Patrum doctrina 183.15. & inde. professio 187.1
Spiritus sancti proprium 121.28. & 126.17 inde
Spiritum sanctum à Christo mitti 181.32
Spiritum sanctũ an habuerint Apostoli ante passionem Christi 193. 28
Spiritum sanctum dupliciter dari 189.17. à Christo promeritum. ibdem.
Spiritum sanctũ esse cur credamus 84.55
Spiritum sanctum non dari extra Ecclesiam 41. 48
Spiritum sanctum per uerbũ operari 193.18
in Spiritum sanctũ, peccatũ quale 288.56. & 289.18
Spiritu sancto patriarchæ uegetati 192.40
de Spiritu sancto Patrum doctrina 182. 20. & inde
de Spiritu sancto opiniones 496. 55
de Spiritu sancto, Aduersarij hypothesis refutata 625.27
de Spiritu sancto hypotheses Arianorũ 553. 53. & 554. 14. it Dõnatistarũ 635.15. Manichæorum 537.1. & 548. 21 Pelagiana hypothesis 576.58
Spiritus procedens 117.50
Spiritus an possit aduri 477.52
Spiritus an contristetur 191.22
Spiritus in quo sanctificamur qualis 139.43
Spiritus nouitas 86.10
Spiritum creatum asserentes refutati 188.56
Spiritus Domini, appellatio diaboli 229.43
Spiritu malo ad quid utatur Deus 239.28
Spirituum malorũ differentia 230. 55
Spirituale uerbum 101.49
Splendonij excommunicatio 762.3
Splendonij hæretici uita 1457. 40
Splendor patris Christi appellatio 129.51
Spoleti ecclesia 14.13
Sponsalia quomodo facta 694. 40
Statu constare gubernationem mundi 213.37
statua quædam 30.22
statuta episcoporum 745.34
stellæ miræ apparitio 1488.52
stellæ cur Abrahamo ostẽsæ 494
stellæ deæ 1503.17
de Stellis Priscillianistarum dogma 570.15. confutatiũ 573.19
Stephani martyris apparitio 1486.59. festum 6941. reliquiarũ translatio 697.57. & 699.32 templum Cõstantinopoli 644.1 in Metensiũ urbeibid. 42. Ariminiibidem. Viẽnæ 643.10. Hierosolymis. ibid. 22
Stephanus Anazarbi episcopus 1034.18
Stephanus Antiochenus episcopus calamis acutis iugulatus 990. 27
Stephani Calandionis stupenda cædes 58.52
Stephanus Dalisandi episcopus 1037.43
Stephani Ephesini episcopi uita 1045.30
Stephani Epiphaniæ episcopi uita 1015.32
Stephanus Gerisorum episcopus 1195.53
Stephani Hierapolitani episcopi uita 992.58

Stephanus Iamniæ episcopus 974. 45
Stephanus Limiræ Lyciæ episcop. 1039.26
Stephanus Primanesiæ episcopus 1064.1
Stephanus Thepolitanus episcopus 1052.6
Stephani causa 946.35
Stilicon Comes 39. 48. Præfectus qualis 25.54
Stiliconis patricij pœna 75.57. eiusdē seditio 1518.18. perfidia et iusta cædes 1519.23
Stoici de Deo 1503.13
Stoicæ opininiones de genesi & fato reiectæ 255.41
Strategius Edessenus presbyter 1027.49
Strategius Heracleæ Honoriadis episcopus 1061.55
Strategius Polydorum episcopus 1054 29
Stratonicæ ecclesia 5.53
Studij monachi uita 1448.19
subdiaconus 735.39
substantia Dei homini imperscrutabilis 106.2
substantia diuina filij Dei ante incarnationem 130.57
substantiæ uocabulum explicatum 110.52
de Substātia sua nemini gloriādum 910.57
succesione cōstare gubernationem mundi 213.35
succinctoria monachorum 704. 22
Sueßionensis ecclesia 16.46
Sueui 1523.30
è Suggestu conciones habitæ 650. 23
Sulphuris lapides delapsi 1492. 46
Samaritanus episcopus 7.59
Sunitensis ecclesia 9.29
superbia fons peccati 277.32. lapsus hominis causa 251.10 (58
per Superbiā lapsus diabolus 233.
supplicationū dies 693.14. earundem usus 951.1
susceptores 656.45
Susetulensis ecclesia 9.33
Syluani Calaguræ Hispaniæ episcopi uita 1422.1
Syluanus Cheratapensis episcopus 1057.39
Syluani Panormitani uita 1167.37
Syluani Troadis Phrygiæ episcopi uita 1057.50
Syluanorum libido 228.34
Sylueſtri Ticinensis archidiaconi uita 1295.50
Syluini Quintianorum episcopi uita 132.24
Syluinus Vindelicorum episcopus 17.60
Symbolum Augustini 84.50
Symbolum publicè cantari solitum 648.50
Symmachus Antiquorum Bendos episcopus 1053.55
Symmachus Palæstinus 975.27
Symmachi studiū pro paganismo 36.40
Symmachiani hæretici 568.56
Symphoriani martyris templum 643.3
Synagogæ Iudæorum 1499.29
Synaxes monachorum 706.24
de Synergia in conuersione hominis Pelagianorū hypothesis 581. 20. refutata 595.8
Synesius episcopus maritus 734. 47
Synesij Aegyptij uita 1101.34. scripta 1102.47. doctrina 1103. 13. næui 1104. 43. familiares 1105.39. certamina 1105.9
Synesij de homine opinio 499.36
Syngerius Cos. 908.24
Synicensis episcopus 8.40
Synnada 750. 3. Pacatianæ Phrygiæ urbs 23.8. ibidem ecclesia 6. 16
Synodi ab Imperatoribus conuocatæ 771.55. sub Anastasio Imp. 957.20. sub Arcadio 808. 42. sub Leone Imp. 951.4. & 952.6
Synodi priuatæ 744.28. quid in eis tractatum. ibid.
synodorum acta aduersus Paganos 1511.33
synodorum decreta 772.31
synodos cōuocare penes quos 753. 54
Synodicæ literæ 1213.38
Syracusæ Siciliæ ecclesia 11.1
Syriæ ecclesiæ 4.3
Syrorum episcoporum uitæ 980.1
Syrorum secessio 83.60
Syricij epistola 851.30
Syrmius Pannoniæ episcopus 12. 48

T

Tabennesiotarū monasteria 701.2
tabernacula Iudæorum 87.57
Tabrarenum monasterium 701.53
Tacianus Philippopolis episcopus 1054.2 9.50
Tagustensis ecclesia 1499.38
Talmud Iudaici autores 70.19
Tambriensis martyres 8.15
Tanensis episcopus 8.9
Tanensis ecclesia 17.8
Tarraconenses ecclesiæ 952.9
Tarraconensis synodus 750.54
Tarraconensium ciuitas 749.54
Tarsius 5.13
Tarsensis episcopus 13.47
Taurinas episcopus 14.4
Taurinensis episcopus 11.24
Tegeæ ciuitatis ecclesia 1451.50
Telemachi monachi uita 851.16
Telensis synodus 1503.17
Tellus dea templum incendio consumptū Constantinopoli 31.31. & 74.51
Templa 641.53 & templa ethnicorum 1507.24
tēplorū dedicationes 644. 48. & 726.1. exornationes 645.49
in Templis ordinationes peractæ 682.7
tempus in Scripturæ enarratione considerandum 96.25
temporum ratio pro concione indicata 742.57
Tenedi ecclesia 10.53
tentationum finis 456.8
Tentyrenæ ecclesia 8.8
Terebinthi gentilismus 1501.12
Terentianus Macedoniæ episcopus 1170.9 841.38
Terentius
Terouani à Frācis subacti 1522.27
terræmotus Constantinopoli post expulsum Chrysostomū 73.34
terræmotus sub Arcadio 1480. 23. 46. sub Leone 1491.32. sub Martiano 1488.33. sub Theodosio 1486.16
terræ mugitus Vticæ sub Arcadio 148.29
terrarum metus quis dictus 1523. 32
Tertius quidam martyr 70.11
Tertullianistarum hæresis 552.8
eius hypotheses. ibid. 18
Teruani Scoti uita 1430.52
Testamētum 85.50. primum quod. ibid.
Testamētum nouum cur sic dictum 86.10. eiusdem excellentia 89. 10 summa & subiectū 90.42
Testamētum uetus quatenus prosit 94.15

Testamentum uetus falso à Manichæis reiectum 540.10
Testamenti ueteris abrogatio 88.56.finis 88.26. eiusdem scripturæ autoritas 85.36
Testamenti ueteris & noui discrimen
Testamenta Dei duo 92.45
Teudalensis episcopus 85.60
Teutbones à Francis subacti 1522. 8.55
21
Thalassius
Thalassius Cæsariensis Eutychiani sta 82.17
Thalassius episcopus 611.52
Thalassius Parij episcopus 921.57
59 1063.
Thalassius è præfecto episcopus 735.1
Thalassius de scripturæ affectu 91.42
Thalassij Africani monachi uita 1443.20. libri.ibidem .doctrina.ibidem 40. næui 1444.49
Thalassij Cæsareæ Cappadociæ episcopi uita 1066.57
Thalassij de libero arbitrio opinio 503.1. itẽ de operibus 509. 45
Theasius
Thebaidis ecclesiæ 8.23. monasteria 822.27
Thebensis ecclesiæ episcopus 700.57
11.52
Therma Amos prophetæ patria 715.12
Themistius, Amastridis episcopus 1062.2
Theotectinus Theræ Asiæ episcopus 1052.16
Theoctisti Berrhœæ episcopi uita 995.43
Theoctisti Pessinũtis Galatiæ episcopi uita 1066.37
Theodalus Palestinus 975.33
Theodoretus Alabandorũ episcopus 1040.30
Theodoretus 82.16. & 926.16. de Trinitate. 117.41
Theodoreti causa 945.26. locus 93.9. & 96.58. & 103. 26
Theodoreti opinio de angelis 497.39.de cœna Domini 517. 37.de libero arbitrio 502.28. de oratione 511.21. 512.32.
Theodoreti Cyri episcopi uita 1000.26. episcopatus 1001. 39.scripta 1002. 40. gubernatio, ibidem.doctrina 1006.1 næui 1008.30.certamina 1009 81.uitæ sanctimonia 1011.23. afflictiones.ibidem 32
Theodoricus Ostrogothorũ rex 13.25
Theodorici Ostgotthorũ regis res gestæ in Italia 1526.13
Theodorici Vestgotthorum regis historia 1523.35. & inde
Theodorichi crudelitas in Armogasten aulicum 44.56
Theodoritus Cyri episcopus 611. 48
Theodorus 965.39
Theodorus Alexandrinus diaconus 50.41. eius uita 1098.28
Theodorus Barcis episcopꝰ 1107. 4
Theodorus Claudiopolis Isauriæ episcopus 1057.51
Theodori commissarij laus 51
Theodori Damasci episcopi uita 1017.10 (1017.23
Theodorus Danamus episcopus
Theodori Gadaræ episcopi uita 973.53
Theodorus gentilis 1503.54
Theodorus Heracleæ Põti episcopus 1061.60
Theodorus ludimagister 748.39
Theodorus monachus 715.9.& archimandrita 1451.16
Theodori monachi & abbatis uita 1432.17
Theodorus Mopsuestiæ episcopꝰ Nestorianus 609.46. & 903. 19. Eiusdem acta cõtra Apollinaristas 566.50. uita & errores 1029.37. & inde. libri. 1031. 37. & inde
Theodorus Pamphiliæ episcopus 1035.33
Theodorus presbyter & archimãdrita 1451.18
Theodori Tharsensis episcopi uita 1034.32
Theodorus Tripolis episcopus 978.9
Theodorus Vsulensis 873.14
Theodosiopolitani episcopus 6. 20
Theodosius magnus 75.40
Theodosij M. ad filios morituri admonitio 24.34
Theodosius iunior 1,12
Theodosius Imp. 769. 52. frangit potentiam Persarum 79.9. defendit Eutychis fidem 926.28
Theodosij Imp. acta pro Persicis ecclesijs 48.40
Theodosij iunioris preces 678.5
Theodosij Imp. à monacho excõmunicati historia 666.46
Theodosij iunioris imperiũ et obitus. 40.16. inde. & 52.52. pietas. ibid.
Theodosij Imp. edictum aduersus Nestoriũ 507.60. aduersus paganismum 1511.47. pro Iudæis edictum 1496. 18. epistola ad Aurelium 846.1
Theodosij liberalitas 746.12
sub Theodosio miracula et uisiões 1482.42 motus politici 1521. 30. prodigia 1486. 38. uisiones 1486.46 schismata 801. 54. quæ Synodi collectæ 852.14
Theodosius quidã Eutychianista 610.55
Theodosij monachi improbitas 54.21
Theodosius Nazianzi episcopus 1067.48
Theodosius Prædo Hierosolymitanus episcopus 972.47
Theodosij Synadensium Pacatianæ Phrygiæ episc. uita 1052.50 eiusdẽ uis in Macedonianos 566.14
Theodoti Ancyrani episcopi uita 1064.32
Theodoti Antiocheni episcopi uita 989.31 eiusdem fortitudo cõtra Apollinaristas 566.47
Theodotus Constãtinopolitanus diaconus 1223.28
Theodoti Ioppensis episcopi uita 972.47
Theodulus 82.16
Theoduli Bethlehemitanæ ecclesiæ episcopi uita 973.1
Theoduli Cœlesyriæ episcopi uita 1017.30 libri.ibidem
Theoduli locus 101. 55. 102. 55. de iustificatione opinio 506.6. Itẽ de lege 503.40. de libero arbitrio 503.4. de operibus 509.51. de sanctis 513.21
Theologia ubi tradita 749.13
theologia philosophica 104.30
ad Theologiam quæ sufficiãt 103. 58
Theonas Enariæ episc. 978.17

Theonas eremita 715.33
Theopãgus Nouatianorũ episcopus 530.49
Theophaniorum festum 690.49
Theophanij Lydiæ episcopi uita 1047.55
Theophili Alexandrini episcopi odium in Chrysostomũ. 28.44. inde. schisma cũ monachis Aegyptijs 796.1. cum Petro et Isidoro. ibid. 58. cum alijs 797.59
Theophili excommunicatio 664. 3. interitus 74.2
inter Theophilum & Ioannem schisma 799.10
Theophilus Cleopatridis episcopus 1105.55
Theophili Constantinopolitani presbyteri uita 1218.56. alterius 1219.21
Theophili eiusdẽ opera aduersus Eutychianos 611.38
Theophilus Edessenus diaconus 1026.45. & 1027.58
Theophilus Edessen⁹ lector 1028. 2
Theophilus Erythiæ episcopus 1105.54
Theophilus Trallensis episcopus 1041.10
Theopomp⁹ Nouatianorũ episcopus 530.35
Theosebius Ilij episcopus 1064.1
Theotimi disputatio cũ Epiphanio 800.43
Theotimi Scytharũ episcopi gesta 12.49
Θεοτόκος Maria quomodo 124.37 & 606.54. & 882.37
Thesmophoria Cereris festa 1508 41
Thessaliæ episcopi 1168.55
Thessalonica 750.45
Thessalonicensis ecclesia 11.40
ad Thessalonicenses quando scripserit Paulus 524.46
Theucorius apostata 71.20
θλίψεως nomine quæ intelligãtur 454.17
Tholosana ecclesia 15.56
Thomas 822.36
Thomas Aulij episcopus 1047.44
Thomæ Carthaginensis episcopi afflictiones 43.42. uita 1109.35
Thomas Edessenus subdiaconus 1027.60
Thomas Euronæ episcopus 978. 15
Thomæ Mopsuestenæ ecclesiæ episcopus 1033.50
Thomas Theodosiopolis Phrygiæ episcopus 1054.7
Thracia ab Hunis uastata 1518.12 & 1523.2.19
Thraciæ episcopi 12.20. & 1170. 40. & 1225.26
Thracũ monachi 700. 45. 701.54
Thraciæ terræmotus 1491.57
Throni episcopales in tẽplis 646. 55 (21
Thuringi à Francis subacti 1522.
Thuringia 1526.35
Thurisinũdi Theodorici F. res gestæ 1523.50
Thyrsi martyris apparitio 1486. 47 templum Constantinopoli 643.55
Tiazacenus 822.39
Tiberiadis ecclesia 3.34
tibiarũ usus in nuptijs 694.51 (23
ad Tibilitanas aquas ecclesia 10.
Tiburina Norici caput 1318.22
Tiburinæ episcopus 18.3
Ticini direptio 1523.60
Ticinensis episcopus 13.42
Ticonius Donatista 629.38. & 631.32 eius uita 1456.8
Ticonij et Parmeniani Donatistarum schisma 793.40
Tigabitanus episcopus 10.2
Tigris presbyter 811.41
Tigrius presbyter 31.11
timor diaboli 241.29
Timotheus 82.13
ad Timotheum quãdo scripserit Paulus 525.28
Timotheus Aelurus Eutychianista 610.56
Timothei Aeluri Alexandriæ episcopi malicia 56.48. & inde eiusdem cõmunio 671.32. electio 679.39 reprehensa 682.3
Timothei Aeluri hæretici uita 1462.54 cum Proterio schisma 805.52
Timotheus Alexãdrinus hæreticus 615.32
Timotheus Arianus episc. 552. 58
Timotheus Arianus conuersus 23. 24
Timothei Balaneorũ episcopi uita 1015.26
Timothei Doliches insulæ episcopi uita 1165.58
Timotheus Germæ episcopus 755. 55 & 1059.16
Timothei Salophacioli Alexãdrini episcopi uita 1090.44
Timothei Sarracenorũ episcopi uita 975.4
Timotheus Tarraconensis 894.9
Timothei Thermensis Hellespõti episcopi uita 1063.42
Timothei Vranopolis Pamphiliæ episcopi uita 1036.24
Timchanus Apolloniadis episcopus 1040.29
Timgitanæ Mauritaniæ ecclesia 9.54 10.3
Tipasensis ecclesia 70.39
Tipasensis ciuitatis Mauritaniæ martyres 17.16
Tiaassonensis episcepus 9.59
Tobestensis episcopus 9.59
Tolepiensis episcopus 9.59
Toletana synodus 571.20. & 830. 3 eius fidei assertio 833.28
Tolosæ urbis miraculum 1492.9
Topiridis ecclesia 12.14
Topiritanus episcopus 11.44
Tornacẽses à Frãcis subacti 1522. 28 729.28
Tractus
de Traditionibus humanis patrũ doctrina 434.56. & 513.34
de Traditionibus, Iudæorũ hypothesis 1498.30 768.18
traductorum defensio 12.17
Traianopolis ecclesia 16.59
Traiecti ecclesia 6.10
Trallium ecclesia 975.39
Tranquillinus Palæstinus 817.35
Tranquillio 101.4
translationes in scriptura 517.25
transubstantiatio 750.8
Trapezus
Trasimundus Vandalus Arianus 552.47 eiusdem tyrãnis 37.42 16.25
Trecassina ecclesia 1524.17
Treueri potiti Franci 17.38
Treuirensis episcopus 455.12
tribulationum finis 1036.17
Tribunianus Aspendensis episcopus 15.23
Tricastinæ urbis ecclesia 1502.20
Tridenti gentilismus 85.8
Trinitas
Trinitatis doctrina hoc Quinto seculo purè tradita 114.20
in Trinitatẽ cur baptisemus 116. 38
à Trinitate conditus mundus 296. 60 de

de Trinitate hypotheſes Arianorũ 553.4. item Gentilium hypotheſis 1504.8. paganorum opinio refutata 1515.1
de Trinitate ſuperſtitio Armeniorum hæreticorũ 620.26 hypotheſes Manichæorũ 532.31. confutatæ 545.8
de Trinitate dogma Neſtorij confutatum 608.20.58
Triopas Argiuorum rex 291.48
Tripolis eccleſia 6.9. & 8.5
Tripolitani epiſcopi 8. 56. duo martyres 43.23
Triſagius hymnus 1062. 26. eiuſdem reuelatio
Triſpulus 651.16
triſticia quæ laudabilis 822.31
Triton epiſcopus 191.30
Triuialiũ ſcholarũ adminiſtratio 748.58
Trogmadorum epiſcopus 6.57
Troilus ſophiſta 1057.51
Typhon archimandrita 1451. 30
Typhonis Chij inſulæ epiſcopi uita 1165. 36
Tuburbitana ciuitas 9.8
Tumrida Galbis uicus quo ſcelere notus
tumultus publici 44.23
tumultuum cauſæ 35.46
Tungri Chriſtiani 75.13
Tungri à Francis ſubacti 1522. 26
Turbius Aſturicenſis epiſcopus 775.4. Eius uita 1424.54
Turci lingi 1523.31
Turiaſſonenſes epiſcopi 17.29
Tironenſis eccleſia 16. 49. ſynodus
Tuſciæ epiſcopi 951.6
Tutus 13.9
Tyana urbs 822.27
Tyburi eccleſia 750.16
Tygrij martyris ſub Arcadio uita 1470.13
Tyrannus Germanicopolis epiſcopus 1037.59
Tyranni & regis differentia 450. 36
Tyridenſis epiſcopus
Tyrus 10.15
Tyri epiſcopus 749.47
Tyrij gentiles 4.44
1501. 20

V

Vagienſis epiſcopus 8.37
Vagienſis epiſcopi cædes 38.20
Valamiris res geſtæ 1524.21
Valentinianus occidentis Imperator 905.51
Valentiniani imp. interitus 1524. 23
ſub Valentiniano qui motus politici 1521.30. & mutationes politicæ 1523.10
Valentinus hæreticus 153. 43. Eius fabulæ 133.37. hæreſis 208. 4. & 610.10
Valentinus 841.29
Valentinus Auguſtus 43.34
Valentinus Edeſſenus diaconus 1027.55
Valentinus Numidiæ epiſcopus 1155.18
Valentinus Palæſtinus 975.32
Valẽtini preſbyteri et legati Rom. uita 1292.26
Valẽtinus Vindelicorũ epiſcopus 17.59
Valentinæ ciuitatis clerici 14. 44
Valentius preſbyter 34.51
Valeriani cuiuſdam epiſcopi calamitas 44.2
Valeriani Habenſis epiſcopi uita 1140.35
Valeriani Iconij epiſcopi uita 1051 16
Valerius Africanus epiſcopus 1154. 53
Valerij Anazarbi epiſcopi uita 1034.7
Valerius Laodiceæ epiſcopus 678. 13
Valerius Melzitanus 873.16
Valerij præfecti uiolentia 35.3
Vallia Veſtgothorum rex 1520.56
Vallis Annonia 20.26
Vandali cuiuſdam horrenda pœna 77.30
Vandali excommunicati 728.38
Vandali populantur Galliã 37.5. quãdo Hiſpanias occuparint 37. 37
Vandalorum attritio 76.48
Vandalorum crudelitas in Carthaginem 1522. 44. in Chriſtianos 36.4. in Africam expeditio 1521 56. itẽ Gallias 1477.30
Vandalorum ingens fames 81.4
tyrannis in Africa 41.46. & 61. 24
Vandalicæ gentes 1.29
Vangiones deleti 37.25
Varamundus Francorum rex 1521. 28
Varij templum Carthagini 643. 47
Vaſates epiſcopus 15.42
Vaſenſe concilium & Vaſenſis ſynodus 15.48. & 913.17
uaſis aureis ornata templa 645. 49
uaſorum ad cœnam Domini uſus 668.44
Vaticanum templum 726.27
uaticinia 720.48
ubiq; Deum eſſe 109.4
ueli ſciſsi ſignificatio 88.60
ueli uſus 668.56
Venantius 822.38
uenefici reprehenſi 495.26
inter Venenatas beſtias ſeruati Chriſtiani 1491.22
Venerij Mediolanenſis epiſcopi uita 1300.1
Venetiæ quando extructæ 1524. 14
Venetiarum eccleſia 10.58
Venetica ſynodus 830.34
Venetius Aquileienſis epiſcopus 13.32
ueniale peccatum 288.50
Venus dea 1503. 55. Eius figura qualis apud gentiles 1508.6
Venerem non eſſe deam probatur 1514.53
Venuſianorum hæreſis 627.46
Venuſianus Byzantinus epiſcopus 1143.52
Ventriloqui reprehenſi 495.26
Verbum, Chriſti appellatio 127.32 & 128.28
Verbum Dei quomodo diſcernant patres 101.27
Verbum Dei quale 102.20. quomodo audiendum. ibid. 42
Verbũ Dei quotuplex 86. 50. inde 101.55
Verbum genitum 117.49
Verbũ Dei quomodo homo factũ 123.22
Verbũ patri conſubſtantiale 139. 30
uerbum incarnatum 150.30 & 152.30
uerbum cur miſſum 163.34
Verbum non factum, contra Arianos 559.30
Verbum caro factũ, ut caro fieret uerbum: refellitur 616.34
uerbum quod mortuum 104.16
Verbi Dei præcipua capita 86. 52
utilitas & effectus 103.5
Verbi Dei & humani diſcrimen 104.7
Verbo tantum neceſſaria tradi 102.34
per Verbum operari ſpiritũ ſanctum

ctum 193.18
uerba Dei multa 101.35
Vercellensis episcopus 13.50
uermibus peiora peccata 279.50
de Versionibus iudicium Patrum 528.43
Vesontiensis ecclesia 17.55
uersipertilionũ simulachra adorata 1508.22
uespertinæ orationes 648.58. siue preces 706.50
Vessula diaconus 1108.40
uestis candidæ usus 652.6
uestes Christianorum 722.48
Vestiuæ testamentum 725.42
ueteris Testamenti autoritas 85. 40
Viæ significationes 100.35
uiæ ab Arianis intercluſæ 72.30
Vicissabratenus episcopus martyr 43.23
Victor 841.40.& 822.28
Victoris de coniugio opinio 518. 56. de cruce 520.4
Victor Aethiops 906 39
Victor Africanus episcopus 1154. 19
Victoris Cartẽnensis episcopi uita 1163.10 libri.ibidem
Victor Palæstinus 975.23
Victoris Taurinensis uita 1308.30
Victor Vticensis episcopus 82.15 eius uita 1138.41
Victoria martyr 70.16. eius uisio 1493.4
uictoriam Christi humilitate consectam 166.6
Victoriani martyris Adrumetini uita 1473.44
Victorianus Africanus episcopus 1154.54
Victorianus martyr 70.17
Victorianus Mustecomæ episcop⁹ 8.45
Victoriani Musticani episc. uita 1153.7
Victorinus Carcabianensis 873.11
Victorini Galliæ episcopi uita 1418.47
uictus monachorum 705.23
uiduæ cuidam uinea erepta 29.19
uiduæ 747.40
Vienna Austriæ 1316.3
Viennensis Austriæ Ecclesia 18.6
Viennæ Gallorum templũ destructum 23.19
Viennæ Narbonẽsis ecclesia 15. 25
Vigilantij Barcilonensis episcopi uita 1425.54
Vigilantius Lariſſæ episcopus 755.43. & 1169.49
uigiliæ eremitarum 716.50
uigiliæ nocturnæ 706.38
Vigilius 82.11.de Trinitate 121.2
Vigilij Constantinopolitani diaconi uita 1219.58
Vigilij Tridentini episcopi uita 1309.13 scripta. ibidem. 30. doctrina 1310.56. certamina 1311. 34
Villagiensis episcopus 9.22
Villaticus à Casis Medianis episcopus 1156.50
Vilschouem Bauariæ 1316.36
Vincentius 82.11. & 822. 26.& 905.40
Vincentius archidiaconus martyr 37.11
Vincentij Calucitani episcopi uita 1138.57
Vincentij Galliæ presbyteri uita 1420.58
Vincentius Lirinẽsis de Trinitate 121.32.eius uita 1356.37 doctrina 1357.55. certamina 1358.22
Vincentius Macedoniæ episcopus 1170.8
Vincentij Victorij hæresis de anima 620.56. confutata 622.10
Vincentij Victoris hæretici uita 1455.44
Vincentij Vigitani episcopi uita 1140.18
Vindeliciæ ecclesiæ 17.59
Vindelici 1318.38
Vindemialis episcopi historia 1490.30
Vinianæ basilica 725.50
uinum cœnæ Dominicæ 672.3
uinũ contemnunt Manichæi 539.8
uino abstinuisse ieiunãtes 687.43
uirga Mosis 95.28
Virgilienſis ecclesia 17.30
Virginis cœlestis ludi apud gẽtiles 1509.22
uirgines 747. 40. reprehensæ à Chrysostomo 444.30
uirgines uelatæ 744.21
uirgines 9000 martyrio coronatæ 52.15
uirginum sacrarum torturæ & constãtia sub Hunericho Vãdalo 63.13
de Virgimibus opinio Augustini 518.50
uirginitas 444.41
de Virgimitate patrum opiniones 513.41
uirorum sanctorum usus in bello 75.37
uisiones sub Arcadio 1481.3. sub Leone 1492.19 sub Martiano 1489.1. sub Theodosio 1486. 46
uita nostra Christus 129.19
uitæ æternæ bona 479.32. & inde 482.46
uitã æternam quis daturus 479.4
de Vita æterna patrum doctrina 478.56. Iudæorum hypothesis 1498.45. gentilium doctrina 1506.39
Vitalij Italiæ episcopi uita 1312.56
Vitalij schisma 807.5
Vitalis 744. 49. excõmunicatus 728.14
Vitalis Macedoniæ archidiaconus 1170.12
uitia Christianorum 725.19
uitia laxata 740.7
uitis palmites 911.56
uiui iudicandi 474.12
uiuum uerbum quod 101.49
Vldinus Gothorum dux 1518.49
Vlsibiritana ecclesia 9.38
unctionis usus 657.43
unctus unde Christus 128.32
unio duarũ naturarum in Christo 151.10 111.8
Vnitas Dei probatur 9.6
Vnsibilinensis episcopus 1426.42
Voadinus Londinẽsium archiepiscopus 198.2
uocatio 199.48
uocati 327.8
uocatos credere 1165.1
Voconij Castellani episcopi uita 1162.47. scripta 911. 49
uoluntas Dei 206. 16. Dei & hominis 274.59
uoluntas qualis à Deo 241.29
uoluptates armæ diaboli 910.31
uotorum obligatio 977. 51
Vranio Himerorũ episcopus Eutychianus 611.21.eius uita 101. 37
Vranius Surorũ episcopus 993.6
Vranopoleos Pamphiliæ episcop⁹ 5.31
Vrbanus Cirbensis episcopus martyr 43.20
Vrban⁹ presbyter Carthaginensis 1113.33
Vrbani Mauritaniæ Sitifensis episcopi uita 1164.1

Vrbanus Siccensis episcopus 852. 53. eius uita
Vrbicus Palæstinus 1142.2
de Vrna mirum 975.30
Vranis Persæ crudelitas in Christianos, & pœnæ 75.7
Vrsicinus presbyter Edessenus 1027.46
Vrsonis & Landulphi Heluetiorum acta cũ S. Fridolino 1314. 57
S. Vrsulæ comitatus uirginũ 52.28
Vrsulæ sistun 694.12
Vrsulæ martyris sub Martiano uita 1473.6
Vrsulæ reliquiarum translatio 699. 55
ὐσία quid 110.54. & 115.60
usiones gentilium 1508.26
usuræ & fœnora Manichæorum 538.43
Vticæ prodigia 1480.59
Vticensis campus quo labore clarus
Vticensis ecclesia 62.44
Vuortuneri Britãniæ regis pietas 6.30 23.42
Vzalensis episcopus 8.39

X

Xanthippus Numidiæ episcopus 1155.14
Xeneas Eutychianus 611.24
xenodochia 773.12
xerophagijs usi monachi 705. 30
Xysti liberalitas 746.21
Xysti III. Rom. pontificis uita 24 7.38

Z

Zacharias monasterio præfectus 700.39
Zachariæ prophetæ apparitio. 1487.8. reliquiæ 697.40. uisiones 189.52
Zagylensis episcopus 8.13
Zebennius Pellæ episcopus 974. 28
Zenobij Florentini episcopi translatio 699.20. uita 1296. 40. certamina 1297.22
Zenodotus Telmessi Lyciæ episcopus 1039.37
Zenon chorepiscopus rudis 733. 60
Zenon Gazæ episcopus 1171.23
Zenon 11.13
Zenon Imperator 552.44. & 772.32
Zenonis Imp. genus & administratio imperij 59.14. odium in Nestorianos 608.9
sub Zenone quæ mutationes 152 1. prodigia 1493.41. schismata 806.32. synodi 952.6
Zenon Rhino corurẽsis episcopus 1107.6
Zeugitana prouincia 43.47
Zeugitanæ prouinciæ ecclesia 8. 60
Zipensis mons 1492.43
Ziticus Neæ episcopus 1047. 40
Zoaræ ecclesia 3.33
Zoilus Palæstinus 975.31
Zonaras de Honorio 25.23
Zosimus Macedoniæ episcopus 1170.7
Zosimus Minoidis episcopus 973. 26
Zosimus Romanus episcopus 587. 33. eius uita 1236. 4. scripta. ibid. 49. næui 1237. 40. certamina 1238.16. familiares. ibid. 40. scelera 852.40
Zosimus Palæstinus 975.31
Zosimus Themisonij episcopus 1053.58
Zosius Ebodorum episcopus 979. 44
Zurinanæ ciuitatis episcopus 9.4
Zygrensis episcopus 8.20

FINIS.

ERRATA TYPOGRAPHICA IN QVINTA Centuria, sic emenda.

105.39. Quis. 140.60. uobis. 181.51. Christus. 184.26. summus. 191.40. donum. 196.2. tuum. 198.10. quãuis. 217.36. Hebraicæ. 262.15. filiº. 272.48 fine. 390.20. Dominus. 394.26 poterimus. 423.29 ministri. 451.16. cõstemus. 453.42 militia. 547.59. somniant. 597.48. dirigũtur. 620.29. adulterina. 648.23. hymnos. 660. 16. infantibus. 692.39. monstratum. 727.48. Cogente. 728 39. Ariana. 730.24. ignarus. 734. 60. crearent. 738.50. populum 795.52. iuniorem. 841.31. Fortunatus. 921.57. præsentia. 946.27. Maximi. 952.50. Flauio. 977.36. eam. 978.12. Libani. 1029.21 iudicat. 1034.37 iudicare. 1099.3. episc. 1117.748. 1525.30. strenuus. reuerentia. 1232.34. fine.

BASILEAE, EX OFFICINA IO=
ANNIS OPORINI, ANNO SALVTIS HV-
manæ M. D. LXII. Menſe
Martio.